81
127

2884

ILLUSTRIS.MI ET EXCELL.MI DOMINI

D. F. IOANNIS THOMAE DE ROCABERTI.

TOMVS SECVNDVS.

DE ROMANORUM PONTIFICUM INVICTA IN FIDE CONSTANTIA.

D. IOANNIS
THOMAE
DE
ROCABERTI

TOMVS SECVNDVS

DE ROMANORUM PONTIFICUM
INVICTA IN FIDE CONSTANTIA.

DE ROMANI PONTIFICIS

AVTHORITATE,

TOMVS SECVNDVS.

LIBROS APOLOGETICOS COMPLECTENS LIBROS,

QVIBVS

HONORII I. IOANNIS XXII. NICOLAI III.

AC S. GREGORII VII.

INVICTA IN FIDE CONSTANTIA

ASSERITVR,

ET AB HÆRETICORVM, ALIORVMQVE CALVMNIANTIVM

IMPOSTURIS VINDICATUR.

AVCTORE

D. F. IOANNE THOMA DE ROCABERTI,

PRÆLATO DOMESTICO

ASSISTENTE SACRO SOLIO AB INNOCENTIO XI.

Archiepiscopo Valentino, olim in eius Vrbis Vniversitate Sacræ Theologiæ Primario Professore, Ordinis Prędicatorum in Provincia Aragoniæ Provinciali, postmodum totius Religionis Generali Magistro; semel, iterumque Valentini Regni Pro-Rege.

☞ (✠) ☞

VALENTIÆ,

In Palatio Archiepiscopali, Typis IACOBI DE BORDAZAR ET ARTAZV, Archiepiscopalis Typographi,

ANNO M. DC. XCIV.

PRAELATO DOMESTICO

ROCCABERTI

DE

THOMA

DE IOANNE

ANGLONE

IMPERTITUS VINDICIARUM

ET AB HAERETICORUM VINDICATUS CALUMNIIS

ASSERTIUS

IMMACULATA IN FIDE CONSTANTIA

AC SACRECORUM ILLUSTRIUM

IGNORUM I. IOANNIS A S. NICOLAO III.

ET

LUCE THEOLOGICOS COMITECTENS LABORES

THOMAS SECUNDUS

ANGLORUM APOSTOLUS

DE ROMANI PONTIFICIS

ILLVSTRISSIMORVM ANTISTITVM, ALIORVMQVE DOCTRINA & eruditione præstantissimorum Virorum Testimonia, ac Censuras, qui tamquam prima nostri Hispani Emisphærii sydera in celeberrimis Salmanticensi, & Complutensi Academiis enitent, etsi, qua parte in Authoris laudem cedunt, meritò si entio prætereunda videbantur, sanè cum haud leve sint Infallibilitatis Pontificiæ argumentum, operæpretium visum fuit in publicam edi lucem (eo, quo receptæ sunt, ordine) vt tot irradiantibus doctrinæ splendoribus Infallibilis Sanctæ Romanæ Sedis Authoritas, vt alter Sol Christiano Orbi clarior effulgeat.

CENSVRA ILLVSTRISSIMI, ET Reverendissimi Domini Episcopi Dertusen.

ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO, Don Fr. Ioanni Thomę de Rocaberti, Archiepiscopo Valentino, Prælato Domestico Assistenti Sacro Solio ab Innocentio XI. olim in illius Vrbis Vniversitate Sacræ Theologiæ Professori, Ordinis Prædicatorum in Provincia Aragoniæ Provinciali, postmodum totius Religionis Generali Magistro, semel, iterumque Valentini Regni Pro-Regi, salutem, & fœlicitatem plurimam.

ILL.ME ET EXC.ME DOMINE.



EGERAM Iterum, iterumque non siccis oculis Gallicanorum Præsulum Decreta *anno millesimo sexcentesimo octuagesimo secundo* totius Christiani Orbis terrore edita, & evolgata. Hærebam attonitus lectioni, & inhærebam suspiriis dolore tremulo intimas præcordiorum fibras lancinante. Proh Deus! (aiebat animus) vbi Zelus! vbi Ardor? quidam Ecclesiæ filii prędilecti, Regiæ voluntati vnicè famulantes, divinam illam Infallibilitatem Vicario CHRISTI detrahunt, & non omnis reliqua Christiani Orbis pars insurgit, & stat in acie, vt Petri Cathedram, validè impetitam, acerrimè defendat, & tueatur? Heu! heu Scholasticæ Palestræ! Quorsum vestros agitatis alumnos? Quorsum Coriphæi vestri, limpidissimis ingenii, & rationis iaculis armati, aut latent desides, aut immemores divagantur? Nunc commiscendæ manus, *& tela minantia telis.* Irruunt facto agmine hostes, & ràm pauci ex nostris Hispanis irruunt, & retundunt?

Accedebam propiùs, Dominicas intuens acies, & mecum ipse clamabam: Vbi fortes illi in Israel, & Populo Dei, tot, ac tantis prælis victores? tot triumphis illustres? Iam impii Fesciales edixere bella: quid statis? quid hæretis? Numquid arenam recusatis? *Filii Ephrem intendentes,* Psalm. 77

tes, & mittentes arcum, conversi sunt in die belli ? Sic sæpius mecum ista concipiens, angebar mærens, tanquam densissimis nebulis oppressus, quando Sole clarior eluxit dies. Pervenerunt ad manus meas eruditissimæ, ac lucidissimæ tuæ Elucubrationes (Excellentissime Præsul) pro Summo Pontifice, eiusque absoluta Infallibilitate, non sine immenso labore, assiduisque vigiliis, à te omnium horarum homine, elaboratæ. Recepi, stetit angor, inspexi, silvere suspiria; pertractavi, sudum nituit, exilvere præcordia, insonuitque interiori cordè: Io triumphe: Macte animi virtute Viri, bella fera ductore tanto fatiscent.

Nec mirum (Illustrissime, ac Excellentissime Princeps) quôd in similes exuberem lætitiæ œstros; nam tuo longê doctissimo Opere exinanitos; cassosque video adversariorum conatus. Inhiabat assentatrix illa Gallicani Cleri Synodus, inconcussas Romanæ Cathedræ Vires labefactare, quod vt efficeret, Infallibilitatem Oraculi, qua Petrum, & Successores perpetuo quasi vinculo CHRISTVS Dominus insignivit, malè allatis pro se Patribus, Conciliis, & Sacris Scripturis, temerê abnegavit. Emicas tamen ipse in apertum campum, & inertiam arguis, insultus reprimis, Sanctorum Patrum, Conciliorum, & Scripturarum, propriis fortissimis armis admixtis, Synodi illius sensum, non semel à Sancta Sede improbatum, ita acerrimè convincis, vt quisquis hoc tuum Opus seriò expenderit, Ecclesiæ applaudens, eidem dicat: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.*

Cantic. 1.

Nulla adest in istis assentatio, procul abest simulatio omnis: præsto sunt muti eloquentes testes, Sanctorum scilicet, & Conciliorum dicta, & divina eloquia, quæ si consulamus apud te, si scrutemur, nihil acutius, nihil aptius, nihilque germanius aptatum inveniemus; ipsa in suo fonte vinciunt, tua adducta manu mentes religant, & ad digitum exerendum compellunt. Et quid de tuis propriis argumentis? non vnius, sed totius litterarii Senatus consulta censerem, in Topica inventione firmissima, in dictione appósita, ad probandum, & convincendum mirabilia.

Sic se habent (Sapientissime, & Religiosissime Antistes, de Schola, & Ecclesia CHRISTI optimè merite) tui nuperi labores. Causa in promptu est, observantia nimirum erga Sanctam Sedem, Zelus tuendæ eius Authoritatis: non enim in hoc ejus Infallibilitatis discrimine, sine gravi tui nominis iactura silere potuisti; *Muta, siquidem Charitas* (verbis Ænodii vtor) *penè repræsentat speciem non amantis, & odiorum simulacrum est, non aperire, quod diligas, contestatione sermonis.* Tibi, & in te natæ sunt gloriæ, & tibi simul præparantur triumphi. Olim Seculares palmæ, te, & tuos præcingebant Progenitores: surripuisti te mundanis lauris, & te Religiosa, & Sacra maxima decora conquisierunt. Prædicatorum Ordini Magister Generalis præfuisti, nunc Valentinæ Ecclesiæ Præpositus es Luminare maius, & iam tuæ ditioni maior, vniverso CHRISTI gregi, & OEcumenicæ Petri Diœcesi, fulgentissima tua, atque in eluctabili doctrina præluces. Io igitur triumphe! Per te enim magnanime Præsul.

Lib. 1. *Epist.* 23.

———————————*Veritatis*
Impietas patitur lupatum.

Exindè nullis huiusmodi insultibus pertimescendum; tu enim tuo nomini nihil dissonans, *Rupes* es, imminens scopulus, cui, si insilient, Adversariorum instar Occeani crispatæ iræ, velut spuma maris desilient.

Vt præceps cumulo salit vnda minantes
in scopulos, & fracta redit.

Rupes es, & veluti Cumana, & Petra lata
quo lati ducunt aditus centum———ad Asylum; *cui ostia centum*; vndè totidem ruunt Sybillina responsa, ex quibus ver-

verba vitæ omnes excipient. *Rupes* es Oreb, quæ limpidissimæ aquæ profluvio Israëliticum, & Fidelem Populum prosequeris recreandum. *Rupes* es, Constantiæ symbolum, & Virtutis, & Rupes Sin, in qua lex sincera, lex ignita, ignis conflans, & probans metalla, ex qua numismata Cæsarea, quæ Cæsarea, & Regia sunt, Regi tribuenda assignas, illa nempè (vt cum Chrysost. loquar) quæ pietati, & Religioni nihil officiunt; nam quod Fidei, & virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum, & vectigal est. Tandem *Rupes* es, seu lapis ille abscisus de monte sine manibus, qui statuam, quam Gallicani erigere tentarunt, percutiens in pedibus fictilibus comminuisti eos, & solo æquasti: vndè factus es mons magnus, Olympus scilicet, semper fulgens, nubibus numquam fuscatus: *nubes excedit Olympus.*

Hom. 71. In Matth.

Dan. lib. 2.

Luc. lib. 2.

Hæc omnia præstas (Oculatissime Præsul) & factus es velut alter Iesbaam, primus fortium Davidis, qui adiuverunt eum, vt Dux fieret super omnem Israël; sedens in Cathedra tanquàm Dux, & Princeps Militum. Sapientissimus ipse, & filius Hachamoni, id est, sapientis, vtpotè magni Parentis Dominici, præliantium prælia Domini Antesignani, nobile germen; tenerrimus ligni vermiculus, quin octingentos interfecit impetu vno; amicis facilis, mitis, benignus, idem hostibus terribilis, vt Leo. Omnes doces, & instruis, Gallicanos, nè amplius in Romanæ Cathedræ Infallibilitatem insurgant; Hispanos, vt fortiter pro Ecclesiæ iuribus murum sese opponant; Exteros, vt mirentur; tuæ Prædicatoriæ Familiæ Alumnos, vt imitentur; sicque ab omnibus gratulationes, & plausus demereris. Gratulor in primis ego, tibi innumeris penè titulis devinctus, & à Summo Imperatore Coronam tibi Civicam pro defensa Ecclesia Triumphalem deprecor, & æternam. Faxit, Faxit Deus. Vale in ævum. Dat. Dertusæ, die 17. Novembris *1691.*

2.Reg.23. 1.Par.11. 1.Par.11.

EXCELLENTIÆ VESTRÆ

Addictissimus Servus.

Fr.Sever.Thom.Episc.Dertusensis.

CENSVRA R.mi P. M. Fr. DIDACI DE FLORES; Exprovincialis Castellæ, Ordinis S. P. N. Augustini.

STVDIOSA, Eoque indefessa mentis acie (Excellentissime, ac Illustrissime Præsul) ita animum induxi, vt quod de Infallibili Potestate, Fideique Constantia Pontificiæ Dignitatis Volumen, pro Dignitate conspicuum, pro eruditione refertum, proque omnigenæ Doctrinæ pabulo à te coalitum, non tàm perlegerem, quàm sæpè sæpius libenter evolverem. Ad cuius eloquentem facundiam applicitus: (A) *Paveo minorem laudibus navem, magnas res gestantem mergendam attonitus: nullus enim dignè laudabit Ioannem, dum non est alius Ioannes.* In eo namque pro Supremo Ecclesiæ Capite ita *Libertatis splendescant radii*, vt, admirationi cedens, porior eloquentia extra se rapiatur absorta: *O lingua* (exclamans) *ipsis Cœlis altior! O Magister Evangelica tonitrua tēperans! Mundum Dei notitia lingua replevit, libros conscripsit, retia salutis expandit.*

(A) *B. Proclus orat. Paneg. in laudem S. Ioan. Chrysost. Idem ibid.*

Eruditioni spatiosum, latumque præstitit campum Romanę Ecclesię in Supremo eius Capite tutamen, vt, dum redolentibus doctrinæ floribus, vberioribusque sapientię frugibus, ipsius tempora redimis, redimiaris: ac simplici

plici colombæ amore in Parentem, prudentis serpentis sibilo in Hæreticos, illius Infallibillem Constantiam, horumque fallacem calumniam insecutus, triumphum decantes, laurum arripias : (B) *Litterarum siquidem studia, quæ cunctis honoribus tuo sunt digna suffragio, sedulus scrutator assequeris, addens claritati generis ingenium suaviter eloquentis. Incumbe ergo talibus studiis, ama, quæ in te remunerata cognoscis.*

(B) *Cassiod. l. 2. Var. 16.*

Scopum collimasse, superioremque in hoc opere attigisse metam, nedum Archiepiscopalis cum Pontificis infulis impulit nexus, verùm sapientiæ, doctrinæ, atque virtutis à primævis annis ardor adegit. (C) *Cui pro pulchritudine virtus fuit ; pro magnitudine, Theologia ; pro cursu, perpetua virtutis agitatio, continuisque incrementorum gradibus ad Deum ferens ; pro viribus denique, doctrinæ semen, ac distributio.* (D) *Vbi virtutem vniuscuiusque libri Veteris, & novi Testamenti mirabiliter indicavit.*

(C) *Naz. ora. in D. Basilium.*

(D) *Cassiod. de Divin. Lectionibus, cap. 21.*

Estò tamen Pontificiæ Infallibilitati, & Constantię propugnandis Archiepiscopali Dignitate te te fatearis obstrictum : non indè novo merito exuis obsequium. Thomam enim Villanovanum, in tua Sede Valentina Solem, radios ebibiturus insequeris. Ille verbo, calamo, & opere Ecclesiam deformatam (E) pinxit venustandam, iisdemque penicillis, novis coloribus, antesignani tui renovas effigiem. Vt ab ipso oriente vtraque Phœbea lampas irradiet, veluti de D. Hieronymo, Bethleem incola, Cassiodorus aurumac : F) *Quem in Bethleem habitasse otiosum non arbitror, nisi vt in terra illa miraculorum, ad instar Solis, eius quoque ab Oriente nobis lamparet elogium.*

(E) *D. Thom. de Villan. contione 2. Pentecost.*

(F) *Cassio. vbi sub.*

Egregium vndique Opus, opportunus fructifer labor, ea præsertim tempestate, qua erecto inobedientiæ, & calumniarum collo temere dominandi libido OEconomię, seu Politię astu obvolura virus evomuit, quo Supremum Romanum Caput fallibilitatis, & inconstantiæ nęvo adoriatur polluendum. (G) *Numquam enim maiori damno periclitati sunt mores, quàm cum gravitas Romana culpatur : pudor est degenerare á prioribus. Vt quia quorumdam illicitis seditionibus civilitas turbabatur, haberent innoxii in te purissimum testem, & errantes iustissimum hostem paterentur vltorem.*

(G) *Cassi. lib. 1. Var. 44.*

(H) *Sacram Vrbem aspice tuis votis candidatam.* Simulque te *respice super omnium humeros, atque ora volitare, talemque te præbes, vt dignus genere, dignus vrbe, dignus trabeis æstimeris.* Nam dum ita Sacræ Scripturæ testimoniis, Ecclesiæ traditionibus, Sanctorum Patrum effatis, atque efficacissimis rationum fulcris hostes deturbas, vt ipsimet cogantur evicti fateri trophœum, non tàm evicisse detrectas, quàm suasisse, atque in Ecclesiæ caulam eos reduxisse glorieris. (I) *Quid enim credi possit optatiús, quam vt alumnos proprios ad vbera sua Roma recolligat, & in venerando nominis cœtu Senatum annumeret Gallicanum?*

(H) *Idem lib. 1. Var. 2.*

(I) *Idem lib. 2. Var. 1.*

Infallibilem fallibilitatis ruina collabentem Tyaram, Pontificum Romanorum successivo tractu inconcussam Fidem opprobriis impetitam, Ecclesiamque dissecto capite truncam incolumitati restituis. Fœlix discrimen, vt ex hostili incursione arrepta palma, inturbata Roma eximium te meruerit Mœcenatem. (L) *Legit enim Roma frequenter fasces de mœnibus Gallicanis : né aut in damno suo præcipua contemneret, aut probata virtus in honore cessaret.*

(L) *Idem. lib. 2. Var. 3.*

(M) *Iacebat enim nobilis origo sub Gallicano iustitio, & honoribus suis privata, peregrinabatur in patria.* Proh dolor ! Deflendam Provinciam tot retro sæculis in Ecclesiam, eiusque Pontifices, ita propensè beneficam ! quę nedum obtemperantię glorioso iugo submissa, verùm & veneratione, Supremę eorum potestatis omnimodè absolutum absque Concilio agnoverit principatum ; nunc verò non solum nutabundę, sed etiam sine consortio eius, potentiam neganti. (N) *Necesse prudentissimum eligere, qui possit contra subtilissi-*

(M) *Idem ibidem 1.*

(N) *Idem ibidem 11.*

lissimos disputare, & in conventa Doctorum sic agere, nè susceptam causam tot erudita possint ingenia superare. Magna enim ars est, contra Artifices loqui, & apud illos aliquid agere, qui se putant omnia providere.

Angelum te, Petri carcerem meditor penetrantem; Eruditionis, sapientiæque tu ęlumen in Successorũ eius habitaculo refulsit. Fallibilitatis, & inconstantiæ in Fide duabus catenis irretitam Dignitatẽ, duobus quoque Libris, rationũ ictibus refertis, ita enodasti, vt percusso latere Petri, non tàm vincula rupisse, quàm ipsamet cecidisse compellantur. (O) *Ceciderunt catenæ de manibus eius*, vt sic cadentibus hostium argutiis, in suum pristinum robur redigatur Ecclesia. Grates igitur huic exantlato labori Pontificia referat Celsitudo. (P) Sciatque, verè in te misisse Angelum suum, qui eam eripuit de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Hæreticorum.

Adumbratum insuper Ieremiam te perspice, quem Vox Divina è Cęlo lapsa ita refecit. (Q) *Dedite hodie in Civitatem munitam, & in columnam ferreã, & in murum æneum.* Cui ergo Civitatis munimen, columnæ fulcimen, ac inexpugnatio muri; nam (R) *sicut Civitas munita non potest capi, nec columna ferrea frangi, nec murus æneus penetrari, sic nec poteris ab adversariis superari.* Æreo splendenti Sapientiæ muro Romulea mœnia cingis, quo non solum bellica hostium tormenta absque læsione ferat, verùm & repellat, & retundat. Nec tantum inexpugnabili muro, sed muro æreo, vt nedum ad bellicos ictus fortitudine, sed sonitu fama reboante prævaleat, laudibusque prædiceris. Debet namque (S) *Pastor bonus esse murus, objiciens se periculis pro ovibus: non mutus, sed æneus sono prædicationis.*

Quid non itidem virtutibus ornatam Civitatem, Sapientiæ munitam te arcem admiret? (T) *Litterarum quippè studiis dedicatus, perpetuam doctissimis disciplinis mancipasti ætatem.* Quid non fulcitam columnam? qui (V) *non primis, vt aiunt, labris eloquentiam consecutus toto te Aonii fonte satiasti. Vehemens disputator in Libris, aquipararis veras prorsus meritis, quos lectitaras Authores.* Quid denique non murum æreum? qui non solùm arietari præ sapientiæ robore obstitis, verùm & æreo pervulgatæ famę Orbem expleveris. (X) *Ab ipsis quidem primordiis honoribus aggregatus, vt post domesticæ virtutis exempla, sumeres de publica Authoritate sententiam.*

Gaudeat igitur Romana Curia. (Y) *Quia exultatio Civitatis illius generale votum est.* Gaudeat in suo supremo Capite Mater Ecclesia, (Z) *dum necesse est lætari reliqua, si mundi Caput gaudere proveniat.* Exultet Sydereus Dominici Cętus, ex cuius fœcunda prole, ita sibi crevit Paternitas, vt Sapientiæ tuę stellis redimitus eas potius ornes, quàm orneris ab eis. Valẽtina itidem Metropolis glorietur, Nobilitatis stemmate, virtutum splendore, ac omnis disciplinæ indefessa luce exornatum te, te obtinuisse Pastorem. (Aa) *Cuncta siquidem vnde famam capiat humanitas, in te geminata federunt, patria, genus, instituta præclara. Quorum si vnum Nobilitatem complet, in te collecta plus facient, qui non minus genitalis soli fortuna resplendes, quàm gloria stemmatis, & virtutis ornaris.*

Sileat iam iam differtior, vt impar tuis summis laudibus eloquentia, sibi plaudat Orthodoxa Ecclesiæ Fides, & sui Supremi Verticis Constantia, quatenus hoc Volumine, fœlici labore elucubrato, repererint, quo eliminatis erroribus, veritateque detecta, propriæ consulant pacificę famę, ab hostibusque sine ambiguitate palmam arripiant. (Bb) *Digna plane scientia, in qua mens honestissima conquiescat, quæ animo semper aliquid salutare complectitur: cui accidere nulla possunt ingrata, dum sibi comendat omnia, cui labis fortuna non imperat.* Denique (Cc) *Vnum illud addam. Omnia mihi tantò laudabiliora visa, quantò iucundiora: & tantò iucundiora, quantò laudabiliora erant.* Valeas ergo in Ecclesiæ ornamentum, in Orthodoxæ Fidei Fulcimen, in Pontificalis Dignitatis Tutamen, in Hæreticorum Flagellum, atque in

(O) *Act.* 12. *v.* 7.

(P) *Ibidem v.* 11.

(Q) *Ierem.* 1. *vers.* 58.

(R) *Lyra in cap.* 1. *Ieremiæ.*

(S) *Corn. à Lapide in c.* 1. *Ieremiæ.*

(T) *Cassio. lib.* 2. *Var.* 3.

(V) *Idem ibidem.*

(X) *Idem ibid.*

(Y Z) *Idem lib.* 9. *Var.* 17.

(Aa) *Idem lib.* 1. *Var.* 42.

(Bb) *Idem lib.* 2. *Var.* 3.

(Cc) *Plinius junior, lib.* 9. *Epist.* 31.

tuarum laudum incrementum. Sic opto. In hoc Regio D. Philippi Matritensi Cœnobio, Ordinis Eremitarum Sancti P. N. Augustini. *Die* 30. *Decembris, anno Domini* 1691.

Magister Fr. Didacus Flores, Provinciæ Castellæ S. P. N. Augustini Exprovincialis.

ILL.mo ATQVE EXC.mo DOMINO,

D. IOANNI THOMÆ DE ROCABERTI, Archiepiscopo Valentino, &c.

CARMELITARVM DISCALCEATORVM D. CYRILLI Complutense Collegium, de nuper edito Opere *de Romani Pontificis Infallibilitate in rebus Fidei definiendis extra Concilium* gratulatur.

MIRABERE forsan (Princeps Ill.me, & Excell.me Præsul) hanc nostram inopinatam Epistolam tua adyta penetrare, cum nulla nos inter præcesserint fœdera peculiaris amicitiæ; & importunum videatur, per litteras salutare, cui numquam os ad os loqui, neque *Ave* dicere fortuna concessit. Quod ignoti, ignoto alloquimur, inquies. Sed absit à te hujusmodi cogitatio. (1) *Libri quidem, quos de horreo Dominico elaborasti, penè totum nobis te exhibent. Si enim propterea te non novimus, quia faciem corporis tui non vidimus; hoc modo nec ipse te nosti: nam tu quoque non vides eam. Si autem tibi non ob aliud notus es, nisi quia nosti animum tuum; & nos eum non mediocriter novimus in tuis litteris, in quibus benedicimus Dominum, quód tibi, & nobis, omnibusque, qui tua legunt, te talem dedit.* (2) *Et nos tibi quidem ignoti facie, sed animo, ac veneratione comperti* (verbis vtimur Divi Prosperi Aquitanici, Regiensis Episcopi, ad præclarum Ecclesiæ lumen Augustinum scribentis, cum librum de Correptione, & gratia adversus Pelagianæ Hæreseos reliquias evulgasset) *Beatitudini tuæ scribere audemus, non solúm salutationis studio, sed etiam Fidei, qua Ecclesia vivit, affectu. Excubante enim pro universis membris Corporis CHRISTI vigilantissima industria tua, & adversus hæreticarum doctrinarum insidias, veritatis virtute pugnante, nullo modo nobis verendum putavimus, ne oneroso tibi, aut importuni essemus, cum potius reos nos futuros esse crederemus*, si quos Fidei ardor, ac Religionis Zelus adurit, non tibi de edito Opere gratulemur, quo, dum Romani Pontificis in rebus Fidei extra Concilium definiendis Infallibilitatem adstruis, pullulãtis Hæreseos prava non tàm proscindis germina, quàm evellis.

(1) *Aug. ad D. Hier. tom. 2. Operũ D. Hieron.*

(2) *Prosper. Aquit. Epist. ad Aug. de Reliq. Pelag. Hæres.*

Igitur Volumen illud ad nos insperata opportunitate delatum, (3) *Tamquam ex commodo lecturi aperuimus: deinde degustare incipientes, tanta dulcedine nos tenuit, & traxit, vt illud sine vlla dilatione perlegerimus*: invidentes quidem alter alterius fœlicitatem, cui fors prius legendi obtigisset: ancipites prorsus quidnam potius hoc in Opere miraremur: an materiæ dignitatem, an gravitatem styli, an ingenii dexteritatem, an denique vbertatem fœliciſſimam,

(3) *Senec. ad Lucil. Ep.*

qua

qua tanta integrum abundat Opus, vt litterarum omnium, præcipuè Sacrarum, nec immeritò Ærarium putaremus. Horum singula plenam in sui admirationem rapiebant mentem, illorum quodlibet admiratione dignum, & prælo videbatur.

Et quidem quod ad MATERIÆ DIGNITATEM attinet, quid dignius Ecclesiastico Principe, quàm Ecclesiæ tueri Principatū? Quid proprius Episcopalis curę, quàm Romani Pontificis extollere Dignitatem? En Petri Navicula variis in Gallia agitata criminibus, totum diffusa per Orbē clamat, *Domine salva nos: perimus.* En adversis impetita turbinibus periclitatur mergi. En qui pro ipsa stare solebant, congesta acie ipsius subversionem moliuntur. Sit igitur pro remige calamus, quo litus secura pertingat, sint pro carbaso plumæ, vt salva consistere possit, deque inimicorum telis securior aufugiat, seu tutior evadat.

Et vidimus Opus, Princeps Illustrissime, quo strenuè dimicas pro Ecclesia, proque eius Nauclero, illicòque meminimus illius quondam celeberrimi Statuarii, qui alia inter miranda opera Navim sculpsit, ea artis subtilitate, ac dexteritate confectam, vt integrum opus sub vnius Apiculæ pennas lateret. En tui Emblema propriſsimum. Si enim te ænigmaticè depingere vellet affectus, non aliud, quàm argumentosam apem tot Sacrarum Litterarum floribus delibutam, depingere posset. Si Ecclesiam tutari cupientem, quid aliud, quàm Apem sub pennis suis Naviculam protegentem effigiare valeret?

Proh sęcula non sine cordis amaritudine flenda! O Regnum iterum piis Divi Hieronymi lacrymis deplorandum! Animadverterat ipse ferè cuncta Orbis terrarum Regna horrida monstra generasse, & lęto exclamabat animo. (4) *Sola Gallia monstra non habuit.* Illius Cythara versa est in luctum. En Gallia hac misera tempestate monstrorum fęraciſsima. Desiit Hieronymus, qui huiusmodi Gallica mōstra cōtereret. Sed (5) *Dominus, qui locutus est ad Prophetam: Ecce constitui te hodie super gentes, & regna, eradicare, & suffodere, & dispergere; ac rursum adificare, ac plantare; singulis temporibus eamdem Ecclesiæ suæ largitur gratiam: vt integrum corpus conservetur, & in nullo hæreticorum dogmatum venena prævaleant.* Quod quidem nunc videmus expletum, cum per te, ò Excelentiſsime Pręsul, monstrum illud Gallicani Cleri, Pontificiam Authoritatem insectans, penitus extinctum videatur. (6) *Vox Beatitudinis tuæ in Orbe pertonuit, & cunctis Christi Ecclesiis lætantibus, Diaboli venena silvere. Nequaquam amplius antiquus serpens sibilat, sed contortus, & eviscératus in cavernarum tenebris delitescens, Solem clarum ferre non sustinet.* Liceat ipsius Hieronymi verbis in simili proclamare. (7) *Quòd totus mundus exultet, & in tuis victoriis glorietur; erectumque Vexillum Crucis, & adversus hæresim trophæa fulgentia gaudens populorum turba prospectet. Macte, virtute, Macte Zelo Fidei, ostendisti, quòd hucusque taciturnitas dispensatio fuit, non consensus.* Liberè enim reverentiæ tuæ loquimur. Dolebamus, te nimium esse patientem, qui posses vnicus Galliæ monstra debellare, sed vt videmus, exaltasti manum diu & suspendisti plagam, vt ferires fortiùs.

O Virum adeò his temporibus necessarium! neque mens solummodò nostra, sed plurium (8) *Nam apud quos hi libri in authoritate sunt, ii, vt de Christianæ Doctrinæ veritate non dubitant, ita nec ambigunt de eorumdem necessitate.* Antiqua evomit venena Gallicanus Clerus, caputque ex hydra renascens virulento sibilat ore. Iam pridem malè suada Parisiensis Academia multorum animos concitarat, non modicèque turbarat sex illis propositionibus quibus debita Romanæ Sedi obedientia, vsque adeò labefactatur. Has iterum Gallicanus suscitat Clerus, sęviſsimam adversus Apostolicam Sedem commovens seditionem. O cæcitas miseranda! qui enim à prima veritatis regula lumina avertunt, in extrema præcipites ire mala necesse est. Vt enim aiebat ille. (9) *Qui Christiano nomine censeri volunt, & tamen à Fide, veraque*

CHRI-

(4) *Hiero. adver. vigilan. in init.*

(5) *Theop. Ep. ad Epiphan. tom. 2. Oper. D. Hieron.*

(6) *Hiero. Ep. ad Theop. tom. 2. Oper. D. Hieron.*

(7) *Hier. Epistol. 1. ad Theop. ibidem.*

(8) *Gregor. de Val. Præfat. ad Lectorem.*

(9) *Val. ibid.*

CHRISTI Doctrina aberrant, idcirco aberrant, quia regulam nesciunt, ex qua oporteret existimare de veritate doctrinæ. Hinc Lites, hinc Prælia, hinc Ecclesiæ Patribus necessitas orta iterum, atque iterum sumendi pro illius defensione arma, ostendereque nutantibus securum Sydus, quod aspicientes, fœliciter portum contingere possint, nebulasque dispergere huiusmodi Sydus obtenebrare nitentes. (10) *Neque enim aliam ob causam de Fide, atque adeó de Religione, tam multæ controversiæ hisce præsertim temporibus, cum tristissima multorum pernicie, sine vllo fine agitantur, nisi quia de regula ad Fidei controversias omnes dirimendas non convenit.*

(10) *Val. ibid.*

Has igitur lites, vt sedares, Zelo movente manum, doctrinæ gladium evaginasti. Has de Romanæ Sedis Authoritate controversias, vt dirimeres, supero afflante Numine, lectissima quæque Sacrarum Litterarum testimonia, Patrum sententias, Conciliorum Authoritates, Pontificum oracula, validissimasque rationes cumulasti. Vt primam veritatis regulam nutantibus ostenderes, Fide præbente lumen, fulgentissimam in hoc Opere accendisti facem, vt aberrantes Oves ad Dominicum Ovile reduceres, ad viamque veritatis converteres, malesidas vias penitus occlusisti. Igitur. (11)

(11) *Philippus Mensselius in Opus Gregor. de Valent.*

——————Tu quisquis ad Æthera rectam
Nescius ire viam, cunctaris, & anxius hæres.
Huc oculos, animumque refer. ——————
En liber hic facili certum te tramite sistet,
(Ni refugis) claramque facem per mille salebras
Præferet, vt meta victor potiare cupita.
Vos quoque, deserta, quos Petri Nave, volentes
Pontus habet. sævusque freti circumsonat Æstus,
Si mens læva sinit, si quis modò corde rigenti
Sensus adhúc superest; hunc agmina naufraga portam
Arripite: has tabulas manibus prænsate fideles:
Aut hinc certa salus manet, aut spes omnis adempta est.

Et tanto quidem Authore materia digna existebat, & Dominicana Familia, cui in Religiosa professione fœlici auspicio dedisti nomẽ, hunc à te laborem, Excellentissime Princeps, iure optimo deposcebat. Primordia Spiritus, ardentissimique Zeli flammas Sanctissimus Parens DOMINICVS in insectandam Albigensium hæresim per totam Galliam insumpsit. (12) *Mortuus est Pater, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se:::reliquit enim defensorem domus contra inimicos.* Si enim Lemma tuis esset operibus affigendum; non aliud nisi præfata Ecclesiastici Verba adscribi possent. *Mortuus est Pater, & quasi non est mortuus*: te enim reliquit similem sibi post se, qui eodem Fidei ardore, domum contra inimicos defenderes, dissidentesque Gallos, & si non verbo, scripto saltem, licet non minori fruge, insectares.

(12) *Ecclesiastici 30. v. 4. & 7.*

Gaudeas igitur, Sanctissime Parens Dominice, interque Cœlites omnes speciali quadam lætitia fruere Beatior: Vivis, vivis adhuc, neque è mortalibus penitus abscessisti. Lampas illa tuæ Charitatis ardore succensa, qua olim Gallias adurere, hæreseosque tenebras depellere nisus es, lumine fulget adhuc inextinguibili: verum enim putamus, quòd (13) *vocatur filius succedens in honore Patris lucerna Patris, quia lucerna est aliquid vivens, scilicet quoniam ardet, & lucet: sic etiam filius est quædam lux manifestativa Patris.* Quæ ergo fulgentior lux, vt sanctissimum posset manifestare Parentem, quam hic, in cuius lumine splendes, cuius Zelo errores insectaris, cuius calamo prædicas, cuius labore vincis, cuius agone triumphas, cuius Triumpho coronaris. Gaudeas ergo, gratulabundumque affectum suscipe; nam

(13) *Abul. 4. Reg. 8. q. 30.*

Da-

(14) *Damus læto veniam, quód alma*
Prole fundasti vacuos Penates.

Scripta illa tua, Sanctiſſime Pater, Albigenſium perfidia ter in rogũ iniecta, terque illæſa ê flammis avolantia, (15) putas nè Vatidica ſignificatione hæccine figuraſſe? crediderimus certè. Hæc quippè, & ſi non flammarum incendia, perſequentium ignes ſubibunt, nec tamen in cineres reducentur, ſed victricia ſemper è pyris avolabunt, vt indelebili caractere damnent, quos neque tàm clarũ iubar ad ſanam mentem reduxit. Sed hæc de dignitate materiæ dixiſſe ſufficiat.

STYLI GRAVITAS materiæ Dignitatem exæqueat. Neque enim par erat facetiis, aut ſcommatibus obtrudere adverſantium ora. In rebus Fidei propugnandis, non Verbis, ſed Scripturarum, Conciliorum, & Patrum nitendum teſtimoniis. (16) *Nè querulus garriat ſe eloquentia magis, quam veritate ſuperatum.* Non quia exiſtimemus pulchriores Eloquentiæ flores tuo Operi defuiſſe: quin potius venerati ſumus, te tàm humiliter de te ipſo ſentire, dum ais (17) *Ratio, quæ me impulit, vt á ſermonis elegantia, Rethoriciſque floſculis in hoc Opere abſtinerem, &c.* Cum pęnè nihil aliud pleno Opere egiſſe videaris, quàm varios eloquentiæ floſculos intexere. Sed illud nobis admiratione dignum, neque ſcomma vllum, neque improperium aliquod in toto hoc Opere reperiri, neque querelæ iuſtæ laxatas habenas; quin potius ſummam venerationem vel in eos, quorum devia dogmata infectaris: (18) *Illuſtriſsimos Gallicanæ Eccleſiæ Proceres Doctrinæ, & Sanctitatis dotibus plenè inſtructos*, huius (ſi fas eſt dicere) Schiſmatis fautores appellas. Ita ſanè decebat, nè ſenticoſa verba turbarent animos, ſicque pulchram veritatis ſpeciem recipere non valerent. Ablatret fortè quis tàm vaſto corpore, tàm modica ex proprio penu poſuiſſe verba: in promptu reſponſio eſt: (19) *Scriptorum neſcio quomodo vt quiſque prudentiſsimus, ita ſtrictiſsimus eſt, & pauci ſermonis.* Neque tàm præclarum Authorem decebat verboſitas: nam tritum eſt illud. (20) *Altiſsima quæque flumina minimo ſono labi.*

Iam ſi INGENII DEXTERITATEM inſpicimus, illicò venit in mentem illud à Divino Hieronymo præclarè dictum. (21) *Quomodo lætæ ſegetes, & vberes agri interdum culmis, ariſtiſque luxuriant: ita præclara ingenia, & mens plena virtutibus, in variarum artium redundat elegantia.* Quis ergo, Princeps Illuſtriſsime, dum hæccine legat ſcripta, tanta variarum artium notitia referta, prę clariſsimum (abſque aſſentationis dicimus nota) non miretur ingenium? (22) *Benè ſine nominum dignitate ſola iudicantur ingenia.* Dele Authoris clariſsimum nomen, lege librum: quid invenies, niſi ingenii fœliciſsimum fœtum? Si verum eſt, quòd (23) *Grandes materias ingenia parva non ſuſtinent, & in ipſo conatu vltra Vires auſa ſuccumbunt?* Quàm magnum proclamare licebit ingenium, quod nec tàm ingenti ceſsit materiæ? Si ſonus metalla diſtinguit: editi à te ſoni pretioſiſsimum indicant ingenii metallum. Temet fortaſſe fallebat humilitas, dum à ſcribendo retrahebat manum (24) *Ob tenuitatem* (vt ais) *ingenii.* Quidni inexhauribilis credatur ingenii Fodina, ex qua pro eodem Aſſerto firmando quadraginta interruptę prodiere rationes? Nam & ſi nos non lateat (25) *quod intellectui Fides viam aperit, infidelitas claudit:* tamen ipſa ingenii præſtantia hoc Opus legẽtibus adeò nota eſt, vt ipſum naturale lumen, veluti fulgentiſsimum Sydus, pleno Opere ſplendeat.

Iam denique FOELICISSIMA VBERTAS, qua plenum Opus abundat, vel ex eo ſolũ apparet, quòd ducentorum ſuprà mille, & eo ampliùs Authorum in hoc vno Volumine Sententias recitas. Et eorum quidem quàm plurimi ſunt, quorum, ſi veritas aperienda, neque nomina nobis hucuſque nota. Sed ipſa Authorum copia verebamur, nè tibi dedecus pro honore conciliet, cum ſciolus quis obtrectare valeret, te non tàm novum cudiſſe Opus, quàm ex tot Authorum Sententiis Catenam texuiſſe. Sed huiuſmodi obtrectantium ora Martialis obtruderat, inquiens. (26) *Quem recitas, tuus eſt, ó Fidentine Libellus.* Et (27) *fructus quidem legendi eſt, æmulari, quæ in aliis probes: & quæ maximè inter aliorum dicta mireris, in aliquem vſum*

(14) *Statius* :::

(15) *Apud F. Ferdinandum del Caſtillo, tom. 4. Chronic.*

(16) *Hier. adverſ. Iovin. lib. 1. init.*

(17) *Illuſt. ipſe in Præfat. Oper. propé finem.*

(18) *Illuſt. ipſe ibidẽ paulò poſt init.*

(19) *Lypſius in politic. ad Lectorem.*

(20) *Curt. lib. 7.*

(21) *Hier. Epiſt. ad Heliod. Epita. Nepo.*

(22) *Hieronym. Proœm. in 2. lib. Commen. Oſee.*

(23) *Hieronym. Epiſt. ad Heliod. Epita. Nepo.*

(24) *In Præfat. Oper.*

(25) *D. Proſper. lib. Sẽtent. ex Auguſt.*

(26) *Martialis* :::

(27) *Flavius Albin.* :::

tuum opportuna derivatione convertere. Non igitur vitio, ſed laudi tribuendum eſt, tàm multiplici Doctorum vti Sententia (28) *Habet quippè in hoc genere diſſertationum tantam dignitatem frequens Authorum appellatio; vt quò rarius Doctor ſuis verbis loquitur, eò ſuſpiciatur magis.* Neque negare quis poterit, eô efficaciùs verba convincere, quo maiori pollet Authoritate, qui loquitur. Nam (29) *vt in vno gladio, aut telo multum intereſt, à qua manu veniat, ſic in ſententia, vt penetret, valdè facit robuſtæ alicuius, & receptæ Authoritatis pondus.*

(28) *Claud. Clemenſ. ad Lector. Muſæi.*

(29) *Idem Claud. ad lector. Politio.*

Neque ex humanis litteris teſtimonia deſumpta à Materię dignitate aliena, quin potius eximiam ipſi conciliant dignitatem. Æquum quippè eſt, vt Agar Saræ ſerviat, Iſmaël Iſaac, & vt Ægyptiorum Spolia in Dominici Tabernaculi ſupellectilem convertantur. Et quidem tàm multiplicia erant congerenda teſtimonia, vt concluderentur viæ eorum lapidibus quadris, ſemirę eorum ſubverterentur, qui à Dominico Grege aberrantes, ambulant vias non bonas, ductores cęcorum, ducentes homines in interitum, ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum. Væ illis! quia in via Caim abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & incontradictione Apoſtolicæ Sedis perierunt; nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur; arbores infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ; fluctus feri, & procelloſi maris, deſpumantes ſuas confuſiones, quibus confuſi ſequaces; quem ſequi, quemvè reſpuere debeant, penitus ignorant. Væ illis! Væ illis!

Obganniat quis, ac naſum torquens effutiat: nos in hac Epiſtola Virgam arripuiſſe Cenſoriam: ac eiſdem, quibus Sanctiſſimi Eccleſiæ Patres Hareticorum dogmata notis inuruunt, Gallicani Cleri propoſitiones inuſiſſe. Si quem ergo huiuſmodi mordendi libido poſſideat, ad *Gregorium* mittimus *de Valentia*, qui pleno ſuo Opere Controverſiarum non alio titulo, quàm *Sectariorum, Hæreticorum, novatorum, à Fide diſſidentium, &c.* honorat defendentes, aſſerentes, evulgantes, ſeu ſequentes Gallicani Cleri propoſitiones, iam tunc temporis ortas, & modò infœliciter ſuſcitatas.

(30) *Pſal. 44.*

(31) *Proſper. Aquitan. ad Augude Reliq. Pelag. Hæreſ.*

Has ergo, Illuſtriſſime Princeps, Præſul Excellentiſſime, pro viribus inſectare, donec penitus oblivioni traditas inſpicias; has validè inſequere, donec ab hominum mente deleantur; has totis viribus impugna, quouſque audientibus, horrorem incutiant, has indeſinenter laceſſe, quouſque tenebrarum barathro delitescant. Nunc, nunc Alma mater Eccleſia Militibus, Armis, ac Ducibus eget. (30) *Accingere* ergo *gladio tuo ſuper fœmur tuum potentiſſimè.* (31) *Omnium Catholicorum fatigatio, providente hoc præſenti Sæculo Dei gratia, in tuæ Charitatis, & ſcientiæ vigore ſperat: adde eruditionem humilibus: adde increpationem ſuperbis.* Experiatur Orbis Catholiciſſimo Hiſpaniæ Regno numquam pro Apoſtolica Sede tuenda defuiſſe arma. Sentiant adverſarii Fidei Zelum, veritatis amorem, Apoſtolicę Sedis reverentiam, evomere flammas, iam pridem tuo corde conceptas.

(32) *Theoph. Epiſt. ad Hieronym. tom. 2. Oper. D. Hieron.*

(33) *Hieron. Ripario, tom. 2.*

(34) *Hieron. ibid.*

(35) *Hieron. ibid.*

Plures ad huiuſmodi certamen præceſſere procincti. (32) *Feſtina igitur & tu, partem huius præmii recepturus, deceptos quoſque emendare ſermonibus. Optamus, ſi fieri poteſt, in diebus noſtris Catholicam Fidem, & Eccleſiæ regulas cuſtoditi, & omnes novas* (in ò innovatas) *ſopire doctrinas.* Noſti Petri Naviculam nimbis agitari. (33) *Ventoſque eſſe contrarios, & in perditionem mutuam fautores eſſe perditionis, qui defenſores eſſe deberent.* Nuſquam tuta Fides, & quem cupiditas trahit, omni vento doctrinæ facilè circumfertur, & in Religionem dimicat, qui pro Religione certare debebat. (34) *Quæſumus ergo te, vt arreptum Opus impleas: nec patiaris, te præſente, non habere CHRISTI Eccleſiam defenſorem.*

Nec ab incepto retardet annorum fenium; (35) *quia non Viribus corporis, ſed Charitate animi dimicandum, quæ ſuperari numquam poteſt.* (36) *Orbis Chriſtianus* (verbis alloquimur, quibus Doctiſſimi, atque RR. PP. MM. Toloſatis Collegii Dominicani quondam noſtrum graviſſimum Salmanticenſe Collegium, pro ſua erga nos benevolentia, ſalutarunt) *tibi gratula-*

(36) *Tom. 1. Chronicor. Carm. Diſcalc. lib. 5. cap. 16.*

tur

tur, maximumque agnoscit præsidium sibi, & ornamentum vtroque pietatis, & sapientiæ studio ::: & dum Libros tuos iam editos avidissimè excipit, edendos cupidissimè expectat; atque suo favore, & applausu te sponte currentem ad totius Operis metam incitat. Nefas sanè putavimus, inter tot laudes, votaque communia tui Operis, quibus nullus penè locus vacat, nos silere, negare suffragium, animique sensus, ac desideria reticere.

Suscipe ergo, Princeps Illustrissime, pium erga te affectum huius humillimi Collegii, rudi licet calamo expressum. Et siquidem gratulantis Epistolæ modum excessimus, parcendum est nobis: nam quis metam imposuit affectui? Vale igitur, incolumemque D. O. M. te seruet ad Ecclesię defensionem, ad subditorum solamen, ad clientum patrocinium, denique ad altissimum Gloriæ statum promerendum. Ex hoc nostro Divi Cyrilli Carmelitarum Discalceatorum Complutensi Collegio, 4. *Kal. Februar. anno* 1692.

EXC.mę SVBLIMITATIS TVÆ, PRINCEPS ILL.me

Humillimi Clientes, & in CHRISTO addictissimi Servi.

Fr. Franciscus á Sancto Thoma, Rector.
Fr. Petrus á Conceptione, Lector Theologiæ.
Fr. Angelus á Purificatione, Theologiæ Lector.
Fr. Ildephonsus á S. Antonio, Lector Sacræ Scripturæ.

ILL.mo ATQVE EXC.mo DOMINO, D. IOANNI THOMÆ DE ROCABERTI, Valentinæ Ecclesiæ Archiepiscopo meritissimo, Dignitatis Pontificiæ Propugnatori eximio:

PRO AVREO OPERE *DE INFALLIBILITATE ROMANI PONTIFICIS IN rebus Fidei definiendis extra Concilium inscripto, præclarissimo, pergratissimo.*

COLLEGIVM SALMATICENSE CARMELITARVM EXCALCEAtorum, Magno Eliæ Parenti Sacrum, gratitudinis ergo, & obsequii IMA REVERENTIA PLAVDIT, INTIMA DEVOTIONE SALVTAT.

EXCELLENTISSIME DOMINE

VPER Muros Ecclesiæ (inquit Chrysostomus ex Isaia, & Paulo sumpto Sacramento) *constituit Deus Angelos militantes pro ea, & cum illa adversus, non solùm carnem, & sanguinem; sed etiam adversus Principes tenebrarum harum.* Gloriosus promittitur triumphus, dum Angeli militant pro Ecclesia. Sed qui Angeli hujus protectionis solliciti? militantes. Qua ergo armorum copia, sive machinarum strepitu? Tranquilla lucis perspicuitate. Adest Ioannes in Apocalypsi: *Mysterium septem stellarum, quas vidisti, Angeli sunt septem Ecclesiarum.* Aptè instar cœlipotentium luminum Angeli fulgent, qui adversus Principes tenebrarum in stadio sunt congressuri, vt splendoris radiis lacerato peplo, lugubris nox affugiat. Celebris victoria, luce obtenta, non noctis arte dolosa, fabricata. Hinc Ecclesiæ munitur præsidium, eò quò lucidius, stabilius. Hinc muri eius super verticem montis eriguntur, vt necdum irriti, sed planè miseri

Chrysost. Homil. 4. super illud Isaiæ: Factum est autem anno, quo mortuus est Ozias. Apocalyps. 1.

vi-

videantur, eorum, qui adversus eam ruinam moliuntur, labores, atque conatus. *Et erit* (inquit Isaias) *in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, & elevabitur super colles.* Quod etiam oraculum de Ecclesia CHRISTI sponsa Catholica, & Apostolica aureum Eloquentiæ Flumen exponens ait: *Vocat nomine montis Ecclesiam, simul & inexpugnabilem Dogmatum eius traditionem.* Ecce, Illustrissime Domine, lucem, qua Ecclesiæ prosperitas nititur, quam stellæ, quæ Angeli, sive Episcopi dicuntur, contra imbelles Ecclesiæ perduelles eiaculantur. Inexpugnabilis ostentatur vera CHRISTI Sponsa, non insano Martis furore; non præliis, crebris vulneribus mittis; non denso phalangum incursu; non pugnæ funeribus; non volitantibus facibus, saxis, glomeratisque piis; nec apertis periculis animarum; sed fulgore traditionum, & Dogmatum, quem, veluti coruscantes stellæ, Angeli militantes Ecclesiarum Principes super muros Ecclesiæ constituti, super verticem montis collocati, vt nemo à calore eorum se abscondat, emittunt. Fęlix ergo Episcoporum sollicitudo, hac illuminandi dote decora. His enim divinis fulgoribus irradiata ipso pulchrior Sole coruscat. Tecum alloquimur, Excellentissime Domine, qui Angelicis nitoribus Apostolicam Arcem illustras, qui Orthodoxorum Dogmatũ splendore nebulas, quas claritatis æmuli offundunt, instar custodis Cherub ab Ecclesiæ removes paradiso; quo eleganti munere locuples, & verus Angelus, & legitimus Ecclesiæ Princeps comprobaris.

Chrysost. in cap. 2. Isai.

Verùm, *qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem*, qui te è primis Episcopis, nempè Archiantistitem omnibus prærogativis decorum populo dedit, non alia Charismata primis Angelis concessa negavit. Seraphico te ipsum effecit incendio flagrare. Quid dubii? Si enim mentem ANGELICI PRÆCEPTORIS circa æstum Seraphicum, cum hoc tui animi fœtu libremus, eamdem, æquum erit, iudicare naturam, vbi easdem iudicaverimus facultates. *Tria enim* (ait) *in igne possumus considerare: primùm, motum, qui est sursum, per quod significatur, quòd inclinabiliter* (Seraphici scilicet spiritus) *moventur*: *Secundò, virtutem activam*: *Tertiò claritatem.* Nunc de primo, statim de aliis, verbis ANGELICI PRÆCEPTORIS vsuri. Et quidem sublimitas, in quam Dignitatem Episcopalem extollis, ipseque eveheris, in hac vna tuæ mentis emicat genitura. Si Cęlis altiorem dixerimus, non augmine donamus, sed pandimus veritatem. Etenim Sancti Patres sub Adriano II. in Concilio VIII. Generali congregati, Infallibilitati vnius regulæ, vniusque Ecclesiæ Capitis acquiescentes, in hanc sententiam, tùm scriptis, tùm verbis inclamarunt: *Sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, speramus, vt in vna communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse, merearmur.* O quantum nê tantillum ab Episcoporum Principe amoveri, sed in omnibus ipsius paternali nutui obtemperare, decoris affert Episcopis! Quantùm conciliat altitudinis! Vt in vna communione, quam Sedes Apostolica prędicat, esse mereantur! In vna communione cum eo, *qui Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, Episcoporum Princeps appellatur; qui Hæres Apostolorum, qui Primatu Abel; Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedec, Dignitate Aaron, Authoritate Moyses, Iudicatu Samuel, Potestate Petrus, Vnctione CHRISTVS* honore benemerito prædicatur. Hac cõmunione decora vera CHRISTI Sponsa, militans Ierusalem, *quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorũ acies*, triumphãs elevatur. Sed quid in extollendo hanc verborum præconiis vnitatẽ diù immoramur? *Poteram* (ait maximum Luminare Hieronymus) *diem istiusmodi eloquio ducere, & omnes propositionũ rivulos vno Ecclesiæ Sole siccare.* Sic extollitur, sic effulget ista cõpago, vt ex ea vnicus Sol conglomeratus evadat. Cũ ipsa Apostolorũ Arce sublimatur, quicquid splẽdoris in ea est particeps effecta, quicquid altitudinis cõsors: *Ipsa enim* (Episcopi Ægyptii buccinabãt) *firmamentũ a Deo fixum, & immobile percepit; quoniam formam vniversorum titulorum lucidissimum Dominus IESVS CHRISTVS vestram Apostolicam constituit Sedem; ipsa enim est Sacer Vertex, in quo omnes Ecclesiæ vertũtur, sustentantur, rele-*

D. Thom. 1. p. q. 108. art. 6. ad 5.

Concil. VIII. Gener. in respons. ad profes. Fidei á Pontif. Patribus oblata.

D. Bern. lib. 3. cap. 8. ad Eugen.

D. Hier. cont. Lucifer. in fine.

Conc. Alexand. Epist. Episcop. ad Fœlicem.

levantur. Sed vnde hæc ? Indè inquiunt ? *Quia semper Antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica Sede auxilium hausimus.* Quid altius? Quid pulchrius? Quid elegantius obtemperationis Pōtificię Infallibilitati debitæ, tùm verbis, tùm scriptis factæ, celsitudinem valeat innuere ? Quoniam Antecessores monumenta posteris reliquerunt, quibus huiuscemodi veritas stabiliatur, *omnes*, inquiunt, *in eam conspiramus, & conspirantes relevamur.*

Hæc celsi cordis maiestas, sic eximium Hesperiæ sidus, Magnum Parentem Dominicum, cuius inclyta proles existis, ad supera duxit, vt verisimè de illo Mantuanus Baptista Noster glorioso epinicio quiverit decantare:

——Penetravit limina Summi
Alta Sacerdotis, qui postquam somnia vidit
Admiranda, virum blandas admisit in vlnas;
Et genus illius durare in sæcula iussit.

N. Baptis. Mant. in Festo S. Dominici.

Hic etenim flagrans Fidei integerrimæ Zelus ipsius scripta, nedū ab incendio illæsa servavit, sed sursum petere mirabili fecit volatu. Hoc similiter, & afflatu exardēs ęthereo, sic in supremas spheras rapiebatur, vt cœlestem vitæ rationem instituere curarit, cui præcipuum munus Apostolicam Sedem defendere incumberet:

Pestiferum affectet lucem ne virus apertam
Vndique collatis bellum ad commune sodales
Accersit, dictis animat, dux imperat ardens,
Fortè renascentes ex scindere viribus Hydras.

Robertus Orbriz. Homil. Sac. de S. Dominic. 29.

Adhuc plura ? Adhuc. In ipsa beatitudinis quiete flagrat in Dominici pectore huius inviolandæ Fidelitatis ardor. Adit Segobiam Nostra Matriarcha Theresia, properat ad Sacellum Dominico sacrum, orat, venit de superis Almus Parens, alloquitur Glorioſissimæ Fundatrici. Quid ergo ? Vide. Ne ab arrepto, iamque fœliciter incœpto Reformationis Carmeliticæ proposito, pedem retraheret, consulit; nexisque dextris, cum celsa Viragine fœdus iniit, illum semper experturam fautorem in cunctis, qui ad istiusmodi facinus, sive prosperè, sive discriminatim casibus occurrerent. (Exitus acta probant) Intendebat enim, ipsa teste, Sacro Ordine Ecclesiæ providere, cuius ab hæreseon impietatibus, schismaticorum tumultibus, rebellium contumaciis, perduellium criminibus, perpetuis orationibus, & meritis, Deus placatus Orthodoxam Fidem illibatam servaret. Hunc obtutibus nostris scopum infixit, huic ieiunia, corporis asperitates, flagellationes, omniaque rigidissimæ observantiæ opera collineare, præcepit. Pro veritatis Magistris, Prædicatoribus, Doctoribus sedulò statuit Divinam exorare clementiam, atque pro tranquillitate Fidei auspicanda penitus nostrum qualecumque talentum impendere. Quapropter, à propriæ vocationis semita nosmet aberratos iudicaverimus, si pro hoc, adeò his temporibus proficuo opere, à debitis gratulationibus cohiberemur. Quæ eò Aulicum morem ignorant, quò Deo honorem, tibi grates, populo salutem, & veritatis amorem conciliare præsumimus. Pauca ex his, quæ Seraphica Doctrix eloquitur, nō apponere iniurium, omnia foret oblongum iter arripere. Igitur inquit ipsa: *En este tiempo vinieron à mi noticia los daños de Francia, y el estrago, que avian hecho estos Lutheranos, y quanto iba en crecimiento esta desventurada Seta. Diòme gran fatiga, y como si yo pudiera algo llorava con el Señor, y le suplicava remediasse tanto mal::: Determinème à hazer esto poquito, que ay en mi, que es seguir los consejos Evangelicos con toda la perfeccion, que yo pudiesse, y procurar, que estas poquitas, que estàn aqui, hiziessen lo mismo:: Y que todas ocupadas en Oracion por los que son defensores de la Iglesia, y Predicadores, y Letrados, que la defienden, ayudassemos en lo que pudiessemos à este Señor mio.* (*Et capite tertio in fine.*) Y quando vuestros deseos, Oraciones, y disciplinas no se emplearen en esto, que he dicho, pensad,

Chron. Reform. Carmel. tom. 1. lib. 3. cap. 31.

S. M. N. Theres. c. 1. Vit. Perfect.

Ibid. cap. 3.

que no hazeis, ni cumplis el fin para que aqui os traxo el Señor.* Obsecramus lectorem, vt integra capita primum, & tertium *Viæ Perfectionis* relegat. Ecce pyras, quas in Theresiæ pectore accendit Patriarcha Dominicus, quas à summo cœlo trahit, vt vsque ad summum eius occurrant; quasque in hoc Volumine sensu percipimus, cum idem mentis incendium, æstusque cordis in eius litteris scintillet, ac flagrat in Dominici, Theresiæque sinu, vt ingenito motu in æthereas auras propendat.

D. Thom. vbi suprà. Secunda ignis proprietas, *est eius virtus activa, quæ est calidum, quod non simpliciter inventur in igne, sed cum quadam acuitate; quia maximè penetrativus est in agendo, & pertingit vsque ad minima; & iterum cum quodam superexcedenti fervore; & per hoc significatur actio huiusmodi Angelorum.* Adamussim hæc ignis facultas in hoc Opere, æstu Seraphico elaborato, viget. *Vivus est enim sermo illius, penetrabilior omni gladio ancipiti, attingēs a fine ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter*; mirus subtilitatis, & suavitatis nexus in eo cernitur, & secernitur; subtiliter pungit, dum suaviter illuminat; aspectui rutilus, gratus adest, tactu adurens, scindens percipitur; efficax operatione, enuntiatione venustus; dulcis in ore Liber hic, amaricatus in ventre; omnes enim languentes humores evolvit; & vt evomantur ipsa sui dulcedine, ipso sui calore compellit: igitur quò menti pulcher, graciis, comptus adest, cò voluntati fervidus, operosus, activus; quot verba in eo leguntur, tot flagitiorum verbera numerantur; quot apices, tot Matinæ apis dulcia mella, non sine pungenti aculeo, nec sine singulari acumine elaborata; in eo certè *Iota vnum, aut vnus apex*, quę mysteriis minimè carent, *non præteribunt* illaudata. Nec puncta libro desunt, quæ expunctis flagitiosis, eosque punctim, cęsimque feriens, *omne tulit punctum, dum miscuit vtile dulci*; non quidem stylo ferreo in plumbi lamina, sed planè aureo, vel potiùs divino digito in Ecclesiæ lapide inscriptus, vernantibus gemmis, non calamistratis lituris conspicuus illustratur; intus, foriſque inscriptus, intima conscientiæ, externaque forensia ex æquo discurit; adamussim quippè castigatus, qui Sedis Apostolicæ castigat amusos; demorsos sapit vngues, dum mores insipidos absque sanguinis effusione remordet. Ignis naturam redolet: pertingit vsque ad minima cum lucigera quadam acuitate, & superexcedenti fervore; instar Solis nubila effugat: SOLIS AQVINATIS indolem sapit. *Lectus est liber Quinti Sextii Patris Magni* (aiebat Seneca.) *Quātum in illo Dii boni vigoris est! Quātum animi!* laddit Stoicus: *Cum legeres Sextium, diceres: vivit, viget, liber est, supra hominem est, dimittit me plenum fiduciæ.* Ecce liber mores instruens, & adversus vitia crebras rationum scintillas eiaculans fiducia plenum dimittebat legentem, vt securum de adversatiis præsagiret trophœum. Deus bone, quantum confidentiæ liber hic cordibus inseruit! Quantum vaticinatur victoriæ! dum ab Apostolico Throno omnem caliginem removet, & fulgurantibus Sanctorum Patrum, Conciliorum, & summæ Sophiæ tonitruis, eiusdem æmulos terret. Adest Deo in monte Moyses, & multiplici fulgore crepitante scripsit in tabulis verba fœderis: descendit lapideas tabulas baiulans, & veluti Solari radio perfusus resplendet, luce, non sine mysterio, à facie in modum cornu promicante. At nonnè poterat Moyses eam de consortio Domini imaginem mutuari, vt Solem vultu referret? vel cur in cornu formam lux prodit armata? Adest Hieronymus: *Moyses nesciebat; quia cornuta erat species vultus eius: qui verè dicere poterat: in te inimicos meos cornu ventilo*: dum lapide exaratis legibus adversarios oppugnaturus descendit, ignis spicula profert, quibus vitia feriat, & abactis vitiis fulgeat victoriis. Nec inferiores liber hic promittit triumphos, dum insculptis in Ecclesiæ petra legibus, & ignitis acuminibus pro Orthodoxa disciplina strenuè propugnat.

D. Hieronym. in Amos, c. 6.

D. Thom. 4. dist. 49. q. 1. art. 1. quæstiun. 3. ad 3.

Rectè de hac eadem ignis facultate dixerat PRÆCEPTOR ANGELICVS: quòd *in materia aliena circulariter movetur; maximè cū agit vt instrumentum divinæ virtutis.* Mille enim in hoc Opere circulos perficis, totidemque immortalitatis sertis coronaris, toties instrumentum divinæ virtutis aspi-

piceris. Per eaſdem planè ſemitas, quas adverſarii inflectunt, incedis, eorum lubrica, & ambagioſa diſcernens retiacula. Perſequeris perſequentes. Ita quippè neceſſarium eſt, vt illorum, qui, Vulpecularum more, Eccleſiæ maceriem inſidiantes circumeunt, & per occultam, & fraudulentam ſimulationem doloſarum artium, per varios artificiorum circuitus nocendi ſumunt initia, & vineam Domini demoliuntur, ignea circumvoluta claritate, funes decidant in præclaris, & hæreditas Domini in Petro, & eius Succeſſoribus ſtablita fiat illis prælucidus laqueus. Propter hoc quidem lætatum eſt cor noſtrum, quia flammarum illuſtrantium vallo Sedis Apoſtolicæ æmuli ſunt irreriti, & earum compedibus illigati tenentur, *qui, vt imperium evertant, libertatem præferunt; vt cum illud everterint, ipſam labefactandam aggrediantur.* Scriptis ergo tuis agnoſcant Galli, ſe in circuitu technis ſuis luſitantes inſtar volutantium in gradu ſuo ſtare non poſſe; illudque, quod olim, & in ſimili, de ipſis D. Bernardus ac Innocentium aiebat, iterum reperatur: *Habemus in Francia novum de veteri magiſterio Theologum, qui ab ineunte ætate in Dialectica luſit, nũc in Scripturis ſacris inſanit.* Multi nũc huiuſcemodi pullulant, & ſua inſania arrepti, indirectas vias gradiuntur. Ergo: *Capite Patres vulpeculas* (cum S. Abbate inclamamus) *quamquam non tam parvulæ, aut pauculæ, ſed grandiuſculæ, & multæ; nec niſi in manu forti, & à vobis exterminabuntur.* Iſteque ſit tuę operationis circulus, hęc corona: *Vt ſicut manet, quod in CHRISTO Petrus credidit, ita permaneat, quod in Petro CHRISTVS conſtituit.* Hic tibi Annulus, hic Baculus recurvus; hic Mitrę circuitus aureus, Dignitatis Epiſcopalis ſigna, ſignacula, ſacramenta.

Tacit. lib. 3. ann.

D. Bern. ep. 109. ad Innocent. Pontif.

D. Leo. P. in Anniverſ. die ad ſui Pontif. aßumpt.

Tertiò conſideratur in igne claritas, & per hoc ſignificatur, quòd huiuſmodi Angeli in ſe habent inextinguibilem lucem, & quòd alios perfectè illuminant. Hæc Seraphim nobiliſſima proprietatum. Quid namque claritate mirabilius? quid venuſtius? quid in ſe animos efficacius allicit? Sicut enim nulla creaturarum, tot elegantiæ dotibus exornata, ſe præfert, ſic nulla tot admirationis meritis circumducta. Ita quidem hęc divinę mentis primigenia origo, Divinæ voluntatis pondus attraxit, vt ęternitas elogii candidata, immortali memorię mancipetur. *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Immortalis eſt enim memoria illius; quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines.* Apud Deũ noſcitur ſplendoribus, quibus intus alitur; apud homines, quibus foris erumpit. Nec ita Deo ſtitiſſet grata, ſi hominibus non ſe pręſtaret venuſta. Creſcit communicata gloria, ſicut honor abſconſus minuitur. Tot ergo ſibi cultus claritas arrogat, quot perſpicuitatibus diſpalleſcit. Hæc nobiliſſima genitura in Perilluſtri Prędicatorum Familia, ſummis irradiata fulgoribus, à primęvo origine fulſit; imò ante Luciferum coruſcavit, hodieque in hoc opere ingenitis radiis decora nobilitatur. Nondum natus erat Dominicus, & iam quidquid ipſe, eiuſque Familia forent, pręſaga claritas demonſtravit.

D. Thom. art. cit. ex 1. p.

Sap. cap. 4.

Mater adhuc prægnans noctu per ſomnia vidit,
Se catulum geſtare vtero, qui ferret hiulco
Ore facem, totis ſpargentem lumina mundis.

N. Manetuan. vbi ſup.

Naſcitur Dominicus: in Baptiſmi fonte renaſcitur, & Fides, quam Fide parentum amplectitur, in teniuſculo corde exardeſcit. Per frontem infantis coruſcum fulgorem emittit.

Fœmina, quæ ſacro puerum de fonte levarat,
Viſa eſt in ſomnis puerili in fronte tueri
Flammigero Stellam ingentem ſplendore coruſcam.

Manet. ibi.

Nec aliam hanc Dominici, eiuſque Sacri Cœtus prænuntiam claritatem ſuſpicimus, quam egregiam Nobilitatem, quę apud veros CHRISTI cultores eò rutilantior apparet, quò in nobilius obiectum pronior collimat: apud quos, qui

ve-

verè Deum honorat, qui Ecclesiæ defensionem omnibus nervis amplectitur, hic verè Nobilis, hic Illustris, hic Clarus. Querebatur de rerum genitrice natura, vel potius de ementito Deorum, hominumque rectore Iove, secundum deliria Paganorum, Euripides, quòd hominibus notas, signaque nonnulla, quibus purum aurum ab adulterino discernerent, contulisset, nulla verò, quibus Nobiles ab ignobilibus distinguerent, impertierit. Vana quippè querela, inepta lamentatio: cum illustrioribus signis Nobiles ab ignobilibus secernantur, ac verum aurum ab adulterino distinguitur. Insecata enim auri substantia, visus, sonitûs flexus, ponderis, ignis, Lydii lapidis experimentis dignoscitur. At, quibus homines signis probantur? Summa Dei adoratione, Christianę Fidei confessione sincera, divinæ Charitatis ardore, Ecclesiæ Apostolicæ defensione, Fidelitate erga eam perpetua, & contra omnes inimicorum impetus protectione. Hic Lapis lydius Nobilitatis purę. Quod ipsomet Nobilitatis nomine non latenter inspicitur, si iuxta Hebraicam vocem eius significationem indagamus. Nobilis enim Hebraicè *Athil* nuncupatur, quòd *fulcimentum*, atque *sustentaculum* vertitur; vt clari sibi meritò nomen arroget, qui Ecclesiæ fastigium fulcit, sustentat.

Liceat & in eximio Nobilitatis Apographo, Magno Parente Dominico, hanc intueri veritatem. Ille quidem non avita Nobilitate contentus, celsioris avidus, Nobiliora facinora aggreditur. Ecclesiam Catholicam Albigensium hæresis crepitudine titubantem Generosus Heros conatur fulcire, & dùm hoc conspicui cordis exardescit voragine, à CHRISTI Domini Vicario, Innocentio III. in quiete videtur ingentem collabentis Laterani Templi, suppositis humeris, ruinam sustinere. Hoc Nobilitatis stemmate eius Claritas coruscavit, alumnisque suis præcipuè hæreditandum reliquit; ipsique, verè filii, redivivа specie perennant, adeò vt Sanctissimum CHRISTI Corpus sumpturi, dexteram manum expeditam asservent, in quodlibet Ecclesiæ imminens periculum aponendam parati; qua prærogativa vbique gentium indefectibiliter clarent, lucem, quam in interioris animi officina viscerarum recondunt, verbis. & litteris aliis communicantes. Enim verò in prima Lateranensi OEcumenica Synodo ipse Dominicus Fundator, Parens, & Theologus eximius, errores Abbatis Ioachimi, & Almerici Carnotensis confutavit, & immediatè post Concilium, creatur à Pontifice primus Fidei Inquisitor contra hæreticam pravitatem. Hæc clarissima fundamenta fœlix augmentum ominātur propagini Guzmaniorum, Heroica commendant facinora. Egregia trophæa promittunt. Sed eorum aliqua videamus. Ipsi quidem primi contra Lutheri hæresim opponuntur, & *Ann.1674* pernicioſa Dogmata scriptis dilacerant. Hugo Cardinalis erroris Petri de Vineis, circa Pontificis Authoritatē, disputationibus eruditis confutat. Lugdunense Concilium sub Gregorio X. celebratur ad vnionem Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ, & pro pace Principum Christianorum concilianda. Ad hoc vocatus à Pōtifice D. THOMAS obiit in itinere, sed in augusta illa celebriorum Doctorum corona, Petrus de Tarantasia, qui postea ad Pontificatum promotus dictus fuit INNOCENTIVS V. & ALBERTVS MAGNVS, vterq; Dominicanos, Græcos Doctores publica disputatione convicere, duxeruntque ad Fidem, & vnionē cum Ecclesia Romana. Sub Clemente V. Concilium Viennense habetur, & Frater Guillielmus Durandus, Episcopus Mimatensis, eruditissimum edidit Librum de rebus in Concilio decernendis, iuxta quem omnes ferè ordinationes sunt constitutæ. In Concilio Constantiensi pro extinguendo Schismate trium Pontificatui inhiantium, præcipuè, & gloriosè adlaboravit Prædicatrix Religio. Etenim Ioannes Dominici, Cardinalis suasit Gregorio XII. abdicationem, & consensum in electionem legitimi Petri Successoris: & Vir Apostolicus, Hispaniæ nostræ decus, D. VINCENTIVS FERRERIUS ab obedientia Benedicti XIII. Reges, & populos, publicè prædicans, segregavit. Ab Eugenio IV. convocatum est Basileense Concilium, in quo ex quatuor electis ad confutandum coram Synodo Husitas, duo fuere Dominicani; primus, qui cum eis congreditur Frater Ioannes de Ragusio per octo dies viva voce, & spiritu invi-

Ciac. de Greg. X. lib. 3. Leādr. Albe. & alii apud Fernandem.

Videatur Miec. in Rosa Mystic. disc. 311. n. 26.

Ann. 13. 13.

Gerf. & Anton. Lusit. & alii apud Fernand.

Annor. 1431.

cto

cto disputavit; tertius Frater Henricus Halteisem, Doctor, & Inquisitor Lovanienſis, per tres dies confutavit Hæreticos. Ibidem Frater Ioannes de Turrecremata ſcripſit, Pontificiam Authoritatem defenſans. In Concilio Florentino ſub eodem Eugenio, ex quatuor Latinis, qui coram Synodo diſputavere, duo ſimiliter ex Cœtu Dominicano fuerunt electi (noverat optimè Sanctiſſimus Parens, vbi Eccleſiæ defenſio altiſſimis vigeret radicibus) Frater Bartholomæus Lapatius, Epiſcopus Corenſis in Græcia, & Frater Ioannes de Monte Nigro, Provincialis Lombardię, qui pro ſociis ad diſputandum electis ſolus fuit dux verbi, & Græcos convincens traxit ad vnionem, & obedientiam cum Eccleſia Romana, vt conſtat ex Actis Concilii, & Spondano. Secundum Lateranenſe indicitur à Iulio II. & proſequitur Leo X. in eo præcipuè emicuit doctrina Eminentiſſimi Thomæ de Vio Caietani, qui prius, aliis ſilentibus, Opuſculum validiſſimum pro Pontifice ſcripſerat, contra Congregationem Piſanam; tuncque Præfectus Ordinis Generalis, alios Fratres ad idem eſt cohortatus. Supereſt Sancta Synodus Tridentina, in qua plurimum ſplendor Ordinis Prædicatorii rutileſcit, tùm ex reverentia, quam Patres ſacri teſtati ſunt erga doctrinam Divi THOMÆ; tùm, quia plures ex hac Familia, quàm ex aliis Ordinibus adfuere Prælati, & Theologi, ſex Archiepiſcopi, decem & ſeptem Epiſcopi, innumeri, & ſpectabiles Theologi; tùm, quia vbi coram Synodo diſputandum fuit cum Brentio, & aliis hæreticis, Petrus de Soto ad hoc ſelectus eſt, cuius doctrinæ flumine erumpente, Brentius obmutuit. *An.* 1513.

Hæreſi Antonii de Dominis, Hæreticorum peſſimi, in Summam Pontificis maieſtatem petulanti calamo, & ore procaci debacchantis, duo Dominici alumni vmbonem oppoſuerunt, & in primum Hæretici gannitum, ovantem calamum ſtrinxere in Gallia Nicolaus Coefeteau, in Italia Gravina, quorum extant lucubrationes eximiæ. Bononiam ab Eccleſiæ, & Pontificis obedientia rebellantem Martinus V. vallat, & obſidet: tunc Frater Dominicus Magoſta, Prior Bononienſis Conventus, ſuadet Civibus obtemperandum Pontifici, ſed ſeditione exaſperata, Vrbe expellitur: prævalente obſeſſorum cõtumacia, cogitat Pontifex Sacris interdicere rebellibus, & cum nullus audeat interdictum intimare, Frater Conradinus Brixienſis ſuo ſanguine iura Eccleſiæ, & Pontificis obſignaturus, Vrbem egreditur, nec exeunti obſiſtunt Cives, quaſi pacis officia tractaturo. Adit Legatum, qui exercitui pręſens aderat, qui Zelum Religioſi Viri demirans, litteras divinorum inhibitorias, ei tradidit publicandas; quas ille accipiens affigit haſtę, quo facilius manifeſtarentur rebellibus Civibus; præcipitique equo Vrbem ingrediens, populum ad plateam evocat, & alta hęc intonat voce: *Ecce vobis Deo, & Vicario eius rebellibus, vniverſa divinorum ſacra interdicuntur.* Vix hęc dixerat, capitur, incarceratur, & crebras mortis minas audit. Sed prudentiorum conſilio liber mittitur ad Fratres. Clamat ille fortiùs per vicos: *Obedite rebelles Pontifici.* Ad hęc privatur Conventus omni ſubſidio, nec niſi clam ab aliquibus ſublevatur: ipſe verò Conradinus in carcerem truditur, & omni cibo per dies aliquot deſtitutus, vegetior repertus eſt, ac ferventiùs clamans: *Obedite rebelles Pontifici.* Protectionem Dei in eo agnoſcens contamax Civitas, liberum Virum Dei dimittit. Has pauculas roſas ex florulento immenſoque colligimus viridario, vt oſtendamus, quibus innixa fundamentis Prędicatorum clareſcat Propago, quibuſque hodie in hoc Volumine ipſam ſui generoſam renovet iuventutem, Catholicę, & Romanę Eccleſię inconcuſſo providens ſtabilimini, contra quod nec portæ inferi prævalebunt. Quid mirum? militat in eo necdum quilibet Dominici alumnus, ſed filius, qui in prędara Parentis Familia meruit Principatum, meruit Generalis omnium Pater vnanimi plauſu vocari; qui Dux primus Dominicani inſtituti ſicut extitit, perſeverat; qui, vt verum ſe probet, operibus ſe exercet, tutamento Pontificiæ Authoritatis ſe confirmat. *Remnarrat Leander Albert. l. 5.*

Militat ſimiliter Domini Domini JOANNIS THOMÆ DE ROCABERTI Spiritus; quia JOANNIS *gratioſus*; quia THOMÆ *profundus*;

quia ROCABERTI *firmus* : omnibus nomenclaturis clarus, omnibus commendabilis; quia vnici cognominis, non sine numine, decore conspicuus. Iaciens Dominus fundamentum Ecclesię, *Simonis* nomen vertit in *Petri* cognomentum, quo, Syriaco idiomate, *Rupes sublimis, & munita, saxum immobibe* significatur, quòd phrasis Hispana *Roca* vertit, vt huius cognominis prærogativa generosa stirps tua, Excellentissime Domine, Ecclesiæ stabilitatem piè æmuletur, imò soliditatem, & fortitudinem exprimat; quia rectè meretur consortium nominis, quæ consortium meretur & operis. Commune vtrique nomen, & omen vnum ostentat, & sociam immutationem præfigurat. Nec sat esset præfigurare, nisi id à pristinis temporibus ostendisset. Quod nè posteris absque perspicuis monumentis relinqueretur, R. P. M. Fr. Josephus de Dromendari, professione Dominicanus, *anno domini* 1676. Librum edidit, cuius titulus: *Arbol Genealogico de la Casa de Rocaberti*; & ab avita Regum progenie, per paternam seriem ducens originem, viginti supra duos maiores enumerat Cathalogo Sanctorum adscriptos, ex quibus septem, Dignitate Episcopali pręditi, alii verò iam effusi sanguinis purpura ornati, aureolaque Martyrii redimiti, iam Confessorum diademate insignes, iam Castitatis palmis, sanguinisque murice Virgines decoræ, candidam, ac pudoratam Fidem rubricantes ad superas evolarunt Spheras. Per lineam autem maternam incipiens à Sancta Placidia, Theodosii I. Imperatoris, & Galæ Filia, viginti & vnum annectit, inter quos, Imperatores, Imperatrices, Reginæ, Duces, Ducisę in plurimum inveniuntur. Ex his, quibus affinitas communionem sanguinis dedit, quindecim alios omittens, producit, inter quos Ferdinandus Rex Hispaniæ, Elisabeth Aragoniæ Regibus orta, & Lusitaniæ Regina. Commemorantur etiam multi Purpuratorum Patrum numero adscripti, Episcopi, Viri optimi, qui ex Mavortis Theatro laureata, pro Lege, & Rege reportavere trophęa. Videantur ibi, nè nos debitas semitas transiliamus. Nec prætereunda nostri sęculi, totiusque Hesperiæ admiranda virago, amita nempè tua, Hippolyta de ROCABERTI, Dominicanæ Familiæ decor, & candor, multorum, & quidem sapientis cuiusque viri capacitatem superantium, voluminum Authrix, in quorum aliquibus difficillimi tituli propositi facillimo Ingenio, profundo Acumine, eleganti Digestu, affluenti verborum Copia, omnibus denique illuminatæ mentis Dotibus expediuntur. Nec sacris distenta, ea, quæ inter sacra, difficillima omnium calculis adnotantur, nempè *Cantica Salomonis*, familiariter curtit, inscriptione Volumini per appositа : *Epistolæ Salomonis*, quod Matriarchæ THERESIÆ dicat. Sed cedat elogium, vbi voces, quibus exprimatur, deficiunt. Hic Nobilitatis splendor, nè vnquam crepusculum experiatur, in hoc volumine Cœlestibus luminibus irradians vniversum mundum collustrat, quidquid fraudulenta invidia in PETRI CATHEDRAM ausa est obnubilare Heroina propulsans claritudine.

Igitur Opus tuum, (Præclarissime Præsul) te ipsum laudibus evehit, honoribus cumulat, nec ad hoc qualecumique nostrę devotionis debitum aptum suspicimus, sed tantùm gratitudinis & lætitię adyta pandimus, & tibi de pugna contra Authoritatis Pontificiæ perduelles rebelles, publicæ pacis perturbatores osores, Christianæ societatis infestissimos incendiarios, feliciter obtenta, gratulamur. Sed nè acer stylus frontem obruget, bilemve concitet, peritissimi Parisini Doctoris, Michaëlis Maucleri, in suos commoti, verba libamus:

Michael Mauc. in Monarch. Eccle. p. 2. lib. 5. cap. 19.

Vtinam (inquit) *Gallia nostra tot hæreseon, impietatumque contra Deum, eius Vicarium, totamque Ecclesiam Romanam ignibus æstuante, miseri nos Sanctorum Patrum monita altissimis maturæ considerationis radicibus nostro in pectore celeriter insevissemus; Sanctissimique Papæ Innocentii I. Iussioni citò parere filiali obedientia voluissemus. Profectò Hæreses, Lutheranas, Calvinianasque horrore, ac multitudine execrandarum contra Catholicam Fidem, contra pacem Regnorum, contra Sedis Apostolicæ maiestatem, contra reverentiam, amorem, bonoremque Populorum Fidelium*

lium in Principes impietatum, antiquis hæresibus scelerationes cum tanto funere, audacia, sacrilegio Deo, Papæ, Regi effrenatiùs insultantes Religioni, Ecclesiæ, totique Populo fideli ferrum flammamque impunè minitantes, hodie nullas haberemus. Hæc eruditus ille, similibus in sua Monarchia passim scaturiens.

O vtinam, nos æquanimiter inclamamus, Sanctissimi Pontificis Innocentii XI. sapientissimi totius Ecclesiæ Parentis, suasionibus, præcationibus, iussionibus Gallia, quasi legitimus Apostolorum fœtus, promptè obediret! Neutiquam tot vbique terrarum scelera, strages, infortunia contingerent, quot, vniverso mundi ambitu gemente, insolabiliter lachrymante, necdùm Orthodoxæ Nationes, verùm peregrinæ diû iam miserabiliter compatiuntur, & diutiûs experituræ lamentantur. O vtinam, præcationibus, rationibus, argumentis, quibus Opus hoc affatim affluit, cedere velit Gallicanus Clerus, & erectam cervicem *Petro*, eiusque Successoribus, quibus *omnes divino iure caput inclinant, & Primates tamquam ipso Domino IESV CHRISTO obediunt*, summittere consultiùs eligant, quidquid honoris, quidquid reverentiæ est humiliter annuentes, nè dum à Capite membrum separatur, putrescat, dûm à trunco ramus abscinditur, arefiat, & dum à Sole radius discedit, vmbris evaneat! Nè etiam, quod adhuc horribilius iudicamus, celsam vniversalis Monarchæ Maiestatem, radiis coruscantem Virtutum, dæmonis œstro perciti aliqui confundere audeant, & quod in Sanctissimum Pontificem Cornelium, olim abortivi filii machinabantur, his sæculis, Catholicis auribus abhorrentibus, evulgetur; contra quos sic D. Cyprianus *ad Antonianum* scripsit: *Scias, hoc opus esse semper diaboli, vt servos Dei mendacio laceret; vt qui conscientiæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.* O vtinam! iterum, & iterum inclamamus, nê nostris temporibus similes inusitentur ærumnæ; cum lapso pede præcipitium timeri valeat, & qui de Supremo Romanæ Sedis fastigio recalcitrant, in imam perniciem elabi, fas sit formidare. His sanê periculis mens non subiugata succumbit: his colliditur infœlicitatibus voluntas liberrima; corruit, dum temerè currit, vinculis paterni regiminis illigata; & dum de Apostolica rete conatur exolvi, in horrendam abyssum demersa, benigni luminis amittit fœlicitatem.

His omnibus, vt ob viantia apponas instauramenta, Opus hoc, Excellentissime Domine, summis exanthlatis laboribus (quoad intelligere possumus, & ipsum præfert) compactum, in communem vtilitatem evulgas: fidimus consecuturum, quod cupis, Deumque perfectum certamen tuum fœlicitatibus remuneraturum æternis; sic ab eo sedulò postulamus, simulque, vt te incolumem servet, annos augeat, vitam protendat ad Illustrissimæ vtriusque Familiæ tuæ decus, ad Ecclesiæ totius emolumentum, ad animarum lucrum, ad Dei summi gloriam immortalem. In hoc Salmantino Eliano Collegio, 7. *Kalendas Aprilis, anno Domini* 1692.

ILLVST. PRÆEXCELL. TVÆ FAMVLITIO ADDICTISSIMI.

Fr. Ioannes ab Annuntiatione, Rector Collegii.

Fr. Leo à Matre Dei,
Lector Theologiæ.

Fr. Gabriel à Sancto Ioseph,
Lector Theologiæ.

Fr. Gabriel à Sancta Theresia,
Lector Sacræ Scripturæ.

Collegium ita ex animo gratulabatur Illustrissimo, ac Excellentissimo D. Archiepiscopo Valentino de Opere nuper ab ipso edito in defensionem Sedis Apostolicæ.

VT Pervenit ad manus meas opus istud, agens in prima sui parte *de Authoritate Romani Pontificis extra Concilium*; & in secunda continens vindicias singulorum Pontificum circa illibatam eorum Fidem, vnà cepi librum, & ab eo sum captus; ipsa quippè superscriptio è vestigio vrgebat, vt quàm primùm adirem penetralia. Nam si *primus discendi ardor nobilitas est Magistri*, qualiter affectum me oportuit, vt intellexi Voluminis Authorem esse, Dominum, ac Magistrum illum, vndique spectatissimum, sive generis claritudinem, sive virtutem, & prudentiam tot muneribus, & Dignitatibus probatam, sive sapientiam requiras? Certè cuncta hæc suspicimus omnes congesta, magnisque (& si imparibus) honoribus aucta in vnum Archipræsulem Valentinum, Illustrissimum scilicet, & Excellentissimum D.D. Fr. Ioannem Thomam de Rocaberti, Prædicatorii cetus fulgentissimum Sydus, Olimque Luminare maius. Invitabat quoque Operis materia, digna planè solido Theologo, dignissima Christiano pectore, atque adeò tanti Præsulis Zelo. Et id quidem cortice tenus aspecto Volumine, solaque ipsius fronte.

At, quid introspecto, iamque recessibus eius penetratis?

Planè, non quod verebar, accidit, sed quod reverebar, inveni, quodque ab initio præsagiebat animus; scilicet, nihil exiguum, aut protritum, nihil non egregium sub Epigraphe tanti nominis contineri. Est enim Opus veluti phrigronicum ex Pontificum, Conciliorum, Patrum, ac Doctorum hominum versicoloribus filis dexterrimè contextum, & quasi è multis tesellis, vel stellis potiùs, variegatum aulęum, quo Sedis Apostolicæ Oraculorum Authoritas, singulorumque Pontificum illibata Fidei puritas insigniter ornatur. Librum hunc (pęnè dixerim) vsurpabat oculis Ioannes dum sibi ostensa est *Iris*, quæ erat *in circuitu Sedis*, Apostolicæ nimirum, sanè omnia mirificè congruunt: cum & iris illa speciem arcus præferat ad tutelam Romanæ Sedis, & ad hostium ipsius debellationem: & iuxta Bedam, discolor iridis facies Sanctorum varietatem exhibeat Ecclesiam protegentium, quorum succenturiatis testimoniis compingitur Liber hic. Quod si ex frequenti Doctorum sensu Sedes illa Ecclesiam adumbrat, quantò magis Petri Cathedram Ecclesiæ totius Prætorium? Igitur pro illius honore Volumen istud *murus aheneus esto.*

Quippê Excellentissimus Antistes noster (in quem iure flecto quæ aliorsum protulit M. Antonius Bonciarius) *non fabricatus est, & si peritissimus fabricandi; sed maximè veteres, nobilesque opifices ex latio, & Græcia accersivit ad tantum Opus ædificandum, & construendum: quibus ille omnibus quasi fabris præcipit, vt Architectus.* Addo, accersisse interdum ipsos quoque Gabaonitas in structurę huius ministerium, Hęreticos dico, quos vel reluctantes cogit suffragium ferre, victosque, ac victos dare manus Romanæ Sedis Authoritati, dum eos propria confessione torquet, & benè, atque appositè *malo nodo malum cuneum* immittit quatenus perduelles perduellium verbis profligat.

Sed iam ante, inquies, plures alii Viri Eruditissimi pietate, & zelo in Romanam Cathedram ferventes incudem istam tutuderunt, sibique Lauream quesierunt, ex hoc mustaceo. Et quidem fœlicibus avibus, fateor, adeo, vt & ipsi inimici, qui oppugnatum venerant, testes fierent, si vellent, vera nunciare, vt cum Augustino loquar: sed an vulgaris laus est, & non eximia

potius

potiùs, post tot accuratos Messores eam nihilominus spicarum protulisse copiam, ac si demessus non esset ager, vel integra seges maneret? talem perfectò gloriam promeritus est doctissimus Præsul noster. Imò qualem extollit Cassiodorus de B. Augustino, qui quamvis de eadem re tractaverit de qua B. Basilius, & S. Ambrosius celeberrima laude fulserunt; tamen, quod post dissertos Viros difficilè contingere solet, opus suum longè in aliam summitatem Domino largiente perduxit.

Et verò te *adinstas*, vt aiunt, redacta (dum his temporibus non hæretici modo, aut aperti Schismatici, sed nonnulli quoque nimis politici, qui, filii Matris nostræ, audiunt, contra eam pugnare audent) percommodè acuitur, & alter piorum calamus, vt ob mutescant feræ istæ quæ in papiro, & calamo sęviunt: id enim est *increpare feras arundinis* iuxta meum Euthimium. Dederat olim pro more suo Dominicanus Ordo fortissimos illos milites Turrecrematam, & Caietanum, vt de aliis taceam, qui in acie pugnam hanc strenuè pugnarent. Opportunè ergo prodit itidem tertius iste, veluti *Triarius*, qui totum belli pondus denuò sustineat. Congruenti sibi iure exigere videbatur Romanæ Fidei Petra munimentum istius Rupis (*roca* nobis dicitur, vt ludos agam in cognomine Antistitis, sed serios:) quo etiam conspirat vox gentilitia de *petra lata*, seu *alata* mavis: vt enim Castaliæ mons gemina rupe finditur, sic & mons iste, seu petram accipiamus nobilissimæ Stirpis suæ, in cuius robore nixa est sępè respublica, seu Prædicatoriæ familiæ, in cuius soliditate conquiescere Ecclesiam, & divino quondam oraculo persoatum fuit, & experimento ipso docemur; nam vtrinque *rupes* est, velut ex vtroque Cęsar, ex ea igitur lapidicina petram hanc exsidit Deus, *qui potens est de lapidibus suscitare filios Abrahæ*, id est Pontificis Summi, Fidei nostræ Patris.

Vides hìc *rupis* firmitudinem in fulciendis assertis, dogmatibusque constabiliendis. At non robur tantùm vt à petrâ offendet Lector, sed virorem, & amœnitatem, vt à vernanti Sylva, aut molli prato: testis esto dispositio operis, qua SS. Patrum flores areolis suis aptissimè distinguit; testis eruditionis vbertas, tùm sacris, tùm humanis litteris placita sua interpungens; testis denique vniformis illa rerum diformitas, qua dum maximè diversos nodos extricat, de re historica, de Sacramentis, de naturæ arcanis, de antiquorum operibus, vel adjudicandis, vel abjudicandis, deque aliis morum, rituum, traditionum difficultatibus expediendis, numquam tamen extra oleas fertur, numquam, vel tantillum deserit scopum suum, scilicet sartam, tectamque tueri Apostolicam Authoritatem, & Pontificum fidem. Itaque nihil impedit gravitas, ac robur *rupis* huius, quin *sugamus mel de petra, oleumque de saxo durissimo.*

Verùm nondum concederur nobis dapibus his, tametsi lautissimis, saturos, contentosve esse: cum ipsa *primi tomi* superscriptio alia polliceatur fercula è devite authoris penu. Gustus ergo exhibitę dapis cum futuro anxio desiderio temperatur, & *nè sit in desiderio anxietas desiderantes satiamur; nè autem sit in satietate fastidium, satiati desideramus*; ò, comes sit longęva sapientissimi Archipræsulis vita, vt pascere nos pergat cibo avidè cupito.

Hęc dicta velim non ex censurę præsumptione, sed ex gratulantis animi voto: nec enim Sol facula iuvatur, nec Author suffragio nostro. Ita serio, & imitus sentiebam, in Magni P. Basilii Collegio *die* 8. *Aprilis, anno* 1692.

M. Fr. Andreas Estevan,
Abbas, & Regens.

Fr. Ioannes Lopez,
Lector Theologiæ.

M. Fr. Michael Perez,
Ethicorum Proprietarius
in Vniv. Salm.

Fr. Franciscus Montero,
Sacræ Theologiæ Lector.

COLLEGII MINIMORVM S. P. N. FRANCISCI DE Paula Complatensis iudicium, ac Operis commendatio.

PRÆSENTIS Temporis Lydium veritatis Opus, & immensum difficultatum pelagus, ab Illustrissimo, & Excellentissimo Principe D. D. Ioanne Thoma de Rocaberti, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopo Valentino, Regni Valentiæ iteratò Pro-Rege, ex inclyta Prædicatorum Familia, Solisque Parentis Dominici fulgentissimo radio, concinnatum, lustratum, ac absolutum avidissimè legimus, & anxietatis placidè devicimus nodos, cum ex tanto lumine splendores aspexerimus, ex tanti fontis scaturigine fluenta, dulcissimas quoque Sapientiæ potaverimus aquas; factum enim fuit in mentis ore nostro istius præclari Voluminis lectione *tamquam mel dulce*; scriptæ quippè sunt in eo haud *lamentationes, Carmen, & Væ*; ast *eloquia Domini, eloquia casta*, eruditionis argento perpolita, & Zeli Orthodoxi auro exornata, profundissima Ecclesiæ arcana referantia, *Infallibilem Romanorum Pontificum extra Concilium Authoritatem* apperientia, & *illibatam eorumdem Constantiam* demonstrantia, quibus Ecclesiæ Paradisus, vt fas est, fœliciter persistat in columis.

In duos disecat libros suum pretiosum laborem Excellentissimus Dominus, & Magister, de queis sic fari licebit: *Ecce duo Gladii* sunt hìc Authoritatis lites dirimentes, & Ecclesiæ iurgia, satis, quinimò, & abundanter sedantes, ac in pacem pertrahentes. Sunt *duo Canaelabra* deaurata in Dei Templo mirabiliter lucentia, vt aufugiant nebulæ pr ocul: Sunt *geminatæ Columnæ* pro Fidei stabilimento, & perenni fortalitio: Sunt *duæ Olivæ*, ex quibus pro liniendis ad curationem vulneribus oleum extrahatur copiosum: Sunt demum isti duo libri egregium opus, dum CHRISTI Vicarium *Infallibilis Authoritatis vestem* induit restitutam. Audiatur Doctor Maximus lepidè ad præsens intentum fortè respiciens: *Alii ædificent Ecclesias, vestiant parietes, columnarum moles, earumque deaurent Capita pretioso ornatu, & gemmis deaurata distinguant altaria; sed tibi aliud sit propositum, scilicet CHRISTVM vestire.* Non primum feciſſe inficiamur; imò experientiali notitia fatemur, cũ ad cuncta sua indefessa Pastorali attenderit vigilantia: Sed in præsentiarum rerum proposito, CHRISTVM satagit in suo legitimo Vicario vestire, non stragulatam vestem ei fecit, ast perfectè extensam, & debitè adaptatam, ab eoque Romanus Pontifex Authoritate, & constantia vestitus est duplicibus, & illi Supremo, ac Sanctissimo Cananæo Authoritatis, & constantię cingulum traddit fortissimum, ruptionis difficile.

S. Hieron. Epist. 88.

Scopum insitum Librorum suorum adeò exorditur fœliciter, sicut faustè prosequitur, & denique finem capesit, vt nobis Volumen omnibus numeris absolutum emisserit, vndequaque perfectum; Opus revera sublime, ac excelsum, mirabileque in oculis nostris, cui mirificè adaptatur Sydonii Apolinaris, quempiam eximium Scriptorem olim reverentis, elogium sic ab eo dictatum, tantoque Doctori Excellentissimo applicitum: *Oportunitas in exemplis, fides in testimoniis, proprietas in epitectis, vrbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis.* Quod attenta reflexione metiendo, quid istorum Sydonii Encomiorum in hisce desideratur Libris duobus? Nihil. Videat quisque accuratiùs. Quod exemplum oportunitatem non inducit maximam? Nullum; ad rem quippè sunt singula, & cuncta exempla exarata. Quę Fides adhi-

Sydon. lib. 9. Epist. 7

beri

beri debetur teſtimoniis in medium adductis? Magna, cum irrefragabili Authoritate congaudeant. Quæ proprietas in ſignatis cuivis epirectis non adeſt? Inſignis; vnicuique enimvero videntur nota. Quæ vrbanitas in monſtratis figuris non invenitur? Admirabilis; quoniam nihil quit reputari incurium, aut ab vrbanitate devium. Quæ virtus, aut in argumentis vis? Inconcuſſa; dum fateri debeant idipſum, aut præſſi rationibus, aut veritate victi adverſarii. Quod pondus Conciliorum, Sanctorum Patrum, & Theologorum in explicandis ſenſibus? Eximium; cum de ſuo ſapientiæ theſauro nova protuliſſet, & vetera. Quæ verborum aptorum abundantia ex ſuo ſcientię flumine non exundat? Perennis; vt Paradiſi inſtar fontis doctrina ſua vniverſalem irrigare valeat Eccleſiam. Quę clauſula non eſt fulmen ignitum? Nulla; vt calamo ſuo Catholico Zelo accenſus Apoſtolici ſolii aditum, ceu Seraphim ante Paradiſi ianuam, defendat ſtrenuus. Quæ linea eruditionem non redolet? Quæ littera defectus, aut exceſſus nota apparet inuſta? Qui apex præterivit à lege? Nec linea, littera, aut apex in libris prælibatis graphice non ſcripta inveniuntur; cuncta ſane, & ſingula conſona, & conformia, *vt eloquentiæ torcularia* (ita loquebatur Sanctus Hieronymus) *non verborum pampinis, ſed ſenſuum, quaſi vuarum expreſsionibus redundarent.* *S. Hieron. Epiſt. ad Ruſtic.*

Iam iam, etſi numquam ſatis, protulimus, quid de hoc aureo Opere ſentimus, quid de tàm pretioſo iudicamus labore, quid de tanto Principe, & Doctore æſtimationis concipimus, dictu, & narratu fatemur copioſis codicibus impoſſibile; & dum ipſum in tot, tantiſque Paſtoralis, ac Pro-Regis Officii Curis præoccupatum iudicamus, vera ſumus proſequuti admiratione. Quærere nemo non debet quod de Tulio, de Romana Vrbe abſente, olim exquiſivere: *Et vbi Cicero tempus hoc egiſti? Tunc verò perterrefactus, quòd in Vrbe tamquam in vaſtum pelagus ſermo rerum á ſe geſtarum ingreſſus nihil ad ſui nominis ſplendorem non attuliſſet.* *Plutarc. in vita Ciceron.* Interroganti igitur de Excellentiſſimo, & Illuſtriſsimo noſtro Archiepiſcopo hoc ipſum, duo Libri vocem emittent, & in duorum ore verum aderit teſtimonium. Loquantur illi, & nos ſilentio afficiamur; illi etenim in meliores erunt converſi panegyriſtas, & Iudices. Marſilium Ficinium ſubaudio de pictore ſcribentem, quod nos de tanto Principe & Magiſtro proferimus: *Dum pictor loquitur, loquitur malè; dum pictura loquitur, benè loquitur; non pendet operis virtus ex Iudice, ſed opus iudicii commendat artificem.* *Marſilio Ficinio.* Prodeant in lucem ſæpè ſæpius Libri, excudantur multoties ad Eccleſiæ munimen, ad Orthodoxorum incrementum, & clariſsimi Authoris ſplendorem. Ita ſentimus, & corde pleno confitemur, menteque vera iudicamus omnes infraſcripti; in quorum atteſtationem ſubſcripſiſsimus. In hoc noſtro D. Annæ Sacro Minimorum S.P. N. Franciſci de Paula Complutenſi Collegio. *Die vigeſima Aprilis anno Domini* 1692.

Fr. Didacus Eſcarcha Corrector.

Fr. Didacus Cirujano, Lector Primarius Theologiæ, & Studiorum Regens.

F. Michael Bello, Lector Veſpertinus.

Fr. Melchior Perez, Lector Sacræ Theologiæ.

F. Ioſeph Gomez Studentium Magiſter.

SALMANTICENSIS CISTERCIENSIVM COLLEGII gratulans affecti animi Demonstratio, in recens editum Opus De Infallibilitate Romani Pontificis in definiendo, *dignissimum Authore excellentissimo fœtum.*

PERVENIT Ad manus nostras, gratis missum, gratanter exceptum, Opus planè cedro dignissimum. Signavimus diem meliori lapillo: & votorum compotes effecti, hoc vnum, quod valemus, iteratas Authori excellentissimo gratias reddimus. *Et privata quidem,* (A) *& publica ratio nobis est gratulandi*, non minus dignum Authore Opus, quàm pro Opere tanto parem Authorem. Privata certè pro debita omnium nostrum erga Scriptorem tantùm, iamdiuque inveterata affectione, quam ille, vel novo hoc super alios favore dignatur augere. *Sed publica Ecclesiæ causa magis* (B) *cui subsidia ista opus talium Virorum, & inconcusso hoc rerum statu velut nova munimenta.* Credimus sanè tanto huic Operi sicut nullum Ecclesiæ hostem non adversum, ita neminem tantæ matris filium non fore lætum pariter & propicium: Vtpote in quo tàm derectas ille sui erroris fraudes, quàm roboratas hic suspicit suæ fidei vires.

(A) *Iust. Lipsius Centur. 3. ad Belgas, Epist. 55.*

(B) *Idem ibidem.*

Crebuerat apud nos lætis semper cordibus excepta excellentissimi Authoris inclita fama, augustatum incrementis virtutum, quasi rediviva semper & nova. Sed planè procul Salomon erat & quantò pusillorum desideratissimus affectibus, tantò procul aspectibus ardenti animo prosequebatur à nobis. Nam si *Gaditanum quemdam Titi Livii nomine, gloriaque commotum* (C) *ad visendum eum ab vltimo terrarum orbe veniisse laudi fuit, illiteratum, iners, ac penè turpe esset non ambire tanti cognitionem Viri*, qualem Hispania nostra, invidia procul, inter primores adscribere glorietur. Ast nunc diu concupitum nacti sumus scopum; & si non coram humiliter amplecti, vmbra saltem & imagine datur frui. Dii boni! quàm hilares! quàm mirabundi! quàm devoti! Nec mirum. Est enim forma hęc tantò spectabilior, quantò altissimæ mentis, sublimis animæ, non perituri corporis effigies esse dignoscitur.

(C) *Plin. Iun. lib. 2. Ep. 3.*

Ergo si *bis, atque ter pulchrum esse ferunt* (D) *ea, quæ pulchra sunt, dicere, atque considerare*, quidni pulcherrimum ducamus considerare, & studio frequenti evolvere, quod tantum decuit Magistrum docere, & discere? An non pulchrum hoc? ita sanè. *Omne quippè bonum* (E) *pulchrum.* Et quid Magister optimus produceret nisi bonum? Bonum certè Orthodoxæ stabiliendæ Fidei; bonum Romanæ firmandę maiestati; bonum enervandæ hæresi; bonum ingeniorum exercendo acumini; bonum denique vniverso instruendo orbi. Et planè si *res ardua vetustis novitatem dare* (F) *novis Authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastidiis gratiam, dubiis Fidem, omnibus verò naturam, & naturæ suæ omnia*, mille titulis hoc Opus bonum, imò millies optimum censemus. Siquidem *hæc bona statuimus* (G) *non quæ fucum, aut quæsita scitamenta habent, sed quæ rebus aptæ, gravia, significantia.* Sed huiusmodi Opus talem decebat Scriptorem, scilicet doctrina illustrem, dignitate sublimem, virtute celebrem, Authoritate conspicuum, maiestate venerandum. *Talem namque esse oportet* (H) *qui in optima lecta loquendi suscipit certamen, instructus veris, minimèque blandientibus verbis, sanè exercitatus, potens modo suasionibus, modo etiam terroris vi proximum quemque ad se trahere.*

(D) *Plato in Gorgia.*

(E) *Idem in Timæo.*

(F) *Cai. Plin. in Præfat. ad Vespasian.*

(G) *Iust. Lipsius Centur. ad Italos, & Hispan. Epist. 54.*

(H) *Maxim. Tyrius ser. 15.*

Epis-

Epiſcopos cardines eſſe terræ veriſſimè cenſuit Gregorius, vtpotè, quorum doctrina & exemplo tota Eccleſia, tamquam fores ſuis cardinibus ſuſtentatur. (I) At ſi iuxta Damianum (L) *tunc orbis ſuper cardines terræ ponitur, cum Sancta Eccleſia tamquam ſuper baſes doctrinis Evangelicis ſolidatur*, iam vno hoc cardine ſecura gloriabitur Eccleſia, inter tot errorum anfractus, tàm ſacerrimis doctrinarum anchoris ſtabilita & fulta. O verè digniſſimum Epiſcopali faſtigio Præſulem! O verè ex Pauli calculo *Doctorem* (M) *Epiſcopum*! Domus Dei fidiſſimum ſpeculatorem! Agnoſce tibi, & de te prolatum, quod olim magnus Baſilius Magno reſcribebat Athanaſio, pro Eccleſiæ commodis deſudanti. *Quàm de Dignitate tua iam olim concepimus opinionem, iſtam ſemper* (N) *ipſe temporis progreſſus corroborat; imò & adauget. Quoniam aliorum, quam plurimis ſatis habetur ſi ſibi ipſi quiſque circunſpiciat; at tibi iſtud haud ſatisfacit; ſed tantam geris omnium Eccleſiarum curam, quantam eius, quæ tibi peculiariter à Domino noſtro concredita eſt; ita vt nullo non tempore de factis ediſſeras, admoneas, ſcribas.*

Sed quorſum iſta? An in immenſum tantorum elogiorum mare nos ducit affectus? Duceret ſanè, ſi ſortirentur æquam poteſtas cum voluntate menſuram. At nunc quia impares nos tanto oneri fatemur, vnius Nyſſeni verbis, quid de Viro tanto ſentiamus aperiemus. *Ioannes igitur* (O) *ille nobis celebrandus eſt, qui cunctis Chriſtianis verſatur in ore. Cuius vitæ, atque doctrinæ ſplendor vniverſo terrarum illuxit orbi. Ille re vera Eccleſiæ Euphrates cuius aquis irrigata Chriſtianorum multitudo centuplum Fidei fructum producit. Fertilis illa Dei vitis, quæ dulcium inſtar racemorum doctrinæ fructus afferens, Eccleſiæ filios divina charitate nutriens, explenſque, reficit, atque oblectat. Bonus, & Fidelis Eccleſiæ diſpenſator, qui virtutum rationes æqualiter conſervis diſtribuens Dei familiam prudentiſsime adminiſtrat. Cuius quidem genus, atque nobilitatem, tum ab ipſo partam, tum à maioribus ſuſceptam, Parentumque gloriam, ac ortum, & educationem, & ætatis incrementum, nos hic in medium proferre ſuperuacaneum arbitramur.* Nota hęc, & vniverſorum ore laudata frequenter.

Hæc de ſuo Ephræmo Nyſſenus, hæc de Excellentiſſimo Valentinę Vrbis Archipræſule, communi Orbis plauſu noſter proclamat affectus. Vale igitur ſplendidiſſimum Orthodoxæ Eccleſiæ lumen, & ſimilibus ſcriptis ne ceſſes fulcire CHRISTI dilectam Sponſam, in te vno tot aureis varietatibus ornatam. Noſtrum quippè erit communem obſecrare Dominum, vt te Eccleſiæ, Hiſpaniæ, Orbi, diu ſervet incolumem. Ex hoc noſtro Salmantino D.P.Bernardi Collegio *pridie Kal. Maii, anno reparatæ ſalutis* 1692.

(I) *Gregor. magn. homil.* 1 *in 1. Reg.* 2. *expendens illud*: Dominienim ſunt cardines terræ, &c.

(L) *S. Petr. Damian. ſerm.* 1. *de S. Matth.*

(M) *1. ad Thimot.* 3. *V.* 2.

(N) *Baſ. Magn. Epiſt.* 52. *ad Athanaſ.*

(O) *D. Gregor. Nyſſen. in Vita S Ephræm Syri.*

EXCELLENTISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Humiles ſervi, ac devoti Capellani;

M. Fr. Sebaſtianis Pinto,
huius Colegii Abbas, & in alma Achademia Philoſophiæ Cathedræ Præfectus.

M. Fr. Barnabas de Ortuño
in alma Academia Veſpertinæ Cathearæ Anteceſſor.
M. Fr. Prudentius de Reſſa,
pro Cathedrarum oppoſitione decertans.
M. Fr. Andreas Cid.
Fr. Ildephonſus Sarmentera
Sacræ Theologiæ Lector.
Fr. Ildephonſus Muñoz
Sacræ Theologiæ Lector.
Fr. Bernardus Alvarez
Sacræ Scripturæ Lector,
& in eodem Collegio Concionator;

ILL.^mo ATQVE EXC.^mo PRINCIPI,

D. D. IOANNI THOMÆ DE ROCABERTI, Archiepiſcopo Valentino.

COLLEGIVM REGALE SOCIETATIS IESV Salmantinum.

S. P. D.

EXCEPIMVS, Illuſtriſſime, ac Excellentiſſime Princeps, *Librum de Authoritate Pontificis*, quem munifica tua liberalitas huic noſtro Collegio & Bibliothecę deſtinavit: pretioſum ſanè donum, quodque gratitudinem omnem excedit. Affert ille venerationi noſtræ commendationem non vulgarem in fronte ipsà, prȩcelſum tanti Præſulis nomen præferente. Nec vlterius Librum evoluere opus erat, vt ipſum maximi faceremus. Paſſim tamen legitur à nobis, diſcendi aviditate coactis, proficuaque admiratione ſingulas ipſius lineas percurrimus. Libri ipſius argumentum Eccleſię Principem decebat. Quem enim dignum haberet Authorem Liber, qui Summi Eccleſiæ Capitis Authoritatem tuetur, & firmat, niſi Eccleſiæ ipſius Principem, qui Authoritate ſuâ Sapientiſſimo propugnaculo firmitatem, & robur impertiretur? At quàm ex ęquo argumentum adeò ſublime pertractatur! Quanto rationum pondere ſtabilitur! Quàm fæcunda, ſelectàque eruditione ornatur! Sanè licet fama præcedens tantum in Hiſpania Virum non prędicaſſet; quamvis omnigenam eius ſapientiam, doteſque eximias non vulgaſſet, eum tamen Volumen iſtud ab iniuria famæ vindicaret; oſtenderet nimirum Authorem ſuum per omnia ſapientię viridaria fuiſſe fœliciter divagatum. *Quod enim diſciplinæ genus eſt* (vt verbis vtamur Nazianzeni ſuum Athanaſium laudantis) *in quo verſatus non ſit, atque ita eximiè verſatus, quaſi in eo ſolo elaboraſſet? Sic nimirum omnia complexus, vt nè vnus quidem quiſquam ſingula. Rurſus ita ad ſummum, quaſi nihil aliud præterea didiciſſet.* In hanc proculdubio exiſtimationem veniret, quicumque nihil antea de conſpicuo adeò Principe audiſſet, dum Voluminis iſtius ſapientiam ebiberet. In eo non tàm vnius Libri paginas, quàm in vno Libro Bibliothecam integram perlegimus: namque ad inſtar alvearii ſolicitę vnius apis, aut apum Principis elucubrationes amplectitur, *Colligens quaſi in vnam Coronam germen floridum, quod per Librorum campos paſſim fuerat ante diſperſum.* In hoc namque Volumine quidquid ſelectum, quidquid vtilis dulcedinis, quidquid ſplendoris conſpicui, quidquid ad præfixum ſibi inſtitutum ſolidę firmitatis apud Scriptores reperiri poteſt, concludit eruditiſſimus calamus: Eo tamen diſcrimine, quòd quæ per alios, ſparſa, quæ in ipſis aut obſcura, aut minus valida latebant, in hoc Volumine ordinatiſſimè colligata, quaſi nobiliori ſpiritu animantur, nitidiori lumine perfunduntur, ac ex ingenii acutiſſimi ſubſidio robur validiſſimum ipſis accreſcit: nec mirum; quippè in hoc

Naz. oratione in laudẽ Athanaſ.

Caſsiodor.

Claud. de conſulatu Manilij.

——*Vno ſe pectore cuncta vetuſtas*
Condidit, & maior, collectis viribus exit.

Tecum proculdubio agebat Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Princeps, te adhor-

adhortabatur Vincentius Lyrinenſis ſua illa ad Viros conſpicuos exclamatione. *O Pontifex! O Sacerdos! O Tractator! O Doctor! Si te Divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina; ſi, eſto ſpiritualis Tabernaculi Beſeleel, pretioſas ſani dogmatis gemmas exculpe, fideliter exapta, adorna ſapienter, adiice ſplendorem, gratiam, venuſtatem: intelligatur, te exponente illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod antea non intellectum venerabatur.* Hoc piiſſimi Viri deſiderium in tuis diſſertationibus omninò quieſceret, in quibus ædificatorem, & propugnatorem ſtrenuum agis Tabernaculi ſpiritualis, ſive Eccleſiæ Catholicæ, dum Summi Eccleſiæ Præſidis Authoritatem ingenii tui, ac ſapientiæ tuæ aureis vmbonibus tueris, dum ipſam doctrinæ tuæ fulgore condecoras, fideliter ex Authorum minis gemmas pretioſiſſimas ei coaptans; ac denique illuſtriùs poſteritati proponens, quidquid circa Pontificis Summi Authoritatem credendum eſt. Quare liceat ſtudioſis omnibus, tuique nominis veneratoribus deprecationem illam Lyrinenſis apud ſe iterum exponere, vt novos ſubinde ingenii ſapientiſſimi fœtus producas; præcipuèque in lucem quàm primùm edas ea, quæ circa præſens argumentum iam parata aſſeruantur. Gratificabitur Pontifex Summus Zelo tuo Principis Eccleſiæ digniſſimo: Gratificabitur Hiſpania tota decus nobiliſſimum ex tanti Viri ſcriptis nomini Hiſpano non immeritò ſperans: Gratificabitur tandem Sacra Prædicatorum Religio, quæ tantum, talemque Virum meruit, & filium diligere, & Parentem reverari. Siſtimus nos admirationi parcentes, dum te in Prædicatorum cœtu tantum eminuiſſe recordamur; atque vel hoc ſolo nomine Volumen iſtud publica luce digniſſimum cenſeremus. *Neque enim fieri poterat, vt quem tantum Familia tenta produxerat, ſententia noſtra in eo corrigendum aliquid inveniret.* Præterquam quod non hìc cenſorum, ſed gratificantium munus obimus. Gratificamur ergo Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Principi ob ſuam erga nos benevolentiam, ob beneficentiam ſuam, ipſique vitam diuturnam precamur. Salmanticæ in hoc Regali Societatis Ieſu Collegio *Die 3. Maii, anno 1692.*

Adverſus prophanas Hæreticorum novitates, c. 27.

Caſsiod. l. 9. Epiſt. 22.

Gregorius Sarmiento, Rector Collegii Regularis Salmantini.

Franciſcus Xaverius Academiæ Magiſter, & Profeſſor Primarius.

Gabriel de Henao Magiſter Scripturæ Sacræ hoc in Regali Collegio.

Petrus de Prada Academiæ Magiſter, & Profeſſor Veſpertinus.

Bernardus Sartolo Theologiæ Lector, & Sanctæ Inquiſitionis Qualificator.

COLLEGIVM SANCTI NORBERTI SALMANTINVM Canonicorum Regularium Præmonstratenſium Illuſtriſſimo D. Excellentiſſimo Principi, Sacro Aſsiſtenti Solio, Archiepiſcopo Valentino, Valentini Regni, non ſemel Pro-Regi, D. D. Fr. Ioanni Thomæ de Rocaberti ex Sacro, & per Illuſtri Prædicatorum Ordine aſsumpto, ſalutem precatur, ſummamque exoptat fœlicitatem.

ILL.ME ET EXC.ME DOMINE.

EX Veſtræ Excellentiæ, Illuſtriſſimæque Dominationis iuſſu R. P. M. Fr. Hieronymus de Matama, huius Salmantinæ Vniverſitatis Doctor Theologus, & Sacræ Theologiæ Primarius iam in iubilo conſiſtens, ad nos attulit librum ab Excellentiſſima Illuſtriſſimaque veſtra Dominatione elaboratum pro *Infallibilitate Romani Pontificis in definiendis rebus Fidei extra Concilium, deque eius in Fide Conſtantia.* Librum ſuſcepimus; favorem agnovimus; cognovimuſque pariter ob tâm ingens beneficiam nos debere Excellentiſſimæ, ac Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ remanere ſemper adſtrictos, ipſique quàm per multas gratias referre, debitum noſtrum exurgere; vnde & compellimur pro referendis illis (ſicut, & facimus) hanc noſtram Epiſtolam gratitudinis noſtræ theſſeram tranſmittere ad veſtram Excellentiſſimam Illuſtriſſimamque Dominationem, quæ dignata eſt noſtram Bibliothecam, menteſque noſtras tàm egregio Volumine ditare, theſauroque ita inæſtimabili replere. Invenimus in eo pretioſas Margaritas doctrinę ſolidæ, & veritatis. Invenimus etiam in eo inviolabilis Eccleſiæ Petræ firmatam illius inviolabilitatem, eiuſque Authoritatem Infallibilem in definiendis rebus Fidei. Stabilitam Sanctorum, ac Patrum fulcimentis, & illorum Authoritatibus nitidiſſimis, quibus etiam ipſius Petræ Conſtantia in Fide oſtenditur, ſimulque demonſtratur veriſſimum illud dictum CHRISTI Domini: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua.* Sileant iam ergo, & manum imponant ori ſuo infenſi hoſtes Authoritatis Cathedræ Petri, & illius in Fide Infallibilis veritatis, ac conſtantiæ, quoniam iam Illuſtriſſima, & Excellentiſſima Veſtra Dominatio cunctis fecit notum ſuo Volumine præclariſſimo hoc ſalutare principium, quod non eſt dubitandum de veritate, vbi Cathedra Petri etiam extra Concilium definierit in rebus Fidei; a Fideque nullatenus deficere poſſe, qui talem Cathedram rexerit. Reſtat igitur ſolum vt Illuſtriſſimæ, & Excellentiſſimæ Veſtræ Dominationi gratias agamus omnes; quia omnes Eccleſię participes gaudere debemus de tanto atque præſtantiſſimo opere D. O. M. deprecantes vt Illuſtriſſimam, & Excellentiſſimam Veſtram Dominationem ſervet incolumen, & ipſi vitam innumeros per annos donet. Salmanticę è Collegio Sancti P. N. Norberti *Die 7. Maii, anno noſtræ ſalutis milleſimo ſexcentiſimo nonageſimo ſecundo.*

ILL.mę, ET EX.mę DOMINATIONIS VESTRÆ

Humillimi, & obſequentiſsimi ſervi,

Magiſter Fr. Ioſeph Tellado Abbas.

M. Fr. Franciſcus de Zuñiga, D. Theologus, & Cathedræ Artium Regens.

Fr. Ildephonſus Prieto Licentiatus in Sacra Theologia, & ipſius Lector.

Fr. Emmanuel de Torres Sacræ Theologiæ Lector Primarius.

F. Ioſephus Caſetas, Lector Sacræ Theologiæ Veſpertinus.

Fr. Ioannes de Arebalo Magiſter Studentium.

IL-

ILLVSTRISSIMO, AC EXCELLENTISSIMO DOMINO D. Fr. Ioanni Thomæ de Rocaberti ob acceptum Librum de Infallibilitate Romani Pontificis in definiendis rebus Fidei *grates rependit Hieronymianum Salmanticensè Collegium B. Mariæ Virgini de Guadalupe nuncupatum.*



Librum tuum (suo quondam Paulino noster rescribebat Hieronymus) *quem pro Theodosio Principe prudenter, ornatéque compositum transmisisti, libenter legi; & præcipuè in eo subdivisio placuit: cúmque in primis partibus vincas alios, in penultimis te ipsum superas: Sed & ipsum genus eloquii pressum est, & nitidum; & cum luceat Tulliana puritate, crebrum est in Sententiis.... Præterea magna est rerum consequentia, & alterum pendet ex altero; quidquid assumpseris, vel finis superiorum, vel initium sequentium est.* Legimus & nos, Princeps Excellentissime, & quia *Nec legisse semel satis est, iuvat vsque morari*, assiduè perlegendum lęti suscipimus Librum Tuum; imò Volumen volans quod instar falcis quoque volantis obvia quæque metit, iugulat, & confodit. Scimus illi magnificam Tuam liberalitatem addidisse pęnnas, vt citiùs in omnem ferè Christianum orbem pervenerit; & quòd nostra interest, Tuo Excellentissimo nomine nobis transmissum libentissimè gratulamur. Statim illud esse scriptum intùs, & foris animadvertimus; intús namque præter Romani Pontificis Authoritatem, quam signarè docemur, exercitè Tuam Sapientiam intelligimus; nàm *Scribendi rectè, sapere est & principium, & fons.* Foris autem perlegimus ipsum esse pretio inestimabile, dum absque argento, & absque commutatione vlla tantum donum nobis fœliciter obtigit possidere. Gratiam igitur pro Tua eximia gratia rependimus; nec condignam tamen, dum impar nobis est cum voluntate facultas; vtinam facundia saltem par voluntati esset, vt non habere tantùm, sed possemus etiam, vel gratias agere, vel referre! Verùm, quia vtriusque pariter inopes, vel tanti muneris nos copia fecit, pro filiis responsurum Parentem accesimus Hieronymum, qui nostrum in causa digniùs eloquatur judicium.

Hier. Ep. 13.

Horat. in art. Poet.

Si Theodosii loco ibi summum Ecclesiæ Principem intelligamus, quidquid encomii pro Paulini Opere Sanctissimus Pater noster congessit, Tuo, Princeps Excellentissime, meritò possumus adaptare. Nihil in eo offendimus, quod nobis displicere potuerit; sed præcipuè placuit *doctrinæ methodus, eloquii Nitor, eruditionis copia, sententiarum frequentia*, ita prudenter ornatèque disposita, vt possimus quærere cum Ausonio: *Quis aut dicenda prudentiùs cogitavit, aut consultiùs cogitata disposuit, aut disposita maturiùs expedivit?* Imò etsi cum Sidonio Apollinari, quod ille de Claudiano suo, de Te velimus respondere (*sentit vt Pythagoras, dividit vt Socrates, explicat vt Plato, implicat vt Aristoteles, vt Æschines blanditur, vt Demosthenes irascitur, vernat vt Hortensius, æstuat vt Cethegus, incitat vt Curio, moratur vt Fabius, simulat vt Crassus, dissimulat vt Cæsar, suadet vt Cato, dissuadet vt Appius, persuadet vt Tullius*) non velut blandientis auræ afflati lenocinio, veremur metas excessisse modestiæ. Legant, quæsumus, Librum Tuum, siqui forsan nos officiosi blandimenti incusabunt; & tunc vel inferiores encomio, vel iniurios laudi adhuc nos mansisse censebunt: ipse palam facit disciplinam doctrinæ Tuæ, non tàm è cisternis veteribus, quàm è purissimis SS. PP. fontibus hausta, & fluminibus; quamvis & illinc sumpseris aquam crassam in ignem pristinum Solis ortu

Auson. Paneg. ad Grat.

Sidon. lib. 4. Epist. 3.

converſam ; ſic tamen omnium Antiquorum exquiſiſti ſapientiam , vt & ſpiritum , genium , dicendique morem ſimul hauſiſſe videaris ; & nos iam cum Sidonio proſequi poſſimus : *Inſtruit vt Hieronymus , deſtruit vt Lactantius , aſtruit vt Auguſtinus : attollitur vt Hilarius , ſummittitur vt Ioannes : vt Baſilius corripit , vt Gregorius conſolatur : vt Oroſius affluit , vt Rufinus ſtringitur , vt Euſebius narrat , vt Eucherius ſollicitat , vt Paulinus provocat , vt Ambroſius perſeverat* ; breviùs autem dicemus , quòd vt ipſemet tantùm omnium pariter pretioſiſſimo quoque ſtylo clareſcis ; ipſe vtaque ; tametſi *numquàm ipſe , ſemper alius* , novo ſemper luceſcere videaris ſplendore ; nam ipſe certè , qui *numquam magis ipſe quàm dùm alius.*

Teſtatur hoc , ni fallimur , quod item in Paulino laudat Hieronymus ; in quo & Liber Tuus apprimè Te exhibet collaudandum : adeſt ille in duas præcipuè partes diſtinctus , & ſtatim vtriuſque ſe objicit collatio ; an in priori alios viceris , aliorum criſſis eſto ; ſed quòd in poſteriori Excellentia Tua ſemetipſum excellat , promptum eſt nobis cogitare , rei difficultate perpenſa : facilius quippè eſt aliorum refutare opiniones , quàm è proprio ſenſu ingenuam oſtendere veritatem ; hoc in Lactantio deſiderabat Hieronymus , cui de primò nihil ſupererat deſiderandum : *Vtinam* , inquit, *tàm noſtra confirmare potuiſſet , quàm facilè aliena deſtruxit.* Sed contra res ſe habet diſſertorum iudicio , in ſubiecta , quam verſamur materia : etenim noſtra confirmare faciliùs ; aliena deſtruere , penè videtur inſuperabile. Certam Fidei Regulam Romanum Pontificem aſtruere , noſtrum eſt ; nec ita creditu difficilè , cùm tot Scripturæ nitatur teſtimoniis , tot PP. confirmetur doctrinis , tot Conciliorum definiatur aſſertis ; quòd verò nullus , qui legitimè Petri Cathedram tenuit , inductivè diſcurrendo per ſingulos , à recta Fide deviaverit : aut inſtar Regulæ Lesbiæ lapidibus ſeſe inflexerit impolitis , quod Adverſarii obiectant , arduum quidem eſt , nec hucuſque tandem ita fœliciter atque à Tua Excellentia , quæ in hoc ſe ipſum ſuperat , ſuperatum.

Hier. vbi ſup.

Multa vtrobique congeris omnigenæ eruditionis monumenta ; ſive , vt digniùs loquamur , multa Davidicæ Turri circumædificas propugnacula ; mille clypeos appendis , omnemque fortium præparas amaturam : vndè non importuna ſanè tot rationum pondera , tot Authoritatem præſidia , totque , hinc illinc ſuccreſcentibus theſibus , digreſſiones , quibus vt olim apud Sidonium Claudiano , Tibi *curæ fuit , cauſam potius implere , quàm paginam* ; id etenim generis cauſa , & , vt non vni , vel alteri nitatur fundamento , ſed cui vel ipſa argumentorum moles fundamentum præbeat inexpugnabile : omnia ergo ſcitu digniſſima , omnia opportuna , omniaque ſibimet conſequentia , vel ſuperiora claudunt vt finis ; vel vt initium aperiunt aditum ſubſequentibus.

Fœlix Theodoſius , concludit Hieronymiana eloquentia , *qui á tali CHRISTI Oratore defenditur* ! Et nos pariter præſentis temporis Eccleſiam prædicamus fœlicem , quæ Talem à CHRISTO ſibi promeruit Oratorem. Talem namque Te nobis hoc oſtendit aſſumptum , qualem dignum eſt inveniri pro tanti muneris Dignitate ; dignum planè Tuę Excellentię Opus ! Et iuxta Horatianum illud (*Sumite materiam veſtris qui ſcribitis æquam Viribus , & verſatē diu quid ferre recuſent. Quid valeant humeri.*) par vtique Athlantis humeris onus ! Æquum pariter giganteis Viribus argumentum ! Talem Te novimus , attendentes ad Petram , vndè exciſſa eſt Tua Excellentiſſima Perſona ; nam illa *Petra lata* , illa *Rupes aperta* , è quibus Deus tot filios Abrahæ ſuſcitavit , omnes nobilitate inſignes , plurimos ſanctitate præclaros , hos quaſi Stellas Cœli multiplices , illos velut arenam litoris innumerabiles , aptiſſimæ ſunt ad ſuſtinendam Eccleſiam , quę non niſi ſuprà firmam Petram ſolidatur. Talem Te credi-

Horat. in art. Poet.

dimus videntes *vberem Dei gratiam* Tuæ clariſſimę generationi diffuſam; & ſi *Gratia Dei* es, quod es, mirari iam ſinimus Talem Te eſſe Eccleſiæ Capitis Defenſorem, qualem Hieronymus Theodoſii Defenſorem collaudat.

Sinimus itaque, Excellentiſſime Princeps, Tuæ laudis panegyrim, & *ſermonis magis ſine quam gratiæ* calamum ponimus, numquam Tui gratiam ê corde poſituri; Dominum interim obſecrantes, vt qui Te tantæ gratiæ compotem fecit, vt ab illa cognomineris, & ſis, in Te iugiter ſua dona tueatur, augeat, & accumulet; quo eius gratia Tecum abundantiùs laboret, & maiora, quæ iam præparas, opera perficiat: adiiciat maxima, quæ non cogitas, quæque noſtrum eſt Tibi incrementa deſiderare: & Te columen ſuæ Eccleſiæ firmiſſimum diù, vt optamus, ſervet incolumem. Sic optat, ſic petit, ſic exorat hoc Hieronymianum Salmanticenſe Collegium, *Nonis Maii, anni* 1692. *Auſo. vbi ſup.*

ILLVSTRISSIME, ET EXCELLENTISSIME DOMINE.

Tuæ Excellentiæ pedibus provoluti exoſculandæ manus benedictionem expectant,

Excellentiæ Tuæ gratiſſimi, & obſequentiſſimi ſervi,

Fr. Ioannes de Medellin Rector.

Fr. Petrus de Queſada Primarius Theologiæ Lector.

Fr. Ioannes de Lucio Veſpertinus Theologiæ Lector.

Fr. Antonius de Montanches Theologiæ Lector, & Scolaſticorum Magiſter.

COLLEGIVM COMPLVTENSE SOCIETATIS IESV: Egregium Opus, cui titulus eſt: De Romani Pontificis Authoritate: *Ab Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo D. D. Fr. Ioanne Thoma de Rocaberti, Archiepiſcopo Valentino ex præſcripto ipſius iudicat, & affectu plaudit.*

FOELICI Omine beneficio numquam ſatis gratificando, Princeps Excellentiſſime, ad nos pervenit Volumen, (Theſaurum dicerem hucuſque abſconditum, & pro tua benignitate inventum, quem prægaudio, niſi tua obſtaſſet liberalitas, omnia noſtra, ſi ſuffeciſſent, hilari animo inſumerentur) tuo nobilitatum nomine; conceptum ſapientia, labore indefeſſo partum, calamo exaratum, Zelo Religionis, & Romanæ Eccleſiæ communi vtilitate expoſitum.

Accepimus: ſibique gratulabantur laureatæ manus, dum omnigenæ diſciplinæ depoſitum, Minervam ipſam è Iovis cerebro proditam ſervabant: Oculis ſubſtrahebant ſcripta, nè in fœlicitate ſocium admitterent, nè mens, quod ſuum erat, arriperet. Tamen vicit voluntatis imperium, avidèque, vel in paucis foliis evolutum appenſum eſt in rationis ſteterà, & inventum maximum; quia inventum eſt verè tuum *Magna illud fama præceſſerat, maius tamen inventum eſt, ſumma namque in eo eſt facultas, copia, vbertas; proæmiatur aptè, narrat aperté, pugnat acriter, colligit* *Plinius. Epiſt. 22.*

git optimum, ornat excelsé, postremó docet, delectat, adficit.

O Fœlix, & legitimus fœtus præexcelsæ mentis! in quo nihil, quod à te degeneret, nihil, quod te non redoleat Authorem, nihil, quod non buccinet genitorem: formasti illum ad imaginem, & similitudinem tuam, neque enim in te est villa dos, vel Excellentia, quæ in eo non affulgeat. Quidni? ipsam animam scriptis transfudisti, vtque verus Prometheus ex face illa ardente inclyti Parentis Dominici, quâ Cœlum Ecclesiæ splendet, si non rapuisti, accepisti ignem, quo scripta animares. Opus quidem ex assumpto nobilissimum, pium, & Catholicum, doctrina maximum, eruditione singulare, efficacia ratum, soliditate insigne, Authorem prodit inter nobiles nobilem, inter Pastores vigilantes vigilem, inter Doctores celebrem, in paucis eruditum, ingenio vividum, & in veritate fundatum.

Sed quis nobilis inter nobiles, nisi quem non modo sanguinis claritas ex inexhausta origine derivata Heroica facinora maiorum tot sæculis repetita, & inter se tantúm emulata, verum & ipsa *Dei Gratia*, sicut & Comitem Principem fecit? Qui hereditario non contentus honore proprium ex virtutum omnium congerie adjecit. Illustris natus hominibus, factus Illustrior Deo, mundi fastum contemnens, & ex cinere Phœnix renascens pulchrior: *Cuius, si velis veram æstimationem inire, & scire qualis sit, mundum inspice, ponat patrimonium, ponat honores, alia fortunæ mendacia, corpus exuat ipsum, animum intuere, qualis, quantusque sit, alieno, an suo magnus. Iure ab honore quæsitus nec per vim, aut favore humano potestate potitus, sed divinitús Sacerdotium assequutus.*

Privileg. Comitum de Peralt.

Senec. lib. 10. Epist. 77.

Naz. orat. Paneg. in D. Basil.

Quis pius, & Catholicus? nonne vulneratus in corde ab vno oculo & crine Sponsæ Ecclesię (*id est ab vnitate Doctorum*) nè Sententiarum varietatę Caput, quod est aurum optimum, monstrosum & biceps appareat? Cuius facies vere *Adamas & silex contra eos, qui attrita fronte sunt & duro corde*, vt impavidus, quę sentit, pro Ecclesia doceat, non immemor; *Neque imperiale esse libertatem dicendi negare, neque Sacerdotale, quod sentiat non dicere: nihil in Sacerdote tám periculosum apud Deum, tám turpe apud homines, quam, quod sentiat, non liberé pronuntiare: Siquidem scriptum est: Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.*

Ex intel. Cas. apud Gisleriũ. Cant. cap. 4.

Dan. cap. 3.

S. Amb. lib. 2. Ep. 17. ad Theod.

Vigilantior quis? *Cuius vigilia omnium somnios defendit, omnium otium, illius labor, omnium delitias, illius industriæ, omnium vacationem, illius occupatio.* Verè oculatus custos, indefessus gregis Argus, vt ovibus provideat, *Assuetus velocissimi sideris more, omnia invisere, omnia adire, & vndequaque invocatus velut numen adesse*, imperium super humerum portans, in se suscipiens onera subditorum, nè quos regit, onera gravent: Intelligens super egenum & pauperem, nè preces liberalitatem extorqueant, sed liberalitas preces antevertat: Quare inclamant Populi sub vigilanti virga decoris, & pietatis constituti.

Senec. cap. 26. inconst. ad Polyb.

Plinius. in Paneg.

Claud. de laud. stil.

Fœlix arbitrij Princeps, qui congrua nobis
Indicat & primus sentit, quod cernimus omnes.

Quis alius inter Doctores celebrior? qui à Doctoribus, & Magistris non sine mysterio vniversalis, & *Generalis Magister* fuit electus, quem Doctissimi Doctiorem judicarunt: Quid mirum? (*Audiebant & expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium eius, verbis ipsius nihil addere audentes, quia super omnes stillabat eloquium suum*) doctrina, & veritas gentilitium ipsius: (*Quod disciplinæ genus non calluit? imó quod non eá excellentia, tamquam ipsi vni animum adiiciat? siquidem omnes comprehendit, vt nullus vnam, sic ad summum singulas, vt alias videatur non curasse.*) Coniunxit, quæ natura disjungere solet, *profunditatem*

Ordinis Prædicat. Gener. Iob, cap. 29.

scili-

scilicet *& claritatem. Non assuescunt profunda flumina claritatem spondere: Turbida ferè profunditas est: hic in altissima profunditate vada ostentat, vt neque altitudo vitori, neque nitor altitudini impedimentum iniiciat.* Glorietur Complutum non modo gignere Magistros Primos; verùm, & vnicos. *Naz. orat. ad Bas.*

Eruditiorem invenies secundo Salomone, qui scibile discutit omne, cui concessum est disputare *à Cedro, quæ est in Libano vsque ad Hysopum, quæ egreditur de pariete*; cui *adstitit adextris Regina (sapientia) in vestitu deaurato, circumdata varietate*: cui ad manus sunt profanæ, & sacrę litterę: cui concessa est clavis scientiæ, vt abdita antiquitatis penetralia inviseret proferens de thesauro nova, & vetera. Historiam vivam appellabis: *Luminare magnum* dices, in firmamento Ecclesiæ collocatum, vt lucem veritatis à tenebris oblivionis dividat, cum *sit in signa, tempora, dies, & annos.* Multitudo in aliis, & fastidium, & confusionem parit; in hoc fęcunditas concisa, & concissio fęcunda: desiderium legendi excitat ipsa copia, quæ aviditatem explet indagandi: & quæ divisa eruditos faciunt collecta tenet. Cui aptius? *P. Scrib. in Præf. ad Cardinal. Barb. lib. de prod. adolesc. Col. Comp. Divi Th. alumnus. 3. Reg. cap. 4. Psal. 44. Gen. c. 40.*

Tam benè si quisquam potuit, tám multa quis vnquam?
Si tám multa alius, tám benè quis potuit?

Mentis aciem perspicacissimam desiderabis? Sublime ingenium non fateberis? Aquilinum visum non concedes? Doctori, cujus oculi in capite sunt sublimes, erecti lumen veritatis firmo obtutu intuentes, vt degeneres conceptus reiiciat, generosos alat? Fertur in sublime non Icariis pennis lapsum pręcipitem metuens; sed vt desuper contrarium impetat: artificiosa, & ingeniosa apis mel doctrinæ ex floribus sugit, acuminis non oblitus: Labyrinthos difficultatum non alieni, sed proprii discursus, aureo filo extricat. *Adversarias machinas ex apparenti rationis auro, ex ficto argento Authoritatis, ex delasorio ære tenacis Genii, fictilibus pedibus adulationis, & terreni affectus compositas, levi ictu, lapide sine manibus, aut sine labore dimisso, prosternit, & comminuit.* Sacer Alcides cum serpentibus ludit, si serpentes dici debent, qui caput non servant: dum propria tuetur convincit, dum aliena impugnat exarmat: facile contrarios ictus retorquet non contentus vincere proprio gladio, sed hostili; bene callens, Davidem non appendisse in Templo fundam, sed gladium; victor in arenam prosilit, vt vincat, nec qui de triumpho securus est aliter certamen init, quàm *vincens, vt vincat.* Demum si *nullum ingenium potest esse magnum antequam habeat admixtum aliquid de furia*, vt ingenium acuat, piè pro veritate furit, iustè pro Ecclesia irascitur. *Eccleſiast. cap. 2. ex intel. P. Lorini. Dan. cap. 2. Apocal. cap. 6. Senec. de tranq. anim.*

In veritate quis solidior? *Ædificat super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide, in quo omnis ædificatio crescit in Templum Sanctum in Domino*, atque vt effundat velut aquam sapientiam suam, *Bibit de spiritali consequente Petra CHRISTO.* Ad Petram loquitur, vt audiens cum Petra sentiat, & ex his, quæ docet *Floribus veritatis oves CHRISTI pingueſcere facit.* Negabis fundatissimum Doctorem, cuius fundamenta sunt in montibus sanctis? Sanctorum Patrum organum acclamabis: Si arguit, resonat Augustinus: Si exponit, Hieronymi sentitur armonia: si suadet, Ambrosii audiuntur concentus: Si mores instruit, Gregorii percipies consonantiam: si hæc ad summam redigit, Præceptorem Angelicum Thomam iudicabis. *Ad Ephes. cap. 2. Ad Corinth. 1. cap. 10. Num. cap. 20. v. 8. Conc. Calched. acti. 5.*

His non coloribus (Domine Excellentissime) adamusim exprimeris, Apellis penicillo depingeris? Cognoscunt omnes: Tu solus, & Sacerdos, & Princeps Populi præ modestia ignoras fulgores, quibus aliorum oculos offundis. Dixerunt alii, magnum Pompeium fuisse solùm theatro suo minorem, non verentes Imperatorem minuere, vt crescceret Opus incomparabi- *Exod. cap. 34. v. 30.*

li magnificentia instructum: Absit à *Maximo*, quod *Magnum* non decet, insonet fama: Maximus Ioannes, & solum scriptis suis æqualis: Eminent scripta dum te adęquant: maximus appares, cum ab Opere maximo non vinceris: Vivunt in se scripta: vivis, & vives in Volumine, dissertus Phidias te Opere æterno inserviſti. Igitur (Antistes Illustrissime) dele Operi nomen vili atramento expressum, solariis radiis in cœlo dignè tantum scribendum, & in fronte præcine cum Poeta.

Quid titulum poscis? Versus duo, tresvè legantur
Agnoscent omnes te Liber esse meum.
Par animo quoque forma suo respondet in illo
Et genus, & facies, ingeniumque simul.

Ovid.

Agnoscent propugnaculum Fidei, arcem munitissimam, quam sibi domum ædificavit Sapientia, vt lœta pro victoria convivet, observabunt fluvium egredientem ad irrigandum Paradisum Ecclesię, qui in varia divisus capita circumit omnem regionem doctrinæ claritate fęcundans. Mirabuntur Turrim Davidicam, *quæ ædificata est cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium*, vt quasi de Cœlo dimicetur, stellis manentibus in ordine, & cursu suo, quarum Sedem, & cursum in Ecclesia invertere tentat novitas. Invenient Pharum excellam nullis Orbis comparandam miraculis, in qua lucerna ardens, & lucens, vt navis Petri inter maris procellas agitata secura ad portum tranquilitatis appellat. Perspicient monumentum: *Ære pærennius, quod nec imber edax, aut Aquilo potens, aut innumerabiles annorum series, & fuga temporum poterunt diruere.* O manus *Rocaberti* Illustrior & pærennior Absalonis manu! quid plura?

Prouerb. cap. 9.
Gen. cap. 2.
Cant. cap. 4.
Iudic. cap. 5.
Horat. l. 3.
Regum 2. cap. 18.

Quo musa tendis? desine pervicax
Magna modis tenuare parvis,
Et stellis nebulam spargere candidis.

Scriban. vbi sup.

Vbi nullum sufficit elogium, vbi: *Ad laudes aliquid addere decerpere est, vbi excellentia non est vocibus, aut scriptis exponenda, sed Opere comprobanda.* Sic fecimus iudicium Operis, ex Opere comprobavimus, vt tua sint omnia, nostrum nihil, quod accepimus liberaliter, grato animo in Voluminis commendationem rependimus; accipe benignè (Prælul benignissime) & in memoriam revoca.

S. Maximus Homil. 59.

Omnia cum tibi dono sint concessa Deorum
Si quod habes non vis: ergo quid accipies?

Mart. Epig. 58.

Igitur pro laude, & Panegyri sint vota, & preces. O Prælatorum exemplar, Ecclesiæ ornamentum, Dux de semine Virorum per quos salus facta est in Israel, fulgens sidus in perpetuas æternitates, bonum certamen certasti, stadium percurristi, & accepisti bravium; sed quamvis Olympicam sis adeptus coronam inceptum nondum consummasti, *in reliquo reposita est tibi altera corona: labora, Opus fac, & perfice Doctoris Evangelici, argue obsecra, increpa in omni doctrina; adest enim tempus cum veritas non sustinetur; sed ad desideria coacervantur* Magistri prurientes auribus, *& vt à vera Doctrina auditum avertant*, nescio an ad fabulas convertantur. Tu verò vigila (Princeps Illustrissime) in Ecclesiæ decus, in Sedis Apostolicæ firmamentum: Vive, vt dimices prælia Domi-

Ad Thimot. 2. cap. 4.

mini : Certa, vt vivas sine fine immortali fama, & pro numero certaminum palmas, & triumphos numera. Sic toto affectu exoptamus : Sic quæ diximus sincero iudicio sentimus. *Compluti die* 18. *mensis Maii, anno* 1692.

Emmanuel de Carvajal
Rector Coll. Societ. Iesu.
Carolus Echeverria, Vespertinæ
Cathed. Universit. Regens.
Vincentius Ramirez
Magister Theologiæ.
Ioannes de Vlloa Mag. Theolog.
Antonius Portillo Primariæ
Cathedræ Universitatis Regens.
Ioannes Martin Sacræ
Scripturæ Magister.
Franciscus Granado
Magister Philosophiæ.

IVDICIVM DE EXIMIO OPERE ILLVSTRISSIMI Archipræsulis Valentini P. P. M. M. Benedictinorum Collegii S. Vincentii Salmantini.

INGENTI Beneficio, Præsul Eximie, & Illustrissime, ducimus, quod novi nos partus, quem modò in lucem fausto edidisti sidere, participes dignatus es facere. Neque enim merito imputandum nostro est (ni aperte insanire velimus) sed tuæ, quà benignitati, quà animi demissioni, quòd Opus Cedro dignum, omniumque laudibus (tantum abest vt censurę) exponendum, nostro tenuissimorum hominum iudicio, & crisi subiicere voluisti. Sed enim quid obelo, aut litura dignum in tàm præclaro, & ad Theologiæ, Philosophiæ, Historiæque, tùm sacræ, tùm profanæ leges, & amussim elucubrato Opere detegere possemus? Nihil in ipso non præstans, nihil non pręclarum, nihil non doctum, nihil non eximium occurrit. Absit verbo invidia, vt blandiendi, ac adulandi causæ procul sunt. Nihil illo Europa nostra, orbis litterati compendium, eruditius, aut præstantius dudum vidit. Ambrosius nobis, aut Augustinus, si verè Pythagoras philosophatus esset, revixisse fors videretur. Sed enim si Metempsychosin asserere Fides iuxta, ac ratio prohibent, quid vetat quominus suspicemur illorum Ecclesiæ præclarissimorum luminum spiritum in te duplicem divinitûs confluxisse? Ambrosium profectò ad vivum exprimis, qui tuæ curæ, ac Fidei commissum gregem, quà verbo, quà exemplo adeò fœliciter pascis, nihil vt causæ sit, cur Valentinæ Oves, priscis illis Mediolanensibus de pabulo invideant. Mellitus ille, omnium calculis, & consensu, Doctor fuit. Merum ipse, dum loqueris, & ad plebem verba facis, mel, merum nectar fundis. Nec verò longê ab Augustino tua doctrina, tui mores abludunt. Frugalem ille mensam, parabiles dapes semper coluit, & quemadmodum ante Episcopatum habuerat, etiam in ipso retinuit. Tu Dominicanæ austeritatem & rigorem familię, vel in ipso sacrarum splendore infularum numquam non retinuisti. Sed enim (vt ab his tuæ minus gratis modestiæ encomiis interim abstineamus) eius ad vivum imaginem exprimis in nuper evulgato animi tui hoc fętu præclarissimo. Malleus ille Hęreticorum semper audiit, & fuit. Tu pariter eius premens vestigia in omnes omninò cûm olim orras, tùm hodie grassantes, ac subinde exorituras hæreses stylum adeò fœliciter in præexcellentissimo hoc Opere distringis, vt ad sua latibula, tenebricosaque àntra tanto lumini im-

pares

pares è vestigio convolaturas haud ex vano credamus. Tu Petri Cathedram, quam improbissimi tenebriones, ac lucifugæ opprimere, & proculcare, in casſum licet, moliebantur, sic fulcis, vt nullus eius casus, ruina nulla in posterùm timenda sit. Nullum exitum, aut finem reperiret oratio, si omnia exequi liceret, aut allubescerent, quę in eius laudem menti succurrunt: & in ipso, quantumvis ingenti iuxta & magno Volumine, ampliorem molem nostra approbatio excurreret. Ergo ei tandem finem imponimus, non quod dicenda desint, sed quod plura quam vt ea paucis complecti liceat, sponte sese ingerant. Ita ex animo, Illustrissime Præsul, censemus, Tibi, tuoque muneri devotissimi. Salmanticæ *pridie Kalendas Iunii, anno Domini* 1692.

M.Fr.Iosephus Perezius S.Vincentii Salmantini Abbas, & Sacrarum linguarum in Academia Professor.

M.Fr.Emmanuel Sequiros Qualificator Supremæ, M. Generalis Ordinis D.Theologus.

F.Ioseph Sanchez Lector Theologiæ.

ILLERDENSE COLLEGIVM S.IOSEPHI CARMELITARVM Discalceatorum pro Aureo Opere De Infallibilitate S.Pontificis *Illustrissimo, & Excellentissimo D.D.Fr. Ioanni Thomæ de Rocaberti, Archiepiscopo Valentino, &c. gratificatur.*

THERESIANA Soboles Zelo Catholicę Ecclesiæ vivit: Novit enim sibi Parentes *Eliam*, *Theresiam*. Ille, vix natus, flammas fugebat, ignem vorabat. Inde divinis ardens incendiis æstuabat, clamabatque: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo Exercituum.* Cuius ardoris stimulo concitus, in exleges, in impios, in sacrilegos, thompheam manu, ore fulmina contorquebat. Hæc verò, præter quod, ad æternum thalamum mox caput exaltatura, se Ecclesiæ filiam gloriabatur; dum verò de torrente in via bibit, atras hæreticorum tenebras perpetuis deflebat lacrymis: indeque mirandum facinus aggressa, contra spiritales huiusmodi nequitias, spiritalem militiam concipiebat, quam in Ecclesię Militantis munimen, & Triumphantis incrementum, aliquando pararet. Accinit Caramuel Dominicus, dum sic auguratur: *Visus est velle Deus, inquit, Novo-antiquum Carmelitarum Ordinem orienti hæresi opponere: vt eodem ipso tempore quo tenebrarum Princeps, Martino Luthero Imperatore conscribebat exercitus, quibus Ecclesiam Catholicam dirueret, eodem CHRISTVS, designata Theresia Imperatrice, fortissimos Athletas conscriberet, quibus invasam propugnaret Ecclesiam, & retunderet dæmonum arma.*

Horum Parentum, Præsul Eximie, & Glorioſissime Princeps, sanguine sati, Zelo concepti, spiritu vegetati, & institutione enutriti, huius tui ILLERDENSIS Carmelitarum Discalceatorum Collegii Incolę, non possumus non tibi plenis viscеribus congratulari, dum tàm strenuè in arenam descendis, pro Ecclesia Matre nostra ad agonem vsque decertaturus, cum Philisthęo quocumque in divinam prorsus & Supremam Ecclesiæ Capitis Potestatem intumescente ac exprobrante, novus David ad singulare certamen descendens, cum baculo & lapide. Pastor es, baculo percute. Petra es,

&

& limpidiſſimi tibi adſunt lapides, quos de torrente inundantis Sapientiæ, & doctrinæ tuæ (*cuius impetus lætificat Ciuitatem Dei*) elegiſti, & in Volumine hoc mirabili, quod *De Authoritate Summi Pontificis extra Concilia* nuper edidiſti, quaſi in funda contorquens, eorum ſolidi tatem ita in frontem effrontem elidis, vt gloriosè vincas & convincas. Alii Saules in ſimiles hoſtes, etiam calamorum haſtas cruentarunt: Noſtra tamen Eccleſia, (& haud dubie vniverſa) tibi applaudens decantabit: *Saul percuſſit mille, & David decem millia.* Sed quid? Numquid non lapides tui præ cæteris limpidiſſimi? Limpidum lapidem inflexit Albertus Pighius *lib. 6. ſuæ Hierarchiæ.* Limpidum, Caramuel in quarto fundamento jecit *lib. 1. ſuæ fundamentalis Theologiæ.* Limpidos, alii; ſed tu limpidiſſimos, & de torrente ſolidiſſimos. Mirari iam libet, in tuis rationibus ſolidiſſimam veritatem, in argumentis robur invictum, in doctrina puritatem, in eloquio gravitatem, in omnibus ordinem, & in ordine miram pulchritudinem. Omnia, ſublimis ingenii acumen, ſaniorem Eccleſiæ ſenſum, & Sanctorum redolent ſcientiam. Iam ergo lætabunda arripiat Eccleſia huiuſmodi lapides limpidiſſimos, & dicat: *Lapides elegi ex te, & ædificavi turrim. Turrim*, inquam, hoc ſcilicet tuum Volumen, quod fortiſſimum exinde futurum eſt propugnaculum Eccleſię, & Turris David, tot clypeis protegens, quot foliis.

Aliò, vt fateamur, noſtra dirigebatur meditatio; ſed qua, neſcimus, vi, nos detinet ac prœoccupat, occulta prorſus quædam, ac velut magnetica horum lapidum violentia. Lentiùs ergo progrediamur ne inter lapides cæſpitemus: aut, ſi mavis, ſedeamus parumper in Petra hac altius meditanda. Ecce mons es, ò *Roca-berti*! Vertitur ergo ex hoc monte lapis Voluminis huius. Audi Danielem: *Abſciſſus eſt lapis de monte.* Sed quo properat? *Percuſſit ſtatuam.* Vbi percuſſit? *In pedibus eius.* Iuſtè agitur, vt percutiatur in pedibus, qui in Caput Eccleſiæ inſurgere nitebatur, vt iam vlterius progredi nequaquam valeat. O, fœlix Lapis, ne timeas abſcindi, & exſcindi, vt Caput protegas Eccleſiæ; tibi enim repoſita manet ſummæ theſſera prudentiæ, dum vt fidele membrum Eccleſiæ, illud æmularis: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, qui pro capitis incolumitate proſcindi non renuunt. Quid proſcindi? Perennatur potius, & triumphat. Audin: *Tunc contrita ſunt pariter* (omnia vtique immanis ſtatuæ membra:) *lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & implevit vniverſam terram.* Perge ergo, & eſto pariter Volumen volans, percurrens, & adimplens vniverſum orbem: Et expanſis foliorum alis, Romanam protegas arcem: & ſicut aquila roſtro inſtar falcis adunco, audaces pedes ſuperbarum inſurgentium ſtatuarum demete.

Dan. 2.

Zach. 5.

Septuag. falcem volantem.

Sed cur es lapis iniquorum proterens pedes, & Caput protegens Eccleſiæ? Quia à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris; ſiquidem *Factus es lapis in Caput Anguli. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit conteret eum.* Liceat nobis, & hæc tibi adaptare vaticinia. Nonne Caput Anguli CHRISTVS eſt, qui Domus ſupernæ, & infimæ vtrumque iunxit Angulum? Ergo, & qui eius vices gerit in hac Domo infima Militantis Eccleſiæ, & vicem Capitis anguli geret; continuans vtique eius poteſtatem cum cœleſti, cum ei demandatum ſit: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Dum igitur in munimentum, in vindicationem, & in ſplendorem CHRISTI Vicarii gloriosè progrederis, Lapis es factus *in Caput Anguli.* At dum tuo ſolidiſſimæ doctrinæ pondere in inimicorum Capita ceciderit, neceſſe eſt, conterantur; etenim evadere non poterunt: & cuius pedes ſuper ipſum lapidem impegerint, aut illiſi fuerint propter eiuſdem duriſſimam ſoliditatem, confringantur oportet.

Mat. 21.

Sed ecce iam ſtillant aquæ dulciſſimæ de Petra, & oleum de ſaxo duriſſimo. Oleum, inquam, ad concordiam vtique firmandam, & iucundandam totius Eccleſiæ ſub altiſſima, & abſolutiſſima vnitate Supremi Capi-
*Pſal.*132. tis. Adeſt Regius Propheta. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum, ſicut vnguentum in Capite, quod deſcendit in barbam barbam Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenta eius.* Cornelius Ianſenius hîc *Vnguentum*, vel *Oleum* indiferenter accipit, dum inquit: *Vnguentum, vel oleum, de quo hic loquitur, res erat pretioſiſſima.* Manat ergo de tuo ſaxo duriſſimo oleum, ſive vnguentum, doctrinæ pretioſiſſimum in *Caput* Aaron, id eſt, *Summi Sacerdotis*, vt cum ipſo Cornelio loquar: *Et deſcendit in Oram Veſtimenti*, hoc eſt, *in omnes Fideles*, vt & ipſe atteſtatur, ad vniendos vtique ipſos concorditer ſub indiſcriminata ſubiectione vnius Capitis vniverſaliter. Vt iam tibi ipſa dicat Eccleſia: *Bonum Opus operatus es in me. Bonum*, ſcilicet, quia ecce quam *Bonum, & quam iucundum habitare fratres in Vnum.* In *Vnum* ſenſum, conſenſum, & regimen indiviſibile. Deſcendit inſuper in barbam, & in oram veſtimenti propter abundantiam largiſſimæ, vberrimęque doctrinæ. Sed & etiam *ſtillant aquæ de petra.* Quare? Quia *fluit vt ros eloquium tuum.* Et cur vt ros? Quia ros gratiſſimus eſt. Audio iam Eccleſiam præ delitiis tuæ ſapientiæ iucundantem & dicentem: *Caput meum plenum eſt rore.* Nimirum, qui fluxit *vt ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.* Sed quid, *Caput plenum rore?* Quia rore doctrinæ tuæ, potenter ſtabilitur *Plenitudo Poteſtatis* Capitis Eccleſiæ. Sunt qui evacuare conentur huiuſmodi plenitudinem, ſed rore tuo revincuntur, & confunduntur, & eorum potius conamina irrita exſibilantur, evacuantur. Reponis igitur illæſam *Plenitudinem* Poteſtatis Romani Puntificis intra, & extra Vniverſa Eccleſiæ Concilia: Quapropter ipſa tibi iam repetit gratulando: *Caput meum plenum* manet vtique *Plenitudine Poteſtatis*, tuæ doctrinę, ſapientiæ, & eloquii rore mihi gratiſſimo.

Ros inſuper de Cœlo venit: nec aliundê profectò originem trahunt Sapientiæ tuę ſtillicidia ſtillantia ſuper terram: inculpati mores, & propatulæ virtutes tuæ adteſtantur. Quo fit vt cęcutientes mentes, quæ oculorum ægritudine in contemplanda Romani Verticis altitudine craſſis nebulis obtenebreſcunt obtunduntur; ſi te velint aſpicere, & doctrinæ tuæ tabulas ante oculos ponere, valeant ſanitati reſtitui, niſi pertinacius cæcutire maluerint. Intellectuales etenim oculos cum corporeis confert San-
*Homil.*2. *de Spect.* ctus Hieron. Et quoniam qui laborant Ophthalmia, tabulam Cyaneo (hoc eſt Cœleſti) colore tinctam proſpectare iubentur, vt valetudinem adquirant, prędipit vt qui vel cæcutienti mente, aut ocultata voluntate laborent, doctiſſimi Viri contemplentur imaginem, vt perfectam cordis ſanitatem, puramque animi tranquillitatem conſequantur. Iam duplices faces accendiſti, probitatis, veritatiſque, virtutis, ac ſcientiæ luminibus hanc viam ſub meridiem clareſcere facis, vndequaque fugatis tenebris, vt nemo niſi qui velit, cæſpitare valeat. Vnde, & meritò iam dicere poſſis.

Iura Poteſtatis Romani Præſulis, extra
Concilium, quiſquis, quæris aperta, veni:
Lumina promoveo, bivium, triviumque coruſcant
Qui ſequitur me non ambulat in tenebris.

Hęc verba vtique bona, Pręſul Eximie, corda noſtra eructant, ita vt nec ſyllaba vna contra conſcientiam prolabatur. Nullus hîc locus aſſentationi, nullus illic elationi; procul, ò, procul eſto profane; quia hic ſancta ſanctè laudamus, & de Eccleſiæ Matris honore ſanctiſſimê gloriamur; & eius Athletas fortiſſimos, electos milites, Duces acerrimos, Patreſque ſolidiſ-

lidiſſima Sapientia doctiſſimos, evehimus, extollimus, & iuſtiſſime magnificamus. O, vtinam & nobis potius inter laudandos, quam inter laudantes in hac parte adnumerari contingeret ! Sed ecce Dominicanæ Stirpis Princeps præclariſſime, contra inimicos Eccleſiæ à Sanctiſſimo Parente es inſtructus: nos pariter contra eoſdem à THERESIA inſtituti; Tu, mente, ore, calamo, Libriſque quaſi Briareus centum brachiis pugnaturus: nos potiſſimum tantum mente, id eſt, orationibus, contemplationibus, gemitibus, & piis virtutum operibus, Eccleſię opitulaturi. Coire tamen poſſunt hæc arma, & in vnum coeuntia, vnitatem fraternitatemque nanciſci. Si noſtras quales quales oratiunculas, tecum pergere patiaris, & huiuſmodi ſpiritalia munimenta tuis fortiſſimis armis digneris aſſociari, tecum parati ſumus, & in carcerem, & in mortem ire: quocumque perrexeris, ecce adſumus. Stemus ſimul: quis eſt adverſarius noſter? Dextras damus, & ad Moyſis inſtar, in Summo Carmeli Montis verticê, palmas ad Cœlum levamus, dum in arenam, in campum, & in publicum prodis, cum Amalech pugnaturus pariterque triumphaturus.

Hoc tandem adiicientes, vt non deſint qui ægrè ferant, & qui proculdubio indignabuntur, quod tàm profusè pretioſæ vnguentum doctrinæ in Eccleſiæ Caput effuderis. Sed hoc ingens tuæ Sapientię, & virtutis erit teſtimonium, quo evidentius indubitatæ refulgeant, nam teſte Seneca, *Diſplicere malis probata virtus eſt. In hoc noſtro Sancti Ioſeph Carmelit. Diſcal. Illerdenſi Collegio die 2. Iunii 1692.*

Fr. Antonius à Chriſto
Rector.
Fr. Ioſeph à Sancto Alberto
Theologiæ Lector.
F. Ioannes à Santa Maria
Theologiæ Lector.
Fr. Iacobus a Præſentatione
Sacræ Scripturæ Lector.

COLLEGIVM SALMANTINVM DIVI CAROLI *Borromæi Clericorum Regularium Minorum in Commendationem gratiſsimam Illuſtriſsim. ac Excellentiſsim. Principis D. D. Fr. Ioannis Thomæ de Rocaberti Archiepiſcopi Valentini, eiuſque Vniverſitatis Theologiæ Sacræ Primarii Profeſſoris, Almi Ordinis Prædicatorum in Aragoniæ Provincia Provincialis, poſtmodum totius Religionis Generalis Magiſtri, ſemel & iterum Regni Valentiæ Pro-Regis meritiſsimi: & in laudem Operis tanto Authore digni* de Romani Pontificis Infallibili Authoritate extra Concilium; & de illibata Sacrorum Pontificum in Fide Conſtantia.



VDIAT Omnis Pontus, & æther, in portu nos, (aiebat antiquum proverbium) *navigamus*: non ex ſterili fonte ortus, ſed ex fæcundiſſima ripa natus, ingenii fertiliſſimi filius, & noſtra luſtraturus limina ſalutavit; & in æternum colendus, ſuprá vires laudandus, noſtrorum corda dulci violentia ſubripuit: Cuius Authorem ex nobili Guzmanorum Familià, quem, niſi Thomam proderet, ſi præſa eius ſubſcriptio denegaret? *Senec. in troade.*

Quis enim celaverit ignem
Lumine, qui ſemper proditur ipſe ſuo?

Luminibus ignis, Stella radiis, Sol ſplendore dignoſcitur, ſic ab operibus fęlici auſpicio conceptis, fœliciori induſtria diſpoſitis, fœliciſſimis apicibus con-

ſu-

sumatis huius laboris dignoscitur Author, dignoscitur (inquam) Illustrissimus, & Excellentissimus D. D. Joannes Thomas de Rocaberti, Valentinæ Ecclesiæ Præsul, & suprà alia Regni Valentini Eximius non semel Pro-Rex; Avidè laborem, (meliori voce loquamur) honorem suscepimus; sic placuit materia: lætanter cępimus salutare, sic iucundabat Oratio: in admirationem defecimus; sic stupebat elaboratio: Opus immensam curam spirans; documenta redolens cœlestia; *non ex illis, quæ magis gaudent foliorum amœnitate conspergi, quàm fructuum vbertate nutriri* si cum Chrysostomo loquamur:

Chrysost.

Nulli hoc Opus secundum; & vt verbis vtamur Chrysologi, *sicut homo, qui cæteris creaturis nobilior, postremus omnium est creatus*; sic hæc recens eruditio adhuc sub prælo gemens, adhuc in cunis vagiens omnes superat gigantes sub Sapientiæ aquis diù gementes, vt impletum videatur, quod de Carthaginensibus Tertullianus proclamavit; *vetustate nobiles, novitate fœlices, & ita fœlices vt neque à novitate novatores audiant, neque à vetustate veteratores.* Mirabamur etenim in hoc Volumine scribēdi genus illustres; si orationem attendimus, sublimis, & elevata idea; si sententias, rationemque intus loquentem, quod hucusque Opus in sententiarum collectione diligentius? in examinandis rationibus acutius? in ferendis judiciis securius? in Conciliorum & Sanctorum Patrum mentibus indagandis sublimius? quod in dissertione strictius? quod in varietate diffussius? sed vt eleganti calamo Horatius.

Horatius.

Non sunt longa, quibus nil est, quod demere possis.

Nunc ad argumenti lucem aciem versamus: Omnium certè gravissimum; cum ad hunc Scopum tendat, ad hanc sphæram collimet, vt abditissima Fidei Catholicæ arcana aperiat ingenti, & mirum admodùm incredibili labore elucubrata, vt facile copiosa Homiliarum seges multiplex tum humana, tum divina eruditio testantur; Sanctorum Oracula, Acta Pontificum, & doctrina ex ethnicis, & profanis antiquati pulveris nodis, tanquam ab injustis possessoribus (vt ait Augustinus) erepta, Conceptionum animi vberrima copia, tàm ad abstrusa mysteria referanda, quàm ad hominum mores componendos, hæreticorum impetus refrenandos, & ad Ecclesiæ honores vsque ad sydera erigendos. Opus adeò plenum sapientia; vt si diuturna vivendi intervalla non lustris, sed scriptis; non ętate, sed vtilitate computantur, quamdiù vixit, qui nullis finibus coarctandam sapientiam dedit, vtinam luce vitæ superet cœli motus, vt luci manet, quæ ampliſſima Doctrinæ emolumenta speramus!

Auguſ. de Doct. Christiana ante finem.

Quem referunt musæ, vivet dum roboratellus
Dum Cœlum stellas, dum vehet amnis aquas.

Vives incolumis, (fœliciſſime Liber) vives novitatum iugulum, errorum antidotum, morum vniversitas, Philosophiæ prodigium, Theologiæ oraculum, Omnigenæ dissertionis Paradisus, virtutis Schola, Religionis Palestra, Ecclesiæ Navis, in qua secura Ancora insurgentium tempestatum aëra vincet, vives Liber. Et si lævis limæ Liber evades. Nec invidiæ nubes radios obnubilabit.

Claud. in Paneg. 3.

Solus hic invidiæ fines virtute relinquit
Humanumque modum. Quis enim livescere posset
Quod numquam pereant Stellæ? quod Iupiter olim
Possideat Cœlum? quod noverit omnia Phœbus?
Est aliquod meriti spatium, quod nulla futentis
Invidiæ mensura capit.

Iam iam in vivam Sapientiæ faciem venerationem flectamus: ANGELICVS DOCTOR in Optimo Principe desiderat, quod in Valentino Doc-

ctore veneramur: *Mens igenioſa, vita honeſta, humilis ſcientia, eloquentia, docendi peritia.* Quod AQVINATIS THOMAS ſcripſit ad exemplum, Valentinus Thomas expreſſit ad admirationem. In primi elogium: *Bene ſcripſiſti de me Thoma,* cecinit CHRISTVS: in ſecundi plauſum *bene ſcripſiſti de me Thoma,* canat Eccleſia: nec erubeſcimus plauſum plauſui conferre, Thomam Thomę comparare; vt enim ingenioſe Author: *Magno cuique id accidere certum habeo, vt ſe non præſentibus modo, ſed etiam cum omnibus ævi claris Viris comparet.* *D. Thom. opuſc. de erud. principi. lib. 5. cap. 9.* *Tit. liv. decad. 3. lib. 8.*

Sæpè Caii Cæſaris ingenium admirari potuimus, quod inter militum agmina, armorum turbinem, militiæ ſtrepitum, incertam belli fortunam, ſcribere ita ſolebat, vt plurimi noſtro ęvo, qui ſe litteris conſecrarunt, eius eruditionem & integritatem ex animo imitari conentur, aſſequi nemo poſſet, ſed vbi te ſecundum Thomam, gemellum potius fratrem à primo Thoma quęſitum Divina Stella parente, vbi te inter Religionis onera, officiorum munera, inter Paſtoralis ſollicitudinis curas, ſanctiſſimę vigilantiæ labores, vno humero irretitum; & iam iam altero humero (ad quod Vix vtroque Athlas ſufficeret) ad litterarum laborem expoſitum colluſtravimus, Cæſaris indolem minime admirati, Thomę magnitudinem fuimus confeſſi; maior Cæſare in honore, dum in labore maior; ille regebat agminum turmas, tu animarum agmina; ille ſcribebat, quod alii operabantur, tu in adverſum rediens, imò in diverſum abiens, & quod inſudas, adſtruis; & quod calamo dicis manu decantas; ille aſſerit Plinius *toties Imperator antequam miles,* tu toties humilis antequam Princeps, toties Magiſter antequam diſcipulus, & vt Ovidius

Vix equidem credar; ſed cum ſint præmia fati
Nulla ratam debet teſtis habere fidem. *Ovid. lib. 3. eleg. 10.*

Adeò noſter Princeps & Author numeros ſcribendi adimplevit vt illud congruat Auguſtini in Platonem: *Plato, Vir Sapientiſſimus, & Eruditiſſimus temporum ſuorum, qui & ita locutus eſt, vt quæcumque diceret, magna fierent; & ea locutus eſt, vt quomodocumque diceret, parva non fierent.* Cui proprius dictum Gerſonis: *Eccleſiam ditat: armat: poſteris aperit fontem aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam, ſal ſapientiæ adminiſtrat: Eccleſiam honorat, & cuſtodit.* Interim memoramur Aquinatis encomii, *pluſquam Doctores cæteri, purgans dogma Gentilium*: Hic conſonat elogium imò Apoſtolicum præceptum Innocentii III. *in Epiſtola ad Monachum Ciſtercienſem*: *Doctrina hæc animam revocat ab errore ad veritatem, à vitiis ad virtutes, prava mutat in recta, aſpera convertit in plana, inſtruit Fidem, erigit Spem, roborat Charitatem, evellit nociva, plantat vtilia, fovet honeſta, via vitæ, ſcala ſalutis, & ianua Paradiſi eſt.* *Aug. lib. cont. Acad. c. 17. Gerſ. lib. de Laud. Scrip. to. 1.* *In Himn. D. Thom. Innoc. III. in Epiſt. ad Abbat. Ciſterc.*

Dum ſacra dogmata, quæ in Volumine hoc aureo, velut in illo Ezechielis volante, continentur, conſpeximus, in mentes venit Hieronymi deſideratum præceptum: *Poſt Scripturas Sacras Doctorum hominum tractatus lege, eorum dumtaxat, quorum Fides nota eſt, cum non conveniat aurum in luto quærere*; & alibi: *Illorum tractatibus delectetur ingenium, in quibus pietas Fidei non vacillat.* Dum aciem acutiſſimi ingenii agnoſcimus verba vſurpamus Lyrinenſi: *Ingenio nonne tam gravi, ac vehementi excelluit, vt nihil ſibi ad propugnandum propoſuerit, quod non, aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit? Cuius tot penè verba, tot ſententiæ, quot ſenſus, tot victoriæ*: Si Patrum navigamus Eruditiſſimum Oceanum, idem occurrit. *Quodcumque igitur in hac Dei agricultura Fide Patrum ſatum eſt; hoc idem filiorum induſtria decet, excolatur, obſervetur, hoc idem floreſcat, & matureſcat, hoc idem proficiat, & perferatur: fas eſt enim, vt priſca illa Cœleſtis Philoſophiæ* *Hier. Epiſt. ad Furiam 10.* *Idem Epiſt. ad Lætam. Lyrin. c. 23. commonit. 1.* *Idem cap. 30.*

dogmata proceſſu temporum excurentur, limentur, poliantur. Dum ſententiarum congeſtum ordinem miramur; dictum arridet Hieronymi: *Lectione aſsidua, meditatione continua pectus tuum Bibliothecam feceras CHRISTI.* Dum tandem, & nova antiqua veritate iluſtrata, & antiqua formoſa novitate tractata dignoſcimus iterum cum Vincentio Lirinenſi ſalutamus: *Intelligitur te exponente illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur, per te poſteritas gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur, eadem tamen, quæ didiciſti, ita doces, vt dicas nove eam nova non dicas.* Sed ſupervacuis laborat impendiis, qui Solem certat facibus adiuvare.

Hier. ad Nepot.

Vinc. Lyr. de proph. nouit. c. 37.

Maxima enim melius ſignantur ſilentio, quam exprimantur eloquio, & commodius æſtimanda reliquuntur mentibus, quam ingeruntur auribus: *Quia parva adhuc ſunt dicta* (aiebat Symmachus) *munerum tuorum imputa miraculis, nam magnitudo ſtinporis locum multis plauſibus non reliquit.*

Symmach. lib. 10. ep. 22.

Liceat procoronide affectus epigrammati imponere manum, quo, expeditiori arte Laberinthicos nodos ſuperaſti.

Conſtruxit variis obſcurum ambagibus antrum
Occultas faciens Dædalus arte vias,
Nec ſedes poterat Cretæ deſcendere ad imas
Quiſquam, fallaces nec penetrare domos.
Sed Laberinthiacis valuit ſuccedere tectis
Theſeus, attecti ſic patuere lares
Theſea ſed vincis clarum doctiſsime Thomas.
Per te quod cunctis abditiora patent,
Obſtendit cæcas percallidus ille latebras
Tu Summæ Petræ ſolida verba facis
Conſcribens penitus nobis abſtruſſa reſolvis
Declarans culto dogmata fixa Libro.
Vt valeat dulces lector guſtare medullas
Furentis calamo conteris ora viæ
Nec dubium ſcriptis nodos aperire latentes
Quæ poſſunt, ſilum cædere poſſe tuis.

Gradum ſiſtimus vocibus, non affectibus canentes cum Lucano

Et hoc veri complectere pignus amoris
Quod ſi digna tua minus eſt mea pagina laude
At voluiſſe ſat eſt.

Luc. Paneg. ad Piſ.

Animos non verba iactamus. *In hoc Divi Caroli Borromæi Salmantino Collegio pridie Kalendas Iunias anni ſalutis Reparatæ milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi ſecundi.*

Didacus de Villafranca Magiſter Vniverſitatis, Lector Theologiæ, & Regens Studiorum, Præpoſitus
Franciſcus Infante Theol. Lect.
Didacus Ruiz Theologiæ Lect.
Magiſter Franc. de la Laſtra Præſ. Decanus Vniverſitatis.
Antonius Ioachim Manzano Abulenſis Magiſt. Theol. Lect.

COLLEGIVM VERÆ-CRVCIS SALMANTINVM, Excellentiſsimo, & Illuſtriſsimo D. D. Fr. Ioanni Thomæ de Rocaberti, Archiepiſcopo Valentino, &c. pro Eximio De Infallibilitate S. Pontificis *Libro grates refert.*

ILL.ME ET EXC.ME DOMINE.

EGREGIVM ſanè Volumen ab Excellent. V. Eruditiſſimo politiſſimo ſublimi, ac tantum non Divino Calamo concinnatum *De Infallibilitate Romani Pontificis in rebus Fidei diffiniendis extra Concilium* nobis ab Excellentia Veſtra tranſmiſſum, & ſumma voluptate perlegimus, & pari gratitudine Bibliothecæ noſtræ dedicavimus. Quo circa multum ambigimus, neque ſatis nobis in promptu eſt, quidnam demiremur magis, aut ſuſpiciamus prius; cultiſſimi ne animi elegantiam, ac ſolidam verè ſapientiam, quę præclarum, atque omnibus, quod dicunt, numeris abſolutiſſimum Opus in lucem edens monumentum ære perennius excitarit,

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſsit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum,

An verò munificentiam, ac dignationem tanto Principe propriam, quæ admirandi Operis, ac planè aurei non tantum nobis perluſtrandi ſemel fecerit copiam, ſed illo donatis vltro fruendi atque accuratiùs ipſum evoluendi præſtiterit facultatem. Ergo vtrumque miramur, vtrumque ſuſpicimus, atque E. V. poſt manus oſculum tanto pro munere gratiis actis D. O. Max. precamur, vt eam ad Noſtroeos annos ſervet incolumen Religioni, orbi, æternitati. *In hoc Almo Veræ-Crucis Salmantino Lycæo* 4. *Kal. Iunias, anno reparationis ſalutis* 1692.

EXCELLENTISSIME DOMINE

EXCELLENTIÆ VESTRÆ

Obſervantiſſimi clientes, atque
addictiſſimi ex animo.

Fr. Michael de Vlate Rector.

M. Fr. Ioſeph del Caſtillo
Vniverſitatis Philoſophiæ
Profeſſor.

M. Fr. Ioannes de Ayala
Studiorum Regens,
& Philoſoph. Acad. Profeſſ.

COL-

COLLEGIVM DIVI THOMÆ COMPLVTENSE, pro debito in ſuum quondam alumnum affectu, Authorem in Opere, & Opus in Authore commendat.



AVDET te alienus, & non os tuum; (a) *extraneus, & non labia tua*; boni æquique conſulens exclamat Sapiens, vt, & ſtultorum coërceat vanitatem, & lænocinantium compeſcat adulationem. A ſe ipſo laudari vanum, ab inimicis rarum, à domeſticis parum, ab extraneis, perfectum. *Extranei quippè*, (b) *qui nullam nobiſcum habent conjunctionem puriùs, & ſinceriùs de noſtris rebus, & factis dijudicant*; *vnde eorum laus, vel vituperium verius eſt.* Hæc nos, Excellentiſsime Princeps, compulit ratio, vt quod *manſit* (cum vate (c) loquimur) *alta mente repoſtum judicium*, invito præmeremus ſilentio. Licet enim remiſſum librum *tanta animi voluptate legerimus, quanta luculentia ſplendet*, (d) *quanto amore Authorem ejus ſemper proſequuti fuimus*; nec dubitaremus, (e) *quod fruſtra ad cenſuram exponitur, qui tantis titulis approbatus videtur*: conſultiùs tamen factum iri cenſuimus ſi nos, qui velut Joannes Evangeliſta (f) citiùs præcurrimus in perenne tuæ monumentum doctrinæ, alios, velut Petrum, ſineremus ante ire judicio, quos haùd poteramus non præcellere affectu. Tenes enim, & te tenet hoc D. Thomæ Complutenſe Collegium arctiſſimis charitatis vinculis vndequaque conſtrictum; profeſſione fratrem, educatione filium, regimine parentem, largitate benefactorem, omnibus tandem nobis omnia factum, vt vix aliò poſſimus vrgentioribus titulis defigere obtutum. Vt ergo verbum bonum eructarêmus corde (g) cui Opera noſtra dicamus, exterorum ſententiæ ab omni aſſentationis labe alienæ primas dedimus: vt nullos jam miretur, dum ſapientia tua per omnium volitat ora, quod filii ejus ſurrexint (h) ad laudandam eam.

Sed antequam Voluminis paginas evolueremus, quando tantum elaboratum fuerit opus, dubitavimus. *Nàm ſi quis magnitudinem rerum cum annis conferat* (i) *ætatem vltra putat.* Novimus te cum per calcatos (vt ajunt) Patres, per neglecta tot Illuſtrium Progenitorem glorioſiſſima ſtemmata, nihilo duxiſti delicias fugitivus ab Aula, vt CHRISTO adhæreres individuus in cellula. Etſi enim *immortalis Dei munus, & primum videatur* (j) *in lucem ſtatim te fœlicem venire, & vix alii totius vitæ laboribus conſequuntur, jam domi parta ſuſcipere*; tu tamen novam, celſioremque adeundo militiam *ſatius judicaſti* (k) *tuis geſtis flore, quam majorum opinione vti, & ita vivere, vt reliquis eſſes nobilitatis initium, & virtutis exemplum.*

(l) *Hinc tua nos virtus rapit, & miranda per omnes*
Vita modos, quæ, ſi deeſſet tibi forte creato
Nobilitas, eadem pro nobilitate fuiſſet.

Senſit hoc ſtatim Prędicatorum militia, cui nomen dederas, nam atenta in ægregia quæque præclara tui animi indole, cognovit *non parum vtilitatis habere eum, qui ex ampla Familia*, (m) *& Illuſtri genere ad Angelicam vitam tranſivit, rationis moderamine quaſi quodam fræno cohibere juventam, & carnis affectus in ſervitutem redigere rationis.* Jam enim

(n) *A Puero, teneriſque etiam fulgebat in annis*
Fortunæ majoris honos; erectus & acer
Nil breve moliri :::::::
Iam tunc conſpicuus, jam tunc venerabilis ibas.

Nec fefellit ſpes: nam licet verum ſit, quod *flores multi multitudinem fructuum*

(a) *Proverb. cap. 27.*
(b) *Cornel. à Lap. ibi.*
(c) *Virg. lib. 1. Æn.*
(d) *Mant. in Elog. Mirandul.*
(e) *Caſſiod. l. 7.*
(f) *Ioan. cap. 20.*
(g) *Pſal. 44.*
(h) *Proverb. cap. 31.*
(i) *Luc. Flor. in Hiſt. Rom.*
(j) *Pacat. in Paneg. ad Theod. Imp.*
(k) *Cicer. in orat. cont. Salluſt.*
(l) *Ovid. in Paneg. ad Piſonem.*
(m) *S. Baſil. Mag. ep. 42. ad Maxim.*
(n) *Claud. li. 1. in Paneg. Stilicon.*

ctuum pollicentur, (o) *sed examinati ventorum flabris ad fructum paucissimi perseverant*; in te tamen, dum in hoc D. Thomæ Musæo egregiam Theologiæ operam navasti, compertum fuit, (p) quod *quidquid latet in herba, manifestatur in spica, & quod celatur in gramine aperitur in fructu*: nam potius videbaris in quotidianis congressibus agere Ducem quàm Tyronem, cum nullus te spectaret militantem, qui non statim stuperet. Quæ Musis cum tanto fœnore reddebas Discipulus, quanta non vsura redderes Magister effectus? Nec solum per sinuosos scholasticorum anfractus Ariadnæo ingenii tui filo inoffensus exibas, verum simul è Pulpito, (q) velut alter Orpheus, sacro lyræ ictu arbores, & saxa movebas. Omnes novum Aod, (r) quem ambidextrum Scriptura narrat, mirabantur: dum altera manu argumentorum spicula firmissimo vmbone videbant retundi, altera verò audientium corda ignito sermone sentiebant iaculari. *Vnus quippè atque idem es*, (s) *qui vtrumque amplecteris, & quidquid viritim distributum poterat esse satis, avidus maximarum rerum possessor includis.*

Tot curis distentus, vt quam effuderas in alios lucem, in propriam totus converteres domum, supra excelsum totius nostræ Religionis poneris candelabrum. O quam læti omnes, qui, te Generali Magistro, supra se tulere suavissimum obedientiæ iugum! cum depositio fastigii supercilio, *nec totam subditi patiebantur servitutem*, (t) *nec totam libertatem*. O quot aucta tunc incrementis Dominici Clara Propago! vt verum esset, quod sciscitanti cuidam, quænam esset Familia fœliciſsima, Chilon respondit, *illa, quæ similis est Vrbi*, (u) *in qua Rex sapiens imperat*: sed melius Salomon dum ait: (x) *Posside sapientiam; acquire prudentiam; arripe illam, & exaltabit te*: vel vt alii transferunt, (y) *exalta illam, & exaltabit te, vel, evehito illam, & evehet te*. Nam cum sapientiam & prudentiam tuam, potius quam personam, ad supremæ Prælaturæ fastigium Prædicatorum Ordo exaltaret, & eveheret, ab ipsa statim cæpit viciſsim evehi, & exaltari. *Dedit Deus capiti tuo* (Prædicatorum Ordo) (z) *augmenta gratiarum*; & exindè in membra derivato influxu, multiplicati sensimus cum Apostolo semen nostrum, (aa) & in copiosam elevari segetem nostrarum incrementa frugum.

Quis te gradum sistere non iudicaret? Sed quando non vltra Sol? *Gaudent profectò superna perpetuo motu*, (bb) *& quidquid homines labores vocamus, eorum natura est*. Ad Valentinæ Eccleſiæ Præsulatum, non tàm eveheris, quam raperis: *Ambiisti* quippè *Opus, non Dignitatem*, (cc) *laborem, non delicias*; *Opus per quod humilitate decresceres, non fastigio superbires*. Nec tibi hoc onus Maiestas Catholica impoſuit, Senatorum, vt mos est, consulente notitia, sed vnica tuorum Operum consultrice fama: *Viri quippè illustres & famosi* (dd) *ab omnibus cognoscuntur ex nomine; cæteri autem de turba, quorum origo & gesta obscura sunt, licet cognoscantur vt homines, eorum tamen nomina ignorantur*. Quot in Præsulatu Curæ! Quot spinæ! Tenebat (ee) te totum instantia quotidiana, sollicitudo omnium tuæ Diœceſis Eccleſiarum; à quibus omnibus nè abesses influxu, quibus non poteras adesse simul aspectu, Musæum erexisti D. Pio V. Sacrum: illud dicimus, cui melius, quam portæ, quæ ad Rhenum ducit, quadrant ea cuiusdam ratis carmina

(ff) *Hanc si structuram præsens mirabitur ætas,*
Iudicium melius posteritatis erit.

Et illa quæ Gorlicii, ante Scholam humanitatis habentur

(gg) *Prima bonæ mentis sit cura, sit altera morum;*
Tertia litterulas perdidicisse bonas.

Quorum omnium finem demonstrant tandem, quæ Parisiis in Vico Sancti Antonii inscripta leguntur, paululum mutata

(o) *D. Petr. Chrysol. serm. 9.*
(p) *Idē. ibid.*
(q) *Ovid. lib. 4. Trist. Eleg. 1.*
(r) *Iudic. cap. 3.*
(s) *Ennod. in Laud. Boet.*
(t) *Tacit. lib. 1. Histor.*
(u) *Plut. in conv. septem sap.*
(x) *Prov. c. 4.*
(y) *Sanct. Pagn. & Tigur. apud Cornel. à Lap. hic.*
(z) *Prov. eod. cap.*
(aa) *2. Ad Cor. cap. 9.*
(bb) *Pacat. ubi sup.*
(cc) *S. Hieron. Ep. 83. ad Oceran.*
(dd) *Abul. sup. Mat. c. 10*
(ee) *2. Ad Co. cap. 11.*
(ff) *Theat. Vitæ Hum. verb. inscriptio.*
(gg) *Theat. Vitæ Hum. ibid.*

(hh) Idē ibid.

(h) *Hoc Opus en duplicem Præsul construxit in vsum Serviat vt Domino, serviat vt Populo.*

Ibi enim Sacerdotes plures virtutis & doctrinæ lacte nutriuntur, & nutriunt; qui per Valentinam Diœcesim statis temporibus decurrentes & Verbum Dei disseminantes in copiosissimam faciunt assurgere messem. Hos omnes iuvas, alis, moves, vt per omnes te operante operarios, tuum sit aliquo modo, & quod alius plantat, (ii) & quod alius irrigat.

(ii) 1. *Ad Corinth. c. 3.*

Superessent sane hæc capacissimo cuivis; sed tibi non satis. Addicit Maiestas Catholica supra spirituale gladium salutis, terrenæ gladium potestatis. Digitos olim (jj) antiquitas sacravit Minervæ, quę eadem cum Pallade: Hoc in te verum, quem, si mirata est Minerva docentem, obstupuit non minus Pallas protegnantem. Ianus aderas à tergo videns, quæ iuvenis abiecisti post tergum, vt lucrareris CHRISTVM. Si ea dicenda *Beata Respublica* (kk) *in qua aut Philosophi dominentur, aut saltèm, qui gubernant divina quadam fortè philosophentur*; fœliciſſima prædicabitur Valentina, cum assequuta Pastorem, & Ducem, qui & vt Philosophus sciret, quæ iubenda exequi; & faceret vt strenuus exequi, quæ iubenda sciret. Tot sollicitudinibus anxio, (vt plura alia omittamus) & tantarum rerum mole oppresso, vbi tempus, vbi secessus, & otium, quæ scribenda requirunt? O quam verum est, (ll) *quod otium sanctum quærit charitas veritatis; negotium iustum suscipit necessitas charitatis.* O quanto verius prophano vate poteris iustæ admirationi respondere; *Deus nobis* (mm) *hæc otia fecit*: solus quippé Deus, cui grates referimus, potuit facere, vt super Rubum, super tot scilicet tribulos anxietatum, ita sapientię tuæ ignis luceret, vt nec ab eis absumeretur, nec eos consumeret; & ex vtriusque amico fędere, vt sentiunt (nn) non indocti Hebræi, pulcherrimi hi, quos iam iam adoramus, flores pullularent.

(jj) *Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.*

(kk) *Plat. lib. 5. de Rep.*

(ll) *S. Augus. lib. 19. de Civ. Dei.*

(mm) *Virg. Ecg log. 1.*

(nn) *Rabi David, ad c. 3. Exod.*

Arrepto igitur (dubii aliquantulùm admiratione sedata) Volumine quasi de manu Angeli (Angeli passim (oo) in Scriptura dicuntur Antistes) illud non solum attenta meditatione legimus, (pp) verum prę aviditate devoravimus. At statim, etsi facundiæ melle percepimus delinitum gustum, ventrem nihilominus schismatis felle sensimus amaricatum. *Carmen*, (qq) & *Væ* in ipso erant: *Carmen*, quod propugnantis sapientiam decet; *Væ*, quod impugnantium insipientiæ imminet. Agnovimus in ipso calamitatis, quam enarrat, exordio homines, *quos cum non possit diabolus detinere in viæ veteris cæcitate*, (rr) *circumscribit, & decipit novi itineris errore::: qui cum Christianos se vocent, & ambulantes in tenebris habere se lucem existiment, blandiente adversario atque fallente, qui secundum Apostolum transfigurat se in Angelum lucis, & ministros subornat suos velut ministros iustitiæ, asserentes perfidiam sub prætextu Fidei, Anti-Christum sub vocabulo Christi, vt dum verosimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur.* Audivimus columbam, Ecclesiam scilicet, gementem quod plures Pastores non solum commissum gregem non pascunt, verum lupinam edacitatem sectantes deglutiunt: *Sunt, inquiunt, alia nunc tempora*, (ss) *alii mores.* Hoc est *Væ* illud, quo velut felle amaricatur anima nostra; istud autem *carmen*, quod dum ex adverso intonas, eam intima suavitate dulcorat. *Sunt sanè alia tempora*, (tt) *alii mores, sed non alia obligatio.* Episcopum decet arguere, obsecrare, increpare in omni patientia, & doctrina; (vv) præcipuè cum tempus iam advenit vt sanam doctrinam non sustineant. *Qui enim sunt*, (ad instar tui) *divinis eloquiis enutriti* (xx) *nè vnam quidem divinorum dogmatum sustinent labefactari syllabam: magis verò pro tuenda horum integritate, si res ferat, interriti, & alacres adituri sunt innumeras species mortis.* Hæc sanè lætitia nostra; hoc gaudium, quod nemo tollet à nobis: quod

(oo) *Malac. c. 2. & Apocal. cap. 1.*

(pp) *Apocal. c. 10.*

(qq) *Ezech. c. 3.*

(rr) *S. Cyp. lib. de Vnit. Eccles.*

(ss) *Bellar. de Gemit. Colum. cap. 5.*

(tt) *Idē ibid. statim.*

(uu) *Epis. ad Thim. c. 4.*

(xx) *S. Basil. Magn. apud Theodor. Cyrensem Episcop. lib. 4. cap. 19.*

pro

pro grege Dominico Canum factus sis lingua (yy) vt in sanguine adversantium pedem suum intingat Ecclesia.

(yy) *Psal. 67. v. 24.*

Ad hunc collimat scopum, dignum sanè Apollinis ictu, quidquid in hoc Volumine, & in sequentibus, quæ iam prælo paras, pro tuenda edisseris Authoritate Pontificia. Cæteris enim Ecclesiæ Pastoribus quasi digito ex scripturis, & Conciliis demonstras: *Quæ pascua sunt petenda*, (zz) *qui fontes adeundi; ac rursum quæ pascua vitanda, qui latices, qui baculo regendi, qui fistula; quo tempore ad pascua ducendus grex, & quo rursum á pascuis revocandus: quomodo bellum lupis inferendum, quomodo non lacessendi Pastores hac præsertim tempestate, qua Pastores se se stultè gesserunt, atque oves pascuæ disperserunt.* Hùc tendis, dum quidquid ex traditione Ecclesiæ, quidquid ex Patrum testimoniis, quidquid ex Sacro Canonum fonte *á quoquam potuit vnquam exhauriri* (aaa) *á te assumptum discussum est atque digestum.* Ita per vastissimum antiquitatis chaos vsque ad enascentis primordia Ecclesiæ fœlici Sacrorum Interpretum remigio navigas, *vt omnem historiarum, ac studiorum varietatem mira quadam capacitate* mens tua *complexa sit: ingenio verò tam acri*, (bbb) *ac vehementi, quod nihil sibi ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere illiserit.* Meminimus Antonium Campanum natione Gallum impressionis artem ab Vlrico Gallo inventam suadere; & allusione facta ad illam satis tritam historiam, cum Galli ministerio Anserum, quorum pennis scribimus, fuere Roma expulsi, sic non illepidè lusisse

(zz) *S. Gregor. Naz. ora. 7. præsente Basil.*

(aaa) *Alv. Cordub. in laudis Sanct. Eulog.*

(bbb) *Vinc. Lyrin. de Tertull. in l. adu. proph. Hæres. novit.*

(ccc) *Vlricus Gallus, nè quem ponantur in vsum,*
Edocuit pennis non Opus esse tuis.

(ccc) *Libr. 1. Poem.*

At dum tuus, Princeps Excellentissime, calamus tam promptè, quàm vivaciter vmbras, quas Gallia evomuit, profligat; in adversum nos poterimus ludere mutato ioco in sententiam

Dat penas Gallus, qui pennis sustulit vsum,
Dum fugit á pennis (èn Opus esse) tuis.

Nè tamen à communi Ecclesiæ, vel latum distes vnguem, rarò, aut numquam, tua doctrina est, quæ semper est tua: *Nam cum diligenter observandum sit, vt Lex Dei, cum legitur,* (ddd) *non secundum propriam ingenii intelligentiam legatur*, alieno, probato tamen, semper veteris testimonio, cui mirus styli tui Ordo addit non leve suffragium. Neque hoc (præterquam quod in rebus adeò proximis Fidei necessum) aut ingenii tui minus demonstrat acumen, aut legentium minuit aviditatem. *Quinimò tantam Dignitatem habet frequens Authorum appellatio*, (eee) *vt quo rarius Doctor suis loquitur verbis, eo suscipiatur magis.* Sic sententiæ profundioribus hærent in audientium cordibus infixæ radicibus: *Nam sicut in gladio, aut telo* (fff) *multum interest á qua manu veniat, sic in sententia, vt penetret, valde facit robustæ alicuius & receptæ pondus Authoritatis.* His veterum testimoniis concatenati duo præfati Operis libri duas illas (ggg) imitantur Columnas Salomoniaci Templi, quarum primæ nomen *Iachin*, hoc est, *directio*; secundæ verò *Booz*, id est, (hhh) *fortitudo. Directionis* nomen primò tractatui Infallibilem Summi Pontificis in rebus Fidei extra Concilium definiendis directionem propugnat: *Fortitudinis* nomenclatura rectè insignietur tractatus alter, qui eiusdem demonstrat immobilem constantiam in Fide. Vt his duabus Columnis firmiùs, quam Salomoniacis, vnus idemque Antistes (iii) & Fidelium pietate suffulciat Domum, & contra novos impetitores corroboret Templum.

(ddd) *Sanct. Clemens, Ep. 5.*

(eee) *Claud. Clem. ad lect. Musæi.*

(fff) *Lypsius ad lect. Polit.*

(ggg) *3. Reg. c. 7.*

(hhh) *Index Bibl. pro vtraq. interpret.*

(iii) *Eccles. c. 50.*

Quia

(iij) *D. Cypr. vbi sup.*

Quia verò cavenda sunt (iij) *non solum quæ sunt aperta, sed & astutæ fraudis subtilitate fallentia*; Sanctissimum Pontificem Clementem non tantum in maximis vel specie tenûs renuis errasse, verum nec in minimis pateris deliquisse: vt dum nè minima quidem neglexisse demonstras, à fortiori, vt aiunt, maxima percalluisse convincas. Hinc de Phœnice, & de Antipodis sermonem instituere cogeris, illius quidem mètrice; istorum verò philosophicè; vt, dum ancillas vocas sapienter ad arcem, ex Ægyptiaco etiam auro sanctuarium videaris construere. *Si qua enim Ethnici,* (kkk) *aut qui Philosophi dicuntur, vera dixerunt, & nostræ Fidei accommoda, non solum formidanda non sunt; verum tamquam ab iniustis possessoribus in nostrum vsum vindicanda.* Per hæc quidem, quę ibi dictione instructiore, & figuris dicendi variis scribis, *Interioris hominis tui pulchritudinem velut ex variegata sermonum pictura cognovimus;* (lll) *nam vnusquisque nostrum ex abundantia cordis loquitur.* Licet enim *prudentibus Viris non placeant phalerata, sed fortia,* (mmm) *quando non res pro verbis, sed pro rebus nutiandis verba sunt instituta*: & iuxta Satyricum

(kkk) *D. Aug. lib. 2. de Doct. Christia. prop. fin.*

(lll) *S. Basil. Mag. Ep. 55. ad S. Ambros.*

(mmm) *S. Prosp. lib. 3. de contempl.*

(nnn) *Persius Satyr. 5.*

(nnn) *Ornari res ipsa vetat contenta doceri:*

Attamen cum rationum iacula Musarum arcubus innixa non ideò iacula non sint; non incongrue legentium aliquando demulces carmine pectora, vt vivaciori ictu defigas intus spicula. Nam vt lepide Ovidius

(ooo) *Ipse neque ad Citharam, neque ad arcum segnis Apollo;*
Sed venit ad sacras nervus vterque manus.

(ooo) *Lib. 4. de Pont. Eleg. 8.*

Stylus quippè, qui nescit quandoque supercilium ponere, potius contemni ambit, quam legi. Nec Varietas ipsa parum ornat, vt quisque pro suo genio, & si in omnibus ibi non placeat, in omnibus tamen non displiceat: Nam vt Panegyrista non contemnendus aiebat: *Si quis putet nos latius fecisse* (ppp) *quam orationis severitas exigat, huius, vt ita dicam tristitiam reliquæ partes actionis exorare debebunt. Adnixi certe sumus, vt quamlibet diversa genera lectorum per plures dicendi species teneremus: ac sicut veremur ne quibusdam pars aliqua secundum suam cuiusque naturam non probetur, ita videmur posse confidere, vt universitatem omnibus varietas ipsa commendet.* Cognoscant ergo eruditionis tuæ indeficientem venam Samaritani etiam (vt ita dicamus) qui de foris properant haurire aquam. Vt dum festivo salientis rivuli gurgite invitati aquam gustaverint, qua potum vitæ propinas, antiquas despiciant, & dissipatas Ethnicorum Cisternas: & fons de sanctuario egressus, dum per amæna serpit vireta florum, (qqq) irriget etiam torrentem spinarum.

(ppp) *Plin. Iun. lib. 2. Ep. ad Lupercum.*

(qqq) *Ioel, cap. 3.*

Hinc iam, dum antiquissimum nobilitatis tuæ stemma conspicimus, Davidicum illud non minus promptè, quam alacriter concinnamus: *Qui convertit petram in stagna aquarum* (rrr) *& rupem in fontes aquarum.* Si enim *rupem*, & *vertit* (nænia absit) immediate coniungas nullam ferè à Rocaverti ipse quoque litterarum sonus ex Hispanica & Latina voce collisus ostendet distantiam, & in hos rivulos profusam latè demonstrabit sapientiam. Quod si portentosam Maris Rubri fugam huic in aquas effusæ Rupi opponere liceat; pulchrius nomenclaturę tuę monimentum præsenti Operum eruditioni adaptat. *Stetit* (inquit Sacer Textus) *aqua quasi murus* (sss) *à dextra eorum, & læva*, ideſt, *stetit alta* (ttt) *& erecta, vt murus.* Quam bellè! Aqua, quæ fidelis populi obruit impetitores, fidelibus fit in defensionem murus, & Rupes: Rupes, quę propter ingeniram duritiem calcem adhuc negatura videbatur, aquam sitientibus perenni vena elargitur? Si Virga (idem in Scriptura (uuu) ac calamus) aqua doctrinæ tuæ in lævam & dextrā (duos scilicet tracta-

(rrr) *Psal. 113. v. 8.*

(sss) *Exod. cap. 14.*

(ttt) *Nicol. à Lyr. ibi.*

(uuu) *Apoc. cap. 11.*

tus

tus) dividitur ; gratia Dei, quæ sola (scientibus loquimur) te fecit Petram Altam, illicò in firmissimam defensionis Vertit-Rocam. Si baculo, æstuante grege, petra percutitur; statim in largissimas aquas Rocavertitur. *Cantemus ergo Domino gloriosè*, (xxx) *gloriosè enim magnificatus est*: dum pro liberatione sui populi maresapientiæ in murum & Petram Altam transtulit, & pro eiusdem mitiganda siti in fontes aquarum Rocam-Vertit.

(xxx) *Exod. cap.* 15.

Inviti tandem, & si læti, conamur in finem. Inviti: quia vniversa velle mus decurrere; *nam & si vniversè* (yyy) *nec ipse Demosthenes quidem ad se laudandum satis virium haberet*; amor tamen vltra possibilia scopum præfigit. Læti: quia si filiorum sapientia gloria est Parentum; quæ non impleat huius Domus lætitia, *quæ, & si Matris potuit liberari officio*, (zzz) *sed non deprædari affectu*. Pluries nobiscum taciti arguebamus silentium tuum criminis, cum numquam possit convinci nisi humilitatis. *Sapientia* (dicebamus) *abscondita*, (a) *& thesaurus invisus, quæ vtilitas in vtrisque*? At (vt quærelam compesceres) ostendisti te in ostensione sapientiæ rutilum Ecclesiæ Chrysolampum; *quem lapidem lux cælat*, (b) *prodit obscuritas*: *hæc enim est in illo diversitas, vt nocte igneus sit, die pallidus*. Cum enim huc vsque sereno potiretur die Authoritas Pontificia palluisti obscurus præ humilitatis modestia: nunc verò cum atram oborte vmbræ tentent inducere noctem, igneus totus radios eiaculando appares; vt sic iuxta quod decet sapientem, *necessitatem loquendi magis indices*, (c) *quam voluntatem*.

(yyy) *Lucian. in Dialog. de Demosth.*

(zzz) *D. Bern. ad Eug.*

(a) *Ecclesiast. cap.* 20.

(b) *Poly hist. cap.* 3. *in fine.*

(c) *S. Hieron. Epist. ad Cell.*

Necessitate tamen cogente non parum gratificamur, quod non satis putares te recte vivendi exemplum præbere, sed vlterius pergeres commissum gregem per doctrinam instruere. *Non quippè statim boni atque vtilis Sacerdotis est*, (d) *aut tantummodò scienter agere, aut tantummodò scienter prædicare*: *cum & innocens sibi tantum proficiat nisi doctus sit, & doctus sine doctrinæ sit authoritate nisi innocens sit. Non enim Apostolicus sermo probitatis, honestatisque præceptis hominem sæculo conformat ad vitam; neque rursum per doctrinæ scientiam Scribam Synagogæ instituit ad legem: sed Perfectum Ecclesiæ Principem profectis maximarum virtutum bonis instruit*: *vt & vita eius ornetur dicendo, & doctrina vivendo*. Pollumus enim non pro libito, sed prout res ipsa postulat, cum Vate canere

(d) *D. Hylar. Pictau. Epist.* 8. *de Trinit.*

(eee) *Qui scribenda facit, scribit vè legenda, Beatus*
Ille: beatior es tu, quod vtrumque facis.
Digna legi scribis; facis & dignissima scribi:
Scripta probant doctum te tua; facta probum.

(e) *Ouen lib.* 2. *epig.* 29.

Glorificamus ergo Deum nostrum, (f) *qui Virum ex Vrbe Regia, cui totius gentis Principatus concreditus erat, sapientia sublimem, generis claritate, vitæ splendore, orandi facultate, & rebus sæcularibus illustrem ad gregum CHRISTI pasturam traxit: qui proiectis huius vitæ opibus, vt CHISTVM lucrifaceret, commissi sibi, ac præclari navigii, Ecclesiæ videlicet Dei, in Fide CHRISTI gubernacula accepit. Age igitur, ó Homo Dei, certa bonum certamen: corrige ac moderare infirmitatem Populi, si qua Arianæ* (novantium) *labe tactus est. Renova Patrum prisca vestigia, & quoa dilectionis erga nos fundamentum iecisti assiduitate mutui nostri alloquii* (sequentia Opera in lucem edendo) *excitare, ac provehere stude*. Sonet iterum vox tua, lingua sit calamus scribæ ita velociter scribentis vt ardentem præoccupet sitim desiderantis. Consumma quæ incepisti ædificare Opera: *Quis enim ad ista perficienda prudentiam tuam excellet*? (g) *Quis acutius quid faciendum sit expendet*? *Quis ad vtilium energiam efficatior*? *Quis ad considerandam fratrum necessitatem condolentis affectu magis præditus*? *Relinque mnemosynon aliquod* (nam etsi reliquisti, vltra petimus) *ista vita tua*

(f) *S. Basil. Mag. Epist. ad S. Amb. vbi sup.*

(g) *S. Basil. Mag. Epist.* 48.

dignissimum, Colendissime Pater; esto Samuel Ecclesiis; particeps esto afflictionum laborantium Populorum. Adhuc Parvuli panem petunt,(h) adhùc esuriunt: quomodo non vltra frangere poteris, cum nec charitas absit, & plurimus tibi panis supersit?

(h) *Tren. Ier. cap. 4.*

Sed en dum iuxta promissa properamus in finem ad eumdem iterum impegimus lapidem: nescimus modum; *quis enim modus* (i) *adsit amori?* fatemur enim *omnia nobis tanto laudabiliora vissa*, (k) *quanto iocundiora; & tanto iocundiora, quanto laudabiliora*: nec negabimus, quod etsi in simili causa alii Authores præcesserint; *te tamen, & præceptorem vitæ*, (l) *& dogmatum Doctorem, & quidquid bonorum quisquam proferre poterit, æstimavimus & ab initio, & nunc quoque æstimamus.* Nè tamen aut censuram, quam iubes, aut affectum, quem mereris, divisim exponamus; vtrumque, velut in Aristone Orator, coniungimus. *Ipse est, quem singulariter, & miramur, & diligimus.* (m) *Nihil est illo gravius, sanctius, doctius; vt non vnus homo, sed litteræ ipsæ, omnesque bonæ artes in vno homine summum periculum adire videantur. Quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet, nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. Nobis certè, quoties aliquid abditum quærimus, ille nobis thesaurus est. Tùm, quanta sermonibus fides! Quanta authoritas! Quàm præssa, & decora cunctatio! Quid est, quod non statim sciat? Et tamen plerumque hæsitat. Dubitat diversitate rationum, quas acri, magnoque iudicio ab origine, causisque primis repetit, discernit, expendit.* Et vt ad eum tandem revertamur, à quo tanquam à Patre Luminum omne datum optimum descendit, & omne donum perfectum; *benedicimus Dominum*, (n) *quod tibi, & nobis, omnibusque fratribus, qui tua legunt, te talem dedit*: Et quod ipso operante (en Opus in Authore) ab omnibus iudiceris

(i) *Virgil. Eclog. 2.*

(k) *Plin. Iun. Epist. ad Arium Clem. lib. 1.*

(l) *S. Greg. Theol. ad ad S. Basil. in tom. Oper. Basil. Epist. 32.*

(m) *Plin. vbi sup. Epist. ad Latin. Seu.*

(n) *D. Aug. ad D. Hieron. Epist. 87.*

(o) *Vir, quem plena Fides, celsæ quem gloria mentis,*
Quem pietas, quem larga manus, quem fama perennat.

(o) *Biblioth. Patr. to. 7. in Prompt. ad Op. Alzim.*

Et rursum ipsius adiuvante gratia, ita omnibus præsens Opus exierit numeris absolutum, vt ei melius, quam Brixianæ Arci mutato *loci* nomine in *Libri* (èn Authorem in Opere) conveniat disthicon illud

(p) *Hic Liber odit, amat, punit, conservat, honorat*
Nequitiam, Pacem, Crimina, iura, probos.

(p) *Apud Thea. Vir. hum. vbi sup.*

Sic amor censet, sic iuditium amat, sic Mater amat, & iudicat: sic tandem omnes nos amori habenas corripimus; Cedrum, vt par est, Libris; & immortalitatem Authori, cum non sit impar, præcantes in hoc tuo & nostro D. Thomæ Complutensi Collegio pridie Idus Iulii anno salutis nostrę M. D. C. XCII.

EXCELLENTISSIMÆ SVBLIMITATIS TVÆ

Addictissimi merito servi, & affectu filii

Fr. Emmanuel Ron. Rector.

Fr. Petrus de Palacios
Magister, & Regens.

Fr. Froylanus Diaz
Magister, & Regens.

Fr. Dominicus Perez
Lector Theologiæ.

D. ANDREÆ MONASTERIVM, SANCTISSIMÆQVE Matris Thereſiæ Salmantinum Collegium, pro Obſervantibus Hiſpaniæ Carmelitis, de Opere celebri De Infallibilitate S. Pontificis, congratulatur ſuo Sapientiſſimo Authore.

Tibi Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Preſul Fr. Ioannes Thoma de Rocaberti, ſalutem in Domino, &c.

CVM de theſauris ſapientiæ tuæ, Illuſtriſsime, atque Excellentiſsime Princips, hoc noſtrum Salmantinum vetuſti Carmeli Collegium duobus precioſiſſimis vnum in tomum collectis ditaveris libis, quos *pro Romani Pontificis Authoritate*, Catholicæque Eccleſiæ decore contra Cleri Gallicani nuper editam Declarationem concinnaſti, confeciſti; imò iamdiù compoſitos ex tuæ mentis cumulatiſſima Bibliotheca eduxiſti (*nam aſsidua meditatione, & lectione mentem tuam Bibliothecam feceras CHRISTI*, vt aliàs, an magis opportunè neſcio, D. Hieron. commendabat) juris eſt, vt tantum hoc munus plauſibus, qualibuſcumque noſtris rependamus: ſi enim labris in Libris Sacrum lac adminiſtras, neceſſum erit quod *ex ore lactentium* non niſi laudum retributio oriatur, hoc ſanè titulo muneri tanto par, quod à te ipſo nutrita, vigorata, perfecta: tu ſiquidem ipſe hac tibimet arte *ex ore :::: lactentium perfeciſti laudem*, tamque ex omnibus comparabis, *vt deſtruas inimicum, & vltorem*, Eccleſiæ arrogantèr inſultantem. *Hier. apud Aloyſ. Veronenſem Prolog. ſelect.* *Pſal. 8. v. 3.*

Nec immeritò lactis nos in doctrina tua dulcedinem, & vigorem exper. tos eſſe, & agnoviſſe, ex quibus canticus laudum tuarum oriatur, diximus: in ea ſiquidem vim lactis illius contemplamur, qua dejectus, ſopitus, ſomnoque tandem mortis correptus fuit ille hæreticorum ectypum Siſara: lac ſiquidem illud ex peculiari Stellarum influxu virtutem victricem accipiebat, & inde in Stellarum gloriam plauſus vertebantur, eiſque laudatorium canticum Debora, & Barac componebant, & intonabant illum: *de cœlo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo adverſus Siſaram pugnaverunt.* Quid ni etiam, cum *Docti :::: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi Stellæ* dicantur in Sacro Textu, doctrina tua Catholicis nutrimentum dulce; hæreticis amaræ mortis aconitum, lactis ſacrati virtutibus laudetur, dum ex Sanctiſsimi Patriarchæ Dominici Stella, & tot Dominicanis ſyderibus vnitim in re micantibus, ex totque Ordine ſuo adductis Sacris Doctorum Stellis, velut exercitum à peritiſſimo duce ordinatum componentibus, talem vigorem accipit, vt contra hæreticos de cœlo pugnare videatur, eiſque mortiferum inferre ſomnum, afferre excidium, referreque pro Eccleſia triumphum? *Iudic. 4. 19.* *Ibid. 5. 20.* *Dan. cap. 12. 13.*

Dulce autem, & ſalutare prorſus Catholicis hoc ipſum lac ſe oſtentat, vt ex ipſomet etiam fœlicem cœteri poſſint captare ſomnum, & dormire ſecurè: *Omnium nam ſomnos*, vt Seneca plaudebat, *illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.* Eſt enim voluminis, ſive potius animi, atque ſapientiæ tuæ corpus, Sacer ille Argus, de quo *Ezechielis* 1. *Totum corpus oculis plenum in circuitu*, ad excubias in arce Eccleſiæ peragendas, & gloriam ei curru triumphali pollicendam, dicitur. Sic in corpore iſto oculatus vndique vt Argus *Speculatoris*, ſive *Epiſcopi* (quod idem eſt) verè munus adimples pro Romana Eccleſia. Sic in hac etiam *Senec. de Conſol. ad Polyb. c. 26.* *Ezech. 1. 18.*

aram

aram honoris, perenniſque nominis tibi extruis, & meritis poſcis: ſi enim in anſerum gloriam, plauſumque ſolemnem aram olim erexiſſe Romam refertur, eo, quod conantibus Gallis Romanum Capitolium expugnare, anſeres vigiles, dum & dormiebant canes, ſuis clangoribus, & alarum crepitu, cuſtodes excitarunt, & totam Gallorum ſpem, atque inſidias eluſerunt; quanti nominis aram Romæ tibi erigendam meruiſti ex quo tot Sacræ Paginæ, Conciliorum, Patrum Sanctorum, Canonum, humanarum Legum, & receptarum Hiſtoriarum clangoribus, atque ſtrepitu alarum duarum, ſive duorum Librorum, quibus Volumen tuum jam per orbem volitare conſpicimus, ſicut prævidit Zacharias, ibi, *& vidi, & ecce volumen volans*, contra Gallorum errores, non Capitolium, ſed Caput ipſum Romanæ Eccleſiæ propugnaſti, totque pro ipſo ſpeculatores excitaſti, & ad arma milites conmoviſti, quot tua doctrina Lectores invitas, & obſervatores excitas?

S. Amb. in exam. l. 5. cap. 13. Et Titus Livius, l. 5. Decad. 1. Hiſt. Latinæ.

Zach. 5. v. 1.

Jam jam verò, Excellentiſsime Princeps, velut audire judicamus ſummum met Eccleſiæ Romanæ Præſulem tibi animo grato libantem ea, quæ olim Summus Romanus Pontifex Cęleſtinus noſtro Divo Cyrillo Epiſcopo Alexandrino ſcribebat, dicens: *Variis deliberationum ſtimulis torquemur, dum cogitamus quomodo fidelibus ſuccurratur, vt in fide perſiſtant. Vbi verò cogitationem ad fraternitatis tuæ ſcripta transferimus, obtulit ſe nobis confeſtim paratiſsimum remedium, quo peſtilens morbus quaſi ſalubri pharmaco pellatur. Loquor autem de puri fontis fluento, qui è dilectionis tuæ doctrina emanat, per quam omnis aufertur malè perſtrepentis fluenti materia, & omnibus aperitur modus neceſſarii circa Fidem noſtram intellectus :::: Nec mirum eſt providentiſsimum Domini Sacerdotem pro amore Fidei tanta cum virtute pugnare, vt & inſolenti adverſariorum audaciæ reſiſtere, & ſibi concreditos talibus admonitionibus confirmare queat. Et gaudemus tantum pietati tuæ vigilantiæ in eſſe videntes, vt iam maiorum tuorum exempla vicerit, qui & ipſi perpetuò Orthodoxi dogmatis aſſertores fuerunt* (videtur tecum loquutus) *ac verè tibi Evangelicum illud teſtimonium competere deprehendatur, quo bonus Paſtor animam ſuam pro ovibus ſuis ponere dicitur.*

Epiſ. 12. ex Epiſt. D. Cyril. Alexand.

Hinc meritò Collegium hoc noſtrum ea Apocalypſeos verba, *Accepi Librum de manu Angeli*, iactare poteſt: tum, quia non, niſi manu Scholarum Angeli tuus videtur eſſe conſcriptus Liber: tum, quia Angelus ille (*in cuius*, videlicet, *perſona repræſentantur Doctores, Prædicatores, & Magiſtri Eccleſiaſtici, & Apoſtolici*,) non alius, quam tui promptiorem imaginem referebat: ſi etenim ille, vt Textus expreſſit, *poſuit pedem dextrum ſupra mare*, quo Doctorem exprimeret Apoſtolicum, *qui, ponit pedem dextrum, qui eſt potior, ſuper tempeſtuoſum mare hæreticorum*, tu in hæreſibus, & erroribus conculcandis (nè verbum *Roca*, quod agnomine geſtas, inane relinquas) ita fixus appares, vt *Scopulus*, ad quem mentium hęreticorum errantes rates allidantur, & pereant, ac quod es agnoſcant *Lingua Fidei*, (verba ſunt Tertulliani) *Legis tutor, errorum naufragium, & fœlix veritatis aſſertio*; tum denique quia ſi ille *Libellus, continebat doctrinam Sacram, Apoſtolicam, Romanam, qua Eccleſia Dei maximè illuſtratur*, certiſſimum Libri tui exemplar extitit: de tuo enim cum Virgilio illo Chriſtiano, noſtro Mantuano Baptiſta, modulari ſic poſſumus, & lectorem monere:

Apoc. 10. v. 10.

Noſter Doctiſs. Sylv. ibi. q. 1. n. 9.

Ibid. v. 2.

Tertul. apud Veget. tom. 2. in Iud. vt cit. Illuſt. Barcia.

Sylv. vbi ſup. q. 5. n. 52.

Bapt. Mãtuanus in lib. factorũ in Præfat. ad Leonem X. Põtif. Max.

Nè forte Volumine in iſto
Numina falſa, lares, ſtygios, infamia, ſacras
Quærat & ambages, deliramentaque vatum.
Iupiter hic nullus. Nulla eſt Saturnia Iuno.
Nulla Venus. Non ſtupra leges immunda deorum.

Non

Non habet hic Europa locum, nec filia Solis.
Non Helenæ mater, nec averni Principis Vxor
Hic habitant. Liber iste floret namque vndique veris:
Quare Sacerdotum semen regale, genusque,
Pontificum Leges Sanctæ tutantur in illo.

Sic enim in eo arguis, obsecras, increpas *in omni doctrina, instanſque opportunè importune*, tanquam *bonus Minister CHRISTI IESV, enutritus verbis Fidei, & bonæ doctrinæ, quam assequutus es, ineptas autem, & aniles fabulas devitans, vt is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*, de noſtra ſive Romana, & Catholica Eccleſia, quin potius nos ob inſigne tuum Opus, & labores melius, quam ob Cæſaris Opera Martialis decantabat, iam conclamare poſſimus: D. Paul. ad Epiſc. Thim. Ep. 2. & 1. c. 4. Itē ad Titum, c. 2.

Redita ſibi Roma eſt.

His iam clariſſimi, atque excelſi generis tui; regiis quatuordecim in aſcendentibus redimiti coronis ſtemmata adiungere poſſemus; at meritò miſſa facimus, & quia nota, & decantata ab aliis, & quia inſtituto huic noſtro, nec nimis propria, aut potius quia *fulgorem ſtirpis* (vt de Magno Antonio dicebat Ænnodius) *præcipuè morum radiis obumbraſti, vincens decorem ſanguinis ingenii claritate*: illud iuxta vulgare Mart. Epigr. 2. Ænodius.

Non cenſus multi, nec clarum nomen avorum;
Sed probitas magnos, ingeniumque facit.

De iſto tamen quæque diximus, dicta imò legimus, pauca ſunt, fatemur; ſed vbi plura non ſuppetunt, & omnia dicere, ſine fine procedere foret, ab vngue leonem celebraſſe rugientem contra lupos, non ſolum Eccleſiæ oves, ſed & Paſtorem Primum perſequentes, ſufficiat. Quod ergo nos non poſſumus, vitę ſpatia replicata deinceps, quæ tibi longa petimus, ſuppleant: ipſa enim tuam augebunt gloriam, multiplicabunt laudes, & celebrabunt honores, vt cum Theodorico dicere valeamus: *Meritò tibi prolixior ætas optatur, in qua fama ſemper robuſtior invenitur.* Uale ergo, & vt ſanctam Dei Eccleſiam ab incurſibus hæreticorum defendas, pluſquam Phenix vivas. *In hoc Divi Andreæ Monaſterio, ac Divæ Theresiæ Collegio pro obſervantibus Hiſpaniæ Carmelitis Vniverſitate Pontificia, die 9. Auguſti, anni á Divino Verbo Incarnato 1692.* Theo. apud Caſſiod.

ILL.ME, ATQVE EXC.ME PRINCEPS.

Veſtræ Celſitudinis imperio obſequentiores ſervi.

M. Fr. Ioſephus de Ballejo, Prior, & in publica Vniverſ. Cathed. Philoſ. naturalis in proprietate Moderator.

M. Fr. Matth. de Villafañez, Cathedræ Sancti Thomæ Moderator.

M. Fr. Petrus de Frutos Cathed. Phil. in publica Vniverſ. Moderator.

Fr. Ignatius Ponce-Vacca in publica Academ. Phil. Cathedræ Moderator.

ILL.mo ATQVE EXC.mo DOMINO,

D. IOANNI THOMÆ DE ROCABERTI, Archiepiscopo Valentino.

COLLEGIVM SALMANTICENSE SANCTISSIMÆ Trinitatis Fratrum Calceatorum munus sibi missum gratulatur ex corde.



Ttulit ad nos (Ecclesiæ nobilissime Princeps) dilectissimus, semperque nobis multis titulis venerandus, Sapientissimus, ac Reverendissimus Pater Fr. Hieronymus de Mathama, & Rueda Primariæ Cathedræ in hac Salmanticensi Academia Moderator emeritus, ex numero Divi Parentis nostri Dominici sacerrimæ Religionis Magister, necnon & studiorum celebratissimi Sancti Stephani Collegii dignissimus Regens Librum, cuius planè admirabilis doctrina in eum finem tota collimat, vt *Summi Pontifici, Sedisque Apostolicæ omnimodam in rebus ad Fidem, & bonos mores pertinentibus definiendis extra Concilium Infallibilitatem* stabiliat; & quo tuum hoc Sanctissimæ Triados Salmanticense Collegium, ipsiusque locupletem Bibliotecam exornare, augescere, ac veluti inæstimabili, & pretiosissimo thesauro dignatus es nobilitare. Vidimus, legimus, *& perlegimus, ac maiori qua potuimus, cura, nè tàm vera, & excellenti doctrina careamus, studuimus.* Opus quidem omnem nostram commendationem exuperans; talis enim in eo ingenii tui splendet subtilitas, tantaque omnigenæ eruditionis effulget copia, verborumque majestas, vt quod ipsa sit meritò proclamemus.

Quanta nec est, nec erit, nec visa prioribus annis.

Nec minori titulo, si ad eloquii nitorem, & efficaciam attendamus, illud nunc tibi Ovidianum adaptare possimus:

Ovid. Metam. lib. 15.

Cum tibi suscepta est legis vindicta Sacratæ
Verba velut tinctum singula virus habent.

Idem de Ponto, lib. 4.

O vtinam, Princeps Illustrissime, Fidei scutum, & inexpugnabile ornamentarium, dum tua verba legant:

Ibidem.

Hostibus eveniat, quàm sis violentus in armis
Sentire, & linguæ tela subire tuæ.

Exod. c. 18. Caie. sup. dicta verba in expositione eius cap.

In egregii istius Operis contemplatione versabamur, Parens amabilissime, dum ea, quæ de te olim ad nostras aures rumor attulerat, in memoriam advocantibus protinus in mentem venit, nimis esse tibi accommodam illam exactissimi Principis descriptionem, quam suprà illa Exodi verba: *Viros valentes, timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam*; Eminens Cajetani Purpura offormat. Quatuor igitur conditiones in Principe enumerat; & primam ad illa verba, *Viros valentes*; sic loquens assignat. *In hoc itaque loco, Viri valentes ingenio intelligantur; ac si in specie dictum fue-*

fuerit, Viros ingenii. Et verè prima pars Principis, aut Iudicis á naturali ingenio est. Quis non ingenii tui Sydereum apicem demiretur? Credimus ingenuè, vt vidimus:

Ingenium nullum majus habere tuo.

Ovid. lib. 1. de Ponto.

Certè, & si aliàs de illo ambiguitas aliqua nos teneret, vel ex sola hujus libri attenta lectione, ita Sapientiæ tuæ nobis clarè patesceret eminentia, vt nos in admirationem raperet:

Quæ sit enim culti facundia sensimus oris;
Ingenii currant flumina quanta tui.

Ovid. Fast. l. 1.

Jure igitur ingenii tui, doctrinæque Cœlestis celsitudinem contemplantes, sicut alii quondam ANGELICVM PRÆCEPTOREM, te mirabilem prædicamus: *Theologorum, videlicet, Theologam, Alpha litterarum omnium, veritatis vnicum artificem, Architectum omnis litteraturæ, scientiarum delitias, primum, medium, & novissimum omnium; qui rigat Ecclesiam de superioribus suis; & de fructu operum suorum satiat terram; cujus doctrina non deficiet in æternum: per eam siquidem*, vt cum Augustino loquamur, *Fides saluberrima in nobis gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur.*

Titelm. apud Aponte, tom. 2. in Sap. Homil. 13. n. 114. Aug. 14. de Trin. c. 1.

Vidimus jam ingenium te magnopere exornare. Ad secundam Principis conditionem in illis adumbratam verbis, *timentes Deum*, accedamus. *Prima animi virtus*, prosequitur Cajetanus, *requisita ad Principem cujuscumque Ordinis, est timor Dei, vt sic judicet alios, tamquam certus, quod redditurus est rationem de suis judiciis.* Quantus tui sit timor erga Deum, innumera ferè propè restantur testimonia; illa tamen, vel quia cunctis, qui te Principem venerantur, apparent nimis nota, vel quia modestiæ tuæ verecundus pudor tui ora suffunderet, libenter prętermisimus. Vnum tantùm in præsentiarum afferemus, quod à Viro, aliàs docto, & virtuoso, fide humana dignissimo, auscultavimus; te scilicet, nec cum tristis hiems rigidis aquilonibus horret, nec cum phebeis ardens æstas scindit ignibus agros, aliquantulum, aut frigorum crudelitatem, aut noctium ab immoderato æstu vigilias retardare, quominus toto anno, quarta ad auroram hora, extra lectum inter libros conspiciaris, cum iam prius ignem è scilicet propria manu extraxeris, lumenque accenderis, vt iudicia tibi postmodum in publico proferenda in secreto cubilis tui iam antea indefesso studii labore maturè meditata, lumen recipiant, evadant *Vera & iustificata in semetipsa.* Nec è libris vnquam immediatè ad tribunal accedis, quin prius, vt à Deo, à quo est *omne datum optimum, & omne donum perfectum*, desiderata percipias, ad orationem convolaveris, ipsi Deo lacrymas effuderis, iunxeris preces, & te Sacro Eucharistiæ Sacramento, Missam devotissime celebrando, communieris. O Virum ineffabilem! O Virum admirandum! O Virum cunctis Principibus præferendum! Ergo te, & timentem Deum vocitemus, & iustum, *Iustus enim cor suum tradit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, vt in conspectu Altissimi deprecetur.* Nec immeritò nunc, cum te ad auroram, vt Ecclesiam Dei defendas, vigilare conspiciamus, de Fidei hostibus victoriam, & à vero CHRISTI Successore, Summo Pontifice, benedictionem reportaturum inferremus; Iacob enim *Quia sub auroram vigilabat, & pugnabat*, meruit, dum cum Angelo præliaretur, benedici ab Angelo, & quod illi Angelus sese subiiceret, *dimitte me Iacob*, quasi se iam victum miraretur, ac nosceret. Eodemque modo, quia Iudith, quotidie ad auroram exibat oratum, & prostratum à se Holofernem, & videre meruit occi-

Caiet. in loco supra alegato.

Psal. 18.

Eccle. 39. v. 6. Gen. 32. v. 29.

In eodem cap. v. 26. Iudith. c. 22. v. 5.

cissum. Ergo eodem tu quoque modo, Princeps Excellentissime, dum ingenii tui clypeo munitus, & timore Dei protectus pugnas *Ad auroram*, victor de Fidei hostibus evades glorioſus.

Iam gressum ad tertiam Principis conditionem faciamus, eamque in illis verbis, *In quibus sit veritas*, expressam inspectemus. *Clarius habetur in Hebræo: Viros veritatis*, inquit Caietanus, *quemadmodum dicitur vir sanguinis, qui effusor est multi sanguinis, ita dicitur Vir veritatis, qui sectator est veritatis; hoc est, quòd sit verax, tum dicendo, tum faciendo quod dicit.* Quam patenter in te, Princeps Illustrissime, reperiatur ista conditio, & verissima tua non obscurè verba manifestant, & Eximia Divini istius Operis scripta luce clarius meridiana demonstrant; in eis siquidem, non solùm plures veritates Catholicas, adversus earum infectatores facis manifestas, sed etiam Fidei adversariorum falsitates à purissimo Catholicæ Ecclesiæ Imperio, cum eis exules, extorres, evanues facis, & obnubilas; nedum falsum Babilonicę Civitatis, quam intendunt extollere, funditus ædificium evertendo, verùm & illam *Civitatem Ierusalem novam descendentem de Cœlo* scriptis tuis reædificando: illa etenim sunt veluti pretiosissimus ille Fidei lapis, de quo, dum Petrus altissimam illam, & Fide plenam confessionem emitteret, *Tu es CHRISTVS Filius Dei Vivi*, meruit, vt Divinum istud elogium ex ipsius ore Altissimi proderet, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; super illa etenim tota Sedis Apostolicæ iam tot adversariorum incursionibus impetita, penè ruitura fabrica firmiter sustentatur; suntque lapis firmissimus suprà quem, tamquam suprà fundamentum, illa excelsa Catholicarum veritatum, quas pro Viribus, aliis tribus libris defensandas suscepisti, machina construetur; quem si falsitatum fabricatores nitantur reprobare lapidem, supra totam fabricam extollent, ipsumque è fundamento eruentes, suis propriis manibus in gloriosam totius ædificii coronidem mittent, *Lapis enim, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Vndè non solùm dictis sectator es veritatis, Princeps Excellentissime, sed & dictis, & factis; scriptis enim tuis illam defendis, illam sectaris, illam cuncto vniverso manifestas, id Evangelii dictum sequens, quod ait, *Non debere abscondi lucernam sub modio, sed super candelabrum constitui, vt omnes, qui in mundo sunt, lumen suum videant.* Tu enim planè lucerna es, Archiepiscope noster, posita super candelabrum, vt meritò in lumine tuo exultemus, lucerna quidem in interiore homine ardens charitate, exterius quoque lucens cœlestis, ac singularis prærogativa doctrinæ.

Caiet. vbi sup.

Apoc. cap. 2. vers. 2.

Matth. c. 16. v. 16. & 17.

Epist. 1. D. Petri, cap. 2. v. 7.

Matth. 5. v. 15.

Venimus iam ad quartam, & vltimam Principis conditionem in eis verbis, *& qui oderint avaritiam*, nobis perlustrandam. *Quamvis sufficiat homini non esse avarum* (prosequitur Caietanus) *non sufficit tamen Principi, aut Iudici, sed oportet, tàm alienum esse ab avaritia, vt oderit ipsam. Minus dico, quia participium habetur in Hebræo* (*puta odiens avaritiam*) *significans affectos continuo odio in avaritiam, & non qui ad horam oderint avaritiam.*

Caiet. Sup. cap. 18. Exod. iam citatum.

Quàm longè â te fœdissimum avaritiæ crimen exularit, nemo non sciet, nisi qui te non novit; adeò enim id vitium turpissimum abhorruisti, vt quando vixeris, semper Religiosam paupertatem, & quidquid eam redolet vehementissime dilexeris, certè enim

Hac hominum nulli parte secundus eris.

Ovid. de Ponto, lib. 2.

Iam te Sacer Prædicatorum Ordo in Magistrum Generalem assumpserat, cum tu ita Vili, aut ex communi tela habitu vestitus incedebas, vt nec minimum quidem ab inferiori novitio dissideres; talemque in victu obser-

va-

vabas temperantiam ; vt nec vnguiculam , vt dicunt , ab arctiſſima Regula excederes minimam.

Teſtatur id ſatis illa tua in pauperes mira pietas , & admirabilis beneficentia ; ea enim tanta eſt , vt quidquid æris , quidquid pecuniarum de annuis totius Archiepiſcopatus proventibus tibi ſupererit (quotidianis exceptis ad tui , tuęque familiæ victum , & veſtitum moderatum impenſis) pauperibus elargiaris. Non parum etiam tuam commendat liberalitatem ſingularem ea tui in extruendis Sacris Ædibus, Eccleſiiſque Dei ſuppellectilibus neceſſariis exornandis ingens cura. Satis eam prædicat ampliſſimum illud , longeque nobiliſſimum Valentinum Collegium , quod in ea Civitate ibi eo conſilio erigendum ſuſcepiſti , vt qui in eo vitam agerent effecti Miſſionarii Divinæ Legis dogmata omnium animis continuo ſeminarent. Satis denique eam decantat illa tui in cudendis ad publicam vtilitatem Libris incomparabilis largitas ; pro eis enim excudendis , pecuniis ita largiter quam plurimos donaſti , vt illis multa millia Ducatorum impenderis , iureque tibi nos dicere poſſimus,

Nulla tibi ambitio eſt , nullo corrumperis auro. *Ovid. Faſ. lib. 2.*

Hæ ſunt quatuor illæ conditiones in Principe à Caietano requiſitę , & in te magnis fulgoribus adumbratæ. Quid igitur dicendum nobis reſtat, niſi id , quod pro Coronide Caietanus ipſe pronuntiat. *Libra prudens lector has quatuor conditionis Virorum , qui aſſumendi ſunt ad Principatum, iudicium ſeu regimen aliorum , & perſpicies beatam eſſe Rempublicam illam , in qua tales eliguntur.* Ergo iure meritò iam vocem extollentes cuncti exclamare valemus. *Caiet. in loco nõ ſemel iam citato.*

O quater , & quoties non eſt numerare beatam *Ovid.*

Valentia Civitatem , quæ te talem , tàmque amabiliſſimum Paſtorem, & Parentem habere meruit!

Legimus ergo , magnaque animorum recreatione evoluimus hoc tanti Principis ingenii excellentiſſimum Opus ; ingenuêque fatemur , quod in ipſo *Invenimus quæ deſiderabilia erant ſuper aurum , & lapidem pretioſum multum , & dulciora ſuper mel & favum* ; in eo etenim convictos parenter agnovimus (quod inhianter deſiderabamus) falſitatum fabricatores, qui quidem (in modum Populi Hebraici , *qui Barabbam elegit* , vt inquit Divus Hieronymus , *Et CHRISTVM damnavit*) repellendo verum CHRISTI Succeſſorem , ipſum CHRISTVM dimittunt , & Barabbam in ſeculari eorum dominatione quærunt. *Pſal. 18. v. 11.*

Quod quanta diligentia , quanto ſtudio , quamque fœlici ingenii dexteritate , Princeps Excellentiſſime , perfeceris in hoc Opere , nec iſtius gratulationis anguſtiis permittitur adſtringi , nec impolitis ſermonis noſtri vocibus , ſine magno tuæ profundiſſimę ſcientiæ diſpendio , licet evulgare. Igitur ex corde , totoque animi affectu gratulamur tibi glorioſum Opus, ſcientięque incomparabilem theſaurum , quo nos tua larga donavit liberalitas ; ſed ob beneficii magnitudinem , dignas

Dii tibi dent grates , quoniam non poſſumus ipſi. *Ovid.*

Confidimus tamen in Deo , id tibi Apoſtolicam Sedem reſponſuram, quod ad Magnum Evaiſenum Magnus ſcripſit Baſilius , *Et novi , & perſuaſus ſum in Domino , quod merces veſtra multa erit in Cœlo propter hoc factum , propterea quod falſas calumnias contra nos excogitatas in men-* *D. Baſil. Mag. Ep. 72. ad Magnum Evaiſenũ.*

tientium capita remisistis, non concesso ipsis in corda vestra introitu. Interim tamen, Illustrissime, & Excellentissime Princeps, Valentiæ gloria, Orbis decus, & Ecclesiæ inexpugnabilis murus,

Dii tibi dent annos, á te nam cætera sumes,
Sint modó virtuti tempora longa tuæ.

Ovid. de Ponto. lib. 2.

In hoc Salmanticensi Collegio Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum de Observantia. Die 22. mensis Augusti 1692.

Fr. Franciscus de Heredia Minister Lector Iubilatus.
Fr. August. de Barcelona, & Heredia Magister Salmanticensis Collegii, & Studiorum Regens.
Fr. Ioannes Martinez de Valdelmoro Doct. Salmant. & eiusdem Vniversitatis olim Philos. Cathedræ Moderator.
Fr. Franciscus Alvarez Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus.
Fr. Petrus Matthias Lect. Sac. Theol.

EXC^ME DOMINE, ILL.^ME PRÆSVL.

COllabentem Lateranam Basilicam infausto omine dum vidit Innocentius Tertius, fausto contemplabatur brachiis S. Dominici sustineri, cuius sanctitate atque doctrina imminens reparabatur ruina; ipse etenim vt Domini canis faculam pręmens, Orbem accendit calore Fidei, igne charitatis, simulque latratu suo Ecclesię hostes abegit: quo Ordini, quem instituit, *Prædicatorum* Titulum acquisivit ab eodem Summo Pontifice impositum, ac prolatum; nam cum esset Pontifex, prophetavit; quod & contigit Honorio III. dum eumdem confirmans protulit. *Nos attendentes Fratres Ordinis tui futuros pugiles Fidei, & vera mundi lumina, confirmamus Ordinem tuum.* His congruit Oraculum Pauli V. Et nuper aliud, vel idem Alexandri VIII. Ordinem Prædicatorum *Brachium dextrum Ecclesiæ* nuncupantium: Vndè vocatur nomine, *quod os Domini nominavit.* Brachia ergo Divi Dominici Romanam Ecclesiam labentem obviam exceperūt ea parte, qua inclinata ruebat. Ex qua parte? Ex latere Galliæ, quę illa tempestate Albigensium obnubilabatur erroribus, Schismateque laborabat discissa, quos Beatissimus Patriarcha penitus dissipavit, alios illuminando, alios confutando, alios flammis tradendo. Qui conati vicem rependere Catholicæ eius doctrinę, librum ter in flammas immisere: at illæsus, erectusque in sublime Vexillum Victoriæ, & veritatis vindex apparuit. At quia juxta sapientem id futurum est, quod factum est: futurum erat, & modò præsens, vt Ecclesiæ Romanæ Authoritas Infallibilis à latere Galliæ concuteretur, & ea parte nutaret: *Sed Navis Petri* (vt loquitur Augustinus) *quamvis exurgentibus fluctibus turbari possit; mergi non potest.* Quod expressit Innocentius IV. Imperatori Schismatico Friderico respondens.

Prolog. Cōstit.
Bull. Confirmat. Fern. Introduc. ad Rosar.
Litteræ Mag. Gener.
Eccles. 1.
Serm. 14. de Verb. Domini.

Niteris in cassum Navem demergere Petri.
Fluctuat: ast numquam mergitur illa Ratis.

Beyerlynk Verb. Ecclesia.

Nam ecce Dominicus præsto adest. En librum illęsum à flammis Gallorum, imò ipsas flammas comburentem.

In

In te (ò Ex.me Præsul.) nunc adest B. P. Dominicus Ecclesiam, seu Romani Pontificis Infallibilitatem à parte Gallię casum minantem suis tuis Brachiis firmans, atque complexans. Ille liber incendia superans, hic tuus liber est, qui Schismatis œstus comburens, illuminat, quos fumus non sapientium ad sobrietatem obnubilat. Quidni? si pro Zelo Romanę Sedis Dominici Successor extitisti, sicut Summus Pontifex succedit Petro, vt in Decretis ad Fidem spectantibus nullo modo errare queat; cui Spiritus Sanctus Spiritus Veritatis adest, comitatur, & dirigit, antequam in Generale Concilium se infundat, (vt asserit Leo Magnus.) *Eadem, quæ in sensum nostram Divina inspiratione venerunt, frequens etiam fratrum firmavit Assensio in Synodali Cœtu.* *Epist. 37.*

Tuo pro Ecclesiæ Romanæ Zelo sapientiam adiunxisti, quia *sapientiam omnium Antiquorum exquiret sapiens*; exquisisti, invenisti, & claram reddidisti: Maxime sapientiam Prædicatoriæ Familiæ, cuius Antiquorum sapientum doctrinam, Alberti, Innocentii V. Cardinalis Hugonis, & Angelici Thomę de Infallibilitate aptasti, decorasti, in lucem emisisti. At Antiquorum dumtaxat? Minime. In tuo namque Libro legitur Cardinalis Ioannes de Turrecremata, qui de Eugenio IV. meruit Epitectum *Defensoris Ecclesiæ*, pro qua contra Schismaticos Concilii Basilienses pugnavit, & vicit. Nec minus Eminentissimus Thomas Caietanus, qui à Clemente VII. *Lumen Ecclesiæ* nuncapatus est. Sed cum Ioannem, & Thomam recolimus, tu Ioannes Thomas vterque es disputans de Infallibilitate Romani Pontificis extra Generale Concilium. In te resplendet Sanctus Archypræsul Antoninus, Illustrissimi Melchior Cano, Nicolaus Coeffeteau, cum aliis insulatis Prædicatorum Ordinis pro eadem veritate militantes: quorum Commilitones Dominicus Bannez, Dominicus Gravina, ac sequentes innumeri à tuis scriptis splendorem recipientes, & robur. Quid mirum, cum Divi Thomę abyssum penetraveris, & magnitudinem Alberti absque diminutione Epilogo tradideris? Igitur cum doctrinam Religionis Dominicæ in Scrinio mentis reconderis; in præsentiarum pro Romano Capite, velut Brachium dextrum exeris, & dexteritate versas, dimicans pro omnibus nobis, qui pro decem millibus computaris. *Fontan. de Cardin. Ordin. Præd.*

O quantum Ordo Prædicatorum tibi obstrictus est gratitudinis ergo; dum te fatetur filium, patrem, matrem, & fratrem! Filium: cum habitum indueres, & sublimares. Patrem: Cum eum summa pietate rexisti. Matrem: Dum fovisti, & alis lacte doctrinę (sic dicebat Apostolus.) Vndè Parens Augustinus. *Natura dicitur filius quispiam eius, à quo gentus: Doctrina; illius, à quo edoctus.* Tandem Fratrem: Cum ius habeamus tecum ad eamdem consuetudinem, atque hæreditatem: Siquidem omnium nostrum voluntatem, & desiderium facis, & imples contra Gallos Prœsules decertando; quod tibi singulariter incumbit: Tum ob institutum, cùm propter honores à Santa Sede tibi impensos Vito cunctis numeris benemerenti, atque per te Ordini toti, qui per te maiora incrementa suscepit. Etenim tua authoritate, diligentiaque eadem Sancta Sedes tot Sanctorum Ordinis cultum vniversalem in Orthodoxa Ecclesia, vel instituerit, vel ampliaverit. Nos gratias rependimus exiles; ipsi Beati affluentes obtinebunt. Sed & in magna Diœcesi, Vrbeque Valentina, cuius Pastor, & Agricola es (vt cætera pietatis, ac munificentiæ tuę officia inviti, seu inepti prætereamus) Seminarium constituisti, in quo iuvenes alantur, instruantur, & ferveant, vt reliquæ oves vtiliter pascantur, & ipsi fructum centesimum afferant in patientia; ex quo proficuo Plantario iam prodeunt pulcherrimi flores bonum CHRISTI odorem efflantes, rationalesque oves suaviter, ac fortiter attrahentes. *1. ad Corinth. 15. 3. Lib. Cont. Adam. c. 5. Matt. 12. Lucæ 8.*

Tandem de te Excellentissime, atque Illustrissime Domine, dicimus, & di-

Serm. de S. Ioanne Baptiſta. dicent omnes, quod Chryſoſtomus de Præcurſore: *Ioannes Virtutem Schola, Magiſterium vitæ, ſanctitatis fama, norma iuſtitiæ, Virginitatis ſpeculum, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, Fidei diſciplina.* Ac de tuo Illuſtriſſimo Libro, quod aliquis opportune: *Vt illud Opus eſt laudatiſsimum, in quo ſimul, & ars commendat materiam, & materia viciſsim artem: ita Liber eſt optimus, in quo & argumenti vtilitas commendat eloquentiam, & Authoris facundia commendat argumentum.* Aptius Theodoricus Rex apud Caſſiodorum reſcribens Severino, qui Authores quoſdam Græcos reddiderat eleganter Latinos. *Quaſcumque diſciplinas, vel artes facunda Græcia per ſingulos Viros edidit, te nunc vno Authore Patrio ſermone Roma ſuſcepit, quos tanta verborum luculentia reddidiſti claros, tanta linguæ proprietate conſpicuos; vt potuiſſent & illi Opus tuum præferre, ſi vtrumque didiciſſent.* Opus tuum, facundiſſime Preſul, non ſolos Authores Græcos, ſed & Latinos conſpicuos, claroſque reddit; ita, vt ipſi, ſi tuum Librum legiſſent; ſuis ipſorum fortè prætuliſſent: Vndè idem Caſſiodorus: *Non ſunt imparia ſæcula tranſactis, habemus ſequaces, æmuloſque priſcorum.* De Scriptoribus diſſerebat, ac ſi prævidiſſet Excellentiſſimum Archiepiſcopum Valentinum parem, & ſupparem pro Infallibilitate Summi Pontificis in hoc ſæculo ſcribentem, quod alii in tranſactis præſtiterunt: igitur eminet Liber tuus inter alios, nec facile æqualem habebit, niſi ſecundum, quem ſpondes: Vt vterque cenſeatur ſicut Phares, & Zaran, in Genealogia Sapientiſſimi Genitoris. Vale, & diu vive pro votis iſtius tui Conventus Regalis Sanctæ Crucis Granatenſis. Decembris die 18. anni Domini 1692.

Roterod in ſimil.

Epiſt. 4. 5.

Epiſt. 13.

Fr. Petrus Carbonero & Mudarra
Præſentatus, & Prior.

Fr. Ludovicus de Cozar
Magiſter.

Fr. Martinus Delgado
Præſentatus, & Regens.

Fr. Fernandus de Sotomayor
Magiſter.

Fr. Didacus de Mallo
Lector Primarius.

Fr. Carolus de Padillo
Lector Veſpertinus.

OPERIS COMMENDATIO

ILLVSTRIS, AC REVERENDISSIMI D. Doctoris D. Isidori Aparacii Gilart, à Consiliis Catholicæ Majestatis in Supremo Aragonum Senatu, nunc Episcopi Crojacensis.

ISIDORI EPISTOLA, (a)

LAUDABILE TESTIMONIUM (b)

MVNERIS, ET OPERIS (c)

VENERABILIS VIRI, RELIGIOSISSIMI DOMINI

JOANNIS THOMÆ

PRÆSVLIS ECCLESIÆ (d) VALENTINEN. (e)

IVRIS CANONICI (f)

VENERABILIBVS CARACTERIBVS (g)

COMPAGINATVM. (h)

Laudantur Opus, & Author.

EXCELLENTIÆ Vestræ Tomum, pro Catholicæ Fidei Assertione conscriptum, (i) cum multa maturitate digestum, (l) fideli, ac devota professione fatemur: (m) omni devotione veneramur, cum omni honore suscipimus. (n) Invenimus autèm, post plenitudinem Fdei, miraculum laude, ac veneratione dignissimum (o) propter rerum notitiam singularem. (p)

Litteraturam tuam, jampridem fama revelante, cognovimus, (q) eam in te vigere credimus intelligentiam Scripturarum, vt non solum parvulis frangere possis panem, sed provectis etiam cibum solidum ministrare, ac nodos solvere difficilium Quæstionum; (r) nihilominus laboriosum Opus miramur. Post illas veteris Testamenti, & novi Scripturas, (s) Canones Generalium Conciliorũ, (t) Sanctorum Patrum Sanctiones, (u) Historiæ Ecclesiasticæ, quæ ad instructionem pertinent, (x) & hæc quasi in fasciculum collecta (y) in hoc Opere continentur. (z) Sub vmbra tui Nominis (a) PRÆSVLATVS MAGISTERIVM, (b) PONTIFICALIS OFFICII PLENITVDO (c) omni manent stabilita vigore. (d)

Scribendi occasio refertur.

Nosti enim, sicut Vir prudens, & providus, quod tanta est contra ECCLESIAM DEI, tam gravis, tamque diuturna persecutionis instantia, (e) vt in REGNO FRANCORVM publicè cœperit observari, (f) quod Evangelicis, Propheticis, aut Apostolicis regulis obviat. (g) Turbat acumen legentium, & deficere cogit, (h) quanto GALLICANA ECCLESIA, (i) GALLICANI CANONES (l) serenitatem PONTIFICALIS obnubilant DIGNITATIS; (m) quot APOSTOLICA SEDES adversa pertulerit; (n) quam gravibus sit onusta dispendiis; quot, & quantis sit plena periculis; (o) quot denique repetitis malleis, crebrisque tunsionibus subjacuerit: adeò vt Columna Dei viventis jamjam penè videretur concussa nutare, & Sagena

a Ex cap. 28. dist. 50.
b Ex cap. 12. de Pur. Can.
c Ex c. 69. de Consec. dist. 4.
d Ex cap. 3. dist. 15.
e Cap. 11. de accus.
f Ex tit. Instit. Can.
g Ex cap. 5. dist 16.
h Ex cap. 3. dist 15.
i Ex c. 10. 25 q. 1.
l Ex proœm. l. 6 decret.
m Ex c. 1 de Fide Cath. in 6.
n Ex cap. 3. dist. 15.
o Ex cap 5. dist. 16.
p Ex cap. 3. dist. 15.
q Ex cap. 3. de Voto.
r Ex c. 6. de celeb. Miss.
s Ex cap. 3. dist. 15.
t Ex cap. 1. d dist 15.
u Ex cap 3. de præscr.
x Ex cap. 3. dist. 15.
y Ex c. 10. dist. 11.
z Ex cap. 1. dist. 15.
a Ex cap. 1. de renunt.
b Ex cap. 5. 1 q 4.
c Ex cap. 3. de vsu pal.
d Ex cap. 1. dist 15.
e Ex cap. 1. de renunt. add. 1.
f Ex c. 1. de post. Prel.
g Ex cap. 1. dist. 10.
h Ex cap. 8. dist 37.
i Ex cap. 3. de Mag.
l Ex cap. 19. dist. 50.
m Ex Clem. 5. de elect.
n Ex cap. 1. dist. 13.
o Ex cap. 3. de elec. in 6.

p Ex cap. 1. dist. 3.
q Ex cap. 4 1. q. 3.
r Ex c. 18 de rescript.
s Ex cap. 1. dist. 19.
t Ex cap. 1. dist. 34.
u Ex c. 13. dist 12.
x Ex c. 16. dist 30.
y Extr. 1. de treug & pa.
z Ex c 29. de Prab. & Dig.
a Extrav. 5. Ioan 22. de verb sign.
b Ex Epig. cap. 11. de const
c Ex cap. 5. dist. 63.
d Ex c. 2. de purg Can.
e Ex c. 14. dist 50.
f Ex cap. 4. de el. ct.
g Extrav 1. de Regul.
h Ex c. 12. dist 12.
i Ex cap 4. de elect.
l Extr. vn. de fart
l Ex cap. 10. de Iudi
m Extrav. vn. Io 22. nè Sede vac.
n Extrav. 1. de treug & pa
o Ex c. 12. de prob.
p Extr. vn. Io. 22. de torneam
q Extra. vn. Io. 22. né Sede vac.
r Ex d. Extrav vn.
f Ex cap. 25. 23. q 2.
t Extrav. 5. Io. 22. de verb. sig.
u Extr. vn. de Censib.
x Extrav. 2. de Regul.
y Ex cap. 1. dist 96.
z Extrav. 5. Io. 22. de verb. sig.

SVMMI PISCATORIS, procellis intumescentibus, cogeretur in naufragii profunda submergi. (p)

In GALLIARVM partibus iam diutiùs inolevit (q) vel sopitas suscitare querelas, vel novas immittere quæstiones, (r) ad imminutionem SEDIS APOSTOLICÆ POTESTATIS, & ad suorum augmentum PRIVILEGIORVM. (s) Quod vitium plurimos, etiam de Clericali Catalogo, genere dumtaxat GERMANOS, & GALLOS, irreverenter implicat; de his, qui contra Apostoli voluntatem circumferuntur omni vento doctrinæ, (u) qui se extollunt adversus Scripturas, & Ecclesiasticos Canones, & nova introducunt præcepta. (x)

Gallicani Cleri Declaratio an. 1662 & renovata anno 1682.

Suscitata retroactis temporibus discordia in REGNO FRANCIÆ, occasione cuiusdam Constitutionis, quam PRAGMATICAM Sanctionem vocant, (y) quidam Ecclesiarum Prælati, (z) cum pluribus Sacræ Theologię Magistris, ac vtriusque Iuris Doctoribus PARISIIS commorantibus, (b) per Ordinationem REGIAM, (c) illius erimination carbones reaccendere sunt moliti. (d) Contra Claves, Ecclesiæ traditas, disputare, & arguere; ab Ecclesiæ vnitate, & Sedis Apostolicæ obedientia resilire, & contra Canonum statuta prorumpere; (f) nec non os suum ponentes in Cœlum, lingua eorum transeunte super terram, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ detrahere Constitutionibus, & alia multa evomere, non verentur. (g) Omnia talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum Authoritatibus continentur; nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur; nec consuetudine Vniversalis Ecclesiæ roborantur, (h) sed nutu REGIO præsumuntur. (i) Et his in perniciem miserabili cæcitate delapsis, respergunt infamiæ maculis loca propriæ Nationis. (l)

Deinde, contumacia crescente, (l) LVDOVICI FRANCORVM REGIS MAGISTRI, ET PRÆSIDES, AC ALII OFFICIARII EX PARLAMENTIS REGIS EIVSDEM, (m) Potestatis, & Dignitatis fastigium illicitè ambientes, IN ROMANÆ Sanctę Matris Ecclesia præjudicium evidens, ac diminutionem Honoris, & Iuris, (o) LEGI REGNI temerè inniterentes, (o) Sententias promulgando, (p) temerariis ausibus, (q) inaudito quoque facinore, (r) quod etiam nusquam legitur accidisse, (s) diffinierunt adeò immutabile, (t) quod Archiepiscopi, Episcopi ac alii Prælati, & Personæ Ecclesiasticę, (v) per doctrinas suas reprobas, & erroneas, (x) Concilio habito, sanxerunt, (y) quod illud revocare non licet in dubium, nec contrarium affirmare. (z) Ad communem omnium notitiam, sonoro præconio, & patenti judicio, (a) prædictos Canones promulgaverunt, (b) districtiùs inhibentes: Nè quisquam (c) præmissis erroribus (d) liceat contraire; (e) nec contra præmissa aliquid immutare, (f) publicè, & in Scholis (g) defendere quomodolibet, vel docere. (h) Huiusmodi facinus incredibile videtur. (i)

Parlamentum Regiũ suis arrestis Gallicanos Canones confirmat, & observari iubet.

Numquid obduxit oblivio quæ Vrbi, quæ Incolis nota dispendia intulerunt hactenus (l) Ecclesiæ Romanæ LEGATI (m) REGNI FRANCORVM. (n) Avaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas, eos in illam temeritatem impellunt, vt quæ sibi lure interdicta noverint, exquisitis frandibus vsurpare conentur. (o) Iniuriis illatis, terroribus, & violentiis incussis, (p) manu armata, (q) seu popolari, vel militari tumultu, (r) prętextu PRIVILEGII, (s) Sedis Apostolicæ præcepta (t) corrumpere satagunt. (v) Hoc ipsi ROMÆ præstiterunt, vt gloriosa Ci-

Marchionis Lavardini Oratoris Regii, Militaris in Vrbem ingressus.

vi-

a Extr. vn. Io 22. nè Sed. vac. b Ex cap. 6. dist. 16. c Extr. vn Io. 22. de Voto. d Extr. vn. de Relig. Dom. e Extr vn. de Censib f Extrav. 5 Io. 22. de verb. sig. g Extr. 2. de Hæreticis. h Extr. 2. de Haret in fin. i Ex cap. 12. add. 1. de purg Canon. l Ex cap. 17 de elect. in 6. m Ex cap. 9. de Offic Legati. n Ex cap. 7. eod tit. o Ex cap. 5. de elect. p Extr. vn. de Pœnis. q Ex cap 8. 12. q. 2. r Ex cap. 6. 3. q. 1. s Ex Clem. 1. de Offic. Iud. ordin. t Ex cap. 5. dist. 9. u Extr. 2. de Regular.

vitas redderetur ingloria, sua sublimitas haberetur instabilis, sueque constantiæ antiqua soliditas, linguis hominum vocaretur infirma. (x)

Regii ad ministri Ecclesias, & Ecclesiasticos premũt.

SÆCVLARES POTESTATES (y) manus ad ea, quæ sunt Episcopalis Dignitatis, extendunt, (z) cùm suis finibus non contenti, nituntur in vetitum; ad illicita, fręna relaxant; nec prudenter attendunt, quàm sit eis in Clericos, Ecclesiasticasvè Personas, & bona, interdicta potestas; eosque moliuntur multifariè subiicere servituti, suæ submittere ditioni. (a) CONSVLES CIVITATVM, ET RECTORES, necnon & alii, qui potestatem habere videntur, tot onera frequenter imponunt ECCLESIIS, vt deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit. (b) Et (quod dolenter referimus) nonnulli Ecclesiarum Prælati, Ecclesiasticæque personæ trepidantes, vbi trepidandum non est, transitoriam pacem quærentes, plus timentes Maiestatem temporalem offendere, quam æternam, talium abusibus, non tàm temerariè, quàm improvidè, acquiescunt. (c) Sed ista cur dicimus, cum maiora noverimus? (d)

Alecten. & Apamien. aliorũque Ecclesiasticorum exilium.

REX ipse iniustè commotus. (e) quantum in ECCLESIAM ROMANAM deliquerit, despexerit PETRI CLAVES, & ECCLESIASTICAM læserit POTESTATEM. (f) ferè omnibus manifestum existit (g). Cum quos inducere monitis, & flectere minis, ac terroribus, nulla potuerit ratione, post atroces iniurias, amissionem bonorum, Dignitatibus, Præbendis, & Beneficiis expolians, coëgit miserabiliter exulare; ea suis fautoribus, non absque præsumptione temeraria, conferendo; (h) occasionem pro causa confingens, non rationem in his, sed tyrannidem potius prosequens. (i) Non solum prædicti excessus remanserunt hactenus incorrecti, verum etiam peiora priotibus committere non expavit. (l)

In Imperii, & Ecclesiæ detrimẽtum cum Turca confœderatio.

Fidedigna relatione percepimus: (m) & fama iam publica per facti evidentiam effecit notorium, (n) quod præfatus REX, (o) cum SARRACENO PAGANO, Catholicæ Ecclesię INIMICO, vnionem, & confœderationem iniret. (p) Et plures ex GALLIS (q) (sui Regis nomine) (r) qui deberent opprobrium illatum Domino in terram hęreditatis suæ totis viribus vindicare potius iniuriatoribus suis favent, SARRACENORVM videlicet HORRIBILI, ET PERFIDÆ NATIONI; & degenerantes miserabiliter à statu Fidelium, famæ propriæ immemores, & salutis obliti, (s) Christianis plurimum sunt infensi; (t) inimicis Crucis CHRISTI (v) sub habitibus transformatis, (x) vt nulla differentia discernantur (y) & pares, aut etiam superiores in malitia fiant illis, (z) impendere consilium, auxilium, & favorem, (a) ferrum, æquos, arma, & alia vetita, necnon victualia, & mercimonia ad loca (b) HVNGARIÆ, ESCLAVONIÆ, (c) & alia SARRACENORVM deferre præsumunt; propter quod Fidei negotium ibidem quodammodo noscitur deperire. (d)

Notorium quippè, & indubitatum existit, quod grandis exercitus (e) DOMINI IMPERATORIS, (f) postquam decertare cœperit, (g) per instigationem REGIS ipsius (h) cum SARRACENIS, (i) nè possent pervenire (l) ad liberandam TERRAM SANCTAM, (m) quò minus possessionem ipsam recuperare valeret, (n) fuerit detentus. (o) INIMPERII, & IMPERATORIS eiusdem contemptum, & suæ Maiestatis iniuriam, & REIPVBLICÆ detrimentum, multa gravia fuerunt per REGEM eumdem, tàm à suis stipendiariis, quam à subditis Imperatoris commissa. (p) Non vnius, sed multorum profectum avertit, DEI CAVSAM impedit, & statum conturbat ECCLESIÆ. (q)

Ex

x Ex c. 17. de elect. in 6.
y Ex cap. 2. 11. q. 7.
z Ex capit. 12. de excess Prał.
a Ex cap. 3. de immun. in 6.
b Ex c. 4. de Immunit.
c Ex d. cap. 3. de Immun in 6.
d Ex c. 10. dist. 50.
e Ex c. 1 de Post. Prał.
f Ex c. 18 de excess. Prał.
g Ex cap. 9. 11. q. 3.
h Ex capit. 18 de excess. Prał.
i Extr. vn. de Pœnis.
l Ex c. 4. de colluf. detreg.
m Extr. vn. de Relig. domib.
n Extr. vn. de dilat.
o Extr. 1. de Treug. & Pa.
p Ex Clem. vn. de Iureiur.
q Ex d Extr. vn. de Treu & Pa.
r Ex c. 4. de Post. Prał.
s Extr. 1. de Iudæis
t Ex c. 16 de Iud & Sar.
u Ex d. Extr. 1. de Iudæis
x Extr 3 de maiorit & obed.
y Ex c. 15. de Iud. & Sar.
z Ex cap. 6. eod. tit.
a Ex Clem. 2. de sent. & re iud.
b Extr. 1 de Iudæis.
c Extr. vn. de Censib.
d Extr. 1. de Iudæis.
e Ex Clem. 2. de sent. & re iudic.

f Ex c. 14. 11. q. 4. g Ex c. 18. 2. q. 6. h Ex d Cle. 2. de sent. &c. i Ex c. 12. de Iud & Sar. l Extr. vn. de dolo, & contum. m Ex c. 17. de Iud. & Sar. n Ex cap. 2. dist. 34. o Ex cap. 28. de verb. sig. p Ex Clem. 2. de sent. & re iud. q Ex cap. 2. dist. 94.

Ex quibus Deus offenditur, periculosa suscitantur scandala, paratur simplicibus laqueus, ipsique talium præsumptores de hæresi vehementer arguunt se suspectos. (r) Qui autem ROMANÆ ECCLESIÆ PRIVILEGIVM, ab ipso SVMMO omnium Ecclesiarum CAPITE traditum, auferre conatur, hic procùldubio in hęresim labitur; Fidem quippè violat, qui adversus illam agit, quæ Mater est Fidei. (s) Quamvis enim neque hoc inveniri posset, quomodo contra Fidem sint; ipsam tamen Religionem, quam misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, vt tolerabilior sit conditio Iudęorum, qui etiam si tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen Sacramentis, non humanis præsumptionibus, subiiciuntur. (t)

Quæ omnia non absque gravi Ecclesiæ præiudicio patrata videntur.

Et quamvis multa sint, quę in huiusmodi casibus observari Canonicę iubet sublimitatis Authoritas, tamen quia defectus nostrorum temporum, districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram, (u) vbi per graves dissensionum scissuras, non huius, aut illius hominis est periculum, sed Populorum strages, detrahendum est aliquid severitati, vt maioribus malis sanandis Charitas sincera subveniat; (x) cum etsi tales sint graviter pro crimine puniendi, sunt tamen pro tempore vtiliter tolerandi; (y) quia invenit CATHOLICA, ECCLESIA vbi suam, erga atrocissimos inimicos, servet, atque exhibeat lenitatem. (z)

Nec tamen potuerunt Canonica districtio ne puniri.

Quod INNOCENTIVS PAPA fecisse dignoscitur, (a) quatenus per spiritum charitatis, & pacis, (b) Regnum ipsum reformaturus, (c) ad Episcopos Galliarum, (d) ad REGEM, & REGNICOLAS, (e) Litteras devotione plenas, & dolore non vacuas, (f) salubri doctrina suggessit. (g) Fœlicis recordationis ALEXANDRI (h) (qui laudabiliter suum implevit Officium (i)) senilis debilitas, moralis maturitas, (l) assecuratione constanti, (m) non minus vtilitèr, quam misericorditèr, (n) Constitutionibus editis, (o) piam, & laudabilem legem pro veritate constituit. (p)

At SS. Innocentius XI. vt valuit constanter cohibuit. Alexander VIII. in mortis articulo expresse damnavit.

Quia verò nec sic quorumdam malitia conquievit (q) (quod si sub dissimulatione pertranseat, vel silentio pallietur, posset in magnum, & evidens præjudicium ROMANÆ ECCLESIÆ redundare (r)) oportet cum Propheta exadverso consurgere, & murum opponere pro Domo Israel, (1) ad defensionem hæreditatis Domini: (t) Expedit, quod contra talium ausus, & conamina, opportunum remedium apponatur, vt Ecclesiæ ipsæ in plenitudine Juris sui, & libertatis integritate lætentur, & dere stabilis malignorum audacia, & insolentium nefaria temeritas propulsetur. (u)

Renitentia ad defensionem excitat.

Numquid (in tanto discrimine (x)) SEDES APOSTOLICA Advocato, & Defensore carebit? Absit omnino. (y) Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, vt temporibus nostris, vel falsò insimulari SANCTAM DEI ECCLESIAM permittamus, vel eas Traditiones, quas antiquitùs à Patribus suscepimus, pro libito semper errantium infringi patiamur. (z) Indiscretum silentium eos, qui eruditi poterant, in errore derelinquit; (a) error, cui non resistitur, approbatur, & veritas, cum minimè defensatur, opprimitur. (b) Consentire videtur erranti, qui ad resecanda, quę corrigi debent, non occurrit; (c) sæpè namque humanam amittere gratiam formidantes, loqui liberè recta pertimescunt, & iuxta veritatis vocem, veniente Lupo, fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc eos per Prophetam Dominus increpat, dicens: Canes muti non valentes latrare. (d)

Defensio Ecclesiæ ad pugnam invitat.

Sicut Excellentiam Vestram in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgère, ita opportet etiam INIMICIS ECCLESIÆ eius, omni vivacitate mentis obviare, quatenus eius ex triumpho, magis, ac magis enitescat opinio: (e) Eàpropter; nê trahatur à posteris in exemplum; (f) nê

Author prælaturus aggreditur.

1 Extr. 1. de Regular.
f Cap 1. dist. 22.
r Cap. 22. dist. 12.
u Cap. 7 dist. 34
x Cap. 25. dist. 50.
y Ex c. 10. de renunt.
z Cap. 2. 25. q. 5.
a Ex cap. 3. de rer sig. in 6.
b Ex cap. 4. dist 45.
c Ex cap. 1. de suppl negl. Prał. in 6.
d Ex Epig. cap. 14. dist. 50.
e Extr. 1. de Privileg.
f Ex cap 1. de renunt.
g Extr 1. de hæret.
h Ex d Extr. 2. de hær.
i Ex c. 10. de renunt.
l Ex eod. c. 10. de renunt.
m Extr. 2. de hæret.
n Ex d cap. 10. de renunt.
o Extr. 1. de elect.
p Ex cap. 1. dist. 11.
q Ex cap. 7. de Immunit.
r Ex Clem. un. de Iure iur.
s Ex cap. 8. 1. q. 3.
t Extr. 1. de Iudæis.
u Ex cap. 1. de Immun. in 6.
x Ex cap. 1. de renun.
y Ex c. 24. de elect.
z Cap. 5. dist. 11.
a Cap. 1. dist. 43.
b Cap. 3. dist. 81.
c Cap 4 ead. dist.
d Cap. 1. d. dist. 45.
e Ex c. 18. 23. q 4.
f Ex cap. 7. de elect.

nè perpetrandi similia cęteris audacia tribuatur; (g) nê in vinea Domini nascentes vepres, & spinæ convalescant; (h) nê falsitas veritati prędiudicet, aut iniquitas prævaleat æquitati. (i) Tua Excellentia vehementer obstitit. (l) Pio ductus proposito, tanquam strenuus Athleta, (m) Zelo Dei, & Fidei Religione; (n) diligenti studio, & studiosa diligentia; (o) multis fortê expensis, & laboribus: (p) adversus CALVMNIAS valdê necessariam ordinavit HISTORIAM; (q) Authoritate inexpugnabili (r) edidit LIBROS. (s) Vt indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, perversi Authoritate corrigantur; (t) vt tantæ vsurpationis saltem nunc finis imponatur; (v) vt videntes Sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam, non parvipendant pœnitentiam; (x) vt PONTIFICALIS APEX NON VILESCAT, SED MAGIS QVAM TERRENI IMPERII DIGNITAS, GLORIA, ET POTENTIA DECORETVR; (y) vt etiam in magnum Iustitię, & Pacis obsequium, scanda losis occurratur periculis, quę in ECCLESIÆ, PROVINCIARVM, REGNORVM, ET GENTIVM, turbatione non modica, possent pro tempore soboriri. (z)

Commẽdatur Opus.

Legant Episcopi, atque Presbyteri, (a) Clerus, & Populus, (b) & vt ante ora positas æpulas, (c) iterando lecta, perquirant, (d) vt inventa veritate, non vltra multitudo, pravis doctrinis attracta, discordet; (e) vt opinio eorum in nullo vacillet (f) Authoritate Ioannis. (g) Audire EPISCOPVM attentius oportet, & ab ipso suscipere doctrinam Fidei; (h) cum ex Divinis Scripturis integram, & firmam regulam susceperit. (i) Ponderet vnusquisque sermones suos. (i) Ipse enim Divinarum Scripturarum solertissimus indagator) (m) Apostolorum Principis sublimavit SEDEM; ipse decoravit SEDEM; ipse firmavit SEDEM, (n) vt illam nec humana temeritas possit appettere. (o)

Quatuor Gallicana Dogmata impugnãtur.

Nunc autem, non nobis pigebit, nec impossibile erit ostendere vobis (si tamen audire velitis) (p) quod Religioni conveniat, quod disciplinæ congruat, quod saluti proficiat. (q) Rem non novam aggredimur, neque viam insolitam ambulamus, sed anterioris Iuris calcatam vestigis, indubitato roboramus suffragio, & inconcusso munimine stabilimus. (r) Audite, Charissimi, membra CHRISTI, & Matris Catholicę Ecclesię Filii; audiant omnes, omnes timeant: Sit mihi in consolationem vester auditus, nè vobis sit in testimonium dolor meus; audiat Deus, si vos surdi estis; audiant Angeli, si vos contemnitis. (s)

In rebus ad Fidẽ, & mores pertinẽtibus, Romani Pontificis infallibilitas comprobatur.

PONTIFEX, PRINCEPS SACERDOTVM EST, QVASI VIA SEQVENTIVM; ipse, quidquid vnusquisque facere debeat, ostendit. (t) Ita Dominus Noster IESVS CHRISTVS, humani generis SALVATOR, instituit, vt VERITAS, quæ antea Legis, & Prophetarum præconio continebatur, per APOSTOLICAM TVBAM in salutem vniversitatis exiret, sicut scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorũ, & in fines Orbis terræ verba eorum. Sed huius muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum Officium pertinere voluit, vt in BEATISSIMO PETRO, Apostolorum omnium SVMMO principaliter collocaret; vt ab ipso, quasi quodam Capite, dona sua, velut in corpus omne, diffunderet: vt exortem se ministerii intelligeret esse Divini, qui ausus fuisset à PETRI soliditate recedere. (v)

Ille perennem meritorum dotem, cum hæreditate innocentię, misit ad posteros. Quod illi concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par conversationis splendor illuminat. Quis enim Sanctum dubitat esse, quem Apex tantæ Dignitatis attollit? In quo, si desunt bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ à loci decessore pręstantur. Aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat. (x) Sic omnes Apostolicæ SEDIS SANCTIONES accipiendæ sunt, tanquam ipsius Divini

g Ex cap. 1. de transl. Episc.
h Extr. 1. de Simonia.
i Ex cap. 11. de Probat.
l Ex cap. 1. eod tit.
m Extr. vn. Io. XXII. de Iud.
n Ex cap. 3. dist. 15.
o Ex Clem. 5. de Magistr.
p Ex cap. 5. de renuntiat.
q Ex cap. 3. dist. 15.
r Ex cap. 9. 1. q. 3.
s Ex d cap. 3 dist. 15.
t Ex cap. 25 q. 2.
u Ex cap. 16 dist. 81.
x Ex c. 44. dist. 50.
y Ex ca. 14. dist. 96.
z Ex Clem. 1. de Sẽt. & re iud.
a Ex cap. 5. dist. 37.
b Ex cap. 1. dist. 13.
c Ex cap. 4. dist. 41
d Ex cap. 1. dist. 19.
e Ex cap. 2. dist. 96.
f Ex cap. 6. dist. 33.
g Ex cap. 15 de foro comp.
h Ex cap. 2. dist. 25.
i Ex cap. 14. dist. 37.
l Ex cap. 14. dist 50.
m Ex cap. 6. dist. 19.
n Ex cap. 1. dist. 21.
o Ex cap. 7. dist. 19.
p Ex cap. 7. dist. 21.
q Ex cap. 5. dist. 1.
r Extr. vm. de dol & cont.
s Cap. 2. 1. q. 7.
t Cap. 1. dist. 21.
u Cap. 7. dist. 19.
x Cap. 1. dist. 40.

PETRI voce firmatæ. (y) Inter quas sanè illæ sint, quas Apostolica Sedes habere, & ab ea alii meruerunt accipere Epistolas. (z)

Si Romanorum Pontificum Decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur; ita vt quod Sedes Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur: quantò potius quæ ipsa pro CATHOLICA FIDE, PRO SANIS DOGMATIBVS, PRO VARIIS, ET MVLTIFARIIS ECCLESIÆ NECESSITATIBVS, ET FIDELIVM MORIBVS, diverso tempore scripsit, omni debent honore præferri, & ab omnibus promptus in quibuslibet opportunitatibus, discretione magistra, vel dispensatione, reverenter assumi? (a)

Quis nesciat, aut non advertat, id, quod à Principe Apostolorum PETRO Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere servari? Præsertim cum sit manifestum in omnem ITALIAM, GALLIAS, HISPANIAS, AFRICAM, atque SICILIAM, Insulasque interiacentes, hoc sequi, quod ECCLESIA ROMANA custodit; (b) quia omnium Ecclesiarum est eadem MATER, ET MAGISTRA. (c) Petrus, quando Claves accepit, Ecclesiam Sanctam significavit, (d) quæ, per Dei Omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicę Traditionis, numquam errasse, probatur; nec hæreticis novitatibus depravata succubuit; sed, vt in exordio normam Fidei Christianæ percepit, illibata finetens maner. (e)

Hæc verò Apostolica Sedes, Cardo, & Caput omnium Ecclesiarum, à Domino, & non ab alio est constituta; & sicut Cardine Ostium regitur, sic huius Sanctę Sedis Authoritate omnes Ecclesię, Domino disponente, reguntur. (f) Quod in aliis Ecclesiis in dubium venerit, superioris poterit iudicio definiri; in Romana verò Ecclesia speciale aliquid constituitur, quia non poterit ad superiorem recursus haberi. (g)

Ad hæc Deus in Apostolica Sede constituit totius Ecclesiæ MAGISTRATUM, vt ad eamdem nodi quæstionum difficiles referantur, SVO RECTO IVDICIO dissolvendi. (h) Ex ore sedentis in throno procedit gladius bis acutus; quia ex ore Romani Pontificis rectissima debet exire sententia (i); decet namque ipsius nullo modo vacillare iudicia. (l) Non turbatur navis, quæ Petrum habet; quemadmodum enim turbari poterat, cui præerat is, in quo est ECCLESIÆ FIRMAMENTVM? Et si aliis imperatur, vt laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur: Duc in altum, hoc est, in profundum disputationum. (m)

Ad Eminentiam Sedis Apostolicæ est recurrendum quoties articulus dubitationis emergerit, vt tantò quis potiori conscientia recipiat, & observet quod super re dubia sibi fuit à Sede Apostolica responsum; quantò prærogativa Dignitatis ipsius certiori noscitur veritatis sententia, vel sciētia roborata, quæ in Beato Petro Apostolorum Principe, præ aliis omnibus, amplitudinem Prælationis accepit. (n) Lex Divinæ Constitutionis Apostolicam Cathedram totius posuit Orbis terrarū MAGISTRAM; vt quidquid vbique locorum dubitatur, ab ea ratio eiusdem requiratur. (o)

Et revera tanta reverentia APICEM præfatę APOSTOLICÆ SEDIS omnes suspiciunt, vt nonnullam Sanctorum Canonum disciplinam, & antiquam Christianæ Religionis institutionem, magis ab ore prædecessoris eius, quam â sacris paginis, & paternis traditionibus expetant; illius velle, illius nolle tantùm explorant, vt ad eius arbitrium suam conversationem & ipsi remittant, aut intendant. (p) Vndè, & ipse Sanctus Ambrosius, se in omnibus sequi MAGISTRAM, SANCTAM ROMANAM profiretur ECCLESIAM. (q)

In speculum, & exemplum Sancta Romana Ecclesia posita est. Ab omni-

y Cap. 3. dist 19.
z Cap. 6. ead. dist.
a Cap. 1. dic. dist. 19.
b Cap. 11. dist. 11.
c Cap. 20. de foro compet.
d Cap. 6. 24. q. 1.
e Cap. 9. ead. cau. & q.
f Cap. 2. dist. 22.
g Cap 6. de elect & elect. potest.
h Cap. 1. vt lit. non contest.
i Cap 17. de excess Prælat.
l Cap 17. de elect &c.
m Cap. 7. 24 q. 1.
n Cap. 10. de Sent. excom.
o Cap. 18. 27. q. 2.
p Cap. 6. dist 40.
q Cap. 1. dist. 22.

nibus, quidquid ſtatuit, quidquid ordinat, perpetuò, & irrefragabiliter eſt obſervandum. (r) Cuius Authoritatis Sanctionem omnes teneant, qui nolunt ab Apoſtolicæ Petræ, ſuper quam CHRISTVS vniverſalem fundavit Eccleſiam, ſoliditate divelli. (s) Manet ergo PETRI PRIVILEGIVM (t) apud INFALLIBILEM (u) SANCTISSIMVM PAPAM SENIORIS ROMÆ, (x) vbicumque ex ipſius fertur æquitate IVDICIVM. (y)

r Cap. 4. diſt 19.
s Cap. 2. diſt. 12.
t Ex cap. 5. 24 q. 1.
u Ex cap. 17 de elect in 6.
x Ex cap. 7. diſt. 22.
y Ex cap. 5. 24 q. 1.

In memoriam Beati Petri Apoſtoli honoremus Sanctam Romanam, & Apoſtolicam Sedem, vt quę nobis Sacerdotalis Mater eſt Dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ MAGISTRA rationis. (z) Quæ enim à nobis res dignè ſervabitur, ſi Decretalium Norma Conſtitutionum, pro aliquorum libitu, licentia Populis permiſſa, frangatur? (a)

z Cap 3. diſt. 19.
a Cap. 4. diſt. 38.

Poteſtas in temporalibus omninò cõvincitur.

SACROSANCTA ROMANA, & APOSTOLICA ECCLESIA, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo DOMINO SALVATORE NOSTRO PRIMATVM obtinuit, & eminentiam POTESTATIS, ſuper Vniverſas Eccleſias, ac totum CHRISTIANI POPVLI GREGEM, aſſecuta eſt, ſicut ipſe Beato Petro Apoſtolo dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portę inferi non præualebunt adverſus eam; & tibi dabo Claves Regni Cœlorum, & quodcumquè ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis. (b)

b Cap. 2. diſt. 22.

Illam ſolus ille fundavit, & ſuper Petram Fidei mox naſcentis erexit, qui Beato æternæ vitæ Clavigero Terreni ſimul, & Cœleſtis Imperii Iura commiſit. Non ergo quęlibet terrena ſententia, ſed illud Verbum, per quod conſtructum eſt Cœlum, & terram, per quod denique omnia condita ſunt elementa, Romanam fundavit Eccleſiam. Illius certè privilegio fungitur, illius authoritate fulcitur. (c)

c Cap. 1. eod. 22. diſt.

In hac eiuſque POTESTATE duos eſſe gladios, SPIRITALEM, videlicet, & TEMPORALEM, Evangelicis dictis inſtruimur; nam dicentibus Apoſtolis: Ecce gladii duo hic; in Eccleſia ſcilicet, non reſpondit Dominus: Nimis eſſe, ſed ſatis. Certè qui in Poteſtate Petri TEMPORALEM gladium eſſe negat, malè verbum attendit Domini proferentis: Converte gladium tuum in vaginam. Vterque ergo eſt in POTESTATE ECCLESIÆ, ſpiritalis ſcilicet gladius, & materialis; ſed IS quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus; ille SACERDOTIS; IS manu Regum, & Militum, ſed ad NVTVM, & patientiam SACERDOTIS. (d)

d Extr. 1. de maioris, & ob.

Quoniam idem mediator Dei, & hominum, homo CHRISTVS IESVS ſic actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis, Officia POTESTATIS vtriuſque diſcrevit, vt & Chriſtiani IMPERATORES pro æterna vita PONTIFICIBVS indigerent, & PONTIFICES, pro curſu temporalium tantummodo rerum, Imperialibus legibus vterentur, quatenus ſpiritalis actio à carnalibus diſtaret incurſibus. (e)

e Cap. 8. diſt. 10.

Nè plenitudo Eccleſiaſticę Juriſdictionis, in plures diſpenſata, vileſceret; ſed in vno potius collata, vigèret; APOSTOLICÆ SEDI Dominus in BEATO PETRO, Vniverſarum Eccleſiarum, & cunctorum CHRISTI Fidelium, MAGISTERIVM contulit, & PRIMATVM: quæ, retenta ſibi PLENITVDINE POTESTATIS, ad implendum laudabiliùs Officium Paſtorale, quod in omnibus iam conſtituit eam debitricem, multos in partem ſollicitudinis evocavit, ſicut ſuum diſpenſans onus, & honorem in alios, vt nihil ſuo iuri ſubtraheret, nec IVRISDICTIONEM ſuam in aliquo minoraret. (f)

f Cap. 1. de Conceſſ. Præben.

Petrus Poteſtatem REGNI acceperat, (g) completa illa Prophetia: Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei; quod vtique quantò magis impletur; tantò maiori vtitur Eccleſia POTESTA-

g Cap. 40. 2. q. 7.

TE-

TE; (h) tàm ex SVPERIORITATE, quàm ad IMPERIVM, non est dubium habere, quàm ex POTESTATE, quam Christus Rex Regum, & Dominus Dominantium in personam Beati Petri concessit. (i) Qui Successor est Petri, & Vicarius Jesu Christi(l), non puri hominis, sed Veri Dei Vicem gerit in terris. (m) Verùm hanc Petræ istius Sacratissimam Firmitatem, Domino, vt diximus, ædificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis eius POTESTATEM tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, & id, quod accepit à veteribus, non sequendo. (n)

Super GENTES, & REGNA Romanus Pontifex, constitutus à Domino, (o) ROMANVM IMPERIVM in personam Magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos. (p) Sciunt autem Principes, quod cum LOTHARIVS, & CORRADVS in discordia fuissent electi, Romanus Pontifex LOTHARIVM coronavit, & Imperium obtinuit coronatus. (q) Romani Principes, Orthodoxę Fidei Professores Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cuius Caput est Christus Redemptor Noster, ac Romanum Pontificem, eiusdem Redemptoris Vicarium, fervore Fidei, & claræ devotionis promptitudine venerantes, eidem Romano Pontifici, à quo approbationem personæ, ad Imperialis celsitudinis Apicem assumendæ, necnon vnctionem, consecrationem, & Imperii Coronam accipiunt, sua submittere Capita non reputarunt indignum; seque illi, & eidem Ecclesiæ, à qua, ad certos Principes Jus, & Potestas eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum, pervenit, astringere vinculo Juramenti, prout tàm mos observationis antiquæ, temporibus novissimis renovatæ, quàm forma Juramenti huiusmodi, Sacris inserta Canonibus, manifestant. Cuius tenor dignoscitur esse talis.

Ego N. Romanorum Rex, annuente Domino, futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor, atque iuro coram Deo, & Beato Petro, me de cætero protectorem, procuratorem, & defensorem fore Summi Pontificis, & huius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus, & vtilitatibus suis, custodiendo, & conservando possessiones, honores, & iura eius, quantum divino suffultus adiutorio fuero, secundum scire, & posse meum, recta, & pura Fide. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. (r)

Sanè vacante Imperio, cum in illo ad secularem Iudicem nequeat haberi recursus, ad Summum Pontificem, cui in persona Beati Petri, terreni simul & Cœlestis Imperii Iura Deus ipse commisit, Imperii prædicti iurisdictio, regimen, & dispositio devoluuntur; & ea ipse (durante ipsius vacatione) per se, vel alium, seu alios exercuisse noscitur. (s) Per quę plena subiectio declaratur. (t)

Non putet aliquis, quod iurisdictionem Illustris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus; (u) nam, veritate testante, Spiritualis Potestas terrenam Potestatem instituere habet, & iudicare si bona non fuerit. Sic de Ecclesia, & Ecclesiastica Potestate verificatur Vaticium Hieremiæ: Ecce constitui te hodie super Gentes, & Regna. Ergo si deviat terrena Potestas, iudicabitur à Potestate Spirituali. (x)

Non igitur iniuriosum sibi debet REGIA DIGNITAS reputare, si APOSTOLICO JVDICIO se committat, cum VALENTINIANVS inclytus Imperator suffraganeis Mediolanensis Ecclesiæ dixisse legatur: Talem in Pontificali Sede constituere procuretis, cui & nos, qui gubernamus Imperium, sincerè nostra Capita submittamus. Nec illud humillimum omittemus, quod THEODOSIVS statuit Imperator, & CAROLVS innovavit, de cuius genere Rex ipse noscitur descendisse: Quicumque videlicet, Judicium elegerit Sacrosanctę Sedis Antistitis, illicò sine aliqua dubitatione (etiam si pars aliqua refragetur) ad Episcoporum Judi-

h *Cap.* 38. 23. q 4.

i *Clem.* 1. *de Sent. & re iud.*

l *Ex cap.* 4. 4 *de trãsl. Prælat.*

m *Ex cap.* 3. *eod. tit.*

n *Cap.* 7. *dist.* 19.

o *Extr.* 1. *de consuetud.*

p *Cap.* 14. *de elect. &c.*

q *Cap.* 34. *dist.*

r *Clem. vn. de Iureiur.*

s *Extr. vn. ne sed. vacan.*

t *Ex cap.* 13. *de sent. & re iud.*

u *Cap.* 13. *de Iudic.*

x *Extr.* 1. *de maior. & ob.*

dicium, cùm sermone litigantium, dirigatur; quia POTESTAS non est ex homine, sed ex Deo. Sed forsitan dicetur, quod aliter cum Regibus, & aliter cum aliis est agendum; Cæterum scriptum novimus in Lege Divina: Ita magnum judicabis, vt parvum; nec erit apud te acceptio personarum. (y) Et secundùm hoc loqui Canones, sano credendum est intellectu. (z)

y Cap. 13. de Iudic.
z Ex c. 1. de Rest. Spoliat.

A juramento fidelitatis Pōtifices absolvere poſſe, & aſſueviſſe Vaſſallos Principū Sæcularium, apertè docetur.

Attendentes quod Juramentum non vt esset iniquitatis vinculum fuerit institutum; (a) ab omni fidelitate, obligatione, servitio, promissione, ac pacto, Provincias omnes, Civitates, & Castra, & Loca, ipsiusque Vassallos, & Fendatarios (b) Romani Pontifices à Juramenti nexibus absolverunt. (c)

a Cap. 17. de Iureiur.
b Ex Clement. 2. de Sent. & re iud.

GREGORIVS VII. Romanæ Synodo prędidens, dixit: Nos Prædecessorum nostrorum statuta tuentes, eos, qui excommunicatis fidelitate, aut Sacramento constricti sunt, Apostolica Authoritate à Sacramento absolvimus, & nè eis fidelitatem observent omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant. (d)

c Cap. 14. de Iureiu.

Item VRBANVS VII. Episcopo Vapicensi: Juratos milites Hugoni Comiti, nè ipsi, quamdiù excommunicatus est, serviant, prohibeo. Qui, si sacramenta prætenderint, moneantur: Oportere Deo magis servire quam hominibus. Fidelitatem enim, quam Christiano Principi juraruut, Deo, ejusque Sanctis adversanti, & eorum præcepta calcanti, nulla cohibentur Authoritate persolvere. (e)

d Cap. 4 15 q. 6.

Alius etiam Romanus Pontifex, ZACHARIAS scilicet, REGEM FRANCORVM, non tàm pro suis iniquitatibus, quàm pro eo, quod tantæ Potestati erat inutilis, à REGNO deposuit, & PIPINVM, CAROLI Magni Imperatoris PATREM, in ejus locum substituit OMNESQVE FRANCIGENAS à JVRAMENTO FIDELITATIS ABSOLVIT. Quod etiam ex Authoritate frequenti agit Sancta Ecclesia, cùm milites absolvit à vinculo Juramenti. (f)

e Cap. 5. eod caus. & q.

Secundùm Canonum Sacrorum Instituta, (g) absolutos se noverint à debito fidelitatis, hominii, & totius obsequii, quicumque lapsis manifestè in hæresim, aliquo pacto, quacumque firmitate vallato, tenebantur adstricti: (h) Si Dominus temporalis, requisitus, & monitus ab Ecclesia, suam terram purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Merropolitanum, & cæteros Comprovinciales Episcopos, excommunicationis vinculo innodetur; & si satisfacere contempserit intra annum, significetur Summo Pontifici, vt ex tunc ipse Vassallos ab eius fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, absque vlla contradictione possideant, & in Fidei puritate conservent. (i)

f Cap. 3. 5. q 1.
g Ex c. 34. dist. 50.
h Cap. 16. de haret.
i Cap. 13. eod. tit.

Ad omnes enim similes; id est, ad omnes impios, & iniquos, illa vox Domini valet: Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti Justitiam. An frustra scriptum est: Labores impiorum Justi edent? (l) Si autem consideremus, quod legitur in Proverbiis: Thesaurizantur autem Justis divitiæ impiorum, (m) Ecclesia Christi possidet, vbi persecutores CHRISTI regnabant. (n) Quidquid nomine Ecclesiarum Patres Donati possidebant, Christiani Imperatores, Legibus religiosis, ad Catholicam transire iusserunt. (o) Constat ergo, quod aliquando hæc ex POTESTATE; aliquando verò exhibentur ex postulatione. (p)

l Cap. 2. 23 q 7.
m Ex c. 4. d. 23. q 7.
n Cap. 2. 23 q 7.
o Cap. 30. eod caus. & q.
p Ex c. 16. 23. q 8.

Authoritas Papæ supra Conciliū adstruitur.

Cum simus debitores omnes, Sacras Regulas costodire (q) sciant cuncti: (r) Per principalem Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, de qua suprà partim exposuimus, POTESTATEM, (s) non debere, absque Sententia, Romani Pontificis, CONCILIA celebrari; (t) dum illi, quidquid fidelium est, vbique submittitur; dum totius corporis Caput esse dignoscitur. (u) Si Papa, suæ, & fraternæ salutis negligens, deprehenditur, hujus

q Cap. 3. 9. q. 3.
r Ex c. 2. 2. q. 8.
s Ex c. 21. 9 q. 3.
t Cap. 5. dist. 17.
u Cap. 14. 9. q. 3.

culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus. (x)

x Cap. 6. d. 40.

Aliorum hominum causas Deus voluit homines terminare, sed SEDIS istius PRÆSVLIS suo, sine quęstione, reservavit arbitrio. Voluit, Beati Petri Apostoli Successores Cœlo tantum debere innocentium, & subtilissimi Discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. (y) Siquidem tempore Diocletiani, & Maximiani Augustorum, MARCELLINVS Episcopus Vrbis Romæ, qui postea insignis Martyr effectus est, adeò compulsus est à Paganis, vt in Templum eorum ingressus, grana thuris super prunas imponeret. Cuius rei gratia collecto numerosorum Concilio Episcoporum, & inquisitione facta, hoc idem Pontifex se egisse confessus est. NVLLVS tamen eorum proferre Sententiam in eum ausus est, dùm ei sæpissimè omnes perhiberent: Tuo ore judica causam tuam, non nostro Judicio; & iterum: PRIMA SEDES non judicatur à quoquam.

y Cap. 14. 9. 3.

Sed & cum quidam contra XISTVM PAPAM tentassent quædam mali rumorii objicere, & Concilio, cui & VALENTINIANVS Augustus intererat, dictum fuisset: non licere adversus Pontificem dare Sententiam, surrexit idem protinus Imperator, & in arbitrio præfati Pontificis tribuit judicare Iudicium suum. (z)

z Cap. 7. d. 21.

Hinc cum authoritas THEODORICI REGIS ex diversis Provinciis ad Vrbem Romam Sacerdotes convenire præcepisset, vt Sanctum Concilium judicaret de his, quæ Venerabili Papæ SYMMACHO Præsuli Apostolicę Sedis ab adversariis ipsius dicebantur impingi. Episcopi in Synodo residentes, congregata authoritate eiusdem SYMMACHI, dixerunt: SYMMACHVS Papa, Sedis Apostolicæ Præsul, ab huismodi oppositionibus impetitus, quantum ad homines respicit, sit immunis, & liber, cujus causam totam Dei Judicio reservamus. (a)

a Cap. 6. d. 17.

Ipsi Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ, ad huius Sedis examen voluere deferri: ab ipsa nusquam prorsus appellari debere, sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare Judicium, nec de ejus vnquam præceperunt Judicio judicari; sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius Decreta sequenda mandarunt. (b)

b Cap. 16. 9. 3.

Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod Sacrosancta Romana Ecclesia, fas de omnibus habet judicandi; neque cuipiam de ejus liceat indicare Judicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est; ab illa autem nemo est appellare permissus. Sed nec illa prætermus: quod APOSTOLICA SEDES, sine vlla Synodo præcedente, & solvendi quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem; & hoc nimirum pro suo PRINCIPATV, quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce & tenuit semper, & tenebit. (c)

c Cap. 17. 9. 3.

Sacrasancta Romana Ecclesia Jus, & Authoritatem Sacris Canonibus impartitur, sed non eis alligatur. Habet enim Jus condendi Canones, vtpotè quæ Caput est, & Cardo omnium Ecclesiarum, à cuius regula neminem dissentire licet. Ita ergo Canonibus authoritatem præstat, vt seipsam non subjiciat eis; sed sicut CHRISTVS, qui legem dedit, ipsam legem implevit; sic & Summę Sedis PONTIFICES Canonibus sive â se, sive ab aliis sua Authoritate conditis, reverentiam exhibent, & eis se humiliando, ipsos custodiunt, vt aliis observandos exhibeant. Nonnumquam verò seu iubendo, seu definiendo, aliter agendo, se Decretorum DOMINOS, & Conditores esse ostendunt. Aliis imponitur necessitas obsequendi, Summis verò Pontificibus ostenditur inesse Authoritas observandi. Sacri siquidem Canones ita aliquid constituunt, vt Interpreta-

tio-

tionis Authoritatem Sanctę Romanæ Ecclesiæ reservent. Vndê in nonnullis Capitulis Conciliorum cum aliquid observandum decernitur, statim subinfertur: nisi Authoritas Romanæ Ecclesiæ aliter imperaverit; vel: Salvo tamen in omnibus Jure Sanctę Romanæ Ecclesiæ; vel: Salva tamen in omnibus Apostolica Authoritate. (d)

Patet profectò Sedis Apostolicæ (cujus Authoritate maior non est) Judicium à nemine fore retractandum; neque cuiquam de eius licere judicare Judicio; (e) neque enim ab Augusto; neque AB OMNI CLERO; neque â Regibus, neque à Populo Judex judicabitur, (f) quoniam scriptum est: Non est discipulus super Magistrum: (g) Spiritalis, homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur: (h) Quod non solùm à Catholicis, verùm etiam ab ipsis constat observatum hæreticis. (i) His ita ex divina Scriptura, & probabilium Patrum doctrina commemoratis, Sole clariùs exhibuimus: non posse quemquam, qui minoris authoritatis est, eum, qui majoris Potestatis est, Judiciis suis addicere, aut propriis diffinitionibus subjugare. (l)

ADMONITIO Ad Clerũ Gallicanum.

FRANCIGENÆ (m) (Clero, & Populo rogo, hortor, & moneo *) præmissis in debitam considerationem adductis, ac in lance irrefragabilis rationis appensis, (n) nulla vobis in hac re, vt arbitramur, poterit remanere dubietas. (o) Quamquam quidam vestrum scripserint; (p) quia verò libros comperimus doctrinam non sanam, sed periculosam multum, & veritati contrariam continere; (q) nolite errare, nolite abduci. En Institutа Apostolorum, & Apostolicorum Virorum Canones; his fruimini, his circumdamini, his delectamini, his armamini; vt his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum jacula persistere valeatis. Satis enim indignum est, quemquam, vel Pontificum, vel Ordinum subsequentium, hanc regulam refutare, quam BEATI PETRI SEDEM, & sequi videat, & docere. (r)

Nè ita subtiliter, sicut à multis fieri solet, inquiratis rei veritatem; (s) veritatis amica simplicitas nullis verborum fallaciis, nullis appetit ambiguitatum involucris offuscari. (t) Si enim vera sunt quæ præmisimus (imo quia indubitanter sunt vera) proculdubio contra Spiritum Dei agit, qui aliquid contra veritatem attentat, quoniam ipse est Spiritus veritatis. (u) Nec altera Romanę Vrbis Ecclesia, altera totius Orbis existimanda est; & GALLIÆ, & Britanniæ; & Africa, & Persis; & Oriens, & India; & omnes barbaræ Nationes vnum CHRISTVM adorant, vnam observant Regulam veritatis. (x) Propterea hæc scribo, vt si pręteriti temporis error non potest jam revocari, vel ad præsens in Ecclesiis servetur humilitas, vt Presbyteri hoc faciant quod Romæ, quod in Italia, quod in Hispania, quod etiam ex parte per GALLIAS fit. (y)

Quis hic rogo, ò Sacerdotes, honor vester est, vt damnum Gręgibus inferatis? (y) Regula vestra nullas habet vires, nec habere poterit: quoniam nec ab Orthodoxis Episcopis hoc Concilium actum est, nec Romanæ Ecclesiæ Legatus interfuit, Canonibus præcipientibus sine eius Authoritate Concilium fieri non debere: (a) Quapropter rectê non Concilium, sed vestrum CONCILIABVLVM CASSATVR, & quidquid in eo actum est, irritum habetur, & vacuum. (b) Dignum est enim, vt adulterinas plantationes, quas non Pater Cœlestis, sed humanę temeritatis audacia plantat, Apostolici culminis Censura divellat, nec patiatur in Agro Dominico perversę congregationis vepres excrescere, cui proprium est (divina opitulante gratia) virtutes serere, ac vitia radicitùs extirpare. (c)

Concilia Sacerdotum, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt. Legistis aliquando in illis, præter Apostolici Apicis Sanctionem, aliquid constitutum, & non de maioribus negotiis ad consul-

a *Cap. 16. 25. q. 1.*
c *Cap. 10. 9. q. 3.*
f *Cap. 13. 9. q. 3.*
g *Cap. 2. 2. q. 5.*
h *Cap.*
i *Cap. 8. d. 21.*
l *Cap. 4. ead. 21. d.*
m *Ex cap. 1. de Spõs. salib.*
* *Ex Epig. & tex. in cap. 25. 11. q. 3.*
n *Extr. vn. de Dolo, & cont*
o *Cap. 8. d. 100.*
p *Ex cap. 1. dist. 19.*
q *Ex cap. 5. dist. 22.*
r *Cap. 3. d. 11.*
s *Cap 6. de Iudic.*
t *Cap 14 de Iureiur.*
u *Cap. 10. de renun.*
x *Cap. 24. dist. 93.*
y *Cap. 6. d. 95.*
z *Ex d. c. 6. 95. dist.*
a *Cap. 1. d. 17.*
b *Cap. 5. ead. dist.*
c *Extr. vn. 10 22. de Relig. domib.*

d Cap. 6. dist. 17. sultationem si quid occurrerit, præfatæ Sedis arbitrio fuisse servatum? (d) Certum est, hoc rebus vestris esse salutare; vt cum de causis Dei agitur, juxta ipsius Constitutionem, REGIAM voluntatem SACERDOTIBVS CHRISTI studeatis subdere, non præferre, & Sacrosancta, per eorum Præsules, discere potiùs, quam docere: Ecclesiasticam formam sequi, non huic humanitus sequenda Jura præfigere; neque ejus Sanctionibus velle dominari, cujus clementiæ Deus voluit piæ devotionis colla

e Cap. 3. dist. 10. submittere: nè dùm mensura cœlestis dispositionis excedituv, eatur in contumeliam disponentis. (e) Cum aliquid adversus vos Reges constituunt; admoneri vos credite, vt cogitetis quare ista patiamini; si propter Justitiam, revera illi persecutores vestri sunt, vos autem Beati, qui persecutionem passi propter Justitiam, possidebitis Regnum Cœlorum. (f)

f Cap. 33 23. q. 5.

g Ex cap. 3. dist. 37. h Ex cap. 1. de restitut. spoliat. in 6. i Ex cap. 10. de hæretic. l Ex eod. cap. 10 m Ex cap. 9 l q 3. n Ex ca. 11. de probat.

Qui adulatur Regibus, (g) causas Ecclesiasticas impedit, & perturbat, (h) dùm palliata specie Religionis, & multos decipit simplices, & quosdam seducit astutos, factus Magister erroris, qui nondum fuerat discipulus veritatis; (i) variis quæstionum se nexibus ingerit, seipsum laqueis suæ fraudis innectit, & incidit in foveam, quam fecit. (l) Ex multis temporibus hoc detestabile malum INTRA VESTRAM ECCLESIAM inoleviſſe cognovimus. (m) Hæc pestis, contraria omni Juri, penitùs extirpetur à CLERO. (n)

o Cap. 18 dist 45. p Cap. 11. eod. dist. q Cap. 57. 2 q. 7. r Cap. 60. d. caus. & q.

Ideo tenere vos, & omnes fideles oportet, eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit consolari in doctrina sancta, & contradicentes redarguere, & rectè viventes, atque rectam Fidem tuentes consolidare, (o) & errantes in viam reducere veritatis. (p) Admonendi sunt subditi, nè plus, quam expedit, sint subiecti; né, cum studeant plus, quam necesse est, hominibus subjici, compellantur vitia eorum venerari; (q) vt secundum Apostolum, & Sanctorum Patrum instituta, possint irreprehensibiles inveniri. (r)

s Ex cap. 2. 2. q. 2.

Quam pio mentis affectu vestræ destitutioni ROMANA compatiatur ECCLESIA, vobis forrassis est incognitum; sed cognitori omnium non incognitum habetur. (s) Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus quicumque fuerit ille, sive sublimis Vir honoris, sive vllius alterius dignitatis hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, noverit, (t) quia

t Cap. 40. 2. q. 7. u Cap. 10. dist. 11. inultum post hoc esse non poterit, si quisquam Apostolicas Regulas in aliquo crediderit negligendas. (u)

NICOLAVS PAPA, vniversali Synodo præsidens, dixit in Concilio Romano: Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholicæ Fidei disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum, à Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata, contempserit; Anathema sit. (x) Item GREGORIUS IV. Nulli fas est, vel velle,

x Cap. 18. 25. q. 2. vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta: Sit ergo ruinæ suæ dolore

y Cap. 5. dist. 19. prostratus, quisquis Apostolicis voluerit contraire Decretis. (y)

Ferro enim abscindenda sunt vulnera, quæ fomenta non sentiunt, similiter & illi extorres debent fieri ab Ecclesia, qui Sacerdotali admonitione non corriguntur. (z) Præceptis Apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, quæ à SANCTA ROMANA ECCLESIA

z Cap. 57. 16. q. 1. jussa sunt, salutiferè impleantur, si ejusdem Sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est

a Ca. 2. dist. 12. Caput vestrum, communionem habere desideratis. (a)

b Cap. 41. 23. q. 24. c Cap. 5. dist. 10. d Cap. 2. 1. q. 7. e Cap. 4. dist. 10. Et tunc REGES Intelligite, erudimini, qui judicatis terram. (b) IMPERIVM VESTRVM suis publicæ rei quotidianis administrationibus debet esse contentum, non vsurpare quæ Sacerdotibus Domini solùm conveniunt. (c) Sequens Sanctos Apostolos, & Venerabiles Patres cum omni fiducia clamo: (d) Constitutiones contra Canones, & Decreta Præsulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sunt momenti. (e) Cum

Ad sæculi Potestate.

hoc

hoc Authoritas Sacrorum Canonum penitus interdicat. (f)

Fruſtra quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis objiciunt; quaſi conſuetudo major ſit veritate. Hoc planè verum eſt, quia ratio, & veritas conſuetudini præponenda eſt. (g) Conſuetudo, quæ apud quoſdam obrepſerat, impedire non debet, quò minus veritas prævaleat, & vincat; nam conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt, propter quod, relicto errore, ſequamur veritatem, (h) vſum, conſuetudinemque ſacrilegam declinantes. (i)

Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, qui trahit eam? (l) Nunquid vobis videtur juſtum, ſi cedat ſpiritus carni, ſi terrenis cœleſtia ſuperentur, ſi divinis præferantur humana? (m) Ipſi, qui hoc putant, (n) viderint, ſi alios habent Canones, quibus ſuas ineptias exequantur. (o) Si enim generale pactum eſt ſocietatis humanæ, obedire Regibus ſuis; (p) qui ſcit, ſe quibuſdam eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat, aliquem ſibi eſſe Prælatum; ſed obedientiam, quam exigit, etiam ipſe rependat. (q)

Cavendum eſt, & ſummoperè ſtudendum per virtutem CHRISTI SANGUINIS, & REGIBVS, & ſublimioribus POTESTATIBVS, (r) vt ſe devotos, & obedientes erga SANCTAM ROMANAM ECCLESIAM exhibeant. (ſ) Servanda eſt cum manſuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa Sancta SEDE imponatur Jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus, (t) cum ſumma reverentia, & timore Dei. (u)

Lex Imperatorum non eſt ſuper Legem Dei, ſed ſubtus. Imperiali Judicio non poſſunt Eccleſiaſtica Jura diſſolvi. Non quòd Imperatorum Leges dicamus penitùs renuendas; ſed quòd eas Evangelicis, Apoſtolicis, atque Canonicis Decretis (quibus poſtponendę ſunt) nullum poſſe inferre præiudicium, aſſeramus; (x) Non Pontificalis Apex ſubjici poteſt Regibus. (y) Reges terræ, & Principes (z) poſſunt Apoſtolicam Sedem contemnere, poſſunt calcaneum elevare; & datum à Deo privilegium evertere, vel auferre non poſſunt. (a)

Ad Fratrum Regem.

CHRISTIANISSIME (b) REX ILLVSTRIS, (c) noli contra divina, tâm multa, tam clara, tàm indubitata teſtimonia colligere calumnias ex Epiſcoporum ſcriptis. (d) Injuſtum Judicium, & definitio injuſta Regio metu, vel juſſu, à Judicibus ordinata, non valet; nec quidquam, quod contra Evangelicæ, vel Propheticæ, aut Apoſtolicæ Doctrinę Conſtitutionem, Succeſſoremvê eorum, ſive Sanctorum Patrum, actum fuerit, ſtabit. (e)

Serenitati Regiæ volumus præcavere, nè quid ei immineat, quod in periculum animæ valeat redundare. (f) Elegimus potiùs te confundere, quam lædamus Sedis Apoſtolicæ Dignitatem. (g) Quis enim tàm demens, tamque perverſi ſenſus tale quid ęſtimaret, (h) quod adverſus inimicos Chriſtianitatis, qui præ magnitudine ſuæ potentiæ terram (i) VIENNENSIS PROVINCIÆ (l) IN REGNO ALEMANNIÆ (m) tunc temporis occupabant, in auxilium (n) Domini IMPERATORIS (o) cum armatorum multitudine (non) feſtinares? (p)

Conſiliarii tui (imò potiûs Deceptores) tuum animum induxerunt. (q) Tu ergo quod factum eſt ſic ſtudeas palliare, vt id in confuſionem tuam, & Sedis Apoſtolicæ opprobrium non redundet; (r) vt infamia convertatur in bonam famám, & omne ſcandalum, & ſuſpicio de Catholicorum mentibus deleatur. (s) Fatiſcat invidia ROMANI CVLMINIS, recedat ambitio. (t)

Proclamatio ad Dominũ Imperatorem.

IMPERATOR AVGVSTE. Ipſa ECCLESIA devotionem tuam ſuo venerabili appellat affectu, nec in eam aliquos patiamini inſidiantium procellarum fluctus illidi, & quietam faciem tempeſtatis inſolitæ tumore

f Cap. 8. 9. q. 3.
g Cap 7. d. 8.
h Cap. 8. ead diſt.
i Ex c. 25. 25. q. 1.
l Cap. 4. d. 11.
m Cap. 6. d. 10.
n Ex c. 14. diſt. 50.
o Ex cap. 5 diſt. 11.
p Cap. 1. d. 8.
q Cap 14. 2. q. 6.
r Ex c. 3. 1. q 7.
ſ Extr. 1. de treug. & pa.
t Cap 3. d. 19.
u Cap. 23. 11. q. 1.
x Cap. 1. d. 10.
y Cap. 22. 23. q. 8.
z Ex c. 41. 23 q. 4.
a Cap. de elect. addit. 3.
b Ex c. 1. diſt. 97.
c Ex c. 4. de poſ. Prał.
d Ex c. 9. d. 9.
e Cap. 8. 25. q. 1.
f Ex c. 18. de iureiu.
g Ex c. 3. vſu. pal.
h Ex c. 4. d. 50.
i Ex c. 18. de iureiu.
l Ex Epiſt. c. 17. diſ. 63.
m Ex Cle. 3. de hær.
n Ex d. c. 18 deiureiur.
o Ex c. 14. 23 q. 4.
p Ex eod c. 18. de iureiur.
q Ex rel. c. 18.
r Ex c. 3. de vſu pal.
ſ Ex c. 10. de purg. Can.
t Cap 15. 24. q. 1.

turbari. Ecce enim inter ipsa mysteria, inter preces suas, quas pro vestri felicitate dependit Imperii, sollicitis pro Religionis observantia vocibus clamat; cum sollicita petitione miscetur Oratio; nè humanas res, solito tentatore occultè sollicitante, semel evulsa discordia distrahat. Angeretur pluribus, Princeps Christianissime, Mater Ecclesia, nisi apud te suatum esset cura causarum; & nisi in oppressionibus fide tua, divino cultu pariter cum Imperio semper florente, vicisset. (u)

u Ex c. 1. d. 97.

Commoventur Potestates Christianæ adversus detestandos Dissipatores Ecclesię. Si nõ ergo moverentur, quomodo redderent rationẽ de Imperio suo Deo? Quia hoc pertinet ad Reges sęculi Christianos, vt tẽporibus suis paccatam velint Matrem suam Ecclesiam habere, vndê spiritaliter nati sunt. (x) De Sedibus, quæ illicitè vsurpantur, vel ad iniuriam Dei detinentur, PIVS expellat IMPIVM, & IVSTVS INIVSTVM; (y) Cognovimus enim eos, contra Catholicam Ecclesiam, Domino eis adversante, colla subrigere, & Fidem velle Christiani nominis inclinare. Sed severitas vestra (z) conatus eorum comprimat, & superbas eorum cervices iugo rectitudinis premat. (a) Res humanæ aliter rutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, & REGIA, & SACERDOTALIS defendat Authoritas. (b)

x Cap. 39. 23. q. 4.
y Cap. 40. ead. caus. & q.
z Ex c. 4. 23. q. 5.
a Cap. 48. 23. q. 4.
b Cap. 21.

Noli existimare, neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis militat. In his erat Sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium. In his etiam plurimi illius temporis Iusti. Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas; vt liberet Deus à necessitate, & conservet in pace. Itaque hostem pugnantem necessitas perimat. (c) Magis profectò apud Creatorem gloria proficit, si per eam dispersarum Ecclesiarum potuerit societas restaurari. Cûm enim largita munera ad nominis sui gloriam conspicit revocari, tantò largiora tribuit, quantò per eum Religionis suę Dignitatem viderit ampliari. (d) Cum futuras, Deo largiente, victorias non carnali providentia, sed magis orationibus prævenitis, fit, vt in stuporem veniat, quod gloria vestra non terreno consilio, sed Deo desuper largiente descendat.

c Cap. 3. 23. q. 1.
d D. c. 48. 23. q. 4.

Vbi enim meritorum vestrorum loquax non discurrit opinio? Quæ, & Bella vos frequenter appetere, non desiderio fundendi sanguinem, sed dilatandę causa Reipublicæ, in qua Deum conspicimus, loquitur; quatenus CHRISTI nomen per subditas gentes Fidei prædicatione circumquaque discurrat. Plurima enim, pro pascendis ovibus Beati Petri Apostolorum Principis præstitisse, didicimus: quęcumquæ igitur hic illi Christianissima mente confertis, horum retributionem per spem in futuro iudicio sustinetis. (e) Dominum petimus, quod brachium vestrum ad comprimendos hostes forte efficiat, & mentem vestram, Fidei Zelo velut mucrone gladii vibrantis exacuat. (f)

e Cap. 49. d. 23. q. 4.
f d. cap. 48. in fine

INNOCENTI XII. (g) PAPA BEATISSIME, quamquam tui me terreat magnitudo, invitat humanitas. (i) Ecce de quo COLLEGIO sunt, qui quantum ad superbiam suam, iniuriam vobis inferre moliti sunt. (l) Invenit Sanctitas vestra & quos toleretis, & quos caveatis; (n) quia non eos diversa sentiendi indicium, sed quædam apud se delata, sibi tamen incognita metuentes, & contra Apostolicam Sedem temerè credentes, pessima divisit opinio. (n) Corripiantur tumidi, tolerentur infirmi. (o) Vtimini oblata vobis à Deo opprimendi perfidos occasione. (p) Pertinet ergo ad INNOCENTIS Officium, non solùm nemini malum facere, verùm etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum; vt, aut ipse, qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. (q)

Ad Sanctiss. Innocẽtium XII.

g Ex num. & Epigr. c. 12. de rest. spol.
h Ex c. 14. 24. q. 1.
i Ex c. 15. d. caus & q.
l Ex c. 45. 23. q. 5.
m Ex c. 12. 23. q. 4.
n Ex c. 34. 24. q. 1.
o Cap. 2. d. 86.
p Ex c. 45. 23. q. 5.
q Cap. 37. d. caus. & q.

Non vos hominum vaniloquia retardent dicentium: quia persecutionem Ecclesia facit, dùm vel ea, quæ committuntur, reprimit, vel animarum salutem requirit: errant huiusmodi rumoris fabulatores. Non perse-

qui-

quitur, nisi qui ad malum cogit; qui verò malum vel factum iam punit, vel prohibet nê fiat, non persequitur, sed diligit. In corripiendo filio, quantumvis asperè, numquam Paternus amor amittitur. (r) Exercete igitur in talibus debitam Authoritatem; & nè eis ampliùs talia committendi spiritus crescat, vestris coërcitionibus reprimantur. Ad hoc siquidem Dei nutu etiam contra vos talia præsumpserunt, vt talia vobis corrigentibus, ab eorum scelere alios posſitis, Deo propitiante, munire. (f)

MAXIMIANVS, Episcopus Vagiensis auxilium petiit ab Imperatore Christiano (contra hostes Ecclesiæ) non tàm sui vlciscendi causa, quàm tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset, non eius fuisset laudanda patientia, sed negligentia meritò culpanda. (t) Facite ergo hoc etiam vos, & date operam, vt talia fieri vltra non liceat. FRANCIS cuncta vastantibus, (u) effusio sanguinis, (x) vltrix vindicta (y) ad piissimum PRINCIPEM (z) MAGNVM IMPERATOREM, (a) & nostrum CAROLVM REGEM glorioſum (b) dirigantur; (c) vt, qui intra Ecclesiam positi, contra Fidem, & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum Potestas principalis imponat; & vt veneratìonem mereatur, virtutem Potestatis impertiat. (d)

Absit omninò à Romana Ecclesia, vigorem suum tàm profana facilitate dimittere, & nervos severitatis, eversa Fidei maiestate, dissolvere; vt, cum adhuc non tantùm iaceant, sed & cadant eversorum ruinæ, nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur. Vbi enim poterit indulgentię medicina proficere, si tantummodò operit vulnus? Hoc non est curare; sed, si dicere verum volumus, occidere. (e) Ea vindicta, quę valet ad correctionem, non prohibetur; quæ etiam ad misericordiam pertinet, nec impedit illud propositum, quo quisque paratus est, ab eo, quem correctum esse vult, plura perferre. (f) Sed quis non intelligat magis beneficium, quàm supplicium nuncupandum, vbi nec sæviendi relaxatur audacia, nec pœnitendi medicina subtrahitur?

Imple Pii Patris Officium; sic succensere iniquitati, vt consulere humanitati memineris, (g) informatione doctrinæ (h) ad Ioannem scribens: (i) propterea te Ioannem, (l) virum vtique litteratum, & litterarum scientia præditum, vitæ, ac morum honestate, diuorum discretionis, & consilii maturitate conspicuum, (m) Deum colentem, homines diligentem, castum, discendi studiis deditum, sobrium, benignum, iustum, patientem, & scientem ferre nonnullorum iniurias, (n) PROCVRATOREM, & DEFENSOREM ECCLESIÆ; (o) in Ecclesia CARDINALEM necesse duximus constituere, vt susceptam semel curam intuitu futuræ retributionis adimpleas. (p)

Si Vestra Sanctitas iubet, (q) sciant omnes, & certi sint cuncti, quia qui præstantior est, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur; (r) vt pro omnium Ecclesiarum statu, impigro affectu, celeri sollicitudine, CHRISTI Oves pascat, (s) in latitudine se exerceat charitatis, (t) opem defensionis accommodet, (u) vt ex hoc omnis CLERVS moneatur, & imbuatur. (x)

Author ad Operis consummationẽ incitatur.

IOANNES THOMA (y) Vir Illustris, (z) noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ tibi data est. (a) Scito, nos credere, quod tutiùs sit hoc tempore, vt super hoc te facias importunitate molestum. (b) Propter laboris angustias, aut persecutionis incursus, (c) quod inchoatum est aliquatenus relinquere imperfectum; (d) priùs solvere militię cingulum, quam cedat victori adversitas prælìorum, (e)

inde-

r Cap. 42. 23. q. 5.
f Cap. 45. ead. cau. & q.
t Cap. 2. 23. q. 3.
u Exc. 42. 23. q. 5.
x Exc 31. d. q. 5.
y Exc. 33. ead. cau. & q.
z Exc. 42. 23. q. 5.
a Exc. 10. d. 96.
b Exc. 10. 3. q. 6.
c Ex d. c. 41. d. q 5
d Exc 20. 23. q. 5.
e Cap. 16. dist. 50.
f Cap. 51. 23. q. 4.
g Exc. 1. 23. q. 5.
h Exc. 55. 23. q 4.
i Exc. 6. 24. q 3.
l Exc 41. 7. q. 1.
m Extr. 8 de Prab. & Dign.
n Exc. 2. 8. q. 1.
o Exc. 8. 1. q. 3.
p Exc. 41. 7 q. 1.
q Exc. 45. 7. q. 1.
r Exc. 15. 8. q. 1.
f Exc. 2. 25 q. 1.
t Exc 3. d. cau & q.
u Exc. 1. dist. 84.
x Exc 6. dist. 38.
y Exc 41. q 7.
z Exc. 10. 25 q. 1.
a Exc. 24. dist. 93.
b Exc. 1. de renun.
c Exc. 10. eod. tit.
d Exc. 7. addit 1. d. tit.
e Ex cap. 1. eod tit. de renunt.

f Ex eod. cap. 1.

indecens omninò probatur. (f) Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.

g Ex c. 13. de Iudæc.

(g) Negligere, cum poſſis deturbare perverſos, nihil aliud eſt, quam fovere;

h Cap. 55. 2. q. 7.

(h) ſancta quippè ruſticitas ſolum ſibi prodeſt, & quantum ædificat ex vitę merito Eccleſiam CHRISTI, tantum nocet ſi deſtruentibus non reſiſtat. (i)

i Cap. 56. d. can. & q.

Inter Opera Charitatis non modicum eſt, errantem ab erroris ſui ſemita revocare. (l) IOANNIS ex Privilegio, (m) clangat Tuba Evangelica Filius tonitrui, quem IESVS amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit. (n) Vt accepti talenti pulchritudo non deleatur, ſed certamine ſalubriter augeatur, & triplicetur. (o) In lucem prodeant (p) quæ conſcripta ſunt, (q) & TERTIVS, & QVARTVS LIBER. (r) Nullus Secularis Poteſtatis metus exterreat, nullus temporalis favor abſorbeat. (ſ)

l Cap. 10 de ſponſ.

m Ex c. 7 d. 100.

n Cap. 24. diſt. 93.

o Ex c. 4. 7. q. 1.

p Ex c. 6. de Celeb. Miſſ.

q Ex c. 3. d. 15.

r Ex c. 21. 1. q. 1.

Sed eſtò quod multum hactenus laboraſti, & bonum certamen certaveris, cum Apoſtolo poſſis dicere; tamen vt corona iuſtitię tibi reponatur, curſum te decet perfecti Operis conſummare. Quantumlibet enim in anguſtiarum laboribus, qui comitantur Officium Paſtorale, noctes tibi laborioſas enumeras, expedit tamen tibi pugnam tuam perſeverantia coronare; (t) quoniam ſi laboribus cauſam prætendis, exemplum te Apoſtoli ſublevabit, qui ſuadet tibi, laborem huiuſmodi non refugere, dùm ſe aſſerit pro communi ſalute plus cæteris laboraſſe. (u)

f Ex c. 17. de elect. in 6.

t Ex c. 10. addit. 5. de renūt.

u Ex d. c. 10.

Hoc quidquid eſt Operis, totum de Romanorum Pontificum Conſtitutionibus derivatum eſt. (x) Si cui fortè audentiores viſi fuimus, qui tantam rem aggredi auſi fuerimus, in communi ſaltem periculo non fuiſſe nos otioſos, ſed quoquomodo tuliſſe Opem iuvabit. (y) Audacter fortaſsis aliquid dicimus: tamen quod ſcriptum eſt, dicimus. (z) Accipies igitur placido, & benigno animo, & Deus Opt. Maximus te nobis incolumem felicemque ſervet. (a)

x Ex Epiſt. Dedic. Inſtit. Can.

y Ex Proœmio d. Inſtit.

z Cap. 18. 8. q. 1.

a Ex d. Ep. Dedic.



IN ILLVSTRISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI D. D. Fr. Ioannis Thomæ de Rocaberti, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archipræsulis Valentini, Sacro Romano Solio Assistentis Prælati, Regnique Valentini, non semel Pro-Regis Volumen, pro Infallibillitate Authoritatis Romani Pontificis, extra Concilium res Fidei definientis, stans, Augustiniadum Matricalensium ex omni Iure, licet humile, refertum affectibus Encomiasticon.

VIDIMVS; sed si vidimus, iam liquidò constat, quòd tàm gaudio, quàm admirationi dediti vidimus Opus, cuius superscriptio *Illustrissimi, & Excellentissimi D. D. Fr. Ioannis Thomæ de Rocaberti, de Infallibilitate Romani Pontificis in definiendis rebus Fidei extra Concilium*: & vt in fronte nostros tulit oculos D. D. Fr. Ioannes Thomas de Rocaberti, nobis in mentem venit Ambrosius, sic de lapsu Protoparentis Adæ alloquens. *O fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem!* Vt meritò, & nos dicere possimus (imò, & Gallico Clero occasionem præbenti, si fas esset, congratulari:) O felix Gallorum deliquium, quod talem, ac tantum meruit habere impugnatorem Illustrissimum, & Excellentissimum D. D. Fr. Ioannem Thomam de Rocaberti! Quis ibit inficias? Hoc, meritò, & omnis adulationis expertes dicimus, & asserimus, quin nobis tanti Viri timorem incutiat eximia modestia, cum ex Arist. haud latere nos possit, *Quod ita debetur laus, vt non qui eam celebraverit, benignus existat; sed qui tacuerit, malignus.* Sanè malignitatis ingenti nota afficeremur Augustini filij, dum tanti Viri dignissima Encomia silentio premeremus: nam si à veritate non deficit Axioma illud: *Avus est dupliciter pater*, læti plaudere debemus Augustiniani, P. N. Augustinum in vnico nepote in lucem edidisse ita geminatum filium, vt possit eius Augustinus vnicus dici dupliciter pater. *Ethic. 2. c. 5.*

Vidimus alacri stupore correpti, Excellentissime Princeps (ab Excellentia Principis exordium sumimus: etenim si Princeps in Sacro eloquio est *Naghidh*, id est primus, & eximius, dum tuę Celsitudini verba damus, ab Eximio Doctore, & Doctorum primo Exordium sumere perspicuum duximus.) Vidimus ergo Volumen, & in Volumine illud Danielis Vaticinium ad votum persolutum aspeximus. *Videbam*, inquit, *& ecce arbor, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis: & proceritas eius, contingens Cœlum. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius.* Arrectis adstate auribus, & iuxta consonam Lyrę explanationem Archipræsulis Valentini Librum enodatè percipietis; Fortis, inquit, per Constantiam; Frondosa per Eloquentiam; Magna, per Prudentiam; Diffusa, per Misericordiam; Fructifera, per Devotionis Exuberantiam. Arborem Eloquentiæ, Constantiæ, Prudentiæ, Misericordiæ, Devotionisque immunem quis dubitet? proprietates proculdubio sunt Libri. Est ergo Liber hæc arbor, & hic Liber; *Fortis, per Constantiam; Frondosus, per Eloquentiā; Magnus, per Prudentiam: Diffusus, per Misericordiam; Fructifer, per Devotionis Exuberantiam.* Liber est Excellentissimi Principis de Rocaberti. *Corn. sup. lib. Reg.* *Dan. 4.* *Lyr. sup. Daniel.*

Fortis per Constantiam.

CONstantia in Libris ita necessaria est, vt ipsi scribenti præceperit Deus, affirmet Ambrosius. *In buxo iubetur scribere (scribe super buxum*, ait Dominus Isaiæ) *vt admoneat te ipsa materia, quæ semper viret, & numquam foliis exuitur.* Meritò ergo Liber debet esse fortis per Constantiam; sed si fortis debet esse Liber per Constantiam, nullus fortior Libro N. Excellentissimi Principis: siquidem non iam super buxum scripto, sed super solidissimam Petram exarato. Quæ Petra? De qua Dominus dixit: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et nè illius Constantia dilabetur. *Neque portæ inferi prævalebunt adversus eam.* Intenti ora tenete: Pro Authoritate Petræ stat per Constantiam fortissimus calamus. Cuius? Alterius Petræ: non vtcumque Petra; sed Excellentissima, & Illustrissima *Petra-lata*, vt in lata Constantia *Petræ-latæ* N. Sanctissimus laureatum reportet triumphum, canatque cum Regio vate Sanctissima Petra: *In* Petra-lata *exaltavit me: & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.*

Libr. 3. exam.

Isai. 3.

Psal. 26.

Frondosus per Eloquentiam.

SI erit eloquens ille (ait Cicero) qui in causis ita dicat, vt probet, vt delectet, & flectat; pereloquens proculdubio est Liber Illustrissimi Valentini Archiepiscopi: etenim non solum probat, sed convincit rationum suarum robur: & vt delectet, voluntatem captat eius eruditionis omnigenæ pulchritudo. Si spectamus in aureo isto Volumine rationum nervos, manus absque dubio dabimus: si SS. PP. Sacrorumque Conciliorum, Scholasticorumque discussionem; exactam vsque ad stuporem miramur: & vt Frondositatem per Eloquentiam miremur, mirum est quanta pulchritudinis varietate in suarum Assertionum perflorido commiscuit hortulo; vt hinc inde picturatus oculis intuentium totus delitiosus appareat. Tùm modestiæ humillimæ candidissima lilia: tùm sapientię auriferæ aspectui iucundissimæ violę: tùm insuper ingenij acuminis profundissimi inexplicabiles myrti: Et ita ex flosculis singulis ad proventum decoratur, vt affari cum Lucretio liceat.

Floribus vt Apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.

Lucret.

Imò, & Authoritas Summi Capitis Iucundissimo hoc, Frondosoque per Eloquentiam nemore circumdata, & obumbrata dicere potest: *Sub Vmbra illius, quem desideraveram, sedi.*

Magnus per Prudentiam.

QVia Prudentia est rerum expetendarū, fugiendarumque scientia; nihil præter rectum, aut laudabile agit (ait Macrobius.) Vnde si nihil rectius, nihil laudabilius, quam pro veritate stare, & honorem propugnare paternum, (ait enim Spiritus Sanctus: *Qui honorat patrem, vita vivet longioris*) iam Liber Principis de Rocaberti Magnus per Prudentiam apparet, dum per illum, Authoritatem Vniversalis Patris cernimus clypeatam. Consultò diximus clypeatam, vt admiratio illius providentiæ subeat, dum cernitur amor, seu filius (filius enim ab amore) pro patre pugnans, & in pugnæ ardore (furor enim arma ministrat)

1. Offic.

Eccles. 3.

non

non tela ferientia; sed illuminantia radia contorquens, & absque vlla personarum lęsione, solum delens errores. Vnde si

Hunc servare modum nostri novere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis,

Docebat Martialis: abundantius satis Illustrissimus Prœsul docet, dum clamante veritate, Zelo Religionis ardente, ita casta eloquia profert, vt neminem lateat, eius altissimum scribendi finem secura doctrina absolutum, legentium mentes tranquillis, & Catholicis gressibus ad cognitionem veritatis allicere, & ad Summum, Vniversalemque Patrem lætificandum. *Filius enim Sapiens lætificat Patrem.*

Doctus N. Calep. verbo fil.
Leg. 1. §. Ex hoc, ff. De vētre.
Mart. Epig. 33.
Prob. 15.

Diffusus per Misericordiam, & Fructifer per Devotionis Exuberantiam.

CVm Misericordiam appellet Cicero ægritudinem, iam tabescentem Excellentissimum Archipræsulem Valentinum aspicimus, vtpote Magna Misericordia flagrantem: *Misericordia* (inquit) *est ægritudo ex miseria alterius laborantis iniuria.* Ex miseria ergo laborantium iniuria, mehercle, ægrotat. Cur? quia eorum amore tabescit. Sed quorū?

Cicer. 4. Tuscul.

Horrendum, ac dictu video mirabile monstrum.

Profectò perhorrescunt aures, dum ad illas pervenit, quod prœclarus Gallicanus Clerus, filius Ecclesiæ, & Summo eius Capiti abincunabulis deditus, funditusque addictissimus, ita sit

Æneï. 3.

Oblitus decorisque sui, sociumque salutis.

Vt Authoritatem sui, omniumque Maximi Pastoris abolere conetur, cum scriptum appareat. *Dedecus filii Pater sine honore.*

Virg.

(*Quis talia fando*
Temperet á lachrymis?)

Eccles. 3. Virg.

Si gloria hominis ex honore Patris sui, vbi est illa nobilis Gallorum gloria? Certè iam illam iniuria hac vndequaque ita fędatam conspicimus, vt cum Poëta canere (melius flere) possimus:

Frigidus & —— Aquilo decussit honores.

O miseria! Sed ò Libri Archipręsulis Valentini Misericordia, vtpote pharmacis melifluis pleni, vt antiquæ sanitati, & splendori pristino Clerum Gallum restituat! O, inquam, amor plusquam Misericors omni incumbens labori! Hinc etiam *Fructifer per Devotionis Exuberantiam* elucet: Etenim si devotio dedicatio, & consecratio est: Cum in Vestrum honorem consecretur, si eius vberrimis fructibus fruamini, Fructifer per Devotionis Exuberantiam erit. Nobiles, perspicacesque estis: adamussim illum legite attendentes: *Quod Solis* (ait Cassiodoris) *aspectum nisi clara lumina non recurrunt: quia illi tantum possunt rutilantes pati radios, quos constat oculos habere purissimos.*

7. Varia 35.

Viso iam Libro Excellentissimi Archipręsulis Valentini, per Constantiam Forti, Frondosso per Eloquentiam, per Prudentiam Magno, Diffusso per Misericordiam, per Devotionisque Exuberantiam Fructifero, eius altitudo nos vocat vtpote à Daniele Vaticinata, ait enim: *Altitudo eius nimia.*

Alta proculdubio petimus, dum Viribus nostris celsitudinem arboris de Rocaberti pertingendam reputamus: nam si in tantæ familiæ Heroes in vtraque militia strenuissimos, oculos inijciamus

Quot messis aristas, Sylva gerit frondes, Iectat litus arenas,

Reperiemus. Sed quid? Propter hoc silentio prętereundi? absit: etiam

si tàm pręclaro oneri succumbamus. Sed ne in re notissima moram faciamus, aliqua pro nostri amoris pignore, etsi pauca, in lucem proferamus.

Lib. de Nobilit. Si primus nobilitatis ordo (inquit Herodotus) in vetustate originis stat; imò & tanti fuit apud politiores nationes antiquitas in familijs, vt neminem liceret nobilitatis privilegio frui, nisi per imagines vetustissimas probatæ: Qua proceritate fulgebunt Heroës de Rocaberti, de quibus potiori iure, quam de Arcadibus illis dicere possumus:

Qui Lunam superare ferunt se tempore, & annis?

Certè inter primos Hispanos Æquites, priores; inter Maximos Proceres, maiores: ac tandem ita inter Excellentissimos, Excellentiores, vt meritò ad instar Poëtæ aliam proceritatem decantantis, Domum de Rocaberti decantare nobis liceat

Ipsa inter alias præstanti sanguine Turris
Vertitur excellens, & toto vertice supra est.

Quid mirum? si *altitudo eius nimia?*

Hęc, Excellentissime Princeps, & Illustrissime Archipręsul, & si non eleganti penicillo, tanti Principis amore adstricti dicebamus, fisi, quod si *in magnis voluisse sat est*, nobis erit satis, tàm suprema aggredi, sicut merita præclarissima tanti Principis præseferunt. Parvum munusculum, sed affectibus magnum: Hoc aspicere tanti Principis est, nam (vt ait Ruffinus:) *Prius aspexit Deus ad Abel, quam ad munus, quòd munus propter affectum, non affectum propter munus respicit Magnus.* Vale.

Super Ps. 53.

EX.me PRINCEPS.

Ill.mę Excellentiæ Vestræ, affectu, & obsequio humillimi filij.

M. Fr. Ioannes de Goyri
Visitator Provinciæ Castellæ.
Fr. Hyacinthus de Zuñiga Lector Iubilatus.
Fr. Ioannes de Soto Lector Iubilatus.

CENSVRA D. D. FRANCISCI BENEDICTI COLODRO, olim Collegæ in Maiori S. Ildephonsi Collegio, Artium, ac Theologiæ in Complutensi Academia publici Professoris, in Toletano Archiepiscopatu Examinatoris Synodalis, in Eccl-sia SS. Iusti & Pastoris, Magistralis, ac demum in Cathedrali Conchensi Pœnitentiarij Canonici.

EX.me DOMINE.

GRATITVDINEM affectus, & animi honori, quem mihi, transmittens aureum Librum, quem mirabili erudione plenum, solidisque, & firmis foltum fundamentis in defensionem Authoritatis Apostolicę Sedis, eiusque Capitis Romani Pontificis edidisti, dignaris impendere, supplex, humilisque ex corde ostendo. Cuius Infallibilem, Supremamque Potęstatem (quamvis sem-

per

per firmam, vinci neſciam, victricem ſemper, velut indeflexam veritatis Regulam, contra quoslibet ſævientis inimici conflictus, contra cuius ſtabilem permanentiam, vtpote fixis â pluribus ſæculis radicibus nixam, nullus inimici flatus prævalere poteſt) novitates quædam à veritate Catholicæ Fidei alienæ, in Eccleſiæ ruinam concinnatæ, contra omneque lumen rationis, adeò perturbare tentant, & ſollicitant, vt Prælatos, Eccleſiarumque Principes, Sacrarum Litterarum munimina, Apoſtolicarum Traditionum, Sacrorum Conciliorum, necnon & Sanctorum Patrum, Eccleſiæque Doctorum arma arripere cogant, & impellant, vt Principes, magis ſui Imperij propagationi, quàm tàm Supremę Poteſtatis integritati conſulentes, tilere, & obmuteſcere faciant. Ad hoc (ni fallor) accernit, quod Sanctiſſimus meus Collega (Veſtræ Excellentiæ glorioſus Anteceſſor) Thomas à Villanova concinit: *Decuit talem, ac tantam Fidem huiuſmodi argumentis corroborari, ne violentia Principum, & æmulorum invidia caſſaretur.* Ita ſane, Princeps Excellentiſſime, ſummo ſtudio, ardentiorique Zelo impleſti. Tot ſiquidem adſtrictus laboribus, tamque graviſſimis occupationum oneribus preſſus, non deſpexiſti, imò viriliter, & gloriosê pro re tàm iuſta, Deoque tàm grata laboraſti, & in Eccleſiæ obſequium, eiuſque patrocinium Opus verê aureum in lucem edidiſti, tanta eruditione plenum, tàm mirabili doctrina refertum, vt verè Armarium Catholicum dici poſſit, & debeat nuncupari. Quod quidem cæteros Eccleſiæ Principes vocat, vt ad iſtam inexpugnabilium Clypeorum cohortem ſe accingant, & præparent, illud Iſaiæ meritò vſurpans: *Surgite, Principes, arripite Clypeum.* Qui quidem de armis Sacris, Sacratêque vnctis (vt Septuaginta interpretati ſunt) loquutus eſt; ſic enim vertunt: *Vngite Clypeum.* Quamvis etenim hic antiquitatis mos, rituſque fuerit (vt prophana eruditio tradit) ſcripſereque Virgilius, Vegetiuſque; verius tamen de armis conſecratorum Principum, quos Rex Regum Eccleſiæ ſuæ, toto terrarum Orbæ diffuſæ Principes, & defenſores conſtituit, intelligendum eſt. Cui muneri ita cumulatiſſimè ſatisfeciſti hoc percelebri tui ingenij Opere, vt de illo meritô decantari poſſit, quod de Tertulliani Apologia olim dicebat Hieronymus: *Apologeticus* Excellentiſſimi Rocaberti *cunctam ſæculi continet diſciplinam*, quandoquidem nihil intendit, (ò mirabilem huius Operis proprietatem,) quod efficaciter non convincat. Hinc illud Vincentij Lirinenſis dicere poſſum: *Nihil penè ſibi ad expugnandum eſt propoſitum, quod non aut acumine irruperit, aut pondere illiſſerit.*

D. Tho. à Villanova, Serm. 2. de Reſurrect.

Iſaiæ, c. 22.

D. Hier. epiſt. 84.

Vincent. Lirin. c. 24.

Et licet omnibus ſub Sacro Crucis vexillo certantibus, Chriſtianæque Militiæ adſcriptis, hoc munus incumbat; Caput tamen Eccleſiæ, eiuſque Supremam Poteſtatem tueri, ad Epiſcopos (vtpote Dignitate propinquiores) arctius attinet. Sic cum Spiritus Sanctus collum Sponſæ, ideſt, Eccleſiæ, vellet deſcribere, nedum gratia ornatum, verum ornatu, & pulchritudine munitum depinxit, inquiens: *Sicut Turris Davíd collum tuum quæ ædificata eſt cum propugnaculis*, vt detur intelligi, idem eſſe Collum Capiti vicinum collocari, ac armis in eius protectionem muniri. In quibus (vt bene Caſſiodorus, & Cornelius à Lapide notarunt) ſignificantur Prelati, qui in ſui defenſionem Capitis ſemper debent eſſe parati, inimicos temerarijs auſibus illud invadere conantes à ſublimi ſuę Dignitatis culmine ſpeculantes. *Per Collum, & Turrim notantur Præſales, qui vocantur Epiſcopi, id eſt, Speculatores, é Turribus, qui ſemper in bello ſunt pro defenſione Sanctæ Eccleſiæ pugnantes.* Et hic Epiſcoporum præcipuus debet eſſe conatus, Eccleſiæ Caput, ceu præci-

Cornel. à Lap. in 4. Cant.

puum huius corporis membrum, pro viribus defensare, vtpote in cuius Supremo Solio inviolabilis Fidei stabilitas quiescit, & nititur. *Invicta ergo Fides Ecclesiæ nititur invicta Fide Sancti Petri, & Successorem eius Romanorum Pontificum.* Magnus Gregorius super hunc Textum (videtur enim Vestrę Excellentiæ arrisisse) hęc inquit: *Bene sicut Turris David Collum Sanctæ Ecclesiæ dicitur, quia Sancti Prædicatores procul venientes hostes Sanctæ Ecclesiæ speculantur, & fortiter resistunt, si quid in Ecclesia lædere conantur.* Etsi enim Episcopi ob suam Dignitatem Doctrinæ Evangelicæ Prædicatores existant; tu verò (Princeps Excellentissime,) duplici titulo hoc nomen vsurpans, Dignitate, scilicet, & Professione, primus defensioni Ecclesiæ Capitis adesse debuisti: quod vt vigilantissimus tantę Sedis Præsul, & Patriarchæ Dominici inclyta Proles, diligentissimè impleviſti; non secus ac alter Thomas, de quo ille acerrimus Ecclesiæ hostis, impijssimus Buzerus, intrepidus, & insano corde (etsi cū reverentia Angelicæ eius doctrinæ) hęc verba audacter eructavit: *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam,* non animadvertēs hunc IESV CHRISTI fertilissimum agrū, hunc Sanctorum, atque Doctorum semper virentem hortum (Sacram Prędicatorum Religionem dico) sapientium etiam perennem fontem, fæcūdamque scaturiginem esse. De quibus cum Cassiodoro non immeritò dicere debeo: *Concordat huic familiæ ramus ille ditissimus, qui Virgiliano Carmine semper enascitur,* & cum Virgilio:

Idem.

D. Greg. Pontifex apud Cornelium vbi sup.

Cass. variar. lib. 5. cap. 4.

Virgil. Æneid. 6.

——— *Hoc nempè avulso, non deficit alter*
Aureus, & simili frondescit virga metallo.

Hęc adeò perspicua, & explorata veritas est, vt nec oblivionis incuriæ locum præbeant tantorum eiusdem Familiæ Magistrorum scripta, neque vllum præsenti sæculo dubitandi locum relinquat experientia ipsa, neque posteritati, omnique ætati venturæ deficiet, nec ab eius memoria poterit aboleri, in æternum durante hoc tuo doctissimo Libro.

Si enim superna Providētia (adhuc in naturalibus) tā ta cura, tātoque studio disponit, quando terra nimis insolens, atque vitiosa (idem vtrūque existimo) venenum parturit, antidotum in salutiferis herbis producere; quantò magis Ineffabilis illa Supremaque Providentia hoc providere, curareque debet, vt si Principes assentatione, adulationeque Prælatorum sui muneris oblitorum, tàm pernicioſæ fraudis venenum hauserint, in sapientibus, doctisque Pręsulibus medicamen inveniant, in suisque scriptis, ceu in crystallo purissima, Catholicam veritatem contemplentur, & gustent, venenumque, quo intellectus languet, vacillat voluntas, quoque sua periclitatur apud omnes glorioſa existimatio, repellant?

Hoc tui eximij Operis primarium motivum esse, ex tua nobili, Religiosaque pietate conijcio: Sicque in huius veritatis argumentum huic Christianissimo Monarchæ, suorum glorioſorum Progenitorum exempla proponis, qui adeò Apostolicam Sedem venerati sunt, vt exinde Christianissimorum meritò vsurpaverint nomen, suique Imperij dilatationē, suis magis erga Fidem subsidijs, quam animi fortitudini (quamvis maximi) debitam meruerint. Vtinam Deus (sic spero, & enixè opto) huic magno assistat Monarchæ, vt in sui ampliorem honorem, & gloriam, inque solatium Sanctissimi Patris Nostri Innocentij XII. Sanctissimi Innocentij XI. Dignitate Successoris, eiusque Catholici Zeli eximij æmulatoris, veritatem agnoscat, ab erroreque, quo adstrictus tenetur, absolvatur, & in hac tàm gravium scopulorum procella inquietum turbulentorum dictaminum mare, paccata Fidei aura serenet. *Inter hos scopulos, & sinus,* (aiebat Tertullianus) *relificata Spiritu Dei Fides navigat.* Perge igitur (Excellētissime Princeps) hisque curis toto pectore incumbe, vt dulci tuorum Scriptorum

Tertull. de Idololat. c. 24.

do-

doctrina superbior frenetur animus, tantorumque fundamentorum efficacia obstinatior pervicacia confundatur, & illicò de tuis scriptis cum Vincentio Lirinensi decantabo: *Tanta nescio, qua rationum densitate, eius oratio conserta est, vt ad consensus sui, quos suadere non potest, impellat, cuius quot pene verba, tot sententiæ; quot sensus, tot victoriæ.* Tandem (Excellentissime Princeps) iudicium meum Sidonius Apolinaris coronet: *In hoc Opere est opportunitas in exemplis, Fides in testimonijs, Virtus in argumentis, Pondus in sensibus, Flumen in verbis, Fulmen in clausulis.* Deus Optimus Maximus te nobis, & publico commodo, Christianæque Religionis emolumento per plura lustra perennet. Conchæ die 6. mensis Martij, anni Domini 1694.

Vincent. Lirin. cõment. 1. c. 24.

Sidon. Apolin. Apol. lib. 9. epist. 7.

EXme. DOMINE ARCHIEPISCOPE VALENTINE.

Vestræ Excellentiæ humillimus, obsequentissimusque servus.

Doct. Franciscus Benito Colodro.

CENSVRA ILLVSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI Domini Archipræsulis Compostellani, totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magistri, &c.

ILL.me AC EX.me DOMINE.

EXCELSVM Opus, cui titulus *de Romani Pontificis Authoritate Infallibili extra Concilium*; ac *illibata Romanorũ Pontificũ in Fide Constantia*, à te, Excellentissime Princeps, accuratè elaboratum, & tua benignitate mihi transmissum legi, perlegi, & summa animi voluptate, ac devotione iterum lego, gratias agens Altissimo, quod in calamitosis his temporibus nobis in te dederit Doctorem divitem in virtute, pulchritudinis Sacrarum Litterarium studium habentem, qui potens sit in doctrina sana exhortari, Populum Christianum instruere, & eos, qui contradicunt arguere, eorum audaciam frangere, imò & deterrere vaniloquos, inobedientes, qui Vniversam Ecclesiam subvertere procurant, docentes, quę non oportet turpis lucri, aut pestiferę adulationis gratia. Gratias ago Deo nostro, quod in te suscitaverit alterum Aquinatem, qui stylo brevi, grata facundia, & celsa, clara, firma Sententia ad Fidelium instructionem, & Parisiensium informationem vastissimam Infallibilitatis Sedis Apostolicæ, ac illibatæ Summorum Pontificum in Fide Constantiæ Provinciam in varios Tractatus tui præclari Voluminis distributam Populo Catholico exhibeas, ita eruditè dispositam, vt tot egregios huius puncti Tractatores excedas, cupiens tali dogmate Ecclesiam replere, eamque in suo Ineffabili, ac Infallibili imperturbatè conservare Magisterio. Magnum pietatis argumentum cooperari Deo in salutem animarum, non propterea superfluum, quia ab alijs, aut tractatum, aut expositum gravissimis Viris. *Expedit enim* (dicebat Augustinus, *lib. 1. de Trinitate, cap. 3.*) *vt de vna, & eadem re multi Libri fiant; vt ad alios veritas perveniat sic, ad alios sic*: Stylo plano, ac Scolastico vsus es ad rem ita arduam, ac perdifficilem explicandam,

&

& vt cunctis placeat condimentis eloquentiæ, imò & aureis Rethoricę filamentis ſuperplenam producis. Glorifico Patrem noſtrum, qui in Cœlis eſt; quia video te Cherub cum flammeo gladio collocatum ad valuas Paradiſi Eccleſiaſtici, ad cuſtodiendam viam Ligni Vitæ, ad defendendam Infallibilitatem Pontificiam, & illibitam, numquam defecturam, conſtantem omni tempore Summorum Pontificum Fidem; quam ita demonſtras nervosè, ac veraciter propugnas, vt adulatoribus perpetuum ſilentium imponas. Scribe, Excellentiſſime Princeps, vt omnes tuis doctiſſimis Voluminibus edoceas; & vt luceas omnibus, qui in Domo ſunt, conſtitutus ſuper Eccleſiæ Candelabrum, arde, ſplende, illumina tamquam alter Angelus, Thomas; vt ignorantiæ tenebras diſſipes, ac inimicorum Infallibilitatis, ac Fidei Pontificię Capita conquaſſes. Eſto Thomas, vt ſis Gedeonis Gladius, qui ſubtilitate ingenij, & acuitate ſanæ doctrinæ hoſtes Infallibilitatis, ac conſtantis Fidei Summorum Pontificum ad internetionem vſque perimere audeas. At ſanè æquum eſt tibi hoc præfulgido potiri Epitheto, dum non niſi Angelici Doctoris enſem evaginatum, illius te verſat dextera: cuius Doctoris Hymnum occinens, ait Eccleſia.

Fit Gedeonis gladius:
Tuba, lagena, radius.

Tua induſtria, ſtudio, ac diligentia iam totus terratum Orbis, nemine diſcrepante, ex Fidei præcepto credendorum confitebuntur Summum Eccleſię Pontificem, ac gregis Dominici Vniverſalem Paſtorem Infallibilem, tâm intra, quàm extra Concilium Magiſtrum, Interpretem fideliſsimum agnoſcent, & inenarrabilem controverſiarum Iudicem in decidendo Infallibilem, & in credendo indefectibilem adorabunt. Attende lectioni, doctrinæ, ac meditationi, vt aſſoles, vt tuum ſacrum miniſterium impleas, ad Eccleſiæ ædificationem. Evangeliza Ioannes, vt Gratia, tuo nomine ſignificata, derivetur ad omnes, præcipuè ad domeſticos Fidei, & parce balbutienti tui ſervi linguæ nam cum puer ſim, & nihili, ac ſtupidi ingenij, neſcio loqui. Te enim commendationibus attollere, te laudare, ſpectat ad Aſtra matutina, & hæc cum Ennodio, admiratione plena dicent: *Super vacuis laborat impendijs, qui Solem certat facibus adiuvare.* Concludo cum eodem: *Sum, & ero laudum tuarum, ſi non idoneus, ſaltem benevolus buccinator.* Uale ad dandam ſcientiam ſalutis; vive vt luceas his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent. Dura ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Perenna: vt exaltatus ſuper Cedros Libani omnes illumines, cunctis proſis, multis faveas, & mihi indigno ſervo tuo pręcipias. Compoſtellæ die 25. menſis Novembris, anno Domini 1693.

Exme. ac Illuſtriſsime Domine Archiepiſcope D. Ioannes Thomas de Rocaberti.

Ueſtræ Illuſtriſsimæ Dominationis, ac Excellentiſsimæ Amplitudinis.

Pluſquam humillimus ſervus, ac obligatiſsimus filius,

Fr. Antonius Archiepiſcopus Compoſtellanus.

CENSVRA COMPLVTENSIS IMMACVLATÆ *Conceptionis Sacri Collegij, Regalis, ac Militaris Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.*



VGVSTA Domus, Regia ſtirps cera, & ære pręclariſſimi Vicomites de Rocaberti, generoſi Marchiones de Angleſola, nobiliſſimi, *Gratia Dei*, Comites de Peralada, Cathaloniæ ſplendor regalis, Aragoniæ Imperiale iubar, Romæ lux, Germaniæ decus, Maiorum, & Regum, & Imperatorum, fumoſis imaginibus ſuorum, ab extrema antiquitate, originum ſęculo, & CHRISTI Domini ætate, Fidem, & Eccleſiam, terra, marique armorum præſidio, pugnaciſſimi defenſarunt. Religione Catholici, pietate fideliſſimi, Zelo Apoſtolici, Heroës immortales, Duces ſtrenui, militari robore glorioſi, animi magnitudine, & facinoribus rebus in bellicis, & præclaris geſtis, enaſcens Evangelium, & Petri Cathedram ſanguine ſuo tutati ſunt. In fortitudine brachij, & fama, & opinione, equites celeberrimi pericula propulſarunt, & defenſionis ſcuto Apoſtolicam Sedem ſartam, rectamque, & quaſi Homerica nube velatam, ſervavere. Iam, quaſi Phœnix de ſingularitate famoſus, de poſteritate mouſtruoſus, priſtina illa claritudo renaſcitur, & ex Parentum meritis glorioſis, & iure hæreditario, ſuccedit gladio calamus, enſi ingenium, haſtis doctrina, & iaculis ſcripta præclara.

Hoc in Opere Eximio, poſt tot gloria militari parta regna, ſtabilita clementia, meritis perennata, acerrimum, & pręſtantiſſimum propugnatorem Eccleſiæ Principes antiquiſſimi præbent, & Excellentiſſimo Succeſſore, Domini ſatoris ſponſam vindicant, & ab impoſturis tuentur. *Nobilitas cum ſit quædam laus veniens ex meritis Parentum* iuxta Boetium, ſeu, *quædam Maiorum claritas* ex Ariſtotele: vtraque regia nobilitas hic ſplendet; altera *in genere* Auguſto cum Iuriſperitis; & altera *in virtute* cum Philoſophis. Illuſtriſſimus Author, clara ex ſtirpe prognatus, clarior fit labore ſuo, doctiſſimiſque elucubrationibus proſperè, fœliciterque gloriam, & Eccleſię, & poſteritati commendat. Si *nobilitas à noſcendo deducitur*, quia facit notam proſapiam; nunc antiquiſſimum, Regium inclareſcit genus: illa etenim Progenitorum virtus, & circa Sedem Apoſtolicam conſtantiſsimum ſtudium nobis micat devotionis addictiſsimę, & ardentiſsimæ fidelitatis radijs. Vndè Baldus aiebat. *Credere debemus, claros natales plerumque tribuere maiores ad virtutem impetus: Et in Familijs Heroicis vim naturæ præſtantiorem eſſe, quàm in reliqua multitudine. Habet enim nobilitas ſanguinis, & generis adiunctam plerumquè nobilitatem mentis: eſtque magnus ad virtutem ſtimulus Maiorum virtus.*

Boet. libr. 3. Proſ. 6. de Conſol. Ariſt. lib. 2. Reth.

Franc. Bald. tit. 3. de Iur. Perſon. l. 1. Inſtit.

Philoſophia indagini rerum curioſè intenta, non eſt aſpernata voces, ſeu nomina, ſciens eſſe ſignacula rerum. Ne quid ergo hominum notitiæ invium eſſet, Philoſophi etiam nominum anatomen effecerunt. *Hinc Cantes, Petra, Rupes*, ſeu *Roca* ſignum eſt Fidei, & Conſtantię in Summi Romani Pontificis obſequio. Igitur contra hanc firmiſsimam *Rocam*, nobiliſsimam Rupem, hoſtes Eccleſiæ appellunt. *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur. Super quem verò ceciderit, conteret eum. Rupes*, ſeu *Roca* à rumpendo dicitur: quippè quę rumpit, & demoli-

Matth. c. 21. v. 44.

molitur ſuperbam vani ædificij molem. Ezequiel prophetavit. *Dic ad eos, qui liniunt abſque temperatura, quod caſurus ſit: erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes deſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantem. Siquidem ecce cecidit paries: numquid non dicetur vobis, vbi eſt litura, quam liniſtis? Propterea hæc dicit Dominus Deus, & erumpere faciam ſpiritum tempeſtatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit: & lapides grandes in ira in conſumptionem. Et deſtruam parietem, quem liniſtis abſque temperamento, & adæquabo eum terræ, & revelabitur fundamentum eius: & cadet, & conſumetur in medio eius: & ſcietis, quia ego ſum Dominus.* Ezeq. 13. v. 11.

Petra autem es *Chriſtus*. Sed cùm invius ſit oculis hominum, aliam *Petram* ſui vicariam, caput Eccleſię, Petrum conſtituit, vocans eum in communionem eiuſdem nominis. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. c. 16. Vbi Divus Hilarius exclamat. *O in nuncupationis novi nominis, fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ inferni leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolveret!* D. Hilar. Can. 16. Mittit ergo Dominus *lapides grandes*, nimirum *Petrum*, ſeu *Petram*, ſaxeam Fidem eodem ſchemate inauguratam, & *Rupem*, ſeu *Rocaberti*, Fide prædictam lapidea, & evertit, excindit, & diruit, ſoloque æquat falſum adverſantium ædificium. Excellentiſſimus Rocaberti, Vir Nobilitate, Religione, Doctrina, & Dignitate ſpectabilis, ſolutis ſcientiarum cataractis Cœlorum, imbribus ſapientię ſuæ detorbat, & ſternit parietem linitum abſque fundamento, & litura. Deus *convertit Petram in ſtagna aquarum, & Rupem in fontes aquarum.* Pſal. 113. v. 8.

Qui tueri intendunt novas iſtas adverſus Sedis Apoſtolicæ iura opiniones, ſimiles ſunt ei, qui inſipienter *ædificavit domum ſuam ſuper arenam, & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Matth. 7. v. 26. Authoritas autem Divina Romanæ Apoſtolicæ Sedis *aſſimilatur Viro Sapienti, qui ædificavit domum ſuam ſuper Petram: & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra Petram.* Profectò, *Petra Chriſtus, Petrus Petra: & Rocaberti Petra, Rupes, Roca.* Super has Petras ædificatur defenſio Vicarij CHRISTI, præſtabilitur Authoritas Succeſſoris Petri, & fulcitur Maieſtas Divinæ Monarchæ Regni Cœleſtis Eccleſiæ. Infallibilitas Decretorum Summi Pontificis extra Concilium, iuxta Iob, velut Aquila elevatur, in arduis ponit nidum ſuum, *in petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus.* Iob cap. 39. v. 31.

Gallicanæ Declarationis Authores, adinſtar Philiſtæi, exprobrabant agminibus Iſrael, & Eccleſiæ Romanæ Præſulibus, & Doctoribus. Aſt Excellentiſſimus Dominus, velut alter David *proceſſit adverſus Philiſthæum, & miſit manum ſuam in peram, tulitque unum lapidem, & funda iecit, & percuſſit Philiſthæum in fronte, & infixus eſt lapis in fronte eius, & cecidit in faciem ſuam ſupra terram.* 1. Reg. 17. Pluſquam *quinque limpidiſſimos lapides de Torrente* Sacræ Scripturæ, Sanctæ Theologiæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, habet in ſui ardentiſſimi Zeli Pera Paſtorali. Unum tulit lapidem: unum edidit Volumen. Hic lapis infixus eſt Capiti bellatorum adverſus Petri Cathedram, gigantea mole tentantium, qui ceciderunt in faciem ſuam ſuper terram.

Ex Prędicatorum graviſſima Religione, Doctorum climate, Regione Sapientium, Magiſtrorum area, Theologorum ſolo natali, Antiquis Scri-

pto-

ptorum, & Academiarum laribus, egressus est huius Operis Author, Sanctissimi Dominici fausta, & generosa proles, Solis Angelici clarissimus radius. *Filius sapiens lætificat Patrem*, Dominicum videlicet, qui à Domino nomenclaturam habet. *Dominus autem à dominando, seu domando dicitur*: quippè qui Ecclesiæ hostes magno cum dominio vincit, domat, & profligat. Hoc per se olim, nunc per filios suos quatuor in Orbis partibus. Igitur alter Thomas, scientiarum abyssus, sanioris Theologiæ Filius, insigni Complutensi Divi Thomę Collegio antiquitùs, optimis litterarum studijs iuvenili in ętate ornatus, perpolitus, atque excultus, post in omnium disciplinarum genere summa cùm laude, & admiratione versatus, omnium suffragiis, vniversaque plaudente Academia, primos tulit honores: & plerisque emensis studijs Cathedrarum, Valentinam Vniversitatem illustravit doctrina. Generis celsitudo suppetias attulit virtuti, & menti, & hæc ab illa decorem accepit, velut à gemma pretiosa annulus, & ab annulo aureo gemma. Ea, quę Philosophiæ Professor, & Primarius Theologiæ Antecessor, in Sanctorum Patrum scaturigine salubri, dulcique mari magno hausit; iam in copiosos, & clarissimos in hoc Opere facit effluere fontes, rigans montes Ecclesiæ de superioribus suis. *Prov. 10. v. 4.*

Rectè mystici canis, tàm cœlestis, quàm terrestris signo, intelligitur Dominicus Parens. Ille *leporem fugientem insequitur*: Hæresis enim terga dat velocissimè, & fugam arripit, cane insectante Dominico. Hic baubatur, latrat, lambit, mordet. Latrat quidem Prædicatorum Ordo, vt domus Dei custos; salubris, & medicinalis vlcera lābit; mordet Ecclesiæ hostes. Vndè, Iacobus Millius, canis ingenium depingens, Ordinem Prædicatorum eximio artificio, politissima arte, & egregio penicillo describit. *Canis Fidelis Patronum agnoscit, veneratur, ac tuetur, & quæ iubet facit libenter, gestit gratias referre.* Ecclesiam Catholicam, & Sanctam Sedem Apostolicam, alloquens canis typo Religionem depingit. *Hic te, si mare naviges, sequetur: si mare penetres, natabit: non te per medios relinquet æstus, non te deseret horridos per imbres, non te deseret asperas per Alpes, non te deseret ille per hostes, te tutabitur per hostes. Si venaberis, ille per labores conatur tibi complacere semper, & prædam tibi vincit, aut triumphos; illæsum leporem tibi reportat: pro te non rabidos recusat vrsos, & dentes patitur furentis Apri, Cervos, Capreolos, vafrasque vulpes, sternit genus omnium ferarum. Certè non sibi, sed tibi laborans, qui tantos sibi sustinet labores.* Hæc officia, hæc obsequia sunt, quibus à primęva Institutione gravissimus Sancti Dominici Ordo, & filij eius, vt fidelissimi Catelli Sedis Apostolicæ cultores, & clientes esse profitentur. Illustrissimus horum Scriptorum Author, Sanctorum hæreditate inclarescens, latratu Theologico, verus Ecclesiæ Custos, vigilias agit excubitor, fures exigit, arcet lupos, & insidias detegit. *Iacob. Millius de Nat. Canis.*

Clarè perspicitur, & oculis lustratur, quanta floreat Author Sacra Theologia, & doctrina veterum, & Sanctorum Patrum. Ex principijs immediatè revelatis pro Summo Pontifice Romano, irrefragabiles Conclusiones educit, & principia explicat, quæ necessaria sunt Capiti visibili Ecclesiæ, in qua sunt constituti Doctores, & Pastores, *ad ædificationem Corporis CHRISTI.* Est Theologus doctissimus, & Fidelis tradens doctrinam sanam, & eos qui sanam non habent redarguit. Iuxta Paulum amplectitur *eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Sunt multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores quos oportet redargui*, maximè, hac tempestate: simul ostendit magni ponderis, Dignitatis, & momenti esse Sacram Theologiam, & quantum Ecclesię refe- *Ad Eph. cap. 4.* *Paul. Ep. ad Titum, cap. 1.* *D. Thom. 1. p. q. 1. art. 1.*

rat,

D. Aug. l. 4. de Trinit. cap. 1. D. Aug. ad Volus. Epist. 3.

rat, & Cathedræ Petri interfit. Vndè Parens Augustinus ad Volusianum, Theologiæ necessitatem commendat, quæ Fidei opitulatur, & Ecclesiam adversus impios tutatur. *Ad comprimendam humani ingenij temeritatem, eiusque superbiam labore domandam: vt dum tumens, ac turgens hominis animus, abstrusos Divinarum Litterarum recessus penetrare se posse præsumit, demùm desperans cogatur vnà cum Æthyope illo Eunucho exclamare, Actorum capite octavo: quomodo possum hæc intelligere, nisi aliquis ostenderit mihi? Quæ cum ita sint, ii qui, minus necessariam esse putant Theologiam scholasticam, tùm se denique errasse sentiunt, cum eos aut disputatio cum Hæreticis, aut perplexus aliquis conscientiæ casus exercet.* Quoties enim hæresum funestæ pestes in Orbe Christiano grassatæ sunt, toties secundum ordinatissimam Dei Providentiam exciti sunt divinitùs Viri Theologi præstantissimi, qui Sacram Theosophiam in aciem adhùc apertiorem, & prælium educerent, contra homines mendacia, novitates, & errores amantes, & spargentes. Ad tuendam igitur, æquè pariter, Catholicam Religionem, & Romanæ Sedis Apostolicę Divinam Authoritatem, Illustrissimus Mystarches Valentinus, Theologorum insignium arripiens similitudinem, & calamum figens in vestigijs clarissimorum Virorum, progressus facit ingentes *pro tradita Sanctis Fide.*

Iam ergo ad copias adversariorum opugnandas, & defendendam Ecclesiam redeunt Saturnia Regna, & tempora aurea. In hoc Opere eximio, ex duodecim sæculis redivivi ad nos iterum vitalibus auris remigrant veteres Patres, & Theologi insigniores, Hierotheus, & Dionysius; Patenus, & Clemens Alexandrinus; Athanasius, & Hosius; Parianus, & Basilius; Epiphanius, & Cyrilli; Theodoretus, & Gregorij; Chrysostomus, & Hilarius; Eusebius, & Cyprianus; Hieronymus, & Augustinus; Ambrosius, & Gregorius Magnus; Leander, & Leo; Isidorus, & Prosper; Fulgentius, & Cassiodorus; Beda, & Albinus; Angelus, & Rabanus; Haymo, & Strabus; Remigius, & Paschasius; Corbiensis, & Amalarius; Algerus, & Lanthfrancus; Hildebertus, & Bernardus; Ivo, & Anselmus; Honorius, & Sigebertus; Burcardus, & Rupertus; Hugo, & Ricardus; Lombardus, & Gratianus; Alexander, & Albertus; fulgentissimus Sol Thomas Ecclesiæ, & Bonaventura; Caietanus, & Zumel; cæterique in Sacra Theologia florentes; hic segete copiosa, & matura fruge reviviscunt adversus schismata, hæreses, & alias pestiferas oves.

Ioan. c. 1.

Versipellis Angelus ille nequam mendacia, & odia in Sanctam Sedem Apostolicam affingit; vt Gallici Regni incolæ decipiantur, & non detestentur illecebras, quibus impetuntur, in animarum perniciem. Sed Illustrissimus Doctor, Valentinus Archipræsul, rerum Divinarum conscius, diaboli technas aperit, animosque errantes sollicitat ad meliorem frugẽ. Paulũ ad Episcopum Titum obsequitur dicẽti. *Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam*: & ad Timotheum inclamanti. *Prædica verbum, insta opportunè; importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabant sibi Magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Dominus quidem Archiepiscopus *vigilat, in omnibus laborat, opus facit Evangelistæ, Ministerium suum implet.* Efficax præbet exemplum, & pręclarum specimen Doctoribus, & Prælatis; vt omnes eum imitentur, pedes figant, & in vestigijs, atque caracteribus calami ipsius insistant. Ad auram tanti spiritus, & Zeli omnes Polum aspicere, & navigare possunt. Docet Orbem: traddit alijs, quod sentit: elucubrationum clarissimarum orbitam premere invitantur. Per va-

Paul. ad Titum, c. 2. Paul. ad Timot. c. 4.

rios

rios eruditionis gradus ſummum, qui in Academijs apicem conſequutus, ſuprema plauſum laurea donatus eſt, Scriptis ſuis Eccleſiam Domini illuſtrat.

Galli tàm in Propoſitionibus primo prolatis anno 1669. quàm in Declaratione Eccleſiaſticæ Poteſtatis per Clerum, anno 1682. promulgata ſe ſe Eccleſiaſticæ libertatis, & Regiæ Authoritatis Clypeo protegere præſumunt: Aſſertis ſuis ſpetioſum lemma affigunt: *Sex Aſſerta Sacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis circa Poteſtatem Papæ.* Et: *Cleri Gallicani de Eccleſiaſtica Poteſtate Declaratio.* Titulum honorificum pro ferunt quaſi veritatis ſtudioſi: diſcant tamen à S. Auguſtino reſipiſcere, imò reſpicere qualiter agendum pro veritate: *Nam quæro ab omnibus* (ait) *vtrum malint de veritate, quam de falſitate gaudere? Tàm non dubitant dicere de veritate ſe malle, quàm non dubitãt dicere beatos eſſe ſe velle. Beata quippe vita eſt gaudium de veritate. Hoc eſt enim gaudium de te, qui veritas es, Deus illuminatio mea, ſalus faciei meæ, Deus meus. Hanc vitam beatam omnes volunt: hanc vitam, quæ ſola beata eſt, omnes volunt: gaudium de veritate omnes volunt. Multos expertus ſum, qui vellent fallere, qui autem falli, neminem. Vbi ergo noverunt hanc vitam beatam, niſi vbi noverunt etiam veritatem? Amant enim & ipſum, qui falli nolunt. Et cum amant beatam vitam, quod non eſt aliud, quàm de veritate gaudium, vtique amant etiam veritatem. Nec amarent niſi eſſet aliqua notitia eius in memoria eorum. Cur veritas parit odium, & inimicus eis factus eſt homo tuus, verum prædicans, cum ametur beata vita, quæ non eſt, niſi gaudium de veritate? niſi quia ſic amatur veritas, vt quicumque aliud amant; hoc quod amant velint eſſe veritatem: & quia falli nolint, nolunt convinci, quod falſi ſunt. Itaque, propter eam rem oderunt falſitatem, quam pro veritate amant. Amant enim lucentem, & oderunt eam redarguentem. Quia enim falli nolunt, & fallere volunt, amant eam cum ſe ipſam indicat, & oderunt eam, cum eos ipſos indicat. Inde retribuitur eis, vt qui ſe ab ea manifeſtari nolunt, & eos nolentes manifeſtet, & eis ipſa non ſit manifeſta. Sic, ſic etiam, ſic animus humanus, etiam ſi cæcus, & languidus, turpis, ac indecens latere vult, ſe autem vt lateat aliquid non vult. Contra illi redditur, vt ipſe non lateat veritatem, ipſum autem veritas lateat.* Intueantur adverſarij in hoc chryſtallino ſpeculo nęvos ſuos. Libertatem prędicant, cùm maximè mancipantur: Doctores & aliorum ductores dici amant, quando magis in ſecurum tramitem ducendi ſunt: gratiam alienam aucupari intendunt, ſed ex Tantali horto fructus colligunt, qui ſuliginem continent favillaceam: amare ſe tamdem fingunt veritatem lucentem, & oderunt eam redarguentem.

D. Aug. lib. 10. Confeſs. c. 23.

D. Aug. lib. 1. Cõfeſs. c. 23.

Divus Hieronymus. *Veritas claudi, & ligari poteſt, vinci non poteſt, quæ & ſuorum paucitate contenta eſt, & multitudine hoſtium non terretur.* Conſonat Divus Clemens Alexandrinus; *quæ verè quidem eſt veritas, quomodo Sol illuminat colores, vt album, & nigrum, oſtendit qualis ſit vnuſquiſque eorum. Sic veritas ipſa quoque refellit omnem ſermonis probabilitatem. Meritò ergo á Græcis quoque acclamatum eſt: Principium magnæ virtutis eſt Regina veritas.* Quemadmodum in certamine illorum trium iuvenum corporis Regis Darij excubitorum mirè refulget. In quo veritati victrici, & triumphanti data eſt palma. Non deſunt in Gallia qui dicant: *Fortior eſt Rex.* Idque oſtendere nitantur quia *Rex ſuper omnes præcellit, & dominatur eorum, & omnia, quæcumque dixerit illis faciunt. Et ſi miſerit illos ad bellatores vadunt, & demoliuntur, & muros, & turres. Iugulan-*

D. Hier. in Proœm. Comm. in Ierem. l. 3.

D. Clem. Alex. c. 6. Strom.

3. Æſdr. c. 4.

tur, & iugulant, & Regis verbum non prætereunt. Nam si vicerint, afferunt Regi omnia, quæcumque prædati fuerint. Similiter & alij omnes, & quotquot militant, nec pugnant, sed colunt terram: rursum cum fuerint metentes afferunt tributa Regi: & ipse vnus solus si dixerit, occidite, occidunt: dixerit, remittite; remittunt: dixerit, percutite, percutiunt: dixerit exterminate, exterminant: dixerit ædificate, ædificant: dixerit excidite, excidunt: dixerit plantate, plantant: & omnis plebs, & virtutes eum obaudiunt, & super hoc ipse recumbit, & bibit, & dormit. Hi autem custodiunt in circuitu eum, & non possunt ire singuli, & facere opera sua, sed in dicto obaudientes sunt ei. Si oculis hæc omnia lustrentur, & intenta, atque attenta acie legantur, Sorbonica Asserta, & Gallicani Cleri de Ecclesiastica Potestate Declaratio, profectò hæc Historia Regem Gallię describere videtur.

Cæterum *Veritas prævalet.* Et pro ea stat excubitor Illustrissimus Archiepiscop. Valentin. in hoc Catholicissimo opere proclamans: *Veritas magna, & fortior præ omnibus. Omnis terra veritatem invocat; Cœlum ipsam, etiam benedicit, & omnia opera moventur, & tremunt eam, & non est cum ea quidquam iniquum. Veritas manet, & invalescit in æternum, & vivit, & obtinet in sæcula sæculorum. Nec est apud eam accipere personas, neque differentias, sed quæ iusta sunt facit omnibus iniustis, ac malignis, & omnes benignantur in operibus eius. Et non est in iudicio eius iniquum, sed fortitudo, & Regnum, & Potestas, & Maiestas omnium æviorum. Benedictus Deus veritatis. Et omnes Populi clamaverunt, & dixerunt. Magna est veritas, & prævalet.* Vtinam Excellentissimum tantę Veritatis propugnatorem, & Sedis Apostolicæ defensorem præmia inibi afficerent præscripta, & munera cumularent. Nempe, *cuiuscumque apparuerit sermo sapientior alterius, dabit illi Rex purpura cooperiri.* Veritatem quippè suis lucubrationibus decorat, & venustiorem reddit. Vndè Lactantius aiebat: *Veritas licet possit sine eloquentia defendi, vt est á multis sæpè defensa; tamen claritate, ac nitore sermonis illustranda, & quodammodo diserenda est, vt potentiùs in animos influat, & vi sua, & instructa Religione, & luce orationis ornata.* Veritas enim Orthodoxa, hoc in Volumine præclaro, formosa nitet, & egregia oris venustate commendatur.

Lact. lib. 4. de Falſ. Relig. c. 1.

Quisquis attentè legerit Asserta Cleri Gallicani eiusque Declarationem, perpendet an sint contra nudam, & sinceram Vicarij CHRISTI Authoritatem prolata, & cõsideret, quæ elegãter D. Augustinus ad illa verba CHRISTI Domini de Nathanael: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*, ait: *Dolus fraus est, simulatio est, quando aliquis aliud in corde tegit, & aliud loquitur. Dolus est, & tamquam duo corda habet. Vnum quasi sinum cordis habet, vbi videt veritatem, & alterum sinum, vbi concipit. Et vt noveritis hunc esse dolum, dictum est in Psalmis, labia dolosa, sequitur, in corde, & corde loquuti sunt mala. Quid est in corde, & corde? nisi in duplici corde. Et hoc nomine etiam vocatur in scripturis scilicet, duplici corde, & duplex animo. Nec vacat mysterio, quod vir minimè dolosus dicatur verè Israëlita ab Israële; nam de Iacob scriptum est. Iacob autem vir simplex.* Veritatis natura est, vt sit simplex, & nuda, alieniſſima à mendacio, fraude, simulatione, & fuco. *Veritatis enim pulchritudo,* scribit Pater Augustinus, *nec multitudine audientium constipata secludit venientes, nec peragitur tempore, nec migrat locis, nec nocte intercipitur, nec vmbra intercluditur, nec sensibus corporis subiacet. De toto mundo ad se conversis, qui diligunt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna. Nullo non loco est: nusquam deest: fortis admonet: intus docet: cernentes se commutat omnes in melius: a nullo in deterius*

S. Aug. tract. 7. in Ioan. Ioan. c. 1.

D. Aug. lib. 2. de Libero Arbitrio, c. 14.

rius commutatur: nullus de illa iudicat: nemo sine illa iudicat benè. Opera hæc eximia Excellentissimi Valentini Antistitis adversantiũ Sedi Apostolicæ consilia patefaciunt, intimos sensus expromunt, latebras aperiunt, penitissimos recessus recludunt, tricas disrumpunt, & detegunt technas.

Veritas Catholica Illustrissimi, & Doctissimi Authoris elucet. Ariete multò, fortissimis tormentis, & machinis mœnia oppositæ Sententiæ verberantur, muri quatiuntur, turres quassantur: tota moles inaniter fundata corruit. Hebrçorum proverbium est: *Veritatem stabiles, mendacium debiles habere pedes, quia illa semper, hoc parvo tempore durat.* Idemque significant Litteræ Hebraicæ *Sceber*, id est, *Mendacij*, quod acuminatos, ideoque debiles: & *Emet*, id est, *Veritatis*, quæ quadratos, ideoque solidos, & constantes habent pedes. Sic Infallibilitas Decretorum Pontificum Romanorum extra Concilium, sic Successorum Petri perpetua, continua, indefectibilis in Fide Constantia: ita istæ veritates Cœli in arce radicatæ sunt, ita Divino munimine vallatæ, & propugnatæ ab exordio nascentis Ecclesiæ, *vt portæ inferi non prævaluerint adversus eas.*

Nos autem cum Apostolis Petro, & Ioanne Gallis dicemus: *Si iustum est in conspectu Dei vos potiùs audire, quàm Deum, iudicate. Non enim possumus, quæ vidimus & audivimus non loqui.* Oculos, & corda convertimus ad Dominum, & cum ipsis Apostolis prosequimur dicentes: *Domine, qui Spiritu Santo per os Patris nostri David pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & Populi meditati sunt inania, adstiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in vnum adversus Dominum, & adversus CHRISTVM eius, respice in minas eorum, & da servis tuis cum omni fiducia loquendi verbum tuum.* Adversus CHRISTVM Domini, & eius Vicarium in terris insurgunt, & exultant. Non tamen desunt Catholica Scripta, quę resistunt, & expugnant iniqua Decreta contra Orthodoxas Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Infallibiles Sanctiones.

Actor. c. 4.

Psalm. 2. vers. 1. & 2.

Zelus tuendæ Religionis in hisce doctissimis Commentarijs plurimis titulis splendet. Veritatem elucidant, spinosos adversariorum campos aureo calami vomere proscindunt. Princeps Ecclesiæ Valentinę nobilissimus *exerit vires, fortiter dimicat, atrociter in prælio isto concertat. Considerat pactum, conditionem attendit, militiam nosci: pactum, quod spopondit, conditionem quá accessit, militiam, cui nomen dedit.* De Ecclesia benemeritus, & ipsius supremorum munerum, & honorum arctissimis vinculis adstrictus pro Romana Sede decertat, sed triumphat. Dignitatis hæc onera sunt. Plura edidit opera; alia autem promulgandi sibi legem indicit, & vadimonium præstat, alia vlteriora cudendi.

D. Ioann. Chrys. to. 3. serm. de Martyr.

Paulo docente: *Zelum quidam habent, sed non secundum scientiam.* Illustrissimus autem, & Zelum, & scientiam habet. Ignis ardens, & fervens circa Ecclesiam studium lauros, & victrices palmas promerentur. Divus Bernardus dicebat: *Palmæ fervidas amant Regiones.* Sic victoriæ fervidos Zelo postulant Viros. Consonat Divus Ambrosius. *Zelum Dei, qui habent omnes sibi inimicos putant, qui sunt hostes Dei, quamvis Patrem, Fratres, & Sorores. Zelo Fidei Populus Gentium vitam sibi acquisivit æternam, quam negligentia, atque desidia, Iudæorum Populus amisit. Ideoque scriptum est: Zelus apprehendet Populum ineruditum: quoniam Populus, qui erat eruditus in lege nullum Fidei habebat ardorem. Contulit se Zelus ad Gentes. Cuius tanta est gratia, vt electionis prærogativam vicerit, & eruditionis industriam superarit. Denique apprehendens Populum ineruditum fecit esse meliorem. Itaque ea gratia operata est in Populo Nationum, vt hæreditatem Domini mere-*

Paul. Ep. ad Rom. 10.

D. Bern. in Vig. S. Andreæ. D. Ambr. serm. 18. Psal. 118.

retur,

retur, quam operatus est Dominus, vt Ecclesiam sibi ex Nationibus copularet.

Imitatur præclarissimus Valentiæ Archiepiscopus quotquot Sanctorum post aurea Apostolorum tempora Sanctitate, & Doctrina, & Zelo in Ecclesia Dei floruerunt; vt Cyprianus, & Augustinus; Basilius, & Hilarius; Ambrosius, & Chrysostomus; Hieronymus, & Gregorius; Bernardus, & Thomas. Ardor animi diligentem facit, & strenuum: Zeli eius Excellentia ex duabus maximè virtutibus exoritur, nempè Charitate, & Religione: flagrat summo desiderio salutis animarum Galliæ; est re verà Protomysta Zelotes, & æmulator: atque, vt docet Divus Ambrosius, suę satisfacit Dignitati: Zelus enim est virtus maximè tributa Pontificali Dignitate fulgentibus. *Zelum debet habere Sacerdos, qui incorruptam servare studet Ecclesiæ Castitatem. Zelus Dei vita est. Zelo Ecclesia congregatur. Zelo Fidei acquiritur. Angeli substantiæ suæ amitterent prærogativam, nisi eam Zeli ardore sustentarent.* Addit Divus Gregorius, rectè equidem, & sapienter: *Nullum Deo gratias sacrificium offertur, quàm Zelus animarum.*

D. Ambr. serm. 18. Psal. 118.

D. Greg. lib. 1. in Ezeq.

A Templo Dei Religionem auferre intendunt, qui Petri Sacratissimũ Thronũ violare, atque inamissibili Authoritate Divina, ausu temerario denudare præsumunt. Hoc autem aureum Opus, Divinæ Legis amore, & Clavium Ecclesię exaltationis studio, Zelo zelans honorem Dei, cum Domino Redemptore eijcit de Templo ementes, & vendentes. Scriptum est: *Zelus domus tuæ comedit me.* Sic increpat quotquot Domum Dei faciunt speluncam latronum, & domum negotiationis, contemnentes Divinam Authoritatem, propter emolumenta, vsurpationes iniquas, quæstus, & lucra. Negotiantur enim ambitiosè, qui gratiam hominum adulationibus aucupantur, & gratiam Dei parvi faciunt. Aures Regis poppysmate feriunt assentatores. Blandiuntur subscriptionibus, Declaratione detestabili adulantur, & falsa Asserta in Academijs defendere profitentur. Verumtamen, in his Catholicis Voluminibus, & Commentarijs, venit Verbum Dei, & Zelus Divini honoris facit quasi flagellum, atque de Domo Vicarij CHRISTI violata, eijcit vendentes Asserta, ementes Doctrinas, & duro, sed iusto, verbo veritatis amandat lucra, negotiationes, & assentationes turpes.

Psal. 19. Ioan. c. 2.

Apologema asserens Romanorum Pontificum in Fide Catholica illibatam Constantiam locuples, & Sanctorum Patrum inclyto agmine, invicta Doctorum Phalange, atque Magistrorum copioso cętu exornatum sacris Traditionibus mirum in modum suffulcitur. Lacedemones, Athenienses, Gręci, Persæ, Chaldæi, Romani, omnesque Gentes vti sunt Iuribus, & Legibus partim scriptis, & partim non scriptis, sed traditione acceptis. Sic Ecclesia Sancta CHRISTI, vt in hoc Libro Apologetico perspicuum est vtitur Traditionibus. Quarum aliæ sunt Divinæ, aliæ Apostolicę, & alterę Ecclesiasticæ. Divinæ sunt acceptæ ab ipso CHRISTO Domino Apostolico docente. Propterea enim Paulus loquens de Sacramento Eucharistiæ, dicebat: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Aliæ autem sunt ab Apostolis institutæ. Alię verò à Sanctis Patribus, vel à Prælatis, aut Populo Christiano legitimæ, doctæ, & introductæ, quæ paulatim tacitò Orbis Catholici consensu vim Legis obtinuerunt. Igitur Summorum Pontificum Romanorum Infallibilitas in decernendo extra Concilium, constans in Fide Catholica perseverantia, Authoritas in Temporalia Regnorum indirectè, Potestas Exauthorandi Reges, & absolvendi subditos à fidelitatis iuramento, Iurisdictio supra omnia Concilia OEcumenica, & omnes Reges, & Principes, Divinaque Monarchia infra Deum, non solum Divinis Oraculis, sed etiam Traditionibus Divinis, Apostolicis, & Ecclesiasticis firmantur, & confulciuntur. Eamdem au-

12. Chor. 1.

tem

tem Traditiones vim habent, quàm Divina præcepta in Evangelijs, in doctrina Apostolorum, & Ecclesiæ Canonibus scripta. Quoniam Verbum Dei non est tale, nec habet vllam Authoritatem, quia exaratum est in membranis, sed quia à Deo revelatum, ab Apostolis profectum, vel ab Ecclesia constitutum. In Republica quoque civili eadem est vis Traditionum probatarum, ac legum scriptarum in codicibus. Quibus confutantur omnium temporum Novatores cavillantes Catholicos Sacras Traditiones admittentes, vt negligant Ecclesiam, cuius est nedum verbo scripto, verum etiam non scripto prædicare, docere, tractare, explicare, interpretari, atque decernere, Authoritate quidem sibi à CHRISTO Salvatore concredita, & in eius Vicario ab origine Ecclesiæ inamissibiliter residente. *Dist. 1. Can. consuet. & C. diuturna, ff. de Legib.*

Allegant huiusmodi farinæ homines Traditiones suas ad impia Asserta proferenda. Sed telas texunt aranearum inanes, mendacia miscent: adscititiam artem exercent, commentitia probant ingenia, & pravorum cordium turpi velo celare sensus contendunt, Hebręorum ad instar, qui accesserunt ad IESVM ab Hierosolymis cum Scribis, & Pharisæis, dicentes: *Quare Discipuli tui transgrediuntur Traditionem seniorum?* Caligo Solem arguit, & eò dementiæ Scribę, & Pharisæi caliginosi homines proruperunt, vt typho superbiæ distenti crediderint, pęnes se legis summam esse, rati solo suo arbitrio actiones hominum esse malas, aut secus. Sed tamen, CHRISTVS Dominus non negavit Hebræos Traditiones habere: quoniam, vt optimè docet Pater Augustinus, ab initio mundi est Civitas Dei: & tamen nulla fuit Scriptura ante Moysem, sed solummodo Traditiones. Post Moysem verò vsque ad CHRISTVM Dominum per alia duo annorum millia extiterunt quidem Scripturæ; cæterum etiam Traditiones, & dogmata, & præcepta ore tenus tradita à Moyse, vt docet Galatinus. Vndè CHRISTVS Dominus non negavit inter Hebręos Traditiones fuisse, sed Traditionem illam non fuisse Seniorum, sed ipsorum Scribarum, in quos succensens CHRISTVS acutè Zelum stringit. Non enim ait: *Quare, & vos transgredimini mandatum Dei propter Traditiones Divinas, & Mosaycas*, sed *propter Traditionem vestram.* Reprehendit vtique commentitias Traditiones. Zelum æmulorum suorum imprudentem, & detestandam tenebrionum insaniam compescit, & acriter in eos invehitur, vt transgressores Legis Dei, quàm temeratiè nihili duxerunt, modo Ritus, & Traditiones suas minimè præterirent. *Matth. c. 15. D. Aug. lib. 44. de Civ. Dei. Galat. l. 1. contra Iudæos, c. 1.*

De eisdem Dominus Marci 7. videtur loquutus fuisse: *Benè prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labijs me honorat: Cor autem eorum longè est á me. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis Traditiones hominum. Benè irritum facitis præceptum Dei, vt Traditionem vestram servetis. Rescindentes Verbum Dei per Traditionem vestram, quam tradidistis.* Vndè optimè Eusebius. Qui Traditiones humanas Ecclesię Dei obtrudunt, vt Verbi scripti Authoritatem elevent, aut Sacras, & Divinas Scripturas ab Spiritu Sancto dictatas, non credunt, & ita sunt infideles, aut se ipsos Spiritu Sancto sapientiores esse dicunt. Quod planè quid aliud est, quàm tamquam dæmone exagitatos insanire? Concludit Tertullianus istorum cavillationibus respondens: *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non Privilegium Regionum.* *Isai. cap. 23. v. 13. Marc. c. 7. Euseb. l. 5. Hist. Eccles. c. 27. Tertul. de Virg. Velandis.*

Hostes, seu, vt eius ethymologia præfert, *angustiatores, & oppressores* Apostolicæ Romanæ Cathedræ Divina permissione offensi sunt hodierni Novatores, vt ab ipsis in hoc sapientissimo Libro vtilitatem Ecclesiæ capiamus. Diogenis Apopthegma erat. *Ad salutem hominibus opus est, aut fidis amicis, aut acribus inimicis: eo quód illi monent, hi redarguunt.* *Diog. in Laer. lib. Plut.*

Quemadmodum periti Medici ex beſtijs, ac ſerpentibus noxijs vtilia quædam remedia colligunt: ita ex inimicorum odio decerpere aliquid, quod vertat in bonum, Philoſophorum ingenij eſt. Excitat enim Catholiciſſimum Præſulem, vt calamo medios proſiliat in adverſarios. Singulari ergo Dei Providentia factum eſt, quòd iſtorum animi, & contra Sedem Petri, poſt tot annorum centurias relerati fuerint, vt Deus mirabiliter vtatur ipſis Petri Cathedrę adverſantibus ad eam conſervandam: quia enim ſingulis ætatibus orti ſunt novi Hęretici, qui diverſa dogmata Eccleſię impugnarunt, ideo etiam ſingulis ſæculis extiterunt Præſules, Doctores, & homines peritiſſimi, qui, vt Hæreticis reſiſterent, diligenter inveſtigarunt Doctrinam Eccleſiæ, Sententias Sanctorum Patrum, & antiquas Veterum Traditiones, vt poſteris commendarent. Sicuti, qui diu pacificè poſſidet bona ſua, facilè amittit inſtrumenta, & Litteras, quibus continetur, vt ea bona ad eum pervenerint, & quò iure hæreditatem poſſideat. Verumtamen, qui litigat, diligentiſſimè ſyngrapham cuſtodit, nec oblivione decidere vlla ratione patitur.

D. Clem. Alex. 7. Strom. 11. Chor. 11.

Divus Clemens Alexandrinus aiebat. *Ortæ ſant quæſtiones, é quibus natæ ſunt hæreſes.* Apoſtolus Paulus non ſine myſterio ſcripſit. *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt inter vos, manifeſti fiant.* Vbi indicat hunc fructum hęreſeon, quæ ſpectata humana inconſtantia à Deo permittuntur; vt qui probati ſunt ſolidi, & firmi in Fide Catholica ſe ſe magis probent, & manifeſtam faciant Fidelem Conſtantiam, & Catholicæ Religionis Zelum, atque in media hæreſum procella intumeſcente mari ſe nedum ab hæreſe immunes, ſed benè affectos, & obſequentiſſimos Eccleſiæ filios oſtendant.

Sacras Scripturas Sedis Apoſtolicæ hoſtes in teſtimonium ſuarum Aſſertionum producunt, atque recenſent. Sed pravus Scripturæ intellectus eos miſerrimè decipit. Iam enim CHRISTVS Dominus *Matthæi cap. 7.* prædixit. *Matth. c. 7.* *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium: intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Per quæ fraus Hæreticorum intelligitur, qui ſub verbis Apoſtolorum, & Prophetarum gerunt ovium veſtes: intùs autem, in ſenſu verborum, ſunt rapaces lupi, animorum prædones, & Sanctę Romanæ Sedis infenſiſſimi hoſtes. De quibus Vincentius Lyrinenſis inquit: *Vincent. Lyrin. li. contra Hæreſ. nov.* *Quid eſt veſtitus ovium, niſi Prophetarum, & Apoſtolorum proloquia? Qui ſunt lupi rapaces, niſi ſenſus Hæreticorum feri, & rabidi? Sed vt fallaciùs incautis ovibus obrepant, manente luporum feritate, deponunt lupinam ſpeciem, & ſe ſe Divinæ Legis Sententijs velut quibuſdam velleribus obvolvunt.* Imitantur Iudæos, Hęreticos, & diabolum patrem ſuum. Iudæi equidem ex Sacris ipſis Scripturis conati ſunt oſtendere, CHRISTVM non eſſe Meſſiam. Dicebant enim: *Numquid à Galilæa venit CHRISTVS? Nonnè Scriptura dicit, quia de Iudæa, & Bethlehem venit?* Sed vſque in hodiernum diem antiquum Teſtamentum legunt, & venerantur: & tamen in ipſo, nec quærunt CHRITVM, nec vident. Hæretici quoque Scripturis abvtuntur, & à Divinis Litteris præſidium ſuis erroribus emendicant, atque à ſemetipſis invicem, in eadem etiam ſecta, diſſecti exiſtunt. Scripturas tractant, lancinant, & inſtar cerei naſi, nunc in hanc, nunc in illam partem ducunt, atque retorquent. Idcircò, CHRISTVS Dominus, Saducęos reſurrectionem corporum negantes, redarguit dicens: *Matth. c. 22.* *Erratis, neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Non enim intelligebant ſenſum, & conſilium Dei illis in verbis incluſum: quæ cauſa erat erroris ipſorum. Diabolum etiam, quem Patrem hæreſum appellant veteres Doctores, imitantur. Propoſitis enim *Matth. c. 4.* *Pſal. 90. v. 12.* Sacræ Scripturæ teſtimonijs CHRISTVM tentavit, & ad ſemetipſum provocavit præcipitandum. *Si Filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt*

enim

enim quia Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Vbi Chryſoſtomus ſapienter fatur: *Numquid ideo os illius ſanctificatum fuit? Nequaquam. Manſit quod erat.* Non eſt ergo, quod Catholici novis doctrinis contra Petri Cathedram aurem facilem præbeant, quamvis Scripturis ea confirmare videantur Novatores. Diabolum namque patrem imitantur, & ſanę doctrinę partes corrumpunt. Vndê Parens Auguſtinus cavebat. *Non aliundè natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata perverſitatis illaqueantia animas, quam dùm Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè, & audactèr aſſeritur.* Conſonat Divus Hilarius: *De intelligentia eſt hæreſis, non de Scriptura: ſenſus, non ſermo, fit crimen.* Eſt igitur dogmatum perverſorum fons, & origo Scripturæ non benè intellectę audax, & temeraria Aſſertio. Sic per verba Legis Legem impugnant hi, qui ex Scripturis malè contextis, & perperam intellectis fabricant, & commendant contra Divinum Eccleſię Thronum impia Aſſerta.

D. Chryſ. Homil. in Matth.

D. Aug. tract. 18. in Ioan.

D. Hilar. lib. 2. de Trin.

Dęmonis fraude effectum eſt, vt idolis mundo pulſis, hæreſes ſuccederent, & velut nova idola irreperent. Eſt enim hęreſis proprij cerebri figmentum, ideoque talem quiſque Deum habet, qualem ſibi fingit, non qualem Eccleſia revelat, & proponit. Sic, ſic, apud impios, & non æquos veritatis ęſtimatores eſt Summus Pontifex Romanus, profectò *Idolum*, non abſolutus CHRISTI Vicarius, non verus Petri Succeſſor. Non adorant, nec colunt Pontificem, qualem CHRISTVS inſtituit, & Eccleſia Catholica ab Exordio coluit, ab origine adoravit, & ſemper venerata eſt, ſed talem, qualem ſibi fingunt. *Non habet Dei Charitatem, qui Eccleſiæ non diligit vnitatem*, eſt Divi Auguſtini Sententia. Gallos alloqui videtur Sanctus Cyprianus, redarguens Diaconum ſuperbià Epiſcopum ſuum contemnentem. *Hæc ſunt Hæreticorum ortus, atque conatus ſchiſmaticorum malè cogitantium, vt ſibi placeant, & Præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de Eccleſia receditur, ſic altare prophanum foras collocatur, ſic contra pacem CHRISTI, & ordinationem, atque vni, tatem Dei revelatur. Orta igitur eſt hæc, quam aperit falſa iuſtitia, ex qua progreſſus patet in hæreſes, ex contemptu. Inde enim ſchiſmata, & hæreſes oborta ſunt, & oriuntur, dum Epiſcopus, qui vnus eſt Eccleſiæ Præſes, ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur: & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur. Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor? Quæ arrogantia animi?*

D. Aug. lib. 3. cap. 16. de Baptiſ. contra Don. D. Cypr. Epiſt. 65. & 69.

Quò tendunt prafati Novatores? Quo animi ſenſu dilauiantur? Quid timent? Quid moliuntur? Cur ſaxum, *& Petram Petrum* volvunt? Quid ſibi volunt *Aſſerta iſta* prægnantia? Quid laruæ iſtæ? Quid commodi, vtilitatis, lucri, intereſſe, vel quæſtuum, metiuntur ex deſpicatiſſimo contemptu Divini Vicarij CHRISTI? Profectò Mater hæreſum eſt ſuperbia, & origo errorum ambitio. *Vna Mater ſuperbia omnes hæreſes genuit*, teſtatur Protoparens Auguſtinus. Lupus ante clamorem feſtinat. Surdo verbere Sedis Romanæ detractores cæduntur, morſibus anguntur conſcientiæ, malæ mentis ſtimulis vrgentur, carnifice torquentur nequitia, cerebrum perpetratio offenſarum in Sanctiſſimum, & Innocentiſſimum Innocentium Vndecimum, & mentes vexat, exagitat, torquet, vrit, cædit, cruentat, atque lancinat.

D. Aug. l. de Paſt. c. 8.

Ex Gallicani Cleri Aſſertis, in prefata Declaratione, prudenter vereri, & timerè poſſumus, atque exhorreſcere cultus, & honoris Divini extirpationem, Religionis excidium, Regnorum everſionem, Magiſtratuum legitimorum depulſionem, Sedis Apoſtolicæ oppreſſionem, CHRISTI Vicarii contemptum, & in totius Orbis Divinum Monarcham, & Regem

Re-

Regum perduellionem, pervicaciam, & alia similiter Orbi Christiano imminentia mala. Omnium enim Regnorum fœlicitatis quatuor sunt cardines, & fulcra: *Fides*, *Charitas*, *Religio*, & *Iustitia*. Schisma autem omnium malorum compendium Fidem lædit, Charitatem extingit, Religionem enervat, iustitiam de medio tollit. Si deficiant fundamenta, omnia declinant, cuncta imminuuntur, & superba malevolentia animorum, morumque dissidio, omnia ruunt. Satius esset, Sanctę Romanę Apostolicæ Cathedræ obsequia pendere, Thus adorationis adolere, & pro ipsius Constantissima Authoritate, vsque ad Sanguinis effussionem dimicare.

Arist. lib. 3. Æthic. cap. 7.

Illustrissimi Præsules in explicatione Ecclesiasticæ Potestatis aggredi non sunt ausi defensionem Veritatis Catholicæ, & Apostolicæ Sedis Authoritatem vt Regię obsecundarent, parum reveriti sunt. Perfecta Charitas foras mittit timorem, illic trepidaverunt timore vbi non erat timor: quæ autem trepidanda erant, scilicet ne stationes suas deseruisse viderentur, minus caviisse apparet. Audire par erat Dominum monentem: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiús timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Pro omnibus tamen, vnus pro mille, noster Valentissimus Archiepiscopus Valentinus nomen, munus, & partes suas adimplet. Dignitati suæ, & Officio Prælati Domestici Assistentis Sacro Solio, ab Innocentio Vndecimo, cumulatissimè satisfacit, & correspondet. Strenuè, atque summa cum laude, obit munia sua, & Dignitatem. In hanc etenim curam incumbit, iuxtà sui Archiepiscopalis, & Prælati Domestici Officij Etymon. Quippê Episcopi, *Inspectores*, *Vigiles*, & *Speculatores sunt*. Idcircô, vsus obtinuit, vt soli Episcopi in Templo erectum olim Thronum, ab alijs distinctum, & ornatum, haberent. Suntque veri Ecclesiæ Doctores, & Pastores in ordine primo, Duces, & veluti Angeli inter homines, lucernæ ardentes, & illuminantes in sublimi Ecclesiæ candelabro.

Matth. c. 10.

Omnia ferè Archiepiscopalia indumenta hoc nobis insinuant, quod in his elucubrationibus Excellentissimus Valentinus exequitur. *Annulus* oppignoratam Sponsam Ecclesiam subarrhat, vt Fidei signaculo Sponsam Rex intemerata fidelitate custodiat. *Pedum* est velut sceptrum Pastoris, quo & gregem dirigit, & discolum castigat, vt sit in corrigendis vitijs piè sęviens, & iudicium sine ira tenens. *Liber Evangeliorum* onus prædicandi, & Fidem tutandi designant. *Pallium* Archiepiscopale ex subtili, & candida lana, atque binis fascijs ante pectus, & à tergo, candorem Sacræ Theosophię insignit: vt Pallio suo Ecclesiam protegat vndique. Dùm *Mitra* imponitur, profert Consecrator: *Imponimus capisti huius Antistitis, & Agonistæ tui Domine galeam munitionis, & salutis, quatenus decorata facie, & armato capite, cornibus vtriusque Testamenti, terribilis appareat adversarijs Veritatis.*

Rup. Ab. lib. 1. de Divin. Offic. c. 25.

Papa *Patrem* sonat: estque vox amoris tenerrimi, quà parvuli priusquam articulatas voces reddere valeant Patres suos appellant. Quo datur intelligi, Dominum Papam nostrum, Pontificem Romanum ab infantia, & primo vagitu colendum. Hæretici, qui à suis Authoribus indigitantur, vt puta Ariani ab Ario; Lutherani à Luthero; Calviniistæ à Calvino; & alij ab alijs impostoribus; Catholicos à Papa Papistas nos vocant per convitium. Sto sic. Papistæ sumus filij, & vnius Patris, subditi vnius Principis, qui Cathedram Romanam tenet legitima à CHRISTO Domino, & Apostolo Petro Successione. Oves sumus illius Divini Supremi Monarchæ, qui Petri personam in pascendo Dominico Ovili sustinet: cui totus Orbis Christianus, Principes, Reges, & Imperatores, tamquam verò Capiti, & Domino subijciuntur.

Sicut Hæretici Catholicis obijciunt opprobrio, quod sunt Papistę, sic no-

nobis aliqui obijciunt Hiſpanis, quod ſumus nimis Catholici, nimis Papiſtæ. Sed maximum gloriæ ducimus. Etenim in Catholicę Sedis obſequium nullus poteſt eſſe nimius Zelus, nimia devotio. Procaciter exprobrant nobis. Sed blaſphemarum libenter linguarum ſpiculis parcimus. Cor Hiſpanorum dulci, & ſuavi ſagittatur amore Dei, & Apoſtolicę Cathedræ ſtudio: Sagitta quidem Fidei, & Charitatis ſagittati acutas linguarum, dentiumque ſagittas pro nomine dilecti nobis Patris, & Romani noſtri Paſtoris libenter ferimus. Amore ſiquidem eius ſaucios tela iſta non vulnerant: delectant potiûs, quâm affligunt.

Vtinam hi convertantur, & nobiſcum exerceantur, & nimis Catholici ab Hæreticis nuncupentur. Catholici enim vnam Eccleſiam, Orthodoxam dictam ſemper Catholicam habemus: quoniam toto Orbe diſſeminata Fides Chriſtiana nomen accepit, quod Vniverſale ſonat. Dicere enim Fidem Catholicam, perinde eſt, atque Fidem Vniverſalem Latina voce congruè nuncupare. Hiſpanos autem nimis Catholicos, nimis Papiſtas nominare, germana honoris eſt nota, quæ â Schiſmaticis ipſos honorificè diſcernit. Eſt profectò verax Senecæ effatum: *Non niſi ad regulam prava corriges.* Omnia namque debent habere ſibi propoſitum aliquod exemplar, ad cuius inſtar ſe componant, vt perfectionem conſonam nactæ ſuæ indoli ſortiantur. Nobis autem Deus conſtituit Eccleſiam vt Matrem, & Pontificem Romanum vt Patrem, quem voluit eſſe vivam morum, & doctrinæ regulam, organum Spiritus Sancti, & veram amuſſim. Quotquot autem ab Eccleſiæ capite, & recta regula deviant, proni ſunt in nefas, & ſchiſma, atque in venuſtiſſimam faciem eius rugam, & maculam ſpargere velle præſumuntur, vt viperini fœtus à virulento ſerpente ſati, qui Matrem ipſam occidunt.

Debent ergo veri Catholici eſſe de vno corpore Eccleſiæ, ſub vno capite, ſub vno Pontifice Romano, vno, & eodem modo, & in eodem ſenſu, ab Orthodoxis Fidelibus recepto, & adorato. Alioquin, erunt vt capilli, & vngues in corpore humano ſiti: nomen partium habent, eſto vitę ſint expertes: quippè nemo ſanæ mentis aſſeret hęc excrementa vita capitis frui. Ita nequam homines, qui obſequium Summo Vicario Chriſti inficiantur, Eccleſiæ partes inanimes poſſunt congruè nuncupari: & veluti Schiſmatici, materialiter, & apparenter tantùm vniti, neque ad vnum myſticum corpus, neque ad animam vnam pertinent. Si autem ſunt præciſi; ipſos evitare tenemur, vt homines transfugas ab vna & vniverſali Eccleſia Chriſti.

Privilegia Galli opponunt: libertates iactant. Sed privilegia, quæ ab vna Summa Authoritate Cathedræ Petri deſcivere, non Privilegia, ſed pravilegia cenſenda ſunt. Quidquid enim in domo Petri eminet, & aſſurgit, illud omne eſt infra Sedem Petri, & ſcabellum pedum eius. A quo, quidquid iuriſdictionis, gratiarum, Privilegiorum, & libertatum habent Patriarchæ, Primates, Principes, Reges, & Imperatores, emendicant, participant, hauriunt, & bibunt cum revocabili verbo: quippè, qui Vices agit Chriſti in Eccleſia, & eſt fons omnium Privilegiorum, gratiarum, & libertatum, cum Authoritate revocandi Canones, & abrogandi Leges poſitivas humanas. De quo Sanctus Leo Papa inquit: *Huius muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium voluit pertinere, vt in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium Summo, principaliter collocarit, & ab ipſo, quaſi quodam Capite, dona ſua voluit in corpus omne diffun-* D. Leo Epiſt. 89.

fundere. Innocentius Primus ad Concilium Carthaginense scribit: *A Petro ipse Episcopatus, & tota Authoritas nominis huius emersit.* Ratione huius primæ Divinæ Authoritatis Petri, cui succedere Papæ, omnes Principes, Reges, & Imperatores Romano Pontifici, sicuti Vicario CHRISTI, humili obsequio Caput submittunt, & pedes revertenter osculantur. Fides enim Regum, vt probetur Orthodoxa, debet esse congrua, & humilis, consona, & conformis Petri, & Romanorum Pontificum Authoritati, & disciplinę. Optimè enim Petro, & Romano Pontifici, convenit typus Petræ, cui affricatur aurum, vt probetur obrizum sit, nec nè. Lapidi Lydio titulus hic in Symbolorum Libro appenditur: *Fides hoc vno, virtusque probatur.* Sic enim Principum Fides, si Petræ Romanæ affricetur, & humilia obsequia exhibeat, vera est: sin minus, nec est aurum obrizum, nec Fides vera.

Innoc. Ius. Epist. ad Con. Cart. q. 91. inter Epist. D. Aug.

Scip. Barga. Symb. lib.

Nullus Rex supra Papam. Omnis Papa supra Reges. Pontificis Romani excellentiam supra omnes Potestates sęculares, etiam in Veteri Testamento præfiguratam, Sanctorum Patrum testimonia noravere. Multiplici enim titulo Pontifex, seu Summus Sacerdos Regibus præcellebat. Non solùm familia, inauguratione, vnctione, & ornamentis; sed titulo Officij, & Authoritatis. Munus erat summum, divinum, absolutum, independens, habens annexum supremum iudicium suprà Reges. Immo, nec poterat Rex magni momenti negotium aggredi, nisi consulto per Summum Pontificem Oraculo. Multa item faciebat Summus Sacerdos, quę ad Regis officium spectabant. De doctrinis non Rex, sed Summus Pontifex censebat. Habebatque Authoritatem super Regem, & vniversum Populum, tàm in Spiritualibus, quàm in Temporalibus, ad spiritualia spectantibus. Joas, Rex Juda, reverebatur Joiadam Pontificem, vt Parentem, eoque vivente nihil faciebat, nisi ex illius directione, & pręscripto. Pluris denique omnes faciebant præcepta Sacerdotis, quàm Regis. Tantus honor Summo Sacerdoti, Divina dignatione concessus, deferebatur; vt quisquis ei non obtemperaret, statim necaretur. Vndè Deus sic in Deuteronomio decernit: *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex Decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel. Cunctusque Populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* In Novo Testamento, & Lege Gratiæ, regimen Romani Pontificis est Monarchicum, & prorsus supremum, habens Authoritatem, & institutionem à CHRISTO Domino immediatè exortam. Quod quidem non residet in Regibus, & Principibus Sęcularibus, qui ab hominibus habent Potestatem. CHRISTVS enim Rex Regum, & Dominus Dominantium, instituit, sanxit, posuitque in suo Vicario, Summo Pontifice Romano, regimen omnibus numeris absolutum, & perfectissimum. Pontifex non accepit Potestatem ab Ecclesia, nec à Concilijs, sed immediatè à Deo. In ordine ad bonum spirituale habet Papa plenariam, & integram Potestatem, & iurisdictionem disponendi de rebus temporalibus omnium Fidelium, etiam Principum, Regum, & Imperatorum, in toto Orbe terrarum. Vt Supremus Monarcha potest, & debet, quando causa Fidei, & Religionis exegerit, imperare Principibus, Regibus, & Imperatoribus, in rebus Temporalibus, ex iure Dignitatis suę, & natura sui Officij ab ipso Deo immediate accepti. Subordinat cum vi præceptiva, coactiva, & directiva omnes sæculares Potestates, non solùm in rebus, quæ sunt circa Fidem, & Sacra-

Num. c. 27. 2. Paralip. 23. 4. Reg. c. 1. 4. Reg. c. 12.

Deut. cap. 17.

cramenta ; sed etiam circa quæcumque Decreta , Iura , Pragmaticas Leges, Sanctiones, & Personales sæculares actiones , & pravum vsum potestatis , & iurisdictionis Regiæ. Idcircò potest Reges coërcere , & contumaces deponere à Dignitate , & subditos absolvere à juramento fidelitatis. Sic cum multis noster Inclitus Doctor Zumel, *in Aureo Opere contra impia Venetorum Decreta ad Sanctissimum Patrem , & Dominum nostrum Paulam Quintum , Pontificem Maximum , & Tractatu de inconcussa electione , & certitudine Infallibili Domini nostri Clementis Octavi.* Qui plura volet , legat , & non pœnitebit. *Zumel. l. contra im piaVenet. Decret.2. prop. fol. 9.*

Constat ex Gelasio Papa,& in facti contingentia , aliquos Reges à Pontificibus Romanis depositos fuisse. Sanctissimus enim Zacharias Pontifex Maximus , precibus Ordinum Regni Galliæ permotus , non tantùm pro suis criminibus , sed quia Regno erat inutilis , Francorum Regem Childericum deposuit , atque omnes Gallos à fidelitatis iuramento absolvit , & Pipinum , Caroli Imperatoris Patrem , in locum eius substituit. Innocentius Quartus in Concilio Lugdunensi Fridericum Imperatorem infulis spoliavit Augustalibus , publico iudicio , & Sententia.Innocentius Tertius Lusitaniæ Regi , ob rerum publicarum incuriam , administratione Regni interdixit , regiminis coadiutotem , & Regis Curatorem elegit. Joannes item Sextus , Pontifex Romanus , VVitissam Hispaniarum Regem , ob crimina, & Ordinis Ecclesiastici vexationem, vt verus iudex deposuit ; & Regni Procerum rogatu , & Magnatum precibus , Rodericum Regem Hispanis præfecit. *Gel. Pap. 15.q. 6.c. alius.* *Zumel. l. contra Ve net Prop. 6. fol.33.*

Nec obstat , Regem Galliæ , aliosque Principes Supremos in Temporalibus Suprema Potestate gaudere. Quoniam cum ea Potestate Suprema stat optimè simul subordinari altiori fini , & Spirituali Potestati , vt ab illa minimè possit deviare. Romanus enim Pontifex est Summus , & super Supremos Principes Supremus Pastor , & Iudex vniversalis omnium Fidelium , etiam Principum , Regum , & Imperatorum , à Deo immediatè constitutus. Pastoris autem munus est , errantes oves , cuiuscumque status , conditionis , & qualitatis , etiam Regia , & Imperiali Dignitate fulgentes , in viam revocare , verbo pascere , baculo corrigere , & lapide compellere , vt redeant , & resipiscant. Quà propter Innocentius Tertius contra Imperatorem Constantinopolitanum processit , dicens : *Nobis enim in Beato Petro sunt oves CHRISTI commissæ , nullo discrimine interiecto inter has , & illas. Et quod ad Petrum CHRISTVS dixit , in ipso ad eius dixit Successores. Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis. Nihil prorsus excipiens.* Eodem in sensu ab omnibus Sanctis Patribus intelligitur. Nicolaus Pontifex loquens sic : *CHRISTVS Beato Petro æternæ vitæ Clavigero terreni simul & cœlestis Imperij iura commisit.* Ita etiam intelligitur Glossa eiusdem Textus docens : *Papam habere vtrumque gladium* , vt nedum Ecclesiastica iudicet , sed etiam de sæcularibus censeat , in ordine ad bonum spirituale , potens deponere Reges. In eadem Sententia intelligitur Bonifacius affirmans *in Divina Romani Pontificis Potestate duos esse gladios* , nimirùm *Spiritualem , & Temporalem.* De quibus , quando Apostoli dixerunt CRISTO Domino : *Ecce duo gladii hic* , respondit CHRISTVS Redemptor , dicens : *Satis est.* Non autem dixit : *Nimis est.* Potestas enim, & regimen Petri duplici armatur gladio , ad rectam administrationem Ecclesiæ , ad sartam , tectamque Sedis Apostolicæ reverentiam servandam , & Principes sæculares regendos , & coërcendos. Igitur Reges non *Innoc.3.in c.Solitæde Maio. & obed.* *Nicol.Pōtif.XXII. dist. Can. Omnes.* *Bonif. in Extr.Vnā Sanctā de Maio , & Obed. Ioan. cap. 21.*

obedi-

obedire Summo Pontifici, nedum in Spiritualibus, ſed etiam in Temporalibus, in ordine ad Spirituale bonum, præcipiente Deo, iniurium, & ſcandaloſum eſt. Velle autem Principes ſæculares Pontificios arripere gladios, & de doctrinis approbandis, vel reprobandis, & de Propoſitionibus qualificandis, & in Vniverſitatibus defendendis, cenſere, iudiciumque ferre de Ordinationibus, Decretis, Præceptis, & Sanctionibus Pontificiis, reprobum, impium, temerarium, & intolerabile eſt in Eccleſia Sancta CHRISTI.

Gallia in prædictis Aſſertionibus CHRISTVM Dominum, & Vicari eius *Regem venire quid timet? Non eripit mortalia, qui Regna dat cœleſtia.* Divina Romani Monarchæ iura, non evertunt, ſed perficiũt humana. Poteſtas legislatrix Pontificia in Spiritualibus, & Temporalibus, Spiritualia concernentibus, non proijcit Supremam Regum Temporalem Poteſtatem, ſed elevat, & exaltat. Reges ſub Vicarij CHRISTI pedibus Regnis ſuis perniciem non patiunt, ſed decus, fœlicitatem, incrementa, & perfectionem. Humana Imperia eô magis elevantur, quô ſub Papæ obedientia ſubijciuntur; illuſtrantur, non confringuntur; diriguntur, non obſcurantur. Florent Religione ſtatus. Fide, & devotione erga Sanctam Apoſtolicam Sedem Regna aſſurgunt. CHRISTI Vicarius non vetera Reſcripta delet, ſed benê ſtatuta roborat, & malê introducta vtroque gladio reſecat: Divina Authoritate Catholicas Ditiones firmat: Spiritus Sancti digito in novam pulchritudinem Imperia elevat, & Regna corrigens, maxima cum utilitate Fidelium perficit, quę iura diſponunt humana.

Noſtra Religio circa Apoſtolicam Sedem impenſiſsimè affecta, & gratiſsimê ſtudioſa, benè edocta, & inſtructa eſt ab Angelico Doctore; & à noſtro Eximio Magiſtro, eiuſdem fideliſsimo Interprete, & diſciplinę alumno Zumel: qui in fine aurei operis contra impia Venetorum Decreta hæc tradit, alloquens Sanctiſsimum Paulum Quintum: *Hæc ſcripſi iam ſexagenarius, Sanctiſsime, ac Beatiſsime Pater, pro defenſione Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, in cuius Solio vivis, & regnas, fœliciſsimis auſpicijs, te, & gloriosè vivere, & Eccleſiæ inimicos deturbare, ac vincere deprecor Deum, & Patrem Domini noſtri IESV CHRISTI, cuius Tu Vicarius, non ſine Divino Numine, exiſtis. Hæc tibi Deus ad vincendum reſervavit bella, tamquam Eccleſiæ Principi, Duci, & Capiti eius, ac CHRISTI Vicario; qui Duces ſæculi, & inferorum domuit ſanctiſsimo Crucis ſigno. Hæc ergo te maiora certamina manebant, vt gloriosè triumphares, & adverſarios Romanæ Eccleſiæ comprimeres. Iam igitur ego poſt tot Volumina contra pleroſque ex hæreticis à me edita, ſcripſi vlterius ad Sanctiſsimum Dominum noſtrum Clementem Octavum Tractatum de Inconcuſſa eius electione, & certitudine Infallibili Summi Pontificatus: qui dignatus fuit mihi hæc reſcribere.* Meminit Pontificis Litterarum, in quibus virtutem, inſignem doctrinam, ardorem Catholicæ Fidei tuendæ, devotionem erga Sanctam Apoſtolicam Sedem, pietatem, ſcientiam, Charitatem, eruditam lucubrationem, talenta à magno Patre Familias credita, atque labores in vinea Domini Sabbaoth, laudat, & commendat.

Zumel. l. contra impia Ven. Decret. in fine, fol. 151.

Infallibilitas autem Summi Pontificis Decretorum extra Concilium, & independenter à conſenſu Eccleſiæ, ita, multis abhinc annis, ad Ordinis noſtri pectus, & ſinum adſtricta, & appreſſa eſt; vt contrarium hęreſeos nota inuſtum ſit à noſtris Salmanticenſibus Magiſtris. Diana enim, *de Infallibilitate Decretorum Romani Pontificis extra Concilium* agens, diſqui-

diſquirit, quanam Cenſura inurenda ſit hęc Propoſitio: *Decreta Papæ loquentis ex Cathedra extra Concilium non habent Infallibilitatem, & ideo poteſt errare*: citat Caramuel, qui conſuluit hac ſuper Propoſitione Doctores Salmanticenſes; plures refert, aſſerentes hanc Propoſitionem eſſe hęreticam: & inter huic Cenſuræ ſubſcribentes, in noſtro Veræ Crucis Collegio, Chirographo ſuo muniunt, & manu ſignant illa duo Ordinis noſtri fulgentiſsima ſidera, Venerabilis Pater Magiſter Frater Petrus Merino, & ſapientiſsimus Pater Magiſter Frater Gaſpar de los Reyes, ille, Academię Decanus, & Philoſophiæ Moralis emeritus Profeſſor; hic, Theologię Primarius Anteceſſor Iubilatus.

Diana. Coordi. tomo 9. tr. 5. reſ. 4.
Caram. Theo. Fun. 4. n. 169.
Mag. Petrus Merino.
Mag. Gaſparde Reyes.

Quapropter hæc, quę ſubijcimus Aſſerta, ſępè numerò in noſtris Comitijs, tàm Provincialibus, quàm Generalibus, & in celebrioribus Europę, & Americę Univerſitatibus, in Ordine noſtro publicè ex ſuggeſtu defenſata ſunt. Nunc autem, poſt Gallicana Aſſerta, & Cleri Declarationem Poteſtatis Eccleſiaſticæ, atque Regis Gallorum Arreſtum, ardentiùs pro amore, & veneratione Eccleſiæ, & CHRISTI Vicarij frequentiùs docentur, & defenduntur.

In Eccleſia Sancta Dei eſt verus CHRISTI Vicarius immediatè à Deo inſtitutus, independenter ab hominum Concilio. Primus extitit Beatus Petrus, cum iure continuo ſucceſsionis in Romanis Pontificibus prędſtabilito, & nunc reſidente inſeparabiliter in Epiſcopo Romæ, totius Eccleſię verò Capite. De Fide immediatê Divina eſt, hunc numero hominem Innocentium Duodecimum eſſe verum Pontificem, CHRISTI Vicarium, & Petri Succeſſorem. Magnum diſcrimen eſt in his Propoſitionibus: *Non eſt de Fide hunc numero hominem eſſe verum Pontificem.* Et: *Innocentius Duodecimus non eſt verus Pontifex.* Quamvis enim prima non eſſet de Fide; ſecunda eſſet temeraria, ſcandaloſa, & ſchiſmatica. Phyſicê, & Metaphyſicê repugnat Eccleſiam Catholicam Apoſtolicam Romanam errare poſſe in acceptatione, adoratione, & obedientia prędſtita huic numero Paſtori: & licet non eſſet immediatè de Fide eius verus Pontificatus, tamen eius Decreta extra Concilium, & independenter à conſenſu Eccleſiæ, eſſent de Fide, & Infallibilia. Omnia enim in eius loquentis ex Cathedra contenta Decretis habent indefectibilem Infallibilitatem, independenter à Concilijs Generalibus; & nec falli, nec fallere poſſunt.

Poteſtas Summi Pontificis Romani eſt Divina, Suprema, Vniverſalis, Illimitata: habet Claves Ordinis, & iuriſdictionis ligandi, atque ſolvendi; iudicandi, & diffiniendi; condendi Leges, & revocandi Canones; dirigendi, & coërcendi; puniendi, commutandi, & diſpenſandi, in toto Orbe terrarum, cum vera Authoritate Vice-Dei ſuper gentes, & Regna, vt evellat, & deſtruat, & diſſipet, & plantet, & portæ inferi Regnorum, & inimicorum non prævalebunt adverſus eam. Omnis anima, omnis Poteſtas, quantumcumque Suprema Romano Pontifici, tamquam Poteſtati Divinæ, & ſublimiori ſubdita eſt: & ſicut nullus excipitur ab obedientia debita Deo, ſic nulla creatura rationalis, ſive Princeps, ſive Rex, ſive Imperator immunis eſt ab eius Imperio. Nullus eſt enim, qui non teneatur recognoſcere, præter Deum, hunc Monarcham Eccleſiaſticum, Diviniſſimum, Supremum, & abſolutiſſimum, ab ipſo Deo excelſo conſtitutum. Extra eius obedientiam, & ſubiectionem nullus conſequi poteſt ſalutem æternam. Eſt maior, & ſuperior Principibus, Regibus, & Imperatoribus. A nemine, infra Deum, poteſt iudicari, limitari, reſtringi, aut coarctari. Eſt eius Poteſtas ſupra totam Eccleſiam, & Concilia OEcumenica, &

Generalia : nulluſque , citra hæreſim , & ſtatum æternæ ſalutis amittendæ , ab eius Poteſtate , Sententijs , & Decretis appellare poteſt.

Ita Iure Divino Suprema reſidet Poteſtas in Romano Pontifice , vt nullus , præter ipſum , in toto mundo valeat iure proprio regere Spiritualia , aut iudicare Eccleſiaſtica , ſine Poteſtate , & iuriſdictione participata ab ipſo. Privilegia autem conceſſa huic , vel illi Eccleſiæ particulari , vel Regno , verbi gratia , Galliæ , ſunt pro nutu ſuo revocabilia. Poteſt etiam in virtute ſuæ Diviną Poteſtatis deponere Epiſcopos adverſus Sacros Canones , & hos abolere , ſtabilire , addere , & revocare. Eademque Authoritate Divina , independenter à Concilio , & Regnorum conſenſu , poteſt validè , & licitè ſancire Decreta, & conſtituere Sanctiones contrarias Authoritati , Privilegijs , & libertatibus cuiuſcumque Regis Temporalis , Cleri , & particularis Eccleſiæ , non ſolum in rebus Spiritualibus , ſed etiam in Temporalibus Regni, concernentibus Spirituale bonum.

CHRISTVS Dominus , vt Filius Dei naturalis , fuit , & eſt verus Rex Temporalis in toto Orbe terrarum ; habuitque in quantum Homo verum Regnum in hoc mundo , cum abſoluto , verò , & directo dominio ſuper omnia Regna Temporalia : potuitque , vt Homo , cunctas regere , & moderari ditiones , conferre Imperia , tollere , & reijcere Regna , atque arbitrio ſuo mutare. Vndè probabile eſt , Dominum Papam Romanum Pontificem Iure Divino habere dominium directum Temporale ſuper Vniverſum Orbem. Certò tamen , & Infallibiliter Principes, Reges , & Imperatores ſuæ ſubijcit Poteſtati , vt CHRISTI Vicarius, & Divina virtute Clavium : ita taliter , vt ſit nedum ſupra omnia Spiritualia , & Eccleſiaſtica directè , verum etiam indirectè ſuper omnia , & ſingula Temporalia omnium Fidelium , etiam Principum Supremorum, & Regum. Vndè iuſtis de cauſis ex ſe , & per ſe , poteſt deponere Reges , atque Exauthorare Principes Temporales , & ſubditos abſolvere à fidelitatis iuramento , quoties ad bonum Spirituale Eccleſiæ viderit expedire.

Hæreticum eſt aſſerere Summum Pontificem Romanum non eſſe ſupra Concilium OEcumenicum , & ſimiliter , citra hęreſim , nullus valet negare , quod Summus Pontifex ſit Infallibilis in decernendo independenter ab Eccleſiæ , vel Concilij conſenſu. Vndè malè conſuluit ſaluti publicæ Conventus Gallicanus, die decimanona Martij, anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo , pro explicatione Eccleſiaſticæ Poteſtatis , & illius Aſſerta ſunt nullius roboris , & valoris , vtpote , contra veram Authoritatem , & reverentiam Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ; CHRISTIque Vicarius , vt Monarcha Eccleſiæ Supremus , poteſt ſolvere , ligare , revocare , reſcindere , & pro arbitrio ſuo abrogare , & irrita facere omnia , & ſingula Privilegia , & libertates Cleri Gallorum, Populi , & Regis. Nullus ſæcularis Princeps gaudet Authoritate congregandi Clerum , Parlamentum , vel Conciliabulum adverſus Dominum , & adverſus Papam , CHRISTVM eius. Vndè citra temeritatem , & Anathema , Rex Galliæ non potuit cenſere de Propoſitionibus Theologicis , vel Canonicis ſectandis , vel inſectandis : nec poteſt Leges pro Vniverſitatibus ſancire circa huiuſmodi doctrinas , nec pęnas , aut mulctas decernere Doctoribus , aut Magiſtris ſecus facientibus. Privatiuè enim , & caracteriſticè , ex Divina Inſtitutione , ſpectat ad Summum Romanum Pontificem decernere doctrinam in tota Eccleſia CHRISTI ſequendam , nedum in rebus Fidei , & moribus , ſed etiam in Temporalibus ,

libus, ad Spiritualia conducentibus. Imò potest iudicare Papa, & quidem certò, & Infallibiliter, de Propositionum Philosophicarum probabilitate, vel improbabilitate.

A Deo ita protegitur Romanus Pontifex, vt etiam in quantum persona privata, non possit errare in Fide, ob specialem, Divinam Providentiam, & de facto, qui certò constet, nullos Pontifex in hæresim lapsus est. Ita autem manuducitur, & regitur ab eo, cuius est Vicarius, & independenter à Concilijs, & consensu Ecclesiæ ex se, & per se, ita Infallibilis est, vt non possit errare in rebus Fidei diffiniendis, in Sacris Scripturis approbandis, in Libris Canonicis admittendis, in Traditionibus Divinis, Apostolicis, & Ecclesiasticis recipiendis, in Propositionibus qualificandis, in assignandis Propositionum Censuris, in hæresibus, & erroribus damnandis, in congregando, & approbando Concilia Generalia, in amplectendis privatis revelationibus, in ferendo Leges Ecclesię, in Decretis morum, in confirmandis, mitigandis, vel reformandis Religionibus, in quęstionibus Iuris, vel facti decidendis, in Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum; in Officijs Breviarij tàm generalis, quàm particularis, pro Sanctorum cultu recitandis, in relaxatione, dispensatione, commutatione Voti, vel Iuramenti, in Regibus, & Principibus secularibus deponendis, in relaxando iuramenta fidelitatis subditorum, in salutari regimine Ecclesiæ, & ovium gregis CHRISTI, in approbando, vel reprobando aliquem contractum. Sanctè, & piè instituit Montes Pietatis. Vndè abhorremus, & detestamur contrarium his Propositionibus, & promotores, & defensores, vt Catholicæ Religionis perduelles, & Sanctæ Romanę Ecclesiæ, & Cathedræ Petri hostes, impietate perfidiæ infectos, atque perculsos.

Hęc Theoremata Excellentissimo Valentiæ Pro Regi, Illustrissimo Archiepiscopo, præstantissimo Hęroi, scientiarium omnium Encyclopediæ ditissimæ, Theologorum Coryphæo, Prælatorum vertici, Apostolico Zelo pro Ecclesia, & salute animarum flagranti, offerimus, sistimus, dicamus; vt in maximis, optimisque Operibus, & lucubrationibus, prima luce potitis, & aliis secundam visuris, magno litterarum Reipublicæ bono, Ecclesiæ Catholicæ ornamento, & Apostolicæ Romanæ Sedis reverentia, atque Authoritate fundet, probet, sanciat, stabiliat, & eo quo solet ingenij acumine, Magisterij, qua pollet dexteritate, Principis Ecclesiæ, qua fruitur laude, in confutando argutie, in probando soliditate, in arguendo profunditate, in defendendo ab inimicorum iaculis maiestate, copiosis â Deo talentis commissis, de Ecclesiæ inimicis triumphet, & trophæum elevet, redeatque in Vrbem Romam Laureis coronatus. Nec casu triumphalis porta Romana, per quam triumphi agebantur, & Victores in Vrbem ducebantur ovantes, nunc est Vaticanum: ibi est triumphale territorium; ibi post devictos hostes triumphus, & corona Valentino Triumphatori, Valentissimo Victori, trophæa explicanti, donantur.

Vrbs, & Orbis videant hoc Volumen volans cum Propheta Zacharia. *Conversus sum, & lavavi oculos meos, & vidi & ecce Volumen volans: & dixit ad me: quid tu vides? & dixi: ego video Volumen volans*: Alij cum Cyrillo legerunt, *Falcem volantem ego video.* Equidem, qui hoc doctissimum Volumen viderit, per totius Christiani Orbis Regiones, & plagas famigeranter volans, *videbit falcem volantem*; Falcem vtiquè hæreseos monstra iugulantem, errores decollantem; videbit scirpiculam messoriam, temeritates, putulantias, *Zach. c. 7. vers. 1. & 2. D. Cyrillus.*

&

& procacitates contra Vicarium CHRISTI perſtringentem, & iugulum Hydrę Novatorum ſecantem.

Floret in hoc Opere ſingularis eruditio, Sancta devotio, Zelus ardens, rerum cum vbertate varietas, ſtyli venuſtas, Sanctorum Patrum doctrina, Veterum Authoritas, ſermonis perſpicuitas, & Sacrę Theologiæ penitiores ſenſus. Sitienter lumina noſtra tantum iubar appetunt: ardenter optant alios promiſſos Tomos intueri. Cuncti in votis habent, iam parata prælo Volumina, & maximo deſiderio tenentur fruendi. Non deneget, enixius precamur, tot ſitientibus vndas. Primùm enim, glorioſa luce iam potitum Volumen, tanta nobis bona doctrinarum fluenta propinat, vt ſiticuloſos nos reddiderit futurorum. Faxit Deus, Pater Luminum, à quo omne bonum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt. Compluti, in hoc Immaculatę Conceptionis Sacri, Regalis, ac Militaris Ordinis Beatę Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Collegio, Kalendis Novembris. Anno 1692. & à Deſcenſione eiuſdem Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis, & Fundatione Ordinis noſtri 475.

Fr. Michael Alvarez de Toledo, Rector, & Vniverſitatis Iudex Conſervator Apoſtolicus.

Fr. Alphonſus Gonzalez de Alamo, Doctor Salmanticenſis.

Fr. Dominicus de Zavala, D. Complutenſis, Studiorum Regens.

Fr. Ambroſius Albendea, D. Complutenſis, Lect. Theol.

Fr. Philippus Ortiz de Mendoza, Lector Theologiæ.

Fr. Antonius de Porres & Toledo, Lector Theologiæ.

Fr. Matthæus Antonius de Tebar, Lector Theologiæ.

APPROBATIO P. LVDOVICI TARREGA, è Societate IESV, quondam Philosophiæ, ac Theologiæ Professoris, nunc Maximi Collegii D. Pauli Rectoris.

EX commissione D.D. Iosephi Garcia de Azor, Iuris vtriusque Doctoris, ac Civilis olim in Valentina Academia primarii Professoris, Altipontensis Archidiaconi, necnon in hoc Archiepiscopatu quondam Officialis, ac nunc meritissimi Vicarii Generalis, accuratissimè, ac censorio pervolvi studio Volumen istud, Opus editum ab Excellentissimo Domino D. Fr. Ioanne Thoma de Rocaberti, Gotholaunicæ Nobilitatis fastigio, Dominicanæ Familiæ ornamento, ac Valentinæ Metropolis dignissimo Archiepiscopo. Doctor hic clarissimus, qui in Theologica adolevit Schola, & inter SS. Patrum Libros consenuit, cum pro tuenda Potestate Romani Pontificis Libros eruditione plenos, typis, & omnium oculis dederit, nunc pro tegenda eiusdem illibata in Fide Constantia, mirandum hoc Volumen, & clarissimam sceleratissimorum hominum tenebris allaturum lucem, ad totius Orbis Christiani publicam, ac communem vtilitatem edit. Illi, ni fallor, ludebat, qui sic scripsit:

Post domitas Arctos, alio prorumpit ab axe
Tempestas, & nequa tuis intacta trophœis
Pars foret, Australis sonuit tuba ——— *Claud. de Laudib. Stylic. l. 1. v. 247.*

& cum alia feracis ingenii, ac tanti Præsulis monumenta suspiciam, mirer, amem, vel in ipso istius vestibulo tam igneus decor, ac coruscans splendor irradiat, vt Orientem post stygiam novæ noctis caliginem salutem Solem, lubensque cum Poëta lacessam:

Sparge diem meliore coma, crinemque repexi
Blandiùs elato surgant temone iugales,
Efflantes roseum frenis spumantibus ignem. *De Consulat. Prop. & Olib. v. 3.*

Quid enim aliud Volumen istud, nisi solis Rheda, veritatis Aula, Arx luminum? sic omnia Sacræ Paginæ religiosè consonant, sic Apostolicis traditionibus piè correspondent, ac Summorum Pontificum Decretis eruditè consentiunt, vt ad miraculum sese explicet, ac latissimè eluceat sapientia, è SS. Patrum fontibus plusquam humano studio hausta. Rem subtilissimam dilucidè, ac pingui Minerva tractat; grandes Sententiæ, & quæ videantur ex Apollinis oraculo profectæ; oratio, concinna; verba, disserta; authoritatum vis, rationum momenta plena energiæ, ac vigoris; cum eruditione, iudicium admirabile; cum venusta elegantia facilitas in scribendo; cum doctrinæ copia, rerum ordo concurrit; memoriæ studium indefessum, Scholasticæ Theologiæ, ac Iuris vtriusque peritia, necnon Ecclesiasticæ Chronologiæ notitia multiplex ad invidiam splendet; ita cuncta librantur, vt nihil in silentio iaceat indiscussum; sic vndequaque orientibus difficultatibus occurritur, vt veritas innotescat; sibique non minus de triumpho blandiens, quam grates Benefactori rependens lubenti voce promat:

Nec quisquam Procerum tentet ——— *Vers. 18.*
Se iactare parem. ———

Sed quam gratum hoc opus, ac honorificum Sedi Apostolicę! quam dignum Præsule! quam funestum Hęreticorum exlegi gregi! honorem Honorio populatum restituit, Ioannem à calumniis vendicat, fœdarum Nicolaum purgat, Gregorio offusam noctem pellit, & quas infames perfidia inusit notas, omnes expungit. Sive Magdeburgenses fremant, & totus Nilus Monotheliſmi horrisonam despumet rabiem; sive feralis Cesenas insaniat, & Erasmus, ac Calvinus teterrima monstra delirent, sive Begardi, Beguini, ac Fratricelli, detestabiles pestes serpant, aut sceleratissimus Cation, & Sebastianus Francus horrendùm

dùm ſibilent, ac immugiant, non pluris illos facit, quam culicem Elephas indicus, ac victrici cauſa omnium mortiferos conatus, & impios inſultus frenat, elidit, detriumphat; alter OEdipus, qui ſoboleſcentem Hydram Evangelii clava ferit; clarior Bellerophon, qui redivivam chymeram flammante romphea trucidat. Timotheo inculcabat Paulus: *Tu verò vigila, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple*; & Epiſcopus Gregorius: *Eſtote in cuſtodia commiſſi gregis vigilantes, atque ſoliciti, & diſciplinæ zelo diſtricti, ne lupus inſidians, nec ovile turbare dominicum, nec nocere ovibus aliqua fraudis occaſione prævaleat; nomen nos Paſtoris, non ad quietem, ſed ad laborem ſuſcepiſſe cognoſcite.* Sed quam eximiè clariſſimus noſter Antiſtes miniſterium hoc impleverit præſens teſtatur Opus, in quo meridiana luce clarior emicat ſolicitudo ſine otio, labor ſine intermiſſione, occupatio ſine vacatione, exercitium ſine tranquillo, ſedula meditatio ſine ſomno, & nec ad modicum, etiam curà quotidiana diſturbante, quies:

2. *Tim.* c. 4.

D. Greg. lib. 4. *in dict.* 13. *Epiſt.* 8.

Lib. 1. *de Laudib. Styliconis v.* 284.

——— *nihil feſſa remiſit*
Officii virtus, contraque minantia fata
Pervigil, eventuſque ſibi latura ſecundos,
Maior in adverſis micuit ———

Nec ſolùm cùm ovibus parabantur inſidiæ, ſed etiam, quod caput eſt, cùm per ſceleſtum aſtum in Paſtorem ipſum nectebantur doli, ac pudenda torquebantur probra. Eſt igitur quod gratuler Reipublicæ Chriſtianæ, quod habeat in hoc Volumine omnem armaturam fortium, qua muniatur, dimicet, ac fulminet in veritatis infœlices hoſtes; quod gratuler Gotholauniæ, ex qua, tanquam ex Equo Troiano, licet plures iam armis, ac litteris, religione, ac morum probitate Principes Viri prodierint, vnum tamen hac tempeſtate metuit, qui vltra vires ſenectæ à prælo ad prælium, ad frangendos errorum effrontes auſus, tanquam Bellator egregius alacriter, accurrit; quod gratuler Valentiæ pro Eminentiſſimo Præſule, in quo nihil ſiniſtrum, dum dextræ calamum, quaſi ancipitem gladium ſumma dexteritate in procaces diſtringit, ſummam & Ducis, & Scriptoris laudem adeptus; quod gratuler tandem tanto Doctori, ac haud immerito

Lib. 1. *in Ruf. v.* 142. *In Eutrop. v.* 229. *Lib.* 1. *in Ruf. v.* 160.

præconio vaticiner.

Heu neſcis, quid fata tibi, quid ſydera debent,
Quid fortuna paret --- ſpoliis prædaque repletus,
Cum libeat, Romanus eris --- nec vana loquutum
Me fortaſſe putes ———

Quo tandem efficitur, vt non ſolùm cenſeam præſens Opus caſtigatius, quam vt vnguium notâ indigeat, aut tranſverſi calami aſteriſcos metuat, verùm & diguiſſimum iudicem, quod publicam lucem aſpiciat ad Fidei noſtræ victoriam de hæreſibus inſignem. Valentiæ, die 6. Maii, 1694.

Sub Cenſura,

Ludovicus Tarrega
é Societate IESV.

CENSV-

CENSVRA RR. PP. PRIORIS, ET LECTORVM COLLEGII Valentini S. Philippi Apostoli Carmelitarum Excalceatorum.

ATTENTE perpendimus, altaque meditatione perlustravimus Volumen istud, quod Excellentissimus Princeps, Illustrissimus Dominus, D. Ioannes Thomas de Rocaberti, huius Civitatis Valentinæ meritissimus Archipręsul, noviſſimè, artifitiosè, concinnavit, præloque mandare decrevit: Opus equidem adeò laborioſum, ſed Eccleſiæ vtilitati, apprimę neceſſarium: Opus itidem, ſanè pulchrum, in quo Sapientiſſimus noſter Coriphęus, Hæreticorum diſſipat nebulas, diſcutit calumnias, ſophiſmata comprimit, quibus Authoritatem, & honorem Sanctiſſimorum quatuor Pontificum, vel confringere, vel ſaltem obnubilare procaci calamo conabantur: Opus tandem (vt cuncta fateamur) pleniori laude dignissimum, & in ſe digniſſimum, & in ſe ipſo admirationis, atque commendationis omen, & auſpicium præſeferens; vtpote, quod non ingenij eferveſcentis audacia, aut calami prurientis impetus effuderit, ſed ſeverior iudicij lima perpuliverit, animique gravitas, immenſaque lectionis aſſiduitate fęcunda mens conceperit, calluerit, in lucemque propalaverit. Cum igitur iſtius Operis Author plurimos conſcripſerit Libros, quibus Eccleſiæ pulchritudo ſtabilitur, Fidei firmitas roboratur, & Romani Antiſtitis Authoritas defenditur; ad quid iſte in cenſoriæ ſeveritatis ſtatera iuſta perpenditur; ad quid noſtræ Cenſuræ proponitur Liber in quo radiant Sententiæ, ſplendent verba, ſcintillant elucubrationes, quę potiori iure totius militantis Eccleſiæ gratitudinem, & elogia poſtulant, quàm criſim, aut cenſuram ſpectant; in tantum, vt cum Caſsiodoro dicere poſſimus: *Fruſtra ad cenſuram proponitur, qui tantis titulis approbatus videtur.* Sed quibus Liber iſte (qui nobis ad Cenſuram proponitur) plauſibus commendetur, & titulis redemitus oſtendatur, levi calamo pandemus. *Caſsiodorus lib. 7. var. Epiſt. 19.*

Primus haud contemnendus: nonne Author illius ex ſuprema Præfectura Illuſtriſsimæ, ac Sanctiſsimæ Dominicanæ Familiæ, ad Archipræſulatus Valentini apicem evectus eſt? Verè. Ergo magni Parentis Dominici eſt Filius? Quis dubitat. Ecce ergo titulus ſufficiens, vt opus iſtud cenſeatur approbatum. Cum pridem vidiſſet Innocentius Tertius à ſomno præoccupatus Baſilicam Lateranenſem propè corruentem, conſpexit D. Dominicum ſuis humeris eam ſuſtentare, & tamquam verum militantis Eccleſiæ Atlantem, ne penitus corrueret, eam velut montem Domus Domini in vertice montium collocatum, ope ſua ſuſtinere. Fecit & hoc Magnus Dominicus per ſe dum innumeras hęreſes profligavit; fecit & hoc per filios ſuos qui veſtigiis Patris inhærendo dicto, & facto hęreſes confutarunt; facit & hoc per Illuſtriſſimum filium ſuum D. Fr. Ioannem Thomam â Rocaberti; quia *pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem terrã.* Natus eſt filius hic, qui aſpiciens Eccleſiam fermè labefactatam, dum Hęretici, Caput eius deturpare aggrediuntur, cõſtitutus eſt Principes Eccleſię, ad eius Anthigraphos debellandos. Viderat Authoritarem Pontificis Romani paululum inclinatam, & tetendit manum ſuam vt eam ſuſtentaret, non Ozæ temeritate, qua auſus eſt manus ad Arcam Teſtamenti ne corrueret applicare; ſed ſumma cum prudentia, & maturitate. Manus ad calamum extendit, vt autho- *Iſaiæ c. 22.* *Pſ. 44.* *Paral. 1. c. 13.*

ritas, quæ maledico Hæreticorum ore, & calamo penè ex ciderat; calamo, & ore Catholico firmaretur. Attulit sibi Oza sua temeritate mortis supplicium: at noster Archipræsul sibi promeruit sua dexteritate, & prudentia vitam æternam, hoc est perennem memoriam apud Summum Pontificem.

3. Reg. 7. n. 21. Sapientissimus Rex Salomon *tertio Regum septimo*: *Statuit duas columnas in porticu templi .... & super capita columnarum opus in modum lilii posuit.* Lilia capita columnarum protegebant; lilia capita columnarum fovebant; lilia capita columnarum adumbrabant. Sed quare lilia super capita columnarum perennabantur? Mensam propositionis suis candidis humeris sustentabant; testibus Aristæa, Flavio, & Iosepho: *Pedes in liliorum figuras expolierat artificis manus, quæ repandis in ipso vertice foliis, mensam sustinerent.* Igitur si lilia mensam, id est Ecclesiam, sustinebant, quid mirum si in capitibus columnarum, in quibus memoria residet, perpetes vivant! Vivat ergo noster Archipræsul Illustrissimus. Vivat noster Excellentissimus Princeps in memoria Capitum Ecclesiæ, in memoria Summorum Pontificum; vtpote qui Ecclesiam suis candidis humeris sustentat, suis scriptis fovet, suo calamo adumbrat, suis ratiociniis acutissimis protegit.

Aristeas de Septuagint. duobus Interpr. apud Bibl. Patrum.

D. Aug. lib. 1. ad Bonif. cõtr. 2. Epist. Pelagianorũ. Secundus & decorus titulus: quia Pastor, quia Archipręsul, cui competit oves suas pascere, & tutari; quod Officium proprium Episcoporum est, ait Augustinus: *Cum verò non desinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oves aditus vndecumque rimare, communisque sit omnibes nobis, qui fungimur Episcopatus Officio, quamvis ipse in eo præemineas, cælsiori fastigio speculæ pastoralis, facio quod possum pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus, adiuvantibus orationibus tuis, donare dignatur, vt pestilentibus, & insidiantibus eorum scriptis medentia, & mnnientia scripta prætendam, quibus rabies qua furiunt audentia ipsa sanetur, aut à ledendis aliis repellatur.* Emergere cęperant in Gallia, nescimus quæ propositiones, quæ Infallibilitatem Summi Pontificis, in rebus Fidei extra Concilia Generalia definiendis, fallibilitatis nota inurebant. Digitum ori imponebant Episcopi Gallii, *velut canes muti non valentes latrare.* Voces incantantium audiebant, & aures suas obturabant. Voluntate? Assensu? minime credas: quia quam plures ex illis multa, læta, hilarique fronte perpessi sunt, ex quo Infallibilitatis Pontificiæ propugnatores extiterunt. An vi compulsi? potestate conterriti? Nescimus. Pontentissimus enim Francorum Rex est. Sed noster Archipræsul Valentinus, nec vi compulsus, nec potestate conterritus, sed solo veritatis amore allectus, & zelo Catholicæ Religionis punctus, intelligens cogitationes eorum de longe, ne tacentibus consentiret, silere non potuit: sed angelica face præeunte, in priori Volumine Infallibilitatem Summi Pontificis tutatus est. Voluntate, an necessitate? Voluntate, & necessitate diceremus. Quæstiones enim dogmaticę, si nullæ sęvirent hęreses, quamvis non ita necessariæ, valde perutiles essent; sed pullulantibus erroribus maximê necessariæ sunt: vt D. Hilarius ad Augustinum asserit: *Si cessantibus contradicentium quæstionibus, gratæ sunt plerumque studiosorum inquisitiones, vt etiam illa quæ absque periculo ignorarentur ediscant; arbitror gratiorem fore sedulitatem nostræ relationis, quæ dum indicat secundum quorundam prosequationes, quædum adversantia veritati, non tam sibi quàm illis, qui turbantur, & turbant, per consilium sanctitatis tuæ satagit provideri, Domine Beatissime, ac toto affectu desiderande, & multùm in Christo suscipiende Pater. Hæc sunt itaque, quæ Massiliæ, vel aliis etiam locis in Gallia ventilantur.*

Isaiæ 56. v. 10.

D. Hilarius Epist. ad Augustinum in oper. D. Aug. tom. 7.

Sed

Sed si errores in Galli a pullularunt, si in Hispania nullæ vigent hæreses, si Valentiæ in medio populi nostri sumus, si in hac Diœcesi ad nutum Decretis Apostolicis obtemperatur, quare noster Antistes tanto conatu nititur Hæreses divellere? Oves Valentinæ fortes sunt, sed confringerentur, si illorum Pastor negligeret revocare errantes, requirere pereuntes; vt ergo ne quod forte est confrigatur, revocat errantes, requirit pereuntes. Audi S.Hildebertum Turonensem Archiepiscopum: *Ovis ea fortis est, quæ in Catholica Fide permanet, quæ á bonitate Fidei non recedit, quæ Petri retia non rumpit, hanc Pastor confringit, hanc occidit, si non revocat errantes, si non requirit pereuntes. Qui enim fortis est nullum credit periculum in errando, nullum in pereundo, cum videt Pastorem silentem, cum videt negligentem, cum remissam circa errantes, circa pereuntes, vnde fit vt ipsa non vereatur errare, non vereatur perire. Dicit enim apud se, si malum esset in hæresim labi, si sequi Arrium, si imitari Donatum, Pastores contra loquerentur, revocarent errantes, requirerent pereuntes. Quia itaque silent, post illos ire, cum illis credere, suomet docent silentio; cum igitur Pastor silet, non revocans errantem, non requirens pereuntem, Pastoris negligentiá, ovis quæ fortis est confringitur; quia qui Catholicus est Hæreticorum perfidiæ sociatur.* Dum noster Excellentissimus Princeps, revocat errantes, requirit pereuntes, quæ ex proprio ovili non sunt, fortes, quę ex proprio sunt, nullaque labe infectas in Catholica Fide confirmat. Exequitur munus suum Pastorale copiosè, Illustrissimus Dominus, dum hæreses discutit, dum errores pullulantes submergit, dum revocat oves errantes, dum requirit pereuntes; est enim homo non solum suæ, sed communi vtilitati natus: quà homo particularis quibus virtutibus polleat, invidi dicant, apud nostrates enim, qui cominus eas intuemur, satis notæ sunt, multa de eis dicere possemus, sed malumus laudum censeri avari, quam prodigi: Candor enim libentiùs siccitatis, quam adulationis laudatur. At quà Pastor, quà Præsul, sua eum Scripta in Orbe Litterario commendat. In vtroque munere proprio, & communi ita diligentissimè se gessit, vt illi iure adaptentur aurea verba D. Augustini de Pastoribus: *Nos enim* (inquit) *quos in loco isto, de quo periculosa ratio redditur, Dominus secundùm dignationem suam, non secundùm meritum nostrum constituit, habemus duo quædam; vnum, quod Christiani sumus; alterum, quod præpositi sumus; illud, quod Christiani sumus propter nos est: quod autem præpositi sumus propter vos est: In eo quod Christiani sumus attenditur vtilitas nostra: in eo quod præpositi non nisi vestra.*

S.Ildebertus apud Biblioth.Cõcionat.

D. Aug. to. 9. lib. vnico de Pastor.

Sed solùm proprias oves defendit? Solùm Valentinis hoc Opus salutiferum est? Nullatenus; sed Vniversam Ecclesiam propugnat. Sed quomodo Ecclesiam? Authoritatem Pontificiam roborando; quia si hęc contremisceret, nonne omnes Fideles contererentur? Si fundamentum in lubrico situm esset, nonne res fundata in cassum iret? Fundamentum est Petrus; fundamentum est Romanus Pontifex; quia *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ergo si fundamentum istud stabile, & firmum permanserit, Ecclesia in ęternum perennabitur: quia vt ait D. Fulgentius: *Si non defendas Pastores, tutæ non essent, nec oves.* Hinc maxima laude dignum iudicamus nostrum Illustrissimum Antistitem, qui ne tota Ecclesia cum suis membris corrueret, eius Supremum Caput à calumnijs iniquè obmurmurantium vindicat. Viderat sine dubio Divum Leonem sic affantem: *Instante autem passione sua Dominus, quæ Discipulorum erat turbatura Constantiam, Simoni dixit: Simon, ecce Satanas expetivit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, vt non deficiat Fides*

D. Fulgen. ser. 57. Ioan. 21.

D. Leo ser. 3. de Assumpt. sua.

des tua, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos, vt non intretis in tentationem. Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & Divinæ protectionis auxilio pariter indigebant: quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; & tamen specialis á Domino Petri cura suscipitur, & pro Fide Petri propria supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur. Rectè igitur noster Illustrissimus Antistes, Servatoris nostri vestigijs inhærendo, pro Romanis Pontificibus, Petri legitimis Successoribus, orat, perorat, scribit, ratiocinatur, eorum honorem à calumniantibus defendendo, Authoritatem manutenendo, & invictam semper in Fide Constantiam firmissimis rationibus, acutissimisque argumentis ostendendo, vt sic tota Ecclesia firma, & stabilis cum suis membris persistat. Minimè enim censuit auxilium esse differendum: arripuit calamum, vt statim occurrsum iret calumniantibus, vt quæ iniustè irrepserant calumniæ in Sancta Sanctorum, iustè, sanctè, & manifestè extirparentur. Vndé meritò possumus Illustrissimo (paucis mutatis) adaptare verba, quæ Sanctus Ambrosius de Eliseo protulit, quando Iericuntini fontis aquas sanavit. Non enim hoc facto vnum Illustrissimus defendit hominem, aut vnius personę excussit calumniam, sed totius Ecclesiæ Populum reparavit. Si enim tardiùs hoc fecisset, percrebrescentibus calumnijs, & senescentibus cunctis, Ecclesia sine Authoritate remansisset. Igitur dum defendit Pontifices, Ecclesiam munivit, & dum Pontificum Authoritatem, quæ Fons Ecclesię est, sale suę doctrinæ præservat à calumnijs, Fontem quemdam indulcavit animarum.

S. Ambr. ser. 87. de Eliseo.

Sed quid mirum! An solum pro Pontificię Authoritatis decore fortiter Anthagonistæ munus exercet? Aliquid amplius emicat splendoris: Summus Pontifex totius Infallibilitatis Fons est; in eius pectore residet doctrina, & veritas: ideoque quidquid verum dixerit, verum est, quidquid vt Pontifex docuerit, Infallibilitatem habet, sed hoc ab eius Authoritate dependet, cum eius honore, & fama intimam societatem contraxit. Vides nunc, Illustrissimum Dominum, honorem, & famam Pontificiam defendere? Videbis igitur ex nunc illius Authoritatem, Infallibilitatem, Doctrinam, & Veritatem, quasi micantiorem illucescere. Lapis ille pretiosus in Pectorali Summi Sacerdotis appositus, in quo insculptæ erant *Doctrina*, & *Veritas*, tenebrescebat, & resplendescebat, secundum diversitatem eventuum, qui Israelitico Populo, prospera, adversaque indigitabantur: sed tempore Zachariæ, Ioannis Baptistę Patris, insigniter resplenduisse, Cornelius à Lapide asserit. Sed quare tempore Zachariæ Summi Sacerdotis magis veritas, & doctrina splendescebant? Quia ei erat filius Ioannes; erat vox, quæ in confutandas Hęreses Herodianas multùm insudabat. Igitur si Ecclesia, si Summus Pontifex filium habet Ioannem, qui suam vocem, & calamum suum ad hæreses debellandas convertit, ex nunc micantiùs resplendent in eo veritas, & doctrina.

Cornel. á Lap. Exod. 22.

Tertius titulus, & sufficiens, (vt alios quam plurimos omittamus) vt Liber censeatur approbatus, est Authoritas, & multiplicitas Doctorum, quos larga manu, incredibili, immensoque labore accumulat: Cur enim Censura indigeat Liber, qui tot Conciliorum, probatorumque Doctorum Authoritates Ordine mirabili conectit? Hoc enim mirabile est, adeò, vt vsurpare possimus verba D. Hieronymi: *In tantum Authorum doctrinis, atque scientijs suos referst Libros, vt nescias quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum.* Vndé cum Volumen hoc evolueremus, potiùs Bibliothecam legere nobi-

D. Hier. ib. 2. Ep. 1.

videmur.

videbatur, quam Librum. Mirabilis est enim in eligendis Authoribus ad votum spectantibus.

Non nemini visum est, totum scire humanum hac misera tempestate ad scopum rectæ electionis redactum esse. Audi Cęsaraugustanum illum: *Todo el saber humano (si en opinion de Socrates ay quien sepa,) se reduce oy al acierto de vna sabia eleccion. Poco, ó nada se inventa, y en lo que mas importa se ha de tener por sospechosa qualquiera novedad. Estamos ya á los fines de los siglos; alla en la edad de oro se inventava; añadiose despues, ya todo es repetir. Vense adelantadas todas las cosas, de modo, que ya no queda que hazer sino elegir.* Sed fallitur ingeniosus Vir dum finem discursui imponit, quia vt ait Seneca: *Veritatem in alto involutam latere.* Et Anastasius Sinaita: *Qui ante nos ista docuerant* (ait) *non Domini nostri, sed Duces sunt; patet omnibus veritas, nonaum est occupata, multum ex illa futuris relictum est.* Fallitur ergo, quia noster Coryphęus plura repetit, plura addit, plura adinvenit, plura repetit dum plurium Doctorum Authoritates maximo sudore in vnum congerit. Plura addit, dum illorum ratiocinijs, alia, & alia adiungit. Plura adinvenit, quia licet novitatem fugiat, vtpote errorum matrem, novo ordine, novo stylo, nova claritate Antiquorum placita illustrat, quod quidem haud facilè est, & solùm doctissimis concessum; vt concinit Plinius iunior de amico suo Nonnio: *Invenire præclare, enuntiare magnificé, interdum etiam Barbari solent: disponere apte, figurare variè, nisi eruditis negatum est.* Aliquibus solum concessum est invenire præclare; alijs magnificê enuntiare; nonnullis disponere apte, & variè figurare: Nostrum verò Illustrissimum Antistitem omnibus his dotibus illustratum conspicimus, vt quidam cecinit

El discreto de Lorenço Gracian.

Sen. de Benef. lib. 7. cap. 1.

Anast. Sinaita, l. 2. Epist. 35.

Plin. Iun. lib. 4.

Quæ sparguntur in omnes
In te mixta fluunt, & quæ Divina Beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Sed dicet aliquis, quare in his quæ novè dicit, novo ordine, nova claritate, quærit Patronos ex Concilijs, ex Patribus, aut saltem ex vetustissimis Doctoribus? Quare non ex proprio scribit? An non frustra scribit, qui aliena non propria scribit? minime. Imò hæc est præcipua Scriptoris nostri Ioannis laus æmula Sapientię Angelorum: Vndè convenientissime aptantur verba D. Ioannis Chrysostomi loquentis de Ioanne Baptista: *Idcircó Angelus appellatur hoc est Nuntius. Est Nuntij officium nihil ex se dicere.* Est noster Excellentissimus Princeps, Ioannes, id est, altissimi Nuntius, à Deo missus his miseris temporibus ad propugnandam Infallibilitatem Pontificiam, & ad Romanorum Pontificum famam, & honorem vindicandum, ab Hęreticorum calumnijs; ideo cum omnia ex propijs dicere studet, nihil proprium dicit, quia loquitur vt Ioannes, loquitur vt Nuntius: nihil proprium dicit, quia Antiquorum Authoritatibus nititur; & hoc officium est Ioannis, officium est Angeli, officium est Nuntij. Omnia ex proprijs loquitur, quia Authoritates Doctorum novo stylo, nova claritate congerit, & efficacissimis rationibus, & ratiocinijs firmat, & confirmat.

D. Ioann. Chrysost. hom. 5. in 1. c. Ioan. tom. 3.

Sed iam calamum ponimus, & ad te, Excellentissime Princeps, Illustrissime Domine, nostra convertitur oratio; quot dotes habes, tot titulis Liber tuus approbatus conspicitur, Libri liberi sunt, qui imaginem Authoris, vel Patris naturali penicillo præseferunt depictam. Laudabiles animi tui dotes, quas præsens admiratur ætas, & sequens æmulabitur posteritas: Vndique amplitudinem sapiunt, passimque magnitudinem præmonstrant. Nonne magna, & perantiqua est Familia ex pervetusto Rocabertinorum

norum trunco deprompta? Nonne nobilis cum plures progenitores habuerit Principes, pluresque Reges? Nonne Sancta, cum plures habuerit Sanctos, & hisce temporibus Sanctissimam, ac inclytam Mariam à Succursu Sanctorum fastis annumeratam conspeximus? Nonne docta, cui datum est, non solum viris, sed etiam fœminis Parnassum, seu Litterarium Orbem, vel vt melius dicamus, Ecclesiam Militantem suis Doctissimis condecorare Voluminibus? Sed ad quid diffusa verborum pompa? Tibi enim immortales gratias rependimus, quod tanti nostram tenuitatem facias, vt non dedigneris Librum, qui Liber est, nostrę submittere Censuræ. Sed quid nos sumus, vt in rebus à te peracutè, & ingeniosè tractatis suffragium mittere valeamus? Non nos, nostris, sed verbis Divi Prosperi, te alloquimur: *Adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis. Necessarium, & vtile est etiam quæ scripta sunt scribere, ne leve existimetur, quod non frequenter arguitur. Sanum enim putant esse quod non dolet, nec vulnus superducta cute sentiunt: sed intelligant perventurum ad sectionem, quod habuerit perseverantem tumorem. Gratia Dei, & pax Domini nostri IESV CHRISTI coronet te in omni tempore, & ambulantem de virtute in virtutem glorificet in æternum, Domine Excellentissime, ineffabiliter mirabilis, incomparabiliter honorande, præstantissime Patrone.* Sic sincęro iudicio sentimus in hoc nostro Collegio Valentino S. Philippi Carmelitarum Discalceatorum, die 11. Maii, anno Domini 1694.

Epist. D. Prosperi ad D. August. in huius Ope. tom. 7.

Fr. Blasius à Spiritu Sancto
Prior.

Fr. Ioseph à Sancto Elia,
Theologiæ Lector.

Fr. Antonius à Sancto Georgio,
Theologiæ Lector.

CEN-

CENSVRA LIBRI APOLOGETICI DE ROMANORVM Pontificum in Fide Illibata Conſtantia ab Hæreticorum, & ſequacium impoſturis vindicata, Authore D. Fr. Ioanne Thoma de Rocaberti, Prælato Domeſtico Aſsiſtente Sacro Solio ab Innocentio XI. Valentinæ Civitatis Archiepiſcopo, eiuſque Vniverſitatis olim Sacræ Theologiæ Primario Profeſſore, Ordinis Prædicatorum in Provincia Aragoniæ Provinciali, poſtmodum totius Religionis Generali Magiſtro, ſimul, iterumque Valentini Regni Pro Rege; à D. D. Ioſepho Garcia de Azor, Iuris Vtriuſque Doctore, & Cenſore, Altipontis Archidiacono, Metropolitanæ Eccleſiæ Valentinæ Præpoſito, Iuris Civilis Primario Profeſſore, & Archiepiſcopatus Valentini Vicario Generali; commiſsi D. Michaëli Ioanni Vilar, Sacræ Theologiæ Doctori, Sedis Valentinæ Præpoſito, Sacræ Theologiæ Expoſitivæ Primario Profeſſori, Propoſitionum Fidei Qualificatori, Examinatori Synodali, Civitatis Valentinæ Chroniſtæ, & Concionatori, atque in Collegio SS. Regum Orientalium Rectori.

APPROBATIO.

ANFAVSTI dies tot calamitatibus miſerandi! invaſit ambitioſus dominādi furor, ferro & igne contendit, terra, marique graſſatur, ſuperbit impia Martis ferocia, & incenditur pauper, Patrimonium CHRISTI litatur crudelitati, horret pietas, imminent Divina ſupplicia, & ſeveriſſimæ vindictæ à Sancto Remigio Remorum Archiepiſcopo, & Francorum Apoſtolo in vſurpantes Eccleſiæ bona inflictæ, (a) eiuſque dirum Anathema Teſtamento ſcriptum adverſus Francorum Principes, ſi quis ex eis, quæ Eccleſię donata, aliquid quoquo modo ſurripere auſus eſſet. (b) Sed fallentes ſemetipſos, ad ſua deſideria coacervant ſibi Magiſtros, perniciosæ ſeditionis ventilabra. Monet Gentium Apoſtolus: *Obſecro vos fratres per nomen Domini noſtri IESV CHRISTI: vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem Sententia.* (c) Et ſicut aſpides ſurdę obturant aures prurientes auribus: *Ignorantes enim Iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, Iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* (d) Pro irrefragabili dogmate ſtabilitur adulatio; Sacrorum Canonum, & Eccleſiaſtici Iuris contemptores honorantur, ſub verborum fallacijs, & ambiguitatum involucris doctrinam non ſanam; ſed periculoſam, veritati contrariam, & damnatam effutientes: filij autem lucis, qui ex Supremo Eccleſiæ Oraculo pendentes, à mandatis labiorum eius non recedunt, exoſi, ius datum ſceleri, bonis, patria, & libertate ſpoliantur, vinculis, cateniſque conſtricti, per oppida ad terrorem circumducti, cum ſicarijs teterrimis ergaſtulis includuntur, quibus dignus non erat mundus, egentes, anguſtiati ab eis, quibus mandatum erat deſuper, ne tangerent Chriſtos Domini; pro cauſa Dei extrema quæque ſubeuntes, gratæ Deo victimæ Eccleſiaſticæ libertatis, occubuere.

Hæc pia mente verſabat Excellentiſſimus noſter Archiepiſcopus D. F. Ioannes Thomas de Rupevvertina, & tactus dolore cordis intrinſecus, percuſſuſque duplici ictu Zeli, & Charitatis, converſa eſt Rupes in fontes

(a) *Hincmarus apud Spondanũ ann. Chriſti 760. n. 2. & Suriũ in vita S. Remigij 13. Ianuarij.*

(b) *Baronius, ann. Chriſti 760. in fine.*

(c) *1. ad Corinth. 1. v. 10.*

(d) *Ad Roman. 10. v. 3.*

aquarum, in fontes lachrymarum: *Meum est flere* (ait) *vehementerque angi de misero Galliæ statu, ac conditione.* (e) Et egressæ sunt etiam aquę largissimæ Sacrę eruditionis, puræ, ac nitentis Doctrinæ ad satietatem reficientes: Arbores bis mortuę, oportunè irrigantur, vt viuificentur; tenellæ, vnda proficua in fructuosam soliditatem adolescunt; fructiferæ, exeunt vberiores: Vvertina, vberrima lympha, vberrimoque pastu oves CHRISTI pinguescunt. Sed huius Rupis Arcem, quā Vauvvertus primus Dux Mosellanię, filius Alberti, Francorum Regis extruxit, (f) eiusque posteri Religionis Zelo contra irruentes Mauros inuicta fortitudine propugnarunt, (g) temporis tamen viciſſitudini subiectam, æternitati erexit pietas nostri Zelantissimi Prę sulis super soliditatem Virtutis maiorum suorum: *Fundamenta æterna supra Petram solidam*, ait Ecclesiasticus: (h) ita enim fuit constans eorum erga Romanum Pontificem obseruantia, ita firmus animus illibatè seruandi Ecclesiastica iura, vt nullis interituram sæculis fabricam superædificauerit noster solertissimus Artifex in Ecclesiæ Romanæ propugnaculum. Sanctus Clodulphus. Vvertinæ Domus gloria, Dux Austrasiæ Mosellanicæ, Archiepiscopus Metensis, filius Sancti Arnulphi Magni, Ducis Metensis, & Archiepiscopi, ex quo Illustriores Principes Europæ glorioſam Originem protrahunt, acerrimus fuit Immunitatis Ecclesiasticæ propugnator, promotusque ad Trevirensem Archiepiscopatum, Regem Carolum Martellum se in Ecclesiastica intromittentem, strenuè velut alter Azarias increpuit. (i)

Rex Galliæ Pipinus primus (cuius sobrina fuit Hermēberga prima Vicecomitissa de Rupevvertina) immortalem sibi peperit gloriam, tùm ob præstantiam rei militaris, tùm ob insitam eius animo Religionem, & egregiam munificentiam, maxime erga Romanam Ecclesiam, de qua præter alia veterum Scriptorum monumenta, extat Ravennæ antiquę tabulæ marmoreę fragmentum cum his verbis.

PIPINVS. PIVS. PRIMVS. AMPLIFICANDÆ. ECCLESIÆ. VIAM. APERVIT. ET. EXARCHATVM. RAVENNÆ. CVM. AMPLISSIMIS. (l)

Reliqua desunt, aut iniuria temporum, aut invidia tyrannorum: Perijt, quod non poterat permanere; permansit, quod non poterat perire. Violata iura Ecclesiastica vindicavit, Desiderium Longobardorum Regem compulit restituere Patrimonium Ecclesiæ Romanæ, misso ad eum fratre Sancto Remigio Archiepiscopo Rotomagensi. Obsequij huius extat Epistola gratulatoria Pauli I. in qua Pontifex Sanctum Prę sulem Deo amabilē appellat. (m) Idem Rex monitum per Legatos Aquitaniæ Ducē Vvaifarium, vt ablata Ecclesiæ restitueret; contemnentem verò, contractis vndique copijs, obsides dare coëgit, prę stito etiam de restitutione iuramento; sed negligentem periurum bello invadit, ditione, & vita privat. (n) Aistulphum fœdifragum, magno parato exercitu, compulit perfidei veniam precari, & non modo, quę ante promiserat, se verè Romanæ Eccleſię restituturum cōfirmat; sed & Comaclium Castrum addit. Inclytus igitur Rex, misso Fulrado Abbate consiliario suo cum Aistulphi Legatis ad recipiendas singulas Vrbes, & castra, scriptam donationem, & claves Civitatum super Beati Petri sepulchrum ponens, Sanctissimo Papæ, atque omnibus eius in posterum Successoribus Pontificibus perpetuò possidendas, atque disponendas tradidit. (o)

Carolus proavus Vicecomitis Hugonis de Rupevvertina, (p) non tantum Magnus; sed & ter Maximus bellica fortitudine, scientia, & pietate, (q) templa Divis erexit, erecta auxit, verè Religionis etiam in minimis observator, integrè Romanæ Ecclesiæ Immunitati consuluit, eiusque libertatem sanxit, (r) nec toto sui Regni tempore quidquam duxit antiquius, quam vt Vrbs

Ro-

(e) *In Præfatione Tomi primi.*

(f) *Arb. Geneal. pagin. 6. & 88.*

(g) *Arb. Geneal. p. 9.*

(h) *Cap. 26. v. 24.*

(i) *Arnoldus 8. Iunij, & in Apendice, fol. 875. apud Iepes tom. 2. Cēturia 2. fol. 149. pagin. 2. col. 2.*

(l) *Baronius ann. Christi 768.*

(m) *Bollādus 19. Ianuar. pag. 236.*

(n) *Aimoinus apud Baron. an. Christi 760.*

(o) *Spondanus an. Christi 755.*

(p) *Arb. Geneal. p. 137.*

(q) *Bar. an. Christi 778.*

(r) *Bar. an. Christi 801.*

Roma sua opera, suoque labore veteri polleret Authoritate,& Ecclesia Sancti Petri,non solum per illum tuta,ac defensa,sed etiam suis opibus præ omnibus Ecclesijs esset ornata ac ditata; (l) necnon vsurpantes bona Ecclesiastica pio Decreto compressit.(t) Verã animi summissionem erga Romanum Põtificem,omnibus Christianis Principibus positam in exemplum , edicto illo firmavit: *Servanda est cum mansuetudine humilitas,vt licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum,tamen feramus,& pia devotione toleremus.* (u) Exẽplo discite Caroli scientijs excultissimi,& præcipuè Theologia, (x) erudimini qui iudicatis terram,observantia erga Sedem Apostolicam Regna,& Imperia propagare, atque firmiter stabilire. Caroli pietatis hæres Ludovicus,nomen Pij nactus, in Conciliorum Decretis , in Romani Pontificis Constitutionibus servandis invigilavit , omneque studium adhibuit: *Nulli* (ait) *fas sit sine status sui periculo,vel Divinas Constitutiones, vel Apostolicæ Sedis Decreta temerare.* (y) Et alibi : *Constitutiones contra Canones,& Decreta Præsulum Rom.seu aliquorum Pontificum , vel contra bonos mores nullius esse momenti.*(z)

(l) *Eginhardus in Vita Caroli Magni*
(t) *Baronius Christi 789.*
(u) *Dist. 19.cap. 3. & in Concil. Trib. cap.30.*
(x) *Baron. & Spondanus anno Christi 778.n.10*
(y) *Benedictus Levita lib. 6. c. 267.*
(z) *Lib.7. cap. 187.*

Theodosius Imperator ille , non solum à Christianis , sed & à gentilibus decantatus, (a) splendor lineę maternę Rupevvertinorum, (b) cuius parentes in somnis moniti,nomen ei tamquam futurorum bonorum prænuntium sacravere,vt *Theodosius* , quasi *à Deo* datus diceretur , cui purpura vltro se obtulit,insignis fuit Religionis Catholicæ promotor,confregit perfidiam tyrannorum,sacrilegos removit errores, & gentium simulacra, vt alter Iosias evertit;sanxit etiam de Ecclesiastico iure illibatè servando. (c) Victorijs, & gloria mirabilis;sed religiosa humilitate mirabilior, Arcadium filiũ pronuntiatum Augustum,Arsenio Ecclesię Romanæ Diacono , pietate , & doctrina insigni,moribus,ac Litteris tradidit imbuendum;cumque aliquando ingressus scholas,vidisset Arsenium stantem,Arcadiumque sedentem , Magistrũ sedere compulit,filium verò,derecto capite,& deposito Imperatoris insigni voluit auditorem profiteri,illud inculcans : Tunc prolem suam verè fore dignã Imperio,si cum scientia æquè imbuta esset pietate. (d) Sed de profundissima Theodosij humilitate admissæ culpę pœnitentis,Ambrosius, (e) & Augustinus (f) magno præconio meminere: *Dilexi virum,* (ait Ambrosius) *qui magis arguentem,quam adulantem probaret. Stravit omne quo vtebatur insigne regium,defluit in Ecclesia publicè peccatum suum,quod ei aliorum fraude obrepserat.Gemitu,& lachrymis oravit veniam.Quod privati erubescunt,non erubuit Imperator,publicè agere pœnitentiam : neque vllus postea dies fuit,quo non illum doleret errorem:::::::Et cum iam corpore solveretur,magis de statu Ecclesiarum,quam de suis periculis angebatur.* Horum, & quos vel pietate insignes, vel heroica virtute Sanctorum Catalogo adscriptos veneramur , nostrique Præsulis antiquam stirpem decorant, ardens Zelus,ita fervet in corde tanti Pastoris, vt nõ solum in Templa munificus,in pauperes largissimus,in promovenda pietate assiduus;sed in stabiliẽda Sedis Apostolicę Authoritate sit indefessus , proferens omnem armaturam fortium in perenne constructæ arcis munimentum.

(a) *Aurelius Vict.*
(b) *Arb. Geneal.p. 104.*
(c) *L. 3. c. Th. de Episc. Iudic.*
(d) *Spondanus an. Christi 383. n. 5.*
(e) *In oratione funeris Theodosij.*
(f) *De Civit. Dei lib.5.cap. 26.*

Sed Verbi Dei non inscius ò mihi venerande Antistes: *Dilata os tuum, & implebo illud.* (g) Et os eruditè dilatasti,& Opus fœliciter implevisti in tui gentilitij stemmatis , & Comitatus gloriam: *Peralada est Petra lata,* hanc pro Basi Pontificię Authoritatis suppositi,& in honoris Aram erexisti.*Petra lata* est Petri Ara,dum super solidissimã Basim tuę plenissimę Doctrinę Fidei Columnę Petrus , & Successores eius eriguntur , qui ab erroris nęvo vindicantur. Quam pulchrè nitent super hanc Basim Ecclesiæ Columnæ , & quam decora Basis apparet tot exornata Columnis ! *Simulacrum aliquod* (ait Ambrosius) (h) *in Basi statuitur,& tunc maiorem habet*

(g) *Psal. 80. v. 11.*
(h) *In Ps 118. ser 5. v. 6.*

bet gratiam, cum in Basi statua faerit collocata, standique accipit firmitatem :::::: Sicut Basis accepta statua non est aliena gratiæ. Nec immemor veræ gloriæ tuorum, mirabilem hanc Basim Supremę Ecclesiæ Authoritati humiliter subiecisti, inter quos (i) *Sanctus Bassinus ex nobilissimo Ducum Austrasiæ genere natus, frater Lotharingiæ Ducis, qui vt mundi gaudia, & gloriam caducã vitaret in D. Maximi Monasterio factus est Monachus, inde ob vitæ probitatem Abbas* 17. *impulsu verò Gregorij II. Pontif. Trevirorum Archiepiscopus creatus est. Qui ita præfuit, vt Basis Templi in Domo Domini dici meruerit.* (l) Sed dum hic iam vereor modestiæ tuæ imperia, hæc vox auribus meis insonat: Alijs silentio traditis, vno verbo de Volumine commisso iudicium profer: Opus (vt paream) quod gravitate styli, soliditate Doctrinæ, rationum pondere Basis est honoris, & Authoritatis Pontificię, sanæ eruditionis gemmis tessellata, lapidem probatum censeo. Valentiæ in hoc Collegio SS. Regum Orientalium, die 21. Maij, anno 1694.

(i) *Arb. Geneal. p. 94.*

(l) *Theatrum Vitæ Humanæ verbo Episcopi Trevirenses, n. 56. pag. 216.*

D. Michaël Ioannes Vilar.

Imprimatur.
Garcia Vic. Gen.

Imprimatur.
Pons R. F. A.

LI-

LIBER III.

APOLOGETICVS,

INVICTA HONORII I. IN FIDE Constantia ab impugnantium telis vindicatur.

CAP. I.

RELATIS HIS, QVÆ Honorio opponuntur, noſtra proponitur Aſſertio.

1 HOnorii Pontificis illibatam in Fide Conſtantiam, hęreſis calumnia, & Monotheliſmi nęvo infuſcare contendunt Romanæ Cathedræ impij oſores Magdeburgenſes, Anteſignano Nilo, Epiſcopo Theſalonicenſi, qui vixit *anno huius ſæculi* 1. & *lib.* 2. *de Primatu Papæ* apertè aſſerit: Honorium fuiſſe Hæreticum.

2 Magdeburgenſes verò *Cent.* 7. *cap.* 10. & in poſteriori editione *Cent.* 7. *cap.* 11. ſic ſcribunt: * Cum Monotheli-tarum hæreſis graſſaretur, etiam ipſe Honorius Pontifex, quem tamen ſomniant errare non poſſe, ea correptus eſt.* BLONDUS *Decad.* 1. *lib.* 9. *apud Gravinam* 2. *part. Tom.* 4.

3 Parùm obeſſet hæc iniqua iuratorum Eccleſiæ hoſtium blatteratio, quorum teſtimonijs fidem derogat ipſa æmulatio, qua Romanam Eccleſiam inceſſantèr oppugnant, niſi talis fuiſſet eius Pontificatus, & illorum temporum calamitas, graſſantibus vndique, & Eccleſiæ pacem turbantibus Monothelitis, vt in hac Hiſtoria, nube vetuſtatis obſcurata, non deſint etiam Catholici Authores, qui adverſus Honorium ſtent, & quod magis eſt, ſuam opinionem Summorum Pontificum, & Generalium Conciliorum ſequentibus Decretis fulciri intendant.

4 Sexta quippè Synodus OEcumenica, Conſtantinopolitana III. celebrata *anno* 680. *Actione* 13. damnat Honorium, tamquam Hæreticum, & comburit eius Epiſtolas ad Sergium ſcriptas, & in ſequentibus, repetit eius damnationem.

5 Septima etiã Synodus Generalis *anno* 780. celebrata, eidem Pontifici *Actione* 7. Anathema dicit, & inter cæteros Monothelitas, tamquam eiuſdem criminis reum, collocat.

6 Idem decernit VIII. Synodus OEcumenica *anno* 868. in qua *Actione* 7. lecta fuit, & probata Epiſtola Concilij Romani, ſub Adriano Pontifice ſcripta, vbi aſſeritur, fuiſſe Honorium iudicatum poſt mortem à Concilio VI. quia de hæreſi accuſatus fuerat, quod illius Epiſtolæ ver-

bis apertiùs patefcit: * Romanum Pontificem de omnium Ecclefiarum Præfulibus iudicaffe legimus, de eo verò quemquam iudicaffe non legimus; licet enim Honorio ab Orientalibus, poft mortem Anathema fit dictum; fciendum tamen eft, quia fuper hæreſim fuerat accufatus, propterquam folam, licitum eft minoribus maiorum fuorum motibus refiftere, vel pravum fenfum liberè refpuere.*

7 Eamdem Honorii labem admittere, & condemnationem approbare videtur Leo II. Pontifex, qui VI. Synodum confirmavit, quippè *in Epiſtola ad Conſtantinum* miſſa, inter cæteros, quos anathematizat, etiam Honorii meminit, ibi: * Honorium (inquit) qui hanc Apoſtolicã Eccleſiã, non Apoſtolica Traditione luſtravit, ſed profana traditione, immaculatam Fidem ſubvertere conatus eſt, & omnes, qui in ſuo errore defuncti ſunt, ſimilitèr anathematizamus, & execramur.*

8 Aliqui pro eadem Sententia recenſentur Catholici Scriptores; ſed eſtò plures fuerint, ab illorum inutili nomenclatura ſuperſedendum cenſuimus: quid enim ponderis, aut præiudicii fulciendę quæſtioni adiicere poteſt ſingularis Scriptorum, & privata opinio, poſt recenſita tria Generalia Concilia, & duorum Eccleſiæ Antiſtitum Adriani II. & Leonis ipſis publicè colloquentium, Authoritatem? Utiliùs igitur erit, ad horũ interpretationem nos accingere, quibus expoſitis, prona, & facilis ad cætera via ſternetur. Fateor equidèm Provinciæ, quam agredior, difficultatẽ, nec mihi ignotum eſt, plures magni nominis Viros in ea debellanda gloriosè inſudaſſe, ſed Divini Numinis auxilio, & Apoſtolorum Principis Petri, cuius almæ Sedis tuendo honori vigilias noſtras dicamus, imbecillitas mentis noſtræ fulcietur, vt expeditam ſemitam huius quæſtionis labyrintho inveniamus, & ad Honorii Conſtantiam tuendam, non ignobiliora obveniant argumenta.

9 Vt expeditior proferendis pateat aditus, præmittendum cenſuimus 1. fontem, & ſcaturiginem condemnationis Honorii, ex VI. Synodo Generali originem ducere, in VII. quippè Synodo, non iterata cauſæ cognitione, condemnatur Honorius, ſed illius VI. Synodi condemnatio recitatur, ſicuti etiam in VIII. Synodo, hancque eamdem Honorii damnationem ſupponunt Adrianus Pontifex, & Pontifex Leo II. quarẽ præcipuum nobis in VI. Synodi Sententia explananda negotium eſt, à qua cęterę Honorij proſcriptiones dimanant. Undè ad id tota devolvitur quæſtio: an de facto fuerit Honorius à VI. Synodo condemnatus: & an iure, vel iniuria, fuerit inter Monothelitas adſcriptus?

10 Præmittimus etiam VI. Synodum in his, quæ concernunt Fidei, & in eius Actionibus, Decretis, & Canonibus continentur, OEcumenicam, & legitimam fuiſſe, Generaliumque Conciliorum Sanctionibus ab Apoſtolica Sede approbatis, neminem Catholicorum ſalva Fide contrarie poſſe: difficultatis igitur vertitur Cardo, in Autographi Conciliaris, quod communiter circumfertur, integritate: Vndè quærimus: An nomen Honorii legitimè, vel ſubdola Græcorum fraude, aliis Monothelitis iuſtè damnatis, inſertum fuerit?

11 Pro CONCLVSIONE ergo ſtatuimus: vtrumque verum eſſe, & certum, Acta ſcilicet Conciliaria VI. Synodi, vitiata eſſe, Fideique puritatem in Honorio Pontifice ſemper enituiſſe.

12 Quod nedum Authoritate, tùm recẽtium, tùm illius ævi Scriptorũ, & coniecturis, ſed invictis rationibus demonſtrare conabimur. Neminem enim latet, hæreticorum artem eſſe, Sanctorum Codices, ſinceraque illorum veritatem, prout ſuis mendacijs fulciendis intereſſe poteſt, corrumpere, & interpolationibus variis fœdare, nec ſemel in Sanctorum, & Apoſtolorum ſcriptis egiſſe, latiùs alias probavimus, in Apologia pro Sanctis Clemente, & Zephyrino, quem Montani labem contraxiſſe, Hæretici calumniati ſunt, ſicuti Clementem promiſcuam vxorum communionem approbaſſe.

13 Nec Sanctorum ſcripta tantum huiuſmodi Harpiæ fœdarunt, ſed & in Sacræ Scripturæ libros manus impias iniecerunt, vt iuſtè conquæritur TERTVLLIANVS acriter invehens in Aſiæ Preſbyterum, qui vt refert *lib. 3. de Baptiſmo, cap. 17.* Pauli nomine abutens, indigna tanto Apoſtolo exaravit, ibi: * Si quæ Pauli perperam (inquit) ſcripta legunt, exemplum Theclæ ad licentiam mulierum, docendi, tinguendique defendunt, ſciant in Aſia Presbyterum, qui eam

eam scripturam construxit, quasi Titulo Pauli, de suo cumulans, convictum, atque confessum, id se amore Pauli fecisse, loco decessisse. Hunc autem librum in scriptum fuisse *Periodus Pauli, & Theclæ*, tradit Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis. *

14 Apostolorum etiam Acta, & vitas depravatas ab Ebione, testatur D. EPIPHANIVS *in Panar. hæres.* 30. *Quarè omnia, quæ illorum nomine scripta sunt, vt *Circuitus Ioannis*, *Circuitus Thomæ*, *Actus Andreæ*, *Actus Ioannis*, *Actus Philippi*, *Actus Petri*, *Actus Pauli*, tanquã erroribus conspersa gravissimis, latissimè refellit, & refutavit in Concilio Romano Gelasius Papa, & post, D. Athanasius, & Philaster.*

15 Manichæos huius generis commenta plura excogitasse, optimum testem advoco S. AUGVSTINUM, qui id tradit *lib. de Fide, contra Manicheos*, & Apostolorum nomine conscripsisse falsas Historias, vt Fidelibus imponerent, refert ibidem.

16 Vndè, cum capitale odium, ac immanis hostilitas, qua Ecclesiam, & Pontificiam Authoritatem insectantur Hæretici, eos in eam temeritatem sæpius adegerit, vt non modo præclariorũ Sanctorũ, & Apostolicorum virorum scripta impiè corrumperent, suos errores sanctissimis illorum operibus ingerentes (vel suas hæreses illorum Authoritate commendandi, vel illorum splendorem hisce errorum tenebris temerè offusis obnubilandi, ac ingenti dedecore afficiendi causa) sed etiam, vt Sacratissimum, ac Sanctissimum Divinæ Scripturę Textum sacrilegè adulterarent; nihilmirum quòd dicamus, idipsum *in VI. Synodo*, quantumvis OEcumenica, contigisse; non enim infallibilior, certior, ac sacratior est illius, quam Divinarum Literarum, Sacrorum Scriptorum, Apostolorum, & Evangelistarum Authoritas. Si ergo cęca Hæreticorum rabies, & improbitas non abstinuit, ab inferenda Sacratissimis Divinarum Litterarum Codicibus suorum errorũ zizania, creditu iam difficile non est, nec venerandis VI. Synodi scriptis quoad Honorij condemnationem peperciisse, sed potiùs Conciliarium Actorum Autographum, quoad illam damnationem, corrupisse.

17 Idem etiam in Concilijs contigisse, non longè sunt exempla; constat quippè V. Sanctam Synodum eodem interpolationis vitio non caruisse; deprehenderunt etenim in ea Patres multas corruptiones ab hæreticis factas, vt patet in *Actione* 12. & 14. & iuxta S. LEONIS Papę quęrelam, qua *Epist.* 83. *ad Palatinos*, suam ad Fabianum Epistolam, se adhuc vivente, ab his mendacii asseclis vitiatam, dolet. Sanctus etiam GREGORIVS *lib.* 5. *Epist.* 14. *ad Narsem*, affirmat, Constantinopolitanos corrupisse Synodũ Chalcedonensem, & idem se suspicari de Ephesina, subiungitque; Codices Romanorum longè esse veraciores, quam Græcorum: *Quoniam (inquit) Romani, sicut non acumina, ita nec impostoras habent.*

18 Condolet etiam, & improbat eamdem audaciam NICOLAVS I. etenim in *Epistola ad Michaelem Imperatorem*, remittens illum ad Epistolam Adriani Primi, hæc habet: * Si tamen non falsata more Græcorum, sed sicut à Sede Apostolica missa est, penès Ecclesiam Constantinopolitanam, hactenus perseverat;* quæ profectò sine causa non scripsit. Nam quæ ipse allegat in Epistola ad Photium, ex Epistola Adriani ad Tarasium, nõ habentur in illa Epistola, vt legitur in VII. Synodo. Græci autem detraxerunt eum locum, quia contra honorem Tarasij faciebat.

19 Idem vitium perstringit, & tanquam non insolens Græcis, commemorat IOANNES DIACONVS, antiquus, & magni nominis Scriptor, *in Vita Sancti Gregorij Papæ, lib.* 4. *cap.* 75. * Dialogos (ait) Gregorij, Zacharias Sanctę Ecclesię Romanæ Episcopus, post annos fermè centum septuaginta quinque, in Græcam linguam convertens, Orientalibus Ecclesiis divulgavit, quamvis astuta Græcorum perversitas in commemoratione Spiritus Sancti, à Patre procedentis, nomen Filij suaptim radens abstulerit. Vbi enim Gregorius *lib.* 2. *Dialogi*, *cap.* 38. habet: *Cum constet quia Paraclitus Spiritus à Patre semper procedat, & Filio, &c.* Illi, vt iam habent exemplaria corruperunt, ponentes: *Spiritus, qui ex Patre procedit, & in Filio manet.**

20 De eodem delicto sunt convicti Græci *in Concilio Florentino*, quod argumentum falsationis latè, & solidè prosequitur Cardinalis BARONIVS *circa annum Domini* 681. loquens de Honorio.

21 Vndè apertè deducitur, quod si prædicti Sancti Pōtifices, iustissimas adversus Græcos quęrelas protulerunt, ob depravatam etiam Conciliorum Generalium puram, & sinceram editionem, quia Græci ea superseminarunt, quæ Romanæ Ecclesiæ honori detraherent, nec mirum erit, nec novum videbitur suspicari, aut suspicione certiùs habere, nomen Honorii eisdem genuinis Actis infarctum, & iniquè interscriptum esse.

CAP. II.

HONORII PAPÆ NOMEN IN Actis VI. Synodi impiè a Græcis adiectum, vt Monotheliſmi labe eius famam inficerent, & rationibus, & Authoritate probatur.

22 AGmen ducat Eminentissimus, & Doctrina, & Zelo Fidei Cardinalis BELLARMINVS *ac Romano Pontifice, lib. 4. cap. 11.* vbi: *Ad secundum, dico (inquit) sine dubio Honorii nomē inter eos, qui damnantur à VI. Synodo insertum esse ab æmulis Romanę Ecclesiæ, & similiter quidquid aliud ibi dicitur contra Honorium. (Et infrà concludit:) Si ergo corruperunt Græci III. IV. V. & VII. Synodum, quid mirum si etiam VI. corruperint? *

23 Accedit Eruditissimus Annalium Scriptor BARONIVS *ad annum. 681. ad Tom. 8. num. 12.* qui lato calamo probat hanc impostură, eam Græcis Monothelitis adscribens, & Constantinopolitanis eius ævi Patriarchis, qui id egerūt, vt hac macula calumniosè Honorio imposita, vel proprias abstergerent, inflictę condemnationis Cyro, Sergio, Pyrrho, & Paulo, vel complice, tantæ Dignitatis, pravum errorem honestarent, & latiùs diffunderent: * Vetus est (inquit) ista calumnia Monothelitarum Hæreticorum, qua Honorium in suas attrahere partes (vt sæpè dictum est) conati sunt. Verùm tùm à Ioanne Pontifice, Honorii Successore, tùm à Maximo disputante cum Pyrro, convicta est.*

24 Id differtiùs explicat *num. 13.* in hæc verba: *Hæc dixerimus, quod haud ista careant impostură vehementis suspicione, nempè hęc omnia, quę sequuntur de Honorio, in duabus sequentibus Sessionibus, manifestum fuisse additamentum Grecorum Hęreticorum: apposuisse, inquam, eos ad germanam VI. Synodum, totidem quaterniones, quot fuisse ab iisdem additos ad V. Synodum, est demonstratum huius Synodi, tertia Actione.*

25 Prosequitur *num. 22.* loquens dè eadem ficta condemnatione Honorii: *Quòd quidèm si à Synodo factum esset vt Acta, quæ extant, edocēt, nihil iniquius, nihil imprudentius, vel ineptius potest excogitari. * Quòd variis rationibus concludit, quas infrà in medium adducemus. At *num. 25.* superaddit: * Sed quòd condemnatio Honorii manifestę ex multis arguatur impostură: quomodó, dices, in Acta Synodalia pluribus in locis ista de Honorio potuerunt irrepsisse? * Subiungit ergo Authorem falsationis idem Cardinalis, scilicet Theodorum, Episcopum Constantinopolitanum fuisse, acerrimum quidem Monothelitarum hæresis defensorem, qui cum egrè ferret, se de eo crimine damnatum, & à Sede depositum, & simulato Catholico sensu pristinæ Dignitati restitutus fuisset, Authoritate, qua vigebat, sibi Acta Conciliaria comparavit, & fraude, ac dolo sincera scripta confingens, gratis sibi mendaciis conspersit.

26 Quód apertiùs exprimit idem Cardinalis *num. 25.* citato, & syparium huius scenæ tollit, his verbis: *Attentè, rogo, audi Lector, & ostendam tibi furem, qui aliundè ad hoc tantum in ovile descendit ovium, vt furetur, & mactet; lupumque in vestimentis ovium demonstrabo, subdolè ad gregem aditum sibi parasse, atque ita ea, quæ sibi sunt visa, è Synodo subtraxisse, & alia ex animi sententia addidisse::: Revoca in memoriam Theodorum, illam Constantinopolitanum Episcopum, Prædecessorē Georgii huius, qui huic interfuit OEcumenicæ Synodo, ac pariter mente repete, quæ de ipso superiùs narrata sunt, ipsum, scilicet, Monothelitarum hæresis fuisse audacissimum defensorem (vtpotè qui, contra ipsius Constantini Imperatoris mandatum, à sacris Diptychis abstulerit nomen Vitaliani Romani Pontificis, quique Macario Antiocheno impietate non impar, manus cum eo iunxerat ad expugnandam, si licuisset, Catholicam Fidem, vt superiùs dictum est, ex Epistola Imperatoris ad Donum Pontificem) hunc-que ipsum ē Throno depositum, inque locum

cium eius subrogatum ipsum, quem diximus, Georgium: hæc, inquam, omnia superiùs suis locis sunt certis assertionibus enarrata, atque probata, vt nulla de his dubitatio esse possit.*

27 Et hunc Theodorum, alterum ex Hæreticis Monothelitis, quos Synodus VI. condemnavit, fuisse, latiùs confirmat idem Cardinalis *num.* 27. Authoritate Anastasii Bibliothecarii, qui Epitomem conficiens Actionum huius Synodi, hæc habet: * Deindè protulit piissimus, & Sereniſſimus Princeps Tomum ad relegendum, in quo vnum Hęreticum Dogma Macarii erat conscriptum, & eius manu subscriptum, apertissimè vnam voluntatem in Domino affirmantem, sub ipsius subscriptione, & Theodori Patriarchæ, vtique, iuxta eum tenorem, ibi subscriptio erat.*

28 Prosequitur idem Cardinalis ibidem *n.* 26. *Cùm igitur ista sic se habuisse haud dubium aliquod sit, modò appello te, quid in causa, quod cum in hac Sancta OEcumenica Synodo, omnes Constantinopolitanæ Civitatis Episcopi Monothelitæ, nominatim singuli damnati esse reperiantur, vt Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus, ipse tamen Theodorus eiusdem hæresis causa, ê gradu iam dimotus, & in ordinem redactus, nequaquam inter alios damnatos Patriarchas Hæreticos nominetur?*

29 Cum ergo Concilium omnes Monothelitas condemnarit, ac quatuor prędictos Patriarchas Sergiũ, Pyrrhum, Petrum, & Paulum, nominatim hęreticos renuntiarit, & aliundè vnus è præcipuis fuerit Theodorus; istius nomen inter reliquos, vnà cum ipso, ab illa Synodo anathematizatos non inveniri, manifestum est collusionis indicium; nulla enim erat ratio, cur Concilium in præcipuorum Monotheliſmi Authorum, Patriarcharum Constantinopolitanorum Catalogo, quem texuerat, quatuor prædictos Patriarchas recenseret, omitteret verò Theodorum, vum è prędipuis Monotheliſmi Authoribus, vt suprà probavimus cum Baronio.

30 Rationem verò ob quam Theodorus, cum futurus esset vnus è primis inter Monothelitas Patriarchas, Sergium, Pyrrhum, Petrum, & Paulum, recensitos in prędictis Conciliaribus Actis non inveniatur, eleganter reddit prædictus Cardinalis BARONIUS, quia nempè Theodotus, estò priùs ob Monotheliſmum fuerit à Patriarchali Sede deturbatus, cum tamen posteà in eam fuisset receptus, quia se Catholicum finxerat, & nova Fidei Professione, Monothelitarum hæresim apparenter fuerat execratus; simulatque se Patriarchali Cathedræ redditum agnovit, vigente adhuc in illius prędordiis, capitali odio, quo in Pontificiam Authoritatem excandescebat, ac in suæ condemnationis vindictam, suum nomen à Catalogo Monothelitarum *in VI. Synodo* proscriptorum erasit, ei quæ Honorii nomen suffecit.

31 Sic censet Cardinalis BARONIUS *num.* 28. vbi id hisce verbis enarrat, referens Theodorum suffectum fuisse in locum Georgii: * Catholicæ Fidei emissa Professione, cum ipsi alitèr ad Thronum, è quo ob hęresim anteà ejectus fuerat, aditus non pateret, quod fieri contigit anno sequenti. Hunc igitur restitutum in Thronum, summa rerũ potitum, Synodi prototypum nactũ, nomen suum è damnatorum numero deleviſse (quòd inter eos non legatur) affirmare necesse esse, neminem, qui hæc, quæ sunt dicta consideret, inficias iturum puto. Cùm igitur derectum tibi ostenderimus impostorem, habes planè, cui inventam tribuas impostoram: vt nullatenùs dubites, quòd cuius fuit ex Synodalibus Actis, sui damnationem auferre, eiusdem quoque fuerit alia pro arbitrio addere; ac proindè, qui ê damnatorum numero, suum subduxit nomen, idem inter damnatos adeò in concinnè appoſuerit nomen Honorii ob odium, quod conceperat adversus Apostolicam Sedem; quod tunc potissimum declaravit, quando, repugnante etiam Imperatore, abstulit (vt dictum est) è Diptychis nomen Vitaliani Romani Põtificis::: Sic igitur nihil est, quod dubites, VI. Synodum in iis, quæ dicta sunt, passam esse naufragium, in eo autem integram remansisse damnationem hæresis Monothelitarum, cuius causa fuerat congregata; de Honorio autem, quę in ea scripta leguntur, omninò apparet Theodori esse invidia superaddita.* Hactenùs Cardinalis Baronius. Et licet pluribus aliis argumentis, impostoram hanc fuisse Theodori, & aliorum Hæreticorum comprobet, satis erit hęc obitèr proposuisse, nec deficiunt alii Scriptores,

res, qui Theodori manum in hac fraude agnoscant.

32 Accedit Eminentissimus Cardinalis LAURENTIUS BRANCATUS DE LAURÆA, & pro tuendo Honorio, *Part.* 1. *Tom.* 3. *Disp.* 8. §. 8. *art.* 5. *concluſ.* 4. de Fide, hæc habet: *Probabilissimum est, quòd Patres Concilii VI. non damnaverint Honorium de hæresi Monotheletarum, sed nomen Honorii ab aliquo falsatore Actuum eius Concilii, fuerit per calumniam appositum.* Quam conclusionem latè probat.

33 Et *num.* 320. inquit: Probatur conclusio, quoad aliam partem, de corruptione Actorum Concilii in ea parte, in qua nominatur Honorius. Primò, quia tot argumenta probantia inverisimilitudinem, cogunt ad hoc dicendum: Si enim in iis reperiatur scriptum Honorii nomen, & non potuit apponi à Patribus Concilii, sequitur per necesse, fuisse appositum ab aliquo impostore. Secundò, sæpè accidit hoc, vt à Græcis aliquibus invidis falsarentur Acta Conciliorum, & Epistolæ Romanorum Pontificum.* Quod pluribus comprobat exemplis, quæ omittimus, quia ex eis aliqua, suprà retulimus. Vndè concludit: * Potuit igitur idem infortunium, eademque impostura accidere Actis Concilii VI.*

34 Nec longè ab hac sententia recedit Eruditissimus Scriptor ALBERTUS PIGHIUS, qui *lib.* 4. *de Eccleſiaſtica Hierarchia*, secum condolens de infœlicitate Honorii, quem Fides illibata nedum immunem à Monotheliſmi labe servavit, sed imò primus fuit, qui eum damnavit errorem; & tamen hunc Sanctissimum Præsulem, iniquam huius maculæ censuram subire, apud incautos Lectores audacia, & fraus Monothelitarum intendit: *Vides itaque (inquit) Christiane Lector, & clarissimè intelligis ex illa ipsa Honorii Epistola, quæ est in Actis eiusdem Synodi, passam eamdem ea parte, quæ legitur de damnatione memoriæ Viri Sanctissimi, & verè Orthodoxi, quod Legati Sedis Apostolicæ in eadem convicerunt passam V. Synodum, in Actione eius 7. hoc est, per falsarios, & mendaces Græculos, in odium, & detractionem Romanæ Ecclesiæ (cui adversantes in direptionem dati sunt) hæc infarcta, alieniſſima á mente Sancti Concilii. Quòd enim ad hoc ipsum proclives Græci fuerint, non solùm prædicta testatur V. Synodus, sed etiam conqueritur B. Leo, idem quoque testatur Nicolaus I. (Et infrà concludit:) Nihil itaque mirum, etiam hac parte idem passa VI. Synodi, quæ circumferuntur incertæ Fidei, & Authoris, nupèr emissa exemplaria.*

35 Doctissimus Vir SEVERINUS BINIVS, cuius eruditionem demonstrant, quę ad Generalia Concilia scripsit, Commentaria, *Tom.* 5. *in notis ad Vitam Honorii Papæ I.* latè differens de hac quæstione *in ſolutione* 3. argumenti, quòd sibi oppositum fuerat, de condemnatione Honorii in VI. & VII. Synodis, hęc habet: *Quod tertiò objiciunt Honorium in Actis Synodalibus VI. & VII. Concilii, veluti Hęreticum anathematizari, & cum Monothelitis ibidem recenseri, multum huic nostrę communi Orthodoxorum Sententiæ præiudicaret, si non evidenter constaret Acta VI. Synodi, impostura Theodori Constantinopolitani, & Monothelitę Episcopi, corrupta esse.

36 Anastasius Bibliothecarius in compendio Actionum Synodalium VI. Synodi dissertis verbis affirmat, Theodorum, Constantinopolitanum Episcopum, qui Vitalianum è Sacris Dyptichis erasérat, inter hæreticos nominatum fuisse: verum si Acta eiusdem Synodi illa, quę nunc extant, diligentissimè omni ex parte lustres, nusquam Theodori, vbique fere Honorij nomen, inter damnatos Monothelitas reperies. Quis credat, illud sine fraude impostoris Episcopi accidisse?*

37 Illustrissimus Episcopus SPONDANVS *in Epitome Annalium Baronij* de hac re loquens *anno* 633. *num.* 7. *in fine*, sic scribit: *Quod verò in VI. OEcumenica Synodo, quę extat, recensitus cum Monothelitis legatur Honorius, aperiemus impostúram, cum de his suo loco opportuniùs agetur.* Et ad *ann.* 681. *n.* 5. post traditas varias rationes, quę videtur fovere condemnationem Honorij, eiusdemque nomen, cum Monothelitis insertum *actione* 13. eiusdem VI. Synodi: *Respondeo (inquit) breviter: cum Theodorus ille Constantinopolitanus Episcopus, quem superiùs diximus à Catholico Imperatore, vt Hæreticum, expulsum esse, & in eius locum, subrogatum Georgium, qui huic Synodo interfuit, inter

Epis-

Episcopos Constantinopolitanos hæreticos, à Synodo relatus esset: (id enim & Anastasius non obscurè indicat; & alioqui cum de omnibus eiusdem Ecclesiæ Patriarchis, qui à tempore exortę Monothelitarum Hæresis extiterunt, eadem Synodus iudicium habens, aliquos ex eis condemnasse legatur, *Act. 13.* quos dixímus Sergium, Pyrrhum, Petrũ, & Paulum; alios verò vt Orthodoxos significasse, nempè Thomam, Ioannem, & Constantinũ, nulla causa adferri potest, cur solius Theodori nomen inter omnes alios, sive Hæreticos, sive Catholicos, prætermitti debuerit) vt tamen nusquam in iisdem Synodi Actionibus, inter hęreticos nominatus reperiatur.*

38 Et causam eiusdem rei addens, subdit: * Id indè accidit, quòd ipse, post mortem Georgij, quæ contigit anno sequenti, restitutus in Sedem Constantinopolitanam, nactus Synodalia Acta, prius quàm vulgarentur, aut etiam Romam mitterentur, nomen suum è damnatorum numero deleverit, atque in eius locum ipsius Honorij Papæ nomen, varijs locis inserverit, tùm vt istam, aliasque ab ipso factas lituras restitueret, tùm, vt leviorem Monothelitarum suorum culpam redderet, quòd exemplo Romani Pontificis, quem sequi deberent, ipsi peccassent. Nam sicut verisimile satis est, & alia quàm plura addita pariter & detruncata ab eo fuisse, ita desiderari Acta illa, quæ fieri contigerunt in electione successoris Macarii, à Synodo damnati, ac depositi, extra dubium est.*

39 Et tandem *num.* 11. concludit, dicens: * Hactenùs breviter de actionibus VI. Synodi, quæ reperiũtur, tàm in Græcis, quàm Latinis Codicibus, in quibus cum multa invidiosè depravata invenerimus, vnũ quidem certum, indubitatumque relictum est, nempè damnatam esse Monothelitarũ hæresim, quam illorum Patrum Sententiã, vt Sacrosanctam, Ecclesia Catholica semper custodivit, hactenùsque custodit.* Et eamdem impostúram, ac depravationem Actorum Synodalium fatetur, & comprobat *ad annum 683. num. 1.*

40 In eadem est sententia eruditus Conciliorum Epitomator, Pater GREGORIVS DE RIVES, quorum in historia, licet contractè, *in Actione 13. VI. Syn.* tamen apertè, fictionem Græcorum exprimit, & Honorij immunitatem tuetur, ibi: *Theophanes (inquit) in loco Macarij, Sedi Antiochenæ suffectus est, in Cyrum autem Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum nominatim recensitos hæreticos Monothelitas lata est sententia condemnationis; ipse Theodorus Cõstantinopolitanus Episcopus (teste Anastasio in Vita Agathonis) Synodali iudicio de hæresi condemnatus fuit, quamquam nomen illius nusquam apud Acta Concilij inveniatur; Honorius Pontifex à Patribus ob hęresim Monothelitarum non condemnatus; sed hæc dumtaxat calumnia, fraude, ac dolo Græcorum eidem imposita fuit.*

41 Cum enim (prosequitur) Sophronius, Ierosolymitanus Episcopus, Concilio Episcoporum Monothelitas damnasset, id molestè ferens Sergius, tunc Constantinopolitanus Episcopus, ad Honorium Romanum Pontificem nomen Sophronij detulit, quod novis duarum voluntatum, actionumque nominibus, totum misceret Orientem, nec parum offenderet Acephalos, qui meliora per id tempus, quam vnquam antè, Concilia, & saniorem mentem præseferebant. Sergio, Cyro, & Sophronio ita rescripsit Honorius, vt nihil aliud tunc expectasse videretur, quàm novas quæstiones discordię, ac seditionis plenas resecare, quam Pontificis Providentiam sui erroris, interpretati Monothelitæ approbationem in suarum partium patrocinii, Romani Põtificis nomine abutebantur. Acta Concilii à Theodoro, Constantinopolitano Episcopo, corrupta sunt, qui propter hæresim à Cõcilio damnatus, substituto illi Georgio, post obitum Georgij, per simulationem Orthodoxæ Fidei, anno sequenti restitutus est. Nactus itaque originale exemplar Concilij, ea occasione, vt illud Authoritate Pontificia ad Leonem II. mitteret, suo vbique nomine expuncto, in odium Romani Pontificis, nomen Honorii, quem, propter Epistolam ad Sergium scriptam, antiquiores Monothelitæ suarum partium esse iactitaverant vbique substituit.*

42 ANDREAS SCOTVS, Antuerpiensis Iudicij Author, *in Scholion. ad VI. Synoaum*, recitatam à Patriarcha Photio *suain Bibliotheca*, tàm solidè, quàm elegantér, eamdem Græcorum detegit calumniam ad illa verba Photij: *Honorius item Romanus*; hanc notam superadjiciens: *Antidotum huic calumniæ ve-

ne-

neno adhibendum est. Neque enim Honorius Pontifex, à sui sæculi Scriptoribus laudatus, cum Monothelitis de vna in Christo voluntate sensit, vt S. Maximus Martyr ex ore etiam tunc superstitis, Scribę Pōtificis, in Dialogo cum Pyrrho testatum reliquit, sed invidia quadam adducti Græci, quod suos Patriarchas plurimos, hac in Synodo errorum convictos, molestè ferrent, hanc notam Romanæ Sedi (cuius numquam Fides promittente CHRISTO defecit) per nefas inurere tentarunt. Igitur (quod in plerisque alijs solemnè iis fuit, ac manifesto sæpiùs deprehensum) fraude, ac fide Græca etiam hanc Synodum addendo, curtando, & mutando inquinarunt, cuius rei idoneos laudare testes possumus, atque adeó plurimos, omni exceptione maiores.

43 En tibi (prosequitur idem) vnum de multis exemplum: Theodorus, Patriarcha Constantinopolitanus, erroris in hac ipsa Synodo convictus, & abdicare coactus, vnà cum Macario, Antiocheno Patriarcha, cum primùm post Gregorij sibi suffecti mortem, edita Fidei legitima Professione postliminio restitutus est, suo sublato nomine, Honorij Pontificis Romani, ab omni hæresi alieni, nomen parva litterarum mutatione subiecit, pluraque harpijs vnguibus contaminavit. Eius rei Authorem habemus Anastasium Bibliothecarium, & quivis Actiones legens facilè deprehendat, cum alias sępè interloquutum sit. (Et infrà concludit): Atque ijs nixa fundamentis fabula, ad hæreticos vsque eo manavit, vt & Catholicos quosdam in fraudem induxerit.* Quam sententiam comprobat Bellarmini, Baronii, Pighii, & aliorum, quos suprà retulimus, Authoritate, his addens Cardinalem Osium *lib.* 2. *contra Brentium*, Turrianum *lib. de* 6. 7. & 8. *Synodis*, Ioannem Ecellium *in lib. de Cathedrâ Petri firmitatè*, *cap.* 11. & alios, quos laudat, & sequitur.

44 IODOCUS COCCIUS, eruditissimus Dogmaticarum quęstionum Collector *de Hierarchia Ecclesiæ*, *lib.* 7. *art.* 13. disonam à veritate tradit Honorij condemnationem, eisdem compulsus, quibus nos assentimur, fundamentis, ibi: *Quoad VI. VII. & VIII. Synodos attinet, quas ex Græco in Latinum sermonem translatas habemus, probabile est illas à Gręcis, Romanæ Sedi infensis, corruptas esse, non enim fit verisimile Latinos huiusmodi Honorij condemnationi consensisse, erat enim hoc apud Græcos in more positum, vt vel in odium Romanæ Sedis, vel ad errores suos probandos hoc modo libros corrumperent; in VI. Synodo, Actione 12. & 14. deprehenderunt plurimas corruptiones ab hæreticis factas in V. Concilio.* (Et tandèm propositis aliis huius coniecturæ fulchris, concludit:) *Si Græcorum perversitas tot Synodos, & tot Latinorum Patrum scripta hoc modo corrupit, quidmirum si idem fecerunt, eadem de causa, in odium Latinorum in VI. VII. & VIII. Synodis? præsertim cum constet, paulò post VI. Synodum conclusam, iterum Constantinopoli in Trullo, multos Græcos Episcopos conveniisse, novosque Canones, in quorum plerisque Romana Ecclesia apertè taxatur, & reprehenditur, condidisse.**

45 Eidem sententiæ adhęret Pater DOMINICUS A SANCTA TRINITATE, *Bibliothecæ Theologicæ*, *lib.* 3. *sect.* 4. *cap.* 17. vbi, obiecta sibi Honorij condemnatione, eam his verbis diluit: *Vera igitur solutio est: VI. VII. & VIII. Synodos, quas ex Græco in Latinum sermonem translatas habemus, fuisse in hac parte corruptas, sive, quod idem est, Honorij nomen inter eos, qui damnantur à VI. Synodo, insertum esse ab æmulis Romanę Ecclesiæ. Huius responsionis veritas duobus modis probari potest.* (Quòd cum varijs exemplaribus probasset, hanc consequētiam intulit.) *Si igitur, vt aliqua plurima omittam exempla, eò Græcorum devenit perversitas, vt dictas Synodos, Latinorumque Patrum scripta corrumpere veriti non fuerint, quid mirum, si idem præstitisse affirmetur, eadem de causa, in odium Romanę Sedis in VI. VII. & VIII. Synodis?*

47 Nostræ concinit opinioni, & tuetur eiusdem impostura suscipionem P. M. DOMINICVS DE GRAVINA, 2. *Par. Tom.* 4. *de Papæ Infallibilitate in rebus Fidei*, tradens: *Sextam Synodum fuisse ab emulis Græcis in odium Romanæ Sedis falsatam, ad suos errores comprobandos: proindè integra hæc Acta esse Parēgrapha, & Commentitia, quę contra Honorium circumferuntur. Adhuc Patres VII. & VIII. Synodorum secutos fuisse corrupta exemplaria VI. Synodi, & solum repetisse, quod in ea legerunt.**

48 Nec iuvat asserere: *Quod in om-

omnibus exemplaribus, tàm Græcis, quàm Latinis, Honorij damnatio apertè inſpicitur: ſuſpicari autem omnia exẽplaria fuiſſe corrupta, maximè Latinorum, temerariũ eſt. Nam ibi ſubiicit idem Scriptor: *Non eſt autem inveriſimile, quotquot exẽplaria in improborum manus inciderunt, non ſolum ea, quę in Patriarchio Conſtantinopolitano aſſervabãtur, fuiſſe corrupta: falſato autem originali, quotquot ex illo exẽplata ſunt, corrumpi potuerunt.*

48 Pro hac etiam ſtat parte P. GIBALINUS S.I. *de Iure Canonico, Tom. 2. lib. 5. cap. 3.* vbi non perfunctoriè, hanc quæſtionem diſcutit: *Non fuerit, opinor, difficile obiectam Honorii damnationem, Concilio reiicere; nam eam ficticiam eſſe, & Acta Synodi vitiata, demonſtrant Bellarminus, Baronius, Binius, & alij; fuiſſe enim ſolemne Græcis Acta Synodorum, & ſcripta Patrum corrumpere, quod de tertia, quarta, & quinta demonſtrat, prolatis exẽplis, Cardinalis Turrecremata *ſeſſ.* 20. Cõcilij Florentini, & Bellarminus *loco citato*, & de iſta VI. Synodo idem afirmat Iulianus Cardinalis in eodem Concilio Florentino, & in hac ipſa VI. Synodo Macarius Antiochenus, *Actione* 8. coram Patribus, & vniverſa Synodo, ſe ad confirmandam ſuam hæreſim dicta Patrum variijs modis corrupiſſe, quod & ab ipſa Synodo, per quinque priores Actiones, dum examinarentur dicta Patrum, & Synodorum, quæ adverſarii afferebant, verum eſſe omnibus ſpectantibus deprehenſum eſt, circa damnationem ipſius Honorii, fuiſſe vitiata iſta Acta, & in illa ſubdolè intruſum Honorij nomen, teſtatur Anaſtaſius *in Hiſtoria Latina*, ex varijs locis cõtexta, vt Cardinalis Sirletus refert *apud Onuphrium in Additionibus ad Platinam in Honorio I.**

49 P. GABRIEL BISCIOLA S.I. *in Epitome Annalium Baronij, Tom. 2.* vt hanc Græcorum falſationem exemplo confirmet, alteram recitat ab eiſdem Græcis confictam in Symboli verbis *ex Patre, Filioque procedentem*, ſublata *Filij* mentione, vt errorem, quem de Spiritus Sancti proceſſione tuebantur, huiuſmodi fraude, & ſilentio nominis *Filij* ſubſtituerent, cuius fuerunt victi in Concilio Florentino, vt ſuprà diximus, exquibus infert: *Hinc colligas impoſturam, quæ in Actis VI. Synodi reperitur, de Honorii condemnatione.*

50 Et poſteà recitans Actionem 13. eiuſdem Synodi, hæc habet: *Sententia lata reperitur in impios Monothelitas, Sergium, Pyrrum, Petrum, Paulum Conſtantinopolitanos Epiſcopos, & Cyrum Alexandrinum, ſed in Honorium Pontificem Romanum, quaſi cum reliquis, hæreticum, ſed Acta illa corrupta, & depravata fuiſſe, variè, multipliciter, & luculentèr probat Author Annalium, & Honorium, perſpicuis rationibus ab omni calumnia, & hæreſis ſuſpicione vindicat.*

51 Nec diſſert ab eadem mente, impoſiti à Græcis Honorio huius criminis, & ſuppoſitæ Epiſtolæ, quæ pro eo fulciendo proponitur, inſignis Romanæ Sedis Propugnator Illuſtriſſ. Epiſcop. IGNATIUS FIUME *Tom. 2. contro. Dogmat. tract 3. de Rom. Pont. lib. 1. inſtr. 3. lect. 2.* ibi: *Ex Anaſtaſio Bibliothecario in ſua Hiſtoria, ex Theophane Iſauro, illas duas Epiſtolas nõ eſſe Honorii, ſed eſſe ſuppoſititias, & ab hæreticis confictas; quarẽ Græci, æmuli Romanæ Sedis, vt ait prædictus Author, illa Acta, ſeu Capitula de damnatione Honorii in VI. Synodo eidem Concilio inſeruerunt. Nec hoc Græcæ Fidei novum; etenim, in eadem VI. Synodo, dum *Actio* 12. & 14. relegerunt Acta V. Synodi, Patres VI. Synodi evidenter deprehenderunt, fuiſſe à Græcis confictas quaſdam Epiſtolas Vigilii ad Iuſtinianum, & Theodoram Auguſtam, & quendam Sermonem Mennæ, Patriarchæ Conſtantinopolitani, dolo, & fraude Græcorum cõpoſitum, & eidem V. Synodo, cum dictis Epiſtolis inſertum, quod prudenti viro argumentum eſt, etiam has Honorii Epiſtolas, fuiſſe ſimiliter VI. Synodo Græcorum fraude annexas. Eo magis, quia in ea VI. Synodo non fuerunt adducta Honorii originalia; ſed tantum quædam Chartæ, inter Chartas Macarii, ſub nomine Honorii ad Sergium tranſcriptæ, quas falsò fuiſſe Honorio tributas, Legati vicerunt. Videantur Acta eiuſdem Synodi.*

52 His addere poſſumus alios, non contemnendę Authoritatis Scriptores, eadem in hac Hiſtoria cenſentes, nempè ODORICVM RAINALDVM *Tom. 3. ad Annum 681. num. 5. & ſeq.* IOANNEM HORATIVM *in Hiſtoria à primordiis Eccleſiæ, cum Chronologia ab*

Orbe condito, ad annum 633. Illustrissimum AVGVSTINVM BARBOSAM *de Iure Ecclesiastico Universo, lib. 1. cap. 2. de Potestate, & Authoritate Romani Pontificis num.* 57. aliosque, quàm plures, quos tamen, brevitatis causa, duximus omittendos.

53 Ex prædictis diversarum Nationum Scriptoribus, tàm Doctrina, quàm Catholicæ Fidei Professione celeberrimis, manifestè apparet, Honorii condemnationem, VI. Synodo innixam, non esse adeò certam, aut oppositi Authores supponunt: estò enim omnes eam, vt Sanctam, & in Decretis Fidei sancitam venerentur, & laudatu dignissimus sit Zelus, quo in illa condemnatus est Monotheliſmus, & Anathemate percussi istius Authores Sergius, Cyrus, Pyrrhus, Paulus, & Theodorus, iam in aliis Conciliis auditi, convicti, ac vt Monothelitæ nominatim proscripti; at inter istos adscribendum esse Honorii Pontificis nomen laudati inficiantur Authores, contendentes, non quidèm sese Concilii Authoritati opponere, cum omnes verè pii, Catholicique sint, sed Honorium nequaquam fuisse à Concilio illa condemnatione comprehensum, imò istius nomen falsò fuisse prædictis Conciliaribus Actis insertum, ab aliquo inimico Pontificiæ Authoritatis, quæ tam gloriosè floruit in Honorio, vt tradunt celebriores Authores, qui istius Vitam, & Pontificatum litteris consignarunt.

CAP. III.

AFFICTAM, ET A GRÆCIS impositam Honorio labis notam in VI. Synodo, Scriptorum eiusdem ævi, etiam Græcorum, silentio apertè convincitur.

54 ET nè Authoritatis fulcro tantum, veritas hæc illustretur, eam ratione, & Argumentis iuvat convincere. Cum Romanæ Sedis splendor omnium oculos in se iustissimè rapiat, nemo ambiget. Honorium in huius Dignitatis apice constitutum, si tam pravæ hæresis levi etiam macula fuisset aspersus, latere non potuisse, tùm ex vulgari Senecæ sententia: *Sol spectatorem non habet, nisi cum deficit*, tùm ex perspicaci adversariorum intuitu, in Petri Cathedram, plusquam miluinis oculis collimantium. At constat Authores Honorio coævos, & sequentis sæculi, etiam Græcę Fidei, & Romanæ Ecclesiæ infestos, damnationem Monothelitarum non perfunctoriè referentes, nihil de lapsu Honorii, vel Sententia meminisse: igitur eam affictam, & apocryphan esse, non levi coniectura deducitur.

55 Fidem faciunt primò THEOPHANES CERAMEVS, Græcus Scriptor, qui floruit *anno* 830. & refert Historiam Monothelitarum his verbis: *Cum Maximus Romam perveniſſet, Papamque Martinum ad æmulationem accēdiſſet, Synodo 110. Episcoporum collecta, Sergium, & Pyrrhum, & Cyrum, & Paulum anathematizarunt, duasque voluntates, & operationes CHRISTI Dei Nostri expresiùs prædicarunt.* Ex cuius Authoritate concludit COCCIVS *de Hierar. Ecclesiæ*: *Nullam hic facit mentionem Honorii, quod fuerit in hac Synodo cum Sergio, Cyro, Pyrrho, & Paulo damnatus: Ergo probabile non est, illum in VI. Synodo condemnatū esse.* Eadem cōsideratione DOMINICVS A SANCTA TRINITATE insurgit, *Biblioth. Theol. lib. 3. sect. 4. c. 17.* sic scribēs: *Vbi cum ab antiquiore cęteris, atque fideliore illius tēporis scriptore, nullum penitùs de Honorii condemnatione verbum habeatur, aut in Synodo Romana, aut in VI. Synodo Generali, quæ velut portentum magnum erat ostentāda, quod numquam hactenùs accidiſſet, vt à Catholicis in Synodo, Romanus Pontifex damnaretur; indè apparet, quàm inconsideratè agant, qui hęresis accusant, vel inter Hæreticos Monothelitas reponunt Honorium Papam.*

56 Profero ex Grecis aliud non ignobile testimonium, Patriarcham, scilicet, PHOTIVM *in lib. de Septem Synodis*, vbi loquens de Patribus VI. Synodi, hæc habet: *Hi semel, cum aliis Sacris, Sanctisque Patribus Sergium, Pyrrhum, Paulum Constantinopolitanos; Cyrumque Alexandrinum, & Theodorum Pharēsem, qui mutuam mendacii catenam conficiebant, necnon, & Macarium Antiochenum, simul cum Stephano hæresis discipulo,*

pulo, & misero quondam sene, qui Polichronius vocabatur, cum superioribus consentiente, & illorum impietatem defendente, meritò condemnarunt.*

57 Et quia hic Scriptor, nedûm Græcus Patria, sed odio etiam in Romanam Ecclesiam infestus extitit, iure ait Eminētissimus Cardinalis LAVRÆA *disp.*8. *art.*5.§.8. *Certè non pepercisset Honorio si potuisset cum veritate, eius damnationem asserere; si aliis non parcunt commentitia fingendo, vt nota aliqua eos inurant::: quænam opportunior occasio detegendi Romani Pontificis pudenda? Et tamen Honorium non nominat. Quis credat voluisse ei ignoscere, cum sue mutilatæ historiæ dedecore? Iudicet prudens.*

58 Eamdem colligit argumentationem, ex præfato Photii loco, COCCIVS *de Hierarchia Ecclesiæ*; inquit enim: * Libro de septem OEcumenicis Synodis, ennumerās hæreticos in VI. OEcumenica Synodo damnatos, nullam Honorii I. mentionem facit.* Et post relatam supradictam Authoritatem Photii, ait: *Quia verò Photius hic, insignis fuit Romanæ Sedis æmulus, & ex professo conabatur Constantinopolitanam ei præferre, si in illa Sede Honorius, tali hæresi fascinatus sedisset, vtique & eundem iis adnumerasset.*

59 Idem sentit DOMINICUS A SANCTA TRINITATE, impossibile reputans Photium, Apostolicæ Sedis æmulum, dûm Monothelitas *in VI. Synodo* anathematizatos, recensет, silentio præteriturum Honorium, si verè fuisset in prædicta Synodo proscriptus; estò enim Photius non esset tam apertus Apostolicę Sedis inimicus, vt scripta testantur, historiæ tamen veritas eum coēgisset, nè huiusmodi condemnationem silentio premeret, si verè vtique contigisset: *Eundem (inquit) iis adnumerasset, præsertim cum vir non minoris eruditionis, quam nequitię fuerit.* Præcipuè si attendatur ipsum, ne historiæ veritati detraheret, neutiquam missos feciſſe Constantinopolitanos Patriarchas, sibi patria, & Dignitate compares, qui verè fuerant, tamquam Monothelitæ, à VI. Synodo condemnati: si ergo hos, quorum silentium ipsa animi affectio exposcere videbatur, fidelitèr retulit, ne quemquam illorum, qui tamquam Hæretici Monotheliſmo infecti verê fuerant in VI. Synodo anathematizati, tacitus prętteriret; nulla certè apparet ratio ad dicendum, ipsum aliqua fuisse affectione permotum, vt Honorium omitteret, si verè in eum VI. Synodus Cēsionis sacrę fulmina evibrasset.

60 Adduco tertiò ex Scriptoribus Græcis IOANNEM ZONARAM, Monachum, qui floruit *circa annum Domini* 1100. & *in Constantino IV.* referens nomina damnatorum in VI. OEcumenica Synodo, nullam mentionem Honorii facit, qui cum Græcus, & Romanę Sedis, vt ex eius scriptis deprehenditur, insignis hostis fuerit, si Honorius inter eos numerandus fuisset, nequaquam eum omisisset, vt testātur COCCIVS, & DOMINICUS A SANCTA TRINITATE.

61 Idem confirmat Eminentissimus Cardinalis DE LAURÆA, *loco suprà citato*: *Zonaras (ait) Sedi Apostolicæ infensus, in Constantino IV. narrans damnatos, ex Monothelitarum hæresi infectos, in VI. Synodo, alios nominat, nulla de Honorii facta mentione; quis ei prohibuit, ne Honorium etiam insereret, si vera fuisset damnatio?*

62 Hùcusque de Scriptoribus Grecis, quibus adijcere possumus vtriusque linguæ peritissimum, & ab illo ævo non longè dissitum, ANASTASIUM, nempè, Bibliothecarium, Abbatem Romanum, qui vixit *anno* 858. & *in Agathonis Vita*, & *VI. Synodi historia*, nihil prorsus meminit de Actionibus, in quibus habetur condemnatus Honorius; imò post damnationem Hæreticorum ibidem factam, hæc addit: * Deindè abstulerunt de Diptychis Ecclesiarum, nomina Patriarcharum, vel eorum picturas de Ecclesia, aut de foribus eius, aut vbi esse poterant, auferentes, id est Cyri, Sergij, Pyrrhi, necnon Petri, per quos error iste Orthodoxæ Fidei vsque nunc pullulavit; nulla quoque mentione facta de Honorio Pontifice, quem tamen in eorum Diptychis inscriptum esse constat.*

63 Nec tantum Græci, silentio prementes Honorii cōdemnationem, eius veritatem oppugnant, sed etiam concors est Latinis Historicis sententia; vtpotè eamdem Monothelitarum proscriptionem memorātes, nullum verbum de Honorio proferunt, vt videre est *apud* REGINUM PRUMIENSEM, HUGONEM FLORIACEN-

CENSEM, OTHONEM FRISINGENSEM, CONRADUM VSPERGENSEM, MARIANUM SCOTUM, GODEFRIDUM VITERBIENSEM, ONUPHRIUM PANNUINIUM, nec credibile est, tam diligentissimos Antiquitatis Indagatores, & sincerę veritatis amatores, rem huius momenti oblivione prætermisisse.

64 Quinimò pro tuendo Honorio extant plurimi eruditissimi tractatus ALBERTI PIGHII *lib.4. de Hierarchia Ecclesiastica, cap.8.* HOSSII *lib.2. contra Brentium.* BELLARMINI *lib.4. de Romano Pontifice, cap.2.* BARONII *ad annum* 681. Necnon quàm plurimi huius ævi in Ecclesiastica Historia eruditissimi hanc arenam præcurrerunt, quorum nomina referre longum esset.

65 Iuvat tamen adducere inter alios, Pontificię Historiæ optimi nominis Scriptorem P.M. ALPHONSUM CIACONIUM, qui cum à VI. Synodo damnatos Monothelitas retulisset, nullam de Honorio mentionem inter eos fecit; vt videre licet *ad annum 679. Editionis Romanæ*, vbi de Pōtificatu Agathonis loquens, hæc habet: * Macario indè cum socio abdicato, atque in Italia relegato, Theophanes Abbas est substitutus. Nomina omnium Antistitum, qui superioribus annis vnam voluntatem defenderant, ex omnibus locis deleta, Cyri, Sergij, Pyrrhi, Pauli, Petri.*

66 De eodem Agathonis Pontificatu, non levi, sed prolixiori cura agens, eruditione conspicuus P. DANIEL PAPEBROCHIUS, ê Societate IESU *in Propylæo ad Acta Sanctorum Maij, dissert.15.* sub hoc lemmate: * De Pontificatu Agathonis, & Synodo OEcumenica VI. sub eo celebrata, fraudulenterque relato inter damnatos nomine Honorii Papæ.* Palam profert seriem huius historiæ, & optimè intrusionem nominis Honorii probat, & post traditam instructionē Legatis ab Agathone impositā, hæc scribit *n.11.* * Cum tali instructione, talibusque litteris Constantinopolim advenientes Legatos, ad Communionem recipere noluit Patriarcha Theodorus, ideòque deiectus de Sede sua est, & pro eo constitutus Georgius. Sub hoc, Synodus ritè, ac quietê celebrata, probata Agathonis Fides, & Epistola, Monothelitarum hæresis cum suis Authoribus, & propugnatoribus nominatim damnata, & cæteræ Actiones continuatę sunt, sine vlla Honorij, aut Vitaliani mentione, ac sic fortasis etiam terminatę.

67 Nam quod (prosequitur) inter Anathematismos finales *Act.* 17. nunc legatur, *Honorio hæretico Anathema*, & *Actione* 18. in Sermone Prosphonetico, dicatur: *Concilium, vna cum aliis superfluarum vocum adinventoribus, ab Ecclesiasticis septis procul abjicere, & Anathemati meritò subjicere Honorium, qui fuit Romæ Præsul, vtpotè, qui eos in iis sequutus est, &c.* Id posteà mala fide locis iis intrusum fuisse, cò minus dubitari potest, quò certiùs constat, Romanos Legatos Actionibus istis omnibus, & singulis subscripsisse: qui sanè non permisissent indicta, vel indiscussa causa, Honorium Hæreticis admisceri. (Et infrà *num.12.*) Fraudis Honorio iniuriosæ (inquit) Authorem, credibile est, cūdem illum fuisse, qui anteà solum illum ex huius sæculi Pontificibus probabat, Theodorum, &c.*

68 Nec proderit, asserere, debilem esse Scriptorum, tûm veteris, tûm recentioris ęvi Authoritatem, ad evellendam etiam Sacrorum Conciliorum, quę adversus Honorium pugnant, scriptam cōdemnationem: Quippè fatemur primò, id verum esse, si sincera, & non adulterata manu viciata, Synodorum scripta extitissent, vt suprà demonstratum reliquimus, & communis eorum Scriptorum consensus satis confirmat, sed vt paria paribus opponamus, etiam Generalium Conciliorum Suffragia non deficient, quibus, & Honorij integritas, & VI. Synodi vitium in Honorii condemnatione detegatur.

CAP. IV.

GRÆCORVM IMPOSTVRA in condemnatione Honorii, eiusque constans, & integra Fides ex Sacris Conciliis probatur.

69 SAcrum Lateranense Concilium, cui præfuit S. Martinus I. decimo octavo post Honorii mortem anno celebratum, collectum autem, vt Monothelitarum hæresis radicitùs avel-

lere-

ferretur, estò illam, & omnes eius Authores Anathemate percusserit, nullam inter recensitos Honorii mentionem fecisse, tradit BARONIUS *ad annum 633.* *Sic igitur ista (inquit) ita transacta sunt, vt nulla quidêm, vel levis erroris labes Honorio inhæsisse potuerit, quamobrem in Iudicio Synodali, cum post *annos* 18. Romæ, sub Sancto Martino Papa, & Martyre celebrata est Synodus Lateranensis, cui interfuerunt centum & quinque Episcopi, Præsidente ipso Summo Pontifice, & exactè cognita, atque tractata est causa Monothelitarum, ac damnati in ea fuerunt, vnà cum hæresi, atque ipsorum scriptis Theodorus Pharanites Episcopus, Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, Successores Patriarchæ Constantinopolitani, Authores, & propugnatores hæresis, Honorius, nullam prorsus, vel ab Hæreticis de hęresi calumniam passus, nec à Sancta Synodo leviſſima est suspicione pulsatus.*

70 Idem comprobat Eminentissimus LAURÆA *Disp.* 8. *atr.* 5. §. 8. *num.* 319. vbi hæc asserit: * Probatur tandèm ex facto Martini Primi, Martyris, Romani Pontificis, qui quartus post Honorium, breviqúe post eũdem sedit. Hic in Cõcilio Lateranensi damnat Sergium, Cyrum, Pyrrhum, ac Paulum, nullo facto verbo de Honorio. Certè si Honorius eiusdem sententiæ fuisset, inter eos fuisset annumeratus; alioquin Papa cum suo Concilio, manifesto irrisionis, & quærelę periculo se exposuisset; acceptator enim personarum apparuisset, & Gręci quæruli, id non prętermissent silentio, cum suos tantum Patriarchas, non verò Romanum, eiusdem delicti reum, damnari vidissent.*

71 IODOCVS COCCIVS *de Hierarch. Eccles. art.* 3. in eũdem scopum ait: * Concilium Lateranense sub Martino Papa, anno 650. consultatione 1. 2. & 4. vbi de hac ipsa causa Monothelitarum damnantur nominatim Sergius, Pyrrhus, Cyrus, & Paulus, Honorii verò nulla fit mentio.*

72 Aliud etiam eo tempore celebratum est Concilium in Romana Vrbe, 125. Episcoporum Sanctissimo Præsule Agathone Papa, vt etiam è medio Monothelitarum hæresis tolleretur, nihilq; de Honorio meminit, nec levi suspicione, aut accusatione eius nomen delibatur, quod argumento est, eius, quam intendimus, imposturæ, etenim si minimam tàm fœdi criminis labem contraxisset, non potuisset melius erumpere, quàm inter domesticos, quibus notior fuisset, vt etiam expendit Doctissimus Annalium Scriptor *vbi sup.* *Post hæc autem (inquit) iterum à Sãctissimo Põtifice Agathone celebrata est Romana Synodus, centum viginti quinque Episcoporum, in qua recepta est eorumdem damnatio Hęreticorum, Theodori, Cyri, Sergii, Pyrrhi, & Pauli: Nec levis quidêm mentio, quod erraverit Honorius facta est, qui si errasset, dissimulari minimè potuisset: sed in ea, quæ ex eadem Synodo instructio data est Legatis ad VI. Synodum Constantinopoli proficiscentibus, & in iis litteris, quas ipse Summus Antistes Agatho tunc ad Imperatores Constantinum, Heraclium, atque Tiberium dedit, ore libero, firma, iterataque attestatione, & contestatione fatetur, nu mquam aliquando Apostolicam Sedem à recto Fidei tramite devia sse.*

73 Nec absimili ratione idem considerat Eminẽtissimus BELLARMINUS, Epistolę Agathonis nixus fundamento *de Rom. Pontifice, lib.* 4. *cap.* 11. vbi notat: * Agathonem non solum dicere, Fidem in Sede Petri non defeciſſe, nec posse deficere, & proindè non posse Pontificem, vt Pontificem, aliquid contra Fidem decernere: sed etiam omnes suos Prædecessores, quorum vnus est Honorius, semper restitisse hæresibus, & confirmasse fratres in vera Fide.

74 Posteà quam (prosequitur infrà) enumeraverat Agatho hęreticos Monothelitas, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, & Theodorum, ait: Eximenda proindè, ac summis conatibus liberãda est, Sancta Dei Ecclesia de talium Doctorum erroribus, vt Evãgelicam, atque Apostolicam Orthodoxæ Fidei rectitudinem, quæ fundata est supra firmam Petram, huius B. Petri Apostolorũ Principis Ecclesiæ, quæ eius gratia, atque præsidio, ab omni errore illibata permanet, omnis Præsulum numerus, Cleri, ac Populorum nobiscum confiteatur, ac prædicet.*

75 Quarè, cum Sanctissimus Pontifex Agatho, eo Apostolico conservandæ Fidei Zelo, & extirpandarum hęresum desiderio flagarit, vt Monotheliſmo, istiusque Authoribus, iam à Martino I. proscriptis, non conquieverit, sed denuò eum condamnarit, omnesque prȩcipuos Mo-

nothe-

nothelitas suprà recensitos nominatim anathematizarit, & OEcumenicum congregarit Concilium, vt prædictæ hæreseos factores, & defensores in tota condemnarentur Ecclesia, si Honorius Monotheliſmi labe esset infectus, haud dubium quin neutiquam ei peperciſſent Sanctiſſimi vtriusque Concilii sub Sancto Martino, & Agathone Patres, nec ipse Agathon, cum tàm Sanctitate, quàm ardentiſſimo Fidei Zelo floruerit, impunem illum servasset in prædicta instructoria Epistola, in qua Generali Concilio hæreticos in illo condemnandos nominatim proposuit. Vndè si Honorius huiusmodi criminis reus esset compertus, nec ei prædictus Pontifex peperciſſet, nec eum vtriusque Romani Concilii Patres tacitè præteriiſſent.

76 In huius comprobationem Eminentiſſimum Cardinalem DE LAURÆA audire liceat, qui *in Diſp. 8. vbi suprá, num. 310.* sic scribit: * Epistola enim Agathonis, tàm ad Imperatorem, quàm instructoria ad Legatos (Concilii Generalis VI.) Honorium non continet inter damnatos, nec vllo modo nominat, imò illa Epistola ad Imperatores, post nominatos hæreticos Monothelitas, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, & Theodorum, eorumque damnationem, statim apponitur præcautio Romanorum Pontificum, quod nempè illi, numquam à Fide exciderint: in Epistola etiam Legatorum, quæ paritèr in Actione 4. continetur, (dicti Concilii) multa dicit de Monothelitarum hæresi, & quod in Concilio Lateranensi sub Martino I. fuit decreta veritas ei contraria, & quod in ea damnati sint Authores eius, his verbis: Zizaniarum Authores extiterunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus Constantinopolitani, vbi non nominatur Honorius.*

77 Verùm estò prædicti Cardinales suæ Doctrinæ, & Dignitatis eminentia omnem sibi Fidem concilient, dum dicunt, Honorium Pontificem, nec fuisse condemnatum, nec inter Monothelitas, vt tales proscriptos, recensitum, tàm in Concilio Lateranensi sub Martino I. quàm Romano sub Agathone, nec vllam de illo mentionem factam in instructoria Agathonis Epistola ad VI. Generale Concilium, suosque Legatos, qui ei præfuerunt; nihilominùs, vt veritas clarior, ac evidentior eluceat, vtriusque Concilii verba, quę ad rem istam spectant, fideliter transcribemus.

78 A Lateranensi igitur Concilio sub Martino I. celebrato initium ducamus. Monothelitæ in Concilio condemnati, duas in Christo voluntates, & operationes impiè negabant, vnamque tantummodò operationem, & voluntatem Divinam, & humanam temerè concedebant: vndè consequentèr, iuxta Patrum Sententiam, vnam tantummodo in CHRISTO naturam, hancque Divinam contra Incarnationis Mysterium cogebantur admittere; sic opposuit Sancta Synodus plures celebriorum Ecclesiæ Patrum Authoritates, qui duas in CHRISTO naturales voluntates, duasque operationes apertiſſimè confitentur. Monothelitis ergo tam multiplici, ac luculentiſſimo Patrum testimonio convictis, Sancta Synodus ad deciſſionem proceſſit, vt videri potest *in nova Conciliorum editione, tom. 6.* * Sancta Synodus dixit::: (cõtra Monothelitas hęreticos malitiosè Sanctorum Patrum Authoritates corrumpentes.) Quæ vtique & nos, per lectionem venerabilium sermonum eorum præcipientes, ipsum quidem glorificamus Patrem luminum, ex quo omne datum bonum, & omne donum perfectum, mandatum est eis, ad plenitudinem eius, & Apostolicæ Ecclesiæ. Accusatores autem eorum meritò reprobavimus, tanti luminis obumbrare nitentes veram confeſſionem, per novitatis cõmentum, pro quo sicut ait B. Isaias: *Non est pax, dixit Deus meus, impiis. Clama, nè ceſſes, quasi tuba exalta vocẽ tuam, & annuntia populo meo scelera* adversariorum, quanta malignati sunt adversus Sanctos Patres, & Synodos Catolicæ Ecclesiæ. Necesse est enim in omnem terram exire nostrum super hanc rem sonum, & in fines Orbis Terrarum, sermonum nostrorum consonam virtutem, vt videlicet pro Cautela Orthodoxorum Populorum, & omnibus manifestum facere, quooiam in scripto, & sine scripto, Sanctos Patres calumniati sunt, sicuti & Sancta quinque Concilia.*

79 Et vt meliùs constet contra quos Concilium sermonem instituerit, prosequitur, dicens: * Cyrus, Sergius, Pyrrus, & Pau-

Paulus. Devicti sunt autem contra suam temeritatem mentiti, qui numquam per quemlibet modum, aut verbo intellexerunt, aut prædicaverunt, quæ Orthodoxi Patres dixisse, sive intellexisse noscuntur, & in ijs testantur verba eorum, quę super omnem radium solis nitescunt; sed & veritas prædicationis eorum, vbique omnibus eos publicantes, qui nobis in præsenti relecti sunt, quique tradiderunt nobis, in primis quod accepisse noscuntur, vnum eundemque confiteri Dominum Deum nostrum IESVM CHRISTVM, ex duabus, & in duabus existentem naturis, substantialiter vnitis inconfusè, & indivisè, & duas vnius eiusdemque, sicuti naturas, ita, & naturales veraciter esse voluntates, id est, Divinam, & Humanam: & duas essentiales operationes, Divinam, & humanam.*

80 Referens postea eorum memoriam latiori calamo Concilium, his verbis (prosequitur:) * Huius autem Orthodoxæ Fidei extraneos esse, & alienos, vtpotè denegantes eam in scripto, memoratos Authores novitatis, & impia eorum scripta. Propterea, & hos, & ea, quæ ab eis confecta sunt Dogmata reprobantes secundum Statuta venerabilium Patrum, sive pręcepta, qui hoc facere nobis per omnia pręcipiunt, Dogmata & sermones Sanctorum Patrum vno corde, & ore vnanimiter, ac consonanter omnes firmamus, nihil addentes, nihil subtrahentes de his, quæ ab ipsis tradita sunt nobis, sicque credimus, sicuti Patres crediderunt, ita prædicamus, quomodo docuerunt.*

81 Et paulò infrà: * Qui easdem Sanctas Synodos, & Venerabiles Patres minimè suscipit, condemnatus est: Qui omnia ab eis prędicata, & definita minimè suscipit specialiter, & confitetur, condemnatus est: Qui qualemcumque hæreticorum, & abominandam vocem comprobat, & suscipit, condemnatus est. His igitur ita à nobis piè definitis ::: deducantur igitur nobis in medium Codices infideliũ hæreticorum, hoc est eorum testimonia, per eos, quorum interest, ad convincendam hæreseos illorum insaniam.*

82 Lectis verò in prædicto Concilio Sanctorum Patrum Authoritatibus, quibus Monothelitæ vtebantur, & detecto dolo, quo eas malitiosè corruperant, & errore quo sinistrè intellexerant, cuius quidem improbæ fraudis apertè convicti sunt, progreditur Sanctissimus Pontifex Martinus I. & hanc Hæreticorum fallaciam manifestè demonstrat, & quinam illi sint, contra quos invehitur clarè ostendit, vt cõstat *ex supra citato Tom. 6. Cõcil.* vbi hæc habẽtur. *Martinus Sãctissimus, ac Beatissimus Episcopus, Sanctę Dei Ecclesiæ Catholicæ, atque Apostolicæ Vrbis Romę, dixit: Ex ijs, qui dudum nobis relecti sunt, sermonibus hæreticorum, quos Cyrus, & Sergius, Pyrrhus, & Paulus consonanter amplexi sunt, & cõfirmaverunt apertiùs, illa dogmatizantes, quę in eorũ conscriptis legimus, reprehenduntur, licet, vt dictũ est, in deceptione simpliciorum hæc dixerunt esse pietatis Dogmata: non vtique pertimescentes blasphemiam, dum dicitur: *Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum, &c.* ::: Propter hæc igitur, quæ ab eis præsumpta sunt, sive confusa, illud oportet dicere, quod ipse Dominus iterũ dicit, per Samuelẽ Prophetã: *Quoniã subsannastis verbũ Domini, & subsannavit vos Dominus*, vt non valeatis esse Episcopi Catholicę Ecclesiæ. In aperto namque ii verbum Fidei Dominicæ subsannaverunt, immutantes Orthodoxam eius Confessionem, quam probabiles Catholicæ Ecclesiæ Patres, Sanctęque V. Synodi consonanter prædicaverunt. Vndè suæ consonantię cum hæreticis, ostendentes plenam infidiam, properaverunt, non solùm eadem dicere, sed & similia cum illis agere.*

83 Auditis ergo à Sanctissimo Concilio rationibus, quas suprà dicti Monothelitæ, Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, in sui erroris confirmationem afferebant, & textibus, ac luculentissimis testimonijs quibus Concilii Patres præcipuè S. Martinus, & alii Monothelitarum errores convicerant, Sanctissimus Pontifex, Sacro approbante Concilio, ad Fidei definitionem, & prędictæ hæreseos condemnationem processit, vt videri potest in Canone Fidei 18. præfati Concilii, vbi & Fidei Dogma, & Monothelitæ exprimũtur vt patet *ex præfato Tom. 6. Concil.* per hæc verba: * Si quis secundum Sanctos Patres consonantêr nobis, paritèrque Fide non respuit, & anathematizat anima, & ore omnes, quos respuit, & anathematizat nefandissimos Hæreticos, cum omnibus impiis eorum conscriptis, vsque ad

vnum

vnum apicem Sancta Dei Ecclesia Catholica, & Apostolica, hoc est, Sanctę, & Vniversales quinque Synodi, & consonantèr omnes probabiles Ecclesię Patres, id est, Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Appollinarem, Polemonem, Eutychem, Dioscorum, Timotheũ Æluru, Severum, Theodosium, Colluthum, Themistium, Paulum Samosatenũ, Diodorum, Theodorum, Nestorium, Theodulũ Persam, Oreginem, Didymum, Evagrium, & compendiosè omnes reliquos hæreticos, qui à Catholica Ecclesia reprobati, atque obiecti sunt, quorum Dogmata diabolicę operationis sũt genimina, & eos, qui similia, cum iis, vsque ad finem obstinatè sapuerunt, aut sapiunt, vel sapere sperantur, &c.*

84 Et vt pateat de quibus condemnatio loquitur, sic concludit Decretum: * Cum quibus (inquit) meritò, vtpotè similes eis, parique errore prędictos, ex quibus dogmatizare noscuntur, proprioque errori vitam suam determinantes, hoc est, Theodorum quondam Episcopum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Constantinopolitanum, vel eius successores Pyrrhum, & Paulum in sua perfidia permanentes, & omnia impia illorum conscripta, & eos, qui similia cum illis vsque in finẽ obstinatè sapuerunt, aut sapiunt, vel sapere sperantur, hoc est vnam voluntatem, & vnam opinionem Deitatis, & Humanitatis CHRISTI, &c.*

85 Et infrà: * Siquis igitur, iuxta quod dictum est, consonanter nobis omnia hæc impiissima hæreseos illorum Dogmata, & ea quæ pro illis, aut in diffinitione eorum, à quolibet impiè conscripta sunt, & denominatos hęreticos, Theodorum dicimus, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum non respuit, & anathematizat, vtpotê Catholicæ Ecclesiæ rebelles existentes: aut si quis aliquem de iis, qui ab illis, vel similibus eorum in scripto, vel sine scripto, quocunque modo, vel loco, aut tempore, temerè depositi sunt, aut condemnati, vtpotê similia eis minimè credentem, sed Sanctorum Patrum nobiscum confitentem Doctrinam, vti condemnatum habet, aut omninò depositum, sed non arbitratur huiusmodi quicunque fuerit, hoc est, sive Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus, sive alterius cuiuscunque Ecclesiastici Ordinis, aut Monachus, vel laicus, pium, & Orthodoxum, & Catholicæ Ecclesiæ propugnatorem, atque in ipso firmiùs consolidatum, in quo vocatus est à Domino, ordine, illos autem impios, atque detestabilia eorum pro hoc iudicia, vel sententias, vacuas, & invalidas, atque infirmas, magis autem profanas, & execrabiles, vel reprobabiles arbitratur, huiusmodi condemnatus sit.*

86 Iterum idem repetitur in subscriptione Martini, vt patet his verbis: *Martinus, gratia Dei, Episcopus Sanctæ Catholicę, atque Apostolicæ Ecclesiæ Urbis Romę, huic diffinitioni Confirmationis Orthodoxę Fidei, & damnationi Sergii Constantinopolitani quondam Episcopi, Cyri Alexandrię Antistitis, Theodori item Episcopi, Pyrrhi, atque Pauli, item Constantinopolitani Episcopi, cum hęreticis eorum scriptis statuens subscripsi.*

87 Vndè cum in prędicto Concilio tam difusè, ac diligenter fuerit de Monothelitarum hæresi, istiusque condemnatione pertractatum, & istius Authores, & defensores, qui vt hæretici fuerunt proscripti toties fuerint nominati: cumque tàm Concilii Patres, quàm ipse Pontifex, in sua definitione solos Episcopos, & Patriarchas Sergium, Cyrum, Theodorum, Pyrrhum, & Paulum recenseant, & de nullo alio mentionem faciant; ac tandem cum hæc omnia facta fuerint 18. post Honorii obitum annis, quando adeò recens erat illius memoria, vt non modò aliqui Catholici Episcopi, qui ad illam Synodum cõfluxerunt, sed & ipsi etiã relati hæretici, Honorio fuerint coætanei, hos nulla in Honorium accusatione insurrexisse, cum aperrissimi essent Catholicę Fidei, & Apostolicę Sedis inimici, nec Concilii Patres, & Episcopos, cum æquê Sancti, ac Catholici, & acerrimi nostræ Fidei contra Monotheliśmi hæresim propugnatores existerent, Monotheliśmi Authoribus toties in eo Concilio nominatis, ac diligenter recensitis, nullam, nec levem adhuc de Honorio, nec in accusatione, nec in condemnatione mentionem fecisse. Hęc, inquam, omnia non leviter ostendunt, imò certô certiùs demonstrant, Honorium à toto Concilio agnitum fuisse valdé liberum, & immunem à calumnia, & impostura, qua improbi aliqui Apostolicæ Sedis hostes, illius nomen Catalo-

go

go Monothelitarum in VI. Generali Synodo condemnatorum ingesserunt.

88 Nec levitèr iuvat, quòd prædicto Lateranensi Concilio absoluto, Mediolanensis, Caralitanæ, & Dortonensis Ecclesiæ Antistites præfatæ illius Definitioni subscripserunt, nominantes eosdem Monothelitas in ipsa recensitos, nulla de Honorio mentione facta. Sic enim habetur in calce eiusdem Concilii: * *Et qui post Synodum consentientes subscripserunt.* Ioannes Episcopus Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, omnibus Synodaliter definitis à Sanctissimis vobis, in Confirmationem Orthodoxę Fidei, Sanctorum Patrum, & Vniversalium quinque Conciliorum, atque depositionem omnium Hæreticorum, qui ab eis anathematizati sunt, vel impię hæreseos illorum, atque eorum, qui nunc exorti sunt in destructionem Orthodoxę Fidei, hoc est, Theodori, quondam Episcopi Pharanitani, Cyri Alexandrini, Sergii Constantinopolitani, & Successorum eius, Pyrrhi, & Pauli, omniumque Hæreticorum eorum conscriptorum, vel impiæ expositionis, atque sceleroſi typi, quæ ab eis confirmata sunt, consentiens subscripsi. Iustinus Episcopus Sanctę Caralitanæ Ecclesiæ, Insulę Sardinię, vt suprà. Maliodorus, Episcopus Sanctæ Dortonensis Ecclesiæ, vt suprà.*

89 Vndê cum tunc temporis valdè recens esset Monotheliſmus, viverentque adhuc præcipui istius Authores, prædicti nempè Episcopi, & Patriarchæ, qui exactissimè examinati, ac istorum errore diligentissimè, & latissimè discusso, auditi fuerunt, & condemnati; si alius Monothelita, nota dignus, fuisset repertus, qualis Honorius adstruitur, incredibile sanê videtur, prædictos Patres cum tanto, ac tam Apostolico Fidei Zelo exarserint, cum impunem omissuros, si huiusmodi labe infectum certò reperissent.

90 Pro maiori tamen huius veritatis munimine, notatu digniſſima est Encyclica Epistola, qua Pontifex Martinus I. vnà cum Romana Lateranensi Synodo, vniversalem Ecclesiam certiorem reddit de Monothelitis convictis, & à Sanctissimo præfato Pontifice in suo Concilio proscriptis, quæ extat *Tom. 6. Concilior. General. sub titulo: Martini Papæ, & Synodi Romanæ ad omnes CHRISTI Fideles*; cuius initium sic se habet: * *Gratia vobis, & pax multiplicetur* in agnitione, & communione Sancti Spiritus.* in hac enim Epistola, hæc, ad rem nostrã aptissima, reperiũtur verba: * Notum facimus vobis, dilectissimi fratres, quod & vos sine dubio nobiscum cognoscitis, vigilantem, & benè zelantem in Deum habẽtes proprium intellectum, quoniam Catholica Dei, & Apostolica Ecclesia in quiete, & pace consistente, veluti leones rugientes, & quærentes, quem devorarent, subintroierunt quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium impietatis spontê procedere, hoc est, Theodorus, quondam Episcopus Pharanitanus, Cyrus Alexandriæ, Sergius Constãtinopolitanus, vel eius Successores Pyrrhus, & Paulus, magni Dei, & Salvatoris nostri dispensationem in hæreticam novitatem retorquentes, &c.*

91 Præclarè etiam facit alia eiusdem S. Martini Papę Epistola ad Damasum, Traiectensem Episcopum, directa, qua eum commonet de Monothelitarum hæresi, in suo Romano Concilio damnata, eique Conciliaria Acta remittit, vt omnes Gallię Episcopos ad Synodum congreget, & illi Regno, prædictorum Monothelitarum condemnationem synodaliter enuntiet, ac diligenter exequatur quidquid in prędicto Romano Concilio fuerat definitum, Monothelitas reputans quotquot in illo nominatim exprimuntur; vt constat ex Concilio Lateranensi Martini I. *anno 694. in nova editione Conciliorum*, vbi hęc, inter alia, habentur: * Credimus etenim ad vos pervenisse, quomodo in conturbatione rectę Fidei, & Catholicæ Ecclesiæ conculcatione, ante hos annos, plus minus quindecim, à Sergio falso Episcopo Constantinopolitano (nota Honorii cum Sergio communicationem iam anteà contigisse) in auxilio habente tunc Imperantem Heraclium, execranda, & abominanda hæresis pullulavit Appollinaristarum, & Severianorum, Eutychianistarum, atque Manichæorum errorem renovans: quam Successor eius Pyrrhus, idemque Episcopus, qui ambitionis fastu Constantinopolitanam Sedem arripuit, in deterius auxit ::: Sed & nunc Successor eius Paulus, temerator Fidei, Episcopus Constantinopolitanus, aliud nequius

excogitavit in præiudicium Catholicæ Fidei conamen, &c. (Et infrà:) Ideòque necesse habuimus, ne pro quadam negligentia, & animarum detrimento, quæ nobis commissæ sunt, culpæ reatu adstringamur, Cætum generalem fratrũ, & Coëpiscoporum nostrorum in hac Romana Civitate congregare, in quorum præsentia memoratorum Hæreticorum scœlerosa conscripta examinata, atque denudata sunt, & Apostolico mucrone, Patrumque Definitionibus, vno ore, vnoque spiritu condemnavimus; vt cognoscentes vniversi, errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenûs maculentur. Undè prævidimus Volumina gestorum Synodalium in præsenti vobis dirigere, vnà cum Encyclica nostra, ex quorum seriê omnia subtiliter potestis addiscere, & tenebras illorum, nobiscum, vt filii lucis, extinguere.* Hactenùs Sanctissimus Martinus Pontifex.

92 Ex quibus manifestè apparet, quod S. Martinus, tàm in hac Epistola ad Galliæ Episcopos, quàm in alia ad omnes Orbis Antistites directa, dum expresè meminit de Monothelitis in prædicto Romano Concilio, cui ipse præfuit, condemnatis, estò nominatim recenseat Episcopos, & Patriarchas Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Theodorum, & Paulum, nullam tamen, nec levem adhuc, inter toties repetitos Monothelitas de Honorio mentionem facit, reque eum vel minimæ culpæ reum agnoscit; quod satis convincit, Honorii nomen malitiosè fuisse in VI. Generali Synodo inter Monothelitas recensitum, prout suprà probavimus, & luculentiùs adhuc convincemus.

93 Pro maiori huius rei comprobatione omitti non potest, quod refert SEVERINUS BINIUS *in Notis ad hoc Concilium*, Sanctum nempè Maximum fuisse præcipuum promotorem, cuius consilio, sanctoque Zelo, S. Martinus prædictam Romanam Lateranensem Synodum contra toties repetitos Monothelitas indixit, quin vllam mentionem faceret de Honorio. Audiamus illius verba *in Notis ad Concilium Lateranense sub Martino I.* *Causa igitur primaria huius Synodi cogendę non tam fuit, vt Sergius, Pyrrhus, & Paulus, iam anteà condemnati, iterato iudicio damnarẽtur, quàm vt recens credendi Formula ab Imperatore, suo Edicto (quod Typum vocavit) propolita, omninò proscriberetur, atque Anathemati subjiceretur. S. Martinum Pontificem ad hanc Synodum convocandam à S. Maximo Abbate inductum esse, scribit Theophanes *anno* 19. Heraclii, his verbis: Cum autem Maximus Romam perveniisset, Papamque Martinum ad æmulationem accendisset, Synodo 110. Episcoporum collecta, Sergium, Pyrrhum, Cyrum, & Paulum anathematizaverunt, &c.*

94 Nec prætereunda est celebris illa Authoritas, quam istud S. Martini Concilium apud Ecclesiam semper obtinuit; cum post Fidei Professionem quinque Generalium Conciliorum, istud semper in Ecclesia, & in ipsa adhuc VI. Generali Synodo, Constantinopolitana III. de qua loquimur, susceptum sit, vt rectè notavit SEVERINUS BINIUS *loco citato* his verbis: *Hæc Sancta Synodus tantæ est amplitudinis, Dignitatis, ac Maiestatis, vt ad plenam Fidei Catholicæ Professionem, post quinque Vniversalium Synodorum Assertionem, huius quoque Confessionem, vsque ad plenam VI. Oecumenici Concilii promulgationem Fideles adjicere solerent. Constat illud ex Synodo Anglicana sub Theodoro Archiepiscopo celebrata *apud Bedam lib.* 5. *Histor. Anglic. cap.* 17. quã infrà collocatam invenies sub Adeodato Papa. Acta Synodalia integra extant Græcè, & Latinè scripta, eò quòd non tantùm in Archivio Sedis Apostolicæ illa servata fuerint, sed quia plurima ex Prototypo confecta sunt exemplaria, quæ ab eodem Pontifice missa sunt in omnes Provincias Orientis, & Occidentis. Id quidem testatur Anastasius *in Vita Martini*; idemque ab eodem Pontifice asseri videtur in Epistola ad Amandum, cum non Synodalem tantum Epistolam, more maiorum, ad eum misit, sed ipsa integra Synodalia Acta.*

95 Cum igitur istud S. Martini I. Concilium adeò celebre in Ecclesia fuerit, & in illa VI. Synodo singulari plausu, approbationeque susceptum, vtpotè primum, quo Monotheliſmus publicè proscriptus est: cumque insuper in ipso specialis mentio fiat de Orientalibus Episcopis, & Patriarchis, Theodoro nempè Pharanitano, & Cyro Alexandrino, Episcopis; Sergio, Pyrrho, & Paulo Patriarchis Constantinopolitanis, & Censionis sacræ ful-

fulmina in ipsos intorqueantur; proculdubiò Honorius, si criminis socius fuisset, eodemque Monotheliſmi nævo infectus, vt oppoſiti Authores, prædictaque VI. Synodi Acta *Act.* 13. ſupponunt, eidem S. Martini I. ſententiæ fuiſſet obnoxius, atque ſub ea comprehenſus. Si enim Orientalium Patriarcharum, & Epiſcoporum Monothelitarum hæreſis, non obſtante illa locorum diſtantia, prefato Romano Concilio apertè innotuit, innotuiſſet vtique Honorii Monotheliſmus, ſi minima de illo adeſſet ſuſpicio, cum ex tot Epiſcopis, qui ad illud confluxerunt, vix vnus eſſet, qui illum non agnoviſſet, & cum illo ſermones, & colloquia non miſcuiſſet; cumque inſuper præfatæ Synodi Patres tanto conſervandæ in Oriente Fidei, hæreſeoſque in illo deſtruendæ Zelo flagrarint, credibile non eſt defuiſſe illis, ſicut & Martino Pontifici, cum Sanctiſſimus eſſet, præclarum illum, & Apoſtolicum Zelum conſervandæ Fidei in Occidente, & eidem Anathemati Honorium ſubjiciendi, ſi Monotheliſmi reum reperiſſent. Quis enim credat, Pontificem, qui preſtantiſſimo illo Chriſtianæ Fidei Zelo æſtuavit, defeciſſe in re ad eam maximè ſpectante, qualis eſt hæreſum condemnatio; damnatiſque Monothelitis, Honorium nota, & condemnatione digniorem preteriiſſe, ſi ipſum eiuſdem hæreſis conſortem agnoviſſet?

96 Verùm ſi S. Martinus Apoſtolico ſuo Zelo Monothelitarum hæreſim in ſuo Romano Concilio extirpare conatus eſt, non minori Fidei ardore eamdem Provinciam Sanctiſſimus Pontifex Agatho aggreſſus eſt, Concilium etiam contra Monotheliſmi hæreſim Romę cogens, prout refert Cardinalis BARONIUS *ad annum* 680. his verbis: * Ab Agathone Pontifice, Romæ, Generalis Synodus Veris tempore, adverſus Monothelitas coacta eſt, cui interfuerunt 125. Epiſcopi, qui omnibus Synodalibus litteris ſubſcripti leguntur in 4. Actione VI. Synodi. *

97 Et infrà notat, ex tota hac Romana Synodo, nihil ampliùs reperiri, quàm Agathonis ad Conſtantinum Imperatorem Epiſtolam OEcumenici congregandi Concilii ergo, vt in illo recens Monotheliſmus vniverſaliter in tota condemnaretur Eccleſia; & aliam eiuſdem Concilii ad prædictum Imperatorem, in qua Profeſſio, & Confeſsio Fidei contra Monotheliſmum continetur: * De rebus autem in Synodo geſtis (ſcribit Baronius) nihil præterea reperitur, niſi Epiſtola Agathonis ad Conſtantinum Imperatorem, & fratres eius, de Fide Catholica contra Monothelitas; ſed & alia Epiſtola ad eoſdem, nomine totius Synodi, de Fide Catholica conſervanda. Canon nullus in ea ſancitus legitur; quod non ob aliam cauſam fuerat convocata, quàm ad Fidem Catholicam cõfirmandam, & Legationem Conſtantinopolim ad Synodum OEcumenicam decernendam; & cum vtrumque quàm diligentiſſimè reperiatur impletum, nihil eſt, quod ab ea ampliùs fuerit requiſitum. *

98 In prædicto autem Romano Concilio, in quo de Monothelitarum Anathemate actum eſt, nullam inter illos mentionem factam fuiſſe de Honorio, manifeſtè conſtat *ex Libello Synodico*, quem è Græco, Latinitate donatum affert SEVERINUS BINIUS *in Vita, & Pontificatu Agathonis ad annum* 680. *Tom.* 6. *Concilior.* vbi hæc habentur: * Romana Agathonis Synodus ex Libello Synodico. Agathon verò Beatiſſimus Papa Romanus, qui Martino in Solio poſt Eugenium, Vitalianum, Adeodatum, & Donum ſucceſſerat, Sanctam congregavit Synodum; & Sergium, Cyrum, Petrum, Paulum, & Pyrrhum Anathemate notavit: ac duabus in CHRISTO IESU Deo noſtro declaratis voluntatibus, & operationibus, definitionem Fidei ad Leonem Imperatorem, Conſtantini Pogonati filium, & Juſtiniani Rhinotemeti patrem emiſit. * Hæc ibi.

99 Vndè cum Sanctiſſimus Pontifex Agathon adeò Monothelitarum Anathemati inſudarit, vt horum hæreſeos penitùs extirpandæ cauſa, æquiſſimè præceperit multa Nationalia Concilia in variis Chriſtiani Orbis partibus, vt Mediolani, Britanniæ, & alibi, congregari, præcipuos Monotheliſmi Authores, & fautores apertè denuntians: cumque tanta inquiſitione, & diligentia nulli alii præcipui præfatæ hæreſeos promotores inventi fuerint, quàm Cyrus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus Epiſcopi, & Patriarchæ Orientales; creditu ſanè difficilè eſt, Honorium, Conſtantinopoli ſolum, fuiſſe huiuſmodi criminis reum repertum. Intu-

pèr cum in toto Occidente, vbi vixit, ac mortuus fuit, plures Sanctissimi Præsules, & Concilia, prę cipuè duo Romana, quibus duo Sanctissimi Pontifices Martinus, & Agathon præfuerunt, & vbi proximior erat huius rei notitia, nec Honorii ad Sergium Epistola latebat, nunquam eum hæreseos reum agnoverint, neque Monothelismi nota asperserint; arduum sanè est, Græcos Constantinopoli, melius quàm Romanos, quæ Romæ agebantur, noviſſe; & Orientales Episcopos melius quàm Occidentales, quę in ipso Occidente gerebantur, sciviſſe, Honorium Monothelitis Constantinopoli adscribentes, quando nullus Occidentalium Antistitum, nullus Summorum Pontificum, qui vsque ad Agathonem succesſerunt Honorio, nec ipse denique Agatho, cum in materia Fidei, vel levioris adhuc suspicionis reum agnoverit.

100 Nec minori consideratione dignum videtur, quod cum *ab anno 640. vsque 680.* quo VI. Synodus celebrata est, multa Concilia tùm Nationalia, tùm Generalia in variis Christiani Orbis partibus fuerint congregata, vt in Italia Romanum *sub Ioanne IV. anno 640.* & aliud Romanum *sub Theodoro, anno 648.* Mediolanense *sub Agathone, anno 679.* & Romanum *sub eodem Pontifice, anno 680.* & Lateranense *sub Martino I. anno 649.* in Africa Numidianum *sub Theodoro, anno 646.* Bizazenum *sub eodem Pontifice eodem anno*, & Carthaginense *sub eodem Theodoro, eodemque anno*; in Gallia, Aurelianense *sub Martino I. anno 650.* & Anglicanum *sub Agathone, anno 679.* in nullo tamen ex his decem Conciliis, quæ in tam dissitis diversarum Nationum Regnis habita sunt, & in quibus omnibus Monothelitarum hęresis condemnata est, prout referunt P. GREGORIUS DE RIVES *in Histor. Concilior. & in Controvers. Histor. Concilior.* Cæterique Scriptores, & Conciliorum collectores, annis suprà relatis, nulla de Honorio inter Monothelitas fit mentio, nec in aliquo prædictorum Conciliorum dicitur, eum fuisse accusatum, nedum condemnatum, quod prę fatæ Monothelitarum hæresi consenserit, adhæserit, aut aliquo modo fuerit patrocinatus.

101 Et mirandum sanè est, totis quadraginta annis, in tam diversis Nationibus, & Regnis, præcipuè Occidentis, vbi perfectior, ac certior notitia de Honorii Vita, & factis haberi poterat, nullam hûcvsque Honoriani sceleris famam increbuisse; cum enim levior Pontificum culpa, ob sublimem Dignitatis apicem, statim adeò innotescat, vt istius notitia inevitabilis omninò videatur, maximè, si illorum lapsus speciali sit nota dignus qualis esset prolapsus in hæresim, cuius vel minima suspicio in Superioribus tàm altæ Dignitatis evidenter patescit, ob scandalum, quo totus Christianus Orbis offenditur, certè si in Honorio, vel minima fuisset Monothelismi suspicio, statim adeò publicum fuisset scandalum, quod suæ Dignitatis ergo, toti Orbi attulisset, vt omninò impossibile esset aliquam istius notitiam in Regnis & Provinciis saltèm Occidentis, vbi decem præfata Concilia celebrata sunt, ignorati, imò & totam illam Regionem non pervasisse: cumque illorum Conciliorum Patres Sanctissimi essent, & ardentissimo Fidei Zelo flagrarent, sæviores, ac rigidiores accusatores extitisient, vt in solum Honorium Generale congregaretur Concilium, & de illius causa sententia diceretur, vel saltèm de tanti sceleris suspicione vindicaretur, vt factum fuit in Generali Concilio ob Marcellini Papę thurificationem indicto, in quo ipse Pontifex suam noxam simplici Confessione, ac posteà glorioso Martyrio expiavit; multique alii Pontifices ob minorum scelerum suspiciones Generalia coëgerunt Concilia, vt sua Innocentia toti innotesceret Orbi. Cum ergo in Honorium Pontificem nec vivum, nec totis quadraginta annis ab eius obitu, nulla accusatio prę cesserit in aliqua ex decem prædictis Synodis, ad quas innumeri singularis Sanctitatis Episcopi ferventissimo Fidei Zelo conspicui confluxerunt; & in præfatis Conciliis de Monothelitarum condemnatione in specie sit actum, & numquam Honorius inter Monothelitas recensetur, nec minimæ adhuc notæ accusetur, hinc manifestè deducitur illum neutiquam fuisse in VI. Synodo proscriptum, sed illius nomen falsò fuisse ab aliquo malitioso Monothelita VI. Synodi Actis intrusum in vindictam, quod primus fuerit Pontifex, qui sese Monothelismo opposuit, eumque proscripsit, prout

referunt graviſſimi Authores, præcipuè ALBERTUS PIGHIUS, RIBES *in ſua Controv. Hiſtor. Concilior.* CARRANZA, Toletanus Antiſtes, & alii.

102 Cùm hùcuſque graviſſimorum Authorum teſtimoniis, Sacratiorumque Conciliorum Authoritatibus, quæ Aſſertionem noſtram haud leviter confirmant, probaverimus Honorii nomen falsò fuiſſe VI. Synodi Actis inter Monothelitas in ipſa condemnatos, inſertum; aliquas proponemus rationes, quibus manifeſtè appareat, præfatam Honorii Monothelitis adſcripti condemnationem, nulla poſſe iuſta ratione fulciri.

CAP. V.

PROBATVR RATIONIBVS, Honorium non fuiſſe iuſtè in VI. Synodo proſcriptum.

103 NEmini præfatus titulus admirationem ingerat, VI. enim Synodum eò, quò par eſt, honore, & veneratione proſequimur in his omnibus, quæ certò conſtat, eſſe ab illa definita, quale eſt, quidquid in Decretis Fidei, & morum continetur; at in his, quæ ad Honorii condemnationem ſpectant, cum adeo dubia ſint, vt tot fundamentis probavimus, oſtendendum aggredimur, prędictum condemnationis Decretum nullam ſecum iuſtificationem afferre, vt ſic clarior innoteſcat impoſtura, qua aliquorum improbitas tanti Pontificis Fidem, decus, & opinionem commaculare conata eſt; quod ſequentibus rationibus probare conabimur.

104 Primò; quia in rebus dogmaticis multi roboris eſt argumentum ab inconvenienti deſumptum: Vndè ab hoc exordientes ſic noſtram Aſſertionem probamus. Eſtò Honorius certò fuiſſet in VI. VII. & VIII. Generalia Synodo tamquam Monothelita anathematizatus, vt refertur *Act.* 13. vbi eiſdem verbis, quibus Cyrus, & Sergius condemnati ſunt, eademque cauſa, qua iſti vt hæretici anathematizantur (quos verò hæreticos extitiſſe, verêque Anathemati fuiſſe ſubiectos extra dubium eſt) Anathematizatur etiam Honorius, vt patet ex toties iam repetitis verbis præcipuè *Act.* 16. eiuſdem Synodi, quæ prædictos hæreticos anathematizans, ęquè Honorium, vt hæreticum hiſce verbis proſcribit: *Theodoro Pharanitano, hęretico; Anathema, Cyro hęretico, Anathema; Honorio hęretico, anathema.*

105 Quamvis, inquam, certum eſſet prędictum Synodi textum, quoad Honorii Anathema, corruptum noneſſe, ſed Honorium legitimè fuiſſe tamquam hæreticum condemnatum, graviſſimum inde inconveniens inferri, ſic evidenter oſtendimus. Qui in aliquo Concilio à Pontifice, vel ab iſtò extra Concilium, tamquam hęreticus legitimè condemnatus eſt, debet in tota Eccleſia vt talis haberi, & ab omnibus Catholicis talis exiſtimari, adeò vt in omnibus condemnationibus, quę in Concilijs contra hæreticos feruntur, intorqueatur anathema in eos, qui illos vt tales non habuerit. Hinc quamvis graviſſimi Authores, & quandoque Sanctiſſimi Viri eos, quos vt hæreticos certò declaravit Eccleſia, , antè hanc condemnationem, & declarationem in illo errore defenderint, & ſequuti fuerint; at poſtquam Eccleſia illum errorem proſcripſit, & iſtius Authores, vt hęreticos condemnavit, nullus Catholicorum audet dicere, nec ſcribere eos non eſſe hęreticos, quin in pœnas à Sacris Canonibus in hæreticos, & iſtorum errorum fautores, & defenſores ſtatutas incurrat.

106 Atqui ſuppoſita VI. VII. VIII. Generalis Synodi condemnatione, ſemper extiterunt graviſſimi, & Catholici Authores, qui Honorium. ſ. nulla Monotheliſmi labe commaculatum, nec vt talem exiſtimatum, ſed potiùs verè Catholicum, ac talem perpetuo habitum, eumque in ſuis ſcriptis pie, & catholicè ſenſiſſe, publicè ſenſerunt, ſcripſerũt, ac omni ſemper tempore propugnarunt, quales fuerunt S. Maximus Abbas, & Sãctiſſimus Ioannes IV. qui eum agnoverunt, & cum illo communicarunt, illiuſque mentem in ſenſu valde Catholico ſuis ſcriptis elucidarunt; tales etiam fuerunt Sanctiſſimi Pontifices Martinus I. & Agatho, qui in duobus Concilijs Romæ celebratis ob oculos habentes Epiſtolas Sergij Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Honorium, & Honorii ad Sergium, vt Hæreticum Monotheliſmi nævo infectum condem-

narunt, quin in Honorio, istiusque scriptis aliquid reprehensione, & censura dignum invenerint, eum in eadem Catholici, & Sanctissimi Pontificis opinione, quam ad illa vsque tempora suis sibi virtutibus conciliarat, æquissimè relinquentes.

107 Horum Summorum Pontificum vestigijs inhærentes multi, gravissimique Authores, Honorium post VI. Synodi condemnationem vere Catholicum tuentur, eumque in Epistolis ad Sergium, quæ sunt vnicum motivum, cui VI. Synodi condemnatio innititur, Catholicé sensisse, firmiter propugnant: & omissis antiquioribus, non desunt præstantissimi Scriptores virtute, & scientia clarissimi, qui à ducentis annis Honorium Catholicum existiment, illiusque ad Sergium Epistolas in Catholico sensu exponant, ac eruditè tueantur, nihil in eis contineri, quod Fidei adversetur, quodque valdè Catholicum sensum non admittat.

108 Cardinalis TURRECREMATA (qui Concilijs Constantiensi, Basileensi, & Florentino adfuit, vt scribit Magister ALTAMURA *in Bibliotheca Ord. Præd. ad ann.* 1468.) Honoriũ verè Catholicum, nullaque Monothelismi labe fœdatum, manifestè defendit *lib.* 2. *de Eccles. cap.* 93. sic scribẽs: * Honorius ille numquam, nec dum viveret, nec post mortem repertus fuit posuisse in CHRISTO vnam tantum voluntatem, & vnam operationem. Vndè nec ab Apostolica Sede, nec à Patribus Occidentalibus talis iudicatus est.* Cum ergo Monothelitarum error esset, vnam solummodò voluntatem, & operationem adstruere in CHRISTO, propter quod Cyrus, Sergius, Pyrrhus, alijque Patriarchæ Constantinopolitani, vt hæretici in VI. Synodo proscripti sunt; sanè prædictus Cardinalis dum asserit Honorium, nec dum viveret, nec post mortem, repertum fuisse huic errori adhęsisse, cum illum hæreticum non agnoscat, proculdubio Catholicum defendit.

109 Idem censet Cardinalis BELLARMINUS *de Rom. Pontif. lib.* 4. *cap.* 11. vbi Honorium, istiusque Epistolas Catholicas propugnat, earumque Doctrinam Monothelitarum hæresi oppositam affirmat, multis laudatis Authoribus, qui in eamdem conspirant sententiam.

110 Cardinalis BARONIUS *ad annum* 633. *num.* 23. Honorium vt Catholicum latè, eruditèque tuetur, istiusque ad Sergium Epistolas nihil contra Fidem continere, eleganter ostendit.

111 Cardinalis BRANCATVS DE LAVRÆA, Honorium non modò à Monothelitarum hæresi immunem, sed etiam valdè Catholicè sensisse tradit, vt videri potest *in Tomo, toties laudato.*

112 Defendit etiam Honorium Cardinalis AGUIRRE, illiusque scripta vt Catholica, nihilque in illis censura dignum reperiri, propter quod Monothelitis mereatur adscribi, *tr.* 2. *disp.* 30. *sect.* 1.

113 Multi pariter alij Catholici Authores, qui præterito, præsentique sæculo singulari Doctrina, Pietate, & Religione floruerunt, Honorium Catholicè vixisse, & Catholicè etiam sensisse, acerrimè propugnarunt, eum ab omni Monotheliſmi macula, ac nota penitùs vindicantes.

114 Tales fuerunt ALBERTUS PIGHIUS *de Hierarch. Eccles. lib.* 8. *cap.* 4. HOSSIVS *lib.* 2. *contra Brenzium*; IOANNES A LOVANIS *in lib. de Perpetua Cathedræ D. Petri Protectione, & firmitate, cap.* 11. & ONVPHRIVS PANVINIVS *in adnotat. ad Platinam*; quorum rationes, vt inquit Cardinalis BELLARMINVS *loco citato*, multo sunt efficaciores, quàm adversariorum.

115 His addi potest ipse PLATINA *circa annum Domini* 1460. *in libro*, quem scripsit, *de Vitis Pontificum, á S. Petro vsque ad Iulium II.* ibi enim, de Vita Honorii agens, hæc scribit: * Honorius, à rebus externis aliquãtulum quietis adeptus, Doctrina, & moribus Sanctissimis omnem propè Clerum renovavit. Moritur Vir Sanctissimus anno Pontificatus sui duodecimo.*

116 Idem tenent alii Latini Authores antiquitate præclari, vt RHEGINO PRVMIENSIS, HVGO FLORIACENSIS, MARIANVS SCOTVS, OTTO FRISINGENSIS, GOTHOPHREDVS VITERBIENSIS, & CONRADVS VRSPERGENSIS, qui de Honorio I. vel Monothelitis sermonem instituentes, numquam eum inter illos recensent, aut de illo, tamquam de hæretico, sed potiùs ceu Catholico, honorificè loquuntur, egregiisque prædicant encomiis.

117 ALPHONSVS CIACCONIVS

in

in Vitis Pontificum, in vltima editione *ad annum 622*. *Videre est (inquit) in VI. Synodi, Constantinopolitanæ III. vulgatis Codicibus Sanctissimo huic Viro Monothelitarum hæresis crimen impingi, cum falsissimum sit, ipsum huic hæresi vnquam subscripsisse.*

118 Eumdem etiam Pontificem Catholicum semper extitisse, scriptis confirmavit EMMANVEL CALECA, qui paulò post Lugdunensis Concilij sub Gregorio X. *anno* 1274. celebrati, tempora vixit, insignemque Librum pro Latinis cõtra omnes Græcorum hæreses conscripsit.

119 Nilum iniustum, mendacemque Honorii impugnatorem docta Græcè, Latinèque scripta confutatione refellit, & coarguit Eruditissimus Iconiensis Antistes, IOANNES MATTHÆVS CARYOPHILUS.

120 IOANNES ABBAS, Honorio coævus Scriptor, illum hisce verbis commendat: *Erat Venerabilis Præsul Honorius, sagax animo, vigens consilio, Doctrina clarus, dulcedine, & humilitate pollens.*

121 Honorium tandèm ab omni Monotheliſmi labe immunem extitisse, eiusque memoriam impiè fuisse à Schismaticis denigratam, tradunt IOANNES, Papa IV. *apud Anastasium initio Collectan.* S. MAXIMVS *in Disputatione contra Pyrrhum*, ANDREAS SCOTUS *ad Cod. 19. Biblioth. Photii*, à Davide Hoeschelio editę; IODOCVS COCCIVS *Tom. 1. lib. 7. art. 13.* ANDREAS DUVALLIVS *Tract. de Pontif. part. 2. quæst. 4.* GIBALINUS *de Iure Canonico, lib. 5. cap. 3.* DIONYSIVS PETAVIUS *in Rationario Temporum ad annum 680.* DOMINICVS A S. TRINITATE *vbi supra*, DOMINICVS GRAVINA *loco iam citato*, Illustrissimus Episcopus IGNATIVS FIVME *loco suprà laudato*, SEVERINVS BINIVS *Tom. 5. Concilior. in Notis ad Honorium*, M. NATALIS ALEXANDER *in select. Histor. Ecclesiast. Sæc. 7. dissert. 2. conclus. 3.* AVTHOR HISTORIÆ MONOTHELITARVM editæ Parisiis *anno 1679. scrutin. 5.* vbi Honorii Epistolam ab errore Dogmatis liberat; & eruditissimus CHRISTIANVS LVPVS *in Notis ad Canones VI. Concilii Generalis, Tom. 2.* vbi hæc scribit: *Ex quo vides fœdissimè hallucinari eos, qui existimant, Honorium fuisse hæreticum Monothelitam.*

122 Ex dictis, & gravissimorum horum, tàm antiquorum, quàm recentiorum Authorum sententia, vnum è duobus necessariò infertur; aut Honorium Papam non fuisse, vt hęreticum Monothelitam legitimè proscriptum, vt in prædictis triũ Generalium Conciliorum Actis narratur; aut prędictos Authores, qui oppositum asserunt, probant, atque propugnant, non sensisse Catholicè.

123 Et ratio est manifesta: si enim darentur Authores, qui assererent, aut scriberent, Arium, Nestorium, Pelagium, Eutychetem, horumque sequaces in Generalibus, & OEcumenicis Conciliis, vt Hæreticos condemnatos, tales non esse, sed potiùs eos, vti Catholicos tuerentur, dubitari non potest eos, qui talia asserent, Anathema contra Hæreticos, istorumque fautores in prædictis Generalibus Conciliis intortum incursuros: ergo si Honorius I. legitimè fuisset anathematizatus, vt prædicta trium Conciliorum Acta referunt, nec posset oppositum à prędictis Authoribus Catholicè dici, nec Honorius vt Catholicus defendi. Asserere autẽ non Catholicè sensisse gravissimos hosce Authores, qui Honorium ab omni hæreseos macula liberum, istiusque Doctrinam verè esse Catholicã tot sæculis propugnarunt, durum sanè, ac valdè asperum, prudens quisque meritò iudicabit, cum prędictorum Authorum scripta in publicum prodierint, & vltrà 800. annos Honorium ab omni Monotheliſmi labe vindicaverint, multique illorum, Apostolica Sede non modò permittente, sed etiam approbante, scripserint, & eorum Doctrina, vti Cardinalium TURRECREMATÆ, BELLARMINI, BARONII, BRANCATI DE LAURÆA, AGUIRRE, & cęterorum, vt Catholica fuerit commendata. Pias enim aures offendit, gravissimis hisce Authoribus, qui piè, Catholicèque vixerunt, multique eorum eadem pietatis, & Catholicę Religionis fama obierunt, hanc non Catholicorum notam affingi, eorumque scripta, & Doctrinam vt non Catholica, & trium Generalium Conciliorum definitionibus directè oppositа condemnari: idem enim dicendum esset de Pontificali Romano, cum de illo

hęc

hæc scribat CHRISTIANUS LUPUS *loco suprà laudato*: * De eodem Honorio liber Pontificalis gloriosè loquitur; * quod nullatenùs admitteretur, si certa esset condemnatio Honorii. Eamdem tandèm notam subiret Bullarium Magnum, quod à prima sua editione ad hæc vsque tempora, omnibus Summis Pontificibus approbantibus, evulgatum est; cum in illo Honorius in Summorum Pontificum summè Catholicorum Catalogo recenseatur. Nè ergo in gravissima ista incidamus absurda damnandi, vt non Catholicos, tot clarissimos Scriptores, qui tanto Zelo, Pietate, ac Religione in Ecclesia floruerunt, rectiùs arbitramur, sequi sententiam asserentium, textum prędictorum Conciliarium Actorum esse corruptum, & malitiosè vitiatum, cum id solidissimis fundamentis, tàm eruditi Authores, quales suprâ retulimus, probent, & convincant; sicque certam non esse Honorii condemnationem, vt latiùs adhuc demonstrabimus.

§. I.

ALIA RATIONE FVLCITVR Assertio.

124 SEcundò probatur, insubsistentem esse præfatam condemnationem, defectu Authoritatis in Concilio, ad Honorium Pontificem proscribendum. Est enim certissimum principium, Summos Pontifices nullum in terris agnoscere Superiorem, nec posse ab aliquo, quantumvis Suprema Authoritate insignito, nec ab ipso adhuc Generali Concilio, Ecclesiam representante, nisi in expressæ hęreseos casu, iudicari: atqui de Honorianæ hæreseos delicto non constat: non ergo potuit Concilium, Authoritatis defectu, Anathematis sententiam in Honorium proferre.

125 Quod non possit Summus Pontifex ob quodcumque delictum, hæresi dumtaxat excepta, adhuc à Generali Concilio iudicari, communis est Sanctorum Patrum, Sacrorum Canonum, Sacratiorumque Conciliorum consensus. Hanc enim veritatem elegantêr probat gloriosus Pontifex, & Martyr ANACLETUS *in cap. Electionem. 89. Dist.* his verbis: * Electionem Summorum Pontificum sibi Dominus reservavit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & spiritualibus Populis concessisset.* Ubi inquit GLOSSA: * Et ita fallit Regula: Ad quem spectat institutio, & destitutio. *16. quæst. 2. cap. visis.**

126 Sed expressiùs adhuc S. BONIFACIUS Papa, & Martyr *in cap. Si Papa.* dicens: * Huius (scilicet Romani Pontificis) culpas redarguere præsumit nullus; quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à Fide devius.*

127 Quod confirmat INNOCENTIUS Papa *in Serm. de sua Consecratione, qui incipit: Quis putas fidelis est servus*: ibi enim hæc habet: * In tantum mihi Fides est necessaria, vt cum de cęteris peccatis Deum Iudicem habeam, propter solum peccatum, quod in Fide committitur, possim ab Ecclesia iudicari: nam *qui non credit, iam iudicatus est.** Hæc ille. Idemque habet *in Serm. de eadem Solemnitate*, cuius initium est: *Qui habet sponsam, sponsus est.*

128 Tandèm luculentissimum huius veritatis nobis exhibet testimonium S. EUSEBIUS *in cap. Oves. 2. quæst. 7.* dicens: * Oves, quę suo Pastori commissæ sunt, eum, nec reprehendere, nisi à Fide exorbitaverit, nullatenùs accusare possunt; quia facta Pastoris, gladio ferienda non sunt, quamquam reprehendenda rectè videantur. * Ex his, aliisque plurimis Sacrorum Canonum textibus, quos brevitatis gratia omittimus, manifestè colligitur, eum, qui Supremum Pontificiæ Dignitatis Thronum tenet, ob nullum delictum posse in terris, excepta hæresi, iudicari.

129 Huic Sacrorum Canonum sententiæ, subscribunt Sacratissima Concilia, vt videri potest in Definitione Vniversalis ROMANI CONCILII, cui Sanctus Pontifex Sylvester præfuit; ibi enim *Canone vltimo*, hæc continentur: * Nemo iudicabit primam Sedem, quoniam omnes à prima Sede iustitiam desiderant tęperari, quoniam, nec ab omni Clero, nec ab omni Populo Iudex iudicabitur. Subscripserunt 284. Episcopi, 42. Presbyteri, & 5. Diaconi; & Augustus Constantinus, & mater eius Helena.*

130 Idipsum manifestè convincitur

ex

ex GENERALI CONCILIO, quod *sub S. Marcellino Pōtifice*, istiusque lamentabili thurificatione celebratum est, vt habetur *in cap. Nunc autem* 21. *Dist.* vbi Papa reatum suum confitente, seseque promptum, ac paratum offerente ad suscipiendum, & peragendum quicquid Concilii Patres sibi imponere voluissent; nullus illorum ausus est, sententiam ferre in Supremum Iudicem, à quo omnes possunt, & debent iudicari. Et quidem valdè notanda est tanto Concilio dignissima ratio, quam Sanctissimi Patres, nè sententiam in eum dicerent, permoti sunt: * Quoniam prima Sedes non iudicatur à quoquam.* Vbi ARCHIDIACONUS hæc addit: * Nisi de hæresi.* *Dist.* 40. *cap. Si Papa.*

131 Hinc CHALCEDONENSIS CONCILII Patres graviter increparunt Dioscori Alexandrini temeritatē, præsumptuosamque insolentiam, qua ausus fuit excommunicationem in Leonem Papam proferre, de qua *in cap. In tantum.* 21. *Dist.*

132 Sed omitti non potest præclara Professio, ac commendabilis Zelus Patrum ROMANÆ SYNODI III. quæ, Theodorico Rege instante, congregata fuit, vt in illa cognoscerentur criminationes, quas in Pontificem Symmachum Apostolicæ ipsius Vitæ, rectissimique regiminis æmulorum improbitas confinxerat: quibus auditis, omnes illius Synodi Patres vna voce dixerunt, non pertinere ad inferiores, esse Iudices Superiorum, præcipuè illorum, qui ad altissimum illum, Supremumque Dignitatis gradum provehuntur. * Concorditer Synodus ipsa respondit, Apostolicæ Sedis Antistitem minorum non subiacere iudicio.* De quo *in* §. *Hinc etiam* 17. *Dist.* Præclara sanè ratio, ac tam Iuri Naturali, quàm Gentium maximè consona; ab eo enim tempore, quo Tribunalia in Mundo constituta sunt, semper inferiores à superioribus iudicati sunt, tàm in Lege Naturę, quàm Gratię; tàm in Lege antiqua, quàm nova; tàm in sæcularibus, quàm Ecclesiasticis: & oppositum monstrum quoddam esset contra omnem Naturalem, Divinamque Legem. Nonnè ingens deformitas esset, velle vasallum esse sui Regis Iudicem? & creaturam sui Creatoris? cum id eò fœdius sit auditu, quò oppositum laudatu dignius. Vndè meritò veneranda est illa Concilii Sententia, dicentis: * Apostolicę Sedis Antistitem, minorum non subiacere iudicio.* In cuius expositione HUGO, singularis Authoritatis Vir, hæc addit: * Nisi in crimine hæresis.* *Dist.* 40. *cap. Si Papa.*

133 Hæc etiam Sententia fuit Synodaliter definita in ROMANO CONCILIO V. cui adfuerunt 218. Episcopi, & præfuit Sanctissimus Symmachus, *sub Theodorico Rege*: in illo enim sic definierunt Patres: * Non est necesse, super his nova condere, sed vetera recitare, atque firmare. Est enim à multis ex nostris Antecessoribus Synodaliter decretum, atque firmatum, vt oves, quæ Pastori suo commissæ fuerunt, eum, nec reprehendere, nisi à recta Fide exorbitaverit, præsumant.*

134 Tandèm in huius rei confirmationem præclarè facit Definitio in CONSTANTIENSI CONCILIO edita per omnes Patres vtriusque obedientiæ, & à Martino Papa confirmata, qua, vt in præfati Pontificis Epistola habetur, tamquam Articulus Fidei statuitur: Papam Canonicè electum habere Supremam Authoritatem in Ecclesia Dei. In cuius expositione dignum est, ac proprium Zelo Eminentissimi Cardinalis TVRRECREMATA, quod ipse scribit *lib.* 2. *de Eccles. cap.* 93. dicens: * Ex qua determinatione, clarissimè habetur, quod Romanus Pontifex, extra casum hęresis, in quo à Papatu decidit, nullius Potestatis, quam solius Dei, subiacet iudicio.* Quod confirmat adductis multis Authoribus, qui hanc Sententiam sequuntur, vti sunt B. Albertus Magnus, S. Thomas, Alexander Alensis, S. Bonaventura, Eruditissimusque Petrus à Tarantasia, Ordinis Prædicatorum, qui vnà cum D. Bonaventura in Lugdunensi Concilio fuit causarum Iudex, & posteà Pontifex Innocentius V. aliique multi Canonistæ ab ipso laudati: * Qui omnes (inquit ipse Cardinalis) apertissimè tradunt, & attestantur, Romanum Pontificem verum, & indubitatum, extrà casum hęresis strictè sumptæ, nullum in terris Iudicem habere Superiorem, sed tantum Deum in Cælis, cuius vices gerit in terris.*

135 Probata igitur iam tot Sanctorum Patrum, totque Conciliorum Authoritatibus prima nostri syllogismi propositione;

tione; nempè, non dari in terris competentem Iudicem, qui possit de Summo Pontifice ob aliud quodcumque, præter hæreseos propriè sumptæ delictum, sententiam dicere; sola probanda manet alia eiusdem Syllogismi propositio; Honorium nempè, non fuisse huius criminis reum, nec tradidisse Doctrinam Catholicę Fidei contrariam, & dignam condemnatione, & Anathemate, quod in prædicta *Actione* 13. VI. Synodi supponitur.

136 Pro cuius clariori probatione, prænotandum est: omnes Authores, qui de hac re sermonem instituunt, tanquam certum supponere, nihil esse, quod contra Honorium verè constet, nec eum alicuius hęreseos reum facere possit, & de facto in VI. Synodo fecerit, nisi istius ad Sergium Epistolam, quæ integra refertur *Act.* 12. & propter eam *Act.* 13. Anathematis fulmine perculsus est. Hùc etiam spectant fragmenta Epistolę 2. eiusdem Honorii ad Sergium, quæ *Actione* 13. habentur. His igitur duabus Epistolis vnicè innititur quidquid Honorianæ Fidei objicitur, & ob illas Monothelitis adscriptus est, & tanquam vnus ex illis Anathematizatus, vt ex prædicta *Actione* 13. patescit.

137 His ergo suppositis, statutoque iam, vt probavimus, nullam dari in terris Potestatem, nec Concilium aliquod Generale, quod possit de Summo Pontifice sententiam dicere, nisi in expresso casu hęresis, videndum modò est: an Honorius Pontifex, in prędictis ad Sergium Epistolis, Monothelitarum hæresi, aut alii alteri adhæserit, aut in illis Doctrinam Catholicæ Fidei contrariam tradiderit? Quod vt clariùs discutiamus, priùs proponemus, quid sentiant pręcipui Catholici Authores, qui hac de re loquuti sunt.

138 Prodeant ergo duo testes omni exceptione maiores, Honorioque Pontifici coætanei, quorum primus est Sanctissimus Pontifex IOANNES IV. qui Honorio, tribus ab istius obitu annis, in Pontificio Throno successit. Hic ergo molestè ferens, Monothelitas, vt suis erroribus fidem conciliarent, Honorii Authoritate calumniosè vti, innixos sinistræ intelligentię, Honorianæ ad Sergium Epistolæ, Constantino Imperatori Apologiam scripsit, Honorii sensum in prædicta Epistola, illi aperiens, nè hocce Monotheletarum dolo innecteretur: * Omnes (inquit) Occidentales Patres scandalizati turbantur, fratre nostro Pyrrho Patriarcha per litteras suas, huc, atque illuc transmissas, nova quędam, & præter Fidei Regulam prędicante, & ad proprium sensum, quasi sanctę memoriæ Honorium Papam attrahere festinante, quod à mente Catholici Patris erat penitùs alienum.* Hęc Sanctissimus Pontifex Ioannes IV. quibus nihil pro re nostra clarius, nihil aptius; cum enim Pyrrho Patriarcha Constantinopolitano, immediato Sergii Successore, Monothelitarum errorem (ob quem vterque cum suis sequacibus *in VI. Synodo* condemnatus est) contra Fidem publicè prædicante, & Honorium ad proprium sensum adducere, ob istius ad Sergium Epistolam, contendente, declaret Sanctissimus Pontifex Ioannes, qui Honorium optimè noverat, cum illo communicaverat, ac illius in prædicta Epistola sensum apprimè calluerat, nullum in ea errorem contineri, imò Sanctissimum Pontificem à Cyri, Sergiique errore procul abfuisse, ac valdè Catholicè sensisse, vt evidenter ostendunt allata ipsius verba, quibus de Cyro dicit: * Nova quædam, & præter Fidei Regulam prædicante; * de Honorio verò: * Sanctæ memorię Honorium Papam attrahere festinante, quod à mente Catholici Patris erat penitùs alienum; * hinc manifestè infertur, Ioannem IV. in ea fuisse sententia, quæ tenet, Honorium in prædictis ad Sergium Epistolis Monothelitarum hæresi neutiquam adhæsisse, imò Catholicè sensisse. Hæc & alia pro Catholico Honorii sensu, scripsit prędictus Pontifex Ioannes in præfata Apologia, de quibus posteà.

139 Secundus est S. MAXIMUS Martyr, qui *in Dialogo contra Pyrrhum, Patriarcham Constantinopolitanum*, mirificè defendit Catholicum Honorii sensum, in prædicta Epistola ad Sergium, vt ex ipso Dialogo infrà adducendo patescet. Interim tamèn omitti non potest, quod pro hac re scripsit idem Maximus *in Epistola ad Marinum*, quę extat inter Anastasii Collectanea; ibi enim expendens, quę in Honorii ad Sergium Epistola continentur, asserit: Honorium in prędicta Epistola, veritatem, Monotheletarum errori oppositam, tenuisse, cum in CHRISTO Domino non modò duas

natu-

naturas, sed & duas confiteatur voluntates, ac per consequens Catholicè sensisse: * Honorium (inquit) etiam Romanum Papam non diffiteri, reor, naturaliter in CHRISTO voluntatum dualitatem in Epistola, quam scripsit ad Sergium, eò quòd vnam dixerit voluntatem, sed potiùs confiteri, & hanc fortàsis etiam constabilire, &c.*

140 Ex his duobus testibus tàm superioti Authoritate, Sanctitate, & Veritate conspicuis, manifestè constat Catholicus Honorii sensus, in prædicta Epistola ad Sergium. Et quamvis duo isti testes, & quia antiquiores, & quia Honorii ęvo proximiores cum vterque illũ agnoverit, convenerit, & sub eo Pontifice vixerit, ac illius sensum cognitione, & mente meliùs complecti potuerit, quàm VI. Synodi Orientales Constantinopolitani, loco, temporeque ab Honorio dissiti, quadraginta post illius obitum annis) satis, superque essent, vt Honorium ab omni hæreseos macula immunem crederemus; cum & cõtestes sint, & omni exceptione maiores, ac proindè iuxta illud CHRISTI Domini: *In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*; certam nostram Assertionem efficiant; nihilominùs non desunt alii graviſſimi etiam Authores, qui præfatis adhærentes, Honorium in prædicta Epistola Catholicè sensisse, affirment.

141 Cardinalis TURRECREMATA *lib. 2. de Eccles. cap. 93.* explicans illum Adriani II. textum *in VIII. Generali Synodo* lectum: *Licet enim Honorio ab Orientalibus, post mortem Anathema dictum sit, &c.* hæc habet: *Nota tamen, quod dicit, quod ab Orientalibus, & post mortem: quoniam Honorius ille numquam, nec dum viveret, nec post mortem, repertus fuit posuisse in CHRISTO vnam voluntatem tantum, & vnam operationem.* Cum ergo hic esset vnicus Monothelitarum error, hinc optimè dignoscitur, Honorium, iuxta prædictum Cardinalem, neutiquam illis, sed Catholicis consensisse.

142 Doctissimus Cardinalis BELLARMINUS *de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 11.* Honorio, illiusque Catholico sensui, in prędictis ad Sergium Epistolis, manifestè suffragatur, his verbis: * Secundò dico, in Epistolis istis Honorii, nullum contineri errorem. Honorius enim in iis Epistolis confitetur, quoad rem attinet, duas in CHRISTO voluntates, & operationes: & solum prohibet nomina vnius, vel duarum voluntatum, quę tunc erant inaudita; idque prudentissimo consilio. Quod rem ipsam confiteatur, patet ex illis verbis secundæ Epistolæ: *Vtrasque naturas in vno CHRISTO vnitate naturali copulatas, cum alterius Communione operantes, atque operatrices, confiteri debemus, &c.* Hæc Confessio (inquit prædictus Cardinalis) Catholicissima est, & Monothelitarum hæresim penitùs destruens.*

143 Et *infra*, relatis aliquibus verbis secundæ Epistolæ Honorii ad Sergium, hæc habet: * Quę certè non nisi laudari possunt. (Et concludens, ait:) Habemus igitur, in ipsis Epistolis nullum esse errorem.*

144 Cardinalis BARONIUS *Tom. 8. ad annũ 633. n. 24.* iustam Honorii defensionem totis viribus aggressus est, non quidem, vt aliqui autumant, quasi defendi non possit Honorius, nisi, qui eum damnasse dicuntur, Patres VI. Synodi condemnentur; sed vnicuique quod suum est tribuendo, prout iustitiæ, & æquitatis ratio exposcit. * Veritati (inquit) cum semper fuerit benè consultum, erit & vt videas, quàm apertissima luce, Honorium ab ea calumnia vindicatum, integerrimum in omnibus, semperque Orthodoxum ostensum; & Patrès, impostura detecta, reddi ab omni suspicione laceratæ iustitiæ liberos.*

145 Et relatis *num. 26.* aliquibus verbis Honorianæ Epistolæ ad Sergium, sic prosequitur: * Intelligis Lector, piè, Sanctèque, atque Catholicè in omnibus ab Honorio ista differi, atque ita poni, ob idiomatum communicationem, vnum in CHRISTO volentem, & operantem, sicut vnica est eius persona; cum tamen æquè astruat ob diversas proprietates, duarum simul indivisè, & inconfusè coniunctarum naturarum, ęquè, & voluntates distinctas, & inconfusas in eodem reperiri.*

146 Et *num. 28.* postquam aliqua præfatæ Epistolæ verba adduxit: *Satis (inquit) perspicuè noscis secundum Catholicam Assertionem, vnum poni ab Honorio operatorem, cuius sint opera Divinitatis, & Humanitatis, vt in necessariam

sariam deducatur assumptionem, duas esse voluntates, & operationes, quas tamen ob vitanda dissidia, bono pacis nõ rejiciendas, sed reticendas affirmat. Subdit enim causam, quod periculosum sit, sive vnam, sive duas tantum asserere in CHRISTO operationes, quæ in Divina Scriptura reperiantur esse multiplices, quod scilicet, ex generibus, transirent adversarii ad individua, fallentes æquivocis.* Hæc ibi.

147 Tandèm, relato integro prædictæ Epistolę textu *num.* 31. nihil in eo reperit, quo possit Catholicus sensus offendi: * Hactenus (inquit) Honorii Pontificis Epistola ad Sergium, Episcopum Constantinopolitanum, quam integram hìc reddidisse voluimus, quod eadem fuerit cõpluribus lapis offensionis, & petra scandali, vt iis omnibus diligenter perspectis, tàm quæ ad Honorium Papam à Sergio fuerant scripta, quàm quæ ab ipso Pontifice scripta reddita, dilucidè cunctis innotescere valeat, quàm ipse Honorius fuerit Catholicæ Fidei Assertor, Professor, Defensor, & Propugnator.*

148 Nec minus Catholicum reputat prædictus Cardinalis, sensum secundæ Honorianæ Epistolæ ad Sergium, que extat in prędicta VI. Synodo *Act.* 13. BARONII verba audiamus: * In posteriori autem Epistola ad Sergium, ita firmat Honorius Catholicum Dogma, vt nihil amplius desiderari queat. Dum enim videtur indicere velle silentium, quàm prudentissimè destruit hæresim, & firmat Catholicam Fidem. (Relatoque prædictę Epistolæ fragmento sic prosequitur:) Intellexisti, quàm doctè, atque verè dicat, pro vna operatione, dicendum esse vnum operantem, planè insinuans non convenire personæ vnitatem operationis, sed operantis. Sic & S. Ioannes Damascenus de his agens, docet, non dici posse ratione vnius personæ vnam voluntatem, sed vnum volentem, sicut nec vnam operationem, sed vnum operantem in duabus scilicet naturis; quas dum asserit indivisè, inconvertibiliter coniunctas, duas planè necessariò introducit operationes, & voluntates.

149 His quidem (prosequitur) nihil magis Catholicum dici potuisse, nihil magis pium, ac Sanctum, nihil denique, his temporibus, ad pacem in Ecclesijs conservandam vtiliùs excogitari videri potuit. Quam quidem Catholicam veritatem (dicam liberè cum Campensi) non solum nulla Synodus potuerit vmquam damnare; sed si Angelus de Cælo aliud annunciaverit, pręter id, quod dictum est, illatum in huiusmodi ab Apostolo susciperet Anathema.*

150 Pro maiori prædictorum confirmatione videri possunt, quę idem Cardinalis scribit *num.* 31. dicens: *Cum verò non ob aliam causam Honorium Papam, vnà cum Sergio hi (videlicet Patres VI. Synodi) putaverint esse damnandum, quàm ob nuper recitatam ipsius Honorii Epistolam, datam ad Sergium, qua ei se consentire significavit, certè quidem Honorii Epistola priùs disquirenda fuit, & tempus præsens, quo scripta est considerandum, & ita de Honorio fuerat ferenda sententia. At cum nullius possit erroris argui, vel hæresis, nondum cognitæ, in suspicionem adduci, certum est calumniosè, & leviter admodum, sicut iniustè, Honorium Hæreticum appellari.*

151 Eamdem prædictarum Epistolarum defensionem, & ab omni hæresi puritatem prosequitur *num.* 52. his verbis: *Satis autem fuit hìc tibi, Lector, perspicuè demonstrasse, nihil penitùs inveniri posse in duabus Honorii Epistolis, quò in erroris suspicionem vel leviter adduci queat, cum omnia habeantur in omnibus consentientia Catholicæ Veritati.*

152 Quod & confirmat idem BARONIUS *ad annum* 681. vbi de VI. Synodo, hæreticisque in illa damnatis, sermonem instituens, constanter affirmat, Honorii condemnationem, inter cæteros Monothelitas proscriptos *Act.* 13. proculdubio emanasse ab improbitate æmulorum Apostolicæ Sedis, qui Honorium Vita, & Doctrina summê Catholicum Monothelitis in VI. Synodo damnatis malitiosè inseruerunt: *Tantum enim possibile erit (inquit Baronius *ibi num.* 29.) vt ipse, qui Catholicus semper fuit, possit dici hæreticus, quantum vt vera Catholica ab eo asserta Doctrina, ex qua ponitur damnatus hæreticus, eadem dici possit hæretica. Etenim si non aliundè (vt demus Acta Synodi incorrupta servata) Honorius est condemnatus hæreticus, quâm quod eius prior Epistola, ad Sergium scripta, hæretica fuerit æstimata: cum

& contra eadem in omnibus Orthodoxa probetur, evaneſcet penitùs illa de eius damnatione ſententia. Certè quidem Iudicio Maximi, in diſputatione cum Pyrrho, eam eſſe probatam Catholicam & ex interpretatione germana, facta ab Authore, qui ſcripſerat, æquè oſtenſam in omnibus Orthodoxam à Ioanne Romano Pontifice, ſuperiùs demonſtratum eſt, & cum de eadem Epiſtola ſuo loco ſermo eſt habitus, pariter palàm factum, ipſam in omnibus eſſe Catholicam, neque vlla ex parte periclitari poſſe: Quæ quidem etiam communis eſt ſententia recentiorum Orthodoxorum Scriptorum, qui eam exactè diſquirunt.* Hęc ille.

153 Nec minus apertè Honorio Pontifici patrocinatur Eminentiſſimus Cardinalis BRANCATUS DE LAURÆA; ſiquidem *Tom.3. diſp.8. num.295.* relata vtraque Honorii ad Sergium Epiſtola, quæ eſt totum corpus delicti, quod Honorio in VI. Synodo objiciunt, & ſupponitur tamquàm condemnationis motivum, hæc habet: * Hoc eſt quod Honorii hoſtes, accuſantes eum, exiſtimant eſſe totum corpus delicti, ob idque fuiſſe damnandũ, atque damnatũ. (Et *n.296.*) Sed ex adverſo, neque ex adductis, neque ex mox adducendis aliis Epiſtolæ particulis, etiam indubitatis, poteſt aſſeri, ſeu probari corpus delicti, nempè hæreſis formalis, ex oculari, ſtudioſa, & diligenti, totius huius Epiſtolæ, omniumque particularum inſpectione. Ex deductis ergo evidens eſt, Honorium non aſſerere hæreſim Monothelitarum, quæ hæc eſt: *In CHRISTO vna tantum eſt operatio.* Nulla enim ex deductis periodis litterarum, neque ex aliis hanc Propoſitionem continet, vt iudicare poteſt, qui ſimplicem Grammaticam callet; ſed oppoſitum potiùs aſſerit, non eſſe ſcilicet dicendam *vnam*, nec *geminam*, licet multifariam CHRISTUS ſit operatus. Ergo non conſtat de corpore delicti hæreſis Monothelitarum in Epiſtolis Honorii, & ſic neque de ea, cum non ex alio capite accuſetur de externa hæreſi, niſi quia in ea Epiſtola, & in aliâ ad Sophronium, hoc eodem modo ſit loquutus.*

154 Idem etiam Cardinalis, relatis, expenſis, ac in Catholico ſenſu expoſitis variis prædictæ Epiſtolę textibus, ſic concludit *num.303.* * Ex quibus cuivis, etiam rudis Minervæ homini, evidenter, & palpariê conſtat, Epiſtolam illam, in re Catholicam Doctrinam in omni parte continere, & in re, concedere plures CHRISTI operationes, & voluntates, Divinam, ſcilicet, ac Humanam, & vocem tantum *geminæ*, vel *vnius*, ad cavendos Neſtorianos, & Eutychianos fugiendã præcipit. Dicit enim: CHRISTVS duas Naturas habuit cum ſuis differentiis Divinę, & Humanę; opera habuit Divina, & Humana: Divinitùs, & Humanitùs operatus eſt; in Humanitate non erant duæ voluntates carnis, ac ſpiritus, quia non conceptus ſicut alii homines in peccato, neque ex viri coniunctione. Quid aliud eſt hoc, quàm dicere: plures habuit voluntates, plureſque operationes, atque ita nolite; dicere vnam vel plures, nê videamini favere Neſtorio, vel Eutycheti. Vbi hæreſis hic? Nuſpiam certè.* Hæc ille.

155 Nec prætereundum videtur quod pro Catholico Honorii in præfatis Epiſtolis ſenſu, eruditè expendit idem Cardinalis *num.306.* * Nihilominùs (inquit), providè cum hac ſcientia operatus eſt, quia extra controverſiam rem poſuit, cum dixit, eſſe prædicandum, quod CHRISTUS Divinitùs, & Humanitùs operatus eſt; quòd opera Divina, & Humana habuit; quod multis modis, & multifariam, quoad Divinitatem, & Humanitatem operatus ſit. Hæc eſt res Catholica, quam Sergius, Cyrus, & Pyrrhus comperti ſunt negaſſe; quòd tamen Honorio non innotuit, ſed cum præcautione illud docuit, a voce tamen *vnius*, vel *geminæ* tantum dixit abſtinendum, quia erant voces novæ, & in Scripturis, ac Patribus non repertæ. Et ſic ſentio, cum Ioanne IV. Martino I. & Agathone, in hæreſim Honorium nullo modo, nullaque ratione incidiſſe, ſed Catholicè Epiſtolas illas ſcripſiſſe, vt ex ſemetipſis loquuntur.* Hactenùs ille.

156 Eruditus ALBERTUS PIGHIVS *lib.3. Hier. Eccl.* ingenti ſuo Eccleſiaſtico Zelo breviter explicat, quàm longè abfuerit Honorius à Monothelitico nævo, & quàm Catholicè ſenſerit in prędicta ad Sergium Epiſtola, quæ VI. Synodum, vel vt melius dicam, iſtius corruptores permovit, vt Honorium in Monothelitarũ numero recenſerent: * Vides itaque (ſcribit) Chriſtiane Lector, & clariſſimè in-

intelligis; ex illa ipsa Honorii Epistola, quæ est in Actis eiusdem Synodi, passam eamdem ea parte, quę legitur de damnatione memorię Viri Sanctissimi, & verè Orthodoxi, quod Legati Sedis Apostolicę in eadem convicerunt passam V. Synodum, in Actione eius 7. hoc est, per falsarios, & mendaces Græculos, in odium, & detractionem Romanæ Ecclesiæ, hęc infarta, alieniſſima à mente Sancti Concilii. (Et infrà:) Nihil itaque mirum, etiam hac parte idem passa VI. Synodi, quę circumferuntur, incertæ fidei, & Authoris, nuper emissa exemplaria. Qua enim ratione, quo colore damnari potuisset illa, quam dicta Epistola explicat, verè Orthodoxa Sententia, ac Confessio &c.*

157 Et *infrà*:) * Maximas (inquit) post controversias, & difficultates, vix dum obtinuerat Orthodoxa Veritas duarum Naturarum in CHRISTO, adversus Eutychetis, & Dioscori blasphemiam, & continuó resuscitatis contentionum seminibus, de vnitate, & dualitate operationum in CHRISTO, præcepit verè Orthodoxus, sapientissimusque Pontifex, auferri de medio, novarum vocum scandala, vndè contentiones, dissidia, & hęreses excitarentur; & prę scripta verè Orthodoxa, planissimaque Fidei Confessione, qua nec hinc, nec indè impingerent novitatum captatores, nec vnam, neque duas operationes, sed duas potiùs operatrices Naturas docuit cõfitendas in vno CHRISTO, iuxta Chalcedonensis Definitionem Cõcilii. Qualibet cum alteriùs quadam Cõmunione operante sibi convenientia, vt Divina, quę Dei sunt, Humana verò, quæ carnis, aut hominis, non divisê, vt ille blasphemat Nesto. ius; non confusê, & convertibiliter, vt Eutyches, & Dioscorus. Itaque velut invento medio, quo vtrique parti satisfaceret, duarum operationum assertoribus præcepit, vt confiteantur duarum Naturarum differentium integras veritates in vnitate suppositi, suas quæque habentes operationes proprias. Alteri verò parti, vt devitato vnius operationis vocabulo, vnum operatorẽ CHRISTUM confiteantur eorum, quæ vtriusque Naturæ sunt. Ita vt vnus idemque CHRISTUS, sit humilis, & sublimis; æqualis Patri, & minor Patre; ante tempora, & factus in tempore; per quem facta sunt sæcula, in sęculo natus::: Hac Cõfessione numquid esse potuit magis Orthodoxũ, magis pium, ac Sãctum, & ad retinendam pacem, tollendaque novitatum, contentionum, & scandalorum semina magis vtile? Certè si Confessionem eiusmodi damnaret, non solum vlla Synodus, sed etiam Angelus de Cælo, non dubitarem vtrumque cum Apostolo Anathema dicere, vnà cum impia illa Ephesina Synodo II. quæ damnata Orthodoxę Fidei Veritate, statuit, & probavit impiam Eutychetis blasphemiã.* Hęc ille.

158 SEVERINUS BINIUS, Ecclesiasticæ Historiæ Eruditissimus, *in Notis ad Concil. General. in Vita Honorii I.* hanc controversiam eleganter pertractat, relatisque fundamentis contrariæ sententię, contendentis, Honorium fuisse in VI. Synodo legitimè condemnatum, subdit: * His præmissis, verior est sententia omnium ferè Orthodoxorum nostri temporis illa, qua Honorius ab omni labe, & suspicione hæreseos expurgatur; ideò maximè, quod adversariorum argumenta, si benè examinentur, nihil hæreseos, vel criminis alterius, Honorio impingere valeant.* Et prætermissis pluribus rationibus, quas pro hac Assertione adducit, silentio prętereire non possumus, quę de Catholico Honorianæ Epistolæ sensu scribit: * Prætereâ (inquit), si Concilium OEcumenicum, Honorium, prout asseritur, velut hæreticum condemnavit, necessarium est affirmare, illud intolerabili errore, & impudentia laborasse; vtpotè, quod nullo hæreseos indicio comperto, Pontificem Catholicum, & Orthodoxum condemnaverit: nam illę Honorii Epistolæ, quas adversarii prætendunt Monothelitarum doctrinæ faventes, Catholicę sunt, duasque in CHRISTO voluntates, & operationes esse, profitentur, nisi quod à nominibus illis *vnius*, vel *duarum*, ad scandalum tollendum, & contentionem sedandam, abstineri velint. Quarè cum nemo pro hæretico damnari possit, qui rem ipsam confitetur, licet nomen iusta de causa tacendum esse arbitretur, præsertim ante Definitionem Ecclesiæ; graviſſimè sanè errasset Concilium, si hac de causa Pontificem condemnasset. Quod nullo vmquam tempore, nê ipsi quidem hæretici affirmaverint. Dicendum est, quod impostura Græcorum hæc, de condemna-

to Honorio Actis Synodalibus VI. Concilij OEcumenici per dolum, & fraudem surreptitiè addita fuerint.*

159 M. DOMINICUS GRAVINA, *vbi suprà, art. 6.* hanc de Honorio controversiam proponit: an legitimè fuerit in VI. Synodo proscriptus? Et relata affirmativa Sententia, pro negativa: *Aliorum (inquit) Catholicorum Sententia, vindicātium Honorium ab ea hæresi.* Quos infrà adducit, dicens: *At alij gravissimi Scriptores, Honorium excusant, & negativam partem tuētur, &c.* Quam ipse duodecim rationibus, Honorii Innocentiā suadentibus, eumque ab omni erroris labe liberantibus fusè probat, ac luculentêr ostendit, & in earum decima, hæc habet: * Ex Fide dignis aliis Historicis probatur, Honorium fuisse Virum Sanctissimum.* Et *infrà*: Honorii etiam defensionem assumens: * Si ponderentur (inquit) verba Honorii, nullum continent errorem, neque personalem.*

160 P. GIBALINUS *lib. 5. de Iure Canonico, & Eccles. hist.* eamdem controversiam exagitat, contrariaque Sententia adducta, asserit: * Nihilominùs, purum omnis hæreticæ labis fuisse Honorium. (Et *infrà*:) Quæcumque Monothelitarum mens fuerit, Doctrinam illis contrariam, & verè Catholicam Honorium tradidisse, confirmo, illis ipsis eius Epistolis, quas tamquam veras modò supponimus, quamvis non exigua sit de ipsarum à Græcis, vel confictione, vel saltim depravatione, suspicio.* Relatisque his, quæ in prædictis Epistolis continentur: *Nihil (inquit) magis Catholicum dici potuit; idque & Nestorium, & Eutychetem damnat.* Tandèm adducto II. Epistolę textu, quæ *Act. 13.* VI. Synodi lecta fuit: *Non potuit (inquit) illustriùs, suam mentem explicare Honorius, & Fidem Catholicam, adversus Nestorium, & Eutychetem profiteri.*

161 M. NATALIS ALEXANDER *sæc. 7. disert. 2.* Honorianæ Innocentiæ, & Fidei puritati valdè suffragatur, hanc assertionem statuens: * Honorius ab hæresi tàm verè excusatur, quàm piè.* Et de illius Epistolis loquens: * Honorii Epistolæ (inquit) Catholico sensu explicari possunt, prout eas exposuere viri maximi, quorum in Ecclesia veneranda est Authoritas.*

162 AUTHOR HISTORIÆ MONOTHELITARUM, Parisiis editæ *anno 1679.* Honorii Doctrinam, in prædicta ad Sergium Epistola, Catholicam propugnat; siquidem *Scrutin. 5.* Honorium quoad hoc, ab omni macula vindicandum ex professo aggreditur, dicens: * In hoc ergo quinto scrutinio, totis viribus conabor vindicare à quacumque hæresis suspicione Honorianam illam Epistolam, quæ legitur damnata in Sancta VI. Synodo OEcumenica *Act. 12.* necnon fragmenta alterius, quæ paritèr afferuntur *Act. 13.* eiusdem Synodi. Et ostendam, Cælo favente, Honorii Doctrinam Catholicam esse, longêque alienam à Monotheliticis deliramentis, hoc est (vt verbis vtar S. Maximi *in Epistola ad Marinum*) Honorium Romanum Papam non dissiteri naturaliter in CHRISTO voluntatum dualitatem, sed hanc potiùs constabilire.*

163 Quod iterum confirmat, his verbis: * Hæc, quæ diximus hucusque, vindicant, opinor, abundè ab omni Dogmatis errore Honorianas Epistolas. Eò verò dictis libentiùs acquiesco, quò clariùs apparet, in hoc puncto eadem nobiscum sensisse Ioannem IV. S. Maximum, & Anastasium Bibliothecarium, qui explicāt vnanimiter, cum Honorii Secretario, propositionem eiusdem de voluntatum contrarietate, quam solum excluśit Epistolis Honorius.*

164 Tandem infrà propositis variis sententiis, quoad VI. Synodum: * Mihi (inquit) sum omninò persuasus, ob dicta fusiùs *scrutinio superiori*, Doctrinam Epistolarum Honorii Apostolicam esse, & Orthodoxam. Vndè firmitêr assero: Honorium in Dogmate nullatenùs errasse, nec vt Hæreticum, damnari vmquam potuisse.* Hæc ille.

165 Illustrissimus Episcopus SPONDANUS *ad annum 633.* adductis his, quę in præfatis Honorii Epistolis continentur, *n. 6.* hæc habet: *Quibus quidem planè insinuavit, non convenire personæ vnitatem operationis, sed operantis; sicut & Ioannes Damascenus de his agens, docet, non dici posse, ratione vnius personæ, vnam voluntatem, sed vnum volentem; sicut nec vnam operationem, sed vnum operantem in duabus scilicet Naturis; quas dum Honorius asseruit indivisè, in-

con-

confusè, & inconvertibilitèr coniunctas, duas, planè necessariò introducit operationes, & voluntates. Sicque nihil his magis Catholicum, nihilque his temporibus ad pacem in Ecclesiis conservandam vtilius, dici potuisse videtur.*

166 Et *num.*7. sic prosequitur: *Ex quibus illi occasionem erubescendi habeant, qui posteà, sub Catholico nomine, eumdem Honorium hæresis Monothelitarum accusarunt: cum vt diximus, & cum iam olim adversus Hæreticos sufficientissimè Maximus defenderit; & in Synodo Lateranensi centum quinque Episcoporum sub S. Martino Papa, & Martyre, itemque in alia 125. Episcoporum, celebrata à Sanctissimo Pontifice Agathone, in quibus nominatim dãnati fuere præcipui eiusdem hæresis Authores, atque fautores, nulla prorsus, vel levis mentio, quod erraverit Honorius, facta fuerit. Quod verò in VI. OEcumenica Synodo, quę extat, recensitus cum Monothelitis legatur Honorius, aperiemus imposturam, cum de his suo loco oportuniùs agetur.*

167 Nec ab ista sententia recedit CHRISTIANUS LUPUS *Tom.* 2. *in Notis ad Canones VI. Concil. General.* vbi hęc pro Honorii Fide scribit: *Ex quo vides, fœdissimè hallucinari eos, qui existimant, Honorium fuisse Hæreticum Monothelitam; item & illos, qui garriunt, Monothelitis ipsum collusisse. Quidquid statuit Honorius, adprobavit Fide, & vita integerrimus S. Sophronius.*

168 Consonat sępiùs laudatus DOMINICUS A S. TRINITATE *lib.* 3. *sect.*4. *cap.*17. vbi pro Honorio, hanc statuit assertionem: *Tertia igitur sententia, quam nos libentèr amplectimur, asserit Honorium I. fuisse Virum Orthodoxum, nulla hæresi infectum: illamque omninò certam efficere videntur sequentia argumenta.* Et omissis aliquibus rationibus, quas pro Catholico Honorii sensu expendit, in earum secunda, rem nostram meliùs explicat, illiusque in suis scriptis, innocentiam luculentiùs ostendit; sic enim scribit: *Secunda ratio est; quia si Honorius Monothelitarum hæresim vmquam docuisset, id maximè colligendum esset ex duabus eius ad Sergium Constantinopolitanum datis Epistolis. Sed, vt vidimus suprà, nihil minus illis quàm Monotheliſmum docet: imò in posteriori Epistola, dum videtur indicere velle silentium, quàm prudentissimè destruit hęresim, & firmat Catholicam Fidē, &c.* Et relatis aliquibus prędictę Epistolæ verbis, asserit, Honorium, dum fatetur *CHRISTVM operatorem in vtrisque naturis*, non potuisse quidquam Fidei oppositum docere. *Quas (inquit) dum asserit Honorius indivisè, inconfusè, & inconvertibiliter coniunctas, & propriè in CHRISTO operantes, duas planè introducit necessariò operationes, & voluntates. Igitur nec privatim hæreticus Monothelita fuit, nec talem vmquam hæresim docuit.*

169 Nec omittendus antiquissimus, summæque Authoritatis Scriptor, ANASTASIUS Bibliothecarius, qui *in Præfatione Collectaneæ ad Ioannem Diaconum*, de Honorii Epistola latè, doctèque disserit, eamque ab omni hæreseos macula vindicat, dicens: *Ad manus nostras venire contigit Apologiam Ioannis IV. Romani Pontificis, pro Honorio Papa à calumniatoribus impetito, quod vnam Domini nostri IESV CHRISTI tantum scripserit voluntatem. Qua videlicet Apologia satis hunc, vt reor, excusabilem reddit, licet huic VI. Synodus quasi hæretico Anathema dixerit, & in Dei solius iam Iudicio positum, reprobationis telo perfoderit; cum hęreticus non ex erroris tantum deceptione, quantum ex electione non recta, & contentiosa pertinacia generetur. Quis autem erit, qui nobis interim dicat, vtrum ipse pro certo dictaverit Epistolam, de qua ad illum anathematizãdum, fomitem calumniatores susceperunt, cum & ex Scriptoris vel indisciplinatione, vel in Pontificem odio, quid contingere tale potuerit. Quamvis non ignoremus, docente S. Maximo *in Epistola sua*, quam scripsit Marino Presbytero, Sanctissimum hanc scripsisse Ioannem Abbatem. Estò & ipse Honorius dictator extiterit; Quis hinc illum interrogavit? Quis intentionem investigavit? Quis hunc corrigere voluit? & ille, percontanti, aut emendare volenti restitit, vel contentionibus serviens resultavit? Præsertim cum in Evangelio illo, quo dicitur: *Nolite iudicare, & non iudicabimini, &c.* nihil aliud præcipi Magnis etiam Magistris Ecclesiæ videtur, nisi vt ea facta, circa quæ, dubium est, quo animo*

fiant,

fiant, in meliorem partem interpretemur. Sunt quippè quædam facta media, quæ ignoramus, quo animo fiant, cum bono, & malo fieri possint, de quibus temerarium est iudicare, maximè vt condemnemus.*

170 Et quoniam Authorem adeò antiquum, vti Anastasium adduximus, placuit & gravissimos Neotericos in medium proferre, qui vtramque Honorii ad Sergium Epistolam, Catholicam esse tuētur, quorum vnus est Eminentissimus Cardinalis AGUIRRE, qui Sacram Purpurā Doctrinę Emmētia nobilitat. Hic igitur in insigni, iamque sępiùs laudato, ac iugiter laudando Opere *Cathedra D. Petri vindicata, disp.* 30. productis Authoribus, qui Honorium inter Monothelitas legitimè condemnatum autumant, asserit eum: *Immunem extitisse ab eo flagitio, atque impiè à Shismaticis denigratam fuisse eius memoriam.* Quod probat allegans multos Authores, iam suprà à nobis adductos, qui sua Authoritate, Gravitate, & Antiquitate maiorem, quàm oppositi, promerentur fidem: Vndê *num.* 6. sic eleganter concludit: *Credendum autem est potiùs Ioanni IV. qui in tempore Honorii vivebat, & exactè inquirere, ac scire rem potuit, quàm nuperis Scriptoribus, quamlibet eruditis.*

171 Illustrissimus Episcopus IGNATIUS FIUME *Part.* 2. *Scholæ Verit. Orthod. tract.* 3. *de Rom. Pōtif. lib.* 1. *instruct.* 3. Honorii mentē discutit, eumq; à Fide nō deviasse propugnat; siquidē *sect.* 3. *nu.* 43. asserit: *Honorium neque errore personali errasse, negando duas voluntates in CHRISTO, Divinā scilicet, & Humanam; sed tantum negavit duas voluntates contrarias, spiritus, contra volūtatem carnis, & carnis, adversus spiritum, quod Catholicè dictum est. (Et *num.* 49.) Ex dictis igitur constat, Honorium neque errore personali errasse. Honorius autem, vt testatur Emmanuel Caleca, Ordinis Prędicatorum, qui vixit *anno* 1274. *lib. contra Græcos*, Ioannes Monachus Scotus *in Vita Sancti Betulphi Abbatis, cap.* 5. & 8. S. Maximus *in Dialogo contra Pyrrhum*, Cromerus, Platina, Blondus, quem citant Centuriatores, Volaterranus, Nauclerus, Sabellicus, Panvinius, & alii, semper ab omnibus Vir Sanctus, & Catholicus est habitus.*

172 P. DANIEL PAPEBROCHIUS *in suo Conatu Chronico Historico, dissertat.* 14. loquens de Honorio, confirmāsque manifestam fuisse impostu-ram, Honorii nomen inter Monothelitas à VI. Synodo proscriptos reperiri, hæc scribit: * Ad calcem Actorum Synodi VI. OEcumenicæ, inter damnatos Hæreticos Monothelitas apparuit Honorii Papę nomen, quod genuinis Actis fraudulentèr adtextum à Græcorum Conciliabulo quodam, post solutam Synodum, Actaque ab Agathone Papa approbata, habito, probare nititur amicus noster Franciscus Marchesius, Romani Oratorii Presbyter, in Vindiciis eiusdem Honorii, quas appellavit: *Clypeum Fortium*, editis *anno* 1680.*

173 Eamdem veritatem, Honoriique Innocentiam eleganter exprimit magnus ille Historiæ Pontificum Scriptor, qui meruit, sua scripta eruditis notis, ac commentationibus a sapientissimis Viris illustrari, & inchoata peragi, Magister, inquam, ALPHONSUS CIACONIUS Ordinis Prædicatorum; siquidem *in Vita Honori I.* hæc habet: * Videre est in VI. Synodi, Constantinopolitanæ III. vulgatis Codicibus, Sanctissimo huic Viro Monothelitarum hæresis crimen impingi, cum falsissimum sit, ipsum huic hæresi vmquam subscripsisse: imò constet, eam condemnasse, vt ex Maximi Monachi eius temporanei, qui sub Martino Papa vixit, Epistolis Græcis, & Dialogo contra Pyrrhum Patriarcham Constantinopolitanum, Hæreticum Monothelitam, quæ in Bibliotheca Palatina extant, satis manifestum est, eumdem etiam Pontificem Catholicum semper fuisse, scriptis confirmarunt Emmanuel Caleca, Græcus, Ioannes Turrecremata Cardinalis.* Et alii quàm plurimi ab ipso Authore ibidem enumerati.

174 Ex hucusquè dictis manifestē convincitur, quòd cum nullus Summus Pontifex possit ab aliquo in terris existente, quantumvis Suprema Authoritate fulgeat, nec ab ipso adhuc Generali, & OEcumenico Concilio damnari, nisi in solo casu hæresis propriè, & strictē sumptæ, vt ex Sanctis Patribus, Sacris Canonibus, Sacratissimisque Conciliis latē probavimus; cumque insuper Honorius in nullius hæreseos crimen inciderit, nec Doctrinam Catholicæ Fidei oppositam

tradiderit, nec in illius ad Sergium Epistolis aliquid Cẽsura dignum occurat; imò ferventissimus Christianę Religionis, & Apostolicæ Doctrinæ Zelus, quo ipse æstuabat, manifestè resplendeat, vt apertè tradunt viginti Eruditissimi Authores, quorum verba modò retulimus, aliique plures, quos brevitatis gratia omisimus, qui omnes vnanimi consensu testantur, Honorium in suis scriptis fuisse summè Catholicum, & nec in levem adhuc Monotheliſmi labem prolapsum: hinc, inquã, evidenter patescit VI. Synodum, estò illius Acta quoad Honorium nullo sinistro calamo corrupta admittantur, nullatenùs potuisse ad illius condemnationem procedere, cum Authoritatis sibi concessę limites transiliret; certum enim est nullum Concilium, quantumvis OEcumenicum, posse Pontificem non hæreticum condemnare, multòque minus vt hæreticum proscribere eum, quem constat, Catholicum fuisse habitum, & vt talem prę clarissimè commendatum, qualis fuit Honorius, tàm in vita, quàm post mortem, vt sentiunt Authores, tâm antiqui, quâm recentiores, qui in Ecclesiastica, & Sæculari Historia maiorem fidem, & opinionem sua sibi Sanctitate, ac Doctrina compararunt.

175 Nec obstat dicere, quod quamvis viginti Authores, suprà relati, magni sint ponderis, & momenti pro Catholico Honorij sensu; maioris tamen proculdubiò est VI. OEcumenica Synodus, quæ *Action.* 13. illum, quod non Catholicè senserit, eiusque scripta, quia à Catholica Fide aliena, damnavit; præcipuê cum eamdem condemnationem duo alia Generalia Concilia, septimum nempê, & octavum, vt suprà vidimus, confirmarint.

176 Non, inquam, obstat; huic enim instantię respondemus, quod si certa esset Honorii proscriptio, dubitari non posset, quin vnius Generalis Concilii Authoritas omnibus scriptoribus, oppositum sentientibus, prævaleret: eam verò non modó dubiam esse, & incertam, sed planè supposititiam, & VI. Synodi Actis malitiosè insertam, efficacissimis rationibus, luculẽtissimisque Authoritatibus supra probavimus. Quarè nullius roboris est argumentum ab apparenti ista VI. Synodi Authoritate desumptum; vt certum enim tenemus, quod si Honorii condemnatio dubia est, multò magis dubium est, & incertum ius, quod prædicta Synodus habuit ad huiusmodi Anathema in tantum Pontificem intorquendum, multòque incertior præfatę condemnationis æquitas, & Iustitia.

177 Sed quoniam res ista gravissima est, & Authoritatum potiùs, quàm rationum lance trutinanda, Lectorem patientia, & attentione munitum exopto; fusiori enim calamo probandum, & demonstrandum aggredimur, Honorium liberum esse, & immunem ab omni macula, & calumnia, quam ei Apostolicæ Sedis æmuli impegerunt, illum Monothelitis à VI. Synodo damnatis immeritò adscribentes.

178 Quarè, cum Honorius anathemati dicatur obnoxius, quod Sergium in omnibus fuerit sequutus, eiusque ad istum Epistolæ errores Fidei oppositos contineant; videndum necessariò est, quisnam fuerit error Sergii, Cyri, Pyrrhi, Pauli, aliorumque Monothelitarum, quos VI. Synodus meritò proscripsit, vt sic manifestiùs appareat, Honorii ad Sergium Epistolas, tàm primam, quàm secundam, nullo Monotheliſmi nævo fœdari, nullisque Doctrinę non Catholicæ fęcibus aspergi; sicque insubsistentem omninò esse rationem in prædicta sententia, Honoriique Anathemate expressam. Cum enim Honorius in præfata condemnatione eiusdem criminis reus, & socius annumeretur Sergio, Cyro, Pyrrho, Paulo, & Theodoro, qui à S. Martino Pontifice in Romano istius Concilio, vt Monothelitæ proscripti fuerunt; hinc horum errore in conspectum prolato, faciliùs dignoscetur, an Honorius eiusdem cum illis sceleris, & erroris reus, ac particeps habendus sit; an potiùs omninò innocens iudicandus? Placet ergo, estò fusiori calamo, attentiùs perpendere, & curiosa investigatione ex ipsis Synodis, quisnam fuerit illorum error exquirere; sic enim æqua comparatio fiet, & purior, ac splendidior Honorii puritas effulgebit.

§

CAP.

CAP. VI.

EXPENDITVR QVISNAM fuerit Monothelitarum in Romano Concilio proscriptorum error; & an Honorius illis adnumeratus sit, vel in eorum hæresim inciderit?

179 CONCLUSIO I. Honorius Pōtifex adeò ab omni Monothelitarum errore immunis extitit, vt illius Doctrina in suis ad Sergium Epistolis, ab omni Monotheliſmi macula fuerit penitùs aliena. Sanctissimus Pontifex MARTINUS I. *in Sermone*, quem initio Concilii Romæ congregati habuit, agnoscens sui muneris esse, debellatis hæresum monstris, Ecclesiam in Fidei puritate conservare, hancque Pastoralis sui Officii curam Sanctissimis illius Concilii Patribus exponens, ei pravam Monothelitarum Doctrinam, recenter exortam, qua vnica in CHRISTO voluntas, & operatio adstruebatur, proposuit, vt veritate diligenter discussa, pro more in Ecclesia semper recepto, ad tám pernicioſi erroris, istiusque Authorum condemnationem procederetur.

180 Huius autem erroris duces fuerunt, vt asserit idem Pontifex, *Act. 3*: * Falsi nominis quidam Sacerdotes::: qui in Ecclesiis ad læsionem multorum, & eversionem immaculatæ Fidei prædicaverunt in scripto, id est Cyrus, Alexandriæ Ecclesiæ Episcopus, & Sergius Constantinopolitanus Antistes, necnon & eius Successores Pyrrhus, & Paulus.* Et quamvis nomina hic collectivè recenseat, tamen distinctiùs, singulorum errorem exprimit infrà, cum dicit: * Cyrus quidem, antè hos decem & octo annos, vnam operationem in CHRISTO in eadem Alexandrina Urbe definiens, Divinitatis eius, & Humanitatis ad similitudinem Acęphalorum hæreticorum, ordinando capitula numero novem in Ambone prædicans, cum Anathemate, qui sic non saperet, impiè promulgavit.*

181 Et de Sergio, hæc scribit: *Sergius autem per Epistolam propriam, ad denominatum Cyrum scriptam, eamdem similiter vnam operationem suscipiens, cum eo irrationabili præsumptione ausus est confirmare, & non solum hoc, sed etiam post aliquot annos, eiusdem Cyri novæ adinventionis, hoc est, per nuper duodecimam Indictionem elapsam, hęreticam & ipse conscribens Ecthesim Fidei sub nomine tunc Imperantis Heraclii, vnam in eadem Salvatoris nostri natura, secundum impium Apollinarem, voluntatem, & operationem instituit, ex hoc, quod dicit imprudentèr, sequi operationem voluntatem. Certum est, namque, quod si sequitur operationem voluntas, per hoc quod sequitur, id est, cum vna voluntate, sine dubio, & præcedentem confitetur.* Vndè iam in exordio deducitur, quod postquàm studiosa diligentia, per decem & octo annos observati fuerunt, & vndique quæsiti, Monotheliſmi Authores, in Oriente repertos fuisse, quorum ibi nomina vigilantissimus Antistes profert, sicque faciliùs potuisse Honorium, si huiusmodi labe tactus fuisset, Concilio innotescere, cum Romę vixisset, ibique eius Epistolæ extarent, & servarentur, simul rigidissimi veritatis testes, vitæ, ac morum Honorii ea Synodo considebant, vt Sanctus Maximus, & alii, qui si minimam suspicionem agnovissent, Synodo prodere non prætermisissent, saltim vt si qua siniſtra emersisset de eo opinio, purgaretur, & nota fieret Orbi illius Innocentia.

182 Auget etiam Sergii crimen, quod idem S. Martinus *eodem sermone*, subjicit, ne dùm scilicet Ecthesim Imperatoris Heraclii eum scripsisse, sed vt in publicum conspectum veniret, neminemque latere, posset, ad Templi Constantinopolitani valvas appendi iussisse, plurimosque Episcoporum solicitasse, vt illi impio contextui, plurimis Monotheliſmi erroribus referto, suscriberent: * Sergius autem (inquit) illicitè præsumens pravam Ecthesim, quam præ foribus Ecclesiæ suę suspendens, divulgare studuit; & non solum hoc, sed per suam sententiam, cum quibusdam, ab eo subreptitiis modis, deceptis Episcopis, in scripto firmavit. *

183 Conferantur autem Epistolæ Honorii, & nec verbulum de Ecthesi Heraclii in eius subscriptione, aut approbatione apparet, nec vnam Divinitatis, & Humanitatis operationem constituisse, (quod apertus error Sergii, aliorumque Monothelitarum fuit) nec ex verbis Epi-

ſtolarum aliquid tale poſſe deduci, vt latiùs infrà demonſtrabitur.

184 Progreditur idem Sanctus Pontifex, & eo pari gradu ambulaſſe, ſeu potiùs, pari lapſu corruiſſe cum Sergio, Cyrum, Pyrrhum, & Paulum tradit; hunc verò alios antecellere voluiſſe edito Typo, ſeu nova Fidei Formula, Sanctorum Patrum communibus placitis omninò adverſa, & abominandorum Dogmatum cumulata, abdicando, ſcilicet, omnem penitùs voluntatem, & operationem à CHRISTO Domino: *Paulus autem (inquit Sanctus Pontifex) Præceſſores ſuos in his ſuperare contendèns, non ſolum in ſcripto per propriam Epiſtolam, ad hanc directam noſtram Sedem, confirmavit, & ipſe contra ſe ſuperiùs memoratæ Ecthеſeos irrationabilem hæreſim, ſed etiam contradicens in ſcripto adverſus recta Sanctæ Dei Eccleſiæ Dogmata. (Et paulò infrà:) Inſuper ſtuduit ad coöperimentum proprii erroris, & in hoc Sergium imitatus, quibuſdam ſubreptionibus vti, & Clementiſſimo Principi ſuadere, Typum exponere, qui Catholicum Dogma deſtrueret. Inquo Typo omnes omninò voces Sanctorum Patrum, cum nefandiſſimorum hæreticorum dictionibus enervavit, nec vnam, nec duas voluntates, aut operationes in CHRISTO Deo Noſtro definiens confiteri. Ac per hoc ſine voluntate penitùs, & operatione CHRISTUM denunt'ando, id eſt, abſque ſubſtantia, & natura, eum prædicare noſcuntur.*

185 Quam longè recedat Honorius ab iſtis Pſeudo-Epiſcopi Pauli inſaniis, non alia indiget cenſura, quàm grammaticali Epiſtolarum intelligentia, ex nuda quippè earum lectione, nèdum aſſentiri, ſed aſpernari videbitur tàm impia mentis deliria, nec vnam, nec duas voluntates, & operationes CHRISTO concedentium, & per conſequens duplicem ei naturam negantium, adverſus Sanctorum Patrum, & vniverſum Sacrorum Conciliorum conſenſum.

186 MAVRVS, Epiſcopus Ravennas, (vt ſeriem Concilii proſequamur) humilem poſtulationem Synodo fecit, vt abſentis Profeſſio Fidei audiretur, quę nõ modò defendendæ verę, ac Apoſtolicæ Doctrinæ Zelo ſcripta apparet, ſed etiã abominandę, quę recẽter promulgata erat, Heraclianæ Ecthеſis: *Quæ à Pyrrho Conſtantinopolitano Epiſcopo (vt ait) defendebatur. (Quam reſpuit Sanctus Vir) quia vt hæretica de Ædibus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ eſt depoſita.*

187 Hanc Confeſsionem Mauri Præſulis, inter Acta Conciliaria reponi exoravit S. MAXIMUS: *Epiſtola Mauri Sanctiſſimi Epiſcopi Ravennatis, ſecundum veſtram iuſſionem Actis noſtris inſerta, atque per eius tenorem conſonante huic Sancto Concilio, in his, quæ pro Orthodoxa, & immaculata Fide, ab ea peraguntur, ſuam mentem demonſtrante, &c.* Cuius occaſione, tempeſtivè in Monothelitas inſurgens, eorum nomina recenſens, accuſationem inchoat, his verbis: *Vndè, ſi placet Veſtræ Beatitudini, ſupplico, quatenùs per vnam, vel duas, ſi multum, vt ne faſtidium per hæc, quæ omnibus manifeſta ſunt, geſtis ingerere videamur, quęrelantium perſonæ, Cyrum, Sergium; Pyrrhum, & Paulum convenienter, quæ de his proponuntur, cognoſcamus, necnon per conſcripta eorum adverſus Fidem expoſita.* Nulla tamen in his omnibus fit mentio de Honorio.

188 Similem Libellum propoſuit Sardicenſis Epiſcopus DEUSDEDIT, poſtulans à Sacro Conſeſſu quatuor huiuſmodi Hęreſiarcharum cauſas examinari, & propoſitas adverſus eos quærelas diſcuti, nec aliquam de Honorio pullulaſſe, ſatis huius Sanctiſſimi Viri ſilentium denotat: *Vndè, & ego ſupplico (inquit) pro defenſione Paternorum, & Synodalium Dogmatum, antè omnia per ſuggeſtiones oblatas Sanctæ Veſtræ Apoſtolicæ Sedi, necnon accuſantium perſonas Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum, prævitatem eorum nobis manifeſtari, & per conſcripta eorum, contra immaculatam noſtram Fidem, expoſita, quatenùs per examinationem eorum congrua ſuper his ſententia conſequatur.* Inter conſcripta hæreticorum nihil de Epiſtolis Honorii meminit, evidenti inditio, quod in earum Doctrina, nihil quoque eſſet illorum dementiæ conforme.

189 Exindè, iubẽte Martino Papa, perlecta fuit Profeſſio Fidei STEPHANI Epiſcopi Dorenſis, primi Ieroſolymitani Diœceſeos, cuius in exordio referuntur quatuor illi, pacem Eccleſiæ turbantes, Monotheliſmi Authores: *Priùs quidem (inquit) Theodorus, Pharanitanæ Eccle-

cle-

cleſiæ quondam Epiſcopus; poſtmodûm autem Cyrus Alexandrinus Antiſtes, item Sergius Conſtantinopolitanus, necnon Succeſſores eius Pyrrhus, & Paulus.* Et ſtudioſa quærens diligentia, nullam de Honorio memoriam habet; hæreſim verò deſcribens, Apollinaris, & Severi appendicem fuiſſe tradit, his verbis: *Hi namque Apollinaris, & Severi Dogmata hęreticorum renovare auſi ſunt, per hoc, quod prędicaverunt vnam voluntatem, & operationem Divinitatis, & Humanitatis CHRISTI Dogmatizare.* Quis verò, Honorii Epiſtolas inſanum Severi, & Apollinaris Dogma amplecti, etiam invidię æſtro percitus, hucuſque aſſeruit? Apollinaris quippê vnicam CHRISTI operationem, & voluntatem aſſerebat, quod vnicam naturam incredibili veſania admitteret, à quo non diſpar Severus Divinam tantum in REDEMPTORE voluntatem, & operationem prædicabat. Apertè verò Honorius, vtraſque naturas fatetur, eſtò tamen in vnitate perſonæ coaleſcentes, ſingulas verò diſtinctè operantes, & operatrices, vt infrà latiûs docebitur.

190 Illa verò prava ſemina Dogmatis, nê dum ſcriptis ſpargere, præfati Conſtantinopolitani Præſules auſi ſunt, ſed ex Ambone Populis eadem delitia docere ibi: * Super Ambone cum Anathematis vinculo, qui ſic non ſaperet, & ſecundum ſenſum eorum recitatam ſeriem.*

191 Quod iuſtiſsimè Zelum Sophronii, Ieroſolymitani Antiſtitis excitavit, qui priûs blandis admonitionibus, ad ſanâ mentem prędictos Patriarchas curavit revocare, poſtmodûm Doctrina, & SS. Patrum Sententiis: * Dans in duobus libris ſexcenta teſtimonia Patrum, ad evictionem impietatis eorum, & veritatis oſtenſionem, quos quidem revocare, minimè valuit.*

192 Undè innoteſcit, & tanti Præſulis pietas, quantùm & prava eorum pervicacia dignoſcitur, ſimul & demonſtratur Eccleſiæ Matris liberos ſuos peramanter diligentis laudabilis mos, quos non priùs à ſinu avellit, aut punit, quin antê omni ingenio, & conſiliorum arte à pravis ſententiis avertere ſatagat; nihil antiquiùs, & vtilius ſibi ſemper iudicans, errantem ovem ad caulas Divini Paſtoris reducere, quam inter vepres, & ſaltus feris dilaniandam relinquere. Deprehenditur etiam indè, cum erga Honorium, cuius lapſus ob Dignitatem, & eminentiam muneris, Eccleſiæ Matris, & tantorum Præſulum pia corda acriùs pungere poterat, nulla narretur monitio, nulla viventi repetiatur facta reprehenſio, nulla poſt mortem ſuſpicio repreſentata fuerit, & per viginti luſtra, aliqua non proferatur de hoc crimine cauſę conteſtatio, aut levis accuſatio, etiam calumnioſa, eum huiuſmodi labis expertem, prudentem animum facilè æſtimaturum.

193 Diſiertiùs exponit EPISCOPUS DORENSIS errorê Pauli Cônſtantinopolitani, hæc ſcribês *Act.* 1.* Nam Paulus Côſt. Ant. ſuaſit Clemêtiſſimo Principi noſtro, Typum exponere Fidei, in quo Typo Sanctorum Patrum Doctrinas cum nefandiſsimorum Hæreticorum pravitatibus funditùs amputaverunt, nec vnam, nec duas debere voluntates, aut operationes CHRISTI DEI promulgantes quempiam confiteri: facilê eis licere credentibus, aliquando quidem vnam, aliquando autem, nec vnam in eodem prædicare: ac per hoc, aut Deum tantummodò, vtpotê Divinam tantummodò; aut dumtaxat hominem purum, vtpotê humanam habentem tantummodò: aut nequè Deum, nequè hominem eumdemque aſſerentes, vtpotè nequè Divinam, neque humanam habentem voluntatem, & operationem, ſed ſine voluntate, & operatione ſecundum eos, omninò exiſtentem.*

194 Quem errorem (ait idem Præſul) recto tramite adverſari Decreto Fidei Concilii Chalcedonenſis: *Quod vtique (aſſerit) Sanctorum Patrum, & prædicti Sancti Chalcedonenſis Concilii Definitio omninò recipere abnegat.* Rationemque reddit dicens:* Quoniâ ſalvari aſſerit vtriuſque naturæ, ex quibus, & in quibus CHRISTUS conſiſtit, indiminutè naturalem, & poſt vnitionem proprietatem.* Qui verò benignis oculis, & mente ab omni odio, & invidia Romanæ Sedis purgata, attentè Honorii Epiſtolas perlegerit, longo intervallo ſecerni, advertet, ab hæreticalibus Patriarchę Pauli blaſphemiis, & aliorum congeneri veſania delirantium, ſi enim, aut verba verbis, aut ſenſus ſenſui litterarum Honorii cum huiuſmodi ęgrorum ſomniis comparentur, tamquam ortum ab Occidente remo-

mota esse, Lector animadvertet ; exprimit etenim Honorius idem, quod Sanctum Chalcedonense Concilium, vtrasque scilicet CHRISTI naturas post vnitionem, distinctas, & proprietates, & differentias servasse, simul & indè vtrique naturę convenientem voluntatem.

195 Libellum verò suum Episcopus Dorensis ad coronidem perducens, scopum illius exponit, exorandi scilicet Sanctissimi Pontificis, & Concilii, vt tàm perniciosarum hæresum germina, iam non tantum in frondes, sed in graves agri Dominici vmbras exurgentia, provido Ecclesię sarculo evellerentur: * Ideòque exoro (inquit) vt minimè despiciatis humilitatis meæ, & omnium Orientalium Orthodoxorum Sacerdotum, & Populorum, necnon prędicti Domini mei Sanctæ memoriæ Sophronii super tali Capitulo instantias, assiduasque præcationes Vestrę Beatitudini per meam humilitatem, cum lacrymis oblatas; sed sicut luminaria in vniverso Mũdo, Verbum Vitæ retinentes, introductas extinguite tenebras Apollinaris, & Severi nefandissimarũ hæresum, per superiùs memoratos viros (qui sunt Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus) temporibus etiam nostris procaciter germinatas.*

196 Vbi illud animadversione dignum est, hos Orientis Patres, vt accusationem adversus præfatos Monothelitas probare possent, exemplaria omnia quæsijsse, simul & vniversa monumenta aucupasse, quæ illam munire sufficerent, ex Patriarchali Archivio Constantinopolitano Acta, & Patriarcharum scripta, ac Epistolas eduxisse, nihilque in Tabulariis illis, quod Monotheliśmi labe aspersum esset, relictum fuisse. Quis verò dubitet Honorii Epistolas ad Sergium, ad manum accessuras, præcipuè, cum Sergii ad Honorium collectæ sint. Patet ergo, cum hac in Synodo recitatæ non appareant nihil in eis, quod eam labem suboleret inventum, ipsumque Honorium, vt eius erroris potius expugnatorem, quam asseclam, à Sanctis Patribus iudicatum.

197 Audita Episcopi Dorensis accusatione, eiusdem Zelo gratulatur Martinus, Synodoque exponit, quæ immineant damna, nisi Monothelitarum errori occurratur, nominaque Authorum recensens: * Gloriati sunt (inquit) audactèr, in medio Sanctæ Dei Catholicæ Ecclesiæ proprium ponentes errorem.* Cuius erroris summam colligit, his verbis: *Hoc argumentantes, vt sine dubio vnam, aut nec vnam in Salvatore, & Domino nostro voluntatem, & operationem, quispiam debeat prædicare.* Cuius, nec vmbram quidem, in Epistolis Honorii inveniemus, sicut nec illius nomen, tùm in Orientalium Libello, tùm in hac Martini Oratione reperitur.

198 Ulteriùs, pro Monothelitarum accusatione alter est introductus Libellus, nomine Ioannis, Theodori, Tharasij, & Georgij, & aliorum, tùm Romæ commorantium Abbatum, tùm ex Orientalibus partibus venientium Sacerdotum, & Monachorum (vt ex nomenclatura Theophilati Primicerii patet) adversus præfatos Sergium, Cyrum, Pyrrhum, & Paulum conquęrentes: * Vtpotè (inquiunt) vnam in CHRISTO voluntatem, & operationem confiteri promulgantes, Sanctam Dei Ecclesiam, consonanter Severo, & Apollinari, Nestorio, atque Theodoro, qui in confusione, & divisione CHRISTI DEI Mysterium corrumpunt, perversis hæreticis.* Quorum causas singulorum examinari, & non impersonalitèr definiri expostulant, nulla verò in hac individua notatione Hęreticorum, nec levis fit de Honorio insinuatio; estò hi Patres, ne dùm ex Oriente advenerint, sed in Occidentali Regione diutiùs convixerint, vt in ipsa Epigraphe præcedente Libellum, animadvertitur.

199 Pauli tamen Constantinopolitani hæresim latiùs exponunt his verbis: * Cum quibus iustè, & Typum, qui nunc contra Orthodoxam Fidem factus est ex subreptione, non ex studio, aut mente, piissimi nostri Imperatoris, & falsiloquio Pauli depositi à Prędecessore Vestræ Sanctitatis Theodoro, Sanctissimæ Recordationis Papa, Vestræ Apostolicæ Sedis, eidem Anathemati submittere. In quo Typo, sine operatione, & voluntate omninò, id est sine intellectu, & anima immobilem ipsum gloriæ Dominum nostrum IESUM CHRISTUM dogmatizaverunt similitèr Gentilium Idòlis inanimatis (de quibus dicit Magnus David: *Idola gentium argentum, & aurum opera manuum hominum: Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt, &c.*

Quo-

Quoniam tale est omne, quod sine operatione, & voluntate est) per hoc quod dicitur, nulli licere omninò in CHRISTO vnam, aut duas operationes, vel voluntates confiteri: quod omnium Sanctorum Patrum, & Synodorum, sed etiam ipsius CHRISTI DEI Mysterii, perfecta denegatio existit.*

200 Huiusmodi accusatione prolata insurgens Calaritanus Episcopus DEUSDEDIT in hæresim Monothelitarum invehitur, quanti interfit communi Ecclesiæ bono, eam quàntociùs exterminare, eloquenter demonstrat, his verbis: * Relectus Libellus Venerabilium Abbatum, Presbyterorum, & Monachorum, quomodò prævidistis, Sanctissimi, apertissimam habet, & indubitatam accusationem contra Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum, & qui cum eis sentiunt. Hi namque Salvatoris nostri in pace consistentem, per pravas eorum Doctrinas conturbaverunt omnem Ecclesiam, vnam, & nec vnam asserentes CHRISTUM habere voluntatem, & operationem, quasi sub prætextu pietatis, Fidē adulterantes, atq; Propheticâ interminationem à propriis sensibus excludentes, qua dicit: *Væ, qui potum dat amico suo, mittens fel suum.**

201 Subdit posteâ, æquissimè adversus hoc novitatis commentum insurrexisse tâm Pios Patres, quorum Fidei Professionem laudat, quę optimè conceptam, & appositis verbis explicatam, duarum voluntatum Doctrinam contineat, quam ipse ita recitat: * Consonanter Sanctis Patribus, per proprium Libellum clarè confessi sunt, salvari, sicut vniusque eiusdem CHRISTI secundum substantiam vnitas naturas, ita secundum numerum naturarum, naturales eius voluntates, & operationes, ex quibus Divina, & Humana naturaliter idem volens, atque operatus Deus simul, & Homo, veraciter cognoscebatur naturaliter, vtpotè vtriusque naturę, salvans indiminutè naturalem proprietatem, & post vnitatem, ex quibus constitit. Ita namque Sanctorum Patrum in Chalcedonensi Concilio convenientium docere nos, Definitio demonstratur, sed & omnium Sanctorum Patrum Chorus.* Hic autem Libellus, vt præclaro Dogmatum Thesauro refertus, aprimè Sanctorum Patrum Doctrinis conformis, Actis Synodi inseri iussus est.

202 Ex his omnibus deprehenditur, & Sanctorum Patrum, & Concilii Chalcedonensis mentem illam fuisse, vt ex discreto numero duplicis naturæ in CHRISTO, duplex etiam voluntas, & operatio consurgat; Divinæ quippê naturæ congruit operatio, & voluntas Divina; sicuti & Humanæ voluntas debetur, & operatio humana. Cùm verò in dictis Epistolis duas naturas, etiam post vnionem, cum suis proprietatibus, & differentiis, ipsasque operantes, & operatrices palàm admittat Honorius, Chalcedonensis profectò Concilii Dogma profitetur, oppositamque Monothelitarum Doctrinam, vnam, imò nec vnam in CHRISTO voluntatem, operationemque edocentium, aperté proscribit.

203 Perlecta deindè fuit in Lateranensi Concilio Synodica Epistola VICTORIS, Carthaginensis Præsulis, Theodoro Martini Decessori scripta, vbi, quas Monotheliśmi scintillas per Africam Paulus, & sequaces sparserant, dolens, narrat ita: * Ecce enim Ecclesia Dei non leviter perturbatur, Christianissimorum voces, ac gemitus Episcoporum non supportamus, quęrentium, & clamantium novitates, & concinnationum figmenta à Paulo Venerabili Consacerdote nostro, vt dicitur, contra Fidem veracissimam approbata debere repelli.*

204 Et *infrà*: * Inquiunt enim, quędam vice Epigramatū, aut Chartarum Volumina in Sacris Ædibus apud Regiam Civitatem nuper esse suspensa, Religioni Catholicæ, & ipsi veræ Fidei, ac Patrum Traditionibus omninò contraria.* Quod verò id Dogma, ita Ecclesiæ præclaris scitis repugnans fuerit, explicat his verbis: * Quis enim vecors sacrilega voce audeat prædicare in Domino nostro IESV CHRISTO aut vnam tantummodo voluntatem, aut vnam operationem existere?* Et infrà prosequitur, dicens: * Liquet, Doctor Sanctissime, venenosa serpentum sine simplicitate astutia, manifesta est dolosa Hæreticorum fallacia. Quid est enim naturarum in CHRISTO Domino nostro proprietates auferre, nisi earumdem naturarum confusionem inducere? Quod Catholicæ Ecclesię, id est Statutis, quam maximè Patrum Sancti Chalcedonensis Concilii, extat contrarium.*

205 Patet ergo cæcitatem Mono-

the-

thelitarum in eo sistere, vt vnam tantum in CHRISTO voluntatem, operationemque inducerent; etsi fateantur in CHRISTO duas naturas Divinam, & Humanã, at non cum proprietatibus naturalibus distinctis. Quantum verò absit Honorius, satis iam superiùs expositum est; quia, & distinctas naturas, & vtrasque nec otiosas, sed propria operantes, operatricesque admittit.

206 His præiactis circa ea, quæ aure percepta fuerant de errore Monothelitarum, deventum est ad scripta, & prolata sunt, quæ in Scriniis Romanæ Sedis servabantur. Et quia Theodorus, Pharanitanus Præsul, primus tunc in Oriente huius mendacii inventor fuerat, vt tradit idem Eximius Præsul: * Quoniam (inquit) sicut nostis beatissimi, hunc primum esse Authorem huiusmodi novitatis, per sua hæretica conscripta.* Illius Codices priores in examen venerunt.

207 *Act.* ergo 3. perlecta est Epistola præfata Theodori ad Sergium, Constantinopolitanum Antistitem, vbi expressè vna tantùm in Domino voluntas docetur: * Quidquid igitur scribitur dixisse, aut operari Dominum, per sensum, & intellectum, & sensibilia & dixit, & operatus est: & hæc ita, vtpotè de toto, atque vnius vna operatio verbi intellectus sensibilis, & organici corporis omnia dicenda sunt.*

208 Imò, nullam humanam operationem in CHRISTO, sed vnicam Divinam agnoscit *infrà*: * Profectò habemus in his luculenter, quoniam opus Dei est omnia, quanta in CHRISTO audimus, & credimus, sive Divinæ naturæ appertinent, sive humanæ: & propterea vna operatio hæc Divinitatis eius, & Humanitatis piè nominata sunt.*

209 Et quasi non satis suprà errorem suum expressisset, disertiùs Humanæ operationis exclusionem confirmat, his verbis: * Vt esset omnis Incarnatio ab initio vsque in finem, & quantacumque parva, & magna eius, sunt vna secundum veritatem Altissima, & Divina operatio.*

210 Vlteriùs exponit pravum Dogmatis sensum, nèdum omnes humanas CHRISTI operationes, quasi Homo non esset, ablegans, sed & voluntatis humanę nihil in CHRISTO considerari posse, asserens, dum in eo Divinam solam agnoscit, *in Sermone*, quem fecit in interpretationibus paternorum testimoniorum, hęc scribens: * Divina verò voluntas, quod & ipsius CHRISTI, quoniam ipsius voluntas vna est, & hæc Divina.*

211 Et *eadem Actione* 3. alter Textus recitatur ipsius Theodori, vbi apertissime nullam apud CHRISTUM operationem Humanam admittendam decernit: * Intelligantur ergo â nobis modis omnibus omnia, quę sunt Humanitatis CHRISTI Salvatoris, Divina, & salutifera secundum veritatem operatio.*

212 Cum verò per præcipitia facilis lapsus sit, post priorem errorem in alium peiorem ruentem cernimus ipsum, asserentēque CHRISTI Humanitatem incorpoream: * Quoniam nostra quidem, inquit, anima non est tantæ virtutis, vt & naturales Corporis proprietates à se, vel ab eo projiciat: sed nequè domina tantum visa est rationalis Anima proprii corporis, vt etiam cohærentis sibi, & coniuncti tumidam molem (quod Græci dicunt *Oncon*) atque defluxionem, vel colorem obtineat, & foris hæc constituat eum aliquando: quæ omnia in dispensatione Salvatoris Nostri IESU CHRISTI & dicta, & facta sunt in Divino, & in Vivifico Corpore existunt. Nam sine tumore (vt ita dicatur) incorporaliter, sine distinctione processit ex vtero, & sepulchro, & ianuis, & cum per solum maris deambulat.*

213 Et quia inter mendacia difficilis est concordia, esto vnicam tantùm in CHRISTO Divinam operationem recipiat, omniaque Divina fateatur, alibi tamen operationem esse creatam apertè tradit: * Oportet igitur ita sapere (inquit) & dicere nos, omnia, quæ in Incarnatione Salvatoris CHRISTI dicuntur esse, vnam scire operationem esse, huius autem Opificem, & Creatorem Deum Verbum; organum verò, Humanitatem consistere, ergo quæque velut de Deo, aut humanè de ipso dicuntur, omnia vna operatio est Verbi Divinitatis.*

214 Hucusque ipsissimis Theodori verbis, insana eius commenta protulimus. Quis autem nisi illius vecordię consors, Epistolas Honorii comparare intendat? Quibus non semel, sed sæpiùs operatio hu-

humana, ſicut & Divina CHRISTO Domino adſcribitur, ab vtriuſque naturę propagine ortum deducens: * Et Divinam, quæ Dei ſunt, opperantem; & Humanam, quæ Carnis ſunt, exequentem. * Quid apertius? Vbi illud exilium vniverſæ humanæ operationis, cui Theodorus aſſentitur? eodem quippè modo, quo ex Divina Natura operationem Divinam procedere, tradit Honorius, ex Humana, humanam deſcendere docet. Quis non ex diametro pugnantem, imò expugnantem Theodori diabolica ludibria, Sanctum Pręſulem agnoſcet?

215 Quid verò, de excogitata incorporeitate dicam, quæ tàm perfractè auribus piis talem blaſphemiam adverſantibus, Theodorus in his litteris docet, negans in CHRISTO naturalem corporeitatem, vnam tantùm in illo operationem Divinam agnoſcens, & eodem tempore illam creatam eſſe, aſſerens, quo ſe Arii CHRISTUM, creaturam edocentis, impium ſequacem profitetur. Abeat ergo hæc tot diſcordium errorum confuſa concordia ab Epiſtolis Honorii, nullus quippè etiam eius æmulus in illius Epiſtolis aliquid his ſimile animadvertet: igitur toto Cælo diſtat, ab huius primi Monothelitæ inſaniis, Honorii Doctrina.

216 Poſtquàm hęc impia Theodori Themata in Concilio propoſita ſunt, elegãter peroravit S. MARTINVS, impietatẽ Theodori corripiens, & vniverſa eius deliria in Epitomem redigens, his verbis: *Quod & in Theodorũ, Pharanitarũ quõdam Epiſcopũ, per eius cõſcripta, quæ nobis relecta ſunt, eveniſſe cognoſcimus, qui imprudenter putavit rectã eſſe ſuam opinionẽ, & proprio videlicet errore::: Propterea ſicut fœnum ædificiorum, quod priùſquã ex aliorũ everſione evellatur, areſcit, ſine ſtirpe, atque aridas illis, quibus ſcripſit, eaſdẽ manifeſtavit, vtpotè non ex alio, ſed à ſemetipſo, habens impietatis reprehenſionem: qui omnimodò Deitatis, & Humanitatis CHRISTI vnam eſſe operationem, ſicut audiſtis, Reverendiſſimi Fratres, definiendo, & hanc conditam, vtpotè creatam confeſſus eſt. (Et infrà:) Si autem conditam eſſe operationem CHRISTI ille definit, aperti ſimè cum Ario, & Neſtorio impiiſſimis; creaturæ cultor arguitur, eo quod tantùm conditum cum illis, & ſecundum illos, non autem & increatum nobiſcum, eumdem confitetur: hoc eſt, non vt Deum naturaliter, & Hominem eundem, ſed tantum Hominem purum: quoniam ſecundum naturam creatus non eſt, qui increatam naturaliter non habet in ſe operationem.*

217 Ex hac eleganti errorum ſynopſi, quam fecit Sanctiſsimus Pontifex, Neſtorianę, ac Arianę hæreſeos participem, tùm & Monothelitici Dogmatis anteſignanum Theodorum fuiſſe, ſatis manifeſtè proditur, & nè dùm contraria rationi, ſed inter ſe ipſa, plura, ratione diſſidentia, docuiſſe. Quid enim aliud eſt, vnam Divinam operationem per omnia CHRISTO affingere, & aliundè creatam exponere, quàm repugnantes, & inſociabiles terminos, invito naturę, & Fidei ordine, coadunare, &, velut Hydrę germen, plura hæreſũ capita, ex vnico pravæ Doctrinę corpore proferri. Qui errores quàm materiales, & tamquam tenebræ Ægyptiæ palpabiles ſint, ac Neſtorii, Ariique cæcitati conformes, nemo non videt, ſincerumque ſplendorem litterarum Honorii his nullatenùs infuſcari.

218 Quòd ampliùs demonſtratur, vbi poſteà diſtinctius in eadem Synodo referuntur omnes Theodori blaſphemæ Propoſitiones, vt de ſingulis peculiare iudicium ſit, & quàm oppoſitæ ſint Sanctorum Patrum dictis, diſcutitur: quæquidem ſi cum Honorii Doctrina conferantur, nihil commune habere, etiam lippis oculis patebit.

219 Sic diſcuſſa Theodori cauſa, non minori indagine in Cyri Patriarchæ Alexandrini evolvendis ſcriptis Patres Synodi invigilarunt *Actione* ergo 3. illius opera, novem capitibus comprehenſa, producta ſunt, quorum *in ſeptimo* manifeſtiùs virus ſuum effundit, quippè in eo, eſtò duas in CHRISTO Domino Naturas, eaſque vnitas fateatur, operationem autem vnicam admittit; &, quòd non leviùs eſt, audactèr in ſuas partes trahere geſtit D. Dionyſium, pravè interpretans illius cœleſtia verba: * Et eundem vnicum CHRISTUM (ait) & vnum Filium operantem Deo decibilia, & Humana, vna Dei, & viri operatione, ſecundum Beatum Dionyſium.*

220 Et quaſi germana huius ſententiæ ſimul probata eſt *eadem Act. 3.* Epiſtola Sergii Conſtantinopolitani, qua Cy-

rum de vnius operationis Dogmate laudat, & eisdem ferè verbis, tam insanæ dementiæ subscribit, ita: * Atque eumdem vnum CHRISTUM operari Deo dicibilia, & Humana, vna operatione; quia omnis Divina, & Humana operatio ex vno, eodemque Incarnato Deo Verbo procedebat.*

221 Et *infrà*, tamquam si novus veritatis præco Orbi adveniisset, eum fœdę acclamationis honore extollit, & Orthodoxum appellat: * Igitur hanc Vestram Orthodoxam relegentes Doctrinam, per quam gloriæ beneplacitum est Domino, tantorum fratrum nostrorum vnitionem dispensare, ipsius benignitatem glorificavimus.* Vndè, qua conformitate procederent Sergius, Cyrus, Pyrrhus, & Paulus, Theodorusque in hoc impio mendacio amplectendo, colligitur.

222 Vt autem notum fieret, quale plagium in corrumpendis D. Dionysii genuinis verbis, hi veritatis osores commisissent, præcepit vigilantissimus Pontifex, vt ex sinceris exemplaribus textus Epistolę ad Gaium legeretur, quę sic habet: * Etiam non secundum Deum Divina operatus, neque humana secundum Hominem, sed, Deo homine facto, novam quamdam Deivirilem, id est, *Theandricin* operationem nobis ostendens.*

223 Sancti Dionysii littera sic ingenuè prolata, Sanctissimus Præsul MARTINUS eloquentèr peroravit, fallaces Monothelitarum dolos detegens, & verba, quæ infidelitèr transcripserant, exponens ita: * Testimonium Beati Dionysii, quod in præsenti relectum est, falsidicos luculentiùs eos ostendens, vt & de his, quod à Domino dictum est, impleatur, quo ait: *Quando loquitur mendacium de propriis loquitur, quia mendax est*; nam B. Dionysio asserēre, sicut audistis dilectissimi fratres novam quādam Deivirilem operationem inter nos conversatum, vterque eorum apertissimè, contra Patrem mentitus est. Et Cyrus quidem in suo septimo Capitulo novam immutando, & vnam pro nova asserendo Deivirilem operationem, quasi dixisse Doctorem perhibens. Sergius autem in Epistola, de huiusmodi quæstione ad Cyrum scripta, tàm immutationem novę cum illo confirmans, & non solum hoc, sed & Doctoris Deivirilem amputans penitùs vocem, & vnam absolutè in CHRISTO DEO dogmatizans operationem.*

224 Producta etiam est (quia eodem morbo laborabat) Epistola Themistii hæretici ad Marcellinum Presbyterum scripta, Stephanumque Diaconum, quæ etiam D. Dionysio calumniosè adscribitur, vniusque rationis in CHRISTO Assertio, ibi: * Quæ enim in omnibus procedit Divinarum, atque Humarum operatio CHRISTI, non erat alia, & alia, sed vna, & eadem, vtpotè vnius existens, eiusdemque; & ideò Deivirilem Areopagita Dionysius nominavit.* Referuntur & alia eiusdem testimonia in ipsum errorem collimantia.

225 Hanc pessimorum concordiam, tùm in vnica operatione propugnanda, tùm in suum patrocinium advocandi D. Dionysium, dolet S. PRÆSUL, his verbis: * Notum fecit Themistius Hæreticus per suos sermones, qui in prętenti nobis sunt relecti, quoniam eius fructus, & discipuli sunt Cyrus, & Sergius in Dogmatibus; & sicut ab eo isti edocti, novam immutando, vnam nisi sunt appellare, qui & ipsam Deivirilem Doctoris vocem interimere penitùs præsumpserunt, & vnam absolutè tradere operationem Dei, moliti sunt. (Et *paulò infra*:) Verùmtamen non solū impium, sed etiam absurdum propriū sermonem illi ostendunt, hoc est, Sergius, & Cyrus; vna, eademque Deivirili operatione Divina, & Humana, dicentes operatum fuisse Dominum.* Quem errorem variis rationibus iterum impugnat.

226 Sed nê, minima dubitandi ratio manere possit in præfatis S. Dionysii verbis, sui muneris credidit D. MARTINUS ea dissertiùs exponere, sensumque demonstrare Catholicum, qui in eis continetur: * Non vnam (inquit) secundum illos ostendere volens operationem S. Dionysius sed duplicem, duplicis naturę compositivo sermone abusus, & duas vnius, eiusdemque in vnitate operationes ostendens (vt superiùs dixerat.) Propterea namque recusavit Collutus Hæreticus asserere Deivirilem operationem, eo quòd talis vox duas significat operationes, id est, Divinam, & Humanam.*

227 Et *infrà*, quę difficiliora apparent, eleganter illustrat: * Et ideò prudentissimè ait (S. Dionysius:) neque secundum Deum Divina operatus, neque secundum

dum Hominem Humana: ſummam nobis vnitionem denuntians, ſicuti naturarũ, ita eiuſdem naturalium operationum: quoniam ſummæ vnitionis eſt proprium, per immutationem ſublimiter operari vtraque, id eſt, eundem humanè Divina, & divinè Humana. Nec enim nuda Deitate Divina, neque pura Humanitate Humana; ſed per carnem quidem intellectualiter animatam, atque vnitam eidem ſubſtantialiter, operabatur ſublimiter miracula; & iterum per Poteſtatem validiſſimam, vivificarum eius Paſsionum ſponte pro nobis experimentum ſuſcipiebat, vt & vnitionem oſtendat, & differentiam innoteſcat, &c.* Plura eloquenter addit, quæ neceſsè non iudico, referre, cum ex prolatis ſufficientêr, D. Dionyſii verbis optima lux ſit collata.

228 Non tamen incaſſum hæc omnia produximus, quippê ſi Dei Viralis operatio, quam S. Dionyſius in CHRISTO admiſit, & malè ab Hæreticis intellecta, aut pravè expoſita, anſam erroris præſtitit, optima interpretatione donata, vt eam & S. Martinus, & alii Pręſules in Lateranenſi Synodo convenien es, explicarunt, nihil erroneum, aut regulis Catholicis adverſum continet, ſed Orthodoxum ſenſum habet; nulla maior ratio vigebit, vt verba illa Honorii: *Vndè, & vnam voluntatem fatemur Domini noſtri IESV CHRISTI*: (quæ valdè Honorii hoſtes pro patrocinio Monothelitarum magnificant) optimo Catholico ſenſu exponi valeant, vt ea interpretati ſunt & Ioannes IV. Pontifex, & S. Maximus, qui nimirùm, & ipſarum litterarum Scriptor, & arcanorum Pontificis conſcius, eam clauſulam, tùm ex antecedentibus, tùm ex ſubſequentibus, tùm ex eius genuina intelligentia, nihil niſi Orthodoxum continere aſſeverant, vt infrà apertiùs patefiet.

229 Nihil magis ignem Monotheliſmi, quaſi ſub doloſo cinere, fovit, quàm Heraclii Ecthеſis, aut Fidei Formula, iuſſu Imperatoris per omnes Orientis fines promulgata, in qua licet aliquæ continerentur veritates Catholicæ, latebãt venena, quę ſequuntur: * Et omem Divinam, & Humanam operationem vni, eidemque Incarnato Dei Verbo tribuimus, & vnam ei offerimus venerationem. (Et paulò infrà:) Nullo modo concedentes alicui ex omnibus, vnam, vel duas dicere, ſive docere operationes in Divina Domini Incarnatione, ſed magis, ſicut Sanctæ, & vniverſales tradiderunt Synodi, vnum, eundemque Filium vnigenitum Dominũ noſtrum IESUM CHRISTUM verum Deum confiteri, operari Divina, & Humana, & omnem Deo congruam, & homini operationem ex vno, eodemque Incarnato Dei Verbo indiviſê & inconfuſè.*

230 Hanc Sergius Patriarcha, vtpotè eius Author, & conductor, Conſtantinopoli coacta Synodo, ſeu potiùs errantium Præſulum Conciliabulo, & in Romanam Fidem conſpiratione, idem Pſeudo Antiſtes tamquàm Apoſtolicam prædicavit, magnificis cumulans laudibus, quam Diabolo dictante compoſuerat, imò graviſſimas pœnas, & Anathemata in temeratores comminatus fuit. Quod exprimitur *Actione* 3. his verbis: * Sancta Synodus (id eſt, Conciliabulum, cui præfuit impius Sergius) dixit: Relecta nunc Magni, & Sapientiſsimi Principis Ecthеſis, ſecundum veritatẽ, Apoſtolicæ cõſonat prædicationi. Hęc ſunt PP. Dogmata, hęc præſidia Eccleſiæ, hæc Orthodoxę Fidei ſtabilitas, &c. (Et infrà:) Sergius dixit: perfectè, atque dilucidê, necnon compendiosè Sapientiſſimus Imperator dogmatizavit eloquentia. (Et infrà:) Ipſius & nos ſuſcepimus, & confirmavimus Ecthеſim: quoniam in omnibus ſequitur perfectè, & acribiosè Doctrinam Sanctorum, ac probabilium Patrum, & Prædicatorum Orthodoxę noſtrę Fidei. Si quis ergo à præſenti die temerator prohibitorum, tàm à Deo conſervando Domino, & magno Imperatore, atque huc congregata Sancta Synodo factus, vnam, aut duas præſumpſerit dogmatizare, aut proferre in CHRISTO Deo noſtro operationes, hunc, ſiquidem Epiſcopus, aut Presbyter, vel Diaconus, ſive de ſequentibus fuerit gradibus, ab omni eſſe ſuſpenſum Eccleſiaſtico Miniſterio, aut Beneficio definimus, &c.*

231 Nec modò Sergius, ſed & etiam illius ſucceſſor Pyrrhus, Ecthеſim confirmare ſtuduit, quippè illam in Conſtantinopolitana, quam coëgit, Synodo, novo Sanctitatis titulo fulcivit, & perfricata fronte, tamquàm à Deo inſpiratam Doctrinam laudavit; *Act.* 3. ibi: * Et nos ſequentes eiuſdem virtutem, & conſtructionem eius Dogmaticę in omnibus admitten-

mittentes, & à Deo inspiratæ Doctrinę consonantem vtique in omnibus Apostolicæ Traditioni, atque Sanctis vniversalibus quinque Conciliis, &c.*

232 His accessit Cyrus, Alexandrinus Prę sul, qui non discordi sensu Epistolam conscripsit, quæ refertur eadem *Actione* vbi Sergio Constantinopolitano Antistiti gratias refert de missa ad se Ecthesi, quasi salutari, & valdè Orthodoxa Doctrina, *ibi*: *Quia verò, & nos vestræ participati Doctrinæ, & hãc sine dubio sequẽtes, amplectimur, & conservamus, quę ita piè, & Deo amabiliter à sereniss ima eius trãquillitate exposita sunt, iam anteà vestra Deo honorabilis Sãctitas cognovit, per ea, quæ sępiùs ad eam à nostra humilitate, licet rusticiter, attamen Orthodoxê trasmissa sunt.*

233 Perlectis his nefandissimorum Hæreticorum scriptis, Ecthesi, videlicet, Heraclii, Sergii Patriarchæ, Pyrrhi, & Cyri approbatione, eleganter peroravit Sanctissimus Præsul MARTINUS exordium *Actionis* 4. nobilitans, & præfatos Præsulum Orientalium errores in Epitomen colligens, ac in eos invehens, ita: * Sicut prælectionem audivimus, dilectissimi Fratres, Cyrus quidem in suis capitulis diffinivit ita: Si quis non dicit vnum, eundemque CHRISTUM operari Deo decibilia, & humana per vnam Dei Virilem operationem, Anathema sit. Sergius autem huiusmodi admittens, & confirmans, &c.*

234 De aliis verò magno audientium plausu, ac ferventi Zelo, eloquentiæque laude, manifestę contradictionis Monothelitarum Dogma convincit, vtpotè qui anathematizãt vnam in CHRISTO dici operationem, & aliàs eamdem vnicam operationem stabilire audent, Fidei sinceritatem destruentes, cuius principia, vtpotè veritati consona, nihil inter se repugnans, & adversum, quod mendacii proprium est, recipiunt.

235 Hæc sunt elegantissima Sancti Præsulis verba: * Quomodo namque (inquit) non sunt discisi, licet nullo modo compuncti, qui ab omni se Sacerdotali Dignitate, & Officio deposuerunt, & à participatione Divinæ Communionis alienaverunt, necnon anathematizaverunt, prohibentes in CHRISTO vnam operationem dicere, & denuntiantes vnam in CHRISTO operationem asserere, ac si vtrumque secundum sensum eorum, id est, vnam dicere operationem, & nec vnam dicere operationem, similiter Orthodoxum, & probabile, firmumque, pium, indiminutum, atque perfectę prædicationis omnium Sanctorum Patrum, sive vniversalium quinque Synodorum veraciter existeret? Quod non solum falsum est, sed etiam omninò, ac specialiter impossibile, vt in se metipso habens propriæ instabilitatis accusatorem: Duos enim contrarios sermones de eodem verbo veraciter dicere, naturam non habere, scribens Nestorio Gregorius Theologus ait. (Et paulò infrà:) Non solum impia, & hęretica, quæ ab eis gesta sunt, constituunt, sed & incongrua omninò, ac specialiter cognoscuntur. (Et paulò infrà:) omnia enim ex eis approbatis verbis, vel inanibus fictionibus inverecundè actitata sunt, adversus Catholicam Ecclesiam, pro quibus, vt dictum est, & contra se irascendo, versi sunt, se ipsos condemnantes.*

236 Patet ergo, & quasi in oculorum conspectum producta est vniversa Monothelitarum causa, & primùm iam illud innotescit, eius Authores fuisse Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & omnium quasi incentorem, & Magistrum Themistium, nullosque alios, & si diligenter exquisiti fuerint, aut in Occidente, huic Sacro Concilio Lateranensi, & aliis, quę præceserant, notos fuisse; nec inter eos Honorium, aut scripta eius in examen venisse, sicuti si ea labe imbutus esset, nec in oblivionem potuisset cadere, cum Sergii Epistola, qui Honorium consuluit in Synodo hac, recitata fuerit; & nec fieri potuit, vt colloquentem cum Honorio Sergium de Dogmate vnius, aut duplicis voluntatis, Synodus audiret, quin memoriam Honorii tot Præsules refricarent, eiusque mentem circa hoc Dogma illibatam recordarentur; alias enim, si quid reprehensione dignum de illo occurreret, quis tàm impius erit in tot Prę sules, Zelo, & Fide ferventes, vt eos dissimulasse credat in quę stione tanti momenti, Fidei scilicet, cuius honori vindicando, tam attentè invigilat Ecclesia; nec Sedes Apostolica, & Sancti Patres in Concilio congregati personarum Dignitati, aut splẽdori cõdonat, vt tot exẽpla suppetunt, tùm Regum, tùm Imperatorum

torum, quos & severa Anathemata, & aliæ Ecclesiæ iustæ vltiones, ob schismata, vel violatæ Fidei, & Obedientiæ, crimina, vbicumque Romanæ Sedi, & communi Ecclesiæ bono interfuit (omni prorsus personarum, vel Dignitatum exceptione submota) sequuta sunt, vt latiùs *in Tract. de Suprema Summi Pontificis in Temporalibus Authoritate*, demonstrabimus. Non igitur condonatum esset Honorio tàm fœdum crimen, cum in eo casu, nec Pontificis Persona Privilegio aliquo Iuris fulciatur, vt quę suprà allegavimus Canonica scita proclamant; evidens ergo argumentum est, nihil culpę in Honorio eminere, quæ tot acutissimos, & Fideles inspectores fugit, cum nullum lapidem non moverint S. Martinus, & alii Præsules, vt dicta, scripta, & assectas Monothelitarum excuterent. Iuvet autem notum Iuvenalis, & Iuris peritorum Axioma: *Quibus indiciis? Quo teste probavit?* Et Sacrum Domini Oraculum: *Nemo te accusat: neque ego te condemno.*

237 Visum postmodùm fuit æquissimo Præsidi Martino, & Concilii Patribus, vt quia Paulus insulas Constantinopolitanæ Ecclesiæ, post impios Hæresiarchas, Cyrum, & Sergium, susceperat, de illius scriptis singularis recensio haberetur, & cõmuni Synodi suffragio, id postulatũ est, ipsa *Act.* 4. cui annuit laudatus Sãctiss. mus Pontifex, ibi: * Competenter Epistolam Pauli ad examinationem deduci Sancta Synodus petiit; quoniam simili excessu, parique errore, cum prænominatis irretitus. Offeratur igitur directa à Paulo, Præcessori nostro, Beatæ Memoriæ Theodoro, Dogmatica Epistola, & cum eadem exemplar Typi, quem ille, ad destructionem paternorum Dogmatum fieri, persuassit.*

238 Scripserat Theodorus Pontifex Paulo, vt de CHRISTI operationibus suum sensum expromeret, perlatus enim erat ad Summum Antistitem fidelis de infidelitate eius rumor, & vt ex ore illius certiora cordis inditia hauriret, per Epistolam iussit Doctrinæ tenorem exponere. Rescripsit ergo Theodoro sic audaciter Paulus, vt refertur *Act.* 4. *Mansit enim Verbum, quod erat, & factum est, quod non erat, propterea & omnem congruam Divinitati, & Humanitati operationem ab vno, eodemque procedentem Incarnato Deo Verbo, dicimus, & in vnũ, eundemque reduci, ideòque & divisio non introducitur, & inconfusio salvatur::: Vndê & vnam voluntatem Domini Nostri IESV CHRISTI applicemus, aut ipsum se expugnantem Dogmatizemus, aut duos volentes introducamus.

239 Non enim ad conglomerationem (prosequitur) omninò, aut confusionem duarum naturarum, quæ in eodem videntur vnius voluntatis, hanc producentes vocem, aut ad interemptionẽ alterius tantũ, aliã esse prædicãtes: sed hoc per huiusmodi significantes vocem; quoniam caro eius rationabiliter, & intellectualiter animata, ex ipsa sũma vnitate inenarrabiliter omnibus Divinis ditata, vnientis eam sibi, secundum substãtiam Divini Verbi, Divinam habebat indiscretam voluntatem, quæ ab ipso semper deducebatur, ac movebatur, vtpotè in nullo tempore eadem divisê, & ex proprio impetu contrariê nutui, vniti secundum substantiam Dei Verbi, naturalem eius faciens motionem, sed quando, & qualem, & quantam ipse Deus Verbum volebat. (Et tandêm concludit:) Igitur de iis ita nos habemus, sic intelligimus, sic prædicamus, in his Orthodoxiæ manifestatio, &c.*

240 Et vt plenius eius pervicacia agnosceretur, eam in apertum protulit Insignis Calaritanæ Ecclesiæ Antistes, DEUS DEDIT, eloquenti Sermone, Concilio referans, quantùm pro illius salute Ecclesiæ Pietas indulserit, salutaribus eum monitis emollire curans, quæ omnia infœlix obturata aure contempsit. *Quoniam (inquit *Act.* 4.) in scripto, & sine scripto admonitus est à Prędecessoribus Vestris, Apostolicis Viris, & incorrectus, atque inobediens permanserit. (Et infrà eius incorrigibilitatis memor, dicit: (Ecce igitur, vt iam fati sumus, per ea, quæ scripsit, manifestavit, quoniam Canonicè admonitus est, tàm per Apostolicas pręceptiones, quàmque per Reverendissimos Apocrisarios Summæ Sedis Vestrę multis (vt ipse perhibuit) Assertionibus ad eum factis pro sua causa, id est, novitate, facie ad faciem commonitionibus ei oblatis, inobediens autem ad ea ex sua voluntate contra regulas permansit, &c. * Et tandêm æquissima Iustitiæ Censura Libellum absolvit, Concilii Patres exorans, vt de tàm pertinaci inobedientia Iudicium ferrent,

ferrent, atque ad illius, qui Pastoralia, Apostolicaque Ecclesiæ monita contemserat, damnationem procederent.

241 Nec levis hinc resultat pro Honorii patrocinio consideratio, si Paulum Constantinopolitanum Patriarcham, tam apertam hæresim docentem, quæ nulla tergiversatione cælari potest, & ipsas Pontificis aures illis mendaciis imbuentem, non aliâs Concilium damnat, nisi antè semel, tertio, ac pluries ab Apostolica Sede admonitum, nullaque pœnitentiæ, ac palinodiæ recantandæ indicia proferentem, & nota iam eius mentis inflexibilitate, ad Synodum vocatur, eius causa discutitur, & Patronum habet, qui pro eius partibus stet, & causæ postulatis satisfaciat, nec aliter de eo profertur sententia; quis hunc iudicii ordinem dispensavit in Honorio, cuius sola sententia refertur, nulla verò, nec viventi facta monitio, nec mortuo proposita accusatio, nec, si lapsum contraxisset, aliquid indicatum est, quo exhortaretur eius pœnitentia, nê tanti criminis exemplum, Sacrum Romanæ Dignitatis candorem labefactaret; nec in VI. Synodo aliquis illi Patronus assignatus, nec Epistolæ, quibus reus imponitur, cum Autographis, & Originalibus Apostolici Archivii collatæ sunt, quæ omnia, & iuris, & æquitatis ratio, in aliis etiam infimæ sortis exigunt, & præcedere debent, vt communiter in omnibus ferè Orbis Tribunalibus observatur: igitur non levibus indiciis apparet, suppositam esse, vtpotè iudicialibus regulis non subnixam, Honorii condemnationem.

242 Ut Libelli adversus Paulum iusta impleretur petitio, præcepit S. Pontifex MARTINUS, Typum, sive Fidei expositionem, quam *contra Orthodoxam Fidem scriptam* (vt loquitur idem Pontifex) ediderat Paulus, in prædicto Concilio legi. Hæc igitur sunt prædicti Typi verba; *Actione* 4. * Quapropter sancimus nobis subiectos, qui consistunt in Orthodoxa, & immaculata Fide, qui sunt Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, non habere licentiam in lucem à præsenti de vna voluntate, aut vna operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum, qualemcumque proferre altercationē, aut nixam, &c. (Et *infrà*:) Qui autem ea præsumpserit prævaricari primùm quidèm subiaceat iudicio terribili Omnipotentis Dei.* Post, alias superaddit graves animadversiones, & pœnas in eos, qui præfatum Edictum temeraverint.

243 Audito Pauli Typo, Sanctissimum Præsulem alloquens Sacra Synodus, mentem Typi, pacis videlicet tuendæ studium, & sedandarum discordiarum animum, non damnavit, imò laudavit, modum tamen, & substantiam aversata fuit; non enim tantùm prohibuerat Typus contentiones, & discordias; sed Dogma, quod iam dùdum Sancti Patres pro Fidei veritate statuerant, duarum, scilicet, voluntatum Confessionem, excludebat; quarê meritò à Concilii Patribus damnatur ibi: * Igitur nullo modo oportet contra eos, qui minimê denegant pariter vtrumque, id est, vnam, aut duas dicere in CHRISTO Deo operationes, & voluntates, sine discretione indignationem infligere sed iustê contra eos tantummodò hanc proferre, qui non confitentur, quas probabiles Ecclesiæ Patres confitentur, hoc est, duas eiusdem, atque vnius, sicuti essentias vnitas inconfusè, & indivisè; ita & æquali numero voluntates, & operationes, Divinam dico, & Humanam; maximè eum, qui secundum Deum suas vt decet, properat promulgare sententias. Propterea intentum quidèm, vt dictum est, bonum existentem Typi laudamus; sed modum ab intentu dissonantem avertimus, quoniam omninò est inconveniens Catholicæ Ecclesiæ regulæ.*

244 Exposuerunt tamen vberiùs Patres incorrigibilitatem, & pertinaciam Patriarchæ Pauli, tùm & sociorum, & iusta indignatione execrantur errorem, in quem conformi cæcitate impegerant erga CHRISTI Domini Humanitatem, ab ipsa omnes operationes excludentes. Qui error ita incredibilis non facile de his Præsulibus, sed nec etiam de rudi homine, rationali vsu prædito, autumari posset, nisi Venerabilium Patrum Authoritates asserrent, eam vesaniam à prædictis Patriarchis prolatam: * Hæc autem (inquit Concilium) vel quidquam de his, hoc est, quæ nobis, per suasionem prudentissimam, salubertimè tradita sunt ab Spiritualibus Viris, nequê & ipse Paulus, nequè ii, qui cum eodem sentiunt, Cyrus, Pyrrhus, & Sergius cogitaverunt ad refrenationem, aut correctionem suorum malorum, pro nihilo habentes, cum omni licentia Divi-

na

na Catholicæ Ecclesię Mysteria deludere, & contra Paternas Traditiones, absque timore incedere, ac si eorum sit in Potestate, & esse, & non esse nostrę salutis Evangelium.

245 Propterea enim (prosequitur) sicut audivimus, & manus nostræ palpaverunt, de verbo novitatis eorum, aliquando quidem vnam operationem, aliquando autem penitùs, nec vnam operationem: iterum aliquando vnam voluntatem, aliquādo autem omninò, nec vnam voluntatem in CHRISTO Deo, in aperto dogmatizantes, vtpotè eum sine operatione naturaliter existentem, per vtramque, ex quibus consistit, naturis, & sine voluntate, id est, insubstantialem, & inessentialem ostendētes, cum quo, & Patrem, atque Spiritum Sāctum. Quoniam quod est CHRISTUS, vt Deus, hoc est vterque naturaliter.

246 Et quòd plus est graviſſimum, & magis eorum falsitatem redarguit, quoniam, & vnam habere, & nec vnam habere voluntatem, & operationem Dominum nostrum IESUM CHRISTUM, in scripto asseruerūt cum Anathemate huiusmodi sensum contra se innodantes, omnium esse Dogma, & Prędicationem perfectam, veram, firmam, indiminutam Sanctorum Patrum, & vniversalium quinque Conciliorum, sicut dictum est, perhibentes, minimè prævidentes, quoniam per alterum, aliud perimunt, hoc est, vnam operationem per hoc quod dicunt: Nec vnam operationem asserere, cum vnam voluntatē CHRISTI dogmatizare noscuntur. Sed hæc omnia per Typum posteriorem amputaverunt, vt nec sciant iam quid credant, aut quid confiteantur per inceſſabilem, & crebertimam suorum Dogmatum immutationem, &c.*

247 Ex iis apertè deducitur, quàm execrabilis extiterit Patriarcharum Orientalium error, non modò Pauli, sed Cyri etiam, Pyrrhi, & Sergii, qui vniformi cæcitate non solùm voluntatem, sed omnem penitùs intellectus, & voluntatis operationem in CHRISTO pervicaciſsimé inficiabantur, prout ex iis, quæ in prædictorum Authorum scriptis reperiuntur, refert Concilium, intolerabilem huncce errorem prædictis Authoribus adscribens, quin aliquam de Honorio, istiusque scriptis mentionem faciat. Et optimo quidem iure; à nemine etenim sanæ mentis in memoratis Honorii Epistolis, tàm manifestus prędictorum quatuor Orientalium Patriarcharum error poterit inveniri, cum Honorius in prædictis Epistolis, non modó duas in CHRISTO confiteatur naturas, Divinam nempê, & Humanam, sed istarum etiam naturales proprietates cum suis differentiis, & operationibus, propria operantibus admittat, prout illius verba in prędictis Epistolis ad Sergium evidenter demonstrant. Cum autem Divinæ, Humanæque naturę proprietates sint Divinus, Humanusque intellectus, & voluntas, quibus operationes essentialiter diversę, Divina scilicet, & Humana naturaliter correspodent, iuxta communem Philosophorum, Theologorumque consensum, necnon & Sanctorum Patrum, qui in specie de hac controversia tractarunt; hinc cum Honorius duas in CHRISTO, vt diximus, naturas, Divinam, scilicet, & Humanam cum propriis istarum differentiis, evidenter admittat, Catholicum sanè Dogma prædictorum Patriarcharum Constantinopolitanorum errori ex diametro oppositum, proculdubiò tuetur. Hinc impossibile, ac penitùs inverisimile videtur, Honorium à VI. Synodo iustè potuisse damnari, quòd in omnibus Sergio, Cyro, Pyrrho, & Paulo adhæserit, cum ex iis, quæ ex hoc Sancto Concilio innotescunt, & quæ suprà adduximus, ac probavimus, oppositum haud leviter convincatur, ac demonstretur.

248 Vt de tam execrabilium errorum, istorumque Authorum damnatione ageretur, iussit MARTINUS Pontifex Sacro efflagitante, ac instante Concilio, vt Definitiones, Fideique Decreta, in quinque Superioribus Generalibus Conciliis edita, legerentur, vt constat *ex Act.* 4. in qua sic loquitur Pontifex: *Secundum probabilem postulationem, hùc congregati Sancti Concilii, offerantur in primis per eos, quorum interest, reverendiſsimæ Sanctarum quinque vniversalium Synodorum Definitiones, vel venerandæ Prædicationes eorum, sive Decreta.* Quod cum ita executioni fuisset mandatum, lectumque fuisset Symbolum Nicęnum trecentorum decem & octo Patrum, Symbolum Constantinopolitanum centum quinquaginta Patrum; Synodi Ephesinæ, ducentorum Patrum, ac tādèm Sanctæ Chalcedonensis Synodi, Sanctæque Synodi

quin-

quintæ Definitiones, quæ in Generalibus Conciliis referuntur, & habentur *Tom. 6. Concilior.* in nova editione. S. Maximus pro quinque Cõciliis, quæ sibi favere novæ hæreseos Monothelismi Authores conabantur, elegantissimê peroravit, evidenterque concluſit, quinque illa Concilia nihil eorũ, quę Monothelitæ asserebãt, adstruere, imò oppositum stabilire: *Ideòque (inquit Sanctus) & illud oportet nos dicere pro Sanctis, atque Vniversalibus quinque Conciliis, quod ipse de sese perhibuit Dominus, *Ioannis* 4. *Veniet Princeps huius mũdi, & in me nihil inveniet.* Quoniam venerunt Principes huius novitatis, id est, Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, & in nobis de suis invenerunt nihil: licet propterea calumniari nos irrationabiliter studuerunt, quod facere assolent Hæretici, suam ex hoc coöperire dementiam properantes.*

249 Et *infra* inquit idem Sanctus: *Ideoque cum Beata & nos ad Dominum exclamamus, Susanna contra iniquos Sacerdotes, in defensione memoratorum Sanctorum Conciliorum, dicentes: Æterne Deus, occultorum cognitor, qui nosti omnia, antequàm fiant, Tu nosti quoniam falsè calumniantur nos, Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus. Propterea erexit Deus Spiritum Sanctum Viri Zelo zelantis pro Domino, cuius venerabile nomen Martinus, quique sanctè nos convocavit, & Apostolica Authoritate præsidet nobis, atque exclamavit voce magna: mundus sum à Dogmate huius novitatis.

250 Revertantur igitur (prosequitur Sanctus Maximus) omnes ad audientiam, atque illorum examinemus sermones. Falsè namque hi, per eamdem novitatem, testimonium contra Sanctas Synodos perhibere præsumpserunt. (Et *infrà*:) Atque ideò omnes cum eo (videlicet Sancto Martino) in condemnatione illorum decernimus, quoniam sicut verba, & Definitiones Sanctorum quinque Conciliorum testantur, nec vnam voluntatem, nec vnam operationem prædicaverunt; nec iterum peremptionem duarum CHRISTI Dei voluntatum, & duarum operationum, sicut illi calumniari ausi sunt, omni modo decrevere, imò magis omnem hæresim, Sanctæ Synodi condemnare noscuntur. & tam vnam in CHRISTO voluntatem, & operationem commentantes, Arium, Eudoxium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, sed & omnia impia eorum conscripta: cum quibus meritò, & eos, qui in hoc illis consentiunt, id est, vni voluntati, & operationi, sceleroſos Hæreticos Theodorum, & Nestorium, &c.*

251 Et *infrà*: *Omnibus autem manifestum est, & indubitatum, nullo modo Sanctas, & Vniversales quinque Synodos, eorumdem Hæreticorum dogmata confiteri, quorum conscripta, cum impia eorum confessione in scripto, Anathemati submississe noscuntur: licet hæc profiteri eas, sine timore Authores adinventæ novitatis calumniati sunt Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus. (Et paulò infrà:) Igitur intransgressibiliter retinentes pias Doctrinas in Definitione sua, eos, qui vnam in CHRISTO Deo voluntatem, & operationem dixerunt, merito Anathemate perculserunt; pro eo, quod sine mente, & sine anima, & purum ex hoc hominem Dominum Deum nostrum, in hoc quod factus est homo, dogmatizare ausi sunt.*

252 Videamus igitur nunc quid CONCILIUM sentiat de prędictis Patriarchis Constantinopolitanis, cæterisque Orientalibus, qui in eamdem Doctrinam, quæ vnam tantummodó operationem, voluntatemque in CHRISTO admittebat, vnanimiter conspirarunt: Ita igitur prosequitur: *Cyrus autem, & Sergius, Pyrrhus, & Paulus similiter vnam, & ipsi per propria scripta in Deo CHRISTO confessi sunt operationem, & voluntatem; perindeque & ipsi cum denominatis Hæreticis, propter eamdem, & similem hæresim, à Sanctis, & Vniversalibus quinque Conciliis Anathemati subiunguntur.*

253 Prosequitur vlteriùs Concilium, dicens: *Qua de re Synodalibus Sanctorum Patrum increpationibus Cyrus, & Sergius, Pyrrhus, & Paulus per suam hæresim obligati, non solum quia minimê eos iuvit, sed etiam reprobos approbavit, præsumpta ab iisdem calumnia, contra veneranda Patrum quinque Concilia, simul cum condemnatione hæreseos illorum, & mendacii in semetipsos provocantes vltionem. Nec enim definitum est ab eis, quæ illi cõmentati sunt, imò magis Anathemati submiserunt, quęque indoctè cũ Ario, & Apollinare, Theodoro, & Nestorio Hæreticis, dogmatizare noscuntur, qui no-

luc-

luerunt penitûs intelligere, & confiteri verbo, & mente, secundum Definitiones Sanctorum Conciliorum, perfectum eumdem in Deitate, & perfectum eumdem in Humanitate, Deum verum, & hominem verum eumdem.*

254 Vt autem meliùs, ac perfectiûs agnoscatur qua ratione prædicti Hæretici Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus CHRISTUM confiteantur perfectum in Deitate, & Humanitate, verum Deum, & Hominem, subiungit Sanctus Maximus: * Sic namque, & perfectus Homo apud eos intelligitur, non ille, qui tentatus est, atque suscepit omnia nostra sine peccato, sed ille, qui sine voluntate naturali, & operatione ab eis dogmatizatur, propter consonantiam eorum, qua cum Ario, & Apollinare, Theodoro etiam, & Nestorio tenentur; non vtique veriti ad ea, quæ omnibus manifesta sunt, criminari Sanctas, & vniversales Synodos, sed & victi ab eis, incorrecti permanent, verbis quidem pietatem fingentes, sensum autem, vt dictum est, malignantes. Et propterea, perfectum quidem in vtraque natura confitentur, absque tantummodò naturali operatione, & voluntate vtriusque naturæ, ex quibus constitit.*

255 Ex dictis clarè convincitur, quàm longè à Sanctorum Patrum, Sacratiorumque Conciliorum mente, absint prædicti Monothelitæ, cum potiùs antiquis Hæreticis, quos prædicta Concilia damnarunt, subscribant, illorumque erroribus assentiantur, prout censet S. MAXIMUS *in eadem Act.* 4. dicens: * Ideòque certum est, & ex his, quæ imprudenter ab eis proferuntur, sicut sermo monstravit, quia nihil de Patribus firmaverunt, neque hæc consistunt Ecclesiæ Dogma iuxta eorum fictiones, quoniam nec cuiuslibet probabilis patris omninò testimonium produxerunt in sua Ectheси, sicut nec in iis, quę pro eius defensione ab eis gesta sunt. (Et paulò *infrà*:) Tãtùm autem scelesti Nestorii, ad argumentum manifestissimum consonantię, qua cum eo tenentur, memorasse noscuntur; designantes omnibus, quoniam ipse, regularis Doctor confessionis eorum extitit.

256 Et propterea (prosequitur) iam, vt dicunt, vnam voluntatem Domini Nostri IESV CHRITI veri Dei confitentur, pro eo, quod execrandus Nestorius æqualem voluntatem, id est, vnam voluntatem duarum personarum fictè ab eodem pronuntiatis confitentur. Concordantes igitur his, qui in confusione, & divisione errant, Hæreticis, in omnibus investigantes Cyrum, & Sergium, Pyrrhum, & Paulum, imprudentiores eos illorum comprehendimus, per hoc, quod etiam B. Leonis vocem ausi sunt violare, &c.* Hucusque Sacri Concilii definitio.

257 Et quoniam Hæretici sese Sanctorum Patrum, Sacrorumque Conciliorum patrocinio protegebant, iussit Martinus Pontifex vt V. Concilii Definitio legeretur, in qua approbat Concilium quidquid in præcedentibus Conciliis fuerat definitum, & quidquid Sancti Patres, præcipuè S. Athanasius, S. Basilius, aliique Sanctissimi, ac Eruditissimi Viri in Hæreticos, & pro Fide, ac laudabiliter scripserunt; eos verò, qui oppositum venerandæ prædictorum Conciliorum, Sanctorumque Patrum Doctrinæ in Fidei Dogmatibus senserint, à Catholica Fide alienos declarat.

258 His igitur suppositis, illisque pro nunc, quæ hucusque diximus, prętermissis, nequaquam sine ingenti consideratione prætereundum est, Honorium *Act.* 13. VI. Synodi fuisse damnatum, ac Monothelitis adscriptum, quod suis in scriptis haud Catholicè senserit, & in omnibus Sergio adhęserit, istiusque mentem, & impia Dogmata fuerit sequutus. Et licet hucusque latè probaverimus, Sergium eiusdem erroris luto, quo Cyrus, Pyrrhus, aliique Sectarii Monothelitæ, fuisse conspersum; dùm vnam in CHRISTO operationem admittit; in quam detestandam hęresim vnanimi omnes conspirarunt consensu, nihilominùs, vt quę nam illorum fuerit mens clariùs dignoscatur, operępretium duximus, aperire hic mentem illorum, qui huius erroris fuerunt Antesignani, quosque Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus imitati sunt, illorumque erroneam amplectentes doctrinam, iustam subierunt damnationem.

259 MARTINUS igitur Pontifex, vt aptiùs, perfectiûsque Monotheliſmi origo innotesceret Orbi, clariùsque appareret, Cyrum, Sergium, Pyrrum, Paulum, cæteroſque Monothelitas, dum vnam tantumodò operationem CHRISTO conce-

debant, neutiquam venerandæ Sanctorum Patrum Doctrinæ adhærere, sed potiùs detestandos Hęreticorum, iam in prędcedentibus Conciliis damnatorum, errores amplecti, illisque assentiri, iussit, vt Hęreticorum, qui ęquissimam iam in præcedentibus Conciliis subierant damnationem, quod vnam tantūmodò operationem faterentur in CHRISTO, verba, scriptaque publicè legerentur, ac illius Cōcilii *Actione* 5. insererentur. Horum præcipuos adducemus, vt vel ipsis oculis videatur, quantum ab illorum mente, & sententia dissentiat Honorius.

260 Primò etenim Lucius, Episcopus Arianus vnam in CHRISTO operationem admittit, cum vnam tantumodò confiteatur naturam, vt ex ipsa *Act.* 5. innotescit. Is fuit Episcopus Alexandrinus, & in Sermone habito in Paschate, non modo intellectum, & voluntatem, sed animam etiam CHRISTO Domino pertinaciter negat; loquens enim de CHRISTO, hęc habet: *Vbi igitur necessaria erat anima, vt perfectus Homo coadoretur Deo? Propterea veritatem clamat Ioannes: *Verbum caro factum est*; compositum est carni; non autem & animę. (Et paulò *infra*:) Nam quomodo vnus CHRISTVS, nisi vna persona, vna composita natura, sicuti hominis, qui ex anima, & corpore extat, cognoscimus, si autem, & animam habuit, sicuti Adulteratores adulteratas nunc Ecclesias docent, oppugnant se motus Dei, & animæ, &c.*

261 Apollinaris hæreticus contra Theodorum, vnam tantūmodò in CHRISTO operationem, vnamque fatetur naturam: *Organum (inquit) & quod movet, vnam solet perficere operationem. Quorum autem vna est operatio, horum vna est essentia. Vna ergo essentia facta est Verbi, & Carnis.*

262 Et *in Sermone scripto ad eos, qui contra Divinam Incarnationem Verbi certant propter Omousion.* *Et Iudæi (inquit) Corpus crucifigentes, Deum crucifixerunt, & nulla divisio Verbi, & Carnis in Divinis Scripturis reperitur: sed est vna natura, vna subsistentia, vna operatio.*

263 *In Sermone Divinæ Incarnationis*, de CHRISTI voluntate loquens, eam divinam esse asserit, non humanam: *Quoniam hęc voluntas propria dicitur, non hominis, qui de terra est::: sed Dei, qui è Cælo descendit.*

264 Polemon hęreticus, & Apollinaris Discipulus, in CHRISTO DOMINO vnam solūmodò voluntatem, operationemque adstruit, & hanc Divinam esse affirmat, *in Tractatu* etenim *de Contradictionibus factis adversus sententias Patrum*, Sermonem de CHRISTO instituens, hæc habet: * Invertibili voluntate divina omnia operatus est; sed non aliud quidem divinè, aliud autem Deificatum.* Hic etiam sicut vnam tantummodò voluntatem, ita & vnam tantummodo fatetur naturam.

265 In 6. quippê *Epistola ad Timotheum*: *Qui duas (inquit) voluntates dicit CHRISTI, secundum eos, qui dudum, & nunc inflantur, aut vnum duos quosdam introducit Christos, sibiinvicem, non solum natura, sed odiositate divisos, aut se sibi oppugnantem docet. Vbi enim dualitas, divisio est per omnia.*

266 Severus hæreticus, Anathemate damnavit Chalcedonense Concilium, Sanctissimique Leonis Pontificis Tomum Conciliarem: *Et eos, qui dicunt, vel dixerunt, in duabus naturis vnum Dominum Nostrum IESVM CHRISTVM post ineffabilem, & incomprehensibilem vnitionem, & sequenter earum, duas operationes, aut proprietates.*

267 Et *in Epistola ad Eleutium*, Centionis sacrę fulmina intorquet in eos, * qui in duabus naturis definierunt vnum CHRISTVM, & singularum naturarum, opera propria profitentes, &c.*

268 *In Epistola* etiam *ad Sergium Grammaticum*: *Quoniam igitur (inquit) vnus est operans, vna est eius operatio, & motio operaria.*

269 *In Epistola* tandèm *prima ad OEcumenium*, ita in CHRISTO vnam tantummodò operationem propugnat; quia & vnam tantummodò fatetur naturam, vt ausus fuerit dicere: * Anathematizamus eos, qui post vnitionem duas dicunt naturas, operationes, aut duas proprietates.*

270 Nestorius, estò duas in CHRISTO confiteatur naturas, at non substantialiter, sed per voluntatis affectum copulatas admittit, vnamque solam

CHRI-

CHRISTO voluntatē concedit, & operationem; scribens namque *lib.* 2. *de Mysterio Apparitionis* CHRISTI, hæc ait: * Inconfusas custodimus naturas, non secundum substantiam, arbitrio tantum copulatas. Propter quod earum vnam voluntatem, & operationem, & dominationem videmus, dignitatis æqualitate ostensas.*

271 Paulus Diaconus, Persianus, & Nestorianus, eumdem Magistri sui Nestorii errorem sequutus: * Quoniam (inquit) substantialiter Dei Verbi ad Hominem, quem assumpsit, non est vnitio facta, non est vna natura effecta: Ergo secundum dignationem vnitio facta est, voluntate, & similitudine mentis detenta, quatenus & differentia naturarum inconfusa ostendatur, & dignationis Mysterium, singulari voluntate probetur.*

272 Themestius, Hæreticus, ideò vnam tantummodò operationem, & voluntatem in CHRISTO concedit, quia vna erat Persona, & ex Personæ vnitate, vnitatem operationis deducebat: * Vnam quidem (inquit) semper de toto dicimus operationem, tàm in Divinis signis, & in his, quę humanè operabantur à CHRISTO. (Cuius rationem, sic subiungit:) Vna existente simpliciter operatione in CHRISTO ::: Nam vnum erat, qui operabatur in omnibus, Incarnatum, videlicet, Dei Verbum.*

273 At, quęnam esset hæc vnica operatio, quam solam fatebatur in CHRISTO, explicat Theodosius Hęreticus, Alexandrinus, dicens esse Divinam, *in Tomo*, quem scripsit, & Theodoræ Imperatrici dicavit: *Reliquum est (asserit) vt vna sit operatio ex vtrisque Deifica, quoniam vnius esse, & eiusdem dicimus Deo dicibilia omnia, atque irreprehensibiles passiones.*

274 Colluthus, Hæreticus, non admittit in CHRISTO nisi vnam tantummodò voluntatem, & operationem, hancque Divinam esse fatetur; scribens namque *de satisfactione pro Tomo Theodosii facta*: *Vna est (inquit) CHRISTI operatio, O prudentissime, & non alia, & alia, sed magis eadem. (Et *infrà*:) Hæc namque, indubitanter Divina est.*

275 Cyrum, autem Sergium, Pyrrhum, & Paulum in hæresi Monotheliſmi vnicam in CHRISTO operationem, voluntatemque adstruentes, in eosdem errores impegisse, cum his Hæreticis, quos modò retulimus, quique ob hanc eamdem detestandam hæresim in aliis Conciliis fuerant damnati, clarissimè testatur Pontifex MARTINVS, qui *Act.* 5. illius Concilii, vt evidenter demonstraret, prædictos Patriarchas Orientales nequaquam Sanctorum Patrum Doctrinæ, vt iactitabant, sed Hęreticorum potiùs, in præcedentibus Cōciliis damnatorum, erroribus adhærere, hosque amplecti, retulit ipse Pontifex, ac legi præcepit dicta, verbaque Arianorum Hæreticorum Lucii, Apollinaris, Polemonis, Severi, Nestorii, item Pauli Diaconi, Theodosii, & Colluthi; quęquidem Hæreticorum verba, postquam recitata fuerunt, hæc subiunxit PONTIFEX: * Ex his, qui dudum nobis relecti sunt, Hæreticorum sermonibus, quos Cyrus, & Sergius, Pyrrhus, & Paulus consonanter amplexi sunt, & confirmaverunt, apertiùs illa dogmatizantes, quæ in eorum conscriptis legimus.*

276 Atqui certissimam est, imò meridiana luce clarius, Honorium Pontificem, suis in scriptis, nulli errori horum Hæreticorum, quos modò retulimus, assensisse: non ergo sensit idem, quod Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus dixerunt. Minor, ad quam tota devolvitur difficultas, facillimè suadetur,

277 Etenim si prævia, ac duce ratione, rectique iudicii face prædicti errores, ac Honorii Epistolæ attentè legantur, sola simplici, imò & grammaticali istius Epistolarum inspectione (vt suprà dicebamus) agnoscet quilibet, quantumvis omnis eruditionis expers, quàm longè à similibus absint erroribus. Si enim Episcopus Lucius Arianus, Apollinaris, & alii, vnam tantummodò operationem fatētur in CHRISTO, eo, quod in illo, vnam solummodò agnoscant naturam; Honorius Pontifex suis in Epistolis duas in CHRISTO fatetur expresse naturas, Divinam, nempè, & Humanam: * Vtrasque (inquit) naturas in vno CHRISTO, vnitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, & operatrices confiteri debemus.* Hæc ille *in* 2. *Epistola*. Clarè ergo erroribus prædictorum Hęreticorum, qui vnam tantummodò operationem, vnamque in CHRISTO voluntatem admittebant, Honorii Pontificis adversatur Doctrina.

278 Si Nestorius denegat CHRISTO

vtrasque naturas secundum substantiam vnitas, illasque solum quoad affectum copulatas admittit, vnamque solummodò in illis operationem fatetur, his penitùs oppositum docet Honorius in prædicta *Epistola* 2. In illa etenim fatetur in CHRISTO vtrasque naturas, secundum suum esse naturale, & substantiale vnitas, & cum suis diversis operationibus, ita vt vnaquæque operatio suæ correspondeat naturæ: * Quantùm ad Dogma Ecclesiasticum pertinet (inquit Honorius) quæ tenere, & prædicare debemus sunt, quæ sequuntur, vtrasque naturas in vno CHRISTO vnitate naturali (quibus verbis vnitatem per affectum eliminat) copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus.* Et vt videatur, vnicuique naturæ correspondere propriam operationem, ab alterius naturæ operatione realiter distinctam, sic prosequitur: *Et Divinam quidem, quæ Dei sunt, operantem; & Humanam, quæ carnis sunt, exequentem.* Quibus verbis clarissimè demonstratur, quantam cum Nestorii, istiusque sequacium mente oppositionem dicat Honorii mens, & Doctrina.

279 Severus, Hæreticus, anathematizavit Chalcedonense Concilium, illosque, qui duas in CHRISTO naturas, istarumque proprietates propugnant: quantúm verò huic hæresi, Honorii mens obsistat, satis ostendunt verba, quæ iam *ex 2. istius Epistola* adduximus: in illa enim duas in CHRISTO naturas cum suis proprietatibus, & differentiis admittit: * Vtrasque (inquit) naturas in vno CHRISTO vnitate naturali copulatas operantes, & operatrices confiteri debemus. (Et *infrà*:) Naturatum differentias integras confitentes.*

280 Si Themistius Hæreticus, istiusque sequaces, ex persona operantis vnitatem operationis deducebant; huic hæresi directè opponuntur Honorii iam adducta verba *ex Epistola* 2. in qua diversas CHRISTO tribuit operationes, correspondentes, non quidem vnitati Personæ (esto hanc, vnam esse admittat) sed vtrique naturę, Divinæ nempè, & Humanæ, quas fatetur in CHRISTO, vt illa indicant verba: * Vtrasque naturas in vno CHRISTO operantes, & operatrices. (Et in eadem Epistola hęc alia verba scribit:) Ipsas potiùs duas naturas, id est, Divinitatis, & carnis assumptæ in vna persona Vnigeniti Dei Patris inconfusè, indivisè, atque inconvertibilitèr nobiscum prædicare propria operantes.*

281 Et in alio primæ Epistolę loco, loquens de CHRISTO, hæc ait: *Multisque modis, & ineffabilibus confiteri nos, communione vtriusque naturæ condecet operatum.*

282 Si Theodosius, & Colluthus Hæretici, eodem obcæcati errore, vnam solummodó operationem, hancque Divinam in CHRISTO cõcedebant, vt ita omnem à CHRISTO Humanam operationem eliminarent; huic errori directê advertatur Honorii confessio in illis toties iam repetitis verbis *secundæ Epistolæ* in quibus confitetur: *Vtrasque naturas in CHRISTO operantes, & operatrices, Divinã quidem, quę Dei sunt, operantem, & Humanam, quæ carnis sunt, exequentem.* Et in alio eiusdem Epistolæ loco duas in CHRISTO naturas propria operantes apertissimè fatetur, cum inquit: * Oportet nos vnum operantem CHRISTUM Dominum in vtrisque naturis veridicè confiteri. (Et *infrà* admittit in CHRISTO) duas naturas, Divinam, & Humanam, propria operantes.*

283 Propria itaque cum sit Naturæ Divinæ operatio Divina, sicut & naturæ Humanæ operatio humana, clarissimè infertur contra prędictos hæreticos, Honorium præter operationem Divinam, quam fatetur in CHRISTO, fateri etiam in illo aliam Humanam à Divina distinctam, & Humanę naturæ propriissimam; sicque Honorii Doctrinam prædictis Hæreticis (quorum verba suprà adduximus) ex diametro opponi; cumque horum Hæreticorum mens, vel potiùs amentia, eadem fuerit cum Monothelitis Cyro, Sergio, Pyrrho, & Paulo, vt ex Pontificis Martini verbis probavimus, rectè deducitur Honorium, quòd in omnibus Sergii, cæterorumque Monothelitarum errores sequeretur, iustê damnari non potuisse, cum isti Hæretici illud ipsum aliorum Hæreticorum dogma, qui in V. Synodo damnati fuerunt, fuerint sequuti, vt docet Sanctus MARTINUS *Actione* 5. vbi hæc habet: * Ecce autem apertiùs, sicut dictum est, non solum similia sapuerunt, sed & per eadem verba, vel Syllogistica stultitia Sanctos

ctos Patres noſtros expugnaverunt.* Et de vtriſque Hęreticis loquens ſic progreditur *eadem Act.* 5.: * Ergo in vtriſque eadem, & ſimili hæreſi reperta, &c.*

284 Cum ergo iuxta Sancti Pontificis Martini verba, Neſtorius, Apollinaris, Severus, aliique Hæretici, tam vnanimes cum Cyro, Sergio, Pyrrho, & Paulo Monothelitis, in eamdem vnius in CHRISTO operationis hæreſim conſpiraverint, eamque pari animorum conſenſu fuerint ſequuti; ſi Honorii mens, vt facti evidentia probavimus, ab illorum Hęreticorum erroribus toto Cælo abfuit, neceſſe eſt, vt dicamus, Honorium ab omni Monotheliſmi, & eiuſdem cum prędictis Orientalibus Patriarchis Cyro, Sergio, Pyrrho, & Paulo, ſententiæ macula, & calumnia immunem prorſus exiſtere, ſicque ſine aperta contradictione, manifeſtoque ipſius Innocentię præiudicio non potuiſſe in VI. Synodo damnari, quòd illorum hæreſim fuerit ſequutus. Immunis ergo ab omni calumnia proclamandus eſt Honorius, eſtò damnatio, quæ VI. in Synodo profertur, ab Hæreticis adulterata non fuerit, & corrupta, prout fuiſſe, latè demonſtravimus.

285 Hæc vt firmiùs ſtabiliantur, nequaquam ſilentio prætereundus eſt prędicti Concilii ſub Sancto Martino 18. Canon, vbi in omnes Hæreticos in ſuperioribus Conciliis Anathemate perculſos, Cenſionis Sacræ fulmina vibrantur; nominatim verò in Sabellium, Arium, Macedonium, Apollinarem, Polemonem, Eutychetem, Dioſcorum, Severum, Theodoſium, Colluthum, Themiſtium, &c. *Cum quibus (inquit Concilium) meritò, vtpotê ſimiles eis, parique errore prędites, ex quibus dogmatizare noſcuntur, proprioque errori vitam ſuam determinantes, hoc eſt, Theodorum quondam Epiſcopum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Conſtantinopolitanum, vel eius ſucceſſores, Pyrrhum, & Paulum in ſua perfidia permanentes, & omnia impia illorum conſcripta.* Vbi clarè innoteſcit, Concilium Anathemate damnaſſe prædictos Orientales Patriarchas Monothelitas, quòd eumdem Arii, Sabellii, Apollinaris, Neſtorii, cæterorumque antiquorum Hæreſiarcharum, iam nominatorum, errorem, ac hæreſim de vnica CHRISTI voluntate, atque operatione fuerint ſequuti; demonſtrato iam genuino Honorii ſenſu, qui longè ab iſtorum erroribus abeſt, penitùſquè ab eorundem hæreſi liber exiſtit; neceſſe eſt, vt dicamus, immunem pariter cenſendum eſſe ab errore Monothelitarum, qui in prędicto Concilio iuſtam damnationis ſubierunt ſententiam: ergo nec iuſtè damnari potuit Honorius, quòd eadem cum illis ſenſerit, ac tenuerit.

286 Nec obſtat dicere *in eodem Canone*, anathematizari etiam *eos qui ſimilia cum illis obſtinatê ſapuerunt, aut ſapiunt, vel ſapere ſperantur,* quos inter potuit Honorius comprehendi. Non inquam obſtat; prędicta enim verba, quia generalia erant, limitat, & explicat ipſum Concilium, dicens: * Hoc eſt, vnam voluntatem, & vnam operationem Divinitatis, & Humanitatis CHRISTI.* Cum autem in prædictis Epiſtolis nulla reperiantur verba, quibus Honorius confiteatur, aut ſentiat in CHRISTO vnam voluntatem, & vnam operationem Divinitatis, & Humanitatis, imò potiùs oppoſitum clariſſimè doceat; hinc eſt, nullo modo comprehendi poſſe ſub illis generalibus verbis: * Et eos qui ſimilia ſapuerunt cum illis.*

287 Notatu etiam dignum eſt, quòd eſtò prædictus *Canon* 18. Sancti Concilii ſub S. Martino, in quo damnati, & anathematizati fuerunt quotquot Monothelitici criminis fontes reperiri potuerunt, bis in medium adducat Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum, numquam tamen, nec leviter adhuc de Honorio meminerit, nec S. Martinus Pontifex, cum ſententiam contra omnes Monothelitas manu ſua ſignavit, vllam de Honorio fecit mentionem, vt ex iis quę ſequuntur verbis innoteſcit: *Martinus, Gratia Dei Epiſcopus Sanctæ Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ Vrbis Romæ huic Definitioni confirmationis Orthodoxæ Fidei, & damnationi Sergii Conſtantinopolitani quondam Epiſcopi, Cyri Alexandrię Antiſtitis, Theodori item Epiſcopi Pharanitani, Pyrrhi, atque Pauli itē Cōſtantinopolitani Epiſcopi, cum hæreticis eorum ſcriptis, ſtatuens ſubſcripſi.* Pariter etiam omnes Patres prędicti Romani Concilii ſub S. Martino ſubſcripſerunt.

288 Hìc etiam diligentiſſimè expen-

den-

dendum est, nec sine ingenti considera-
tione prætereundum, quod cum tot San-
ctissimi Patres, sapientissimique Viri, in
quibus, & ingens Fidei, Christianæque
Religionis Zelus floruit, ac admiranda eru-
ditio enituit, ad illud venerandum, San-
ctumque Concilium confluxerint, Mono-
theliſmi hæresim, istiusque Authores ac-
curatissimè discussuri; cumque id re ipsa,
non quidem brevi, sed longa temporis
intercapedine, prout rei dignitas expos-
cebat, præstiterint; ac Monotheliſmi Au-
thores auditi fuerint, & defensi, num-
quàm tamen, nec isti pro se Honorium,
illiusvè scripta, quę præ oculis habebant,
citarunt, nec protulerunt; nec Patres, estò
multoties, tùm in accusatione, tùm in
condemnatione, prædictos Patriarchas
Orientales Theodorum, Cyrum, Sergium,
Pyrrhum, & Paulum, Monotheliſmi Au-
thores nominaverint, illosque huiusmo-
di hæreseos Antesignanos iudicaverint,
vllam inter illos Honorii mentionem
fecerunt. Arduum igitur, imò, & dif-
ficile apparet, Honorium in Oriente ex
simplici suarum Epistolarum lectione, Mo-
notheliſmi reum fuisse reputatum, cum
in Occidente, vbi plenior aderat illarum
Epistolarum notitia, numquam reus, sed
semper summè innocens fuerit iudica-
tus.

289 Vt hæc magis fulciantur, lectu
digniſsima est Epistola, quam ad omnes
CHRISTI Fideles Synodaliter scripsit
MARTINUS Pontifex, in qua iterum
Monothelitarum repetit damnationem,
quin alios, præter Patriarchas Orientales,
istorumque hęresim commemoret: *Quo-
niam (inquit) Catholica Dei, & Apostо-
lica Ecclesia in quiete, & pace consistente,
veluti Leones rugientes, & quærentes,
quem devorarent, subintroierunt qui-
dam homines, qui olim præscripti sunt
in hoc iudicium impietatis sponte pro-
cedere, hoc est, Theodorus, quondam
Episcopus Pharanitanus, Cyrus Alexan-
driæ, Sergius Constantinopolitanus, vel
eius successores, Pyrrhus, & Paulus,
Magni Dei, & Salvatoris nostri dispen-
sationem, in hæreticam novitatem retor-
quentes, & eum, qui emit eos, CHRI-
STUM Dominum denegantes.*

290 Videamus igitur nunc qualiter
impiam Monothelitarum hęresim, CHRI-
STO, quod suum, propriumque erat, ne-
gantium, Pontifex explicet, & Conci-
lium: *Denegantes (inquiunt) ex hoc,
quod in scripto asserunt, minimè eum ha-
bere secundum formam servi, vel secun-
dum quod propter nos factus est homo,
voluntatem, aut operationem naturalem,
sed sine substantia, sive natura, & non
solum sine Anima, & irrationabilem, &
insensibilem secundum eos existere; quia,
sicut nos Glorioſi Ecclesiæ Patres docue-
runt, quidquid absque voluntate consi-
stit, & opetatione, ab omni caret sub-
stantiali natura.*

291 Qui ibidem prædictorum Mo-
nothelitarum errorem CHRISTO, vt
homini, suas naturales, intellectus, & vo-
luntatis proprietates, suasque operatio-
nes, sicque & Animam, substantiam,
humanamque negantium naturam, ele-
ganter refellit, ac eruditè confundit. Hic
autem error nullatenùs in Honorii *ad
Sergium Epistolis* reperietur: in istis
etenim, quantumvis lynceis, aquiliniſve
lustrentur obtutibus, & estò plurimis ante,
& retro, intus, & foris, animalium Apo-
calypsis instar, oculis circunspiciantur, ac
die, noctuque diligentissimè considerен-
tur, numquàm occurrent verba, quæ, non
dicam probare, sed nè innuere quidem
videantur, ab Honorio, intellectum, vo-
luntatem, istarumque potentiarum ope-
rationes humanas in CHRISTO fuisse
denegatas, pro vt illas, iuxta S. Martinum,
Sanctissimumque Concilium, prædicti Pa-
triarchæ Monothelitæ Hæretici apertis-
simè inficiabantur: non ergo potuit vna
cum illis damnari Honorius, quòd per-
versam illorum sequeretur Doctrinam,
cum tàm longè ab illa absit, ac apertissi-
mè ab huiuscemodi errorum fœcibus ab-
horreat, provt hucvsque tot Sanctorum
Patrum, Sanctissimorumque Conciliorum
testimoniis demonstravimus.

292 Pro coronide, ad maiorem præ-
dictorum confirmationem, omitti non po-
test, nec sine ingenti meditatione prętе-
riri, ardentissimus Zelus, accuratissima-
que sollicitudo, qua Martini Prædeces-
sores incubuerunt, vt à prædicto errore
illius Authores revocarentur, provt clari-
simè demonstrat Conciliaris Epistola,
quam ad omnes CHRISTI Fideles
MARTINUS Pontifex scripsit: *Ca-
tholicæ (inquit) recordationis Anteceſſo-
res nostri Pontifices non destiterunt, ad-

mo-

monentes eos, & conteſtantes recedere à ſua huiuſmodi hæreſi, & ſanam Doctrinam amplecti, *né quando iraſcatur Dominus*, & pereant funditùs de via iuſtorum, hoc eſt, pia Sanctorum Patrum confeſſione. Hoc autem conſultiſſimè, non ſolum ipſi effeciſſe noſcuntur, ſed & alii plures, diverſas Provincias habitantes Reverendiſſimi Epiſcopi, & maius eſt dicere, generalitates Synodorum per ſua ſcripta, non ſolum invitantes emendare propriam hæreſim, ſed & nos ipſos, id eſt, Apoſtolicam noſtram Sedem coniurantes, & proteſtantes erigere ſe ſecundum regularem Authoritatem, & non vſque ad finem per tot tempora permittere, contrariorum novitatem Sanctas Dei Catholicas depaſci Eccleſias.*

293 Tanta autem fuit illorum Patriarcharum Monothelitarum pervicacia, tâmque in peſtifero illo errore obcęcata contentio, vt nec efficax ſapientiſſimorum virorum perſuaſio, nec diligentiſſima Sanctorum Patrum ſollicitudo, nec ſuaviſſima, ac veneranda Paſtoralis hortatio illos à ſuſcepto errore avocare vmquàm potuerit, vt idem Pontifex *ibidem*, hiſce verbis teſtatur:* Ideòque ex omnibus penè Sacerdotibus cum Charitate admoniti, non inclinaverunt aurem ſuam, ad audiendam vocem poſtulantium eos, neque cordis ſui cervicem mitigare voluerunt, vt converterentur ad Deum.*

294 Hinc apertè colligitur, paterna, piaque conſuetudo, quam ſemper Eccleſia adhuc in ipſis Hæreticis retinuit; hęc enim vt piiſſima Mater, Filios ſuos à recto veritatis, & virtutis tramite deviantes, & in præruptos errorum, vitiorumvè ſcopulos abeuntes, hortatur, admonet, & corrigit, Sanctiſſimoſque, ac Doctiſſimos Viros mittit, qui pro ſua virtute, & prudentia errorem, quo miſerè tenentur, pateſaciant, fraudemque, qua ab antiquo humani generis hoſte illuduntur, detegant, vt ducatu Signorum Cæleſtium, pœnitentiæ remis, gubernaculis diſciplinæ, veritatis funibus, ſubducti erroribus ſpeculentur Cælum; ac ſic, gubernante CHRISTO, flante Spiritu Sancto, evictis ignorantiæ ſpumis, ſuperatis errorum fluctibus, decurſis criminum procellis, tranſvectis ſcopulis peccatorum, atque omnium delictorum naufragiis evitatis, ad Fidei portum, ad Eccleſiæ pacem, ad virtutumque amorem traducantur.

295 Hac itaque ſollicitudine in filiis, ab errorum barathro retrahendis, incumbit Eccleſia, hic illius ſcopus, hic illius animus, & ſollicitudo, nullum non movet lapidem, omneſque nervos in hanc rem contendit, vt ſcilicet aberrantes filij, quos dilectiſſimus ſuus Sponſus pretioſo ſuo ſanguine acquiſivit, à Dęmonis caſtris ad Chriſtianam militiam tranſfugiant, & ab errorum turpitudine pedem referentes, ad Eccleſiæ ſinum, melioremque vitę frugem reſtituantur. At quandò iſti, omni Eccleſiæ ſedulitate poſt habita, ſuis erroribus obcęcati, nullis fraguntur minis, nullis commoventur rationibus, nullaque ſuaſione adducuntur, vt ab errorum cœno, ac volutabro decedant, ac reſipiſcant, nê hoc Orthodoxis, veriſque Eccleſiæ filijs iacturæ ſit, ac nocumento, tunc Eccleſia, cum iam, iure optimo, huiuſcemodi obſtinatis dicere poteſt: *Vobis poſt hæc, vltra quid faciam?* ad illorum, eorumque hæreſum damnationem progreditur, & vt ab omnibus agnoſcantur, omneſque ab illorum communione ſevocentur, nominatim illos hæreticos declarat.

296 Nihil autem horum Honorii damnationi præceſſit, vivens namque prædictas conſcripſit Epiſtolas, & non modò in tota ſuæ Vitę periodo, erroris reum in illis adhuc leviter factum eſſe conſtat; verum etiam, nec poſt illius mortem vnus ex novem illius Succeſſoribus, vti fuerunt Severinus I. Ioannes IV. Theodorus, Martinus I. Eugenius, Vitalianus I. Deodatus, Donus, & Agathon, qui VI. Synodum pręceſſerunt, illum alicuius erroris in Fide tactum, aut hęreſis labe notatum agnoverunt; nec in duodecim Cōciliis, quæ tunc temporis, tùm in Oriente, tùm in Occidente contra Monotheli-tas fuerunt celebrata, aliqua adhuc levis in Honorium accuſatio inſurrexit, quæ illum Monotheliſmi erroribus commaculatum aſſereret. Immeritò ergo, & abſque vllo prorſus fundamento, quadraginta ab eius obitu annis, Monothelitis adſcriptus eſt, qui toto ſuæ Vitę tempore procul à Monotheliſmi erroribus abfuit, omniſque vel minimæ culpę, aut erroris expers, & liber à Sanctis Patribus, Sacratiſsimiſque Conciliis commendatur: vt

hucuſ-

hucusque variis rationibus cumulatissimè à nobis demonstratum est.

CAP. VII.

HONORIVM CATHOLICE IN suis sensisse Epistolis, ostenditur.

297 ESTò hactenùs affatim stabilita maneat prima nostra Conclusio, Honorium nempè nulli Hæreticorum dogmati adhæsisse, nullamque Heterodoxorum doctrinam fuisse sequutum, cum non modò Monothelitis assensus non fuerit, sed istius etiam Epistolarum ad Sergium Doctrina Monotheliſmi errori directè adversetur, vt fusè etiam probavimus, nihilominùs tamen, soli negativę huic conclusioni, estò certissimæ, nullatenùs acquiescentes, ad positivam, verissimamque Conclusionem progredimur propugnandam.

298 SECUNDA CONCLUSIO. Honorius Pontifex in suis ad Sergium Epistolis adeò Catholicè sensit, vt non modò à Monothelitarum erroribus longè abfuerit, verùm etiam in his, quæ ad CHRISTI attinent operationes, venerandam Sanctorum Patrum, Sacratissimorumque Conciliorum Doctrinam, semper tenuerit, nec ab illa vmquàm discesserit. Pro clariori huius conclusionis intelligentia, vt certissimum supponendum est, CHRISTI voluntates, & operationes, multifariam, multisque modis explicari posse; nempè, vel termino numerali *duarum* operationum, & voluntatum; *duplicis* voluntatis, & operationis, vel nominibus, duas in CHRISTO voluntates, & operationes significantibus. Non enim minus Fidei Dogma est, in arcano Trinitatis Mysterio, dari in Deo tres Personas realiter inter se distinctas, quàm in ineffabili Incarnationis Mysterio, Fidei Dogma sit, dari in CHRISTO Domino post vnionem Verbi ad Humanitatem, duas naturas, duas voluntates, duasque distinctas operationes; atqui nihilominùs arcanum Trinitatis Mysterium credi potest, & explicari, tùm termino numerali trium Personarũ, tùm aliis nominibus prędictũ numerum significantibus, estò illum non exprimentibus: ergo & ineffabile Incarnationis Mysterium, tùm termino numerali, *duarum* in CHRISTO naturarum, & operationum, tùm aliis nominibus, dari in CHRISTO duas illas operaciones, & voluntates significantibus, credi poterit, & explicari.

299 Consequentia per se patet; Minor in qua difficultatis pondus stat, haud difficilè probabitur, si attentè consideremus ea, quę nos docet Ecclesia in Sancti Athanasii Symbolo, vbi nobis Fidei normam præscribit, & qua ratione Trinitatis Mysterium intellecturi, & explicaturi sumus demonstrat, dicens: *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est vt teneat Catholicam Fidem.* Fides quam habituri sumus, & sequuturi, est Fides de Sanctissimæ Trinitatis Mysterio, in quo tres sumus veneraturi Personas, cum eadem Deitate idemtificatas, hasque priùs numerali termino explicat, dicens: *Vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.* Vt autem melius intelligant Fideles, quęnam sit hæc Personarum Trinitas, illam exponit terminis valdè propriis, & significativis, estò non numeralibus, subdens: *Alia est enim Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.* (Et *infrà*:) *Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, nõ factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Hi autem termini, hę voces, hæcque nomina adeò sunt trium Personarum Sanctissimę Trinitatis expressiva, vt Ecclesia in predicto Symbolo concludat, dicens: *Hæc est Fides Catholica: quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

300 Quis insuper inficiabitur, Ecclesiam totam in fine cuiuslibet Psalmi venerari, credere, & confiteri Sanctissimum Trinitatis Mysterium, trium Personarum Confessione, solis illis verbis: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*: quin Sanctissimę Trinitatis Personas termino numerali, *Trium*, explicet? Et in omnibus ferè Canonicarum Horarum Hymnis, Sanctissimam Divinarum Personarum

præ-

Trinitatem invocat Ecclesia, quin illas prædicto numerali termino exprimat, vt videri potest in Matutinis, vbi dicitur: *Præsta Pater piissime, Patrique compar vnice, cum Spiritu Paraclito, &c.* Et in Prima: *Deo Patri sit gloria, eiusque soli Filio, cum Spiritu Paraclito, &c.*

301 Magnum huic veritati, Authoritatis pondus accedit ex ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina, qui 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. expendens textum illum *Gen.* 2. vbi primi hominis narratur creatio, in illo textu Trinitatem expressam esse arbitratur; sic enim scribit *in supradicto articulo*: *In Veteri Testamento multipliciter expressa est Trinitas Personarum, sicut statim in principio Geneseos dicitur ad expressionem Trinitatis: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.** In hoc textu sentit ANGELICUS DOCTOR, expressam esse diuinarum Personarum Trinitatem, quantumvis numerali termino non explicetur. Vndè colligit, iam tunc in Veteri Lege, imò & ab ipso orbis initio extitisse obligationem credendi explicitè Trinitatem, cum concludat, dicens: *Ergo à principio, de necessitate salutis fuit, credere Trinitatem explicitè.*

302 Verùm non ex veteri modò, sed ex novo etiam Testamento nostra stabilitur Doctrina; nam, vt docet ANGELICUS MAGISTER *3. part. quæst. 66. art. 6. in corpore*: omnia Novæ Legis Sacramenta omnem suam vim, & efficaciam à CHRISTI hauriunt Institutione: CHRISTUS autem Baptismum non nisi cum explicita Trinitatis Invocatione cõferri instituit; tanti autem Præceptoris verba audiamus: *Sacramẽta habent efficaciam ex Institutione CHRISTI, CHRISTUS autem instituit, Sacramentum Baptismi dari cum invocatione Trinitatis.*

303 Videamus ergo nunc, quibus CHRISTI verbis explicita hæc Trinitatis Invocatio in Baptismate innitatur. S. AUGUSTINUS *lib. de vnico Baptismo*, hanc CHRISTI Institutionem ex Evangelio innotescere, apertissimè docet: *Baptismus (inquit) verbis Evangelicis consecratur.* Quænam autem sint hæc Evangelica verba, quibus CHRISTUS in Baptismo, explicitam trium Diuinarum Personarum mentionem fieri præcepit, ANGELICUS docet PRÆCEPTOR *loco suprà laudato, art.* 5. dicens: esse illa quibus CHRISTUS *Matthæi vltimo*, Apostolis Facultatem, Authoritatem, Potestatemque, vt omnes baptizarent, concessit, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In quibus verbis, quamvis explicita fiat trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis mentio, non tamen fit termino numerali *Trium*, sed alijs nominibus propriis, tres Sanctissimæ Trinitatis Personas significantibus.

304 Hinc clarissimè infertur, duas in CHRISTO naturas, voluntates, & operationes dupliciter posse explicari, nempè vel termino numerali *duarum*, vel aliis nominibus duarum illarum CHRISTI voluntatum, & operationum expressè significativis.

305 Singularis eorum, quæ diximus, nostræque Conclusionis propriissima confirmatio occurrit in S. LATERANENSIS CONCILII Definitione *sub S. Martino 1. Act. 5.* vbi Sancta Synodus in temerariam invehitur Monothelitarum audaciam, qui per summum nefas ausi fuerunt asserere, nihil à Sanctis Patribus de duabus CHRISTI voluntatibus, & operationibus expressè dictum fuisse, nec definitum; hanc autem huiusmodi Hæreticorum calumniam validissimè retundit Concilium, ostendens oppositum ex Sanctis Patribus, quorum legitimę Authoritates in eadem illa *Actione. 5.* recitatæ fuerant, apertissimé innotescere; hi enim duas in CHRISTO voluntates, & operationes, variis, diversisque modis, & luculentissima quidem expressione confitebantur: *Ecce etenim (inquit Concilium) non solum definitivè, sed & Dogmaticè, & Syllogysticè, ac naturaliter demonstrativè, & secundum Scripturas agnosticè, & per exempla, & compendiosè, per omnem modum, & verbum intellectualis eorum, & prudentissimæ doctrinæ, vtpotè legitimè, & virilitêr pro ipso Incarnato Deo Verbo contradicentibus resistentes, & repugnantes hæreticos, Arium, Apollinarem, & Nestorium, & omnes omninò sequentes impietates illorum: Eiusdemque vnius CHRISTI Dei voluntates, & operationes professi sunt, & profiteri predicaverunt.*

306 Videamus nunc, quinam sint isti varii, diversique modi, quibus Sancti Patres duarum in CHRISTO voluntatum, & operationum Doctrinam prædicarunt. At modos istos iam, eadem Sanctorum Patrum verba referens, exponit Concilium: *Prædicaverunt (inquit) per numerum, & nomina, hæc proferentes, per pronomina, per alterius intellectum, per eiusdem significationem, per qualitatem, per proprietatem, per virtutem, & compendiosè omne verbum, & positionem, per quam potuisset approbari earundem voluntatum, & operationum vera Fide dictio, & constantia.*

307 Vt autem prædicti varii modi, quibus Sancti duas in CHRISTO voluntates, & operationes explicarunt, aptiùs intelligantur, illos sic exponit CONCILIUM: *Id est, *per numerum*, ex hoc, quod dicunt in vno eodemque CHRISTO duas voluntates, & operationes, & duplicem operationem: *Per nomina*, ex hoc, quod dicunt Divinam voluntatem, & Humanam voluntatem, deificantem, & deificatam, & iterum divinam operationem, & humanam operationem: *Per pronomina* verò, ex hoc, quod dicunt aliam voluntatem esse divinam, & aliam humanam, & aliam, atque aliam operationem: *Per alterius* autem *intellectum*, ex hoc, quod dicunt, quoniam, quę alterius generis sunt, sivè naturæ, similem operationem habere, nullus sapiens dabit: *Per eiusdem* autem *significationem*, ex hoc, quod dicunt, quoniam quę eiusdem operationis sunt, vtique eiusdem substantię confitentur, & communio voluntatis, vnitatem ostendit substantię.

308 *Per qualitatem* vero (prosequitur) ex hoc, quod dicunt, sicuti habent diversam substantiam, & qualitatis rationem, & diversam operationem: *Per proprietatem* autem, ex hoc, quod dicunt: si enim tantum possibile est, quidquam de divinis proprietatibus inesse alicui, qui non est eiusdem substantiæ, & ita potest esse, quomodo & ipsa Deitas; dic mihi, quid est, quod impediat, vt iam omnia, quæ sint Deitatis, cędant? Quidnam ex hoc evenit? Confusa sunt omnia nobis, & alta cędent in ima, ima autem ascendent in alta: *Per virtutem* verò, ex hoc, quod clamant: Quæ eadem operatione, & eadem naturali virtute vtantur, eiusdem esse substantiæ modis omnibus necesse est, & nulla natura alterius substantiæ, vel generis indiffe militer habebit potestates, & operationes.*

309 Relatis autem his variis modis, quibus CHRISTI voluntates, & operationes, possunt explicari; asserit CONCILIVM, Catholicam esse hanc Sanctorum Patrum intelligentiam, hocque esse Dogma, quod contra Monothelitarum errorem sumus sequuturi: *Et hæc quidem ipse Sanctorum Deus, Dominus Noster IESVS CHRISTVS multifariè, multisque modis per Sanctos Patres de se ipso locutus, illuminavit nobis Fidem suam Orthodoxam; sic & intransgressibiliter tenere eam, sicuti Patres prædicaverunt.* Progreditur deindè Concilium ad damnationem Monothelitarum, cæterorumque omnium, qui oppositum prędictorum Patrum Doctrinæ senserint, vel docuerint: *Propterea & hos (loquitur de Monothelitis Cyro, Sergio, Pyrrho, Pauloque, quorum in dicta Synodali Definitione, meminerat) & ea, quæ ab eis conficta sunt Dogmata, reprobantes, secundum statuta Venerabilium Patrum, sive præcepta, qui hoc facere nobis per omnia præcipiunt, Dogmata, & Sermones Sanctorum Patrum, vno corde, & ore, vnanimiter, ac consonanter omnes firmamus, nihil addentes, nihil subtrahentes, de his, quæ ab ipsis tradita sunt nobis, sicque credimus, sicuti Patres crediderunt: ita prędicamus, quomodo docuerunt. (Et *paulò infrà*:) His igitur ita à nobis piè definitis, consequens est, vt sicuti per Sanctos Patres, &c.*

310 Ex iis clarissimè infertur duas CHRISTI operationes explicari posse non modo per numerum *duarum*, vel *duplicis*, vel *geminæ* voluntatis, sed multis etiam aliis modis, quos modo retulimus, quibusque Sancti Patres vsi fuerunt, quorum intelligentiam adeò probavit, & Catholicam iudicavit Concilium, vt iuxta illam Monothelitas, alioque, qui duas in CHRISTO voluntates, & operationes ita explicent, vt prædictorum Patrum menti, & explicationi opponantur, aut ab illa dissentiant, hęreticos habendos esse, statuerit.

311 Supposito igitur hoc certissimo, securissimoque principio, iam ad nostræ Conclusionis probationem progrediamur,

sua-

ſuaſuri, Honorium *ſuis in Epiſtolis*, eſtò duas in CHRISTO voluntates, & operationes, per numerum duarum voluntatum, vel geminæ operationis, non explicuerit, explicuiſſe tamen aliis æquè Catholicis modis, quos nobis prædicti Patres tradiderunt, vnanimemque Sacri Concilii approbationem meruerunt, vt ex dicendis apertiſſimè innoteſcet.

312 MARTINUS igitur Pontifex de Monotheliſmi condemnatione in Romano illo Concilio acturus, præcipuos illius erroris Authores commemorat *Actione* 1. dicens fuiſſe Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum, quorum errorem proponens, hæc habet: * Et Cyrus quidem, ante hos decem & octo annos, vnam operationem in CHRISTO, in Alexandriæ Urbe definiens Divinitatis eius, & Humanitatis.* Loquens autem de Sergio, ait: * Sergius autem, per Epiſtolam propriam, ad denominatum Cyrum ſcriptam, eamdem ſimiliter vnã operationem ſuſcipiens, &c.* Et *infrá*, de ipſo Sergio, iſtiuſque errore loquens, aſſerit communi Sanctorum Patrum Doctrinæ, opponi: * Dico autem confirmatam ab eo in ſcripto vnam operationem, in hoc apertiſsimè Sanctorum Patrum abnegante conſonam Doctrinam.* Quanam autem ratione, id à Pontifice probetur, clarè patet: ſic enim proſequitur: * Intranſgreſſibiliter definientium, quia quorum vna eſt operatio, horum vna eſt natura.* Quod Sancti Baſilii Authoritate probat Pontifex, ſubdens: *Ita etiam Beatus quidem Baſilius contra Eunomium ſcribens, ait: Quorum operatio vna eſt, horum eſſentia vna eſt.*

313 Idipſum cenſet S. CYRILLUS *in lib. Theſaurorum*, vbi ait: *Solent enim quæque habent eamdem operationem, eiuſdem eſſe eſſentiæ: & differentiam naturæ in his eſſe, impoſſibile eſt.* Ergo cum Honorius duas in CHRISTO naturas, ſubſtantialiter vnitas cum ſuis propriis differentiis, eſſentialiter diſtinctis, fateatur, vt ex ipſius verbis probavimus, iam ex hoc ipſo duas in CHRISTO voluntates, & operationes admittit.

314 Conſequentia videtur legitima: ſi enim, iuxta Sanctos Patres, naturæ ita annexa eſt operatio, vt vbi vna eſt voluntas, & operatio, vt ſit & natura vna, neceſſe ſit: ergo à contrario ſenſu, vt Iuris vtriuſque periti loquuntur, ex naturis eſſentialiter diſtinctis diverſæ inferendæ ſunt operationes. Adeò legitima, ſecuraque eſt hęc conſequentia, vt illa vſus fuerit S. MARTINVS Pontifex, prędictorum Monothelitarum errorem convicturus. Sic etenim loquitur *Actione* 1. * Si enim vbi vnam naturalem operationem, & naturam vnam eſſe, docent, vtique vbi diverſæ naturæ ſunt, diverſas eſſe eſſentiales operationes docere noſcuntur: Quoniam per differentiam naturę, differentia naturalium operationum introducitur.*

315 Si iuxta vnanimem Sanctorum Patrum, pręcipuè verò Baſilii, & Cyrilli Doctrinam, neceſſe eſt, vt vbi vna eſt operatio, vna ſit & natura, & vbi vna eſt natura, vna ſit & operatio; optimè infert conſequentiam S. Martinus Sanctorum Patrum Doctrinæ conſonam, dum ait: * Vtique vbi diverſæ naturæ ſunt, diverſas eſſe eſſentiales operationes, docere noſcuntur.* Cum igitur Honorius duas in CHRISTO naturas, Divinam nempè, & Humanam confiteatur, iam eo ipſo, iuxta Sanctorum Patrum Doctrinam, diverſas in CHRISTO operationes, diſtinctas item & voluntates, Divinam nempè, & Humanam, admittit.

316 Idipſum haud levitèr confirmatur hac ratione, à ſimili deſumpta; vt etenim Fides ex vnitate Divinæ naturæ in tribus Perſonis realiter diſtinctis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto, vnam dumtaxat in illis agnoſcit voluntatem, vnam & operationem confiretur Divinam. *Sic etiam (inquit idem Pontifex) cum Fides, duas in CHRISTO confiteatur naturas, duas & voluntates, & operationes, ex naturarum diverſitate admittat, & confiteatur neceſſe eſt:* ergo ſi Honorius ſuis in Epiſtolis: *Duas naturas operantes, & operatrices* confitetur in CHRISTO, eodem planè modo, eademque Doctrina, qua duas illas operationes fatebantur illi Sancti Patres, quorum Authoritatibus vtitur Sanctus Martinus, duas in CHRISTO voluntates, & operationes contra Monotheliſmi Authores tuetur.

317 Idem Martinus Pontifex, Catholicum illud Dogma probaturus, adducit etiam S. LEONIS Papæ Authoritatem *in Epiſtola ad Imperatorem Leonem* directa, qua illum de voluntatibus

CHRISTI instituens ex Evangelio, hæc scribit: *Secundum quidem formam Dei, ipse & Pater vnum sunt (*Ioan.* 10.) secundum autem servi formam, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius, qui misit eum (*Ioan.* 6.)* Quæ verba expendens S. MARTINUS: *Apertissimè (inquit) nobis ostendens secundum naturas, duas vnius eiusdemque CHRISTI Dei voluntates, per hoc, quod dicit, voluntatem formæ servi, quæ est Humana eius voluntas, & per hoc, quod dicit: Voluntatem eius, qui misit eum, quæ est secundum naturam, Divina.* Hinc apertè deducitur, quod si Martinus Pontifex, ex S. Leonis Doctrina, duas infert in CHRISTO voluntates, secundum duas naturas, Divinam videlicet, & Humanam, quas S. Leo confitetur in CHRISTO; cum Honorius Pontifex duas etiam in CHRISTO fateatur naturas, Divinam scilicet, & Humanam, cum suis propriis differentiis, vt satis indicant, imò & demonstrant illa ipsius Honorii verba: * Quod Divinitati vnita est caro passibilis, ineffabiliter, atque singulariter, vt discretè, atque inconfusè, sic indivisè videtur coniungi, vt nimirùm stupenda mente mirabiliter manentibus vtrarumque differentiis, cognoscatur vniri,* Duas ergo voluntates in CHRISTO ab Honorio fuisse admissas, minimè est dubitandum. Præterea, quia propriissima naturę Divinæ differentia est voluntas, & operatio Divina; sicut & naturæ Humanę voluntas, & operatio humana: Cùm igitur Honorius vtrasque naturas, Divinam, & Humanam substantialiter vnitas, & cum suis propriis differentiis confiteatur in CHRISTO: Hinc iuxta Sanctorum Patrum, quos suprà laudavimus, Doctrinam, negari non potest, Honorium duas admisisse in CHRISTO voluntates, duasque non denegasse operationes.

318 Nec minus huic nostræ Conclusioni patrocinatur S. FLAVIANI Authoritas, qua etiam in prædicto Concilio vtitur Sanctus Martinus Pontifex, vt duas in CHRISTO voluntates probet, & operationes; hic igitur *in Tomo*, quem *de duabus CHRISTI operationibus* scripsit, sic de Salvatoris nostri operationibus loquitur: *Operatur enim vtraque forma cum alterius Communione, quod proprium est: Verbo quidem operante, quod Verbi est, carne autem exequente, quod carnis est; & vnum horum coruscat miraculis, aliud autem succumbit iniuriis.* Tanta autem fuit huius Sanctissimi Viri Authoritas, tamque spectabilis eius Doctrina, vt illum, Sanctum OEcumenicum Chalcedonense Concilium *Fidei columen, & propugnaculum* appellarit; quodquidem Concilii encomium, eius honoris, & æstimationis est, ac si huiusmodi laude commendatus à singulis illius Synodi Patribus, & Conciliis fuerit, & simili honore insignitus; in his enim, quæ ad Fidem spectant, eadem est Sanctorum Patrum, eadem Sanctissimorum Conciliorum mens, & sententia.

319 Nè autem id, quod de tanto Viro diximus, hyperbolicum elogium videatur, audiamus quid Sanctus MARTINUS dicat: Hic enim postquam *Act.* 1. prædicta S. Flaviani verba protulit, sic eum commendat: * Quem columnam Orthodoxę Fidei Sancta Chalcedonensis Synodus definivit, hoc est dicere, omnium Sanctorum Chorus: quod vnà Sanctorum Patrum Synodus iudicare videtur, tàm omnes Synodi, quàm vniversi omninò, confirmare Patres noscuntur, vtpotè in vno, eodemque verbo Fidei, vicissim sibi per indissolubilem consonantiam concordantes.*

320 Cum igitur tot præconiis huius Sancti commendetur Doctrina, videamus nunc, quid S. Martinus de suprà laudato textu sentiat; prędictum igitur textum adeò Catholicum reputat, vt ex illo duas in CHRISTO inferat voluntates, duas ex ipso deducat operationes: *Si igitur (inquit Pontifex) quomodo dicit prædictus Pater, vtriusque naturæ, ex quibus, & in quibus indivisè existens cognoscitur, quod proprium est, idem naturaliter, & voluntariè operatur, sine dubio vtriusque naturalem habuit idem voluntatem, & operationem.*

321 Ex quibus duo infero. Primò, Sanctum Flavianum in prędicto textu, iuxta Divum Martinum, duas in CHRISTO voluntates, duasque operationes clarissimè confiteri; ad duas enim istas voluntates definiendas in CHRISTO, in suo Concilio Pontifex Martinus prædictam laudavit Authoritatem: nihilominús tamen Sãctus Flavianus duas illas in CHRISTO voluntates, & operationes termino

numerali, *duarum*, vel *geminæ*, vel *duplicis* operationis non explicat; quamvis istæ clarissimè ex eius inferantur Doctrina.

322 Secundò, Honorium hanc duarum in CHRISTO voluntatum Doctrinam non minori, imò & maiori claritate, quàm Flavianus, tradidisse; sic enim Flavianus dixit: *Operatur enim vtraque forma, cũ alterius Cõmunione.* Quapropter opus fuit S. Martini declaratione, qui pro *vtraque forma*, *vtramque* intellexit *naturam*, vt ex his ipsius verbis, quæ paulò ante retulimus, innotescit: * Si igitur, quomodo dicit prædictus Pater, vtriusque naturæ.* Et ibidem sic prædicta verba explicat ipse Martinus: *Vtriusque formæ, quę sunt propria, id est, naturæ, secundum Patris Doctrinam, cum alterius Communione, in vnitione indivisum procedebat.*

323 At Pontifex Honorius *in secunda sua Epistola*, nulla indiget explicatione; clarè enim, & apertè vtrasque naturas confitetur in CHRISTO: *Vtrasque (inquit) naturas in CHRISTO vnitate naturali copulatas, operantes, & operatrices confiteri debemus.*

324 Si Sanctus FLAVIANUS dicit: * Operatur vtraque forma, quod proprium est (quod sic explicat:) Verbo quidem operante, quod Verbi est; carne autem exequente, quod carnis est.* Nihil horum in Honorii deficit Epistolis, in prædicta enim Authoritate, ex operantis personę vnitate, vnitatem operationis nullatenùs deducit, sed ex duabus operantibus in CHRISTO naturis, Divina, videlicet, & Humana, diversas, & discretas voluntates infert, & operationes; vtramque enim naturam quod suum erat, operatam fuisse, clarissimè prædicta eius demonstrat Authoritas, in qua, postquam dixit, vtrasque in CHRISTO naturas operantes esse, & operatrices, sic prosequitur: *Et Divinam quidem, quæ Dei sunt operantem, & Humanam, quę carnis sunt, exequentem.* Et ipse Sanctissimus Honorius *in 2. Epistola iam citata* vtrasque naturas admittit in CHRISTO, & vnamquamque quod proprium est operantem, tanta claritate, & expressione fatetur, quanta de eisdem Sanctus loquitur Flavianus, *in eadem* namque *Epistola* confitetur: * Duas naturas, id est, Divinitatis, & carnis assumptę in vna persona Vnigeniti Dei Patris inconfusè, indivisè, nobiscum prædicare, propria operantes.* Ergo si Sanctus Martinus perversum Monothelitarum errorem convictur us, ex prędicta S. Flaviani Authoritate Catholicum de duabus in CHRISTO voluntatibus, & operationibus, infert Dogma. Et de Catholico isto Dogmate, maiori adhuc, quàm S. Flavianus, claritate, & expressione loquatur Honorius, iure optimo dicere possumus, Honorii in suis ad Sergium Epistolis Doctrinam æquè, ac S. Flaviani, Catholicam existere, & vtrumque æquè Catholicè sensisse. Vndè si S. Flavianus, ceu Fidei *Columna*, ac *propugnaculum*, nè transversum quidem vnguem à SS. Patrum Doctrina discessit, vt suprà probatum relinquimus; idem proculdubiò de Pontifice Honorio dicendum.

325 Egregiè etiam pro nobis stat S. MAXIMUS; expendens namque Chalcedonensis Concilii Definitionem, qua *Actione* 5. Concilii Sancti Martini, duæ in CHRISTO Fide Divina credendæ proponuntur naturæ, adhuc post vnionem, diversę, quãtumvis vnicuique sua diversa correspondeat proprietas, & operatio; in quo istæ diversę proprietates Divinæ, Humanęque in CHRISTO naturæ consistant, hisce verbis exponit: *Proprietas autem est Divinæ Naturę CHRISTI, Divinitus eum velle, & operari Divina. Item: Proprietas est eiusdem Humanæ naturæ, eumdem Humana velle, & operari humana, vt approbetur Deus, & Homo naturaliter esse.* Cum igitur Honorius, vt diximus, non modò duas in CHRISTO naturas, sed vtrasque etiam cum suis distinctis proprietatibus confiteatur illis secundæ suæ Epistolæ verbis, quibus in CHRISTO prædicat: *Duas naturas, id est, Divinitatis, & carnis assumptæ, propria operantes.* Iam eo ipso duas in CHRISTO naturas Divinam, videlicet, & Humanam, cum suis propriis, & distinctis proprietatibus confitetur. Cum autem iuxta S. Maximum Divinæ in CHRISTO Naturæ proprietas sit divinitus eum velle, & operari Divina; sicut & naturę humanę in ipso CHRISTO, velle, & operari humana: Hinc manifestè deducitur Honorium necessariò diversas in CHRISTO admittere voluntates, Divinam nempè, & humanam; diversas item

opera-

operationes, Divinam, videlicet, ac Humanam in ipso CHRISTO fateri.

326 Et quamvis, id *in* 2. *Epistola* apertissimè doceat Honorius; non minori certè claritate, ac expressione *in* 1. prædicta *Epistola* testatus est: * Dominum IESVM CHRISTVM mediatorem Dei, & hominum, operatum divina, media Humanitate verbo Deo naturaliter vnita, eundemque operatum humana ineffabiliter, atque singulariter assumpta carne.* Et *in eadem Epistola* idipsum confitetur, dum ait: *Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, Filium Dei vivi, Deum verissimum in duabus naturis operatum, divinitùs, atque humanitùs, Fide Orthodoxa, & veritate Catholica prædicetis.* Vndè si, iuxta S. Maximum, Divinæ naturæ proprietas est, *divinitùs velle, & operari divina,* sicut, & Humanæ naturæ *velle, & operari humana,* Honorium prædicare CHRISTVM in duabus naturis operatum divinitùs, atque humanitùs, perindè est, ac ipsum Honorium fateri CHRISTVM divina, in natura divina; & humana, in natura operatum esse humana: Ergo in CHRISTO non modo duas distinctas naturas, divinam, scilicet, & humanam fatetur Honorius, sed naturales etiam istarum proprietates diversas admittit, eodem planè modo, quo illas in CHRISTO S. Maximus prædicabat: Ergo Honorius æquè, ac Maximus admittit in CHRISTO velle divinum, & operari divinum: velle item humanum, & operari humanum; sicque Honorius adamussim in omnibus cum S. Maximo in eamdem, de CHRISTI voluntatibus, & operationibus, Doctrinam conspirat.

327 Ad maiorem nostræ conclusionis confirmationem, lectu digna est Epistola, quam CARTHAGINENSE CONCILIUM, *sub Victore Episcopo, ad Pontificem Theodorum S. Martini antecessorem*, conscripsit, in qua condolet Concilium novam Monotheliſmi hæresim, quam in illis Orientalibus partibus Patriarcha Paulus, vnam tantummodo in CHRISTO voluntatem, operationemque, contra vnanimem Sanctorum Patrum Doctrinam admittens, sparserat, ac miserrimè divulgarat: * Dum (vt inquit Concilium) manifestissimis Patrum Definitionibus liquidiùs clareat, in Domino Nostro IESU CHRISTO duas naturas, & earum duas voluntates, duasque operationes, vel proprietates naturales, modis omnibus inveniri. Quod possemus (inquiunt illius Concilii Patres) multiplicibus Patrum documentis nostræ parvitatis intentionem firmare, nisi vestram Sanctissimam Fraternitatem, in omnibus corde ea retinere firmissimè teneamus.*

328 Nihilominùs tamen Sanctissimi illi PATRES duas illas in CHRISTO voluntates, operationesque probaturi S. Leonis Papæ testimonio, & Authoritate vtuntur: *Vt autem (inquiunt) ipsius Sedis Apostolicæ Decretis per omnia confirmemur, Leonis Beatissimi, prædecessoris vestri Apostolicæ memoriæ Definitionem inseri prævidimus, & continet: Agit enim vtraque natura, cum alterius communione, quod proprium est.* Ex his S. Leonis verbis, hanc inferunt consequentiam: *Nos itaque, Patrum in omnibus Decreta sequentes, in CHRISTO Domino Nostro duas naturas, earumque duas voluntates, duasque operationes firmissimè prædicamus.*

329 Si ergo prædictum Concilium ex relatis S. Leonis verbis, duas in CHRISTO voluntates, & operationes Catholicè infert, vtique istę ex Honorii Pontificis verbis inferri possunt, & deduci; si enim S. Leo duas in CHRISTO admittit naturas, quod proprium est, operantes; idipsum in Honorii Epistolis invenitur; *in secunda* etenim * duas naturas, ideſt, divinitatis, & carnis assumptæ, in vna Persona Vnigeniti Dei Patris, propria operantes,* confitetur in CHRISTO; quod idem est cum præfata S. Leonis Sententia, imò idem eisdem ferè verbis Leo, & Honorius fatentur: Ergo si S. Leo, iuxta Sanctissimos illius Concilii Patres, duas in CHRISTO voluntates, & operationes Catholicè sensit; nulla certè aderit ratio, nè Honorium suis in Epistolis Catholicè etiam de CHRISTI voluntatibus, & operationibus sensisse, dicamus.

330 Pro hac eadem conclusione firmiùs stabilienda, haùd parum facit principium illud certissimum, quod nempè sicut ex operationis vnitate, essentię, naturæque vnitas deducitur; sic etiam ex natutarum diversitate, operationum diversitas comprobatur; quod adeò certum

est,

est, vt multis Sanctorum Patrum, Sacratissimorumque Doctorum testimoniis confirmetur, ac stabiliatur.

331 Probat S. AMBROSIUS in Filio Dei eamdem Patris voluntatem, & operationem reperiri, & ex operationis vnitate, voluntatis arguit vnitatem: *Quã voluntatem (inquit) habet Pater, eamdem habet & Filius. Pater quos vult vivificat, & Filius quos vult vivificat, sicut scriptum est *Ioannis* 5. (Vndè infert Sanctus:) Vna ergo voluntas est, vbi vna operatio.*

332 Ipse S. Ambrosius ex operationis, & voluntatis vnitate, quam cum Patre, & Filio habet Spiritus Sanctus, arguit, & convincit, ipsum Spiritum Sanctum eamdem cum Patre, & Filio habere essentiam, & naturam: *Ergo si vnius voluntatis, (ait *in Sermone 3. ad Gratianum*) & operationis est cum Patre, & Filio Spiritus Sanctus, vnius est essentiæ; quoniam per sua opera Creator ostenditur.*

333 S. BASILIVS tàm connexas inter se operationem reperit, & essentiam, vt vbi vna est operatio, vnam solummodò agnoscat essentiam, vt constat ex iis, quæ scripsit *de Syllogismo contra Eunomium facto*, ex sermone syllogistico, vbi ait: *Quorum vna, atque eadem operatio, horum & vna essentia.*

334 Vndè si, iuxta Sanctos Patres, ex operationis vnitate, essentiæ, naturæque vnitas deducitur; sic etiam ex essentiæ, naturæque diversitate, operationum diversitas inferatur, necesse est. Ea fuit S. AMBROSII mens, qui insurgens contra Hæreticos, vnam tantummodò in CHRISTO Domino Divinitatis, & Humanitatis operationem constituentes, vt impossibile reputat, cum duę in CHRISTO Domino essentialiter distinctæ naturæ reperiantur, vnam posse esse vtriusque naturæ operationem. *In Sermone* igitur 2. *ad Gratianum Imperatorem*, loquens de CHRISTO, hęc, inter alia, scribit: *Quomodo autem si minor est, eadem similiter facit? Et quomodo eadem operatio diversæ substantiæ est? Numquid ita potest minor, sicuti & maior operari? Aut potest vna operatio esse, vbi diversa essentia?*

335 Sanctus Basilius *Sermone 1. contra Eunomium*, rectissimè hanc comprobat veritatem: *Quomodo (inquit) differentia substantiæ, vbi idemtitas operationis cognoscitur? * Et à contrario probat idem Sanctus quod vbi diversæ substantiæ, & naturæ cognoscuntur, diversę etiam debent agnosci operationes: *Immutatis, namque (inquit) substantiis, immutatas oportet esse operationes.*

336 Idem Sanctus *in eodem Sermone*, sic effatur: *Quorum autem æqualis est virtus, vtique æqualis & operatio.* Et *in interpretatione 1. Psalm.* *Quorum autem (inquit) vna natura est, horum eędem sunt operationes.*

337 Huic Doctrinæ consonat Sanctus CYRILLUS, qui expresè docet, non modò vnam debere esse operationem, vbi vna est natura, verumetiã operationes essentialiter diversas diversis debere correspondere naturis, vt videri potest *in expositione in Evangelium Ioannis*, vbi hęc habet: * Operabuntur enim similiter, quæque eamdem sibi sortita sunt naturam. Quibus autem essentiæ ratio dissimilis, his erit in omnibus, operationis ratio dissimilis.*

338 Idem Sanctus ibidem docet, quod sicut in Patre, Filio, & Spiritu Sancto vna est voluntas, & operatio, quia in tribus illis Personis vnam esse naturam Divinam Catholica Fide docemur; sic etiam vbi diversæ agnoscuntur naturæ, & essentiæ, vt in ignè, aqua, aliisque naturaliter diversis, indispensabiliter oportere diversas esse naturales operationes, iuxta diversarum naturarum multitudinem. Audiamus Sanctum, qui vtrumque mirificè docuit. Primùm quidem *lib. de Thesauris*, vbi sic ait: * Si ea, quæ eiusdem indissimiliter operationis sunt, & eiusdem essentiæ confitentur: est autem eiusdem operationis cum Patre Filius, omnia quanta facit, & ipse, similiter faciens, sine dubio erit & eiusdem essentię ab eo, quod & eiusdem operationis.*

339 Secundum verò *in eodem libro*, vbi hæc scribit: * Quæ alterius generis, & alterius naturæ sunt, eamdem operationem habere, nullus sapientium dabit. Nec enim aqua, & ignis vnum aliquid, & hoc ipsum operabitur: sed sicut distantem habent essentiæ, & æqualitatis rationem, ita & diversam dabunt operationem.*

340 Et *in eodem libro*: *Solent enim

enim (inquit) quæ eamdem operationem habent eiusdem esse essentiæ, & in his quod alterius est naturæ, incredulum est.*

341 Idipsum confirmat Sanctus, dûm ait: Vbi diversa est substantia, & natura, necesse est vt & diversę sint operationes: * Vbi (inquit) substantiæ in quibuslibet diversa ratio extitit, ibi conveniens erit, in operationibus dissimilitudinem esse.*

342 Ex dictis satis, superque probatum est, tot erud'torum Sanctorum Patrum, Ecclesiæque Doctorum Authoritate, naturæ ita annexam esse operationem, operationique naturam, vt generatim loquendo, vbi vna tantummodò est natura, vna sit & operatio, naturæ illi propria; ideòque Fides, Sancti, & Concilia docent in tribus Divinis Personis, estò inter se realiter distinctis, nullum esse neque voluntatum, neque operationum discrimen; sed vnicam in eis esse voluntatem, & operationem, quia in omnibus illis eadem est divina natura: ê contra verò, vbi diversæ sunt naturę, & essentiæ, iuxta vnanimem prędictorum Patrum Doctrinam, non potest non, operationum diversitas agnosci; cum igitur Honorius in prædictis Epistolis, non modo diversas in CHRISTO confiteatur naturas, divinam, videlicet, & humanam, sed etiam has eadem naturas operatrices, & propria operantes agnoscat, iam ex hoc ipso clarissimè probatur Honorium diversas, etiam in CHRISTO operationes, voluntatesque vtriusque naturæ proprias admittere: sicque nihil ipsi deesse, vt de CHRISTI operationibus Catholicè, sicuti S. Ambrosius, Cyrillus, & Basilius, quos supra laudavimus, sentiat; cum ex eodem principio, quo isti Sancti Patres diversas in CHRISTO operationes contra sui temporis hæreticos probarunt, Catholicè etiam, ex Honorii in prædictis Epistolis Doctrina, diversæ illæ in CHRISTO operationes deduci possint, ac probari.

343 Verùm non modò ex diversis naturis diversæ operationes, sed & voluntates diversæ probantur. Hanc Doctrinam nos mirificè docuit S. CYRILLUS, qui impossibile iudicat, Creatorem inter, & creaturam vnam tantummodò operationem inveniri: *Nec enim (inquit) vnam esse naturalem operationem dabimus Dei, & creaturę, vt neque creaturam in Divinam referamus substantiam, neque quod pręcipuum est Divinæ naturæ, ad dignum locum nascentium deponamus.* Ne in impium, & non ferendum prolabamus absurdum, quo creaturam in divinam referamus substantiam, divinamque essentiam ad creatam deprimamus naturam; si non aliam Deus, quam creatura, naturalem operationem habere dicatur, necessarium omnino reputat Sanctus diversas Deo, & creaturæ operationes esse adscribendas, eo ductus fundamento, quod Deus, & creatura habent naturas infinitè distantes, & essentialitèr diversas, qualis autem est natura, talis esse debet, iuxta istius Sancti Doctrinam, operatio, & voluntas, taliter, vt si natura creata sit, voluntas similiter, & operatio esse debeat creata; si autem divina est natura, voluntas pariter, & operatio debet esse divina. Cum autem Honorius Pontifex, duas in CHRISTO confiteatur naturas, per intellectum, & voluntatem operantes, quia intellectivæ sunt, aliam divinam, humanam aliam: *Divinam, quidem, quæ Dei sunt operantem; & humanam, quæ carnis sunt exequentem.* Istęque operationes intellectui correspondeant, & voluntati; operatio quidem divina intellectui, & voluntati divinę; operatio vero humana, intellectui, & voluntati humanæ, infinitè distantibus, & essentialiter diversis, hinc clarissimè deducitur Honorium Pontificem *in 2. sua Epistola*, Catholicè admisisse in CHRISTO, iuxta S. Cyrilli Doctrinam, non modo duas operationes essentialiter diversas, sed duas etiam voluntates essentialiter distinctas.

344 S. GREGORIVS NYSSENUS *in Sermone*, quem *contra Apollinarem* scripsit, ex eo probat in tribus Divinis Personis vnam tantummodò voluntatem adesse, quia vna est omnibus communis natura: *Vnam (inquit) voluntatem esse Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, naturę communio protestatur: Ergo si hoc vult Sanctus Spiritus, quod placet Filio, communio voluntatis apertissimè ostendit vnitatis substantiam.*

345 Egregiè etiam huic consonat Sententiæ S. GREGORIUS NAZIANZENUS, qui ideo in Patre, & Filio vnam tantum voluntatem fatetur, quia vna tantum est essentia, & Divinitas vtrique communis; *Sermone* namque 2. *de Filio* explicans textum illum *Ioannis* 5.

Non

Non vt faciam voluntatem meam, hæc scribit: *Nec enim mea separata est à tua; sed communem meam, & tuam: Et quorum sicut vna est Deitas, ita & voluntas.* Hæc ille.

346 Undè si vterque Gregorius vnanimis affirmat in Patre, & Filio vnam tantummodò reperiri voluntatem quia estò sint personæ realiter distinctę, eamdem habent naturam, & Deitatem communem, & ex naturæ vnitate, voluntatis vnitas comprobatur: certè à contrario sensu, vbi Fides diversas adstruit naturas, necesse omninò est, vt diversas etiam voluntates confiteamur: Cùm autem Honorius duas in CHRISTO naturas (Divinam nempè, & Humanam essentialiter distinctas, operantes quidem, & operatrices (per intellectum, & voluntatem) Catholicè confiteatur: hinc iuxta vtriusque Gregorii Nysseni, & Nazianzeni sententiam, diversas etiam in CHRISTO operationes, & voluntates indispensabiliter admittit.

347 Eadem est S. CYRILLI ALEXANDRINI mens; iudicat enim Catholicam Fidem, non ob aliud in Patre, Filio, & Spiritu Sãcto vnam voluntatem agnoscere, nisi quia vna est in illis natura, vna est substantia Divina, vt apertissimè ostendit *in lib. super Matthæum* 12. vbi hæc habet: *Dum autem vna, & consubstantialis Sancta Trinitas, & vna Deitas in ipsa intelligitur, quomodò non erit eadem voluntas Patris, & Filij, & Spiritus Sancti?*

348 Et *lib. 9. in Ioannem*, loquens de Filio, sic scribit: *Sicut enim consubstantialis est, ita & eiusdem voluntatis suo Genitori; vnius enim substantiæ, vna videlicet & voluntas.* Ergo si Honorius *suis in Epistolis* duas in CHRISTO naturas substantialiter distinctas admittit, vtiquè ex hoc principio clarissimè deducitur, admittere etiam duas in CHRISTO voluntates, adeò inter se distinctas, vt alia sit Divina, alia Humana; nulla enim est maior ratio, cur ex vna natura Divina, iuxta S. Cyrillum, vna inferatur voluntas Divina, & ex duabus naturis, altera Divina, Humana altera, duæ non inferantur voluntates, Divina nempè, & Humana: Ergo si primum, iuxta S. Cyrillum, Catholicum est; secundum a contrario sensu, iuxta Pontificis Honorii Doctrinam, non potest non iudicari Catholicum; quia iuxta commune vtriusque Jurisprudentiæ Axioma: *Vbi militat eadem ratio, eadem est Iuris dispositio.*

349 Præclarè etiam hanc nostram Conclusionem illustrat S. AMBROSIUS, *Sermone* namque 2. *ad Gratianum*, loquens de CHRISTO, vt Deo, & Homine, duas in illo voluntates agnoscit, dicens: *Sed alia voluntas Hominis, & alia voluntas Dei.* Idque non ob aliud, nisi; quia tùm ipse Ambrosius, tùm omnes Patres duas in CHRISTO distinctas confitentur naturas, Divinam, & Humanam, Dei nempè, & Hominis. Hoc autem ipsum, quod admittit Ambrosius, admittit etiam *suis in Epistolis* Honorius; *in prima* namque loquens de Filio Dei, hæc scribit: *Profectò nos instruens quod Divinitati vnita est Caro passibilis ineffabiliter.* Verùm non modò duas in CHRISTO fatetur naturas; sed illas in suo esse Divino, & Humano realiter distinctas, & cum suis proprijs differentiis suppositum illud CHRISTI constituentes, agnoscit: *Divinitati (inquit) vnita est caro discretè, atque inconfusè, sic indivisè videtur coniungi, vt nimirùm manentibus vtrarumque naturarum differentiis cognoscatur vniri.* Et *in 2. Epistola* hanc eamdem Doctrinam confirmat, dùm agnoscit in CHRISTO *Vtrasque naturas in vno CHRISTO naturaliter copulatas, operantes, atque operatrices.* (Et *paulò infrà*:) Sed naturarum differentias integras confitentes.* Cum autem intellectivarum naturarum differentiæ propriæ sint intellectus, voluntas, & operatio: hinc cum Honorius duas naturas intellectivas, Divinam nempè & Humanam cum suis integris differentiis Divinitatis, & Humanitatis confiteatur in CHRISTO; iam ex hoc ipso duas in CHRISTO voluntates, & operationes distinctas admittit.

350 Hæc vt magis stabiliantur, audiamus S. MAXIMUM suprà laudatum, qui *in S. Martini Concilio* elegantissimè perorans, distinctas Divinæ, Humanæque naturæ proprietates rectissimè exposuit, dicens: *Proprietas autem est Divinæ naturę CHRISTI, Divinitùs eum velle, & operari. Item: Proprietas est, eiusdem Humanæ natutæ, eumdem Humana velle, & operari Humana.* Huic autem S. Maxi-

mi Doctrinæ, Honorii scripta apertissimè congruunt. *Epistola* enim *prima* fatetur Honorius CHRISTUM *Deum verissimum in diversis naturis operatum Divinitùs, atque Humanitùs.* In *secunda* verò *Epistola*, non modò CHRISTUM operantem agnoscit, sed duas etiam illius naturas cum suis propriis, & distinctis operationibus admittit, dùm inquit: *Divinam quidem, quę Dei sunt, operātem, & Humanam, quæ carnis sunt, exequentem.* Cum autem omnis operatio Divinæ naturæ sit per intellectum, & voluntatem Divinam: Omnis item Operatio Humana per intellectum, & voluntatem Humanam, qui quidem intellectus, & voluntates realiter, essentialiterque distinguuntur: Hinc, iuxtà S. Maximi Doctrinam, necessariò infertur, Honorium diversas in CHRISTO naturas, voluntates, & operationes fateri.

351 Valdè etiam huic nostræ Sententiæ consonat S. ATHANASIJ Doctrina *super illum Textū: Pater, si possibile est, trāseat á me Calix iste, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Et iterùm: *Spiritus promptus est, caro autem infirma*: prædicta namque exponens verba *Sermone contra Appollinarium* facto in Trinitate, & Incarnatione: *Duas (inquit) voluntates hic ostendit (quas sic explicat) tàm humanam, quod est carnis; quàm Divinam, quod est Deitatis: Humana quidem propter infirmitatem carnis, recusat Passionem, Divina autem eius est promptissima.* Cum igitur Honorius *in secunda sua Epistola* duas in CHRISTO confiteatur naturas, *Divinitatis, & carnis assumptæ.* Divinam nempè, & Humanam, cum suis proprietatibus naturalibus propria operantibus: hinc cum proprietates Divinæ naturæ sint voluntas, & operatio Divina; sicut & naturæ Humanæ voluntas, & operatio Humana, vt cum S. Maximo diximus, rectissimè deducitur Honorium in duabus CHRISTI voluntatibus, cum S. Athanasii consensisse Doctrina.

352 PATRES insuper illius *sub S. Martino* CONCILIJ, duas in CHRISTO voluntates vt probarent, S. Gregorii Nysseni Authoritatem, *ex Sermone contra Appollinarem* desumptam, produxerunt in medium, qui expendens locum illum *Matthæi 26.* in quo Patrem Æternum alloquitur CHRISTUS, clarissimè duas in CHRISTO voluntates agnoscit, Divinam, scilicet, & Humanam. *Quoniam (inquit) formidare quidem in Passione, humanæ fragilitatis est, iuxta quod Dominus ait: Spiritum promptum esse, dicens: carnem autem infirmam: Suscipere autem dispensationem, Divinę voluntatis, atque virtutis est. Quoniam igitur altera Humana voluntas, & Divina altera est; loquitur quidem, vt Homo, quod infirmitati carnis congruit, qui nostras passiones suscepit, &c.* In hoc textu illud notandum valdè est, quòd estò à prædictis Patribus fuerit productus, & allegatus pro duabus in CHRISTO voluntatibus, quas apertissimè fatetur, illas tamen non exprimit termino numerali, *duarum*, nec *geminæ*, vel *duplicis* voluntatis, sed sub iis aliis terminis: *Altera Humana voluntas, & Divina altera est.* Ergo cum Honorius diversas in CHRISTO confiteatur naturas, Divinam, & Humanam, distinctas item operationes, aliam Divinam, & Humanam aliam, sufficienter in Catholico sensu explicat CHRISTI operationes, & voluntates, iuxtà Doctrinam ex S. Gregorio Nysseno à Cōcilio illo adductam.

353 Nec ab hac Sententia dissentit B. SEVERIANUS, Gabalēus Episcopus, qui explicās textum illlum *Ioan. cap. 12. Nunc anima mea turbata est.* Et illum *Matth. c. 26. Tristis est anima mea vsque ad mortē*; sic exponit: *Non Deitas mea, impassibilis enim est Divinitas, & imperturbabilis, & impertertita. Spiritus quidem*, ait Dominus, *promptus, caro autem infirma.* Ergo duas voluuntates declarat. Hæc Severianus. Videamus tamen nunc, qua ratione duas istas in CHRISTO volūtates explicet: *Vnam, quidem Divinam, alteram* (inquit) *Humanam*: Ergo cum Honorius non modò duas in CHRISTO naturas, Divinam vnam, Humanam aliam, sed vtriusque etiam naturæ operationes, operationem nempè Divinam, & operationem Humanā admittat; cumque vtriusque istius naturę proprietates, iuxtà vnanimem Sanctorum Patrum consensum, sint intellectus, & voluntas vnicuique correspondens naturæ, vt probavimus indè iuxta prędicti S. Severiani Doctrinam Catholicè sentire dicendus est.

354 Ad prædictam de duabus CHRISTI

STI voluntatibus, & operationibus ampliùs roborandam, ſtabiliendamque Doctrinam, producta fuit etiam ab illius Concilii Patribus S. AMBROSII Authoritas, quæ rem iſtam apertiſſimè demonſtrat; *Sermone* namque *Fidei*: * Sileant (inquit) de Sermonibus quæſtiones, quia Regnum Dei, ſicut ſcriptum eſt, non in perſuaſione verbi eſt, ſed in oſtenſione virtutis. Conſervemus diſtinctionem Divinitatis, & carnis: vnus in vtraque loquitur Dei Filius, quia in eodem vtraque natura eſt. Et ſi idem loquitur, non vno ſemper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc Hominis Paſſiones. Quaſi Deus loquitur, quæ ſunt Divina: quaſi Homo dicit, quæ ſunt Humana, quia in ea ſubſtantia loquebatur.* En hac Authoritate clariſſimè habetur, Ambroſium, eſtò duas in CHRISTO naturas, operationeſque eſſentialiter diverſas confiteatur, nullatenùs explicare illas numeralibus terminis, *duarum*, vel *geminæ*, vel *duplicis operationis*, ſed iis aliis terminis, quia nempè *alia eſt Divina*, & Humana *alia*, ſuę vnaquequæ Divinæ, & *Humanæ* correſpondens naturæ: Cum autem Honorius agnoſcat, & admittat in CHRISTO naturam Divinam, quæ Dei ſunt operantem, & Humanam, quæ carnis ſunt exequentem, vt *ex ſecunda ſua Epiſtola* certum eſt, & conſtat, proculdubio Honorius Catholicè, ſicut & S. Ambroſius de CHRISTI ſentit operationibus, etſi illas termino numerali non explicet.

355 Pro hac eadem veritate de duabus CHRISTI operationibus ſtatuenda, producta fuit etiam in illo Concilio S. LEONIS Papæ Authoritas *in Epiſtola ad Sanctum Flavianum, Patriarcham Conſtantinopolitanum* ſcripta, in qua ſic de CHRISTO loquitur: * Operatur enim vtraque forma, cum alterius communione, quod propriũ eſt, Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt, Carne autem exequente, quod Carnis eſt.*

356 Adducta fuit inſuper pro hac eadem re ipſius S. LEONIS Authoritas *in Epiſtola 97. ad Imperatorem* directa, vbi ſic loquitur: *Licet & ergo in vno Domino IESV CHRISTO vero Dei, atque Hominis Filio, Verbi, & Carnis vna perſona ſit, quæ inſeparabiliter, atque indiviſè communes habet actiones: intelligendæ tamen ſunt ipſorum operum qualitates.* Quænam autẽ ſint iſtæ operũ qualitates, explicat idem Sanctus ſubdens: *Sinceræ Fidei contemplatione cernẽdum eſt, ad quæ provehatur humilitas carnis: & ad quæ inclinetur altitudo Deitatis: Quid ſit, quod Caro ſine Verbo non agit; & quid ſit, quod Verbum ſine Carne non efficit. Sine Verbi enim potentia non conciperet Virgo, nec pareret: & ſine veritate carnis, obvoluta pannis infantia non iaceret. Sine Verbi potentia non adorarent Magi Puerum, Stella indice declaratum; & ſine veritate Carnis non iuberetur transferri in Ægyptum Puer, & ab Herodis perſequutione ſubduci.*

357 Et *pauló infrá*: * Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium, & vivificatio mortuorum: ſine veritate Carnis, nec cibus ieiuno, nec ſomnus eſſet neceſſarius fatigato. Et poſtremò, ſine Verbi potentia non ſe Dominus æqualem Patri confiteretur, & ſine veritate carnis, non idem diceret Patrem ſe eſſe maiorem: Cum Catholica Fides vtrumque ſuſcipiat, vtrumque defendat, quę ſecundum Confeſſionem Beati Apoſtoli Petri, vnum CHRISTVM Dei vivi Filium, & Hominem credit, & verbum.*

358 In iis autem Authoritatibus perſpicuè agnoſcet quilibet, Sanctum Leonem Papam ex diſtinctis in CHRISTO naturis, diſtinctas in ipſo operationes probare; alteram nempè Divinam, quæ à natura procedebat Divina, alteram verò Humanam, quę naturę correſpondebat Humanæ, quin has diverſas operationes termino plurali *duarum*, vel *duplicis* voluntatis, & operationis exponat. Ergo ſi Honorius non modò confitetur in CHRISTO: *Vnum operatorem Divinę, atque Humanæ naturæ,* ſed etiam *in prima ſua Epiſtola* teſtatur: * CHRISTVM in duabus naturis operatum Divinitùs, atque Humanitùs,* & *in ſecunda* loquens de duabus CHRISTI naturis, dicit: *Operantes, & operatrices confiteri debemus, & Divinam, quidem, quæ Dei ſunt operantem, & Humanam quę Carnis ſunt exequentem.* Nihil certè in iis Honorii verbis agnoſco, quod à Sancti Leonis mente diſcrepet, & Doctrina; imò maiori expreſſione, quàm Sanctus Leo de duabus CHRISTI operationibus loquitur Honorius, vt vtriuſque verba conferenti

innotescet. Ergo si prædictæ Sancti Leonis Authoritates productę fuerunt in Cõcilio illo Romano, sub S. Martino, pro Veritate Catholica de duabus CHRISTI operationibus statuenda, contra Monothelitas, qui vnam tantummodò operationem confitebantur in CHRISTO, cum Honorius in iis, quæ ad CHRISTI pertinent operationes, idem, quod S. Leo tenuerit, & maiori adhuc claritate fuerit confessus, si S. Leonis Doctrina, tanquàm verè Catholica, ab hoc fuit approbata Concilio, nulla certè apparet ratio, ob quam Honorii hac de re Doctrina, non perindè, ac ipsa S. Leonis, ceu verè Catholica, censeatur.

359 Pro hoc eodem Catholico Dogmate fulciendo, allegata fuit ab eodem Concilio Authoritas S. JUSTINI Philosophi, Episcopi, & Martyris qui *lib. 3. de Trinitate, cap. 17.* magna claritate, & comprehensione, iuxta diversas in CHRISTO naturas, diversas etiam in ipso naturales operationes fatetur: *Sicuti vnus (inquit) est homo, habet autem diversas naturas duas, & secundum aliud quidẽ cogitat, secundũ aliud autẽ, quod cogitatũ est operatur, anima quidem intellectuali, cogitans veluti Navis compaginem, manibus autem quod cogitatũ est, ad effectum perducens: ita Filius vnus existens, & duas habens naturas, per aliam quidem Divina signa operabatur, per aliam autem humilia suscipiebat.*

360 Ipse Sanctus *in Sermone ad Paganos*, idipsum confirmat, dicens: *Est enim verè Dominus, Deus simul, & Homo: Et gloriosa quidem secundum pręcipuam naturam operabatur, humilia verò secundum inferiorem naturaliter sustinebat.*

361 Quibus verbis, estò duas in CHRISTO expressè confiteatur naturas, illius tamen operationes nullatenùs exprimit numerali termino *duarum*, vel *duplicis operationis*; eas tamen haud obscurè declarat dum in CHRITO Divinas, Humanasque operationes, Divinę, Humanęque naturę correspondentes admittit, vt clarissimè illis verbis significavit: * Duas habens naturas, per aliam quidem signa operabatur, per aliam autem suscipiebat humilia.* Cum igitur Honorius duas in CHRISTO agnoscat naturas: *In secunda Epistola*: *Divinam quidem, quæ Dei sunt operantem, & Humanam, quæ carnis sunt exequentem.* *In prima* item palàm fatetur, CHRISTUM, in duabus naturis operatum divinitùs, atque humanitùs; nullatenùs à Sancti Iustini Sentẽtia discrepat, imò illi præclarè consonat, & aptissimè congruit. Vndè si Romanum Concilium, S. Justinum, & illius Doctrinam in prædicto textu, & Authoritate Catholicam agnovit, & Monothelitarum erroribus oppositam iudicavit, iure optimo Honorij Doctrinam in prædictis Epistolis vt Monothelitarum erroribus prorsus dissonam, & vnanimi Sanctorum Patrum Sententiæ, & Authoritatibus, quibus adductum fuit illud Concilium, vt prædictum Monothelitarum errorem damnaret, maximè consentaneam commendamus.

362 Aptissimè etiam ad rem nostram facit Sancti ATHANASII, Alexandrini Episcopi Doctrina, qui *Sermone 3. contra Arianos*, hæc habet: * Hæc anteà necessariò examinavimus, quatenus si videremus, eum tamquàm per organum proprium Corpus Divinitùs aliquid agentem, aut loquentem, sciamus, quoniam Deus existens, hæc operatur: Si videremus humanè loquentem, ac patientem, non ignoremus, quoniam carnem indutus, factus est Homo, & ita hęc agit, & loquitur.*

363 Ipse Sanctus *ibidem*, hæc scribit: *Ad vltimum enim, & propter nos factus est Homo, & carnaliter, sicut ait Apostolus inhabitavit Deitas in carne, simul vt dicatur, Deus existens, proprium habuit corpus, & hoc organo vsus, factus est homo. Vndè propria quidem eiusdem, illius dicuntur, quoniam in ipso erant, qualia sunt, esurire, sitire, pati, laborare, & similia, quorum caro est capax Ipsius autem verbi propria, qualia sunt, mortuos suscitare, cæcos videre facere, & Mulierem fluxus sanguinis habentem curare: quę videlicet per proprium corpus ipse efficiebat.*

364 Et *de Sermone Evangelij Secundum Matthæum, ad illa verba cap. 12. Qui dixerit verbum contra Filium hominis*, ait: * Propterea Deus existens, & Homo factus, vt Deus quidem suscitavit mortuos, & verbo omnes sanans, vertit & aquam in vinum: Nec enim erant Hominis huiusmodi opera. Vt autem Carnem indutus sitiebat, & laborabat, &

Passio-

passiones sustinebat. Nec enim erant hæc propria Deitatis.*

365 Et *paulò infrà* modum istarum operationum explicat: *Fiebant autē hęc (inquit) non separatim, & secundum qualitatem eorum, quæ fiebant, vt ea quidem, quæ corporis sunt, absque Deitate; quæ autem Deitatis, absque corpore ostenderentur: sed coniunctim omnia fiebant, & vnus erat, qui perficiebat, Dominus.*

366 Ex Authoritatibus Sanctissimi huius Viri, qui acerrimus fuit Catholicæ Fidei Propugnator, apertissimè colligitur, ipsum diversas in CHRISTO operationes agnoscere; alias quidem Divinas, & humanas alias; illas proprias CHRISTI, quà Deus; istas verò proprias ipsius, quà Homo erat; & quin diversas hasce operationes per terminum numeralem *duarum*, vel *geminæ opertionis* exprimeret, illius sententiam Catholicam fuisse in illo Concilio iudicatam, imò illius Concilij Patres illis Sancti Athanasii Authoritatibus vsi fuerunt, vt Catholicum Dogma, de diversis CHRISTI operationibus contra Monothelitas statuerent, ac definirent. Ergo si Honorius Pontifex suis in Epistolis Divinas, Humanasque operationes vniuscuiusque proprias naturę fatetur in CHRISTO: * Divinam quidem, quæ Dei sunt operantem, & Humanam, quæ carnis sunt exequentem,* Nullus erit quantumvis severioris notę, & Iudicii homo, qui non censeat Honorium idem, quod Athanasius, sensisse. Vndè si S. Athanasii sensus in iis, quę ad CHRISTI pertinent operationes, Catholicus fuit, Catholica pariter iudicanda, & habenda est Honorij Pontificis Doctrina.

367 Hæc eadem fuit etiam S. GREGORII NYSSENI mens *Ser. 4. contrà Eunomium*; diversas namque in CHRISTO admittit operationes, alias quidem proprias Divinę Naturæ; alias verò Humanę naturę correspōdentes, ac proprias: sicq; *loco citato* de CHRISTO, eiusque operationibus loquens, sic scribit: *Propterea commixta de Domino Doctrina, tàm per sublimia & Deo digna, quàmque per humilia, & humana, vtrorumque nominum vtrique, quę in Salvatore intelliguntur, competēter aptamus; & Humana quidem, ad hominem; sublimia verò, ad Deitatem.*

368 Idem Sanctus *in eodem loco* explicans textum illum *Matthæi cap. 5. Beati qui esuriunt*, hæc habet: *Absque cibo enim quadraginta dies manens, post eos esurivit. Dedit enim, quando voluit, naturæ tempus propria operari.* Hic autem locus allegatus fuit etiam à Concilio sub S. Martino, ad probandas CHRISTI operationes. Et quamvis has diversas admittat; quia alias vocat Divinas, alias verò Humanas, alias naturæ Divinę, alias verò naturæ Humanę, illas tamen termino numerali *duarum* non explicat: Ergo cum Honorius admittat CHRISTUM, * In duabus naturis Operatum Divinitùs, atque Humanitùs, * vt loquitur *in 1. Epistola*, duasque CHRISTI naturas, Divinam scilicet, & Humanam *propria operantes* appellet *in 2. Epistola*; hinc proculdubiò infertur, Honorium *suis in Epistolis* Catholicè cum S. Gregorio, de CHRISTI operationibus, sensisse.

369 Duas CHRISTI operationes inter se revera distinctas optimè probat S. CYRILLVS ALEXANDRINVS *in expositione Epistolæ ad Hebræos*: loquens namque de CHRISTO, hæc scribit: *Si autem perfectos nos fecit per Aquam, & Spiritum, quomodò non operatus est Divinè, pariterque Humanè, idem consistens, & tamquàm in vno, Deus pariter, & Homo.* Si hic Sanctus Catholicè loquutus est, quia dixit: *CHRISTVS Deus, & Homo operatus est Divinè, pariterque Humanè:* nulla certè adest ratio, nè Honorius, eiusque Doctrina Catholicus dicatur, cum *in 1. Epistola*, dicat: *Dominum IESUM CHRISTVM vnum operatorem confitentes Divinæ, atque Humanæ naturæ, & in duabus naturis operatum Divinitùs, atque Humanitùs.* Quod in substantia, sensu, & verbis idem omninò est cum S. Cyrilli Doctrina. Quarè cum Concilium prędictam S. Cyrilli Sententiam, tamquàm verè Catholicam approbaverit, illamque ad Monothelitas damnandos adduxerit, Catholicam etiam esse Pontificis Honorii *in suis Epistolis* Doctrinam, necessariò est assetendum.

370 Idem tenet S. CYRILLVS, Ierosolymitanus Episcopus: *Homilia* namque *in Evangelium*, in quo Aqua in Vinum à CHRISTO conversa enarratur, de CHRISTI operationibus loquens, sic illas exponit: *Studuit per omnia, neque innotescere suam Deitatem, neque in toto*

abscon-

abscondere; studuit non innotescere, propter eos, qui tunc fuerunt: studuit non abscondere, propter eos, qui posteà: Sed ostendere tàm Deitatis suæ, quàm Humanitatis eius claras operationes, vt nequè Divina Virtus obcelatur, nequè Humana natura minimè credatur.* Et *in eadem Homilia*, de CHRISTO loquens, hæc alia verba ad rem istam aptissima subdit, dicens: *Natus est, miracula fecit, ostendit duplicem operationem.* Quanam autem ratione duplicem hanc CHRISTI probat operationem? Ipse immediatè post illa verba ostendit, dum dicit: *Passus quidem vt Homo, operatus autem vt Deus: idem ipse, non alter, & alter, quamvis aliter, & aliter.*

371 Ex quibus verbis manifestè deducitur, quòd si S. Cyrillus, de CHRISTI operationibus Catholicè sensit, quia alias Deitatis, Humanitatis alias fatetur; alias naturales, miraculosas alias appellat, & quia, vt ipse ait, CHRISTUS passus est, vt Homo; miracula autem operatus est, vt Deus: cum itaque Honorius *in 1. sua Epistola* confiteatur in CHRISTO, *operationes Divinitatis, & Humanitatis* dum dicit: *CHRISTUM vnum operatorem Divinę, & Humanæ naturę operatum Divinitùs, atque Humanitùs.* Et *in 2. Epistola*, dum asserit: *Operatorem CHRISTUM Dominum in vtrisque naturis veridicè confiteri:* quod *in* eadem 2. *Epistola* repetit, dum subdit: *CHRISTVM Dominum in vtrisque naturis, Divina, vel Humana prędicent operătem,* nulla apparet via qua dici possit, aliquid desiderari in Honorio, vt in vtraque Epistola sua Catholicè sentiat, sicuti S. Cyrillus, Ierosolymitanus Episcopus sensit; vt planum fiet cuilibet, qui vtriusque verba, ac sensus conferat: in illis enim summum vtriusque consensum agnoscet.

372 S. JOANNES CRYSOSTOMVS mirificè consonat S. Cyrilli Sententiæ. *Sermone* namque *de Vidua*, quæ duo minuta obtulit, cuius initium est: *Simplex quidem ieiunii appellatio*; sic ait: *Etenim in aliis copulatarum naturarum diversa est operatio Humanitatis, & Deitatis, diversa fortitudo, & vt apertiùs dicam, deorsum fatigatur, & sursum continet elementa; deorsum esurit, & desuper pluvias ministrat; deorsum formidat, & sursum intonat, &c.* Vbi clarissimè apparet, Sanctum Chrysostomum diversas in CHRISTO operationes fateri, alias quidem naturales, alias verò supernaturales: alias Divinæ naturę proprias, alias humanæ naturæ peculiares: *Naturarum (inquit) diversa est operatio, Humanitatis, & Deitatis.* Si ergo Honorius *in 2. sua Epistola* duas in CHRISTO fatetur naturas: *Divinam quidem, quæ Dei sunt operantem, & Humanam, quæ carnis sunt exequentem,* & *in* 1. admisit CHRISTVM *operantem Divinitùs, atque Humanitùs:* velim certè dicat mihi severissimus censor, quid Honorii Epistolis, & Doctrinæ desit, nè dicatur ipsum eamdem cum S. Chrysostomo tenuisse sententiam? Si enim vtriusque verba attentè legantur, ac maturè considerentur, eadem vtriusque mens, eadem vtriusque videtur Doctrina. Si ergo prædicta S. Ioannis Chrysostomi sententia, ceu verè Catholica in prædicto Concilio habita est, ac iudicata, & ad CHRISTI operationes probandas ab ipso est Concilio allegata; vtique Honorii Doctrina in vtraque sua Epistola, vt verè Catholica habenda est, ac veneranda.

373 Accuratè perpendenda sunt verba, quæ prædictum ROMANUM CONCILIUM sub Martino, recitatis supradictis Sanctorum Patrum Authoritatibus, aliisque idem omninò asserentibus, addit *Act.* 5. *Necesse est enim:::omnibus manifestum facere, quoniam in scripto, & sine scripto, Sanctos Patres calumniati sunt, sicut & Sancta quinque Concilia, Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus;* qui ipso attestante Concilio apertissimi mendacii convicti sunt, cum nunquam docuerint, nec prædicaverint, quod Sancti Patres dixerunt, vt clarè ostendunt ipsa Sanctorum Patrum hucusque laudatorum verba, qui firmiter tenuerunt, ac manifestè prædicarunt: *Dominum Deum Nostrum IESVM CHRISTVM ex duabus, & in duabus existentem naturis, substantialiter vnitis, & inconfusè, & indivisè, & duas vnius, eiusdemque, sicut naturas, ita & naturales veraces esse voluntates.*

374 At vt apertiùs dignoscatur, quomodo ipsum Concilium duas illas in CHRISTO voluntates explicet, prosequitur, dicens: *Id est Divinam, & Humanam; & duas essentiales operationes, id est Divinam, & Humanam.* Vndè si Cõcilium

cilium communem Sanctorum Patrum Sententiam sequutum, nullam aptiorem viam explicandi duas illas in CHRISTO naturas, voluntates, & operationes (quas ipsi Sancti Patres agnoscunt, ac confitentur in CHRISTO) reperit, quàm dicere, esse Divinas, atque Humanas; cum Honorius *in vtraque sua Epistola*, non modò duas in CHRISTO naturas, sed & voluntates, & operationes Divinas, Humanasque confiteatur, vt ex ipsius verbis latè probavimus: hinc indispensabiliter, ac necessariò deducitur, Honorium in vtraque sua Epistola CHRISTI operationes in eodem Catholico sensu explicare, quo illas explicarunt Sanctissimi illi Patres, qui in Romano illo Concilio, cui S. Martinus præfuit, ad Catholicum Dogma, de duabus CHRISTI operationibus, & voluntatibus vtrique naturæ, Divinæ nempè & Humanæ correspondentibus statuendum, testes fuerunt advocati. Quarè si prædictorum Patrum Sententia, tamquam Fidei veritas, à Sancto Martino, toto approbante Concilio, fuit definita; cum Honorii Doctrina in vtraque sua Epistola tàm consona, ac consentanea sit prædictorum Patrum Sententiæ, vt fusè hucusque probavimus; hinc non modò ab omni fœda, iniuriosaque macula, ac leviori adhuc Monotheliſmi suspicione immunis, ac libera censenda est, sed etiam omni plausu, & acclamatione ceu summè Catholica iudicanda est, ac veneranda.

375 S. MAXIMVS solita sua eruditione dilucidè, ac eleganter hanc nostram comprobat Conclusionem, eadem quippè *Actione* 5. explicans Monothelitarum hæresim, qui ex operantis, & volentis vnitate, vel diversitate, operationis, & voluntatis vnitatem, vel diversitatem deducebant; cumque in CHRISTO DOMINO vnum sit suppositum volens, & operans, vnam tantummodò in ipso voluntatem, & operationem agnoscebant, hæc ait: * Sed quoniam vtpotè vno existente CHRISTO, qui vult, & operatur, vnam eius operationem definiunt, & voluntatem, ex hoc, quòd dicunt, quia volentis est voluntas, & operatio operantis: necesse iam habent, & vtpotè vno existente, qui vult, & operatur, Sancto Spiritu, ipsius subsistentiam, quę sine initio est, atque vnius Deitatis, in tribus dividere voluntatibus, & operationibus, quod omninò nefandum est.*

376 Quod reprobat ipse Sanctus, subdens: * Ignoraverunt enim, quoniam licet volentis est voluntas, & operantis est operatio, sed non vtique absolutè volentis, sed naturaliter volentis, nec absolutè operantis, sed naturaliter operantis.* Quod quidem quàm optimè probat: quia operantis, & volentis naturam, naturalium voluntatum, & operationum differentia consequitur. * Sic namque (inquit) hominis voluntatem, & operationem, humanam dicimus: Angelicam autem Angeli, & Divinam Dei.* Ex quibus concludit, dicens: *Propterea & vtramque, Divinam dico, & Humanam, quoniam ipse Deus & Homo est, ipsi tribuunt Catholicæ Ecclesiæ Patres.*

377 Si Monothelitarum error, vt cum S. Maximo diximus, in hoc stabat, quòd vnam tantummodò voluntatem, & operationem admittebant in CHRISTO, quia vna erat in ipso persona volens, & operans; Catholicorum autem Doctrina illi errori è diametro oppositа est, diversas in CHRISTO voluntates, & operationes fateri, quia estò vna sit in illo Persona, duplex tamen est in ipso natura, & ex naturarum operantium diversitate, diversitas operationum colligitur: cum duæ sint in CHRISTO operantes naturæ, Divina nempè & Humana: hinc Sanctorum Patrum, Sacratissimorumque Conciliorum Sententiam sequuti, duas in CHRISTO voluntates, duasque operationes, Divinam scilicet, & Humanam, vt eruditè expendebat S. Maximus, constanter sumus prædicaturi. Vndè cum Honorius in vtraque sua Epistola diversas in CHRISTO operationes, ex naturarum diversitate, Divinæ nempè & Humanæ, Divinas, & Humanas confiteatur, vt patet *ex prima eius Epistola*, in qua sic scribit: * Vnus operator Dominus Divinitatis, atque Humanitatis.* Et *in alio eiusdem Epistolæ loco*: * Confitentes Dominum IESVM CHRISTVM vnum operatorem Divinæ, atque Humanæ naturæ.* Et *in eadem Epistola*; *In duabus naturis operatum Dominum IESUM CHRISTVM Divinitûs, atque Humanitûs.* *In secunda* etiam *Epistola* duas naturas operantes confitetur in CHRISTO: * Divinam quidem, quę

Dei

Dei sunt operantem, & Humanam, quę carnis sunt, exequentem.* *In eadem* etiam *Epistola* agnoscit in CHRISTO: *Duas naturas, Divinitatis, & carnis in vna Persona, propria operantes.* Et tandêm *in eadem secunda Epistola* hæc scribit: *CHRISTUM Dominum in vtrisque naturis, Divina, vel Humana prædicent operantem.* Hinc manifestè deducitur, iuxtà S. Maximi Doctrinam, Honorium *in suis Epistolis* Monothelitarum errori è diametro opponi, & Catholico Sãctorum Patrum, Sãctissimorumque Conciliorum sensui conformem esse.

378 Ad hanc Conclusionem firmiùs stabiliendam, egregiè facit S. AUGUSTINI Doctrina, qua etiam vsus fuit S. MAXIMVS in eodem Concilio eleganter perorans, & prædictum Monothelitarum errorem efficaciter impugnans. Contra istos enim, qui erroneè arbitrabantur, & pertinaciter propugnabant, operationem in CHRISTO sequi Personam, non verò naturas, proposita priùs, ac laudata S. Cyrilli, oppositum tenentis, Authoritate, sic *Actione* 5. insurgit: *Sed & B. Augustinus *in* 5. *libro contra Iulianum Pelagianum* similiter ait: Numquid Iuliane, quando Angelus, aut Homo aliquid vult, non natura eorum aliquid vult? Angelus, & Homo naturæ non sunt? Quis hoc dicturus est, quia non sunt? Si ergo naturæ sunt Angelus, & Homo, certum est, quia natura vult, quando Angelus vult; & natura vult, quod Homo vult. Et iterum alibi *in eodem libro*: Numquid, Juliane, ab homine voluntas hominis non procedit? Quomodò autem ab homine procedit, si vtique de natura eius non procedit, dum quandò, & ipse homo natura est? Ecce apertissimê Sanctorum Patrum veneranda Doctrina manifestavit nobis, quoniam velle natura est in eis, qui substantialiter velle, à Domino percepisse noscuntur, & propterea voluntates naturales sunt, & omni necessitate carentes; & quoniam aliter quàm ita sapere stultum esse, definiunt Patres.* Hucusque S. Maximus. Quibus verbis cum Augustino, & communi Sanctorum Patrum Doctrina clarissimè probat, in Deo, Angelis, & Hominibus voluntatem, & operationem correspondere naturæ, & ad istam subsequi; sicque vbi diversæ sunt naturæ, diversas debere esse naturales voluntates, & operationes Cum autem Honorius distinctas in CHISTO iuxtà naturarum diversitatem, Divinæ nempè, & Humanæ, Divinas, Humanasque operationes admittat, vt ex ipsius Epistolis probavimus; hinc apertè deducitur, Honorii Doctrinam Sancti Augustini, Sancti Maximi, cæterorumque Sanctorum Patrum Doctrinæ consonam esse, ac consentaneam.

379 Ad maiorem nostrę Conclusionis comprobationem, lectu digna est definitio, quam edidit ROMANVM CONCILIVM, cui Sanctus Martinus Pontifex præfuit; in illo namque definitæ fuerunt contra Monothelitas Catholicæ Veritates, quas confiteri, credere, & sequi debemus. Et, inter alia, hęc eiusdem Sacri Concilii verba leguntur: *Sed & nos corde credentes in iustitiam, ore autem confitentes in salutem, consonanter, & absque vlla novitate intransgressibiliter credimus, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM perfectum eumdem in Deitate, & eumdem perfectum in Humanitate. (Et *pauló infrá*:) In duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè agnoscendam. (Et *infrá*:) Sed vnum, & eumdem Filium Vnigenitum, Deum, Verbum, Dominum IESUM CHRISTVM, & duas eiusdem sicuti naturas vnitas inconfusè, indivisè, ita & duas naturales voluntates (quales verò sint duæ istæ naturales voluntates, explicat ipsum Concilium, immediatè subdens:) Divinam, & Humanam, & duas naturales operationes, Divinam, & Humanam. (Et *pauló infrá*:) Eumdem, atque vnum Dominum nostrum, & Deum IESVM CHRISTVM, vtpotê volentem, & operantem Divinê, & Humanê nostram salutem, sicut superiùs Prophetæ de eo, & ipse Dominus noster IESVS CHRISTVS docuit nos, atque Sanctorum Patrum tradidit Symbolum, & generaliter omnes Sanctæ, & vniversales Synodi, & omnis probabilium Catholicæ Ecclesię Doctorum Chorus.*

380 Si ergo Sacrum istud Concilium in sua Definitione, si Sancti Patres, cæteraque Concilia in Confessione Fidei semper per duas voluntates, & operationes, quas in CHRISTO confiteri debemus, Divinam, Humanamque voluntatem, & operationem intellexerunt; cum

Hono-

Honorius *in ſuis ad Sergium Epiſtolis* Divinam, Humanamque voluntatem confiteatur in CHRISTO, vt latè ſuprà probavimus, iam ex hoc ipſo duas in CHRISTO voluntates, & operationes fatetur, eodem prorſus modo, quo Sancti Patres, & Concilia ſemper illas explicarunt.

381 Nec, pro validiori noſtræ Concluſionis munimine, prætermittēdi ſunt aliqui Canones, Fideique Definitiones, in quibus prædictū ROMANUM CONCILIVM *ſub S. Martino* celebratum, Monothelitarum diverſas in CHRISTO voluntates, & operationes negātiū errorem, Anathemate damnans, illas non aliter explicat, nec intelligit, quàm *Divinam*, & *Humanam*, iuxtà vnanimem Sanctorum Patrum conſenſum; vt videri poteſt in his Fidei Definitionibus ab ipſo Concilio editis, quas hìc, pro maiori Concluſionis confirmatione, ſubjicio.

382 *In Canone* 10. ſic loquitur CONCILIUM: * Siquis, ſecundum Sanctos PP. non cōfitetur propriê, & ſecūdum veritatē duas vnius, eiuſdēq; CHRISTI Dei noſtri voluntates, cohærenter vnitas, Divinam, & Humanam, ex hoc quòd per vtramque eius naturam, voluntarius operator naturaliter idem conſiſtit noſtrę ſalutis, condemnatus ſit.*

383 *In Canone* 11. de CHRISTI operationibus clariſsimè loquitur; ait enim: * Siquis, ſecundum Sanctos Patres, non confitetur propriè, & ſecundum veritatem, duas vnius, eiuſdemque CHRISTI Dei noſtri operationes, cohærenter vnitas, Divinam, & Humanam, ab eo, quòd, per vtramque eius naturam, operator naturaliter idem exiſtit noſtræ ſalutis, condemnatus ſit.*

384 *In Canone* 13. Cenſionis Sacræ fulmina intorquet in illos, qui, iuxtà prędictorum Hæreticorum ſenſum, vnam tantummodò in CHRISTO voluntatem, & operationem admiſerint; ſicut & in illos, qui duas in CHRISTO voluntates, & operationes, Divinam nempè, & Humanam, iuxtà vnanimem Sanctorum Patrum Doctrinam non agnoverint, ac prædicaverint. * A Sanctis Patribus noſtris (inquit) piê prędicatis duabus voluntatibus, & duabus operationibus, Divina, & Humana, &c. condemnatus ſit.*

385 Vtrumque repetit *Canone* 14. illoſque condemnat, qui vnam in CHRISTO voluntatem ſenſerint, & operationem *ſecundum ſceleroſos Hæreticos cum vna voluntate, & operatione, quæ ab Hæreticis impiê confitetur.* Simulque Anathemate ferit negātes in CHRISTO *duas voluntates, pariterque operationes, hoc eſt, Divinam, & Humanam, quæ in ipſo CHRISTO a Sanctis Patribus Orthodoxè prædicantur.*

386 Huc etiam ſpectat *Canon* 15. editus in illum, qui in CHRISTO: *Dei-Virilem Operationem, hoc eſt, vnam operationem inſipienter ſuſcipit, non autem duplicem eſſe confitetur ſecundum Sanctos Patres, hoc eſt, Divinam, & Humanam, &c. condemnatus ſit.*

387 Iis conſonat *Canon* 16. in quo ſic loquitur CONCILIUM: * Siquis ſecundum ſceleroſos Hæreticos in peremptione, ſalvatis in CHRISTO Deo eſſentialiter in vnitione, & Sanctis Patribus piè prædicatis duabus voluntatibus, & duabus operationibus, hoc eſt, Divina, & Humana, diſſenſiones, & diviſiones inſipienter Myſterio diſpenſationis eius inneſtit, &c. condemnatus ſit.*

388 Tandēm *Canon* 18. generaliter Hæreticos omnes in aliis Conciliis damnatos, Anathemati ſubjicit: *Cum quibus (inquit) meritò, vtpotè ſimiles eis parique errore prædītos, ex quibus dogmatizare noſcuntur, proprioque errori vitam ſuam determinantes, hoc eſt Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum in ſua perfidia permanentes, & omnia impia illorum conſcripta, & eos, qui ſimilia cum illis, vſque in finem obſtinatè ſapuerunt, aut ſapiunt, hoc eſt, vnam voluntatem, & vnam operationem Deitatis, & Humanitatis CHRISTI.* Hic autem error vnam in CHRISTO *Deitatis, & Humanitatis* operationem admittens, nullatenùs in Honorii Epiſtolis, eſtó mille lynceis oculis luſtrentur, ac perlegantur, invenietur. Cum autem iſte error communis fuerit Monothelitarum teſſera, hìc apertiſſimè agnoſcitur, quàm procul fuerit ab Honorio.

389 Ex tam multiplici Fidei Definitione evidenter deducitur, vt Monotheliſmi nævo infectos damnari à Concilio, iuxta Sanctorum Patrum intelligentiam, quotquot duas in CHRISTO voluntates, Divinam nempè, & Humanam, duaſque

operationes distinctas, Divinam scilicet, & Humanam fateri renuerit. Similiter infertur, prædictam Synodum, Sanctorum Patrum cõsensum secutam, damnare etiam illos omnes, qui duas voluntates, Divinam scilicet, & Humanam in CHRISTO Domino denegaverint. In specie verò, Anathemate, velut Hæreticos, ab ipso Concilio percuti Theodorum Episcopum Pharanitanum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum, quia in sua perfidia permanentes vnam voluntatem, & operationem Divinitatis, & Humanitatis confitebantur in CHRISTO, duasque operationes distinctas Divinitatis, & Humanitatis ipsi CHRISTO denegabant.

390 Certùm autem est CHRISTI voluntates, & operationes, Divinam scilicet, & Humanam, ab Honorio in suis ad Sergiũ Epistolis nullibi fuisse denegatas, vnamque tantùmodò Divinitatis, & Humanitatis voluntatem, & operationem CHRISTO Domino ab ipso Honorio numquam fuisse cõcessam; imò potiùs oppositum in duabus illius Epistolis invenitur; in illis enim nihil aliud passim occurrit, quàm sicut diversas in CHRISTO naturas, sic & diversas operationes, Divinam nempè, & Humanam, ab ipso Honorio explicitas fuisse, ac admissas, eadem prorsus ratione, qua illas in CHRISTO Sãcti Patres intellexerunt, ac explicarunt, vt ex præcipuis, vtriusque Epistolæ periodis innotescet, quarum aliquas (estò iam illas divisim in hoc opere non semel produxerimus) nunc tamen integras iterabimus, ipsarum ordine servato, vt clariùs dignoscatur, quàm adversa Monothelitarum errori fuerit Honorii Doctrina, quàmque Sanctissimis Ecclesiæ Patribus consentanea.

391 *In prima* igitur *Epistola*, quæ *Act.* 12. eiusdem Cõcilii adducitur, hæc habet: *Confitentes Dominum IESVM CHRISTVM mediatorẽ Dei, & Hominũ, operatũ Divina, media Humanitate Verbo Deo naturaliter vnita, eũdemque operatum Humana ineffabiliter, atque singulariter, assumpta Carne discretè, inconfusè, atque inconvertibiliter, plena Divinitate, & qui coruscavit in Carne, plena Divinis Miraculis, &c.*

392 Explicans *in eadem Epistola* verba illa Salvatoris apud *Ioannem 3. Nullus ascendit in Cælum, nisi qui de Cælo descendit, Filius Hominis, qui est in Cælo.* *Profectò (inquit Honorius) nos instruens, quòd Divinitati vnita est Caro passibilis ineffabililiter, atque singulariter, vt discretè, atque inconfusè, sic indivisè videtur coniungi, vt nimirùm stupenda mente mirabiliter manentibus vtrarumque naturarum differentiis cognoscatur vniri.* Istæ autem differentiæ, iuxta Sanctorum Patrum, Sanctissimique Chalcedonensis Concilii IV. Generalis Doctrinam, sunt vtriusque naturæ proprietates: naturæ namque Divinæ proprietas, sive differentia propria, qua à natura discriminatur Humana, est intellectus, voluntas, & operatio Divina; sicut & proprium naturæ Humanæ discrimen, quo à Divina distinguitur natura, est intellectus, voluntas, & operatio Humana. Cum autem Honorius in prædicto loco vtrasque naturas discretè, atque inconfusè, cum suis differentiis vnitas confiteatur in CHRISTO; hinc apertè convincitur, ipsum in vtrisque CHRISTI naturis voluntates, & operationes adeò inter se diversas agnoscere, ac confiteri, quo sese inter Divinum, Humanumque distinguuntur.

393 *In eadem Epistola*, sic scribit: *Nam quia Dominus IESUS CHRISTUS, Filius, ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit vnus operator Divinitatis, atque Humanitatis, plenæ sunt Sacræ Litteræ luculentiùs demonstrantes.*

394 Et *infrà*: *Si enim in aliis, id est, in membris suis, Spiritus CHRISTI multiformiter operatur, in quo vivunt, moventur, & sunt: quantò magis per semetipsum mediatorem Dei, & Hominum, plenè, ac perfectè, multisque modis, & ineffabilibus confiteri nos, communione vtriusque naturæ condecet operatum?*

395 Et *paulò post*: *Simpliciter, atque veraciter confitentes, Dominum IESVM CHRISTVM vnum operatorem Divinæ, atque Humanę naturæ.*

396 Tandèm *eam Epistolam* absoluit, instruens Sergium Fide, quam de CHRISTI operationibus prædicare debet, dicens: *Vnum nobiscum Dominum IESUM CHRISTUM, Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum Divinitùs, atque Humanitùs Fide Orthodoxa, & vnitate Catholica prædicetis.*

397 *In secunda Epistola*, quæ *Act.*

13.

13. refertur, duas in CHRISTO naturas cum suis propriis integris diferentiis, diversisque vtriusque naturæ operationibus palàm confitetur Honorius: *Vtrasque (inquit) naturas in vno CHRISTO vnitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus: & Divinam quidem, quę Dei sunt operantem, & Humanam, quę carnis sunt exequentem, non divisê, neque confusê, aut convertibiliter, Dei naturam in Hominem, & Humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes.* Si iuxta Sanctos Patres hæ differentiæ sunt in natura Divina, intellectus, voluntas, & operatio Divina; quis erit tam iniustus rerum æstimator, qui perlectis Honorii Epistolis, dicere audeat, Honorium CHRISTI operationes, & voluntates inficiari, quandò illas diversas esse non semel exprimit, dum *Divinas, Humanasque* appellat, quo pacto ipsas Sancti Patres prędicarunt.?

398 Hanc suam mentem apertiùs declarat *in eadē Epistola*, dicēs: *Pro vna, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos vnum operatorem CHRISTVM Dominum in vtrisque naturis veridicè confiteri:::& pro duabus operationibus, ipsas duas naturas, id est Divinitatis, & carnis assumptæ in vna Persona Vnigeniti Dei Patris, inconfusè, indivisè, atque inconvertibiliter nobiscum prędicare, propria operantes.*

399 Et *infrà*: *Vnum (inquit) CHRISTVM Dominum nobiscum in vtrisque naturis, Divina, vel Humana prædicent operantem.*

400 Ex quibus verbis evidenter deducitur, Honorium in vtraque sua Epistola duas in CHRISTO naturas, Divinam nempè, & Humanam, cum suis naturalibus proprietatibus intellectus, voluntatis, & operationis inter se realiter distinctis apertè fateri, & clarissimè docere eadem prorsus expresione, modo, forma, sensu, imò, & eisdem ferè verbis, quibus illas Sancti Patres, Sacratioraque Concilia, quorum Authoritates latè hucusque retulimus, ac sufficienter expendimus, explicarunt. Quibus affatim suffulta, ac maiori Authoritatum fulcro stabilita apparet, non modo prima nostræ Conclusionis pars, Honorium nempè Monothelitis non adhęsisse, sed & secunda, ipsum scilicet summè Catholicum, eamdem cum Sanctis Patribus, & Conciliis tenuisse sententiam.

401 Ex hûcusque dictis satis appareret plenissimê satisfactum esse argumento, ab Honorii condemnatione desumpto: talis enim condemnatio incerta esse videtur, & iniusta, vt latè hûcusque probavimus. Incerta quidem; quia estô *in Actis. 6. Synodi* enarretur, credibile tamen non est, illos Orientales Patres, qui in Generali illo Concilio ea Doctrinę, ac Sanctitatis gloria floruerunt, ausos fuisse Honoriū Pōtificem damnare, cum legitima ad huiusmodi damnationem Authoritate destituti essent. Estò enim in casu hæreseos possit Concilium Sententiam in Pontificem ferre; nequit tamen, extrà hunc casum, de Romano Pō ifice, nec vivo, nec vita functo cognoscere, vt apertissimis tot Sanctorum Patrum, Sacratiorumque Conciliorum Authoritatibus probavimus. Si ergo nullum Concilium Authoritatem habet, qua possit de Catholico Pontifice, illiusque Catholica Doctrina cognoscere, & iudicare, quomodo poterit Concilium Doctrinam, quæ verè Catholica est, vt hæreticam condemnare? Quo iure statuere, & decernere poterit, vt inter Hæreticos recenseatur Pontifex, qui verè Catholicus existit? Cum igitur Honorii Doctrinam in suis ad Sergium Epistolis, non modo à minima adhuc hæreseos suspicione alienam, sed imô Catholico Sanctorum sensui consonam, ex tot Conciliis, & Patribus ostenderimus; meritô deduci, talem damnationem incertam esse, ac iniustam. Quarê, nè de Generali Concilio dicatur, ipsum suę Authoritatis limites fuisse prætergressum, dum bonum, tamquam malum; Catholicum, & Sanctum, tamquam impium, & prophanum reprobaverit; nullatenûs dubitarem asserere id, quod rectæ rationi valdè congruum videtur, nec â vetusta, & depravata Hæreticorum calliditate alienum apparet, Honorii, scilicet, condemnationem esse ab aliquo Pontificię Authoritatis infenso hoste, prędictæ Synodo suppositam, & insertam, ipsiusque Honorii nomen, ab iniquo aliquo Apostolicæ Sedis osore, malitiosè esse Monothelitarum numero adscriptum.

CAP. VIII.

HONORII PONTIFICIS IN FIDE Constantia, Authoritate Sanctorum Patrum, qui in Romano Concilio, & in VI. Generali Synodo, sub Agathone Pontifice celebratis, laudati fuerunt, apertissimè demonstratur.

402 CUM hucusque Catholicum Honorii animum, ipsiusque mentem, Doctrinæ Sanctorum Patrum, qui *in Romano Concilio sub S. Martino Pontifice* contra Monothelitas producti fuerunt, consonam ostenderimus, non erit abs re probare, ipsum in suis ad Sergium Epistolis tenuisse, & docuisse sententiam, valdè etiam consonam Sanctorum Patrum Doctrinæ, qua vtrumque Concilium sub S. Agathone celebratum, Romanum nempè, & Constantinopolitanum III. Catholicam Veritatem de duabus in CHRISTO voluntatibus, & operationibus, contra Monotheliſmi Authores statuit.

403 Primas pro nostra Assertione teneat S. LEO Papa. Cum enim *Actione* 2. VI. Synodi Generalis, lectus fuisset primus Chalcedonensis Synodi liber, lecta etiam fuit S. Leonis Authoritas, in ipso relata, in qua loquens de CHRISTO, hæc habet: * Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit: Verbo quidem operante, quod Verbi est, Carne autem exequente, quod carnis est, & horum vnum coruscat miraculis, aliud verò succumbit iniuriis.* Vix autem Apostolici Legati hanc Leonis Authoritatem audierunt, cum statim clamarunt, Sanctum Leonem duas in CHRISTO voluntates, & operationes prædictis verbis fateri: * Exurgentes, qui ex parte Apostolicæ Sedis erant Antiquæ Romę, exclamaverunt: Ecce Benignissime Domine (Imperatorē alloquuntur) manifestè duas naturales operationes inconfusè, & indivisè in Domino nostro IESU CHRISTO, præsens Sanctissimus prædicat Pater.* Prædictus autem Sancti Leonis Sermo tantę extitit Authoritatis, vt *in IV. Synodo* meruerit *Fidei columen* prædicari, vt Apostolici Legati hisce testantur verbis: * Cuius præsentem sermonem Sancta IV. Synodus firmamentum Orthodoxæ Fidei scripsit, & damnationem vniversę hęresis.* Ex his omnibus duo pro nostra Assertione expendenda occurrunt. Primum est, quòd si Legati ex prædictis Sancti Leonis verbis: * Operatur vtraque forma.* duas in CHRISTO voluntates inferunt, & operationes; duæ istæ voluntates & operationes clariùs possunt deduci *ex* 2. Honorii *Epistola*; in illa enim hæc scribit: * Vtrasque naturas in vno CHRISTO in vnitate naturali copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices, & Divinam quidem, quę Dei sunt operantem, & Humanam, quæ carnis sunt exequentem.*

404 Secundum est; duas in CHRISTO voluntates, & operationes nullatenùs à Sancto Leone per numerum *duarum*, vel *geminæ* operationis in prędicto textu explicari; nihilominùs tamen illius Doctrina *Fidei Columna, & Firmamentum*, à Legatis Apostolicis, imò & ab vniversa Synodo acclamatur: ęquo igitur iure Honorii Doctrinam, Catholicam, & Orthodoxam, ac S. Leonis Doctrinę consonam appellare possumus, cum Honorius expressiùs, quàm S. Leo, CHRISTI voluntates, & operationes in prædicta Epistola explicarit.

405 Nec parum pro re nostra facit, quod S. Pontifex AGATHO dixit *in Epistola, seu Fidei suggestione*, quam VI. Generali Synodo misit, & ad Imperatores Constantinum, Heraclium, & Tiberium direxit, & *in Actione* 4. *VI. Synodi* recitata fuit; in illa enim commemorans Pontifex Authoritatem, quam Apostolicis Legatis impertitus fuerat, vt suo nomine prędictę Synodo pręessent, hęc scribit: * Licentiā proindè eis, sive Authoritatem dedimus simpliciter fatisfaciendi, in quantum eis dumtaxat iniunctum est, vt nihil profectò præsumant augere, minuere, vel mutare, sed Traditionem huius Apostolicę Sedis, vt à Prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sinceriter enarrare.*

406 Et vt intelligamus, in quo hæc innitatur Traditio de CHRISTO loquens, id explicat, dicens: * Omnia duplicia vnius eiusdemque Domini Salvatoris nostri IESV

CHRISTI

CHRISTI ſecundum Evangelicam Traditionem aſſerimus.* Idipſum melius probat ibi, ſic ſcribens: * Cum duas autem naturas, duaſque naturales voluntates, & duas naturales operationes confitemur in vno Domino noſtro IESV CHRISTO.*

407 Et *pauló infrá*, idipſum confirmat, dicens: *Sed duas dicimus, eumdemque Dominum noſtrum IESVM CHRISTUM, ſicut naturas, ita & naturales in ſe voluntates, & operationes habere.* At nunc videamus quomodo duas CHRISTI naturas, voluntates, & operationes explicet Sanctiſsimus Pontifex AGATHO: certè non aliter, quàm hęc verba ſubdens: *Divinam ſcilicet & Humanam.* Et poſteà ſic proſequitur: *Hæc eſt Apoſtolica, atque Evangelica Traditio, quã tenet ſpiritalis veſtri fœliciſſimi Imperii Mater Apoſtolica CHRISTI Eccleſia. Hæc eſt Chriſtianæ Religionis vera, atque immaculata Profeſſio, quam Spiritus Sanctus per Apoſtolorum Principes docuit.* Vndè deducitur, quòd ſi Apoſtolica Traditio, & Evangelica Doctrina, quam Sanctus Pontifex Agatho *in VI. ſynodo* ſtatuere conatus eſt, in duarum CHRISTI naturarum, duarumque voluntatum, & operationum confeſſione innititur, iſtæque, vt ipſe Pontifex ait, aliæ non ſunt, quàm Divina, Humanaque natura, Divina, Humanaque operatio, & voluntas: cum Honorius *in vtraque ſua Epiſtola* duas in CHRISTO confiteatur naturas, & operationes, vt ex ipſius toties iam repetitis verbis probavimus, & præcipuè *ex ſecunda eius Epiſtola* innoteſcit, in qua duas clarè admittit naturas, *Divinam quidem, quæ Dei ſunt operantem, & Humanam, quæ carnis ſunt exequentem,* & *in eadem Epiſtola* duas prędicet naturas, id eſt, * Divinitatis, & carnis aſſumptę in vna Perſona Vnigeniti Dei Patris, propria operantes:* ac tandem *alio in eiuſdē Epiſtolæ loco.* *Vnum CHRISTVM Dominum noſtrum in vtriſque naturis Divina, & Humana prædicet operantem:* hinc clarè deducitur Honorium idem cum Agathone ſenſiſſe, imò & eiſdem verbis fuiſſe loquutum. Vndè ſi Agathonis Doctrina Evangelica commendatur, & Apoſtolica prædicatur Traditio, ęquo iure commendationem, & laudem promeretur Doctrina, quam Honorius in vtraque Epiſtola tenuit, docuit, ac prædicavit.

408 Idipſum amplius confirmari poteſt ipſius AGATHONIS Doctrina, qui *loco citato Actione* 4. explicans illum *D. Lucæ* textum, *cap.* 22. in quo CHRISTVS, quà Homo, has ad Æternum Patrem preces effundit: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat á me Calix iſte: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Sic, inquam, prędictum textum ex D. Athanaſii Doctrina dilucidat: *Quem locum Confeſſor Chriſti Athanaſius, Antiſtes Alexandrinæ Eccleſię *in libro adverſus Appollinarium Hæreticum de Trinitate, & Incarnatione*, etiam duali numero comprehendens, ſic explanat: Quando dicit: *Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat á me Calix iſte: verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat*; & iterum: *Spiritus promptus, caro autem infirma*: duas voluntates hic oſtendit, & vnam quidem Humanam, quæ eſt carnis, aliam autem Divinam: quoniam Humana propter infirmitatem carnis refugiebat Paſſionem, Divina autem eius prompta.*

409 Propoſitâ autem hac Divi Athanaſii expoſitione, hęc ſubiungit AGATHO: * Qua explanatione quid veriùs poteſt intimari? Quomodò enim non in eo duæ voluntates, id eſt, Divina, & Humana fideliter agnoſcuntur, in quo duæ naturæ, etiam poſt inſeparabilem adunationem, Synodali præconio prędicantur?*

410 Ex quibus verbis duo nobis expendenda occurrunt. Primùm: tàm S. Athanaſium, quàm S. Agathonem, dum de duabus in CHRISTO voluntatibus, & operationibus numeraliter loquuntur, id immediatè de Divina, Humanaque voluntate, & operatione explicare: vndè cum Honorius Divinam, Humanamque voluntatem confiteatur in CHRISTO, nullatenùs ab iſtorum Sanctorum mente, ac ſententia diſcedere videtur; terminus enim *dualitatis* volũtatum in CHRISTO nihil aliud ſignificare poteſt, quàm Divinam, Humanamque voluntatem, & operationem, quas cum Honorius prædicet in CHRISTO, ab iſtorum Sanctorum ſententia nullatenùs diſceſiſſe arbitramur.

411 Secundò expendendum occurrit, Agathonem Pontificem ex duabus in CHRISTO naturis, Divina ſcilicet, & Humana, duas in CHRISTO deducere

vo-

voluntates. Cum autem Honorius, vtramque naturam, Divinam nempè, & Humanam, pleniſſimè fateatur in CHRISTO diſtinctas, non eſt, cur dicere renuamus, ipſum cum D. Athanaſio, & S. Agathone Pontifice, de CHRISTI voluntatibus, & operationibus Catholicicè ſenſiſſe.

412 Pro duabus CHRISTI voluntatibus, & operationibus egregiè facit D. AVGVSTINI Doctrina, qua Sanctus ſtatuit, vbi diverſæ ſunt naturæ, diverſas, & voluntates, & proprias vtriuſque naturę operationes indiſpenſabiliter eſſe debere. Id docuit Auguſtinus *in 5. Volumine Diſputationis adverſus Iulianum Pelagianiſtam*, vbi radicitùs inquirens: quid ſit voluntas? Eam his definit verbis: *Motus animi.* Qua definitione propoſita, hæc ſcribit: *Motus animi quid eſt, niſi motus naturę? Animus enim ſine dubitatione natura eſt: proindè voluntas, motus eſt naturæ; quoniam motus eſt animi.*

413 Et *in eodem Volumine*, hæc habet: *Ab illo enim eſt voluntas, cuius eſt voluntas: ab Angelo ſcilicet voluntas Angeli, ab homine hominis, à Deo Dei.* His, alijſque D. Auguſtini Authoritatibus in VI. Synodo *Act.* 4. relatis, hæc ſubiungit S. AGATHO: *Quibus teſtimoniis claret, vnamquamque earum, quas hic ſpiritualis Pater dinumeravit naturas, propriam naturalem habere, & vnicuique aſſignari debere voluntatem. Nequè enim poterit Angelica natura Divinam habere voluntatem, aut Humanam; neque Humana natura voluntatem Dei, vel Angeli, ſicut nec alterius, quàm eſt, quidquam natura habere poterit, vel motum, niſi quod eſt naturaliter, aut creatum eſt.*

414 Ex qua Doctrina hanc infert Pontifex concluſionem: *Cum hęc ita veritas habeat, certiſſimè claret, quòd in Domino Noſtro IESU CHRISTO duas, id eſt, Dei, & Hominis, naturas, ſive ſubſubſtantias confitentes in vnam eius conveniſſe ſubſiſtentiam, ſive Perſonam, neceſſe eſt, & duas nos naturales in eo fateri volũtates, Divinam ſcilicet, & Humanam.*

415 Vndè ex prædicta vtriuſque, S. Auguſtini nempè, & Agathonis, Doctrina manifeſtè convicitur, diverſas neceſſariò debere eſſe voluntates, & operationes naturales, vbi diverſæ ſunt intellectivæ naturæ. Cum autem Honorius diverſas in CHRISTO naturas, Divinam nempè, & Humanam cum ſuis propriis differentiis inter ſe vnitas admittat; hìnc illius non minus, quàm S. Auguſtini, & S. Agathonis Doctrina Catholica eſt iudicanda.

416 Quòd autem Honorius duas in CHRISTO naturas, adhuc poſt vnionem diſtinctas cum ſuis propriis differentiis admittat, ſatis oſtendunt hęc ipſius Honorii verba *ex ſecunda Epiſtola* deſumpta: *Vtraſque naturas, in vno CHRISTO vnitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes confiteri debemus, & Divinam quidem, quę Dei ſunt operantem; & Humanam, quæ carnis ſunt exequentem, non divisè neque confusè, aut convertibiliter, ſed naturarum differentias integras confitentes.* Integra autem, & adęquata differentia propria, qua natura Divina, ab Humana diſcriminatur natura, eſt intellectus, voluntas, & operatio Divina: Similiter differentia propria, qua natura Humana diſtinguitur à Divina, eſt intellectus, voluntas, & operatio humana. Quarè idem eſt, Honorium *in prædicto Epiſtolæ loco* fateteri, in CHRISTO DOMINO adhuc poſt vnionem, diverſas extitiſſe naturas cum ſuis propriis, & integris differentiis, ac concedere in CHRISTO voluntatem Divinam, & voluntatem Humanam; operationem Divinam, & operationem Humanam, tàm eſſentialiter inter ſe diſtinctas, quàm natura Divina ab Humana diſtinguatur natura. Vndè ſi Auguſtinus ex naturarum diverſitate voluntatum, & operationum diverſitatem efficaciter intulit, illiuſque Doctrina Catholica fuit, & à VI. Synodo pro duabus in CHRISTO voluntatibus, & operationibus admiſſa: & ſimiliter Agathonis Doctrina ab ipſa Synodo ſingulari plauſu, & acclamatione, vt Catholica ſuſcepta eſt; cum eadem ſit Honorii mens, & ſententia, vt *ex prædicta Epiſtola* innoteſcit, negari non poteſt, Honorium eamdem S. Auguſtini, & S. Pontificis Agathonis, imò & VI. Generalis Concilii tenuiſſe Doctrinam; vel ad minus inficiari non poterit, eundem Honorium *in prædicta Epiſtola* Doctrinã Auguſtino, Agathoni, imò & VI. Synodo valdè conſonam tradidiſſe.

417 Ipſe Sanctus Pontifex Agatho *in eadem ad Imperatorem Epiſtola* refert Chalcedonenſis Concilii Definitionem

Actio-

Actione 4. fatentis: *Vnum, eumdemque CHRISTVM, Filium Dei Vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter cognoscendum, nusquam sublata naturarum differentia propter vnionem, magisque salva proprietate vtriusque naturæ, & in vnam Personam, atque subsistentiam concurrente.* Idipsum definit Concilium Constantinopolitanum II. *Collatione* 8.

418 Ex quibus deducitur, quòd si propter naturarum vnionem, sublatæ non fuerunt vtriusque naturæ differentiæ, necesse est, vt vnaquæque natura, adhuc posita vnione, suam retineat differentiam, suasque conservet proprietates, intellectum scilicet, voluntatem, & operationem, inter se realiter distinctas, Divinas vtpotè, & Humanas: sicut posita vnione, adhuc natura Divina ab Humana discriminatur natura.

419 Hanc consequentiam ex vtriusque Concilii Definitionibus deduxit Sanctissimus Pontifex AGATHO, sic scribens: *Quo circa, si in nullo differentia naturarum Domini nostri IESV CHRISTI sublata est, necessè est, vt in omnibus proprietatibus eamdem differentiam conservemus. Qui enim in nullo adimendam differentiam docuit, in omnibus hanc servare debere commonuit. Vbi autem vna voluntas, & operatio ab Hæreticis, Hæreticorumque sequacibus dicitur, qualis in ea differentia cognoscitur? vel vbi secundum hanc Sanctam Synodum differentia conservatur?*

420 Honorium autem duas in CHRISTO naturas, Divinam scilicet, & Humanam, vnitas quidem, at inter se realiter distinctas, & propriis differentiis discretas admittere, apertè illius Epistolæ ostendunt: *in prima* enim hæc habet: *Divinitati vnita est Caro passibilis ineffabiliter, atque singulariter, vt discretè, atque inconfusè, sic indivisè videatur conjungi, vt nimirum stupenda mente mirabiliter manentibus vtrarumque differentiis, cognoscatur vniri.*

421 *In secunda* verò hæc scribit: *Vtrasque naturas in vno CHRISTO vnitate naturali copulatas confiteri debemus.* Et *paulò infrà*: *Non divisè, nequè confusè, aut convertibiliter Dei naturam in hominem, & humanam in Deum conversam; sed naturarum differentias integras confitentes.* Cum autem, iuxtà Sanctos Patres propriæ vtriusque naturę differentiæ sint naturales illius proprietates; naturæ scilicet Divinę *velle Divinum, & operari Divinum*; Humanę verò naturæ *velle humanum, & operari humanum*: hìnc rectè deducitur, Honorium, dum in CHRISTO duas naturas, Divinam nempè, & Humanam cum suis integris differentiis admittit, admittere etiam voluntatem Divinam in natura Divina, naturalemque volũtatem in natura humana; Divina enim, ac humana voluntas, & operatio sunt differentiæ, quibus Divina, Humanaque discriminantur natura; sicque Honorii Doctrinam consonam esse vtriusque Concilii Doctrinæ, Chalcedonensis scilicet, & Constantinopolitani, ac Sanctissimi Agathonis Pontificis, quę in VI. Synodo singulari plausu suscepta est.

422 Hæc ampliùs elucidantur Sancti GREGORII NYSSENI Doctrina, qui *lib. contra Appollinarem, ex illo Matthæi textu*: *Spiritus promptus est, caro autem infirma*, duas in CHRISTO intulit voluntates, sic scribens: *Quoniam formidare quidē in Passione humanę fragilitatis::: Suscipere autem ex dispensatione Passionē, Divinæ voluntatis, atque virtutis est. Quoniam igitur altera humana volũtas, & Divina altera est.* (Et *infrà*:) *Qui enim dixit: Non mea voluntas*, humanam præsenti sermone significavit: addens autem, *tuam*, ostendit cognationem, cuius Divinitatis nulla est differentia propter vnitatem naturæ.* Ex cuius Authoritate clarè liquet, hunc Sanctum distinctas perindè admittere in CHRISTO voluntates, ac ipsas naturas, quia voluntates sunt ipsius naturę proprietates; dicit enim aliam voluntatem esse Divinam, Humanam aliam; quia vna est naturę Divinæ propria, alia verò naturæ Humanæ: ergo cum Honorius, vt probatum manet, duas in CHRISTO confiteatur naturas, Divinam, & Humanam cum suis propriis integris differentiis; si istæ differentiæ, vt ex Sanctis Patribus perspicuum fuit, sunt, in Natura Divina *Voluntas, & operatio Divina*, & in Humana natura *Voluntas, & operatio humana*, ab istius Sancti, & communi omnium Catholicorum Doctrina de duabus in CHRISTO voluntatibus, & operatio-

tionibus nullatenûs discedit, imò illi Catholicè congruit Honorius.

423 S. CYRILLUS ALEXANDRINUS *in* 10. *lib. Thesauror. cap.* 3. duas in CHRISTO volũtates sic *ex dicto Matth. & Lucæ textu* solita sua eruditione cõvincit: *Si fieri potest, transeat á me Calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: *Dicebat (inquit) ad Patrem. Et non quidem timebat ipse mortem, secundum quòd Verbum est, & Deus, sed vsque ad finem dispensationem perficere properabat: hæc enim erat Patris voluntas. Habet autem, & nolle mori, eo quòd mortem caro recusabat naturaliter. Ex quibus veridicis testimoniis similiter demonstratur, duas in vno, eodemque Domino nostro IESU CHRISTO naturales voluntates prædicasse, Divinam videlicet & humanam, hos Venerabiles Patres.*

424 Illi autem Venerabiles Patres, quos pro sua Conclusione de duabus in CHRISTO voluntatibus adducit S. CYRILLUS sunt præclarissimi illi, & Sanctitate & Doctrina Gregorii Nyssenus, & Nazianzenus, quibus subscribit, dicens: *Cum enim dicit Sanctus Gregorius Nazianzenus, illius enim velle, qui in Salvatore intelligitur, Hominis, ostendit humanam Salvatoris voluntatem per ipsam vnitionem ad Verbum, Deificatã fuisse, & ideò non esse contrariam Deo. Itemque demonstrat, quia & humanam, licet deificatam, habuit voluntatem: & idem ipse (sicut in sequentibus docet) habuit & Divinam, vnam, eamdemque cum Patre. Si ergo & Divinam, & Deificatam habuit, duas vtique habuit voluntates.*

425 Et *infrà*: *Et dũ dicit S. Gregorius Nyssenus Magnus Episcopus, veram esse Mysterii Confessionem, alteram debere intelligi Humanam voluntatem, & alteram Divinam in CHRISTO, quid intelligi commonet, alteram dicendo voluntatem, & alteram, nisi duas manifestissimè voluntates?*

426 Ipse S. CYRILLUS duas in CHRISTO voluntates probans, sic prosequitur: *Itemque cum S. Ioannes, Præsul egregius docet, vnam quidem secundum Divinitatem, Patris, & Filij intelligi voluntatem, & eumdem iterum Dominum IESVM CHRISTVM Filium Dei velle dicit, vt hominem, & secundum carnem, rationabiliter, & sine scandalo dictum debere cognosci, quòd nollet mori. Idcircò quòd humanę sit naturæ irreprehensibiliter hoc volentis: clarum est, quòd & ipse duas naturales in CHRISTO prædicet voluntates, Divinam, quę vna est Patris, & Filii; Humanam, quæ affectum vivendi naturaliter gerit.*

427 Ex quibus verbis apertè deducitur, tres prædictos Sanctos duas in CHRISTO voluntates arguere, ac probare; quia illas, non ex Persona volente, quæ vnica est, colligunt, sed eas inferunt ex duabus naturis Divina, & humana, quæ CHRISTUM integrum, & perfectum Deum, integrum, perfectumque hominem constituunt. Et ideò necesse est, CHRISTVM, tamquàm plenè, & perfectè hominem humana voluntate gaudere. Cum igitur Honorius CHRISTVM plenè, & perfectè Deum, plenè, & perfectè Hominem confiteatur, vt ostendunt illa *primæ Epistolæ* verba: *Ipse est & carneus effectus plenè Deus, & Homo passiones, & opprobria patitur vnus mediator Dei, & hominum, in vtrisque naturis Verbum Caro factum, & habitabit in nobis ipse Filius Hominis de Cælo descendens vnus, atque idem.* Hinc liquidò constat, Honorium Catholicè de duabus in CHRISTO voluntatibus sensisse, perindè, ac vterque Gregorius, & S. Cyrillus Alexandrinus de eisdem voluntatibus docuerunt.

428 Easdem illas distinctas in CHRISTO voluntates, & operationes probat S. CYRILLVS, dicens: *Nihilominùs autem de duabus naturalibus operationibus CHRISTI datur intelligi, quando iidem Venerabiles Patres vnicuique CHRISTI naturæ propriam operationem assignant.* Cum igitur Honorius vnicuique in CHRISTO naturæ propriam operationem non semel assignet, vt ostendit illud *primæ Epistolæ*: *In duabus naturis operantem Divinitùs, atque Humanitùs.* (Itemque illud *secundæ*:) *Duas naturas, Divinitatis, & carnis assumptæ in vna persona propria operantes. (Et alibi:) Divinam, quæ Dei sunt operantem, & Humanam, quæ carnis sunt exequentem, &c.* Hinc si Sãctus Cyrillus ex vtriusque Gregorii Doctrina duas in CHRISTO operationes deducit, quia vterque Gregorius vnicuique in CHRISTO naturæ, Divinæ scilicet, & Humanæ

næ propriam operationem assignat, cum hoc ipsum fateatur Honorius, ac vnicuique naturę propriam operationem concedat, vt ex ipsius verbis clarè suprà probavimus, rectè deducitur, Honorium æquè Catholicè, ac S. Cyrillus, & vterque Gregorius de duabus CHRISTI operationibus sensisse.

429 Productus fuit etiam ab Agathone Pontifice *Actione* 4. ille S. HILARII locus *lib. 9. de Trinitate adversus Arianos*, vbi, inter alia, hęc scribit: *Idem ipse cum vnus sit CHRISTUS Deus, & Homo, & Divinæ operationis potentiam, & humanæ naturæ operationem habere se comprobat. (Et *infrà*:) Et quia vtraque, & virtutis Divinæ, & dispensationis humanæ vnum, eumdemque Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui vtrumque est, suis naturis gessisse pronuntiat, quia & Divinam operationem vnam habet ex Æterno cum Patre, & temporaliter humanam operationem Homo factus pro nobis, in se ipso indiminutè suscepit, vt veraciter vtrumque esset, & ex naturarum propriis operationibus, quod erat, nosceretur.*

430 Pro duabus in CHRISTO operationibus adduxit etiam Pontifex Agatho illum S. ATHANASII locum *Sermone 4. contra Arianos*: * Sicut enim indutus carne Dominus, factus est Homo: ita & nos homines per Verbum deificati sumus, assumpti per carnem eius etiam vitam æternam sortiemur. Hæc necessariò præexercuimus, vt si viderimus eum per instrumentum sui corporis Deificè agentem, vel dicentem aliquid, cognoscamus quia Deus existens hæc operatur. Et iterum si viderimus eum humanè loquentem, aut patientem, non ignoremus, quia carne indutus factus est Homo, & sic omnia facit, & loquitur. Singulorum enim proprietatem cognoscentes, & vtraque ex vno agi videntes, & intelligentes, rectè credemus, & non aliquando errabimus, &c.*

431 In huius loci dilucidatione adnotat S. Pontifex AGATHO singularem prudentiam, & eximiam sapientiam, qua D. Athanasius duas in CHRISTO operationes, alteram nempè Divinam, & Humanam alteram, ab vno, eodemque principio, CHRISTO scilicet Deo, & Homine, in vtraque natura Divina, & Humana operante deduxit; simulque docet, hanc S. Athanasii Doctrinam tutiorem esse viam, nè, dum de CHRISTI operationibus loquimur, aliquo teneamur errore. Iam elegantissima Agathonis verba audiamus: * Quàm prudenter memorabilis Pater ex operationum qualitatibus naturarum, quę in CHRISTO sunt, differentiam docet intelligi; & tamquam res ipsas prę oculis gerens manu spiritualis Doctrinę legentibus monstrat, cum dixit: ex vno vtrasque agi, id est vtrasque operationes, Divinam scilicet, & Humanam, ex vno, eodemque procedere. Et commonet non posse errare qui secundum hanc rectam intelligentiam credit.*

432 Honorium autem Pontificem idipsũ tenuisse, ac apertè tradidisse CHRISTUM nempê esse idem vtriusque operationis, Divinæ scilicet, & Humanæ principium, & in vtraque natura Divinitùs, & Humanitùs operatum fuisse, facilè intelliget qui illius legerit Epistolas, primam præcipuê, in qua sic scribit: * Nam quia Dominus IESUS CHRISTVS Filius, ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit vnus operator Divinitatis, atque Humanitatis, plenæ sunt Sacrę Litteræ, luculentiùs demonstrantes.* Et *in eadem Epistola* sic loquitur: *Mediatorem Dei, & hominum plenè, ac perfectè, multisque modis, & ineffabilibus cõfiteri nos communione vtriusque naturæ condecet operatum. (Et *infrà*:) Simpliciter, atque veraciter confitentes, Dominum IESVM CHRISTVM vnum operatorem Divinę, atque Humanæ naturæ.*

433 Prædictas autem operationes, Divinam scilicet, & Humanam, non modo procedere à CHRISTO tamquam ab vno operante, sed etiam à duabus ipsius naturis, Divina, nempè, & Humana, à quibus potius quam à persona operante desumendæ sunt, ac regulandæ, mirificè explicat ipse Honorius *in secunda Epistola*, in qua apertè fatetur: *Vtrasque naturas in vno CHRISTO operantes, atque operatrices. Et Divinam, quæ Dei sunt operantem, & Humanam, quę carnis sunt exequentem. (Et *infrà*:) Duas naturas, Divinitatis, & carnis, in vna Persona Filii Dei propria operantes.*

434 Vndê manifestè convincitur, Ho-

norium Pontificem idem, quod S. Athanasius *loco citato*, ab Agathone Pontifice adductus, de CHRISTI operationibus sensisse: imò ipsum diversas in CHRISTO operationes clariùs, & expressiùs quam Sanctus Athanasius explicuisse. Quarè si, vt ait Pontifex Agatho, qui Divi Athanasii Doctrinam de CHRISTI operationibus tenuerit, ab omni errore liber erit, & immunis; iure optimo dicere possumus, Honorium, absque vllo prorsus errore non minus Catholicè, quam Sanctus Athanasius, de CHRISTI operationibus sensisse.

435 Sancti autem Patres, qui duas in CHRISTO operationes, & voluntates confessi sunt, non alias certè quàm Divinam, & Humanam intellexerunt. Quod adeò certum est, vt istud tamquam principium certissimum S. CYRILLVS ALEXANDRINVS nobis tradiderit *lib. Thesaurorum, cap.* 24. vbi, inter alia, hęc habet: * Hanc ergo habentes Mysterii virtutem: quomodò non est ineptum scandalizare auditores, cum aliquid vt Homo loquatur? loquitur enim vt Homo, loquitur autem & sicut Deus, habens in vtrisque Potestatem. Claret & horum Sanctorum Patrum intentio spirituali discretione cernentibus, quòd secundum Catholicę, & Apostolicæ Ecclesiæ Fidei regulam, duas operationes in CHRISTO, id est, Divinam, Humanamque cognoscunt.*

436 Idque probat S. DIONYSII Authoritate, quam sic expendit: * Si ergo secundum aliam operationem vna est Patris, & Filii, & Spiritus Sancti operatio; & secundum aliam, nulla ratione Pater, & Spiritus Sanctus eidem naturali ratione communicant, duę proculdubiò operationes in vno, eodemque Domino nostro IESV CHRISTO, vero Deo, & perfecto, & Homine vero, & perfecto dicendę sunt.*

437 Pontificem autem Honorium diversas in CHRISTO operationes, Divinam nempè, & Humanam fateri, sępè sępiùs clamant istius Pontificis Epistolæ; *in prima* namque sic ait: * Operator Divinitatis, atque Humanitatis. (Et *infrà*:) Operatum Divinitùs, atquè Humanitùs in duabus naturis;* quod iterum repetit. Et *in secunda Epistola* de vtraque CHRISTI natura loquens, hæc habet: * Divinam, quę Dei sunt operantem, & Humanam, quæ carnis sunt exequentem. (Et *infrà*:) In vtrisque naturis Divina, vel Humana prædicent operantem.* Ergo si Honorius admittit in CHRISTO operationes Divinas Divinæ naturæ proprias, & Humanas proprias naturæ Humanæ, vt ex ipsius verbis innotescit, dicendum nobis proculdubiò erit, ipsum circa duas in CHRISTO operationes communem Sanctorum Patrum, qui de duabus CHRISTI operationibus secundum Orthodoxam Fidei regulam senserunt, tenuisse sentętiam, & non minus Catholicè quàm illi de eisdem operationibus fuisse loquutum.

438 Ipse Sanctus Pontifex Agatho adducens pro duabus CHRISTI operationibus Sanctum Leonem Pontificem, hæc habet: * Et dum defensor veritatis Sanctus Leo, ad confessionem CHRISTI Flavianum *in Dogmatico Tomo* edisserit, inquiens: Agit vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est, & subsequenter per intelligentię rationem discernit Verbum, quod Verbi est operans; & carnem, quod carnis est exequentem.* Et *paulò infrà* expendit ipse Agatho, Sanctum Leonem Pontificem his verbis sensisse, ac tradidisse, diversas in CHRISTO fuisse operationes, alias nempè Divinas, proprias naturę Divinæ; & alias Humanas, Humanæ proprias naturæ.* Quibus ipsis ostendit (inquit) eximius Pontifex, imò & omnis cum eo generalitas Sancti Chalcedonensis Concilii, quod & Deitas CHRISTI naturalem operationem inconfusè in vnitate servavit, & Humanitas eius, quæ ad operationem humanæ substantiæ competunt, exequuta est.*

439 Prosequitur Agatho probans duas in CHRISTO operationes, quia duæ sunt in ipso naturæ, quibus propriæ, diversęque correspondere debent operationes. *Si itaque duæ naturæ sunt, quarum in vno CHRISTO vnitio facta est, duæ profectò sunt, & harum naturarum operationes, quæ cum suis naturis inconfusè, atque inseparabiliter convenerunt in vno Domino IESV CHRISTO.*

440 Hûc egregiè facit quod dixit S. GREGORIVS NYSSENVS: * Dedisse, nempè, Hominem Salvatorem Humanæ naturę, quam in se habuit, tem-

pus

pus propria operandi.* Ex his enim Gregorii verbis Sanctus Pontifex Agatho duas in CHRISTO operationes, vniuscuiusque naturę proprias, deducit. *Vndê (inquit) certum est, & hunc duas in CHRISTO naturales operationes nihilominùs cognovisse.*

441 Quarè, si ex eo, quòd S. Leo formas propria operantes concessit in CHRISTO, & Sanctus GREGORIUS NYSSENVS *tempus propria operandi* in Humana CHRISTI natura confessus est, infert Sanctus Pontifex Agatho, hos Sanctos Patres, non modò duas in CHRISTO naturas inter se distinctas, sed & proprias etiam operationes inter se diversas prædicasse: cum Honorius *in suis Epistolis*, vt sæpè iam diximus, duas in CHRISTO cõfiteatur naturas, inter se realiter distinctas, & propria operantes, atque operatrices, cum operationibus vnicuiquę naturę, Humanę scilicet, & Divinæ, correspondentibus, vt patet ex illis verbis: *Multisque modis, & ineffabiliter in vtrisque naturis condecet operatum*; hinc clarè deducitur, Honorium in iis, quæ ad CHRISTI operationes pertinent, Doctrinę Sancti Gregorii Nysseni mirificè consonare.

442 Ea est operationis naturalis cum natura connexio, vt vbi diversæ reperiuntur operationes, diversæ etiam agnoscantur naturæ; & vbi diversæ apparent naturæ, diversę etiam naturales appareant operationes, iuxtà illud PAULI: *Opera enim eorum sequuntur illos*: Et illud CHRISTI: *Ex operibus eorum cognoscetis eos.* Imò id experientia docemur: operationem enim Angelicam, & Humanam non nisi in diversis Angeli, Hominisque naturis inveniemus: in ferri insuper, & ignis naturis, quantumvis in fornace permixtis, diversas operationes, vniuscuiusque naturæ proprias, agnoscimus. Et quamvis hæc Doctrina communissima sit, eamque Sanctorum Patrum Authoritatibus, iam suprà ostenderimus, in specie tamen, pręclarum huius veritatis testimonium nobis occurrit in D. AMBROSIO, qui *lib. 2. cap. 10. ad Gratianum* scribens, ostendit, non posse diversę potestatis vnam operationem existere, nec minorem posse operari, quod magnum; nec vbi diversa substantia est, vnam posse operationem intelligi. Vndè cum Honorius diversas substantias, & naturas, Divinam scilicet, & Humanam confiteatur in CHRISTO, & in vtraque natura operationes ipsius proprias, Divinas nempè, & Humanas agnoscat; necesse est, vt sicut duas naturas Divinitùs, & Humanitùs operantes confitetur in CHRISTO, duas etiam in ipso, iuxtà Ambrosii Doctrinam, prædicet operationes.

443 Hæc ampliùs ex ipsius S. AMBROSII Doctrina stabiliuntur. Tradit namque Ambrosius operationes operanti, & naturæ debere congruere, & proportionari, ita vt sicut ex effectu causa dignoscitur, ex creatura nempè, Creator, iuxta illud PAULI: *Invisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; sic ex diversis operationibus diversi operantes, & diversæ illarum operationum agnoscantur naturæ.

444 Hanc eamdem Doctrinam de CHRISTO loquens nobis tradit S. CYRILLUS ALEXANDRINUS relatus *in Act. 4. VI. Synodi*, vbi magnus ille veritatis defensor, sic loquitur: *Ex his, quę Deo decenter dicta, vel acta sunt à Domino Salvatore, Deum eum ostendi; & quæ ab eodem secundum Hominem dicta, vel facta sunt, ostendi eum veraciter Hominem.* Hinc infert Pontifex AGATHO, ex naturalibus CHRISTI operationibus, earum naturas, qualitates, ac Divinæ, & Humanæ differentias deduci; naturales enim operationes suas secum afferunt naturas, propriasque arguunt differentias: *Manifestum est (inquit) quòd ex naturalibus operationibus CHRISTI, CHRISTVM Deum verum, atque perfectum esse, cognovit. Nec enim est alia tàm manifesta probatio, quæ posset eundem ipsum, & Deum, & Hominem, demonstrare, quòd naturales operationes, ex quarum qualitatibus, & naturæ, de quibus essentialiter procedebant, certissimè in eo esse credebantur.*

445 Hinc deducitur, quòd sicut naturales operationes propriæ, si diversæ inter se sint, diversas interse inferunt naturas, tamqàm effectus cum illis naturaliter, essentialiterque connexi: sic vbi diversæ sunt substantię, & naturæ ibi iuxta horum Sanctorum Doctrinam naturales operationes inter se essentialiter diversæ necessariò sunt concedendę; sicque in CHRISTO iuxta vtriusque naturæ diver-

sitatem naturalium operationum diversitas admittenda est. Si ergo Honorius *in vtraque Epistola* CHRISTVM Deum, Hominemque agnoscit, duasque in illo naturas, Divinam, & Humanam, Divinitûs, & Humanitus operantes, atque operatrices fatetur, quid ipsi decst, vt de CHRISTI operationibus Catholicè cum S. Cyrillo Alexandrino, Sancto Pontifice Agathone, ac VI. Synodo Generali sentiat, quę prædictam vtriusque Sancti Doctrinam *Act.* 4. approbavit?

446 Hęc cò fortiùs stabiliuntur, quò impossibilius & gratiæ, naturęque ordini repugnantius videatur, vbi diversæ sunt naturæ, diversas non inveniri operationes vnicuique naturæ proportionatas. Sic Hominis, brutique naturis diversę correspondēt operationes, vniuscuiusque naturę propriæ, aliæ scilicet rationales, irrationales aliæ: sic Creatoris, & Creaturæ naturam increatæ, & creatæ operationes sequuntur: Sic tandèm Divinæ, Angelicę, & Humanæ naturæ, Divinę, Angelicæ, & Humanæ propriæ correspondent operationes.

447 Id nos, vniversamque Ecclesiam alicè, ac mirificè docuit Sanctus Pontifex AGATHO *in Fidei Instructione*, quam ad VI. Generalem Synodum celebrandam misit: *Act.* enim 4. hæc habet: *Enimverò ex diversis probabilibus Patribus Orthodoxæ Fidei veritas claruit, licet exiguis testimonijs: quia rem apertam, & omnibus claram, Patres laudabiles superfluum esse censebant disserere. Quis enim, licet tardus sit ad intelligentiam, non videt, quod omnibus patet? Quia impossibile, & contra ordinem naturæ est, posse naturam, & operationem non habere naturæ: quod nec ab hæreticis vmquam tentatum est dici? Quomodò itaque, quod nec à Sanctis Orthodoxis Patribus dictum est vmquam, nec à profanis hæreticis præsumptum est inveniri, nunc poterit autumari, vt duarum CHRISTI naturarum, Divinę scilicet, & Humanæ, quarum & proprietates salvæ esse noscuntur in CHRISTO, vnam habere operationem, quilquam rectè sentiens possit demonstrare?*

448 Cum ergo, vnicuique naturæ propriam, ac naturalem ipsius operationem correspondere, principium Sanctis Patribus certissimum sit; idque nonmodò à Catholicis, sed & ab hæreticis tamquàm certissimum admittatur (Hæretici enim omnes, qui vnam tantummodò in CHRISTO naturam agnoscunt, vnam etiam tantummodò in ipso operationem admittunt) si Honorius *suis in Epistolis* nonmodò duas in CHRISTO naturas, divinam, scilicet & humanam prędicat, sed operationes etiam vtriusque naturæ proprias fatetur, vt hæc illius verba ostendunt: *Divinam, quæ Dei sunt, operantem; & humanam, quæ carnis sunt, exequentem;* & clariùs adhuc *in aliis suarum Epistolarum locis*, in quibus Divinas, humanasque operationes admittit in CHRISTO; dicendum profectò est, Catholicam, Conclusionem de duabus CHRISTI operationibus ab Honorio propugnari. Sancti enim Patres, Sacraque Concilia non alias in CHRISTO operationes, quàm Divinas, humanasque agnoverunt; quas cum clarè, ac pleno ore fateatur Honorius, illius sententia non potest non Sanctorum Patrum, Sacrorumque Conciliorum Doctrinæ consona, ac conformis videri.

449 Singularem sibi vendicat ęstimationem Synodalis Epistola ab AGATHONE Pontifice, vnà cum Romano Concilio scripta quæ Legatis Apostolicis ab eodem Pontifice ad VI. Generalem Synodum celebrandam missis instructio fuit, vt Monothelitismus à tota Generali Synodo damnaretur, vt patet *ex Actione 4. VI. Synodi.* Ibi enim Sanctissimus Pontifex: Agatho Sancti Leonis Pontificis Authoritati innixus, ex duabus in CHRISTO naturis, Divina scilicet, & Humana, duas in CHRISTO operationes vniuscuiusque naturæ proprias sic convincit: *Deum Verbum Dominum IESVM CHRISTVM (inquit) neque alium in alio, neque alium & alium, sed eumdem ipsum in duabus naturis, idest in Deitate, & Humanitate (& *paulò infrà*) vnus enim ex vtrisque, & per vnum vtraque; quia simul sunt & altitudo Deitatis & humilitas carnis, servante vtraque natura, etiam post adunationem sine defectu proprietatem suam, & operante vtraque forma cum alterius communione, quod proprium habet: iuxtà ea, quæ dicit Sanctus Leo *Epist.* 10. Verbo operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est: quorum vnum coruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs.*

450 Ex hac certissima duarū in CHRISTO naturarum Doctrina, voluntates, propriæ-

priaſque, ac naturales operationes Sacrum Concilium deduxit. Nè autem maieſtati verborum, quibus has duas voluntates, & operationes intulit Cõcilium, noſtra imbecillitate aliquid detrahatur, illius verba tranſcribere libet: * Vndè cõſequẽter, ſicut duas naturas, ſive ſubſtantias, id eſt Deitatem, & Humanitatem inconfusè, indivisè, incommutabiliter eum habere veraciter confitemur: ita quoque & duas naturales voluntates, & duas naturales operationes habere, vtpotè perfectum Deum, & perfectum Hominem vnum eumdem ipſum Dominum IESVM CHRISTVM, pietatis nos regula inſtruit; quia nos hoc Apoſtolica, atque Evangelica Traditio, Sanctorumque Patrum Magiſterium, quos Sancta Apoſtolica, atque Catholica Eccleſia, & Venerabiles Synodi ſuſcipiunt, inſtituiſſe monſtrantur.*

451 Vbi Sacrum Concilium ex communi Sanctorum Patrum Doctrina nobis tradit, ac docet certam, Catholicamque veritatem de duabus in CHRISTO voluntatibus, & operationibus, tamquàm certiſsimam Concluſionem duobus certiſsimis innixam principiis, quorum alterum eſt, quòd ſi in CHRISTO duę dantur naturæ, Divina nempè, & Humana, vt Catholica Fide docemur, duæ etiam dari debent voluntates, Divina ſcilicet, & Humana, vti vtriuſque naturæ propriæ, ac vtrique correſpondentes naturæ: alterum verò eſt, quod ſi CHRISTVS eſt perfectus Deus, perfectuſque Homo, nullatenùs poteſt illi denegari, quod ad Divinæ ſpectat perfectionem naturæ, *velle nempè Divinum, & operari Divinum*; nec quod ſuæ humanæ naturæ congruit perfectioni, *velle* ſcilicet *Humanum, & operari Humanum*. Ergo ſi Honorius vtramque in CHRISTO confitetur naturam, Divinam ſcilicet, & Humanam, ac CHRISTVM DOMINVM perfectum Deum, perfectumqne prædicat Hominem, vt paſſim *in illius Epiſtolis* illas attentè legenti patebit, quarum periodos, nè faſtidium Lectori pariant, illis primæ Epiſtolę verbis contentus omitto: *Confitentes Dominum IESVM CHRISTVM mediatorem Dei, & hominum, operatum Divina media Humanitate, Verbo Deo naturaliter vnita hypoſtaticè, eumdemque operatum humana ineffabiliter, atque ſingulariter aſſumpta carne, diſcretè, inconfusè, atque inconvertibiliter plena Divinitate; & qui coruſcat in carne plena Divinis miraculis, ipſe eſt, & carneus effectus plenè Deus, & Homo: paſsiones, & opprobria patitur vnus mediator Dei, & hominum.* Si, inquam, Honorius vtramque in CHRISTO confitetur naturam, eumque plenè, & perfectè Deũ, & Hominẽ *ſuis in Epiſtolis* prędicat, iure optimo dicere, & ſtatuere poſſumus, Honorium duas in CHRISTO voluntates, & operationes admiſiſſe, eadem prorſus forma, eiſdem principiis, & Doctrina, qua Sanctus Agatho, Romanumque Concilium ſub illo celebratum, vſi ſunt ad illas in CHRISTO probandas, & Eccleſiam Catholicè inſtruendam.

CAP. IX.

HONORII DOCTRINA SANCTORUM Patrum Sententiæ, qui in VI. Generali Synodo allegati ſunt, conſona oſtenditur, conformiſque probatur.

452 PRO noſtra Aſſertione, qua Honorium Pontificem à Monotheliſmi calumnia vindicamus, egregiè facit, quod in Patriarcha Macario, iſtiuſque diſcipulo Stephano accidiſſe fertur *Actione 8. VI. Synodi Generalis.* Cum enim iſti in medium prodire à Concilio fuiſſent coacti, vt Fides, quam profitebantur, omnibus Concilii Patribus patefieret (erant enim de Fide ſuſpecti) interrogati fuerunt à Venerabili Abbate Theophane, quid de Humana CHRISTI voluntate ſentirent? *Theophanes (inquit CONCILIVM) Venerabilis Presbyter, & Abbas Monaſterii Baias, interrogavit eoſdem Macariũ, & Stephanum: Habuit humanam voluntatem Dominus noſter IESVS CHRISTVS, & impeccabilem?* Amboque negativè reſponderunt, dicentes: * Nos voluntatem humanam in CHRISTO non dicimus: Divinam verò etiam abſque carnalibus voluptatibus, & cogitationibus humanis.*

453 Cùmque eos huius erroris convincere, & ab illo deducere Venerabilis Abbas THEOPHANES conaretur, duas adduxit Authoritates, vnam S. Athanaſii,

S.

S. Augustini aliam, qui vnà cum S. Athanasio probat, voluntatem esse naturæ proprietatem. *Motus animi (inquit) quid est, nisi motus naturæ? Anima enim sine dubitatione natura est; & ideò voluntas motus naturæ est, quia motus est animę.*

454 CONCILIUM autem vtriusque Sancti Doctrinam approbans, duas ex illa voluntates in CHRISTO deduxit, idque contra Macarium, istiusque discipulum Stephanum definivit. At silentio prætereunda non est ratio, cui Concilii innititur Definitio, quę in hunc modum se habet: * Sancta Synodus dixit: Luce clarius, & veraciter ostendit Theophanes, Deo amabilis Presbyter, & Abbas per prolata ab eo testimonia Sanctorum, ac probabilium Patrum, naturalem esse voluntatem. Si igitur Primus Adam naturalem habuit voluntatem, qui per omnia similis illi factus est absque peccato, secundus Adam Dominus noster IESUS CHRISTVS, verus Deus noster, quomodò non habuit in humana eius natura naturalem voluntatem? Si itaque & humanam impeccabilem voluntatem assumpsit Dominus noster, & Deus, IESVS CHRISTVS humanæ suę naturæ, & Divinam ante sæcula cum Patre, & Sancto Spiritu habuit voluntatem; proculdubiò duas naturales voluntates in ipso Orthodoxos oportet confiteri inconfusè, atque indivisè, sicut & plurimis Paternis testimoniis in vna Persona::: Domini nostri IESV CHRISTI comprobatę sunt.*

455 Tota autem ista Concilii ratio fundatur in eo, quòd cum voluntas sit quædam proprietas, quæ naturam iuxtà Sanctum Athanasium, Augustinum, & alios, naturaliter sequitur; cum aliundè Fides, Patres, & Concilia duas in CHRISTO confiteantur naturas, post vnionem distinctas, naturam nempè Divinam, & Humanam; hìnc duas etiam in CHRISTO admittunt voluntates. Vndè cum Honorius idipsum non semel *in suis* prædicet *Epistolis*, vt sæpè iam diximus, necessariò deducitur, quòd si Sanctum Concilium de duabus CHRISTI voluntatibus contra Macarium Monothelitam Catholicè sensit, Honorius eidem Concilii rationi innixus, Catholicam, sicut OEcumenicum Concilium, de duabus CHRISTI voluntatibus contra Monotheliśmi hæresim sententiam amplexus est.

456 Pro eisdem duabus CHRISTI voluntatibus adductus fuit S. ATHANASIUS *Actione 9.* qui explicans preces illas, quas CHRISTVS Dominus *Matthæi 26.* ad suum Patrem effudit, dicens: *Pater, si possibile est, transeat á me Calix iste: verumtamen non mea voluntas fiat, sed tua: spiritus promptus, caro autem infirma*; in huius loci expositione, hæc habet: * Duas voluntates hic ostendit, & vnam quidem Humanam, quæ est carnis, aliam autem Divinam. Quoniam Humana propter infirmitatem carnis refugiebat Passionem; Divina autem erat prompta.* In his verbis illud nobis confiderandum occurrit, quòd cum hic Sanctus duas in CHRISTO voluntates fatetur, statim illas explicat, dicens: *Vnam quidem Humanam, & alteram Divinam*; tamquàm vtriusque naturæ proprietates. Quod, vt sæpè iam diximus, non modò non inficiatur, imò clarè fatetur Honorius, vt sæpè vidimus.

457 Conabatur Stephanus, Monotheliśmi labe infectus, ac Patriarchę Macarii discipulus, Sanctum Gregorium Theologum, sibi vnicam in CHRISTO voluntatem propugnanti favere; aiebat enim prædictum Sanctum vnam tantummodò volūtatem admittere in CHRISTO, dum *lib. 2. de Filio*, loquēs de CHRISTO, hæc scribit: * Illius enim velle nec contrarium est Deo, Deificatum totum.* At illi in eodem Concilio occurrens, ac sese opponens Venerabilis, ac Sanctus Episcopus Gortines, sic illum breviśimis hisce verbis convicit: *Qualem voluntatem dicis, quæ Deificata est, Divinam, an Humanam? Si enim Divinam dixeris, quod Divinum est Deificatione non indiget. Si autem Humanam, proculdubiò duas voluntates, & ex pręsenti testimonio etiam nolens significas.* Vbi contra Stephanum hęreticum duas in CHRISTO voluntates, aliam Divinam, Humanam aliam, aliam Deificantem, aliam verò Deificatam, expresè ex ipsa S. Gregorii Authoritate deduxit, atque convicit.

458 Insupèr *Actione 10.* eiusdem VI. Synodi productus etiam fuit, pro duabus CHRISTI volnntatibus, S. AMBROSIVS, qui explicans ilum *Matthæi textum*: *Non mea voluntas, sed tua fiat*, hæc habet: * Suam ad hominem retulit:

lit: Patris ad Divinitatem. Voluntas enim Hominis temporalis: voluntas Divinitatis ęterna.*

459 *In eadem Actione* 10. inter alias Authoritates, quæ à VI. Synodi Patribus pro duabus CHRISTI voluntatibus cum ſuis Authographis collatæ productæ ſunt, vna fuit S. ATHANASII, Alexandriæ Epiſcopi, qui *lib. de Trinitate, & Incarnatione*, explicans illa CHRISTI verba apud *Matthæum* 26. *Non mea voluntas fiat, ſed tua*, hęc ſcribit: *Duas voluntates hic oſtendit; vnam quidem humanam, quę eſt carnis; aliam autem Divinam. Nam Humana propter infirmitatem carnis, refugiebat Paſſionem; Divina autem eius, prompta.*

460 Ex prædictis Sanctorum Athanaſii, Ambroſii, ac vtriuſque Gregorii, Theologi ſcilicet, & Nyſſeni Authoritatibus duo inferuntur: Primò, ipſos, eſtò à Concilio pro duabus CHRISTI voluntatibus fuerint allegati, numquàm tamen CHRISTI Domini voluntates numeralibus *duarum*, vel *geminæ* terminis explicaſſe, ſed illarum voluntatum diſtinctionem ſufficienter ab ipſis exprimi, dum alia dicitur Divina, alia vocatur Humana; vno excepto Athanaſio, qui eſtò illas *duarum* numero exprimat, ipſas tamen ſtatim explicat, dicens: *Vnam quidem Humanam, quæ eſt carnis; aliam autem Divinam.* Secundò: omnes prædictos Patres illi Divi Auguſtini Doctrinæ, tamquàm certiſſimo principio inniti, quòd ſcilicet voluntas eſt quędam proprietas, quę ſuam ſequitur naturam: cumquè duæ in CHRISTO dentur naturæ, Divina ſcilicet, & Humana, vt tamquàm certiſſimam Fidei regulam Sancti Patres, Sacraque nobis tradidere Concilia, hînc ab iiſdem Patribus vnanimi conſenſu duæ in CHRISTO aſtruuntur voluntates, alia nempè Divina, & Humana alia. Ergo ſi Honorius, vt latè ſuprà probavimus, duas voluntates Divinam, & Humanam confitetur in CHRISTO, cum iſtarum proprietatibus propria operantibus, & cum vtriuſque naturę differentiis, qvę ſunt in natura quidē humana intellectus, voluntas, & operatio humana; in natura verò Divina, intellectus, voluntas, & operatio Divina, hinc neceſſario dicendum eſt, Honorium Pontificem *in ſuis Epiſtolis* mirificè congruere Catholicę illi quatuor Sanctorum Patrum Doctrinæ, quam Sancta OEcumenica Synodus pro duabus CHRISTI voluntatibus contra Patriarcham Macarium, iſtiuſque ſequaces adduxit; ſicque Honorium non modò nulla cenſura eſſe afficiendum, ſed imò ſummis laudibus extollendum, quòd *ſuis in Epiſtolis* Sanctorum Patrum, Sacratiſſimorumque Conciliorum Doctrinæ præclarè congruat, ac conſentiat.

461 Omnem ſibi vendicat attentionem JUSTINIANI Imperatoris Authoritas *in lib. contra Neſtorianos, & Acephalos*, tum ex Sancti Leonis Papæ verbis: * Agit vtraque forma, quod proprium habuit, &c.* Tùm ex S. Cyrili Alexandrini teſtimonio deſumpta, qui *lib. Theſaurorũ* impoſſibile reputat, vnam eãdemque operationem in duabus naturis, adeò inter ſe diſtinctis, ac diverſis, vti ſunt creata, & increata, poſſe vllo pacto inveniri:* Neque enim (inquit Cyrillus) vnam naturalem operationem dabimus Deo, & creaturę.* Ex quibus verbis Sacratiſſimus Imperator *Actione* 10. *VI. Synodi* laudatus, duas in CHRISTO operationes, ſic contra Monothelitas evincit: * Ecce & per ea, quæ nunc ſunt nobis à Sanctis Patribus appoſita, apertè demonſtratum eſt, diverſas operationes eſſe Deitatis, & Humanitatis vnius Domini noſtri IESV CHRISTI, & hoc conſonè omnibus Patribus, qui anteâ fuerunt, Sanctum docuiſſe Leonem.*

462 Si ergo iuxtà Sancti Leonis, Sancti Cyrilli, imò & communem Sanctorum Patrum conſenſum, vbi diverſæ ſunt naturæ, vti Divina, & Humana, diverſas eſſe Deitatis, & Humanitatis operationes neceſſe eſt, vt Sapientiſsimus Imperator aſſeruit: cum Honorium in vtraque ſua Epiſtola non modò duas in CHRISTO naturas, ſed eas etiam cum Divinis, Humaniſque operationibus admittere, ac fateri, iam ſuprà latè probaverimus, & apertè innoteſcat, tûm *ex prima eius Epiſtola* in qua palàm confitetur, Dominum IESVM CHRISTVM *in duabus naturis operatum, Divinitús, atque Humanitús*; tûm *ex ſecunda eiuſdem Epiſtola*, in qua manifeſtè prędicat in CHRISTO *vtraſque naturas operantes, atque operatrices*; *Divinam quidem, quæ Dei ſunt operantem, & Humanam, quæ carnis ſunt exequentem*; hinc ſi Imperator

rator Iustinianus, quia cum communi Sanctorum Patrum Doctrina duas in CHRISTO naturas, diversasque in ipso operationes, Divinas nempè, & Humanas admisit, adeò Catholicè loquutus est, vt eius Doctrina singulari omnium plausu acclamari; *in Actione* 10. prædicti Concilii meruerit, cum Honorius, idipsum in vtraque Epistola, vt modò diximus, confiteatur, proculdubiò illius Doctrina nõ minori plausu, & acclamatione, quã Justiniani Imperatoris, aliorumque Sanctorũ Doctrina, qui Catholicè de CHRISTI operationibus senserunt, videtur suscipienda.

463 Eadem VI.SYNODVS *Actione* 10. pro duabus CHRISTI operationibus adduxit S. EPHREN, Patriarchę Antiocheni Authoritatem *ex Apologia Chalcedonensis Concilij*, & *ex S.Leonis Papæ lib. cap.*56. desumptã; prædictus nãque Patriarcha Sanctissimus duplices in CHRISTO operationes considerat, alias quidem naturales, naturæ Humanæ proprias, alias verò supernaturales, Divinæ proprias naturę, easque deambulationis exemplo demonstrat: *Nam ambulare, & pedibus ire, nisi secundum phantasiam fiebat, liquet, quòd pedum est operatio ipsius nostræ naturę. Et vtique ipsa species operationis exclamat, in pristinis mensuris carnem fuisse servatam, & huiusmodi gressum, omnes corporalem, ac sensibilem dicunt: ambulare autem super mare, hoc Deitatis erat, per Humanam carnem operantis. Si igitur nuda carne operationem diceremus fieri, rei gestæ caligaret intelligentia: quemadmodum, si etiam soli Deitati hunc ambulatum deputaremus, incessum adscribentes, & ambulare profitentes, nunc autem Incarnatum Deum Verbum operatum fuisse huiusmodi operationem confitentes, quædam quidem ad naturam carnis consequenter dicimus facta fuisse, quædam verò propter Deitatis præcelsam naturam.*

464 Ex prædicta Doctrina apertissimè patet, in deambulatione CHRISTI super mare, duas considerandas esse actiones. Alia graduum, quos CHRISTVS super maris vndas faciebat, qui naturales fuerunt, & naturæ Humanæ tam proprii, ac si ambulationem CHRISTUS super solidum conficeret pavimentum. At si in illa deambulatione attendimus, CHRISTVM super fluidas, ac inconstantes maris vndas gradientem, vorticibus, fluctibusque non submergi, inficiari non possumus, illam actionem naturæ Divinæ operantis in CHRISTO propriissimam esse, ac supernaturalem, minimè verò naturalem, ac propriam Humanæ naturæ: si enim naturalis esset, omnes homines id præstarent, actionemque illam elicerent; natura enim cum suis operationibus omnibus communis est. Vndè CHRISTVM tunc aquis non obrui, non potuit esse Humanę operatio naturæ, sed Divinæ, vt rectè prędictus Sanctus expendit, ac proindè legitimè infert: *Ergo & hic duę sunt operationes;* aliæ nempê naturales, supernaturales alię; illę quidem, Divinæ naturę propriæ; istæ verò, Humanæ correspondentes naturę. Atqui Honorius operationes Humanæ naturæ proprias, vt pati, ac mori; operationes item naturæ Divinæ speciales, vt sunt omnia miracula, quæ media Sanctissima sua Humanitate operatus est, confitetur in CHRISTO, vt hæc *primæ suæ Epistolæ* verba apertissimè ostendunt: *IESVM CHRISTVM operatum Divina media Humanitate, Verbo Deo naturaliter vnita, eumdemque operatum Humana ineffabiliter, atque singulariter, assumpta carne discretê, inconfusè, atque inconvertibiliter plena Divinitate, & qui coruscavit in carne plena Divinis miraculis, ipse est & carneus effectus plenê Deus, & Homo; Passiones, & opprobria patitur vnus mediator Dei, & hominum, in vtrisque naturis, ipse Filius Hominis de Cælo descendens, vnus, atque idem, sicut scriptum est Crucifixus Dominus Maiestatis, dum constat, Divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones, & non de Cælo, sed de Sancta est assumpta caro Dei Genitrice.* Ergo Hnorii Doctrina Catholicę Sancti Ephren Sententiæ consona est aclamanda.

465 *In eadem VI. Synodo*, miris encomiis celebrata est *Epistola*, quam S.SOPHRONIUS, Patriarcha Ierosolymitanus *ad Sergium Patriarcha Constantinopolitanum* scripsit, vt eum ab erroneo Dogmate de vnica CHRISTI operatione singulari sua eruditione dejiceret, ipsi evidenter demonstrans duas CHRISTI operationes, quas iuxta Catholicam Fidem confiteri tenebatur; vt

ex

ex Actione 11. *VI. Synodi* innoteſcit. At quia prædicta Epiſtola diffuſiſſima eſt, aliquas tantummodò illius periodos ad rem noſtram aptiores adducemus, præcipuè eas, vbi de CHRISTO loquens, hæc de illius naturis, & naturalibus operationibus habet: * Undè idem ipſe vnus manens CHRISTVS inſeparatus in vtriſque naturis conſpicitur, & quæ ſunt vtriuſque ſubſtantiæ, naturaliter operabatur, ſecundum inſitam vnicuique eſſentialem qualitatem, ſive naturalem proprietatem. *

466 Et *infrà*: * Verùm Emmanuel, dum vnus eſt, & in eo ipſo vtraque, id eſt Deus, & Homo, quæ naturæ vtriuſque ſunt veraciter geſſit ſecundum aliud, atque aliud, quæ geſta ſunt operans; ſecundum quòd Deus quidem eſt, idem ipſe eſt, quæ Divina ſunt; ſecundum quod Homo ipſe eſt, quæ humana ſunt. *

467 Et *infra*: * Secundum quod Deus ergo ſempiternus idem ipſe exiſtebat, patrabat miracula: ſecundum quod Homo verò, idem ipſe modernus agnoſcebatur, patiebatur humilia, & humana. Sicut enim in CHRISTO vtraque natura indiminutê proprietatem ſuam cuſtodit, ita & operatur vtraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit; Verbo operante, quod Verbi eſt, cum communione ſcilicet corporis; & Carne exequente, quod Carnis eſt, &c. *

468 Et *infrà*: * Vnum, eumdemque Filium, & CHRISTUM, qui & ſublimia, & humilia naturaliter operabatur, ſecundum vniuſcuiuſque duarum eius naturarum naturalem, & eſſentialem qualitatem, aſſerimus. *

469 Et *infrà*: * Hinc piè ſentientes, & ſuper terminos rectæ Fidei conſentientes, ſicut vnum, eumdemque CHRISTUM, & Filium operari vtraque dicimus, eo quòd Deus idem ipſe erat & Homo, nullamque excogitamus cõfuſionem; ita nec vtramque formam cum alterius communione operari propria, differentes, eo quôd duæ formæ in vno, eodemque CHRISTO naturaliter propria operantes exiſtunt. *

470 Et *pauló infrà*: * Et vtriuſque naturæ, vtramque novimus operationem, eſſentialem dico, naturalem, & congruam, indivisè de vnaquaque procedentem, eſſentia, & natura. *

471 Et *infrà*: * Quemadmodum igitur vtriuſque eſſentiæ, atque naturæ, ex quibus nobis in CHRISTO inconfuſa facta eſt vnitas, & vnum CHRISTUM perfecit, & Filium, totum Deum, totum eumdem ipſum credendum, & hominem, vtramque naturalem confitemur operationem, nè naturas, quæ inconfusè vnitæ ſunt, confundamus. *

472 Et *infrà*: *Incarnatus Deus Verbum extabat, qui & vtramque inſeparabiliter, & inconfusè operationem, ſecundum naturas ſuas à ſe ipſo naturaliter proferebat. Secundum quidem Divinam naturam ſuam, iuxta quam erat etiam Patri conſubſtantialis, Divinam, & inexplanabilem: ſecundum Humanam verò, iuxtà quam & hominibus conſubſtantialis manſit, Humanam, &c. *

473 Quàm conſonè iſtius Sancti Doctrinæ loquatur Honorius, facilê agnoſcet quiſquis vtriuſque periodos, ac verba conferre voluerit. Si enim iuxtà Sancti Sophronii ſententiam: * Idem manens CHRISTVS, vt Deus operatur ſublimia, & Divina; & ſecundum quòd Homo humilia, & humana, * idem ſentit Honorius *in prima Epiſtola*, in qua aſſerit: * Dominum IESVM CHRISTVM mediatorem Dei, & hominum operatum Divina media Humanitate, Verbo Deo naturaliter vnita, eumdemque operatum Humana ineffabiliter, atque ſingulariter aſſumpta carne. *

474 Et *in ſecunda Epiſtola*, vt innoteſcat CHRISTUM Deum eſſe, ac Hominem, duaſque inter ſe diſtinctas, ſibi tamen vnitas, in ſe continere naturas, ait: *non divisè, neque confusè, aut convertibiliter, Dei naturam in Hominem, & Humanam in Deum converſam edocentes, ſed naturarum differentias integras confitentes: vnus enim, atque idem eſt humilis, & ſublimis; æqualis Patri, & minor Patre; ipſe ante tempora natus, in tempore eſt; per quem facta ſunt ſæcula, factus in ſæculo eſt; & qui legem dedit, factus ſub lege eſt, *vt eos, qui ſub lege erant redimeret*; ipſe crucifixus, ipſe Chirographum, qui erat contra nos, evacuans in Cruce de Poteſtatibus, & Principatibus triumphavit. * Vbi clarè apparet operationum diverſitas, quam Honorius prædicat in CHRISTO: alias enim proprias CHRISTI, vt Dei, alias verò ſpeciales CHRISTI, vt

Hominis, confitetur; & si illæ naturę correspondent Divinæ, istæ Humanæ correspondent naturæ.

475 Et si, iuxtà Sophronii Doctrinam, in CHRISTO Domino *operatur vtraque forma, quod proprium est*, hoc idem fatetur Honorius: *in secunda* enim *Epistola* admittit in CHRISTO *duas naturas, id est Divinitatis, & carnis assumptæ in vna Persona Vnigeniti Dei Patris, inconfusé, indivisé, atque inconvertibiliter propria operantes.*

476 Tandèm si Sanctus Sophronius docet, operationes, non quidem personæ, quæ vnica est in CHRISTO, sed naturis, Divinę scilicet, & Humanæ correspondere debere: idem tradidit Honorius *in prima Epistola*, cum inquit: *Confitentes Dominum Iesum Christum vnum operatorem Divinæ, atque Humanæ naturæ*: & rursus *in eadem Epistola*: *in duabus naturis operatum Divinitús, atque Humanitús.* Et *in secunda Epistola* apertè confitetur: *vtrasque naturas, in vno CHRISTO in vnitate naturali copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices.* Vt autem agnoscatur, operationes, non quidem Personæ, sed naturis inter se distinctis ab Honorio attribui; vt insupèr intelligatur, operationes ab ipso admissas non esse personales, sed naturales, ac vniuscuiusque proprias naturæ, vt aiebat Sophronius, ideò illis verbis: *Operantes, atque operatrices confiteri debemus*; hęc alia subiungit Honorius: *Et Divinam quidem, quæ Dei sunt operantem, & Humanam, quæ carnis sunt exequentem.* Ergo Honorii Doctrina omninò consona est Sancti Sophronii Doctrinæ in iis, quæ ad CHRISTI attinent operationes. Vndè si Sancti Sophronii Epistola, ob prædictam Doctrinam singulari plausu tamquàm Catholica, ac Monotheliśmo penitùs oppośita à VI. Synodo suscepta est; cum Honorius eamdem *in suis Epistolis* Doctrinam tradiderit, non est cur non dicamus, ipsum *in vtraque sua Epistola* Catholicè perindè, ac Sanctus Sophronius, de CHRISTI operationibus sensisse.

477 *In Actione* 14. *VI. Synodi Generalis* iussit Sacrum Concilium, vt coram omnibus legeretur, quod de CHRISTI voluntatibus, & operationibus scripsit S. ATHANASIVS *in libro*, cuius titulus est: *De textu Evangelii: Nunc enim anima mea turbata est.* Et *eadem Actione* hæc S. Athanasii verba pro duabus CHRISTI voluntatibus referuntur: * Quamvis enim Deus est, veram in carne, & secundum carnem obedientiam complet, & voluntati carnis voluntas prævalet Deitatis, sicut prædixit: *Quia descendi de Cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed vt faciam voluntatem eius qui misit me Patris*; propriã volũtatem dicens ipsam carnis: nam caro propria eius erat. Nec enim voluntas Filii Divina à voluntate Dei separata est: oportebat quippè moveri carnis voluntatem, subjici verò voluntati Deitatis. (Et *infrá*:) Carnalis enim natura recusat mortem, & erat hæc in CHRISTO: quoniam Verbum caro veraciter factum est; Deitatis enim voluntas elegit Mundi salutem, quam mors operata est.*

478 Et *infrá*: * Nullus quippè hominum est, qui non se ipsum abstraxit à voluntate Dei ex aliqua parte, vel re, vel tempore: in solo autem CHRISTO inseparabilitas voluntatis servata est.*

479 In prædictis verbis duas in CHRISTO voluntates à magno Fidei Zelatore, Divo Athanasio agnosci, censet VI. Synodus Generalis. Cum enim prædicta S. Athanasii verba in VI. Synodo perlecta fuissent, SANCTVM CONCILIVM dixit: * Apertè etiam nunc in sermone, qui relatus est, duas naturales voluntates in Incarnationis dispensatione vnius de Sancta Trinitate Domini nostri IESV CHRISTI, veri Dei, laudabilis Athanasius declaravit.*

480 Attamen si relata Sancti Athanasii verba attentè legantur, nequaquam in illis occurret, Divum Athanasium in prædicta Authoritate, duas CHRISTO voluntates explicare termino numerali *duarum, geminæ*, vel *duplicis* voluntatis; sed illas sufficienter illis verbis: *Voluntatis carnis, & Deitatis*, vel, *Voluntatis Dei*, exprimere. Honorium autem *in suis Epistolis* duas in CHRISTO voluntates hoc modo admittere, satis apertè convincitur: fatetur enim, vt diximus, duas in CHRISTO naturas *operantes, & operatrices*; illa autem vox, *operantes*, operationes apertè significat; illa verò, *operatrices*, operativas vtriusque natu-

naturæ potentias demonstrat. Cum autem potentię operativæ in natura intellectiva, quales sunt Divina, Angelica, & Humana, iuxtà cõmunem Theologorũ, & Sanctorũ Patrum consensum, aliæ non sint, quàm intellectus & voluntas; hinc Honorius dum duas in CHRISTO naturas operatrices admittit, duos in CHRISTO intellectus, duasque prædicat voluntates. Prætereà quia Honorius *in secunda Epistola* distinctas in CHRISTO agnoscit naturas, Divinam nempè, & Humanam, vt apertè convincunt illa ipsius Honorii verba: *Naturarum differentias integras confitentes*: Cum autem voluntas vna sit è differentiis propriis, quibus natura Divina ab Humana discriminatur natura, sicut è contra: hinc Honorius, dum duas in CHRISTO naturas, cum istarum integris differentiis, admittit, duas etiam voluntates, duasque operationes, alteram nempè Divinam, alteràque fatetur Humanam, vt sic vnicuique naturę correspondeat sua voluntas, suaque operatio tamquàm propria differentia assignetur.

481 Deniquè si Honorii verba diligenter expendimus, liquidò nobis innotescet, ipsum *in suis Epistolis* easdem duas illas voluntates, quas Sanctus Athanasius concedit in CHRISTO apertissimè fateri, voluntatem nempè Divinæ naturæ correspondentem, quam Sanctus Athanasius *voluntatem Dei*, vel *Deitatis* appellat; & voluntatem Humanæ correspondentem naturæ, quam prædictus Sanctus, *Carnis* nominat voluntatem. Etenim non modò Catholici omnes naturam, voluntatem, & operationem Divinam confitentur in CHRISTO; sed etiam Hæretici omnes, qui CHRISTVM Deum esse concedunt, voluntatem etiam in ipso, & operationem confitentur Divinam. Hæretici verò quotquot vnam voluntatem, & operationem admittebãt in CHRISTO, vt Monothelitæ, voluntatem, & operationem Divinam CHRISTO Domino concedebant; voluntatem verò, & operationem denegabant Humanam.

482 Ita tenet ANGELICVS DOCTOR *3.part.quæst.18.art.1.* vbi hæc habet: *Respondeo dicendum, quod quidam posuerunt, in CHRISTO esse vnam solam voluntatem; sed ad hoc ponendum diversimodè moti esse videntur. Appollinarius enim non posuit animam intellectualem in CHRISTO, sed quòd Verbum esset loco animę, vel etiam loco intellectus. Vndè cum voluntas sit in ratione, vt Philosophus dicit, 3. de Anima*, sequebatur, quòd in CHRISTO non esset voluntas Humana. Et similiter Eutyches, & omnes, qui posuerunt vnam naturam compositam in CHRISTO, cogebantur ponere vnam voluntatem in eo.

483 Nestorius etiam (prosequitur) quia posuit vnionem Dei, & Hominis, esse factam solum secundum affectum, & voluntatem, posuit vnam voluntatem in CHRISTO. Postmodùm verò Macarius, Antiochenus Patriarcha, Cyrus Alexandrinus, & Sergius Constantinopolitanus, & quidam eorum sequaces posuerunt in CHRISTO vnam voluntatem, quamvis ponerent duas naturas in CHRISTO secundum *hypostasim* vnitas; quia opinabantur, quòd Humana natura in CHRISTO numquam movebatur proprio motu, sed solum secundum quòd erat mota à Divinitate, vt patet *ex Epistola Synodica* Agathonis Papæ.*

464 Et respondens tertio argumento, quo probari videbatur, voluntatem non esse operationem naturalem, quia nempè *ea, quæ sunt naturalia, sunt ex necessitate: quod autem est voluntarium, non est necessarium: ergo voluntas est vna tantum in CHRISTO:* huic, inquam, argumento respondens (omissa pro nunc solutione, quę ab ipso affertur) probat, voluntatem esse naturalem naturæ proprietatem, * quæ consequitur naturam ex necessitate; & ideò, præter voluntatem Divinam, oportet in CHRISTO ponere voluntatem Humanam, non solum prout est potentia naturalis, aut prout est motus naturalis, sed etiam prout est motus rationalis.* Ex quibus verbis duo inferuntur. Primum est, quód Hæretici, qui, vt ait D.THOMAS, vnam tantummodò voluntatem concedebant in CHRISTO, hanc Divinam esse arbitrabantur, & omnes denegabant Humanam, estò id diversimodè tuerentur.

485 Secundum est, quòd cum voluntas sit naturalis potentia, quæ naturam necessariò consequitur, vt tradit D.THOMAS *in solutione tertii argumenti*, vbi sic scribit: * Ipsa potentia voluntatis est naturalis, & consequitur naturam ex necessitate.* Honorius, dum duas naturas

prædicat in CHRISTO, aliam nempè Divinam, aliam verò Humanam, iam eo ipso, iuxtâ Angelici Præceptoris Doctrinam, duas in CHRISTO adstruit voluntates, cum istæ ex eodem S. Doctore necessariò consequantur naturas.

486 Undè concluditur, quòd si Honorium, vt par est, Catholicum consideremus, dubitare non possumus, quin ipse duas in CHRISTO prædicet voluntates, Divinam nempè, & Humanam. At Monothelitę Cyrus, Sergius, & cæteri omnes, dum vnam in CHRISTO operationem prædicarunt, vnam etiam tantummodò voluntatem in CHRISTO confessi sunt, & hanc Divinam esse dixerunt, ad cuius motum, ceu merum instrumentum, voluntas movebatur humana. Undè consequenter, omnem naturalem motum voluntatis, & operationis humanæ denegabant in CHRISTO, vt patet ex Patriarcha Macario vno è præcipuis Monothelitis, qui, vt *in VI. Synodo Actione* 11. refertur, vnam solummodò voluntatem, & hanc Divinam, admittebat in CHRISTO, vt patet ex his quæ docuit ipse, hæc dicens: *Vna, & sola Divina voluntate, tamquàm non existente in eo alia voluntate.* Cuius rationem ipse subdit, dicens: *Impossibile enim est, in vno, eodemque CHRISTO, Deo nostro, duas simul::: Subsistere volũtates. (Et *infrà*:) Vnã voluntatẽ CHRISTI, & hanc totã Divinam, secundũ Doctores prædicamus, &c.* Similiter Hæreticus Appollinarius vnam tantummodò voluntatem in CHRISTO, & hanc Divinam, admittit.

487 Honorius verò vt verè Catholicus, non modò voluntatem Divinam prędicat in CHRISTO, sed expresè etiam voluntatem confitetur Humanam, eadem prorsus forma, qua illam Sanctus Athanasius expresit. Etenim si Sanctus Athanasius voluntatem humanam, voluntatem carnis appellavit, idem præstitit Honorius, dum *in prima Epistola* inquit *Vndè & vnam voluntatem fatemur Domini nostri IESU CHRISTI.* Hæc enim voluntas, iuxtà ea, quę ibi exprimit Pontifex, non alia quàm voluntas carnis, sive humana intelligitur, vt expositum Vir Sanctissimus, qui Honorio fuit à secretis, hancque Epistolam efformavit, idque ipsum sentit Sanctus Maximus, atque ita prædicta verba alii gravissimi Expositores interpretati sunt, vt fusiùs infrà dicemus in solutione argumentorum.

488 Pro maiori confirmatione, ac munimine Catholicæ veritatis de duabus CHRISTI voluntatibus, & operationibus, insigne extitit Fidei Edictum, quod Imperator CONSTANTINUS promulgavit, vt omnes suo Imperio, ac ditioni subiecti Definitioni VI. Generalis Synodi obsequerentur; qua, iuxtà communem Sanctorum Patrum consensum, duæ in CHRISTO voluntates, & operationes penès vtriusquę naturæ, Divinæ nempè, & Humanę diversitatem, Catholica Fide stabilitæ fuerant, ac staturæ. Extat autem huiusmodi Edictum *Actione* 18. *VI. Synodi Generalis*, vbi postquam Monotheliśmi Authores Theodorus, Cyrus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Macarius, aliique omnes, qui vnicam in CHRISTO voluntatem, & operationem tuebantur, anathematizati sunt, sic Imperator concludit: *His omnibus ita à Sancto hoc vniversali VI. Concilio constitutis, sancimus, vt nullus quoque omninò aliud quidquam de Fide satagat, vel novi Dogmatis adinventionem machinetur, aut penitùs de vna voluntate, aut operatione sermonem commoveat. Omnes enim Sancti, & probabiles Patres, naturis voluntates, & operationes docent consequentes esse: & sicut duas naturas in CHRISTO credimus, ita & duas naturales voluntates, & duas operationes prædicamus. Hæ sunt veræ in Deum Confessionis Dogmata: hæ sunt Evangelicarum, atque Apostolicarum vocum prædicationes::: In hac Fide & vivimus, & regnamus, & corregnanti nobis Deo corregnare denuò speramus.*

489 At videamus nunc, qua ratione Catholicum istud de duabus CHRISTI voluntatibus, & operationibus Dogma, à prędicto Imperatore probetur. Certè si tanti Imperatoris verba attentè, ac diligenter expendimus, inveniemus profectò, prædictum Dogma non aliundè, quàm ex duabus naturis operantibus in CHRISTO à prędicto Imperatore deduci: *Nos autem (inquit) tamquàm iter regale pergentes, duas CHRISTI naturas, & harum pari numero naturales operationes confitemur, in vnam individuam concurrentes subsistentiam, & quæ sunt alterutra, in commune proprietates conferentem. Nec enim persona aliquid est,

quàm

quàm ipſę naturæ, ſed in Verbi ſubſiſtentia totius humanitatis formata natura, quę ſua ſunt, indiminutê operatur cum eo, cui vnita eſt ſubſtantialiter, Verbo, abſque ſolo peccato; ſicut & Verbum perfectè operatur, quæ eius ſunt propria, cum humana natura, quam aſſumpſit.*

490 Ad probandum autem CHRISTVM Dominum in vnaquaque natura, quòd illius proprium erat fuiſſe operatum, vtitur S. LEONIS toties iam repetita Doctrina: *Operatur enim vtraque natura, cum alterius communione, quod proprium habuit, Verbo operante, quòd Verbi eſt, & carne exequente, quæ carnis ſunt.* Quam Authoritatem ita zeloſiſſimus Imperator expendit: *Quę enim habuit ſicut conſubſtantialis Patri, hæc operabatur Divinitùs, per formam tamen humanam: quę autem aſſumpſit ex nobis, vt conſubſtantialis nobis, hęc operabatur humanè, ſed non vt purus Homo, ſed vt humanatus Deus.*

491 Quod confirmat exemplo, ex operationum diverſitate deſumpto. In CHRISTO enim aliæ dabantur operationes divinæ naturæ propriæ, aliæ verò naturæ humanę ſpeciales: * Nam ambulare corporaliter pedibus, & cum labore iter facere, & per linguam loqui, humanæ naturæ opus extiterat: membra verò paralytici verbo ſanare, & muti ad articulatê loquendum linguam aptare, & laborantibus, atque oneratis multitudine peccatorum, & ęgritudinum remiſſionem concedere, opera ſunt divinæ virtutis: ſed non alterum abſque altero.* Quod iterum confirmat S. LEONIS Papæ Doctrina, qui mirabiliter explicuit modum, quo vtraque natura cum alterius communione, quod naturale eius erat, & proprium operabatur; vt videri poteſt *in Epiſtola*, quam *ad Leonem Imperatorem* ſcripſit, in qua hæc habet: *In tantam vnitatem ab ipſo conceptu Virginis, Deitate, & Humanitate conſerta, vt nec ſine homine Divina, nec ſine Deo agerentur humana.* In cuius expoſitione piiſſimus Imperator, *En manifeſtê (inquit) hic Pater aſſeruit; quia in Perſonæ vnitate communiter, & non diſiunctè, neque confuſê vtraque natura operata eſt, quod naturale eius erat, & proprium.*

492 Negari non poteſt ſingularis Fidei Zelus, mira eruditio, ac præclara Doctrina, qua prædictus piiſſimus Imperator arcanum duarum in CHRISTO voluntatum, & operationum Myſterium explicuit. At non minori claritate illud ipſum præclarè Honorius Pontifex expreſsit, ſi vtriuſque Doctrinam conferamus. Etenim ſi Imperator CONSTANTINVS ad probandas duas in CHRISTO voluntates, & operationes, adduxit illam S. Leonis Papæ Doctrinam: *Operatur vtraque natura cum alterius communione, quod proprium habuit, Verbo operante, quod Verbi eſt, & carne exequente, quæ carnis ſunt.* Idem, imò & eiſdem verbis docuit Honorius, cum CHRISTI Domini operationes, vtriuſque naturæ proprias explicans, hęc *in ſecunda Epiſtola* ſcripſit: *Vtraſque naturas in vno CHRISTO in vnitate naturali copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices, confiteri debemus, & Divinam quidem, quæ Dei ſunt operantem, & Humanam, quæ carnis ſunt exequentem, non diviſè, neque confuſè, aut convertibiliter, &c.* Quæ verba, ſi rectè perpendantur, & à quovis, quantumvis ſeverioris notæ, & iudicii homine examinentur, eumdem planè ſenſum cum S. Leonis verbis efficiunt, nullumque poterit inveniri diſcrimen inter ea, quæ Imperator Conſtantinus ex S. Leone adduxit, & ea, quæ Honorius *in hac Epiſtola* ſcripſit.

493 Si Imperator addit, CHRISTVM vt conſubſtantialem Patri operatum eſſe Divinitùs, vt autem nobis conſubſtantialem operatum fuiſſe humanè, nullatenùs ab hac Doctrina diſcedit Honorius, CHRISTVS enim conſubſtantialis eſt Patri natura Divina, nobis verò, natura Humana. CHRISTVM autem in natura Divina operatum fuiſſe Divina, & in natura Humana operatum fuiſſe humana, expreſsè docet Honorius non modò *in loco ſuprà laudato*: *Et Divinam quidem, quæ Dei ſunt operantem, & Humanam, quæ carnis ſunt exequentem;* * ſed etiam *in prima Epiſtola*, in qua iuſſit, vt id tamquàm Catholicum Dogma prædicaretur: *Vnum (inquit) nobiſcum Dominum IESVM CHRISTVM, Filium Dei vivi, Deum veriſſimum, in duabus naturis operatum Divinitùs, atque Humanitùs, Fide Orthodoxa, & vnitate Catholica prædicetis.* Idipſum pluribus aliis in locis teſtatur Honorius. At quia iſtius verba

ſæpè

sæpè iam à nobis repetita sunt, ideò ea, brevitatis gratia, duximus nunc omittenda.

494 Si pro operationibus vtriusque naturæ propriis adducit CONSTANTINVS operationes CHRISTI naturales, vt comedere, iter agere, &c. humanæ proprias naturæ; & supernaturales naturæ Divinæ speciales: idipsum confitetur Honorius; etenim si Imperator operationes CHRISTI naturales vocat humanas, supernaturales verò Divinas; Honorius etiam vtrasque istas operationes agnoscit in CHRISTO. *In prima* enim *Epistola* sic scribit: * Dominus IESVS CHRISTVS, Filius, & Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse vnus est operator Divinitatis, atque Humanitatis.* Et *in eadem Epistola* prædicat, CHRISTVM Dominum esse: *Vnum operatorem Divinę, atque Humanæ naturę.* Et *alibi* affirmat: *In duabus naturis operatum Divinitùs, atque Humanitûs.* Et *in eadem Epistola* confitetur in CHRISTO operationes naturales humanæ proprias naturę, vt labores sustinere, probra, ac cruciatus tolerare; & prętер naturales istas operationes, admittit etiam alias supernaturales, & naturę Divinæ proprias, vt miraculis, & præter rerum naturam factis admirabilibus claresсere; sic enim inquit: * Et qui coruscavit in carne plena Divinis miraculis, passiones, & opprobria patitur, vnus mediator Dei, & hominum. (Et *infrà*:) Ipse filius hominis de Cælo descendens (vti Dei Filius, ac Patri in Divina natura consubstantialis) vnus, atque idem, sicut scriptum est, *crucifixus Dominus maiestatis* (quod est proprium humanæ naturæ) cum constet, Divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones.*

495 Tandèm si CONSTANTINVS, vnà cum S. LEONE, censet, Divinam, Humanamque naturam ita in CHRISTO fuisse vnitas, vt neque Divina, quod proprium erat, sine Humana; neque Humana, quod suum erat, sine Divina operaretur natura, iuxtà illud Sancti Leonis: *Vt nec sine homine Divina, nec sine Deo agerentur humana:* Hanc eamdem Doctrinam nobis tradidit Honorius *in illis primæ suæ Epistolæ verbis*: * Confitentes Dominum IESVM CHRISTVM operatum Divina, media Humanitate Verbo Deo naturaliter vnita: eumdemque operatum humana ineffabiliter, atque singulariter assumpta carne discretè, inconfusè plena Divinitate.* Idipsum *in eadem Epistola* eleganter explicat textu illo Divi PAVLI 1. *ad Corinthios* 2. vbi condolens Apostolus cæcitatem, & ignorantiam Iudæorum, qui Dei Filium, Divinam, Æternamque Sapientiam crucifixerunt: *Quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriā nostrā, quam nemo principum huius sæculi cognovit: si enim cognovissent, numquam Dominum maiestatis crucifixissent.* In huius textus expositione, hęc scribit Honorius: *Dum profectò Divinitas nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri, vel perpeti; sed propter ineffabilem coniunctionem humanæ, Divinæque naturæ, idcircò vtrobique & Deus dicitur pati, & Humanitas ex Cælo cum Divinitate descendisse.* Quod iterum confirmat *in secunda Epistola*, sic scribens: *Vtrasque naturas in vno CHRISTO in vnitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, &c.* Ex his manifestè colligitur, quàm consona sit Honorii Doctrina Imperatoris Constantini sententiæ. Vndè, si Constantini Assertio tamquàm Catholica *in VI. Synodo* singulari plausu suscepta est, singularem etiam plausum, & acclamationem prometeretur Doctrina, quam *in vtraque sua Epistola* Honorius Pontifex tradidit.

496 Ipse Constantinus *in præfato Edicto* duas in CHRISTO voluntates, & operationes efficaciter probat, easque ex duabus CHRISTI naturis deducit; expendens namque illa CHRISTI verba *apud Matth. 26. Pater, si possibile est, transeat à me Calix iste: verumtamen non mea fiat voluntas, sed tua*, hæc habet: * Duas voluntates in his ostendit, vnam quidem humanam, quæ est carnis, alteram verò Divinam. Et humana quidem propter infirmitatem carnis recusat passionem, Divina autem eius prompta.*

497 Et *paulò infrà*: illa eadem CHRISTI verba: *Non mea voluntas, &c.* sic piissimus Imperator exponit: * Hoc est, humanæ naturæ ::: Dum verò dicit, *tua*, illam, quæ communis est, inquit, mihi Verbo & tibi Patri. Patris enim, & Filii, secundum quod Verbum est, vna est voluntas, propter vnitatem essentiæ; secundum

dum S. Nyſſenum Gregorium *in Sermone adverſus Apollinarium.* * Ex quibus Sacratiſſimus Imperator hanc conſequentiam deducit: * Si ergo ſequitur (ſecundum quòd Patres inquiunt) naturam voluntas, duæ verò ſunt naturæ in CHRISTO, duas per omnia illius, & naturales voluntates dabimus. Idem ipſe enim, ſicut etiam aſſeruimus, ſecundum vtramque formam volens, voluit quidem vt Deus, voluit verò, & vt Homo, ſecundũ naturarum diverſitatem, etiam duarum voluntatum demonſtrans differentiam.*

498 In ijs apertiſſimè lucet, Sacratiſſimum Imperatorem probare, & rectè quidem, quòd cum duas in CHRISTO naturas Catholica Fide confiteamur, neceſsè eſt, vt duas quoque in ipſo voluntates eadem Catholica Fide admittamus: voluntas enim (vt docet) iuxtà communem Sanctorum Patrum Doctrinam, naturam conſequitur: ideòque Catholica Fide inſtruimur, in tribus Divinis Perſonis, eſtò realiter, & perſonaliter, diſtinctis, vnam tantummodò voluntatem adeſſe; quia cum voluntas conſequatur naturam, & hæc in tribus Divinis Perſonis vna dumtaxat ſit, ideò vnam Divinam voluntatem in tribus adoramus Perſonis. Cùm igitur Catholica Fides duas in CHRISTO adſtruat naturas, neceſsè eſt vt duas in ipſo prędicet voluntates. Hic Sacratiſſimi Imperatoris diſcurſus, eodem planè modò, quo duas in CHRISTO voluntates evincit, evincit etiam, duas in CHRISTO voluntates fuiſſe ab Honorio Pontifice prædicatas; Honorius enim paſſim *in ſuis Epiſtolis*, vt iam ſuprà demonſtravimus, duas in CHRISTO naturas, Divinam nempè, & Humanam, apertiſſimè confitetur, præcipuè cum CHRISTUM: *In vtriſque naturis operatum fuiſſe* affirmat, & *vtraſque naturas operantes, atque operatrices* appellat. Vndè ſi Imperatoris Conſtantini de duabus CHRISTI voluntatibus Doctrina & ratio, qua duas illas CHRISTI voluntates ex duabus CHRISTI naturis deduxit, in toto eius Imperio, imò & in tota Eccleſia tamquàm Catholica ſuſcepta eſt, Catholicæ etiam haberi debent, ac vt tales ſuſcipi Honorii Epiſtolæ, cum in illis Catholicum Dogma de duabus CHRISTI voluntatibus, ex duabus naturis, quas operantes, atque operatrices plenè confitetur in CHRISTO, eadem Imperatoris Conſtantini Doctrina, rationeque deducat Honorius.

499 Noſtra Aſſertio prędarè confirmatur Eccleſię Authoritate, quę CHRISTUM in vtraque natura plenè, & perfectè Deum, plenè, & perfectè Hominem nobis Catholica Fide credendum, *in* Sancti ATHANASII *Symbolo*, ſingulari acceptatione in tota Eccleſia approbato, proponit: *Perfectus Deus (inquit ATHANASIVS) perfectus Homo, ex Anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.* Et hanc eſſe Catholicam Fidem, ipſa Eccleſia cum S. Athanaſio expreſsè teſtatur, cum prædictum Symbolum, his verbis concludit: * Hæc eſt Fides Catholica, quam niſi quiſque fidelitêr, firmitèrque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.*

500 Suppoſita igitur hac certiſſima Doctrina, videamus nunc, quid ad ſui perfectionem in vtraque natura exigat CHRISTUS. Si Conſtantinum Imperatorem in Generali Fidei Edicto *Actione* 18. *VI. Generalis Synodi* relato, conſulamus, ſolidiſſima Doctrina id nobis exponet; expendens namque illum D. PAVLI textum 1. *ad Corinth.* 15. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*, hæc habet: *Neque enim dedignatus eſt amator hominum, humanis, & irrefragabilibus paſſionibus condeſcendere, qui cum Deus eſſet immortalis, mediante anima, morti corporaliter congreſſus eſt: Animam autem dicimus in omnibus perfectam, & ſolidam, cui in nihilo deerat humana perfectio.

501 Humanę (proſequitur) autem perfectionis inditium mens eſt, per quam, & volumus, & cogitamus, & ab irrationabilibus animalibus ſecernimur; nihil quippè eſt ſine mente voluntarium; omne autem voluntariũ intellectuale eſt: vbi igitur mens eſt, ibi modis omnibus & voluntas. Si itaque perfectus homo factus eſt Salvator in perfectione permanens Deitatis, neque ſine mente amens, neque involuntarius extitit. Igitur hi, qui Humanæ Domini Animæ, quæ ſecundum naturam eſt, extinguere voluntatem pertentant, amentem quidem eam, vt verè dementes aſſignant.*

502 Et *paulò infrà*: *Nos autem, qui

qui veræ dispensationis Mysterium non illudimus, non solum intellectualem, & voluntariam Sacrosanctam Salvatoris Animam esse credimus, sed & omnibus eam verè naturalibus virtutibus, & potentiis perfectam, & similibus nobis, absque peccato, voluntariè acquievisse passionibus, dum Verbum eam permitteret quærere, & velle, quę sua sunt. Sic & naturalem cibum secundum rationem appetebat quoque, & turbabatur, & tristabatur; cum enim Salvator ad Crucis passionem propria voluntate veniret, cępit tristari, & anxiari. Hę autem animæ rationalis, & voluntariæ proprietates existunt, vt persuadet nobis præclarus Pater noster EPIPHANIVS *in Sermone adversus Ariomanitas*: A carne enim (inquit) Divinitati vnita, absque anima, & mente non fit agonia.*

503 Ex hac Imperatoris Doctrina apertè liquet, CHRISTUM Dominum non solum fuisse perfectum Deum in sua Divina natura, sed perfectum etiam Hominem in sua natura Humana. Ex eadem insuper Doctrina manifestè agnoscimus, naturam Humanam, ad suam perfectionem exigere, intellectus, & voluntatis potentias, quæ naturales sunt, ac propriæ Animæ rationalis, quæ est forma Hominem ita essentialiter constituens, vt sine illa nihil CHRISTVS Humanæ haberet naturæ.

504 Idipsum docuit etiam ANGELICUS PRÆCEPTOR 3. *part. quæst.* 2. *art.* 5. sic scribens: *Respondeo dicendum, quòd CHRISTUS dicitur Homo vnivocè cum aliis Hominibus, vtpotè eiusdem speciei existens, secundum illud Apostoli *ad Philippen.* 2. *In similitudinem hominum factus.* Pertinet autem, ad rationem speciei Humanæ, quòd Anima corpori vniatur: non enim forma constituit speciem, nisi per hoc quod fit actus materiæ: & hoc est, ad quod generatio terminatur, per quam natura speciem intendit. Vndè necesse est dicere, quòd in CHRISTO fuerit anima corpori vnita, & contrarium est, hęreticum, vtpotè derogans veritati Humanitatis CHRISTI.* Et est etiam contra illud, quod de CHRISTO canit ECCLESIA: *Animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est.*

505 Insuper non solam naturam Humanam, sed Divinam etiam exigere in CHRISTO naturales intellectus, & voluntatis potentias, expressè docet ANGELICUS PRÆCEPTOR 3. *part. quæst.* 18. *art.* 2. vbi nostram assertionem, his verbis mirificè probat, ac convincit: *Manifestum est enim, quòd Filius Dei assumpsit Humanam naturam perfectam, sicut suprà ostensum est. Ad perfectionem autem Humanę naturę pertinet voluntas, quę est naturalis eius potentia, sicut, & intellectus, vt patet ex his, quæ *in prima parte* dicta sunt: Vndè necesse est dicere, quòd Filius Dei Humanã voluntatem assumpserit in Humana natura. Per assumptionem autem Humanæ naturæ nullam diminutionem passus est Filius Dei in his, quę pertinent ad Divinam naturam, cui competit voluntatem habere, vt *in prima parte* habitum est: Vndè necesse est dicere, quòd in CHRISTO sunt duę voluntates, vna scilicet Divina, & alia humana.*

506 Hac solidissima ratione convincit ANGELICVS DOCTOR, duas in CHRISTO admittendas esse voluntates, quia scilicet voluntates sunt perfectiones vtriusque naturæ, Divinæ scilicet, & humanę: cumque CHRISTVS sit perfectus Deus, perfectusque Homo: hinc necessariò sequitur, CHRISTVM vt Deum habere voluntatem Divinam, & vt Hominem voluntatem humanam.

507 Honorium autem ab hac Doctrina nullatenûs discessisse, apertè ostendit *prima* illius *Epistola*, in qua de CHRISTO loquens, hæc scribit: *Qui coruscat in carne plena Divinis miraculis, ipse est carneus effectus plenè Deus, & Homo. Passiones, & opprobria patitur vnus mediator Dei, & hominum.* Valdè autem expendenda est nota, quam BINIUS illius Epistolę margini apponit, num sit textus correctus, num glossa, vel interpretatio; illa siquidem verba, *plena*, & *plenè Deus*, sic ibidem explicantur: *In carne miraculis perfecta Divinitate, ipse est, qui & carnis affectus opprobriis passionis operatus est, perfectus Deus, & Homo vnus mediator.*

508 Ubi apertè dignoscitur perindè esse, Honorium dicere, CHRISTUM esse *plenè Deum, & Hominem*, ac dixisse *perfectam Deum, & Hominem*; etenim adverbium *plenè* non modò, iuxtà relatam

Glos-

Gloſſam, ſed etiam penès communem Latinorum Interpretum intelligentiam, ſignificat aliquid perfectum, ac omnibus ſuis numeris abſolutum. CICERO *de Oratore*: *Orator plenus, & perfectus, is eſt, qui de omnibus poteſt verè, & copiosè dicere.*

509 Ad hoc alludit illud S. FVLGENTII, qui *lib. 3. ad Traſim. cap. 5. de Plenitudine Chriſti Domini*, explicans illum textum *Ioannis* 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*, hæc habet: *Idcircò Vnigenitus Dei Filius, etiam quandò formam ſervi accipiens, ſemetipſum exinanivit, plenus gratiæ, veritatiſque remanſit.*

510 Et *infrà*: *Quæ autem eſt Vnigeniti plenitudo, niſi permanens impaſſibilis, atque immortalis Divinitas CHRISTI? In quo perfectus Homo plenus eſt gratię, & in quo perfectus Deus plenus eſt veritatis; quo proculdubiò plenitudinis nomen, vt Divinitatis eſſe monſtretur, APOSTOLVM de CHRISTO loquentem *ad Coloſſenſes* 2. paritèr audiamus: *Quia in ipſo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti.**

511 Hanc intelligentiam præclarè confirmat HVGO Cardinalis *in* 1. *Ioannis*: exponens namque illa verba: *Plenum gratiæ, & veritatis*, hęc habet: *Supple, *vidimus eum*, id eſt indeficientem naturaliter, & fontem omnis gratiæ, & veritatis, ſecundum quod ipſe eſt Deus. Vndè *Eccleſ.* 24. *In me gratia omnis viæ, & veritatis.**

512 Et *infrà*: *Secundum quod Homo, etiam plenus fuit gratiæ, & veritatis; quia in ipſo vniverſaliter, & perfectè fuerunt omnes gratiæ, & veritates. (Et *infrà*:) CHRISTVS autem totius Divinitatis perfectus eſt contemplator, etiam ſecundum quod Homo.*

513 Idem docet Venerabilis BEDA, *ad illa* enim *verba Lucæ* 2. *Plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo*: hæc ſcribit: *Eidem Homini CHRISTO magna gratia donata eſt, vt ex quo Homo fieri cœperit, perfectus eſſet & Deus. In illa enim glorioſa vnione collatum eſt ei per gratiam, vt ſit Homo Deus, quæ vnio, ſumma gratia fuit; & ſic in quantum Homo; plenus eſt gratia, in quantum enim Deus, dator eſt gratiarum.*

514 Eidem expoſitioni, & intelligentiæ, quam ſequimur, egregiè patrocinatur ANGELICVS DOCTOR *in* 1. *Ioannis*, dum illa verba: *Plenum gratiæ, & veritatis*, ſic dilucidat: *Poſſunt enim hæc verba exponi de CHRISTO tripliciter. Primò ſecundum vnionem: ad hoc enim alicui datur gratia, vt per ipſam vniatur Deo. Ille ergo gratia plenus eſt, qui perfectiſſimè Deo vnitur. Et alii quidem coniunguntur Deo per participationem ſimilitudinis naturalis. *Geneſ.* 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Alii per Fidem *ad Epheſios* 6. *Habitare per Fidem Chriſtum, &c.* Alii per Charitatem, quia, *Qui in Charitate manet, in Deo manet*, vt dicitur 1. *Ioannis* 4. Sed omnes iſti modi particulares ſunt, quia neque per participationem naturalis ſimilitudinis, perfectè aliquis Deo coniungitur.*

515 Et *infrà*: *Secundò poſſunt exponi ſecundum animæ perfectionem, ſecundum quam dicitur, *Plenus gratiæ & veritatis*, ſecundum quod, in anima eius fuit plenitudo omnium gratiarum abſque menſura. (Et *infra*:) In quantum igitur nobis largitus eſt perfectam iuſtitiam, quam non poteramus habere per legem, quę infirmabatur, quę nullum iuſtificare poſſet, neque ad perfectum adducere, in tantùm *gratia plenus eſt*, vt dicitur *Romanorum* 8. *Quod impoſſibile erat legi, &c.**

516 Ex his clarè colligitur, quàm propria, litteralis, ac naturalis ſit intelligentia, qua illa Honorii verba de CHRISTO loquentis: *Ipſe eſt carneus effectus, plenè Deus, & Homo,* ſic exponuntur, vt idem ſit dicere: *plenè Deus, & Homo*, ac *perfectus Deus, & Homo*; vt enim ex melioribus, ac doctioribus Linguę Latinæ Authoribus, Sacræque Scripturæ Interpretibus, Fulgentio, Beda, Angelico Doctore, & aliis, quos brevitatis gratia omittimus, modò à nobis probatum eſt, dictio *plene*, vel *plenus*, in CHRISTO denotat perfectionem. Vndè *plenus gratiæ*, iuxtà prædictos Sâctos Patres, CHRISTVM in omnibus gratiis, & virtutibus perfectum eſſe ſignificat: ſimiliter, *plenus Sapientiæ*, ſignificat CHRISTVM in omni ſapientię genere cumulatè perfectum. Quarè iuxtà intelligentiam horum virorum, qui Sanctitate, omnique

Sacra, prophanaque eruditione pręclarissimè floruerunt, propriissima, ac genuina est interpreratio, qua illa Honorii verba: *plenè Deus, & Homo*, ita exponuntur, vt idem significent, ac si, *perfectus Deus, & Homo*, dixisset Honorius. His consonat S. ATHANASIVS *in suo Fidei Symbolo*, ab vniversa Ecclesia approbato; postquam enim dixerat: * Est ergo Fides recta, vt credamus, & confiteamur, quia Dominus noster IESVS CHRISTVS, Dei Filius, Deus & Homo est:* Ut clariùs explicet illa verba: *Deus, & Homo*, hæc immediatè subdit: *Perfectus Deus, perfectus Homo.*

517 At his interpretationibus omissis, in ipso Honorii textu quidquid Sanctorum interpretatione hucusque probavimus, clarissimè inveniemus; textus enim Græcus illa Latina verba Honorii de CHRISTO loquentis: *Carneus effectus plenè Deus*, sic vertit: *Ipse est qui carnis affectus opprobriis passionis operatus est, perfectus Deus, & Homo vnus mediator.* Prout refert SEVERINVS BINIVS *in vltima Collectione Conciliorum, Actione* 12. *VI. Synodi, & Constantinopolitanæ III.*

518 Hanc eamdem intelligentiam pręclarè illustrat quod dixit Pontifex IOANNES IV. loquens de Honorio, & de Doctrina, quam tradidit, *in Apologia pro Honorio ad Constantinum Imperatorem*: *De Sancta quoque ipsius incarnata dispensatione docebat, quia Redemptor noster sicut esset Deus perfectus, ita & esset Homo perfectus, &c.* Et confirmat S. MAXIMVS, dum pro Honorio *cõtra Pyrrhum* disputans, hæc dicit: *Non enim rationẽ naturæ novavit factus Homo, qui erat Deus vniversorum, quoniam nec fuisset Homo, qui non habuisset perfectam, & immutabilem in omnibus rationem naturæ.*

519 Cùm igitur ex tàm solidis, ac firmis fundamentis clarum fiat, Honorium Pontificem *in prima sua Epistola* apertè fateri, CHRISTVM in vtrisque naturis, Divina, scilicet, & Humana, esse perfectum Deum, perfectumque Hominem: cumque insuper aperte constet, perfectionem CHRISTI, vt Dei, exigere intellectum, & voluntatem Divinam; vt Hominis verò animam, intellectum, & voluntatem Humanam, vt Constantini Imperatoris Authoritate, & Angelici Prœceptoris Doctrina probavimus; hinc necessariò deducitur, Honorium *in suis Epistolis* singulari sanè vniformitate cum Sanctorum Doctrina, non modò duas in CHRISTO naturas, sed duas etiam voluntates, & operationes vtrisque naturis, Divinæ, scilicet, & Humanæ correspondentes, Catholicè tenuisse, ac mirificè prædicasse.

520 Tandèm vt Honorii Pontificis innocentia ampliùs elucescat, ac apertiùs agnoscatur, quàm iniustè, ac iniquè illius opinio, ac Catholica Doctrina commaculata, Monothelismique labe infecta fuerit ab iis, qui tantum Pontificem fraudulenter in Hæreticorum numerum retuleruntomitti non potest quod Pontifex LEO II. *ad Imperatorem Constantinum* scripsit, approbans, & confirmans ea omnia, quæ *in VI. Synodo* contra Monothelismi Authores fuerant statuta. Definitionem quippè de duabus in CHRISTO voluntatibus, & operationibus, prędicto Imperatori cõmemorans ait: *Igitur gestorum Synodalium recensentes seriem, curiosaque diligentia singula quęque gesta sunt flagitantes, eadem, quæ Apostolicæ Sedis Legati narraverant, scriptis consonantibus convenire reperimus. Cognovimus enim, quod Sancta, & vniversalis, & magna VI. Synodus, quæ per Dei gratiam Imperiali Decreto, in Regia Vrbe, nupèr congregata est, eademque ad vniversum Concilium assidens, huic Sanctæ Sedi Apostolicæ, cuius ministerio fungimur, senserit, atque decreverit, sub Orthodoxæ Fidei integritate, regulisque maiorum, atque concorditer nobiscum confessa est.*

521 Vnum esse (prosequitur) de Sancta, & inseparabili Trinitate Dominum nostrum IESVM CHRISTVM ex duabus, & in duabus naturis inconfusè consistentem, vt Deum verè perfectum, & Hominem perfectum eumdem ipsum, salvaque proprietate vniuscuiusque in eo convenientium naturarum, eumdem ipsum Divina operatum, vt Deum, & Humana inseparabiliter operatum, vt Hominem, absque solo peccato. Et duas idcircò naturales voluntates, duasque naturales operationes eum habere, veraciter prædicavit, per quæ principaliter, & naturarum eius veritas demonstratur.*

522 Et *paulò infrà*: *Per quæ re vera

vera probavimus, hanc Sanctam, & laudabilem, atque prædicabilem VI. Synodum, per misericordiam Dei, qui Christianę Fidei Veritatem suis Fidelibus referat, Apostolicam prædicationem inoffenso pede fuisse sequutam, Sanctorumque, & Vniversalium quinque Conciliorum Definitionibus in omnibus consentientem, & horum regulas amplectentem, regiam, & Evangelicam semitam rectissimè gradientem, & in iis, atque per eos Sacrorum Dogmatum lima, & probabilium Catholicæ CHRISTI Ecclesiæ Patrum Doctrina servata est, & regularis lima ad omnium ędificationem prolata. (Et *infrà*:) Synodali igitur sententia, & Imperialis Edicti Censura, tamquàm ancipiti Spiritus gladio, cum priscis hæresibus etiam novæ pravitatis error expunctus est.*

523 Ex prædicta VI. Synodi Definitione apertè constat, Leonem Pontificem non ex aliis præmissis, duas in CHRISTO voluntates, & operationes inferre, quàm ex duabus: quarum prima est, quòd in CHRISTO duæ dantur naturæ, alia nempè Divina, alia verò Humana, iuxtà quas CHRISTVS est perfectus Deus, perfectusque Homo. Honorium autem *in suis Epistolis* vtrasque has naturas, Divinam scilicet, & Humanam confiteri in CHRISTO, nullus, qui vtriusque Epistolæ clausulas à nobis sæpè repetitas attentè legerit, dubitabit; *in illis* enim *primæ Epistolæ verbis*: * CHRISTUS Filius, ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, cum sit vnus operator Divinitatis, atque humanitatis;* vtrasque in CHRISTO supponit naturas; quas clariùs, ac expresiùs explicat *in secunda Epistola*, in qua sic scribit: *Vtrasque naturas, in vno CHRISTO in vnitate naturali copulatas, cum alterius Cõmunione operantes, atque operattrices confiteri debemus.* Aliàs Honorii propositiones idipsum confitentes omittimus, nê Lectori afferamus fastidium.

524 Nec obstat, Concilium ad exprimendas duas in CHRISTO naturas, addere illa verba: *Christum vt Deum verũm, & Hominem perfectum.* Non, inquàm, obstat; verba enim, quibus Honorius dicit de CHRISTO: *Carneus effectus est plenè Deus & Homo*; vt ex Sancto Fulgentio, V. Beda, ac Angelico Præceptore ostendimus, significant, CHRISTVM esse perfectum Deum, perfectumque hominem. Idque confirmat textus Græcus Epistolæ Honorii: illis namque Latinis verbis, *plenè Deus*, in Græco correspondent, hæc alia, *perfectus Deus, & Homo*; istaque fuit etiam Ioannis IV. Pontificis mens, & sententia, vt *ex eius Apologia* diximus.

525 Secunda præmissa, ex qua Concilium, vnâ cum Leone Pontifice, duas in CHRISTO voluntates, & operationes deduxit, est, asserere, ac statuere; *Christum salva proprietate vniuscuiusque in eo convenientium naturarum, eumdem ipsum Divina operatum, vt Deum, & Humana inseparabiliter operatum, vt Hominem, absque solo peccato.* CHRISTUM autem, vt Deum, & Hominem salva proprietate vtriusque naturæ operatum, aliud non est, quàm in natura Divina Divinitùs, in natura autem Humana Humanitùs operari: sicut enim operari Divinitùs est proprium naturæ Divinæ, sic etiam Humanitùs operari, est proprium naturæ Humanæ. Honorium autem *in suis Epistolis*, vtrumque pleno ore fateri, extra dubium est; *in prima* enim *Epistola*, sic scribit: * Veraciter confitentes Dominum IESUM CHRISTUM vnum operatorem Divinæ, atque Humanæ naturæ.* Et *infrà* fatetur CHRISTVM Dominum *in duabus naturis operatum Divinitùs, atque humanitùs.* *In secunda* verò *Epistola*, duas in CHRISTO naturas operantes admittens, addit: *Et Divinam quidem, quæ Dei sunt operantem; & Humanam, quæ carnis sunt exequentem.*

526 *Infrà* verò duas confitetur naturas, id est *Divinitatis, & carnis assumptæ in vna Persona Vnigeniti Dei Patris inconfusè, indivisè, atque inconvertibiliter propria operantes.* Vt autem meliùs intelligatur, in quo stet duas illas naturas esse operantes, præcipit Honorius, vt *vnum CHRISTVM Dominum nobiscum in vtrisque naturis Divina, vel Humana prædicent operantem.*

527 Tandèm CHRISTUM, vt hominem operatum fuisse absque peccato, expresè confitetur Honorius *in prima sua Epistola*, in qua hęc scribit: *Quia profectò, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata. CHRISTVS enim Dominus in similitudinem carnis peccati veniens peccatum

mundi abstulit, & de plenitudine eius omnes accepimus; & *formam servi suscipiens, habitu inventus est vt homo*, quia sine peccato conceptus de Spiritu Sancto, etiam absque peccato est partus de Sancta, & Immaculata Virgine Dei Genitrice, nullum experiens contagium vitiatæ naturæ.* Hæc Honorius.

528 Hinc apertè deducitur, quòd si Honorius concedit in CHRISTO quidquid VI. Synodi Definitio comprehendit, CHRISTVM nempè in duabus naturis esse perfectum Deum, perfectumque hominem, eumdemque, salva proprietate vtriusque naturæ, operatum esse, vt Deum, & vt Hominem absque peccato, vt modò probavimus: Si Concilium ex his duobus principiis duas in CHRISTO voluntates infert, & operationes; vt ostendit Pontifex LEO *illis verbis*: * Et duas idcircò naturales voluntates, duasque naturales operationes eum habere, veracitèr prædicavit Concilium,* negari non poterit, Honorium eidem Concilii Doctrinæ, eisdemque Catholicis principiis innixum, duas etiam in CHRISTO voluntates, duasque operationes Catholicè fuisse confessum. Quarè, si prædicta VI. Synodi de duabus in CHRISTO voluntatibus, & operationibus definitio, eo plausu, & acclamatione in Ecclesia susceptа fuit, vt aprobationem à Leone II. meruerit, qui eam Definitionem magnificis encomiis exornat, asserens *Apostolicam prædicationem inoffenso pede sequutam fuisse, Sanctorumque, & vniversalium quinque Conciliorum Definitionibus in omnibus consentientem, & horum regulas amplectentem, & Evangelicam semitam rectissimè gradientem,* cum Pontificis Honorii *in suis Epistolis* Doctrina prædictæ VI. Synodi Definitioni plenissimè consona, ac conformis à nobis fuerit ostensa, necessariò sequitur, eam Catholicam, Apostolicam, & Evangelicam à tota Ecclesia esse suscipiendam. Vndè Honorii Doctrina nullatenùs, nec de iure, nec de facto iustè potuit tamquàm non Catholica, à VI. Synodo condemnari; ad eam enim damnationem nulla fuit VI. Synodo iurisdictio, & Authoritas, cum nullum Concilium possit Doctrinam Catholicam, vt hæreticam condemnare, nec Catholicum aliquem, qualem fuisse Honorium ostendimus, Hæreticorum numero adscribere, illumvè vti hæreticum, nisi iniustè, Anathematis fulmine percutere.

529 Cum igitur plùs qnàm sexaginta rationibus Sanctorum Patrum, Sacratissimorumque Conciliorum Authoritati innixis, latè hùcusque probaverimus, Honorii *in vtraque sua Epistola* Doctrinam in his, quæ ad CHRISTI voluntates, & operationes attinent, illustrioribus Ecclesiæ Patribus summè congruere, ac præcipuè eam tribus Sanctissimis Conciliis specialiter ad condemnandam Monothelitarum hæresim congregatis, Romano nempè *sub S. Martino*, Romano item *sub S. Agathone*, ac VI. Synodo Generali *sub eodem Sancto Agathone* consonam ostenderimus; necessariò sequitur, aut Honorii nomen legitimæ damnationi, quæ à VI. Synodo in Monothelitas Sergium, Cyrum, Pyrrhum, & Paulum fulminata est, malitiosè fuisse appositum; aut talem condemnationem tamquàm iniustam, ac iniquam penitus esse rejiciendam, tùm quia eum, qui Catholicam Fidem ad occasum vsque vitæ constanter retinuit, tamquàm hæreticum damnat, tùm quia Catholicam Sanctorum Patrum, Sacratiorumque Conciliorum Doctrinam, tamquàm impiam declarat, quo nihil in Ecclesia iniustiùs, nihil iniquius, nihilque indignius, ac magis dissonum gravitati, authoritati, ac dignitati definitionis OEcumenici Concilii, cui Spiritus Sancti auram non defuisse, creditur; potest excogitari. Quarè nè in hæc gravissima incidamus absurda, potius asserendum est, prædictum OEcumenicum Concilium legitimum quidem fuisse; iustam quoque fuisse condemnationem in Monotheliśmi Authores à prædicto Concilio prolatam; at Honorium non nisi fraudulenter, ac malitiosè Monothelitarum numero fuisse adscriptum, prædictumque Concilii textum ab aliquo infensissimo Pontificiæ Authoritatis hoste vitiatum, vt efficaciter suadent rationes, quas pro Honorii Innocentia, suæque Catholicæ, & Apostolicæ Doctrinæ commendatione, latè à nobis hùcusque adductæ sunt.

* * * * * *
* * * * *
* * * *

CAP.

CAP. X.

ARGVMENTA OPPOSITA diluuntur.

530 VNUM ê præcipuis argumentis, quibus adversarii in Honorium, istiusque Epistolas insurgunt, est, Honorium *in Epistola ad Sergium* consensisse, consuluisse, imò & præcepisse, nè voces *vnius*, *& duarum voluntatum*, *& operationum* â Catholicis vsurparentur; quod Sanctis Patribus, duas in CHRISTO voluntates, & operationes tamquàm Catholicum Dogma prædicantibus, Sanctissimisque Conciliis voluntatum, & operationum duplicitatem iuxtà naturarum numerum in CHRISTO Domino definientibus, videtur opponi. Honorium igitur prohibuisse, nè dicatur id, quod Sancti Patres, ac Sacratissima Concilia prædicant in CHRISTO, non potest non graviſſimum Honorii scelus reputari.

531 Cùm harum vocum prohibitio, & huiusmodi silentii præscriptio, vnum sit è præcipuis adversariorum fundamentis, operæpretium erit, antequam illius vires infringamus, quid graviſſimi Authores hac de re censeant, audire. Cardinalis BELLARMINUS *lib.* 4. *de Romano Pontifice*, *cap.* 11. iudicat, Honorium *vnius*, *vel duarum operationum* nomina prudentissimo cõsilio prohibuisse. *Quòd autem Honorius prudentissimo consilio prohibuerit nomen *vnius*, *vel duarum* operationum, probatur.* Et postquàm prædictam prohibitionem, verbaque, quibus eam *in secunda Epistola* protulit Honorius, commemoravit, concludit, prædictam Epistolam hisce verbis commendans: * Quæ certè non nisi laudari possunt.* Et *ibi* addit: *Honorius enim solum prohibet nomina *vnius*, vel *duarum* voluntatum, quæ tunc erant inaudita; itaque prudentissimo consilio.* At si prædictæ prohibitionis motivum expressiùs scire desideramus, nobis patefacit ipse Cardinalis *ibi*, sic scribens:* Nam tunc initium erat huius hæresis, nec ab Ecclesia aliquid de his nominibus erat definitum: tunc enim primùm Cyrus Alexandrinus cœperat prædicare vnam in CHRISTO operationem; è contrario verò Sophronius Ierosolymitanus, opponens se Cyro prædicavit in CHRISTO duas operationes. Retulit Cyrus hanc contentionem ad Sergium Constantinopolitanum, & vterque ad Honorium Romanum Pontificem. Honorius igitur metuens id, quod posteà evenit, nê ista contentio in grave aliquod schisma crescceret, & simul videns, sine his vocibus posse Fidem esse salvam, voluit conciliare vtramque opinionem, & simul tollere de medio scandali, & contentionis materiam.*

532 Nec minorem sibi attentionem exposcit, id, quod pro prædictarum vocum silentio ab Honorio præscripto, scribit Cardinalis BARONIVS *ad annum 633.* vbi hæc habet: *Satis perspicuè noscitis secundum Catholicam Assertionem, vnum poni ab Honorio operatorem, cuius sint opera Divinitatis, & Humanitatis, vt in necessariam adducamus assumptionem, duas esse voluntates, & operationes, quas tamen ad vitanda dissidia, bono pacis non rejiciendas, sed retinendas affirmat.* At si causam, quæ Honorium ad id impulit, quæramus, eam ipse Cardinalis nobis exponit *ibi*. Subdit enim causam, dicẽs: *Quod periculosũ sit, sive vnam, sive duas tantum asserere in CHRISTO operationes, quæ in Divinis Scripturis reperiantur esse multiplices, quod, scilicet, ex generibus transirent adversarii ad individua, fallentes æquivocis.* Quod eisdem Honorii verbis confirmat, sic loquentis: * Nos enim non vnam operationem, vel duas Dominum IESVM CHRISTVM, eiusque Sanctum Spiritum, Sacris Litteris percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum. Scriptum est enim, &c. Si enim in aliis, id est in membris suis Spiritus Christi multiformiter operatur, in quo vivunt, & moventur, & sunt: quantò magis per semetipsum mediatorem Dei, & hominum, plenè, ac perfectè, multisque modis, & ineffabilibus confiteri nos communione vtriusque naturæ condecet operatum.*

533 Ipse BARONIVS postquam Honorii verba retulit, affert aliam prædictæ prohibitionis causam, asserens, ideò ab Honorio voces illas *vnius* vel *duarum* voluntatum fuisse prohibitas, videlicet, vt duarum hæresum, Nestoria-

storianorum nempè, & Eutychianorum evitaretur error; illi enim ideò duas voluntates confitebantur in CHRISTO, quia duas in ipso prædicabant personas; isti verò ideò vnam tantùm voluntatem, & operationem admittebant, quia vnam tantummodò naturam, ex Divina, & humana mixtam, astruebant. Baronii verba audiamus. *Cur autem de duabus voluntatibus, & operationibus tacendum ducat, (HONORIVS) causam haud contemnendam adstruit, quòd scilicet communis ista esset assertio cum Nestorianis idipsum profitentibus, non ob duarum (sicut Catholici) naturarum differentiam, sed ob duas, quas iidem constituebant in CHRISTO, personas.* Quod illa Honorii verba sufficienter demonstrāt: * Et nos quidem, secundum sanctiones Divinorum eloquiorum oportet sapere, vel sperare: illa videlicet refutantes, quæ quidem novæ voces noscuntur Sanctis Dei Ecclesiis scandala generare: nè aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos, nos vesana sapere arbitrentur.*

534 Et ostendens cur Honorius vnam operationem tacendam præceperit, sic prosequitur: * Rursum verò tacendum putat de vna operatione, nè fovere causam Eutychianorum, vnam tantum asserentium in CHRISTO naturam, videri posset: nam subdit: Aut certè, si rursus vnam operationem Domini nostri IESV CHRISTI fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.* Honorio autē culpæ non debere attribui indictum vtriusque vocis (vnius scilicet, vel duarum voluntatum, & operationum) silentium, idem censet Baronius *ibidem*, iustam reddens rationem, qua ad dictam prohibitionem induci potuit. *Nec poterat (inquit) culpæ adscribi de vtraque voce silentium, quod veluti pacis signaculum esse videtur appositum. Etenim cum omnis vocum novitas soleat in Ecclesia esse suspecta, & in antiquitate veteri fundata semper reperiatur firma securitas; quid de vocum novarum silentio, quod erat fibula pacis, potuit Honorius reprehendi, quod ab eo videri poterat, non retinendum tantum, sed imperandum? Non igitur, si tempus attendatur, reprehendi potest Honorius; sed eo nomine laudari potiùs debet, vtpotè quod satis, superque consultum Fidei Catholicæ videri poterat, si in CHRISTO duas confiteretur quis naturas indivisè, inconfusè, & inconvertibiliter iunctas, pariterque profiteri vnum operatorem Divinitatis, & Humanitatis CHRISTVM IESVM, hoc est, ipsum in vna consistentem persona operatum (vt ait) secundum duplicem operationem duarum naturarum *Humanæ*, atque *Divinæ*, vt plenè rem ipsam prædicare noscatur, cuius novas voces velit, ob exorta scandala, reticeri, quæ ob novitatem suspectę videri possent, & magnam diffidii occasionem subministrare: vndè meritò illas obruendas esse putarit.*

535 Dices: Honorius ęquè, ac Sergius nomina *vnius*, vel *duarum* voluntatum, & operationum subticenda esse iudicavit, imò huiusmodi vocum silentium indixit: cum igitur Catholicum Dogma sit, duas in CHRISTO admittendas, ac prædicandas esse voluntates, vt fert communis Patrum consensus, dicendum proculdubiò erit, Honorium in pernitiosissima ista hæresi convenisse cum Sergio. Huic argumento plenissimè satisfacit celebre illud Iurisprudentię Axioma: *Distingue tempora, & concordabis iura.* Etenim cum Sergius ad Honorium, & iste ad Sergium scripsit, nondùm Sergii hæretica fraus in Oriente, nequè in Occidente fuerat detecta: si enim iam tunc huiusmodi hæresis innotuisset, neque Sanctus Sophronius in Oriente, neque Honorius cum Sergio tamquàm cum Catholico Viro communionem, & consuetudinem habuissent. Cum igitur tunc temporis Sergius nondùm detectus hæreticus fuerit, atque damnatus, sed Orthodoxus ab Orientalibus, & Occidentalibus creditus, imò & magnæ æstimationis Episcopus habitus; nec duę in CHRISTO voluntates per duarum numerum explicatæ in vllo essent definitæ Concilio, nec communi Sanctorum Patrum consensui, ac Doctrinę consonæ, vt latè suprà probavimus: hinc nullatenùs potuit Honorius vt hæreticus damnari, aut alicuius erroris censeri reus. Vndè corruit argumentum.

536 Cęterum nè ista solutio Authoritate destituta videatur, audiendus est Cardinalis BARONIVS, qui *loco suprà citato*

citato, hęc habet: *Quòd enim Sergius ipse, manifestus post hæc cognitus hæreticus fuerit, atque damnatus, cum & eadem sentire cum ipso Honorius profiteatur, putarunt nonnulli, eadem ipsum quoque sententia debere percelli, sicque Honorium, vti Sergium, hæreticum censendum esse, nullam rationem habentes temporis diversitatis, nec rerum. Temporis, inquam, quòd (vt plenius ostendimus) cum ista Sergius ad Honorium, & Honorius ad Sergium scriberet, nec levis quidem suspicio erat de Sergio, quòd hæreticus esset, qui in hanc vsque diem summa cum laude, absque vel levi suspicione erroris, Sedem illam piè (vti Catholicus) sanctèque rexerat, qui & suis litteris speciem reddere videretur columbæ illius, quæ post diluvium signum pacis ore gestabat, dum tot in Ægypto conciliatos, iunctosque Catholicæ Ecclesiæ populos hæreticos significaret. Ista quidem nuntianti Catholico homini (ita enim Sergius, vbique terrarum ab omnibus habebatur) par erat Honorium, cum eidem rescriberet, adgratulari (congaudet enim Charitas veritati) cum ea, quæ affert, & Professione Chalcedonensis Concilii, & Assertione Epistolæ S. Leonis Papæ plusquàm satis perspicuo lumine lucere viderentur, omnique suspicionis nebula expertia esse.*

537 Ex hac temporis diversitate aliquorum error subortus est, qui nullam huius discriminis rationem habentes, cum viderent Sergium à VI. Synodo vti hæreticum esse damnatum, putarunt, Honorium cum illo in eo statu communicasse. Quòd sanè lõgè aliter cõtigit; nam cũ Honorius ad Sergium scripsit, nec minima quidem suspicio erat de Sergio, quòd hæreticus esset, imò ab omnibus vti verè Catholicus, absque vel levi suspicione erroris habebatur: nullus autem potest erroris argui, quòd cum Catholicis, vel iis, qui in foro externo ab Ecclesia Catholici reputantur, communicet: non ergo erroris vel criminis reus censendus est Honorius, quòd cum Sergio communicarit, quia nempè Sergius ad illam vsque diem nondùm ab Ecclesia habebatur hæreticus. Hinc rectissimè annotavit Baronius *vbi suprà.* Honorium non nisi calumniosè fuisse ab aliquibus hæreseos insimulatum, *cum nullus possit erroris argui, vel hæresis nondùm cognitæ in suspicionem adduci: certum est, calumniosè, & levitèr admodum, sicut iniustè, Honorium hæreticum appellari.*

538 Et certè si prædictarum vocum silentium sufficeret, vt Honorius, tamquàm hæreticus damnaretur, sufficeret etiam, vt S. Sophronius eadem nota inuretur: Sergio enim indicenti earumdem vocum silentiũ omninò cõsensit, & se eiusdem Sergii in his secuturũ Sententiam sua Epistola profitetur. Cùm autem Sophronius nullius erroris reus efficiatur, arduum certè est, imò & non ferendum, vt Honorius ob prædictum silentium ea macula notetur, vt eleganter expendit Baronius *loco citato*, hæc scribens: *Quòd si illa Sophronii cum Sergio toties professa consensio nullum ipsi attulit detrimentum, vt ex communione cum hęretico, quem putabat Catholicum, ipse hæreticus diceretur: cur afferat præiudicium Honorio longiùs quàm Sophronius à Sergio absenti, si, vt ille, se consentire Sergio affirmarit, quem & nomine famaque & scriptis pariter, haud potuit non asserere esse Catholicum?*

539 Prętereà (prosequitur) si in culpa esse potuit de vtraque voce silentiũ, & ob id, rã Sergius, quàm Honorius fuerint Hæreticorum nota inurendi: cur non idem stigma est impressum Sophronio, cum & ipse acquieverit pariter Sergio ob bonum pacis talia suadenti? (Et *infrà.*) Si inquam Sergio indicenti silentium Sophronius omninò consensit, & tamen Orthodoxus absque invidia est prædicatus; nihil profectò esse potest, vt ratione silentii Honorius Papa possit in crimen adduci.* Hæc Baronius.

540 Cui subscribit SEVERINUS BINIUS *Tom. 5. Concil. in Vita Honorii*, his verbis: *Scribens itaque ad Sergium, consulit, abstinendum esse à vocabulo vnius operationis, ne videamur cum Eutychianis vnam naturam ponere in CHRISTO: rursum, à duarum operationum vocabulo, ne videamur cum Nestorio duas personas ponere. Idem sensit cum Honorio Sophronius, Ierosolymitanus Episcopus, vt constat *ex Epistola Sergii ad Honorium* Sicut itaque Sophronius nullius hominis iudicio de Monothelitarum hæresi accusatus fuit, (quòd ob prędictas causas de controversia periculosa tacendum esse putavit)

tavit) ita nulla ratione Honorius Monothelitarum hęresim sustinuisse dici potest, propterea, quòd de controversia nova, necdum ab Ecclesia definita, scandali, & erroris periculo expositа, silentium indixerit.*

541 OBJICIES secundò: Sancti Patres, Sacraque Concilia Imperatoris Heraclii Ectheſim, & Pauli Patriarchæ Typum sub Imperatore Constante execrati sunt, ea potissimum ratione, quia prędicti Typi, & Ectheſis Authores duas in CHRISTO voluntates, & operationes fateri prohibebant, & nec vnam dici aut doceri patiebantur: ergo cum Honorius idem præstiterit, & de duabus voluntatibus silentium indixerit, proculdubiò eadem censura inurendus esse videtur, qua Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, dum prædictum Typum, & Ectheſim evulgarunt, & prędictarum vocum silentium detestanda hæresi indixerunt.

542 Respondemus, Honorii prohibitionem longè aliam esse ab ea, quæ *in relato Typo*, & *in prædicta Ectheſi* continentur; Honorius namque solum prohibuit, ne CHRISTI voluntates, & operationes duarum numero explicarentur, quia voces illę *vnius*, vel *geminæ* novæ erant, & à Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus raró admodùm vsitatæ; CHRISTI tamen operationes aliis vocibus, aliisque terminis, quos & Sancti Patres vsurparunt, & Sacra approbarunt Concilia, vt latè suprà statuimus, explicuit. At prædictæ Ectheſis, & Typi Authores, non tàm voces, quàm ipsas CHRISTI voluntates, & operationes absolute denegatunt, ac ne duæ in CHRISTO admitterentur voluntates, prohibuerunt; alii enim vnam solummodò voluntatem, vnamque tantummodò operationem confitebantur in CHRISTO; alii omnem humanam voluntatem, & operationem CHRISTO Domino denegabant. Cæterum cum hæc obiectio vna sit è pręcipuis quibus Catholica Honorii illibata Fides opugnantur, necesse erit, errores Typi, & Ectheſis, quam Sancti Patres execrati sunt, aperire, vt Catholica Honorii Fides, istiusque puritas, ac ab omni calumnia immunitas innotescat.

§. I.

PROPONVNTVR ERRORES Ectheſis, & Typi, præcipuorumque Authorum, qui prædictum Typum, & Ectheſim evulgarunt.

543 VT prędictæ Ectheſis, illiusque Authorum errores clariùs pateant, audiendus est S. MARTINUS Pontifex, qui *Act. 1. sui Lateranensis Concilij* de Patriarcha Sergio sermonem instituens, hæc habet: *Cyrus quidem *ante hos decem & octo annos* vnam operationem in CHRISTO, in eadem Alexandrina Urbe definiens Divinitatis eius, & Humanitatis, ad similitudinem Acephalorum Hęreticorum, ordinando capitula numero novem, in Ambone prædicans cum Anathemate, qui sic non saperet, impiè promulgavit. Sergius autem, per Epistolam propriam ad denominatum Cyrum scriptam, eamdem similiter vnam operationem suscipiens, cum eo irrationabili præsumptione ausus est conformare, & non etiam hoc, sed etiam post aliquot annos eiusdem Cyri novæ adinventionis, hoc est per nuper duodecimam indictionem elapsam, hęreticam, & ipse conscribens Ectheſim Fidei sub nomine tunc Imperatoris Heraclii, vnam in eadem Salvatoris Nostri, secundùm impium Apollinarem, voluntatem, & operationem instituit.*

544 Ipse S. Martinus Pontifex *eadem Actione 1. prædicti Concilij*, loquens de Sergio, illiusque Ectheſi ait: *Sergius autem illicitè præsumens pravam Ectheſim, quam præ foribus Ecclesiæ suę suspendens divulgare studuit, & non solum hoc, sed & per suam sententiam cum quibusdam ab eo subreptitiis modis deceptis Episcopis, in scripto firmavit, minimè dubitantes positam iustam condemnationem, in veneranda Definitione eiusdem S. Calcedonensis Concilii adversus eos, qui novitates contra Immaculatam Fidem prę sumunt innectere, contra quam omne illis certamen, & pugna consistit, quippè quoniam ipsam excludere properantes, hæreticorum Dogmatum, contra Catholicam Dei Ecclesiam; per sua conscripta confusionem concinnaverunt.*

545 *In Ecthesi*, vel Fidei Expositione, quam Patriarcha Sergius composuit, & nomine Imperatoris Heraclii evulgavit, quæ *Actione 3. Chalcedonensis Concilii* refertur, apertè innotescit error, quem prædictus Sergius disseminabat, vt hæc illius verba ostendunt: * Omnem Divinam, & Humanam operationem vni eidemque incarnato Dei Verbo, & vnam ei offerimus venerationem. (Et *paulò infrà*:) Nullo modo concedentes alicui ex omnibus, vnam, vel duas dicere operationes in Divina Domini Incarnatione.*

546 Prædictus Sergius *in Synodo Constantinopoli congregata* eamdem Heraclii Imperatoris Ecthesim cõfirmavit, illiusque doctrinam, duas operationes in CHRISTO Domino denegantem, vti Catholicam, & Apostolicam approbavit; graviſsimasque irrogavit pœnas illi, qui *vnam, vel duas in Christo Deo nostro operationes dogmatizare, aut proferre præsumpserit*; vt ex prædicti Concilii *Actione* 3. innotescit.

547 Nec modò Sergius, sed & illius Successor Pyrrhus, ipsam Ecthesim approbavit, istiusque Doctrinam, vti cœlestem, ac Divinitùs inspiratam tenendam asseruit: * Et nos sequentes eiusdem virtutem, & constructionem eius dogmaticê in omnibus admittentes, & à Deo inspiratę Doctrinæ, &c.*

548 Cyrus, Patriarcha Alexandrinus, de præfatæ Heraclii Ecthesis Doctrina vniformiter sensit cum Sergio; loquens enim cum isto, postquam illius Ecthesim susceperat, hæc habet: *Et nos vestræ participati doctrinæ, hanc sine dubio amplectimur, & conservamus, &c.*

549 Patefactis hûcusque Ecthesis, istiusque Authorum erroribus, videamus iam nunc errores, quibus affluebat Typus à Paulo Constantinopolitano Patriarcha evulgatus. Paulus enim Sergium imitatus, vt suos cęlaret errores, tanto Imperatori suasit, vt Typus, seu Fidei Expositio, aut (vt melius loquar) eversio, tanti Principis nomine ederetur, vt tradit S. MARTINVS Pontifex *in prædicto Lateranensi Concilio Actione* 1. his verbis: * Insupèr studuit ad coöperimentum proprii erroris, & in hoc Sergium imitatus, quibusdam subreptionibus vti, & Clementissimo Principi suadere Typum exponere, qui Catholicum Dogma destrueret. In quo Typo omnes omninò voces Sanctorum Patrum cum nefandissimorum hæreticorum dictionibus enervavit, nec vnam, nec duas voluntates, aut operationes in CHRISTO Deo nostro definiens confiteri, ac per hoc sine voluntate penitûs, & operatione CHRISTVM denunciando, id est, absque substantia, & natura, eum prædicare noscuntur.*

550 Ipse Sanctus Martinus Pontifex *ibidem* asserit, prædictum Paulum voluisse Antecessores suos in prædicto errore prœcellere, sicque Ecthesis Imperatoris Heraclii confirmationem omni sollicitudine contendisse: * Paulus autem (inquit) Prędecessores suos in his superare contendens, non solum in scripto per propriam Epistolam, ad hanc directam nostram Sedem, confirmavit, & ipse contra se superiùs memoratæ Ecthesos irrationabilem hæresim, sed etiam contradicens in scripto adversus recta Sanctæ Dei Ecclesiæ Dogmata.*

551 Ex præscripto Sancti Martini Pontificis lectus fuit *in Lateranensi Concilio* libellus *de Fidei approbatione* compositus ab Episcopo Stephano Dorensi, qui fuit primus Ierosolymitani Ecclesiastici Concilij, & loquens Sanctus de Patriarchæ Pauli errore in suo Typo, hæc habet: * Paulus suasit Clementissimo Principi nostro (Constanti nempè) Typum exponere Fidei, in quo Typo Sanctorum Patrum Doctrinas cum nefandissimorum hæreticorum pravitatibus funditùs amputaverunt, nec vnam, nec duas debere voluntates, aut operationes CHRISTI Dei promulgantes quempiam confiteri: facilè eis licere credentibus, aliquando quidem vnam, aliquando autem nec vnam in eodem prædicare, ac per hoc, aut Deum tantummodò, aut dumtaxat hominem purum, vtpotè humanam habentem tantummodò, aut neque Deum, neque Hominem, eumdemque asserentes, vtpotè neque Divinam habentem voluntatem, & operationem, sed sine voluntate, & operatione secundum eos omninò existentem, quod vtique Sanctorum Patrum, & prædicti Sancti Chalcedonensis Concilii Definitio omninó recipere abnegat.*

552 Pluribus Græcię Patribus efflagitantibus accusatus fuit Patriarcha Paulus, erroresque, qui in eius Typo lege-

bantur, ad prædictum Lateranense Concilium, prædictis Patribus expoſcentibus, delati ſunt, vt habetur *Actione 2. eiuſdem Concilii*, vbi GRÆCI PATRES ſic loquuntur: * Cum quibus iuſtê, & Typum, qui nunc contra Orthodoxam Fidem factus eſt ex ſubreptione, non ex ſtudio, aut mente Piiſſimi noſtri Imperatoris, ſed ſuaſione importuna, & falſiloquio Pauli, depoſiti à Prædeceſſore Veſtræ Sanctitatis Theodoro, Sanctiſſimæ Recordationis Papa Veſtræ Apoſtolicæ Sedis, eidem Anathemati ſubmittere; in quo Typo ſine operatione, & voluntate, id eſt, ſine intellectu & anima, immobilem ipſum gloriæ Deum Dominum noſtrum IESUM CHRISTUM dogmatizaverunt, ſimiliter idòlis inanimatis (quoniam tale eſt omne, quod ſine operatione, & voluntate eſt) per hoc, quod dicitur nulli licere vnam, aut duas operationes, vel voluntates confiteri.*

553 In eodem Concilio lecta etiam fuit Patriarchæ Pauli Epiſtola, in qua prædictus Paulus ex Theodori Pontificis præſcripto ſuam mentem expoſuit; & in illa apertè oſtendit, ſe nullam in CHRISTO voluntatem, & operationem naturalem humanam fateri, loquens enim de CHRISTO, hæc, inter alia, habet *Act.* 4. *Caroeius rationabiliter, & intellectualiter animata, ex ipſa ſumma vnitate, inenarrabiliter omnibus Divinis, ditata vnitis eã ſibi ſecundũ ſubſtantiã Divini Verbi, Divinam habebat indiſcretam voluntatem; ab ipſo ſemper ducebatur, ac movebatur, vtpotê in nullo tempore eadem divisè, & ex proprio impetu contrariè nutui vnitis, ſecundum ſubſtantiam Dei Verbi naturalem eius faciens motionem, ſed quando, & qualem, & quantam ipſe Deus Verbum volebat. (Et concludit:) Igitur de his ita nos habemus, ſic intelligimus, ſic prædicamus, in his Orthodoxa manifeſtatio.*

554 *Actione* 4. lectus fuit Typus, in quo Patriarcha Paulus graviſſimis pœnis prohibebat, nè quiſquam vnam, aut duas in CHRISTO voluntates, & operationes fateri, ac prædicare præſumeret. Illo verò lecto, Sanctiſſimi illius CONCILII PATRES, ſecum ipſi diligẽter perpendentes graviſsima damna, quæ ex prędicto Typo poterant ſuboriri, maturè conſiderantes deteſtandos errores, quibus Typus ille implicitus erat, Martinum Pontificem ſic alloquuntur: * Propterea ſicut audivimus, & manũs noſtræ palpaverunt de verbo novitatis eorum, aliquandò quidem vnam operationem, aliquandò autem nec vnam operationem; item aliquandò vnam voluntatem, aliquandò enim nec vnam voluntatem in CHRISTO Deo in aperto dogmatizantes, vtpotê eum ſine operatione naturaliter exiſtentem, & vtramque, ex quibus conſiſtit naturis, & ſine voluntate, id eſt inſubſtantialem, & ineſſentialem oſtendentes, cum quo, & Patrem, & Spiritum Sanctum, quoniam quod eſt CHRISTUS, vt Deus, hoc eſt vterque naturaliter. Et quod plus eſt graviſſimum, & magis eorum falſitatem redarguit, quoniam & vnam habere, & nec vnam habere voluntatem, & operationem Dominum noſtrum IESUM CHRISTVM, in ſcripto aſſeruerunt, cum Anathemate huiuſmodi ſenſum contra ſe innodantes, &c.* Proſequitur Concilium in eodem loco probans Cyrum, Pyrrhum, & Paulum vnanimes in eumdem errorem conſpiraſſe.

555 Prædicti Patriarchæ Ecthesis, & Typi Authores, iſtorumque ſequaces contendebant, quinque Generalia Concilia pro ſe ſtare, ipſiſque patrocinari; in iſtos verò Sanctus MAXIMVS eleganter perorans, oppoſitum evidenter oſtendit, prædictoſque Monotheliſmi Authores, Cyrum nempè, Sergium, Pyrrhum, & Paulum iuſtiſsimè fuiſſe à prædictis Conciliis Anathemate perculſos, quia impiè ſentientes de CHRISTO, omnem illi intellectum, voluntatem, & operationem denegabant humanam. *Igitur intranſgreſſibiliter (inquit) retinentes pias Doctrinas in Definitione ſua, eos, qui vnam in CHRISTO Deo voluntatem, & operationem dixerunt, meritò Anathemate perculerunt (ſcilicet Concilia) pro eo, quòd ſine mente, & ſine anima, & purum ex hoc hominem Dominum Deum noſtrum in hoc, quod factus eſt Homo, dogmatizare auſi ſunt.*

556 Idipſum egregiê confirmat Sanctus MARTINVS Pontifex dum *Actione 5. Lateranenſis Concilii* errores Authorum Ecthesis, & Typi, Catholicorum oculis ſubjicit *in Epiſtola*, quam *ad omnes CHRISTI Fideles* Synodaliter ſcripſit, ipſis Monothelitarum præcipuorum Ecthesis, & Typi Authorum, Cyri nempè

pè Sergii, Pyrrhi, & Pauli condemnationem hiſce verbis enuntians: *Denegantes ex hoc, quod in ſcripto aſſerunt (loquentes de CHRISTO) minimè eum habere ſecundum formam ſervi, vel ſecundum quod propter nos factus eſt Homo, voluntatem, aut operationem naturalem, ſed ſine ſubſtantia, ſive natura, & non ſolum ſine anima, & irrationabilem, & inſenſibilem ſecundum eos exiſtere; quia ſicut nos Glorioſi Eccleſiæ Patres docuerunt, quidquid abſque voluntate conſiſtit, & operatione, ab omni caret ſubſtantiali natura.* Hactenùs Synodaliter Sanctus Martinus.

557 Qui animo indagandę veritatis cupido, nullaque malevolentia, invidia, aut animi perturbatione commoto, vtramque Honorii Epiſtolam attentè perlegerit, manifeſtè agnoſcet, quantum in illis diſtet Honorius, quàmque adverſetur erroribus hûcuſque relatis ex Ecthesi, & Typo, quem Monotheliſmi Authores ſuorum Imperatorum Heraclii, & Conſtantis nominibus evulgarunt, horum Principum Authoritate, & nomine abutentes, vt ſuum impium de CHRISTI operationibus errorem tanto velaminis præſidio, ac nomine tegerent.

558 Si harum vocum, *vnius*, vel *geminæ* operationis prohibitio ab Honorio indicta eadem omninò fuiſſet, aut aliquo modo ſimilis prohibitioni à prædictis Patriarchis *in Ecthesi*, & *Typo* promulgatæ, profectò Romani Pontifices Theodorus, Martinus, Agatho, aliique ex novem, qui ab Honorio ad VI. vſque Synodum Eccleſiæ Clavum tenuerunt, Honorii prohibitioni eamdem hæreſeos, & impietatis notam, ac cenſuram, quę dictæ Monothelitarum prohibitioni inuſta eſt, inflixiſſent; Apoſtolica enim Sedes in ferenda in rebus Fidei ſententia ſolam ęquitatem ſpectat, non perſonam, ſive Regia, ſive Imperatoria, ſive Pontificia Authoritate iſta præfulgeat; illius ſquidem in iure dicendo Authoritas non variatur gratià, ſed ęqua lance trutinat omnia, nec perſonarum exceptionem in rebus Fidei vmquam novit, ſed ad rationis calculos vniuſcuiuſque merita vocat. Quarè credibile non eſt, Eccleſiam, Spiritu Sancto regente, cum Typum illum, & Ecthesim, vt hæreticum, & blaſphemum damnaverit, tota illa annorum ſerie, quæ ab Honorio ad VI. vſque Synodum fluxit, in Honorii Epiſtolis conniviſſe, ſi in illis eamdem, aut ſimilem de CHRISTI operationibus prohibitionem reperiri iudicaſſet: cumque nullus ex illis novme Pontificibus, huiuſmodi notam Honorii Epiſtolis impreſſerit; dicendum proculdubiô eſt, ipſos probè agnoviſſe Honorii inhibitionem longè à Monothelitarum prohibitione, & erroribus abfuiſſe.

559 Honorius quidem *vnius*, vel *geminæ operationis* ſilentium indixit; at, vt ipſe clarè exprimit, ideò id præſtitit, nè Catholici in Eutychianorum, & Neſtorianorum errorem declinarent: Eutychiani enim, ideò vnam tantummodò operationem, & voluntatem prædicabant in CHRISTO, quia vnam tantummodò in ipſo agnoſcebant naturam; Neſtoriani verò, ideò duas voluntates, & operationes confitebantur in CHRISTO, quia erroneè exiſtimabant, operationem, non naturam, ſed perſonam operantem conſequi, ideòque duas in CHRISTO aſtruebant perſonas, aliam nempè Divinam, aliam verò humanam. Honorius ergo nê Catholici, adhuc in modo loquēdi, cum Hæreticis convenirent, nevê eaſdem voces, quibus illi ad ſuum errorem vulgandum vtebantur, vſurparent, illarum vocum *vnius*, vel *geminæ operationis* ſilentium indixit; at contra Neſtorianos vnum CHRISTUM, vnamque dumtaxat in iſto multipliciter operantem perſonam admiſit; duas inſuper operantes, atque operatrices naturas, Divinas etiam, humanaſque illius perſonæ operationes diſtinctas inter ſe, ac vtriuſque proprias naturæ, contra Eutychianos, iſtorumque ſequaces, vt ſuprà oſtendimus, prædicavit. Honorius ergo ab omni hęreſi abhorrens, Catholicam Veritatem de duabus CHRISTI operationibus confeſſus eſt; cum enim iſtæ aliæ non ſint, nec vmquam fuerint, quàm Divinæ, & humanæ vtriuſque naturę propriæ, haſque Honorius in ſuis prædicet Epiſtolis Catholicè vtique cum Sanctis Patribus, ac Conciliis ſenſit Honorius, eſtò illas voces *vnius*, vel *geminæ operationis* ad declinandas hæreſes præfatas prohibuerit.

560 Vt autem id clariùs manifeſtum fiat, Authorum prædictæ Ecthesis, & Typi ſententiam ſigillatim diſcutiamus.

Cyrus, Patriarcha Alexandrinus, CHRISTI DOMINI operationes negavit, non quidem ob illas voces *duplicis*, vel *geminæ operationis*, sed quia in CHRISTO DOMINO *vnam operationem Divinitatis, & Humanitatis eius* expressè definivit: at huiusmodi error nullibi in Honorii Epistolis invenitur, imò opposita veritas, vt sæpè iam diximus, ex vtriusque Epistolæ verbis apertè constat.

561 Sancti Patres Heraclii Ecthesim execrati sunt; at non ob illarum vocum *duplicis voluntatis, & operationis* silentium, sed quia illius Ecthesis Authores, duas in CHRISTO naturas contra veritatem Catholicam denegabant, vnamque tantummodò in ipso essentiam, ac naturam confitebantur, quam Divinam simul, ac humanam esse prædicabant, vt ex iis, quæ ex Sancto Martino adduximus, innotescit: etenim S. MARTINUS loquens de Sergio, asserit, Hæresiarcham istum in sua Ecthesi vnam tantummodò in CHRISTO DOMINO voluntatem, & operationem secundùm impium Appollinarem fateri: impii autem Appollinaris error, prout *Actione* 5. *Lateranensis Concilii* refertur, sic se habebat: *Quorum autem vna est operatio, horum vna est essentia: vna ergo essentia facta est Verbi, & Carnis.*

562 Et *infrá*: *Nulla divisio Verbi, & Carnis in Divinis Scripturis reperitur; sed est vna natura, vna subsistentia, vna operatio.* Sergius igitur in sua Ecthesi impium istum errorem sequutus, prohibuit, nè duæ voluntates, & operationes in CHRISTO DOMINO dicerentur; quia ipse expressè duas illi denegabat naturas. At Honorius oppositum ita apertè in suis tradit Epistolis, vt estò istę lynceis oculis lustrentur, nemo profectò sit, qui huiusmodi calumniam, ac blasphemiam tanto Pontifici inferre audeat; & meritò quidem, nihil enim magis in illis obvium, quàm istum Pontificem duas in CHRISTO prædicare naturas, Divinam scilicet, & humanam, aliam increatam, creatam aliam; ipsumque CHRISTVM in vtrisque hisce naturis Divinitùs, atque Humanitùs operatum; quæ quia pluries suprà retulimus, ac sufficienter expendimus, nunc brevitatis ergo duximus omittenda.

563 Sergius igitur in sua Ecthesi ideò duarum operationum voces prohibuit, quia vnam tantummodò in CHRISTO confitebatur, hancque Divinam simul, & Humanam impiè prędicabat: quod insuper confirmatur *ex Actione* 3. *Lateranensis Concilii*, vbi hęc illius verba referuntur: *Omnem Divinam, & humanam operationem vni, eidemque incarnato Dei Verbo tribuimus, & vnam ei offerimus venerationem.* Quarè cum CHRISTI operationes, non quidem naturales, sed personales adstrueret, sicquè duas ipsi denegaret naturas, ideò *vnam* vel *duas* dicere, sive docere operationes in Divina Domini Incarnatione prohibuit. Qui huiusmodi blasphemiam cum Catholico Honorii sensu, & Doctrina contulerit, apertè dignoscet, Honorium in suis Epistolis oppositum penitùs docuisse.

564 Patriarcha autem Paulus ideò *in suo Typo, vnam* vel *duas in CHRISTO operationes* prædicari probibebat, quia impio tenebatur errore, quo omnem absolutè operationem, voluntatemque humanam in CHRISTO DOMINO inficiabatur: *Nec vnam, nec duas voluntates in CHRISTO, Deo Nostro definiens confiteri; ac per hoc (inquit S. MARTINUS *loco citato Act.* 1.) sine voluntate penitùs, & operatione CHRISTUM denunciando, id est, absque substantia, & natura eum prædicare noscuntur.* Paulus, illiusque sequaces. Cum igitur Honorius, vt suprà latè à nobis probatum est, duas in CHRISTO naturas *quod proprium est operantes*, naturas, inquam, cum ipsarum naturalibus proprietatibus intellectus, & voluntatis, Divinam scilicet Divinitùs, & Humanam Humanitùs operantem Catholicè confiteatur, vt ex his illius verbis apertissimè innotescit: *Divinam quidem, quæ Dei sunt operantem, & Humanam, quæ carnis sunt exequentem*: hinc apertè dignoscitur, quàm longè abfuerit ab impio, ac blasphemo sensu, & errorre Typi à Paulo, istiusque sequacibus evulgati; quàmque distet illarum vocum *vnius* vel *duplicis voluntatis* inhibitio ab Honorio prescripta, ab earundem vocum prohibitione in Pauli Typo evulgata; vtpotè qui Paulus ideò illarum vocum silentium indixit, quia nullam omninò adesse in CHRISTO DOMINO voluntatem, & operationem Humanam, impiè sentiebat,

ac

ac impiissimè prędicabat, vt ex ipsius verbis ostendimus; imò(vt refert Episcopus STEPHANUS Dorensis, Natione Gręcus, loquens de Paulo, illiusque Typi erroribus) eò impietatis Hęresiarchæ isti devenere, * vt neque Divinam, nequê Humanam habentem voluntatem, & operationem CHRISTUM asserentes, & sine voluntate, & operatione, neque Deum, neque Hominem, secundum eos omninò existentem.* Quisquis ergo impios illos errores in Honorii Epistolis somniat, fœdissimamque huiusmodi calumniam in insontem texere conatur, videat, quæso, an huiusmodi impietas, execrandaque hæresis in Honorii Epistolis occurrat; si autem nihil tàm impium, tàmque nefarium in illius Epistolis reperitur, quo iure, quavê ratione impiissimi illi Ecthesis, & Typi errores tanto Pontifici adscribuntur, ac tàm nefaria calumnia objicitur? Cum enim Honorius CHRISTVM *plenè Deum, & hominem*, cum vtraque natura, Divina, & Humana, & in vtrisque his naturis Divinitùs, & Humanitùs operatum confiteatur, proculdubiò à blasphemo Pauli, & Constantis Imperatoris errore longissimè dissidet.

565 Si Paulus *in suo Typo*, *nulli licere in CHRISTO vnam aut duas operationes, vel voluntates confiteri,* prę-scripsit; non ideò id indixit; quia solummodò voces illas numerales *vnius*, vel *duarum* voluntatum prohibuerit; sed quia absolutê, & re ipsa, duas in CHRISTO voluntates, & operationes negaverit, adeò vt præceperit, nè quisquam vnam adhuc voluntatem in CHRISTO DOMINO prędicaret. At si huius prohibitionis motivum quęramus, illud nobis egregiê expostuerunt Ecclesiæ Patres, quorum Authoritatem *suprà* retulimus; quia nempè Paulus pernicioßissimo isto tenebatur errore, eumque *in suo Typo* tamquàm prædictæ prohibitionis motivum expressit: **In quo Typo* (inquiunt GRÆCI PATRES) sine operatione, & voluntate, id est, sine intellectu & Anima, immobilem ipsum glorię Deum Dominum nostrum IESUM CHRISTUM dogmatizaverunt similiter Idòlis inanimatis.* Honorius verò solummodò *vnius*, vel *duarum voluntatum* voces, ad declinandos duos illos tunc subnascentes errores, qui huiusmodi vocibus tegebantur, prudenti consilio prohibuit, duas tamen in CHRISTO voluntates, & operationes inter se distinctas admisit, easque aliis vocibus expressit; dum eas Divinas, Humanasque prædicat, diversas vocat, ac vniuscuiusque naturę proprias appellat, ea ratione, qua Sancti Patres, Sacraque Cõcilia easdem illas voluntates Catholicè semper docuerunt, easque predictis terminis expressêrunt, ac huiusmodi vocibus non nisi Catholicè prædicarunt. Longê ergo abest Honorius ab errore Typi, à Paulo, istiusque sequacibus evulgati.

566 At vt apertiùs dignoscatur Typi prohibitionem, non tâm in illas voces *vnius*, & *duarum operationum*, quàm in ipsas duas CHRISTI voluntates, & operationes collimasse, adeò vt Paulus, istiusque sequaces, illius Typi Auhores, non modò duas voluntates, & operationes CHRISTO DOMINO denegaverint, sed nec vnam adhuc prædicari permiserint, animadversione dignũ putamus quod S.MARTINVS verbis modò relatis commemorat; ibi enim ait Sanctissimus Pontifex, eos prædictam prohibitionem evulgasse, * vtpotè eum sine operatione naturaliter existentem, & vtramque ex quibus consistit naturis, & sine voluntate, id est, insubstantialem, & ineßentialem ostendentes.* Ex quibus clarê patet, prohibitionem de CHRISTI voluntatibus, & operationibus in Pauli, & Constantis Imperatoris Typo præscriptam, fundari in pernitioßissimo illo errore, quo Paulus, & Imperator, istorumque sequaces impiè credebant, ac nequissimè dogmatizabant, nullam neque Divinam, neque humanam voluntatem, & operationem in Christo Domino reperiri. At quantùm absit Honorii Doctrina ab impia ista blasphemia, cuiusvis quantumvis tardioris, ac stupidioris ingenii iudicio relinquimus: etenim ex Epistolarum ipsius contextu, & grammaticali adhuc sensu, nusquam huiusmodi amentiæ occurrent; imò qui genuinum sensum verborum, quibus illas voces prohibuit Honorius, perfectè calluerit, agnoscet profectô illius sensum prudentem, Sanctum, & Catholicum esse; illius enim animus fuit, Catholicos non modò ab illis hęreticorum erroribus, sed à vocibus etiam, quibus illos explicabant hęretici, revocare; & aliundê diversas in CHRISTO naturas,

volun-

voluntates, & operationes eisdem prorsus *Divinitatis*, & *Humanitatis* vocibus, quibus eas Sancti Patres, Sacraque Concilia Catholicè explicarunt, exprimere.

CAP. XI.

TERTIVM ARGVMENTVM contra Honorii Fidem proponitur, & apertissimè diluitur.

567 HOnorius *in prima sua Epistola* vnam voluntatem confitetur in CHRISTO, vt hæc illius verba manifestè demonstrant: *Vndè & vnam voluntatem fatemur Domini nostri IESV CHRISTI.* Atqui iste erat Monothelitarum error; isti enim ideò in hæresim prolapsi sunt, quia vnam solummodò voluntatem, & operationem in CHRISTO DOMINO prædicabant: ergo Honorius Monothelitis adhæsit, istorumque errorem, ac hæresim sequutus est.

568 Respondemus primò: absolutè negari posse, Honorium protulisse illa verba: *Unam voluntatem fatemur Domini nostri IESU CHRISTI; * quibus maximum oppositæ sententiæ innititur fundamentum. Primò: quia licèt in Latina è Græco VI. Synodi, & Honorii Epistolæ versione *Actione* 12. prædicti Generalis Concilii relata verba legantur; ista tamen Latino Prototypo non correspondent: in isto enim nullatenùs reperitur, affirmasse Honorium vnam voluntatem in CHRISTO per numerum *vnius* explicatam, vt attestatur S. MAXIMVS *in Epistola ad Marinum*, asserens, vt suprà retulimus: *Eum qui hanc per iussionem eius (scilicet Honorii) Latinis dictaverat dictionibus, Dominum videlicet Abbatem Ioannem Sanctissimum Symponum affirmantem, quòd nullo modo mentionem in ea per numerum fecerit vnius omnimodis voluntatis, licet hoc nunc sit fictum ab his, qui hanc in Græcam vocem interpretati sunt.* Hæc autem solutio, vtriusque Epistolæ contextui maximè congruit: renuit namque Honorius CHRISTI DOMINI voluntates, & operationes per numerum *vnius*, vel *geminæ* explicare, vt patet *ex prima* Honorii *ad Sergium Epistola* in illis verbis: *Hortantes vos, vt *vnius*, vel *geminæ* novę vocis inductum vocabulum aufugientes, vnum nobiscum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, &c.* *Ex secunda* etiam eiusdem *Epistola*, in qua sic scribit: *Profectò *vnius*, vel *geminæ* operationis vocabulum noviter introductum, ex prædicatione Fidei eximatur.* Omitto alia Honorii verba, quibus idipsum suadet, ostendens se illarum vocum silentium indicere, nè Catholici ea loquendi formula vterentur, qua Nestoriani, & Eutychiani suos errores de CHRISTI DOMINI operationibus, loquentes per numerales terminos *vnius*, vel *geminæ* operationis dissentiebant.

569 Cum igitur Honorius tanta sollicitudine curaverit, vt termini *vnius*, vel *geminæ voluntatis*, & *operationis* à Catholicis vitarentur, vt diximus, valdè verisimile efficitur, prædictum Honorii textum è Græco in Latinum translatum vitiatum esse, ac corruptum, Latinoque Authographo nullatenùs correspondere; ac perconsequens neutiquàm dixisse Honorium: *Vnam voluntatem fatemur Domini nostri IESV CHRISTI.*

570 Nè autem id, quod diximus, alienum à perversis Monothelitarum moribus videatur, legatur *Actio 3. Lateranensis Concilii*, vbi Monothelitæ suum errorem propugnare conantes, adduxerunt pro se Sancti Dionysii textum, quem Cyrus *in capite septimo sui Concilii Alexandriæ* celebrati corruperat, pro *novâ voluntate*, *vnam* fraudulenter substituens *voluntatem*. Volens autem Patriarcha Pyrrhus Lateranensi Concilio satisfacere, scripsit Epistolam, qua Antecessorem suum purgare, & extrà culpam ponere nititur, dicens, prædictam verborum transpositionem, vel vt potiùs dicam, mutationem, nullatenùs fuisse fraude aliqua, aut dolo factam, sed quia vtraque vox idem omninò significabat; sic enim scribit: *Vnam in veritate pro *novâ* continebat charta illa, non malitiosè, quod absit, iuxtâ quod assequor; sed quia non aliter eiusmodi vox inserta sit à Sanctissimo Cyro, quàm quia idem valeant *nova*, & *vna*.*

571 Nec modò Cyrus, sed etiam Patriarcha Sergius sua approbatione, & confirmatione, prædictum Sancti Dionysii textum vitiavit, illumque sic adulteratum

tum amplectens pernitiosissimum Dogma de vna CHRISTI operatione, absolutè evulgavit, vt expressè affirmat S. MARTINVS Pontifex *Actione 3. Lateranensis Concilii* sic scribens: * Sergius autem in Epistola de eiusmodi quæstione ad Cyrum scripta, tàm immutationem *novæ* cum illo confirmans, & non solum hoc, sed & Doctoris *Dei-Virilem* amputans penitùs vocem, & vnam absolutè in CHRISTO Deo, dogmatizans operationem.*

572 Cum igitur communis fuerit hæreticorum, præcipuè Monothelitarum, consuetudo, Sanctorum Patrum Authoritates corrumpere, cuius immanissimę improbitatis, ac non ferendæ audaciæ, convicti fuerunt Monothelitę in prædicto Lateranensi Concilio, in his, quæ ad prædictam Sancti Dionysii Authoritatem spectabant, ponentes non sine fraude, ingentique calliditate, *vnã Dei Virilem operationẽ* pro *nova Dei-Virili operatione*; valdè verisimile redditur, ipsos etiam Honorii Epistolam adulterasse, & vbi Sanctissimus Pontifex cum Sancto Dionysio scripserat *novam*, ipsos *vnam voluntatem* subdolè posuisse, vt suprà probatum reliquimus.

573 Respondetur secundò: Estò admittamus, Honorium *in sua Epistola* revera scripsisse, *vnam voluntatem fatemur*, *&c.* Nullum adhuc ex prædictis verbis errorem posse deduci: prædictus enim Latinus textus è Græco in VI. Synodo translatus est. Præcipui autem Monothelismi Authores, fuerunt Patriarchæ Græci Constantinopolitani, quos inter idem omninò est *voluntas vna*, ac *nova voluntas*, vt modò ex Patriarcha Pyrrho probavimus, qui non aliter Cyrum, cum in relato Sancti Dionysii textu vocem illam *novam* in *vnam Dei Virilem* operationem commutarat, excusat, & extrà culpam ponit, quàm dicens: *Non aliter huiusmodi vocem insertam fuisse à Cyro, quàm quia idem valeant nova, & vna.* Cum igitur inter Græcos idem sit *nova*, ac *vna*, idem profectò erit Honorium *in sua Epistola* scripsisse: *Vnam voluntatem*: ac si dixisset: *Novam voluntatem Domini nostri IESV CHRISTI fatemur.* Atqui Sanctum Dionysium dicere, ac prædicare *novã Dei virilem operationem*, est Catholicus sensus à Sanctis Patribus admissus, & approbatus: ergo similiter dicere Honorium *vnam voluntatem* (cum idem sit apud Græcos *vna*, ac *nova*) erit sensus Sancto Dionysio conformis, sicque dignus vt à Sanctis Patribus, & Concilis tamquàm Catholicus suscipiatur.

574 Respondemus tertiò, negando; ex prædictis Honorii verbis: *vnam voluntatem*, *&c.* vllatenùs Monothelitarum hęresim inferri. Monothelitarum enim error, quem VI. Synodus extirpare conata est, non tãtum fuit, vnam in CHRISTO voluntatem astruere, sed vnam tantummodò vtriusque naturæ, Divinitatis nempè, & Humanitatis fateri; id enim apertè innotescit *ex Actione 4. prædicti Generalis Concilii* in Epistola, quam Sanctus Pôtifex AGATHO Imperatoribus Constantino, Heraclio, & Tiberio scripsit, VI. Synodum convocaturus, & prędictam hæresim extirpaturus; in illa enim sic loquitur Agatho: * Vndè & Apostolicæ memoriæ meæ parvitatis Prædecessores, Dominicis Doctrinis instructi, ex quo novitatem hæreticam in CHRISTI immaculatam Ecclesiam, Constantinopolitanæ Ecclesię Præsules introducere conabantur, numquam neglexerunt eos hortari, atque obsecrando commonere, vt à pravi Dogmatis hæretico errore desisterent, nè ex hoc exordium dissidii in vnitate Ecclesiæ facerent *vnam voluntatem*, *vnamque operationem duarum naturarum asserentes* in vno Domino nostro IESV CHRISTO: quod Ariani, & Apollinaristę, Eutychianistæ, Timotheani, Acephali, Theodosiani, & Gaianitæ, & omnis omninò hæreticus furor, sive confundentium, sive dividentium Incarnationis CHRISTI Mysterium, docuit: Confundentes quidem Sanctę Incarnationis Mysterium, eò quòd *Deitatis, & Humanitatis CHRISTI vnam naturam dicant, vnam eam, sicut vnius voluntatem, & operationem personalem habere contendunt.** Hæc ibi.

575 Vbi clarissimè apparet, antiquorum Monothelitarum, Arianorum, Apollinaristarum, istorumque sequacium errorem fuisse, vnam tantummodò Divinitatis, & Humanitatis naturam asserere in CHRISTO, sicque & vnam solummodò voluntatem, & personalem operationem admittere. At Patriarcharum Monothelitarum hęresis eo ab antiquorum

Mono-

Monothelitarũ errore differret', quòd estò duas in CHRISTO confiteretur naturas, attamen cum illo conveniret in hoc, quòd non nisi vnam vtriusque naturæ voluntatem diceret, non nisi vnam vtriusque operationem poneret. Cum igitur in Honorii Epistolis, estó lynceis oculis lustrentur, nusquàm inveniatur ipsum dixisse *vnam voluntatem vtriusque naturæ Deitatis, atque Humanitatis*: hinc nullum datur fundamentum, vt tantus Pontifex ea Monotheliſmi calumnia proscindatur: imò maximum fundamentum occurret, vt ab iniqua Monotheliſmi impostura penitús vindicetur.

576 Id ampliùs roborari potest ex Fidei Definitione, quam VI. SYNODVS contra Monothelitarum Patriarcharum hæresim, hisce verbis promulgavit: *Non vacavit per eos plenitudini Ecclesiæ, erroris scandala suscitare, vnius voluntatis, & vnius operationis in duabus naturis vnius de Sancta Trinitate CHRISTI veri Dei nostri Orthodoxæ plebi novissimè disseminando hæresim, &c.*

577 In eodem sensu prædictam Monothelitarum hæresim in VI. Synodo damnatam explicat LEO II. Pontifex Maximus *in Epistola*, quam ad Constantinum Imperatorem scripsit, ei mittens Prototypon Actorum VI. Synodi, & damnationis, quæ in Monotheliſmi Authores in illa Synodo prolata fuit; ibi enim hæc, inter alia, habentur: *Synodali igitur sententia, & Imperialis Edicti Censura, tamquàm ancipiti Spiritus gladio, cum priscis hæresibus etiam novæ pravitatis error expunctus est: & qui Authores falsitatis extiterunt, cum suæ blasphemię labe prostrati sunt; qui ore sacrilego tentaverunt asserere vnam voluntatem, & vnam operationem in duabus, subsistentialiter vnitis naturis Domini nostri IESV CHRISTI, ex quibus, & in quibus indivisibiliter, & indivisè consistit.* In his verbis, quę magni sunt apud Ecclesiam ponderis, & Authoritatis, clarissimè apparet, Monothelitas ideò à VI. Synodo esse damnatos, quia vnam tantummodò in CHRISTO voluntatem, & operationem vtriusque naturæ, Divinę scilicet, & humanæ erroneè propugnabant; cum autem huiusmodi execrabilis error, ac non ferenda blasphemia in Honorii Epistolis nullatenús inveniatur, proculdubiò Honorius à tàm execranda calumnia immunis conclamandus est.

578 Nec ex prędictis Honorii verbis Monothelitarum hæresis potest deduci; estò enim rectissima Honorii intentio non adeò manifestè innotescceret, prout innotescere hùcusque ostendimus, probantes ipsum duas in CHRISTO voluntates, & operationes expresè fateri, eodem planè modò, quo illas duas voluntates, & operationes Sancti Patres, Sacraque Concilia exposuerunt, adhuc illius verba possent in legitimo, & Catholico sensu explicari, vt ex dicendis constabit.

§. I.

PRÆDICTA HONORII VERBA: vnam voluntatem, &c. (si de humanæ CHRISTI Domini voluntate intelligantur) legitimum posse habere sensum, suadetur.

579 PRimò: Authoritate Summi Pontificis IOANNIS IV. immediati Honorii Successoris, eadem verba de humana CHRISTI voluntate exponentis: scribens namque ad Constantinum Imperatorem Constantinopoli degentem, illi exprimit ingentem dolorem, quo acerbissimè torquebatur, videns omnes Occidentales partes scandalizatas turbari, quòd Pyrrhus, Patriarcha Constantinopolitanus quasdam propositiones, Catholicæ Fidei contrarias, Monotheliſmi novitate spargeret, simulque conaretur, imò in vulgus ederet, Honorium Pontificem sibi patrocinari, dum vnam in CHRISTO voluntatem prędictis verbis prædicat.

580 Quarè impia hac Pyrrhi in Honorium blasphemia IOANNES Pontifex commotus *in Apologia pro Honorio ad Constantinum Imperatorem*, Heraclii filium, hæc scribit: *Omnes Occidentales partes scandalizatę turbantur Fratre nostro Pyrrho, Patriarcha, per litteras suas huc, atque illuc transmissas, nova quædam, & prętер Fidei regulam prædicante, & ad proprium sensum, quasi Sanctæ memoriæ Honorium Papam attrahere festinante, quòd à mente Catholici Patris erat penitús alienum. Igitur vt vestra benignitas causam totam rei discere*

possit,

possit, quæ ante brevis temporis intercapedinem gesta sunt, enarrabo.

581 Sergius (prosequitur) reverendę memoriæ Patriarcha, prædicto sanctæ recordationis Romanæ Vrbis Pontifici significavit, quòd quidam in Redemptore nostro Domino IESU CHRISTO duas contrarias dicerent voluntates. Quo prędictus Papa comperto, rescripsit ei; quia Salvator noster, sicut esset Monadicus, vnus, ita & valdè mirabiliter super omne genus humanum conceptus, & natus esset. De Sancta quoque ipsius incarnata dispensatione docebat, quia Redemptor noster, sicut esset Deus perfectus, ita esset homo perfectus: vt quam primus homo per prævaricationem amisit, sine aliquo peccato natus, primam imaginis nobilem speciem revocaret. Natus est ergo secundus Adam nullum habens, nascendo, vel cum hominibus conversando, peccatum. Etenim Verbum Caro factum in similitudinem carnis peccati omnia nostra suscepit, nullũ reatus vitium ferens, ex tradvce prævaricationis exortum. Similitudinem ergo intelligimus, non carnis eius, sed peccati. Ergo similitudinem carnis peccati Sanctus dicit Apostolus, quam similem nobis peccatoribus sine peccato cum anima rationali suscepit: & idcircò vnam voluntatem, secundum primam formationem Adę naturalem Humanitatis suę, Dominus noster IESVS CHRISTVS habere dignatus est; non duas contrarias, quemadmodum nunc nos habere dignoscimur, qui de peccato sumus Adæ geniti. Vndè scientes quòd nullum in eo, cum nasceretur, & conversaretur, esset peccatum, decenter dicimus, & veraciter confitemur vnam voluntatem in Sancta ipsius dispensationis Humanitate, & non duas contrarias mentis, & carnis prædicamus, secundum quod quidam hæretici, veluti in puro homine delirare noscuntur. Secundum hunc igitur modum, iam dictus Decessor noster prænominato Sergio Patriarchæ percontanti scripsisse dignoscitur; quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, ideſt in membris ipsius, penitùs non consistunt, quoniam nihil vitij traxit ex prævaricatione primi hominis.*

582 Secundò probatur, Honorium dum *vnam voluntatem* confitetur in CHRISTO, de ipsius humana voluntate fuisse locutum, authoritate S.MAXIMI, qui idipsum sentire videtur, innixus intelligentiæ, qua prędicta Honorij verba explicuit vir præstantissimus, qui Honorio fuerat à secretis, & prædictam ad Sergium Epistolam ex Honorij persona scripsit. Sed præstat in his, prædictum MAXIMVM Martyrem, illius temporis Scriptorem celebrem, & egregium Catholicæ Fidei defensorem audire, quę afferat de germano sensu verborum Honorij, dum respondet ad obiectionem Pyrrhi Monothelitæ, pro se stare Honorium clamitantis, quasi ipse Honorius fuerit vnius CHRISTI voluntatis assertor. Ipse enim *in Dialogo cum Pyrrho*, hæc habet: * Quid (inquit Pyrrhus) habes de Honorio dicere, qui ad Prædecessorem meum scribens (scilicet Sergium) vnam Domini nostri IESV CHRISTI voluntatem apertè dogmatizavit? (Sanctus Maximus respondet:) Quis Epistolæ illius fidedignus erit Interpres? Qui eam ex persona Honorij composuit, & vivit adhuc, inter alia sua bona, hoc etiam conspicuus, quòd pietatis Dogmatibus vniversum illustravit Occidentem? An Constantinopolitani de corde suo loquentes? (Pyrrhus) qui eam composuit. (Maximus:) Ille idem igitur ad Divum Constantinum quondam Imperatorem scribens rursum ex persona Sancti Papæ Ioannis, de ipsa: Vnam, inquit, voluntatem Domini diximus, non Divinitatis eius, & Humanitatis, sed solius Humanitatis. Cum enim scripsisset Sergius, esse, qui dicerent in CHRISTO duas contrarias voluntates, rescripsimus, CHRISTVM non habuisse duas cõtrarias voluntates, carnis (inquam) & spiritus, sed vnã tantum, quę naturalitèr Humanitatis eius nota essentialis est. Id ita esse, evidentèr ex eo demonstratur, quòd membrorũ, & carnis facta est mentio, quæ Divinitati quoque eius non possunt attribui.*

583 Tertiò: Idipsum ampliùs roboratur Doctrina eiusdem S.MAXIMI. Estò enim Honorius Pontifex, in prędictis verbis vnam in CHRISTO voluntatem, secundum naturam Humanam, confiteatur, vt ipse contextus demonstret, hoc non tollit, quominus voluntatem etiam Divinam prædicet in CHRISTO. Innititur hęc solutio Doctrinæ, qua S. Maximus S.Athanasium explicuit: quamquam enim D.Athanasius quædam protulerit verba, quæ innuere videntur, vnam tantum in

CHRISTO voluntatem, hancque Divinam prædicandam, nihilominùs tamen ea S. Maximus in Catholico sensu interpretatus est, sentiens, non ideò S. Athanasium voluntatem Humanam CHRISTO Domino denegasse. Quòd vt apertiùs innotescat, adducemus in medium S. Athanasii verba, quibus Patriarcha Pyrrhus, pro suo Monotheliſmi errore vtebatur: illa autem desumuntur ex S. ATHANASII *lib. de salutari Adventu Christi*, vbi hæc habet: *Ille vir, natus ex muliere, qui ex prima creatione sibi formam hominis erexit, & excitavit, in ostensione carnis, sed sine voluntatibus carnalibus, & sine humanis cogitationibus in imagine novitatis: voluntas enim erat solius Divinitatis.*

584 Certum est S. Athanasium in his vltimis verbis plus dixisse, quàm *in* vtraque Honorii Epistola legitur: estò enim Honorius *vnam voluntatem Christi Domini* confessus fuerit; at non addidit, *solius Humanitatis*, vel *solius Divinitatis*, quemadmodum S. Athanasius subiunxit; quo non obstante, S. Maximus prædicta D. Athanasii verba in sensu valdè Catholico explicuit. Etenim respondens Pyrrho, qui ea illi objiciebat, hæc habet: *Testimonium illud ita clarum est, vt interpretatione non indigeat. Non enim de ratione naturali CHRISTI loquitur Athanasius, sed de modo, quo secundum carnem extitit Deus Verbum; cum vellet demonstrare Incarnationem fuisse opus Divinæ, & solius voluntatis, complacente Deo Patre, ac per se operante Filio, ac cooperante Spiritu Sancto, non autem opus motus carnalis, & cogitationum humanarum, id est ordinis, & consecutionis nuptialis. Non enim rationem naturæ novavit factus homo, qui erat Deus vniversorum; quoniam nec fuisset homo, qui non habuisset perfectam, & immutabilem in omnibus rationem naturæ, sed modum, id est conceptum è semine, & ortum per corruptionem. Rationes igitur naturales vnitorum non negaverunt Divini Ecclesiæ Doctores: quin potiùs consentientes cum Evangelistis, & Apostolis, atque Prophetis Dominum nostrũ, & Deum IESVM CHRISTVM, ambabus naturis suis, salutem nostram voluisse, & operatum esse dixerunt.* Hactenus S. Maximus.

585 Vndè colligitur, quòd S. Athanasius vnam solam Divinitatis voluntatem in CHRISTO astruens, rectè ac legitimè intelligitur de voluntate Divina, qua Deus ab æterno in Consistorio Sanctissimę Trinitatis Incarnationem decrevit. Neque hoc tollit, naturam humanam in executione in tempore, quandô Divina incarnata est, ac ipsi in vnitate personę Divinæ hypostaticè vnita, vnitam esse naturæ Divinæ cum omni perfectione, qua Deus illam, cum in Adamo condidit, antequam peccato fœdaretur, ornavit. Sicut enim in Incarnatione, sive vtriusque naturæ vnione nulla facta est in natura Divina novitas, nullaque mutatio, sed eadem cum toto suo esse naturali, diviniſque proprietatibus intellectus, & voluntatis in CHRISTO humanitati vnita permansit: sic in natura Humana (inquit S. Maximus) nulla facta est in sua naturali perfectione novitas, nullaque mutatio; sicque vnita fuit Divinæ, in suo naturali esse perfecta, & cum omnibus naturalibus proprietatibus, quæ naturali perfectioni, quam in Adamo ante peccatum habuit, correspondent. Cumque vna ê præcipuis naturę humanæ, in Adamo existentis, perfectionibus, & proprietatibus sit intellectus, & voluntas Humana; hinc secundo Adamo, CHRISTO nempe, præter voluntatem Divinam, qua ab ęterno Incarnationem decrevit, debet propria naturæ Humanæ correspondere voluntas, ad esse personale Verbi Divini, in Incarnatione assumptæ. Vndè vlterius colligitur, quòd si S. Athanasii verba, quibus de CHRISTO loquens, vnam solius Divinitatis voluntatem ipsi concedit, minimê obstant, quominus intelligatur, CHRISTVM Dominum aliam solius Humanitatis voluntatem habere: sic etiam Honorii verba, quibus inquit: *Vnam voluntatem fatemur Domini nostri IESV CHRISTI:* Rectissimè possunt proportione servata intelligi, & explicari, vel de voluntate Humanitatis, quin Divinitatis excludatur voluntas, vel de Divinitatis voluntate, quin ideò Humanitatis voluntatem ab Honorio exclusam dicamus; quemadmodum ex Sãctis Patribus probavimus, vel etiam infrà fusius explicabimus.

586 Quartò probatur: Quamquam enim prædictum Honorij textum iuxtà grammaticalem sensum admittamus, fa-

tea-

teamurque, Honorium vnam in CHRISTO voluntatem asseruisse; adhuc posse Catholicè intelligi, si dicamus ipsum loqui de humana CHRISTI voluntate, quæ vna est cum Divina, vnitate conformitatis, iuxta illud DAVIDIS: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* Qua etiam ratione *in Apostolorum Actibus*, dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna in Domino.* Sancti enim Patres, Sacrarumque Litterarum Interpretes, dum prędictos textus explicant, vt Catholica Fide certum supponunt, neutiquam idem cor, eamdemque animam omnia illorum Fidelium corpora animare, artusque regere, sed illorum animas, & corda vna esse vnitate conformitatis, in his enim, quæ ad Dei cultum, Fidei, & Religionis augmentum spectabant, ita omnium sensus, animique congruebant, vt vna omnium videretur voluntas.

587 Hinc S. MAXIMVS, *in Dialogo cum Pyrrho*, asseruit, Sanctos Patres non rarò docere, voluntatem Dei, & Sanctorum *vnam*, & *eandem* esse, quod rectè explicat Sanctus de vnitate obiecti, & conformitatis, dicens: * Vndè sicut ex eo, quòd homines dicantur facere voluntatem Dei, non infertur, voluntatem Dei, & hominum vnam esse, si *vna* significat singularem, & pro vt *vnum* opponitur multiplici; sed solum *vnam* prout sonat vnanime. & prout opponitur contrario, &c. * Hac igitur ratione CHRISTVS Dominus, quà homo, habuit suam voluntatem humanam vnam cum Divina, non quidem vnam vnitate identitatis, sed conformitatis; idque forsam significare voluit Honorius, illis prędictæ Epistolæ verbis: * Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, vt assequamur vestigia eius, pius Magister Discipulos imbuens, vt non suam vnusquisque vestrum, sed potiùs Domini in omnibus præferat voluntatem. *

588 Quintò: Pro maiori prædictæ rationis confirmatione, ac munimine, probatur, Honorium, dùm vnam voluntatem in CHRISTO Domino prædicavit, rectè posse de humana CHRISTI natura interpretari; istius enim voluntas adeò Divinæ extitit vna, vt non modò aliud, quàm Divina Voluntas, numquam voluerit, sed nec nisi ad illius nutum moveretur & ipsa. Ne autem ista solutio fundamento destituta appareat, consulatur ANGELICUS DOCTOR, *qui 3. p. quæst. 18. art. 1. ad 4.* hæc pro re nostra scribit: * Undè etiam voluntas humana CHRISTI habuit quendam determinatum motum ex eo, quòd fuit in hypostasi Divina, vt scilicet moveretur semper secundum nutum Divinę Voluntatis. * Et *in solutione ad 1.* id ipsum confirmat, dicens: * Quòd quidquid fuit in humana natura CHRISTI, movebatur nutu voluntatis Divinæ. *

589 Nec obstat dicere; quòd si humana CHRISTI Voluntas tàm vna erat cum divina, videtur inferri, in vtrisque naturis vnam tantum fuisse voluntatem. Non, inquam, id obstat; istam enim instantiam iam præoccupaverat ANGELICVS DOCTOR: cum enim *in responsione ad primum*, dixisset, humanam CHRISTI voluntatem ad Divinæ Voluntatis nutum moveri, subdit: * Non tamen sequitur, quòd in CHRISTO non fuerit motus voluntatis, proprius naturę humanæ; * quod multis exemplis poterat illustrari: licet enim in quovis exercitu omnes milites ita vni Imperatoris voluntati pareant, vt non nisi ad illius nutum moveantur, hinc tamen non sequitur, vnumquemque militem propria voluntate carere. Similitèr estò Angeli, Sanctique viri, ita cum voluntate Divina vniantur, ipsique conformes sint, vt in illis non alia, quàm divina agnoscatur voluntas; hoc tamen non tollit, vnumquemque horum propriam habere voluntatem ipsorum naturæ Angelicę, & humanæ, à Divina realitér distinctæ, correspondentem.

590 Unde ANGELICVS DOCTOR *in responsione ad primum*, id ipsum confirmans, sic scribit: * Etiam aliorum Sanctorum pię voluntates, moventur secundum voluntatem Dei, qui operatur in eis velle, & perficere: vt dicitur *Philip. 2.* Licet enim voluntas non possit interiùs moveri ab aliqua creatura, interiùs tamen movetur à Deo, vt *in Prima Parte (quæst. 105. art. 4.)* dictũ est, & sic etiam CHRISTVS, secundum voluntatem Humanam, sequebatur voluntatem Divinam: secundum illud PSALMI: *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Vndè Augustinus dicit contra Maximinum, vbi dixit Filius Patri, *non quod ego volo, sed quod tu vis*, Quid te adiuvat, quòd tua verba subiungis, & dicis: ostendit verè suam voluntatem, subiectam suo Genitori: quasi nos negemus,

hominis voluntatem, voluntati Dei debere esse subiectam? *

591 Undè infertur, quòd sicut Angeli, & Beati, licet habeant suam voluntatem, ita vnam cum Divina, vt nihil aliud velint, optent, ac desiderent, nisi quod Deus vult, ac decernit, quin hoc tollat, illos propriam voluntatem, à Divina realitèr distinctam, habere; sic paritèr licet humana CHRISTI voluntas, ita summam cum Divina vnitatem habeat, ac ipsi conformetur, vt non nisi ad Divinæ voluntatis nutum moveatur; hoc tamen non impedit, CHRISTVM Dominum voluntate humanitatis propria, & à Divina realitèr distincta gaudere.

592 Et ratio desumitur ex communi illa doctrina, qua docemur, vnitatem ex parte obiecti, non tollere diversitatem ex parte subiecti, & potentiæ. Sic licet Angeli, & homines summè vniantur in amore, quo Deum prosequuntur, amorisque Angelici, & humani obiectum vnum sit, ac indivisibile, actus tamen, & potentiæ volitivæ Angelicæ, & Humanæ, ex parte subiecti sunt inter se essentialitèr diversæ. Paritèr ergo, estò humana CHRISTI natura summam habeat vnitatem, ex parte obiecti in amando, quod Divina decernit, & amat voluntas, non inde sequitur, voluntatem, quæ in humana natura residet subiectivé, vt Theologi loquuntur, non distingui à Divina, eadem prorsus diversitate, qua Divina natura distinguitur ab Humana.

593 Tandèm probatur, prædictum Honorii textum rectè posse de humana CHRISTI voluntate explicari, quam vnam esse Catholicorum nullus ambigit: ipse enim verborum contextus id ostendit: cum enim dixisset Honorius: *Vnde, & vnam voluntatem fatemur Domini nostri IESV CHRISTI*: statim huius dicti rationem his verbis subiunxit: * Quia profectò à Divinitate assumpta est natura nostra, non culpa; illa profectò, quæ ante peccatum creata est, non quę post prævaricationem vitiata. * Quasi diceret, in natura Humana à Divinitate assumpta dari vnam voluntatem Humanam, quemadmodum dabatur in Adami natura, condita ante peccatum.

594 Quod vt clariùs intelligatur, duæ sunt considerandę in natura Humana voluntates, alia nempè rationalis, & essentialis, alia verò sensualitatis. Utriusque istius in CHRISTO Domino voluntatis meminit ANGELICUS DOCTOR, 3. *p. quæst.* 18. *art.* 5. *in corp.* vbi hæc habet: * Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, in CHRISTO secundum Humanam naturam ponitur multiplex voluntas, scilicet voluntas sensualitatis, quæ participativè voluntas dicitur; & voluntas rationalis, sive consideretur per modum naturę, sive per modum rationis. *

595 Et *artic.* 2. *in corpor.* sic scribit: * Ergo videtur quòd in CHRISTO sit voluntas sensualitatis, præter voluntatem rationis. * Et *ibidem* explicans Sanctus, hanc sensualitatis voluntatem CHRISTO Domino deesse non potuisse, hæc habet: * Respondeo dicendum, quòd sicut prędictum est, Filius Dei Humanam naturam assumpsit cum omnibus, quæ pertinent ad perfectionem ipsius naturæ. In Humana autem natura includitur etiam natura animalis, sicut in specie includitur genus. Unde oportet quòd Filius Dei assumpserit cum Humana natura, etiam ea, quæ pertinent ad perfectionem naturę animalis, inter quę est appetitus sensitivus, qui sensualitas dicitur: & ideo oportet dicere, quòd in CHRISTO fuit sensualitas. Sciendum est etiam, quòd sensualitas, sive sensualis appetitus, in quantum est natus obedire rationi, dicitur rationale per participationem, vt patet per Philosophum 1. *Ethicorum*. Et quia voluntas est in ratione, pari ratione potest dici, quòd sensualitas sit voluntas per participationem. *

596 *In eodem Articulo, in solutione ad primum*, vtramque voluntatem distinguens: * Dicendum, inquit, quòd ratio illa procedit de voluntate essentialitèr dicta, quę non est nisi in parte intellectiva. Sed voluntas participativè dicta, potest esse in parte sensitiva, in quantum obedit rationi. *

597 Ex quibus colligitur, in homine penes naturam Humanam duas reperiri voluntates, aliam rationalem, sensibilem aliam. Cumque CHRISTVS Dominus veram habuerit Humanitatem, veruſque homo extiterit, necesse est, vt vtramque illam voluntatem in CHRISTO Domino extitisse dicamus.

598 Insuper natura humana in dupli-

ci

ei est statu considerandâ, nempè in statu innocentię ante peccatum, & in statu naturę lapsæ per peccatum, & post peccatum. In primo statu, pars inferior, & sensualitas subjiciebatur rationi, ideoque in illo statu duæ illæ voluntates, rationalis scilicet, & sensitiva, non duę, sed vna reputabatur voluntas, vt docet ANGELICVS PRÆCEPTOR *in prædicto Articulo 2. in solutione ad tertium*, respondens namque argumento, quo probabatur, in CHRISTO vnam tantummodo esse voluntatem Humanam, rationalem scilicet, quia, præter Divinam, vna tantum in ipso reperiebatur natura, hæc habet: * Ubi est vnum propter alterum, ibi tantum vnum esse videtur: Sicut superficies, quæ est visibilis per colorem, est vnum visibile cum colore. Et similiter quia sensualitas non dicitur voluntas, nisi quia participat voluntatem rationis, sicut est vna natura Humana in CHRISTO, ita etiam ponitur vna voluntas Humana in CHRISTO.*

599 At in secundo statu cum pars inferior post originale peccatum, non modò rationi subdita non sit, sed sæpè repugnans iuxtà illud PAULI: *Caro concupiscit adversus spiritum*: hinc voluntas parti sensibili correspondens, ab omnibus existimatur à rationali voluntate distincta.

600 Cum igitur Verbum Divinum naturam humanam in illo statu, quo illam Deus condidit in Adamo, in quo voluntas sensibilis rationi, sive rationali voluntati subjiciebatur, assumpserit, eamque sibi hypostaticè copularit; hinc vna solummodò voluntas reputabatur in CHRISTO, penes naturam humanam considerato. Vndè rectissimè asseruit Honorius se in CHRISTO Domino vnam voluntatem fateri, quia à Divinitate assumpta erat natura non vitiata per culpam. Etenim in CHRISTI Humanitate in illo statu, quo illam Verbum assumpsit, cum pars inferior superiori subdita esset, non duę, sed vna reputabatur voluntas, ad distinctionem cęterorum hominum, in quibus duę agnoscuntur voluntates; quia cum habeant naturam vitiatam per culpam, voluntas sensibilis adversatur rationi, vt tradit ANGELICUS PRÆCEPTOR 1. 2. *quæst. 91. art. 6.* vbi explicans illum D. PAULI textum: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*; hæc habet: * Est ergo hominis lex, quod sortitur ex ordinatione Divina secundum propriam conditionem, vt secundum rationem operetur: quæ quidem lex fuit tàm valida in primo statu, vt nihil, vel præter rationem, vel contra rationem posset subrepere homini. Sed dùm homo à Deo recessit, incurrit in hoc, quòd feratur secundum impetum sensualitatis, & vnicuique etiam particularitèr hoc contingit, quantò magis à ratione recesserit.*

601 Hinc Honorius Pontifex, loquens de CHRISTI Humanitate, quia hæc naturam humanam, nec culpa aliqua fœdatam, nec per peccatum vitiatam habuit, sentit non habere voluntatem sensibilem rationali repugnantem voluntati; vt expressè hæc illius verba ostendunt: * Non est itaque assumpta, sicut prędicti sumus, à Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis eius. Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori.* Vnde cum CHRISTUS Dominus, vt inquit Honorius, non habeat aliam legem, seu voluntatem rationi repugnantem, quæ iuxta Angelicum Præceptorem est voluntas sensualitatis propria naturæ per culpam vitiatæ, eò quòd secundus Adam CHRISTUS Dominus non habuerit humanam naturam infectam, sed integram qualis erat ante peccatum; hinc rectè deducitur in humanitate CHRISTI vnam tantummodò esse rationalem voluntatem, sicque propriissimè locutum fuisse Honorium, cum de CHRISTO, istiusque humana natura ante peccatum assumpta, illa toties repetita verba, *in prima sua Epistola* scripsit: * Vndè, & vnam voluntatem fatemur Domini nostri IESV-CHRISTI; quia profectò à Divinitate assumpta est natura nostra, non culpa; illa profectò, quæ ante peccatum creata est, non quę post prævaricationem vitiata. * Honorius enim in illa causali, *quia profectò, &c.* ità clarè explicat, se de humana loqui natura, quæ iuxta allatas doctrinas vnam solummodò habuit voluntatem, vt superfluum sit addere, quod ipsa verba præferunt. Quarè concludimus prædictas solutiones Sanctorum Patrum, celebriorumque Authorum doctrinis innixas apertè ostendere, Catholicum esse sensum verborum, quibus Honorius vnam voluntatem confitetur in CHRISTO, quin ex prędictis Honorii verbis aliqua possit deduci suspicio; imò ex ipsis manifestè deducitur,

ducitur, Honorii mentem consonam esse Sanctis Patribus, qui Catholicam Ecclesiam suis scriptis omni sæculo illustrarunt.

§. II.

SI PRÆDICTA HONORII VERBA: Vndè & vnam voluntatem fatemur Domini nostri IESV CHRISTI, de Divina ipsius voluntate intelligantur, adhuc Catholicum posse habere sensum, non levi rationum pondere suadetur.

602 PRimò, nàm CHRISTVS, quà Deus, vnam tantummodò voluntatem Divinam habet. Undê si Honorium de CHRISTO, secundum naturam Divinam loquutum dixerimus, recto ac Catholico sensu dicere possumus, ipsum asseruisse, se vnam CHRISTI voluntatem fateri; non quòd exindè CHRISTO Domino Humanam deneget voluntatem: imò istam, ipse verborum contextus confirmat. Innititur hæc ratio non futili fundamento, sed S. MAXIMI Doctrinæ, qui *in Epistola ad Marinum* (quæ extat inter Anastasii Collectanea) hæc, ad rem nostram haud levitèr conducentia, adducit: *Honorium etiam, Romanum Papam, non diffiteri reor naturalitèr in CHRISTO voluntatum dualitatem in Epistola, quam scripsit ad Sergium, eò quòd *vnam* dixerit voluntatem; sed potiùs confiteri, & hanc fortasis etiam constabilire; nam hoc non in reprobationem dixit Humanę Salvatoris, & naturalis voluntatis, sed quòd nullatenus conceptionem eius, quæ fuit sine semine, vel incorruptam Nativitatem, præcesserit voluntas carnis, vel cogitatio vitiosa. Sola namque voluntas Divina, atque paterna per Filium Vnigenitum per semet operantem propriam Incarnationem, Sanctique Spiritus conventionem hanc operata est. Et quòd hunc sensum sectetur, hînc est manifestum. Cum enim dixisset, quia propter ineffabilem vnitatem Humanæ, ac Divinę naturæ, Deus dicitur pati, & Humanitas de Cœlo cum Divinitate descendisse: & hoc modo ostendisset eorum, quę naturalitèr insunt vtrique naturę vnius CHRISTI, & Dei Filii, per commutationem, summam redditione m, subinfert: Undê & vnam voluntatem fatemur Domini nostri IESU CHRISTI: quomodò ait: Quia profectò à Divinitate assumpta est natura nostra, non culpa.*

603 Secundò probatur illustri confirmatione, qua idem S. Maximus prædictam verborum Honorii interptetationem S. Athanasii doctrina illustrat: Loquens enim Sanctus ATHANASIVS de Divini Verbi Incarnatione, idem, quod Honorius, asservit, vnam in CHRISTO Domino voluntatem Divinam constituens, ac expressê affirmans, quia nempè de Divina CHRISTI loquebatur natura, vt videri potest in his verbis, quibus Honorii defensionem S. prosequitur Maximus: * Propemodum, cum Magno effatus Athanasio, qui hæc contra Apollinarium impium scribit: Natus est ex muliere, de prima plasmatione hominis formam sibi erigens in ostensione carnis, absque carnalibus voluntatibus, & humanis cogitationibus in imagine novitatis. Voluntas enim sola Divinitatis est, quoniam natura tota Divinitatis est: * Ex quibus clarê inducitur, Divum Athanasium vnam in CHRISTO voluntatem Divinitatis fateri, quia de Incarnationis Mysterio loquebatur. Etenim cum Mysterium istud assumptione carnis, & hypostatica vnione Verbi ad naturam Humanam in hypostasi, seu vnitate personæ Divinæ peractum sit; si de natura, sive persona assumente loquamur, nullum dubium est, quin sicut prædictum Mysterium fuit opus naturę Divinæ, seu Divinitatis, sic etiam fuit solius voluntatis Divinę; at hoc non tollit, quòd natura humana à Divinitate, seu natura Divina assumpta habeat omnem naturalem perfectionem, quæ in cæteris hominibus reperitur, intellectum nempè, & voluntatem humanam. Undè quamvis Divus Athanasius, in prædictis verbis, vnam tantummodò voluntatem Divinam confiteatur in CHRISTO, quia de Divina loquebatur natura; at non ideo Humanam voluntatem excluśit, aut negavit, quæ CHRISTO naturalitèr debebatur tamquàm Humanæ naturæ, â Divinitate Verbi Divini assumptæ, proprietas.

604 Hinc, pro maiori huius confirmatione, operæ pretium duximus adnotandũ, quod super illa Honorii, iuxta Apostolum, verba: * Alia enim lex in membris eius, aut voluntas diversa, vel adversa non fuit in Salvatore, * Sanctus MAXIMUS

hisce

hiſce verbis adnotavit: * Hinc oſtendit, non quòd non habuerit humanam voluntatem, & naturalem (non enim hoc dixiſſe videtur) ſed quòd ſicut homo, neque ſecũdum corpus, per membra, quamlibet habeat præter naturæ leges operationem: nequè rurſum ſecundum animam, voluntatis contrarium, vel ſine ratione, motum, veluti nos: quia & ſupra legem natus eſt humanę naturæ. *

605 Et *infra* id ipſum clariùs explicat, dicens: * Vndè cum noſtram quidem naturam de Divinitatis voluntate dicit aſſumptam, vnius mentionem facit. Illud autem quod introducit: *Non veni facere voluntatem meam*; in medium Verbo præponit omiſſo numero. Non ſunt, inquit, hæc diverſæ voluntatis, id eſt contrariæ, atque adverſatricis. Ex quo duas, ſecundum naturam, exiſtere in Salvatore voluntates, manifeſtè colligitur. Si enim contrariam non habuit; naturalem habuit tamquam homo. Quod enim non eſt contrarium, naturale profectò eſt. *

606 Tandèm pro Honorio ſic concludit: * Et ego quidem ſic ſe illum habere ſenſum exiſtimo, ab omni ſuſpicione purgatum. * Undè quamvis Honorii verba de vna voluntate loquentis, de Divina exponantur, optimo tamen ſenſu, ac Catholico poſſunt intelligi; ſicuti, quę dixit Athanaſius de ſola voluntate Divina: cum enim de Divina natura loqueretur, nihil obfuit, quin Catholicè fuerit locutus, cum in Divina natura vnam ſolam agnoſcant Catholici voluntatem; quapropter cum in prædicto textu Honorius de Divina loqueretur natura, vt modò probavimus, nihil intereſt, quòd dixerit vnam voluntatem CHRISTI Domini iuxta ea, quę diximus de S. Athanaſio, S. Maximo Interprete.

607 Ex quibus infertur primo: Nullius roboris eſſe fundamentum, quo oppoſiti Authores Honorio adſcribere conantur, ipſum vnam voluntatem in CHRISTO Domino prædicaſſe. Adeſt enim nobis ſuperioris exceptionis teſtis, eximięque Sanctitatis vir, &, vt ait S. Maximus, *inter alia ſua bona hoc etiam conſpicuus, quod pietatis Dogmatibus vniverſum Occidentem illuſtravit; * qui cum Pontifici Honorio fuerit à ſecretis, & prędictam Epiſtolam ex illius perſona compoſuerit, atteſtatus eſt, CHRISTI voluntatem per vnius numerum explicatam, nullatenus in Latino Authographo reperiri: at prędictum Authographum vitiatum fuiſſe ab eo, qui illud ex Idiomate Latino in Græcum tranſtulit; ſicque omnia Latina exemplaria, quę poſt ſextæ Synodi Acta, ex Græca Honorii Epiſtola, quæ *Actione* 12. prædictæ Synodi continetur, Latinitate donata ſunt, adiecta illa particula *vnam* vitiata eſſe, ac corrupta.

608 Infertur ſecundò: Adhuc poſita illius particulæ adiectione, ſenſiſſe Sanctum Maximum, ex Honorii doctrina duas in CHRISTO voluntates clariſsimê illis verbis deduci: * Non ſunt hę diverſæ voluntates, id eſt, contrariæ, atque adverſatrices: * Ex his enim verbis ſic Sanctus concludit: * Ex quo duas ſecundum naturam exiſtere in Salvatore voluntates, manifeſtè colligitur: * Quod, vt iam diximus, eleganter convincit.

609 Tertiò probatur, recto ſenſu dixiſſe Honorium *vnam voluntatem in CHRISTO*; cum id poſsit legitimè intelligi de Divina CHRISTI Domini voluntate, quam vnam, eamdemque omnimodò cum Patre, & Spiritu Sancto habet. Eſtò enim Perſonę Divinæ ſint perſonalitatibus diſcretæ, in natura tamen Divina, cęteriſque perfectionibus abſolutis ſummã habent vnitatem, vt tenet vnanimis SS. Patrum, Theologorumque conſenſus. Vndê à Monothelitarum errore protinus diſcrepat Honorius: Monothelitæ enim, non modò vnam voluntatem aſtruebant in CHRISTO, ſed hanc etiam vnam, eandem vtriuſque naturæ Divinę, & Humanæ eſſe, impiè propugnabant; quod in Honorii Epiſtolis nec expreſsè, nec æquivalenter vmquam inveniri valet.

610 Hanc ſolutionem pręclarè confirmat, quod *Actione 2. ſextæ Synodi* refertur; vbi cum lectus fuiſſet textus Sancti CYRILLI ALEXANDRINI *ad Theodoſium Imperatorem* dicentis: * Firmamentum autem immobile huiuſmodi veſtri, Deo amabilis, & Religioſi Imperii, ipſe Dominus noſter IESVS CHRISTVS eſt: per ipſum enim *Reges regnant, & potentes decernunt iuſtitiam*, ſecũdum quòd ſcriptum eſt: Eſt enim eius omnipotens voluntas: * Audiens prædicta verba Patriarcha Macarius, conatus fuit perſuadere S. CYRILLVM in relato textu pro ſe ſtare, ſibique egregiè patrocinari. At APOSTOLICI

LICI LEGATI, pluresque Episcopi, vnà cum illius Synodi Iudicibus, in illum insurrexerunt, dicentes, Macarium misero errore decipi : Sanctus enim CYRILLVS, in prædicto textu, nullatenus confessus fuit vnam vtriusque naturæ Divinæ, & Humanę voluntatem, vt volebat Macarius: *Superfluè, inquiunt, & non secũdum quod iacet, Macarius, Venerabilis Archiepiscopus Magnę Antiochenę Civitatis, ex nũc relecto textu videtur affirmare, vnã esse voluntatem in duabus naturis vnius Domini nostri IESV CHRISTI, id est, Deitatis eius, & Humanitatis.*

911 Explicantes autem Sancti CYRILLI sensum, & sententiam dixerunt, Sanctum in prædictis verbis de voluntate Divina expresè fuisse locutum, cum illam, *omnipotentem* appellet; sicque hanc voluntatem Divinam à prędicto Sancto *vnam* iure optimo prædicari, ob summam vnitatem, qua tres Personæ Divinæ, sicut eadem natura, ita eadem gaudent voluntate. * Hoc enim, inquiunt, Sanctissimus Cyrillus in Divina ipsius Domini nostri IESV CHRISTI, & omnipotentissima eius natura accipiens, scripsit, quam cum Patre, & Sancto Spiritu communem, & omnipotentem habet. Propter quod, & *omnipotentem* eam idem Sanctæ memoriæ Cyrillus appellavit, aliàs nec numeraliter posuit eandem voluntatem vnam.* Vndè si illius Synodi Patres Sanctum Cyrillum â Monotheliśmi errore vindicarunt, quia in illis verbis non astruebat in CHRISTO vnam voluntatem Divinitatis, & Humanitatis, sed vnam solius Divinitatis, quin aliam Humanitatis excluderet; idem de Honorio dicere possumus, cum nec in prædictis primæ Epistolæ, nec in aliis eiusdem Honorii verbis occurrat vmquam, ipsum aliquo modo prędicasse vnam voluntatem CHRISTI Divinitatis, & Humanitatis eius. Vndè si interpretatio, qua Sancti CYRILLI verba elucidata sunt, ipsum nempè, cum vnam voluntatem in CHRISTO Domino confessus est, de Divina fuisse voluntate locutum, Catholica fuit, & à sexta Synodo approbata, nulla certè apparet ratio, nè Catholicè dicamus, Honorium, cum vnam voluntatem in CHRISTO Domino prędicavit, aut de Divina fuisse voluntate locutum, quę in CHRISTO Domino vna eademque essentialitèr est cum Patris, & Spiritus Sancti voluntate, aut de Humana CHRISTI voluntate, ob rationes, quas suprà proposuimus.

612 Quartò, quòd prædicta Honorii verba possint Catholicè interpretari, si de Divina CHRISTI voluntate explicentur, luculentiùs probatur, & confirmatur. Quòd vt clariùs eluceat, duximus prænotandum, Catholicum Pontificum sensum in suis Dogmaticis Epistolis, in hæreses frequenter dirigi: & meritò, cum ipsi Fidei, Apostolicæque Doctrinę falsis hæreticorum Dogmatibus semper oppositę Patres sint, ac Magistri. Iste autem Apostolicus Zelus in duabus Honorii Epistolis mirificè illuxit: etenim si in illis indixit, nè CHRISTI voluntates, & operationes per numerum *vnius*, vel *duplicis* explicarentur, iam huius prohibitionis causam expressit apertè, asserens, se ideò id præcepisse, vt duæ tunc renascentes hæreses, quę illis vocibus vtebantur, in ipso semine extirparentur, singulari certè, ac prudenti consilio; cum hæreticis enim *nec nomina debemus habere communia*, si aliis vocibus Divina Mysteria possumus explicare, vt altè expendit ANGELICVS DOCTOR *ex D. Hieronymi Doctrina 3. part. quæst. 16. art. 8. in corpore*; vbi inquirens: an absolutè proferri possit hæc propositio: *Christus est creatura?* Respondet, quòd si dicta propositio cum aliqua limitatione proferatur, nempè *secundum naturam humanam*, est vera; at si absolutè, & simpliciter enuncietur, admitti non potest: * Ergo hęc (inquit Sanctus) non est concedenda: *Christus est creatura.** Et ratio Angelici Præceptoris est: quia præcipuus Arii, perniciosissimi hæresiarchæ, error erat, asserere, CHRISTUM Dominum, nonmodò, quoad Humanitatem, sed etiam quoad Personam Divinam esse creaturam. Vt ergo à perniciośissimo isto errore, & intoleranda blasphemia, ac hęresi penitùs discederemus, iudicavit Angelicus Magister, prædictam propositionem, estò in aliquo sensu veram, nempè secundum Humanam CHRISTI naturam, absolutè tamen, & simpliciter de CHRISTO proferri non posse, quia hoc esset in modò loquendi convenire cum Ario. Sed ne præstantiæ, qua ANGELICUS PRÆCEPTOR, id docet, aliquid detrahatur, placuit hîc illius verba transcribere: *Respon-

pondeo dicendum, quòd, ſicut Hieronymus dicit, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis. Vndè, cum hæreticis nec nomina debemus habere communia, nè eorum errori favere videamur. Ariani autem hęretici CHRISTVM dixerunt eſſe creaturam, & minorem Patre, non ſolum ratione Humanæ naturę, ſed etiam ratione Divinæ Perſonę, & ideò non eſt abſolutè dicendum, quòd CHRISTVS ſit creatura, vel minor Patre, ſed cum determinatione, ſcilicet, ſecundum Humanam naturam. *

613 Vndè Honorius huic doctrinæ à Sanctis Patribus communitèr receptæ in hærens, Catholicos nempè, nec adhuc in modo loquendi, debere cum hæreticis convenire, illarum vocum numeralium *vnius*, vel *geminæ* in CHRISTO voluntatis, & operationis ſilentium indixit, vt ſic Eutychianorum, & Neſtorianorum, qui vocibus iſtis vtebantur, errorem vitaret.

614 Vnam inſuper voluntatem de Divina loquens natura in CHRISTO Domino agnovit, quo ſeſe hæreſi Arianorum, iſtorumque ſequacium oppoſuit, qui Patrem non modò in perſona, ſed etiam in ſubſtantia, natura, eſſentia, ac voluntate à Filio diſtinctum eſſe dicebant, vt Docet ANGELICVS PRÆCEPTOR. *prima par. quæſt. 27. art. 1. in corpore*; vbi loquens de proceſſionibus, quibus Filius, & Spiritus Sanctus à Patre procedunt, dicit, Arium, iſtiuſque ſequaces dogmatizare, vtrumque eſſe creaturam, ſicque in natura eſſentialitèr diſtingui. * Quidam enim (inquit Divus THOMAS) acceperunt hanc proceſſionem ſecundum quòd effectus procedit à cauſa. Et ſic accepit Arius dicens, Filium procedere à Patre ſicut primam eius creaturam, & Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio ſicut creaturam vtriuſque. Et ſecundum hoc, neque Filius, neque Spiritus Sanctus eſſet verus Deus. * Quem errorem latè impugnat Sanctus *ibidem*.

615 Idem Sanctus Doctor, referens errorem Origenis, eumdem ferè cum Ariana hęreſi, aſſerit, vtrumque tenuiſſe, Patrem, & Filium ſecundum ſubſtantiam eſſe diverſos, vt videri poteſt *in eadem 1. par. quæſt. 32. art. 1. ad primum* vbi hæc habet: * Sic autem nos non ponimus Patrem, & Filium ſecundum ſubſtantiam differentes: ſed fuit error Origenis, & Arii ſequentium Platonicos *

616 Et *quæſt. 34. prædictæ 1. partis, art. 1. ad primum.* repetit Arii, & Origenis Arianorum fontis, errorem fuiſſe, Divinam Filii Perſonam à Patre non ſolum in Perſonalitate, ſed etiam in ſubſtantiæ, & eſſentiæ realitate diſtinctam fateri: ſic enim ſcribit: * Ad primum ergo dicendum, quòd Ariani, quorum fons Origenes invenitur, poſuerunt Filium à Patre eſſe in diverſitate ſubſtantiæ. *

617 Cum igitur Ariani ſentirent, CHRISTUM Dominum, vti Dei Filium, eſſe creaturam, & in eſſentia, & natura à Patre eſſentialitèr diverſum, conſequentèr illius voluntatem, vti naturæ ipſius proprietatem, à Patris voluntate eſſentialitèr diſtinctam propugnabant. Pernicioſiſſimo iſti errori ſeſe Concilia, Sanctique Patres oppoſuere, vnam tantummodò voluntatem in tribus Divinis Perſonis agnoſcentes, quia vna ſolummodo in ipſis ſubſtantia, & indiviſibilis natura Catholica Fide ſtatuitur, vt doctè probat Imperator CONSTANTINVS in Edicto, quo iuſſit, vt ſextæ Synodi Definitio, de duabus in CHRISTO voluntatibus, & operationibus, promulgaretur; ibi enim, de CHRISTO loquens, hæc habet: * Vnus enim cum ſit, idem ipſe in vtraque natura, loquitur, interdum quidem congruentèr humanitati, interdum verò Divinitati congruentem exprimit vocem. Habuit enim (iuxta quod ait opinatiſſimus Cyrillus) in vtriſque poteſtatem. Dum ergo dicit: *Non mea voluntas fiat*: *Non mea*, hoc eſt, Humanę naturæ, dixit: Et ego enim nunc ſicut homo loquor. Dum verò dicit: *tua*, illam, quæ communis eſt, inquit, mihi Verbo, & tibi Patri. Patris enim, & Filii ſecundum quod Verbum eſt, vna eſt voluntas, propter vnitatem eſſentiæ, ſecundum Sanctum Nyſſenum Gregorium, in Sermone adverſus Apollinarium. (Et *infrà.*) Qui enim dixit: *non mea*, Humanam hoc ſermone ſignificavit: adiungens autem: *tua*, oſtendit coniunctionem ſuæ ad Patrem Deitatis, cuius nulla eſt voluntatis differentia propter communitatem naturæ. *

618 Suppoſita igitur communi Sanctorum Patrum Doctrina, in tribus nempè Divinis Perſonis vnam tantummodò eſſe voluntatem, quia Catholica Fides, Sacraque Concilia vnam ſolummodo in ipſis naturam, ſubſtantiam, & Deitatem agnoſcunt; rectè inde deducitur, Hono-

rium, dum de CHRISTI Divinitate loquitur, Catholicè vnam solummodò in CHRISTO voluntatem fateri. Quod apertiùs innotescet, si attentè consideretur contextus Verborum, quibus Honorius dixit: *Vnam voluntatem fatemur Domini nostri IESV CHRISTI.* Cum enim Honorius, antecedenter ad prædicta verba, de CHRISTI Divinitate loqueretur explicans illud Ioann. cap. 3. *Nullus ascendit in Cœlum, nisi qui de Cœlo descendit, Filius hominis, qui est in Cœlo*: hæc scripsit: * Profectò nos instruens, quòd Divinitati vnita est caro passibilis. *

619 Et *paulò infra* explicat ipse Honorius locum illum. 1. *Corinth.* 2. in quo Divus PAVLVS de Divina CHRISTI sapientia loquens, hæc habet: *Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius sæculi, neque principum huius sæculi: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo Principum huius sæculi cognovit: si enim cognovissent, numquam Dominum Maiestatis crucifixissent.* In hoc autem textu loqui Divum Paulum de Divina CHRISTI natura expressè Docet ANGELICVS MAGISTER. 3. *par. quæst.* 47. *art.* 5. *in corpore*, vbi prędictum Divi Pauli textum exponens, dicit: *Quòd apud Iudęos quidam erant maiores, & quidam minores. Maiores quidem, qui eorum Principes dicebantur (vt dicitur in libro Quæstionum Novi, & Veteris Testamenti) sicut & Dœmones, cognoverunt, eum esse CHRISTVM promissum in lege: omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerant futura Prophetæ: Mysterium autem Divinitatis eius ignorabant; & ideò Apostolus dicit, quòd si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* * Honorius itaque prædictum Pauli textum edisserens, sic scribit: * Dum profectò Divinitas nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri, vel perpeti; sed propter ineffabilem coniunctionem Humanę, Divinæque naturæ, idcircò, & vbique Deus (in textu græco legitur: *Et vtrobique Deus*) dicitur pati, & Humanitas ex Cœlo cum Divinitate descendisse. *Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri IESV CHRISTI.* * Vbi legitimus horum verborum posteriorum sensus apertissimè innotescit: nimirum, quòd sicut propter ineffabilem vnionem Divinæ, & Humanæ naturæ in vnitate Divinæ personę Catholicè dicitur, quòd CHRISTVS sit Deus, & quòd Divinam habeat naturam: sic etiam Catholicè dixisse videtur Honorius, quòd vnam habeat voluntatem, hoc est Divinam, vnam, inquam, cum Patre, & Spiritu Sancto, contra errorem Arii, istiusque sequacium, qui sicut CHRISTO Domino Divinitatem, Divinamque denegabant naturam, sic & Divinam voluntatem à CHRISTO Domino eliminabant.

620 Vt autem in Honorii textu omnis penitùs suspicionis tollatur scrupulus: non obstat, si dicas: prædicta Honorii verba aliquam secum contradictionem involvere: hinc enim affirmat Honorius, quòd *profectò Divinitas nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri.* Indè verò asseverat: quòd *propter ineffabilem coniunctionem Divinæ, Humanæque naturæ, idcircò Deus dicitur pati.* Cumque Deus à Divinitate non distinguatur, vtique videtur inferri, quòd si Divinitas pati non potest, neque Deus poterit pati.

621 Non, inquam, obstat: huic enim difficultati cumulatissimè satisfacit ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina. Inquirens enim ANGELICVS MAGISTER. 3. *part. quæst.* 16. *art.* 5. Utrum ea, quæ conveniunt Filio hominis, possint prædicari de Divina natura; & de Humana, ea, quæ conveniunt Filio Dei? Respondet assignans discrimen inter abstracta *Deitas, & Humanitas*, & concreta *Deus, & homo.* Illius verba audiamus: * Respondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt propria vnius, non possunt verè de alio prædicari, nisi de eo, quod est idem illi: sicut risibile non convenit nisi ei, quod est homo. In mysterio autem Incarnationis non est eadem natura Divina, & Humana, sed eadem est hypostasis (hoc est subsistentia, persona, vel suppositum) vtriusque naturæ: ideò ea, quæ sunt vnius naturæ, non possunt de alia prædicari secundum quòd in abstracto significatur. Nomina verò concreta supponunt hypostasim naturæ: & ideò indifferenter prædicari possunt ea, quæ ad vtramque naturam pertinent, de nominibus concretis. Sive illud nomen de quo dicuntur, det intelli-

intelligere vtramque naturam, ſicut hoc nomen *Chriſtus*: in quo intelligitur, & Divinitas vngens, & Humanitas vncta. Sivè ſolum Divinam naturam, ſicut hoc nomen *Deus*, vel *Filius Dei*; ſivè ſolum naturam Humanam: ſicut hoc nomen *Homo*, vel *IESVS*. Vndè Leo Papa dicit *in Epiſtola ad Paleſtinos*: Non intereſt, ex qua CHRISTVS ſubſtantia nominetur: cum inſeparabilitèr, manente vnitate Perſonæ, idem ſit, & totus hominis Filius propter carnem, & totus Dei Filius propter vnam cum Patre Deitatem.*

622 Idem confirmat ipſe ANGELICVS PRÆCEPTOR *præfata quæſtione*, *art.* 4. Vbi argumentis, quibus nitebatur probare Neſtorius, ea, quę ad naturam Humanam pertinent, Deo non poſſe competere; ſicut nec ea, quæ ad Divinam ſpectant naturam, CHRISTO homini congruere, ait Sanctus: * Quòd Damaſcenus dicit *in 3. libro*: Deus ſuſcepit ea, quę ſunt carnis idiomata, id eſt, proprietates: dum Deus paſſibilis nominatur, & Deus gloriæ crucifixus eſt.*

623 Et *infrà*, ſeſe relato Neſtorii errori opponens, hæc ſcribit: * Catholici verò poſuerunt, huiuſmodi, quæ dicuntur de CHRISTO, ſivè ſecundum Divinam naturam, ſivè ſecundum Humanam, dici poſſe, tàm de Deo, quàm de Homine. (Et *paulò infra*:) Et huius ratio eſt: quia cum ſit eadem hypoſtaſis (id eſt, eadem perſona, vel ſuppoſitum) vtriuſque naturæ, eadem hypoſtaſis ſupponitur nomine vtriuſque naturæ. Sivè ergo dicatur homo, ſivè Deus, ſupponitur hypoſtaſis Divinę, & Humanæ naturæ; & ideò de homine poſſunt dici ea, quæ ſunt Divinę naturæ, tamquàm de hypoſtaſi Divinæ naturæ: & de Deo poſſunt dici ea, quę ſunt Humanæ naturæ, tamquàm de hypoſtaſi Humanę naturæ.*

624 Iuxta hanc ergo doctrinam adſtruentem, illud, quod eſt proprium Dei, Divinæque naturæ, poſſe de CHRISTO homine verificari, erit Catholica hæc propoſitio: *Deus eſt Homo*: ſicut & hæc alia: *Homo eſt Deus*: De prima agit S. THOMAS *eadem 3. p. quæſt. 16. art. 1. in corp.* Vbi aſſerit: * Quòd iſta propoſitio, *Deus eſt Homo*, ab omnibus Chriſtianis conceditur: non tamen ab omnibus ſecundum eamdem rationem.*

625 Adductis verò variis modis explicandi hanc propoſitionem, reiectaque Neſtorii explicatione, hęc ſubdit: * Vndè ſupponendo ſecundum veritatem Catholicæ Fidei, quòd vera natura Divina vnita eſt cum vera natura Humana, non ſolum in perſona, ſed etiam in ſuppoſito, vel hypoſtaſi, dicimus, hanc propoſitionem eſſe veram, & propriam, *Deus eſt Homo*, non ſolum propter veritatem terminorum (quia ſcilicet CHRISTVS eſt verus Deus, & verus Homo,) ſed etiam propter veritatem prædicationis.* Quod probans Sanctus Doctor, concludit: * Quia ergo Perſona Filii Dei (pro qua ſupponit hoc nomen, *Deus*) eſt ſuppoſitum naturæ Humanę, verè, & propriè hoc nomen, *homo* poteſt prædicari de hoc nomine, *Deus*, ſecundum quòd ſupponit pro Perſona Filii Dei.*

626 De ſecunda propoſitione videlicet: *Homo eſt Deus*, agit S. THOMAS *in eadem quæſt. 16. art. 2.* vbi priùs illam probat illo Divi Pauli loco *Romanorum 9. Ex quibus eſt CHRISTVS ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*: Ex hoc enim loco ſic arguit: * Sed CHRISTVS ſecundum carnem eſt Homo: ergo hæc eſt vera, *Homo eſt Deus.**

627 Deindè eamdem illam propoſitionem hac ratione convincit: * Dicendum quòd ſuppoſita veritate vtriuſque naturæ, Divinæ ſcilicet, & Humanæ, & vnione in perſona, & hypoſtaſi, hæc eſt vera & propria: *Homo eſt Deus*; ſicut iſta, *Deus eſt Homo*. Hoc enim nomen *Homo* poteſt ſupponere pro qualibet hypoſtaſi Humanę naturæ: & ita poteſt ſupponere pro Perſona Filii Dei, quam dicimus eſſe hypoſtaſim Humanæ naturæ. Manifeſtum eſt autem, quòd de Perſona Filii Dei verè, & propriè prædicatur hoc nomen *Deus*, vt in prima parte habitum eſt. Vnde relinquitur, quòd hæc ſit vera, & propria, *Homo eſt Deus.** Hæc ille.

628 At quia res iſta adeò ſubtilis eſt inter Theologos, vt facilè in illa errari poſſit, neceſsè eſt, vt terminorum formalitas conſideretur, & diverſus ſignificandi modus attendatur; aliud enim ſignificant abſtracta, aliud concreta, maximè in Divinis. Ex huius diverſitatis inconſideratione, ortus eſt Abbatis Ioachimi error, vt rectè adnotavit ANGELICVS DOCTOR. 1. *par. quæſt. 39. art. 5. in corp.*

vbi hęc habet: *Circa hoc erravit Abbas Ioachim, asserens, quòd sicut dicitur: *Deus genuit Deum*: ita potest dici, quòd essentia genuit essentiam, considerans quòd propter Divinam simplicitatem non est alius Deus, quam Divina essentia.

629 Sed in hoc deceptus fuit; (prosequitur S. Doctor) quia ad veritatem locutionum non solum oportet considerare res significatas, sed etiam modum significandi, vt dictum est. Licet autem secundum rem, sit idem *Deus*, quòd *Deitas*, non tamen est idem modus significandi vtrobique: nam hoc nomen *Deus*, quia significat Divinam essentiam, vt in habente, ex modo suæ significationis naturaliter habet, quòd possit supponere pro persona; & sic ea, quæ sunt propria personarum, possunt prędicari de hoc nomine Deus, vt dicatur, quòd Deus est genitus, vel generans, sicut dictum est. Sed hoc nomen *Essentia* non habet ex modo suæ significationis, quòd supponat pro persona: quia significat essentiam, vt formam abstractam; & ideò ea, quę sunt propria personarum, quibus ad invicem distinguuntur, non possunt essentiæ attribui. Significaretur enim, quòd esset distinctio in essentia Divina, sicut est distinctio in suppositis.*

630 Ex his, quæ hucusque solidissimis Doctrinis innixi diximus, apertè apparet, abstracta inter, & concreta quantum discriminis intercedat. Quamvis enim ex parte rei significatæ inter Deum, & Deitatem, seu Divinitatem nulla adsit differentia; imò summa realis identitas inter Deum, Deitatem, Divinitatem, & naturam Divinam cognoscatur: at in modo significandi Sancti Patres, vti prędlarissimi Theologi, Fidei principiis conformes magnum inter illa discrimen agnoscunt; quia scilicet hoc nomen *Deus*, est quoddam concretum significans *Divinitatem, vt in habente*, & ex modo significationis pro persona naturaliter supponit: Vndè quidquid Personæ Divinæ tribuitur, de hoc nomine *Deus* verificari potest; & ideò rectè, & Catholicè dicimus: *Deus generat*: *Deus est genitus*. At nomen *Deitas*, vel *Essentia*, vel *Divinitas* significat Divinam Essentiam in abstracto, non verò in supposito, vel persona: Vndè quod est proprium personarum, non potest verificari de essentia in abstracto sumpta; & ideò has propositiones negamus: *Essentia generat*: *Essentia est genita*. Similiter has propositiones concedimus: *Deus est Homo*: *Homo est Deus*; negamus verò istas: *Deus est Humanitas*: *Humanitas est Deus*: *Natura Divina est Humana*: *Natura Humana est Divina*. Et ratio est; quia quamvis Deus, & natura Divina realiter non distinguantur; celebriores tamen Theologi magnum agnovere discrimen inter modum significandi naturam Divinam in abstracto, vel vt communem, & modum significandi ipsam in concreto, sive supposito: & ideò istæ propositiones concretè sumptæ, tamquàm verissimæ à Catholicis omnibus admittuntur: *Deus est Homo*: *Homo est Deus*: *Deus generat*: *Deus est genitus, natus, passus, & mortuus*: istæ verò abstractè consideratæ respuuntur: *Essentia generat*: *Essentia est genita*: *Deitas, seu Divinitas est nata, passa, & mortua*.

631 Doctrina est hæc ANGELICI PRÆCEPTORIS, tùm locis citatis, tùm præcipuè 3. *part. quæst.* 16. *Art.* 5. *ad* 1. vbi hæc habet: * In Divinis realiter est idem Persona cum natura; & ratione huius identitatis Divina natura prædicatur de Filio Dei. Non tamen est idem modus significandi: & ideò quædam dicuntur de Filio Dei, quæ non dicuntur de Divina natura: sicut dicimus, quòd Filius Dei est genitus, non tamen dicimus, quòd natura Divina sit genita, vt *in prima parte*, (*quæst.* 39. *art.* 5.) habitum est. Et similiter in Mysterio Incarnationis dicimus, quòd Filius Dei passus est, non autem dicimus, quòd natura Divina sit passa.*

632 Ex his æquę certis, ac communibus principiis Sanctorum Patrum, insigniorumque Theologorum apertissimè dignoscitur, quàm rectè Honorius *in prima sua Epistola* scripserit: *Ipse Filius Hominis de Cælo descendens vnus, atque idem, sicut scriptum est, Crucifixus Dominus Maiestatis, dùm constat Divinitatem, nullas posse perpeti Humanas passiones. (Et *paulò infrà*:) Divinitas nec Crucifigi potuit, nec Passiones Humanas experiri, vel perpeti; sed propter ineffabilem coniunctionem Humanę, Divinæque naturæ, idcircò, & vbique (vel secundum versionem gręcam, vtrobique) Deus dicitur pati; * quia scilicet consi-

dera-

deravit Honorius, Deum, & Deitatem, estò ex parte rei significatæ non distinguantur, distingui tamen ex parte modi significandi: etenim nomen *Deus* significat naturam Divinam in concreto, sive supposito, & personа; vel, vt ait ANGELICVS DOCTOR, idem est *Deus*, ac habens naturam Divinam: id tamen non significatur per nomen: *Divinitas*, *Essentia*, vel *Deitas*, quia quodlibet ex his nominibus est nomen abstractum, & significat naturam abstractè sumptam, vt Theologi loquuntur. Vndè sicut in mysterio Incarnationis iuxtà ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrinam vera est hęc propositio: *Deus est passus*: falsa verò hæc alia: *Divinitas est passa*: sic Catholicus erit sensus, quo Honorius negavit, Divinitatem passam esse, vel posse Humanas passiones perpeti, estò aliundè Deum propter ineffabilem vnionem Divinę, Humanæque naturæ in vnitate Personæ fuisse passum confiteatur. Id confirmari potest Sancti IOANNIS DAMASCENI Doctrina, qui *lib. 3.* sic scribit: *Deitatem quidem dicentes non nominamus de ea, quæ Humanitatis idiomata, id est proprietates: non enim dicimus Deitatem passibilem, vel creabilem.* * Vndè ANGELICVS DOCTOR ita subinfert *3. par. quæst. 16. art. 5.* *Deitas autem est Divina natura: ergo ea, quæ sunt Humanæ naturę, non possunt dici de Divina natura.* * Quo non obstante Damascenus *eodem lib. 3.* sic scribit: * Quòd Deus susceperit ea, quæ sunt carnis idiomata, id est, proprietates: dum Deus passibilis nominatur, & Deus gloriæ crucifixus est:* *Apud Divum Thomam. 3. par. quæst. 16. art. 4. in sed contra.* His ergo in locis Sanctus Damascenus idem, quòd Honorius apertissimè confitetur: ergo si Damascenus, & cum illo Sanctus Thomas, aliique Sanctissimi Doctores confitentes hanc propositionem: *Deus est passus*; & negantes hanc aliam: *Divinitas est passibilis*, Catholicè locuti sunt; dicendum vtique erit, Honorium in prædictis propositionibus non solum, non esse censura dignum, sed Catholicæ etiam illustrium Ecclesiæ Sanctorum Doctrinæ, ac sensui consonum esse, ac conformem.

CAP. XII.

QVARTVM ARGVMENTVM contra Honorii Fidem proponitur, & solvitur.

633 ARguitur quartò, ex illis Honorii verbis *Epist. 1.* *Confitentes Dominum IESVM CHRISTVM vnum operatorem Divinę, atque Humanę naturæ:* Et ex illis aliis *Secundæ Epistolæ*: * Vnum CHRISTVM Dominum in vtrisque naturis prædicent operantem. * In his enim locis Honorius operationem ex persona operante metitur: cumque CHRISTVS vna tantum sit persona vtriusque naturæ operans, videtur dicendum, vnam solummodò vtriusque naturæ operationem ab Honorio fuisse admissam, ac per consequens non discrepare à Monothelitarum hęresi de vna in CHRISTO operatione, vt suprà tetigimus.

634 Respondetur primo, negari non posse, CHRISTUM Dominum vnam tantummodò esse operantem personam; duas enim in illo nec Concilia, nec Sancti Patres vnquam hucusque agnoverunt. sed vnam tantummodò in vtraque natura operantem Catholicè prædicarunt, vt docet fides contra Nestorium, qui duas in CHRISTO personas impiissimè asserebat. Inficiamur tamen, ex vnitate personæ operantis in CHRISTO, vnam solummodò vtriusque naturæ operationem posse deduci, hanc enim numquàm docuit Honorius; nec in istius Epistolis invenitur, vnam solummodo Divinitatis, & Humanitatis operationem (vt Monothelitarum error tenebat) ab ipso fuisse admissam, vt facilè agnoscet quisquis vtramque illius Epistolam attentè legerit, & nos in superioribus solutionibus apertissimè ostendimus.

635 Respondetur secundò: estò permittatur, Honorium ex personæ vnitate vnitatem operationis in CHRISTO Domino deduxisse; adhuc indè non sequi, tantum Pontificem in Monothelitarum errorem fuisse prolapsum, cum prædicta Honorii propositio adhuc posset in Catholico sensu explicari.

636 Etenim Catholicę Fidei æquè opponi videtur propositio vnam voluntatem in CHRISTO Domino adstruens, ac propositio vnam in ipso prædicans operationem;

tionem ; atqui propositio, qua Honorius vnam voluntatem in CHRISTO Domino confessus est, potest in Catholico sensu exponi, iuxtà solutiones, quibus suprà ex Sanctorum Patrum Doctrina prædictam Honorii propositionem explicuimus: ergo estò dixisset Honorius, se vnam in CHRISTO operationem fateri, potest nihilominus huiusmodi propositio, illis solutionibus, in Catholico sensu explicari.

637 Nec obstat, si dicas, ideò Monothelitas fuisse à Conciliis, & Sanctis Patribus vti hæreticos damnatos ; quia vnam voluntatem, & operationem in CHRISTO Domino prædicabant. Non, inquam, obstat ; ex hæreticis enim, qui vnam solummodò operationem confitebantur, plures asserebant, vnam tantummodò vtriusque naturę voluntatem, & operationem in CHRISTO Domino concedendam. Hoc autem in Honorii Epistolis nusquam occurret, vt latè supra ostendimus. Alii verò ideò vnam tantummodò in CHRISTO voluntatem, & operationem astruebant ; quia vnam solummodò in ipso essentiam, & naturam prędicandam esse arbitrabantur. At iis erroribus oppositum in Honorii Epistolis invenitur ; cum Honorius duas in CHRISTO naturas, essentialiter distinctas, cum suis proprietatibus propria operantibus, clarè, & distinctè in suis Epistolis confiteatur.

638 Monothelitæ verò, qui duas in CHRISTO fatebantur naturas, vnamque solummodò in ipso voluntatem, & operationem adstruebant, erroneè existimantes, operationem, non quidem naturæ, sed operanti esse commensurandam, asserebant, hanc operationem, & voluntatem esse Divinam, omnemque voluntatem, & operationem Humanam à CHRISTO Domino eliminabant, vt suprà latè probatum est. Undè duo negabant. Primum : naturas in CHRISTO esse operantes, & operatrices. Secundum, operationem debere sequi naturam : nè, vel inviti duas operationes admitterent.

639 Asserebant insuper, operationem operanti personæ correspondere : cumque in CHRISTO vna tantummodò sit persona Divina volens, & operans ; vnam tantummodò in CHRISTO voluntatem, & operationem Divinam admittendam esse affirmabant. At Honorius in suis Epistolis oppositum docet, cum duas naturas operantes, atque operatrices apertè, ac distinctè fateatur ; & ex naturarum diversitate, diversitatem operationum deducat, vt patet ex secunda eius Epistola, in qua de duabus CHRISTI naturis loquens, hæc scribit: *Divinam quidem, quę Dei sunt operantem, & humanam, quę carnis sunt exequentem.* Et *in alio eiusdem Epistolæ loco* confitetur in CHRISTO: * Duas naturas Divinitatis, & carnis, propria operantes. (Et *infrà* :) Vnum CHRISTVM in vtrisque naturis Divina, vel Humana prędicent operantem.*

640 Opponitur etiam Honorius ijs, qui, erroneè existimantes solam CHRISTI personam operari, non verò naturas, vnam solummodò voluntatem Divinam in CHRISTO Domino admittebant, eò quòd persona Divina sit, omnemque operationem denegabant humanam. His, inquam, opponitur ; quia estò Honorius Catholica Fide innixus, quæ vnam solummodò personam operantem in CHRISTO admittit, vnum operantem confiteatur in CHRISTO : at præter personam operantem admittit etiam duas in CHRISTO naturas, quod vniuscuiusque proprium est operantes, vt probavimus suprà: nec solam voluntatem, & operationem Divinam Personæ, naturæque Divinæ correspondentem concedit in CHRISTO, sed operationem etiam Humanam, Humanę propriam naturę confitetur in illo, vt passim occurrit in ipsius Epistolis, pręcipuè in prima, in qua prædicat CHRISTVM, * in duabus naturis operatum Divinitùs, atque Humanitùs: * In secunda verò non soli operanti, sed illius etiam naturis Divinam, Humanamque operationem attribuit, vt ostendunt illa Honorii verba: * Utrasque naturas operantes, atque operatrices confiteri debemus ; & Divinam quidem, quę Dei sunt operantem, & Humanam, quæ carnis sunt exequentem.* Omitto alias vtriusque Epistolæ propositiones, quibus id ipsum poterat illustrari. Hinc apertè innotescit, quàm longè ab omnium Monothelitarum errore absit Honorius : estò enim cum illis conveniat, dum asserit CHRISTVM Dominum vnam esse operantem personam ; (quemadmodum omnes etiam Catholici tuentur:) ab omnibus nihilominus Monothelitis longissimè dissidet, cum nullus illorum,

CHRI-

CHRISTVM esse vnum operantem in duabus naturis, & voluntatibus propria operantibus, confiteatur, vt de Honorio probavimus.

641 Respondetur tertiò, Sanctum DIONYSIUM *Epistola ad Caium* dixisse: * Unam esse in CHRISTO Dei-Virilem operationem: * Quam quidem Authoritatem adduxerunt Monothelitæ pro suo errore de non admittenda in CHRISTO nisi vnica Divina, & Humana operatione. Et quamvis prędicta Authoritas aliqualiter Monothelitis favere videatur, Sancti Patres, qui D. Dionysij sensum meliùs calluerunt, vti Sanctus Martinus, Sanctus Maximus, aliique plures, prędicta verba in Catholico sensu explicarunt; præcipuè Sanctus MARTINVS *in suo Lateranensi Concilio*, vbi innotuit, prædictum textum à Monothelitis fuisse corruptum: dicente namque Sancto Dionysio: * Novam quandam Dei Virilem operationem: * Evidenter apparuit, *novam* in *vnam* à Monothelitis fuisse commutatam. Undè non sine gravi fundamento suspicari, imó & certò affirmare possumus, Monothelitas id ipsum in Honorii verbis præstitisse, ita vt vbi Honorius dixit: *Novam voluntatem*: illi *vnam* fraudulenter posuerint. At, omissa pro nunc ista solutione, quam rectè prosequitur, & probat AVTHOR HISTORIÆ MONOTHELITARUM noviter Parisiis editæ *anno* 1679. Respondetur, Sanctum Martinum sic Divi Dionysii sensum explicare: * At non vnam secundum illos ostendere volens operationem Sanctus Dionysius, sed duplicem duplicis naturæ, compositivo sermone abusus est, duas vnius, eiusdemque in vnitate operationes ostendens. *

642 Vndè, si Sanctum Dionysium asserere: * Unam esse in CHRISTO Dei-Virilem operationem; * non obstat quominùs Sanctus Martinus illum explicet de duabus operationibus, quarum quęlibet suæ in CHRISTO correspondeat naturæ, alia nempè Divinæ, & Humanæ alia: estò Honorius vnam voluntatem in CHRISTO Domino prædicasset, vnamque operationem asseruisset, posset vtique intelligi, ac explicari de vna voluntate, & operatione in vnaquaque natura, ita vt naturæ Divinæ vna sola operatio correspondeat Divina; Humanæque naturæ vna sola operatio attribuatur Humana: quod quidem aptissimè congruit illis Honorii verbis, in prima Epistola asserentis: * CHRISTVM in duabus naturis operatum Divinitùs, atque Humanitùs; * Et illis aliis secundæ Epistolæ verbis: *CHRISTVM Dominum in vtrisque naturis Divina, vel Humana prædicent operantem. *

643 Respõderi potest 4. quãvis ex vnitate personæ in duabus CHRISTI naturis operantis, Divinę, Humanæque operationis vnitas admittatur, nihil adhuc contra Honorium deduci, quòd nequeat in legitimo, ac Catholico sensu explicari: à securissima enim doctrina alienum non est, vnam aliquam vtriusque naturæ operationem in CHRISTO Domino asserere, si id iuxta Sancti MAXIMI Doctrinam intelligatur, qui explicans relatum Sancti Dionysii textum, tria operationum genera, cum Sancto Sophronio in CHRISTO Domino distinguit. Primum est, illarum operationum, ad quas sola natura Divina concurrit, vti est mundi creatio, & conservatio, necnon miraculum illud, quo Centurionis puero absenti, sanitatem restituit. Secundum est, illarum, quę solius Humanæ naturæ propriæ sunt, ac speciales. Tertium, illarum, quæ mixtæ sunt, in quibus videlicet agit vtraque natura, vt cum solo attactu curabat ægrotos, vel mare, pedibus ambulando, calcabat: * In istis autem (prosequitur Sanctus Maximus) partim Divinum aliquid inest, partim Humanum. * Tertium autem istud operationis genus voce illa *Dei-Virilis* operationis designari, Sanctus Maximus asserit, vt constat ex Act. 11. sextę Synodi.

644 Undè, si Sanctus Maximus illam vnam *Dei-Virilem operationem*, quam Sanctus Dyonisius in CHRISTO Domino prædicavit, rectè, ac Catholicè explicuit de illa vna miraculosa operatione, ad quam vtraque CHRISTI natura concurrebat; vti sunt operationes illæ tactu ægrotos sanandi, vel pedibus mare ambulandi, in quibus aliquid inerat Divinum, proprium naturę Divinę, & aliquid etiam Humanum, naturæ proprium Humanæ; hæcque Sancti Maximi explicatio Catholica fuit, & à sexta Synodo approbata; nulla certè occurrit ratio, obquam non possit id ipsum de Honorio affirmari, cum vnam voluntatem in CHRISTO Domino prædicavit, esto ex volentis vnitate

ope-

operationis vnitas deducatur : vtraque enim natura non minus poterat ad eamdem volitionem, quàm ad eamdem operationem concurrere : ergo si dari miraculosam aliquam operationem, ad quam partim Divina, partimque Humana concurrebat natura, est dari in CHRISTO vnam vtriusque naturæ operationem, quin hoc Catholico sensui repugnet, iuxta Sancti Maximi doctrinam, Divo Dionysio innixam: certè estò permitteremus, Honorium concessisse in CHRISTO vnam vtriusque naturæ operationem, dummodò id de operationibus mixtis supernaturalibus intelligeretur, nõ esset propositio notà aliqua, vel censurà digna; siquidem nullam censuram, imò summam laudem, & sextæ Synodi approbationem promeruit Sanctus Maximus, cum illam *vnam Dei-Virilem operationem* à Sancto Dionysio prædicatam in isto Catholico sensu elucidavit.

645 Respondetur quintò, estò Honorius dicat: *CHRISTUM esse vnum operatorem Divinæ, atque Humanæ naturæ; * Non indè sequi, Honorium in CHRISTO vnam Divinam, Humanamque operationem (qualem Monothelitę adstruebant) admittere; ex illa enim Honorii propositione solum potest deduci, ipsum concessisse, CHRISTVM Dominum summa vnitate habuisse operationes Divino-Humanas, & Humano-Divinas.

646 Nec obstat dicere, id idem omninò videri; magnum siquidem inter vtrumque discrimen intercedit : aliud enim est, vnam solummodò vtriusque naturæ operationem confiteri in CHRISTO; aliud verò est, distinctas in vtraque natura operationes admittere, quarum quælibet sit Divino Humana, & Humano Divina. Primum est Monothelitarum hæresis, secundum verò, Sancti Ioannis Damasceni sententia, qui estô vnam operationem Divinam Humanamque inficietur in CHRISTO, aliundê tamen docet, in vniuscuiusque naturæ operatione novum quendam, ac singularem modum illuxisse, ideòque sentit Sanctum Dionysium dixisse: *Novam quandam Dei-Virilem operationem.* Hic autem novus, ac singularis operandi modus, qui in vnaqnaque CHRISTI natura enituit, in hoc præcipuê effulsit, quòd vnaquæque natura ita alteri erat vnita, vt neque Divina sine Humana, neque Humana sive Divina operaretur natura; taliter, vt quoties Divinitas Divinas operationes eliciebat, illas quidem, non seorsim ab Humanitate, sed huic summè vnita produceret; quoties verò Humanitas Humanas producebat operationes, non seorsim à Divinitate, sed huic hypostaticè vnita illas eliceret; & sicut Divinitas, vt Divinitùs, ac miraculosè operaretur, Humanitate tamquàm instrumento sibi coniuncto vtebatur, quemadmodum, & anima vtitur corpore ad operationes externas executioni mandandas, sic Humanitas Humanas CHRISTI miraculosas operationes, sine virtute Divina Divinæ naturæ, sibi intrinsecè vnitæ, non eliciebat. Vndè estò eandem operationem in vtraque natura admittere renuamus, fatemur tamen operationem vniuscuiusque naturæ esse *Divino Humanam*, quia erat effectus naturę Divinæ cum Humana natura intrinsecê copulatæ; naturęque Humanę operationem *Humano Divinam* appellamus, quia ab Humana natura, non quidem separata, sed Divinæ hypostaticè vnita procedere, Catholica Fide docemur.

647 Hanc doctrinam nobis luculentissimè tradit Sanctus IOANNES DAMASCENUS *Oratione de duabus CHRISTI voluntatibus*; explicans namque relatum Divi Dionysij textum, docet, Sanctum Dionysium, cum novam quandam *Dei-Virilem operationem* in CHRISTO asseruit, non vnam operationem, sed novum operationum CHRISTI modum significasse: *Quæcumque (inquit) humana voluntate voluit, ac egit, salus mundi fuerunt. Non enim divino more agebat divina (haud quippè Dei nudi, & sine carne, vt contactu, ac manuum extensione, miracula patraret;) nec more humano agebat humana : Nec enim ita comparatum est, vt puri hominis passiones mundo salutem allaturæ sint. Sed cum Deus esset, ac factus esset homo, novam quandam, ac inauditam actionem Dei, ac hominis dedit, divinam quidem, sed quæ humana operaretur: Humanam, sed quę divina ministraret, quæque Divinitatis sibi coniunctę signa præseferret. Quemadmodum enim ignis, & ferri diversa est natura, aliaque, & alia munera, & actiones; nequè enim ignis secat, sed incendit, ac illuminat, ea vi agendi, quam tribuit ei natura : neque rursus ferrum sic à natura comparatum est, vt vrat,

aut

aut illuminet, sed ipsum secat, ac nigrum est: cum autem ea coniuncta fuerint, coniunctè iam, ac indivisè suum munus vtrumque exequitur. Simul enim cum sectione existit vstio; igniſque, ferri adminiculo tùm incendit, tum illuminat: cum interim non vna sit naturalis actio, sed duæ; vna, ignis qua vrit, altera ferri, qua secat: ac vtriusque effectus proprius est; ignis quidem vstio, ferri autem sectio. Sic in Domino nostro IESU CHRISTO agebat vtraque natura, cum alterius communione, quod proprium erat; cum interea, nec vna duæ essent, nec duarum vna esset effectio, ac officium: sed humanæ eius naturæ divino esset liberè imperio, ac voluntati obedire, atque servire, suaque voluntate manum porrigere, & tangere puellam, obsequendo, inquam, voluntati divinæ: Deitatis autem contactu efficaci, esset suscitatio puellę. Quo circa nec Magnus Dionysius, Dei, & Hominis actionem dixit, sed simpliciter novam, id est inusitatam; vtraque enim inusitata erat, ac *Divino-Humana*; neque enim illis verbis numerum expressit, sed modum inusitatum.*

648 Respondetur sextò: estò concederemus, Honorium ex vnitate personæ operantis intulisse in CHRISTO vnam vtriusque naturæ operationem, posse adhuc Catholicè, absque vlla Monotheliſmi censura, explicari. Huius solutionis fundamentum desumitur ex Sancto MAXIMO dum Sancti Cyrilli doctrinam defendendam assumpsit. Asseruerat CYRILLUS *lib. 4. Commentariorum in Ioannem*: *CHRISTVM vnam cognatam operationem per ambas (naturas) ostendisse*. Nè autem Monothelitę prædictum Sancti Cyrilli textum pro suo errore, de vna vtriusque naturę operatione, adducerent, hincque duas CHRISTI operationes negarent; ac tandem, nè tàm pii, ac eruditissimi Patris, vti Sancti Cyrilli, Fides, ac opinio aliqua ex parte labefactaretur, Sanctus MAXIMVS *in Disputatione cum Pyrrho*, Sanctum Cyrillum ab omni, vel minima adhuc erroris suspicione vindicaturus, sensit: Non pugnare vllo modo hanc Authoritatem cum duabus operationibus, sed contrà, eas defendere: non enim dixit; *vnam naturalem operationem Divinitatis CHRISTI, & Humanitatis eius.* Si ergo hoc sufficit, vt Sanctus Cyrillus à Monotheliſmi errore iudicetur immunis; sufficiet etiam, vt ab huiusmodi hæresi immunis proclametur Honorius; in istius enim Epistolis nusquam reperitur, Honorium dixisse, aut vmquam in CHRISTO fuisse confessum *vnam voluntatem, aut vnam operationem naturalem Divinitatis CHRISTI, & Humanitatis eius.* Vndè si Sanctum Cyrillum non dixisse *vnam naturalem operationem Divinitatis CHRISTI, & Humanitatis eius*, sufficiens fuit iuxtà Sancti Maximi mentem, vt Sanctissimus iste Pater à Monotheliſmi labe diceretur immunis; idem pariter dicendum erit de Honorio, cum istum tale quid protulisse, nullibi in suis legatur scriptis.

649 Nec solùm Divus Cyrillus defenditur à S. Maximo argumento negativo, quia nempè non dixit, quòd impij Monothelitæ blatterabant, *vnam* scilicet *voluntatē Humanitatis, & Divinitatis*; sed etiam argumento affirmativo, illum à Monothelitarum errroribus immunem ostendit: quia estò affirmaverit Cyrillus: *Christum vnam cognatam operationem per ambas ostendisse naturas*; hinc tamen non deducitur, Sanctum Cyrillum cum Monothelitis aliquo modo convenisse; iudicat enim Sanctus Maximus, hanc Divi Cyrilli propositionem rectè posse in Catholico sensu explicari. Etenim quod voluit asserere Sanctus Cyrillus, dum *vnam cognatam operationem* in CHRISTO DOMINO confessus est, fuit, illam Divinam operationem, quam CHRISTVS, vti Dei Filius, habet omninò eamdem cum Patre ante Incarnationem ad opera Divina, ac miracula patranda, distinctam non esse, sed omninò eamdem cum divina operatione, quam habet post Incarnationem. Illa itaque Divina operatio, quam anté Incarnationem habet Dei Filius, post Incarnationem solùm habet, quòd per CHRISTI Humanitatem corporaliter, & visibiliter appareat; at eadem, quæ erat ante Incarnationem, est etiam post peractum Incarnationis Mysterium: hoc tamen non tollit, quòd Humanitas CHRISTI habeat etiam suam propriam, & naturalem operationem; sicut enim discurrere proprium est animæ rationalis, & operationes vitales exercere animæ vegetativæ, vtrumque autem anima medio corpore, cui vnita est, manifestat; vt videre est in Concionatoribus in suggestis, & in scientiarum professoribus in Academijs, quorum dis-

cursus, tàm prædicabiles, quàm scholastici, estò proprii sint animæ, ac intellectus, media tamen locutione corporis vniti animæ manifestantur, sicut invisibile per visibile ostenditur, iuxtà illud PAVLI *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sicut ergo (inquam) quamvis anima proprias suas rationales, intellectivas, & vegetabiles operationes medio corpore manifestet; sicut & invisibile animę per corporeum visibile conspicitur, quin hoc tollat, quòd corpus in eamdem illam actionem, qua anima suos discursus manifestat, suam etiam propriam & naturalem operationem exerceat: quia nempè estò anima intellectiva secundum id, quod suum est, ad locutionem discursivam concurrat; verùm quia ista locutio corporea est, etiam naturalis, ac propria corporis operatio est.

650 Pari modò philosophatur Sanctus Maximus, in miraculosis CHRISTI actionibus. Etsi enim actiones illæ, vt supernaturales sunt, propriæ essent, ac speciales Divinitatis Humanitati CHRISTI vnitæ; attamen hoc non officit, quin in easdem illas actiones Sanctissima CHRISTI Humanitas sua propria, ac naturali operatione concurreret, quatenus per Humanitatem actiones illę manifestabantur, vt innotuit in Leprosi emundatione, & panis multiplicatione, quam CHRISTUS sua benedictione peregit, & alijs similibus, in quibus ad eamdem miraculosam operationem concurrebat Divinitas, propria Divinę naturę operatione, quin ideò Humanitati CHRISTI sua propria, ac naturalis naturæ humanę actio ad eamdem operationem posset denegari, & quin vtriusque naturæ concursus, miraculis, & divinæ operationis vnitati obesset.

651 Pręclarè id docuit Sanctus MAXIMUS *loco suprà citato*, vbi sic scribit: *Sic Pater Cyrillus non dixit vnam operationem duarum naturarum, sed vnam operationem dixit Divinam, & Paternam, quæ essentialiter in Verbo Deo Incarnato inerat; qua non solum iussu suo, omnium rerum effectore, miracula incorporaliter faciebat, sicut ipse ait: siquidem etiam post Incarnationem habebat eamdem operationem cum Patre, incorporeè operante: sed tactu etiam propriæ carnis, hæc ipsa miracula corporaliter ostendebat; hoc enim significat, quod ait: per ambas;* vt vita redita puellæ per verbum, & iussum omnia operantem, vel aspectus cęco restitutus, vel mundatio Leprosi, vel benedictio panum, cognationem haberet secundum naturam cum operatione, per tactum corporeè consummata, vt demonstraret, carnem quoque esse vivificam, quia eius propriè erat, & non alterius propter summam cum eo vnionem. Per vtraque enim hæc: per iussum, inquam, & tactum, divina operatio in ipsis rebus apparebat, nequaquam naturalem operationem carnis naturæ nostrę humanæ, & patientem lædens, sed contrà potius eam conservans, ad propriam manifestationem.

652 Sicut & anima (prosequitur) tamquàm per instrumentum proprij corporis, & per naturalem operationem eius ea, quæ sibi propria sunt, & suam operationem naturalem profert. Extensio enim manus, & tactus, & mixtio luti manu facta, ac fractio panis, & denique id omne, quod manu, vel alio membro fiebat, naturalis operatio Humanitatis CHRISTI erat, qua tamquàm homo ipse naturà Deus operator erat, & Divina naturaliter operabatur, vt per vtraque (Divina scilicet, & Humana) vtraque secundum naturam probaret perfectum Deum, & perfectum Hominem, absque solo peccato, se verè esse ostendens. Non igitur ignoravit P. Cyrillus proprietatem præcipuam vniuscuiusque naturę, & eam, quæ alias naturales operationes comprehendit, operationem dico creatricem, & vivificatricem ex anima corpori eius impartitam, quas Verbum Incarnatum servans in se ipso sinceras, & non confusas, demonstravit.*

653 Ex dictis colligitur, quòd Divus Maximus Sanctum Cyrillum à Monotheliśmi labe vindicavit, quia estò dixerit: *vnam cognatam operationem*; non tamen asseruit: *vnam vtriusque naturæ naturalem operationem*; ex quo infert, Divum Cyrillum, dum vnam operationem in CHRISTO Domino confessus est, solum voluisse significare, CHRISTVM Dominum post Incarnationem, in suis miraculosis, ac supernaturalibus operationibus, servare adhuc vnitatem operationis Divinæ, quam habet, omninò æqualem cum Patre, Divinæ propriam omnipotentiæ; quæ quidem Divina operatio, quin in CHRISTO Domino vnitatem, quam ante Incarnationem habebat, amitteret, ad Divina miracula pa-

patranda eisdem naturalibus, ac humanitatis Christi proprijs actionibus vtebatur, vt in exemplis ab ipso allatis apertissimè constat: ambulare enim per mare, effectus est præternatulis, & Divinæ propriùs operationis, quæ quidem Divina operatio, operatione Humana CHRISTI, pedibus naturaliter peracta, vsa fuit: sic etiam miraculosa panis multiplicatio propria fuit naturæ Divinæ, quę naturalem actionem, qua CHRISTVS benedictionem multiplicandis panibus largitus est, ad eandem illam miraculosam benedictionem assumpsit: ergo estò *vnam voluntatem*, vel *vnam operationem* in CHRISTO confessus fuisset Honorius, rectè posset in eodem Catholico sensu explicari, quo Divus Maximus Sanctum Cyrillum explicuit, ita vt loquatur Honorius de vnitate operationis Divinæ in CHRISTO, quæ in effectibus supernaturalibus, & Divinis, humana CHRISTI natura, istiusque naturalibus, & proprijs actionibus vtitur, vt huiusmodi supernaturales effectus hominibus innotescant, quin miraculosę operationis vnitas impediat, quominus duæ CHISTI naturę suis naturalibus, proprijs, ac distinctis actionibus, alia nempè Diuina, alia verò Humana, ad eandem omnino operationem concurrant.

654 Respondetur septimò, quòd estò Honorius asseruerit CHRISTUM esse *vnum vtriusque naturæ operantem*, *vel operatorem*, *& Divinitús*, *atque Humanitús operatum*, exindeque oppositi Authores vnitatem inferant operationis; non indè sequitur, Honorium Monothelitarum errori subscripsisse: Catholicè enim salvari potest illa operationis vnitas in CHRISTO, cum rectè intelligi possit, vel de vnitate naturarum, quæ non nisi singulari vnione copulatę operatę sunt, vel de vnitate operationis ex parte termini, vel rei operatę; quo pacto operatio potest esse vna, & nihilominus à duabus naturis, & distinctis actionibus, Divina nempè, & humana, procedere; quod Monothelitarum errori penitùs opponitur; isti enim *vnam vtriusque naturæ* confitebantur actionem; at nos licet vnam operationem ex parte termini, vel vnum operatum fateremur, fatemur tamen, id esse per diversas actiones vtriusque naturę in vnitate personæ, vel suppositi, in operando vnitę.

655 Hæc clariùs illustrari possunt Sancti MAXIMI Doctrina, qui *Epistola ad Nicandrum* docet: vnam, & eamdem à Sancto Cyrillo vocari actionem duarum naturarum, & cognatam propter arctissimam earum vnionem, qua fit, vt quemadmodum natura hominis assumpta, sic huius actio, Divina sit, & Verbi propria. Itaque in idem opus, cuiusmodi erat mortui ad vitam revocatio, vel visus restitutio; ambæ concurrebant ab eadem persona, diversis ex principijs manantes. *Quam obrem (inquit) vnam dico eius & Sanctę carnis, & cognatam per ambo operationem monstrare, vnam quidem, vnione; cognatam verò, partibus; vtpotè quę eiusdem fuerit in omnium efficiente imperio, & tactu Sanctæ carnis. Per ambo enim, hanc operationem magnificè ostendebàt, tamquam Deus, monstrans vivificando per eam, quod ipsa caro facta est per totum vivifica: sicuti ignis per ferrum vrens, vnione sua cum ipso ferro ferrum reddit vrendi vi prędituin, vt deinceps non solius ignis secundum naturam sit adustio, sed etiam ipsius ferri propter vnionē; ac similiter Divina Verbi in miraculis operatio, non sit ipsius Verbi tantum propter naturam, sed Sanctæ carnis, propter vnionem cum ipso, secundum hypostasim. Eam enim adhibet sibi cooperariam in Divinis, vt ait Magister: sicut anima corpus suum adhibet ad perficienda opera sua.* Hæc Sanctus Maximus.

656 Ex quibus patet, Sanctum Maximum nullum reputare inconveniens, in CHRISTO Domino nonmodò vnum operantem, sed vnam etiam operationem concedere, dummodò hæc operationis vnitas denotet vnionem, qua vtraque natura ad illam operationem concurrit. Sicut enim experientia ipsa docemur, eamdem aduslionem ab igne, ignitoque ferro procedere, ab illo quidem propriè, & naturaliter, ab isto verò ob vnionem, & incorporationem, qua ignis ipsi ferro copulatur; quia estò ferrum ab igne natura differat, nec suaptè natura aduslionem possit efficere, ob vnionem tamen, ac participationem igneæ naturæ, idem effectus, eademque operatio, vtrique naturæ, ignis, & ferri tribuitur: sic etiam in CHRISTO quilibet supernaturalis effectus, vna poterat operatio appellari; quia estò à duabus naturis per diversas actiones procederet, attamen quia illæ naturę hypostaticè

ſummè erant vnitę, eumdem effectum, eamdemque operationem dicebantur efficere. Quarè eſtò admitteremus, Honorium in prędictis verbis vnum operantem in CHRISTO concedere, hincque vnam operationem deducere, nullus exinde error poſſet inferri: dummodò hęc operationis vnitas ſolum denotet ſummam illam vnionem, qua duæ CHRISTI naturæ, hypoſtaticè copulatæ, concurrebant per diverſas actiones ad omnes operationes, mirabileſque effectus, quibus CHRISTVS ſe & verum Deum, & verum hominem oſtendebat, iuxtà relatam Sancti Maximi doctrinam.

657 Si tamen vrgeas contra Honorium, ipſum confiteri, *vbi ſuprà*: *Dominum IESUM CHRISTVM operatum Divina, media Humanitate Verbo Dei naturaliter vnita;* quibus verbis innuere videtur, perſonam Divinam eſſe principale agens, Humanitatem verò ſolum inſtrumentum, ac per conſequens vnam tantum in CHRISTO dari vtriuſque naturæ operationem, cum inter cauſam principalem, & inſtrumentum, non niſi vna à Theologis operatio agnoſcatur: Reſpondetur, id nullius eſſe momenti, nam eſtò Verbum Divinum ſua operatione Divina ſit principale operans, & CHRISTI Humanitas ſolum ſit inſtrumentum coniunctum, atque adeò CHRITI Humanitati, quatenus vt inſtrumentum perſonalitatis Divinæ operatur, non niſi vna concedatur operatio, hoc tamen non tollit quin CHRISTI Humanitas ſecundum ſuam propriam formam, & naturam Humanam, habeat etiam propriam operationem à Divina eſſentialiter diſtinctam; idque ſignificare voluit Honorius verbis ſuprà relatis.

658 Fundatur hæc ſolutio in ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina, qui 3. *part. quæſt.* 19. *art.* 1. explicans Sancti Dioniſii textum, relato Honorii longè difficiliorem, cum in illo Divinam, Humanamque operationem expreſsè prædicet Dionyſius, hoc ſibi argumentum opponit: *Dicit enim Dionyſius *in* 2. *cap. de Divinis nominibus*: Diſcreta autem eſt benigniſſima circa nos Dei operatio, per hoc, quòd ſecundum nos ex nobis integrè, verèque humanatum eſt Verbum, quod eſt ſecundum ſubſtantiam, & operari, & pati quæcumque humanæ eius Divinęque operationi congruunt. Vbi vnam operationem nominat, & Humanam, & Divinam, quę in Græco dicitur *Theandrica*, id eſt, *Dei-Virilis*. Videtur igitur eſſe vna operatio compoſita in Chriſto.*

659 Huic argumento DIVVS THOMAS ſatisfacturus, vtitur quadam Doctrina, quæ pro diluenda obiectione nobis propoſita haùd parum conducit: etenim *in corpore articuli* poſtquam retulit Monothelitarum errorem à VI. Synodo damnatum, qui eſtó Verbum Divinum eſſe vnum operans, & diverſa Divinitùs, & Humanitùs operatum aſſererent, duas tamen in CHRISTO naturas operantes, & diverſis operationibus operatrices negabant, ſubdit: *Sed in hoc decipiebantur, quia actio eius, quòd movetur ab altero eſt duplex: vna quidem, quam habet ſecundum propriam formam, alia autem, quam habet ſecundum quòd movetur ab alio: ſicut ſecuris operatio ſecundum propriam formam eſt inciſio, ſecundum autem quòd movetur ab artifice, operatio eius eſt facere ſcamnum. Operatio igitur quæ eſt alicuius rei ſecundum ſuam formam, eſt propria eius, nec pertinet ad moventem, niſi ſecundum quod vtitur huiuſmodi re ad ſuam operationem: ſicut calefacere eſt propria operatio ignis, non autem fabri, niſi quatenus vtitur igne ad calefaciendum ferrum. Sed illa operatio, quæ eſt rei ſecundum quòd movetur ab alio, non eſt alia prętet operationem moventis ipſam: ſicut facere ſcamnum non eſt ſeorſum operatio ſecuris, ab operatione artificis; ſed ſecuris participat inſtrumentaliter operationem artificis; & ideò vbicumque movens, & motum habent diverſas formas, ſeu virtutes operativas, ibi oportet, quòd ſit alia operatio moventis, & alia operatio propria moti, licet motum participet operationem moventis, & movens vtatur operatione moti, & ſic vtrumque agat cum communione alterius.

660 Sic igitur (proſequitur) in CHRISTO Humana natura habet propriam formam, & virtutem, per quam operatur, & ſimiliter Divina. Vndè Humana natura habet propriam operationē, diſtinctam ab operatione Divinæ, & è converſo: & tamen Divina natura vtitur operatione naturæ humanæ, ſicut operatione ſui inſtrumenti: & ſimiliter Huma-

na

na natura participat operationem Divinæ naturæ, sicut instrumentum participat operationem principalis agentis. Et hoc est, quod dicit Leo Papa in Epistola ad Flavianum: Agit vtraque forma (scilicet, tam natura Divina, quàm Humana in CHRISTO) cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est.*

661 Hac igitur doctrina suppositâ ipse DIVVS THOMAS, argumento à Divi Dionysii authoritate desumpto, quo nempè vna tantummodò vtriusque naturæ, Divinæ scilicet, & Humanæ, operatio videbatur probari, his satisfacit verbis: *Ad primum dicendum, quòd Dionysius ponit in CHRISTO operationem Theandricam, id est Divinam-Virilem, vel Divinam-Humanam, non per aliquam confusionem operationum, seu virtutum vtriusque naturæ; sed per hoc, quòd Divina operatio eius vtitur Humana, & Humana eius operatio participat virtutem Divinæ operationis. Vndè sicut ipse dicit in quadam Epistola ad Caium: super hominem operabatur ea, quæ sunt hominis; quod monstrat Virgo supernaturaliter concipiens, & aqua instabilis terrenorum pedum sustinens gravitatem. Manifestum est enim, quôd cõcipi, est Humanę naturę, similiter & ambulare; sed vtrumque fuit in CHRISTO supernaturaliter. Et similiter Divina operabatur Humanitas: sicut cum sanavit leprosum tangendo.

662 Vndè (prosequitur) in eadem Epistola subdit: Non secundum Deum, Divina faciens, non Humana secundum hominem; sed Deo homine facto, nova quadam Dei, & hominis operatione. *Quibus verbis videtur Sanctus Dionysius vnam in CHRISTO Divinam Humanamque operationem fateri. At Sanctus Thomas, Divum Dionysium explicans respondet: non ideò duas in CHRISTO operationes à Sancto Dionysio fuisse negatas. Angelici Doctoris verba audiamus: * Quod autem intellexerit duas esse operationes in CHRISTO, vnam Divinę naturæ, aliam autem Humanę, patet ex his, quæ dicit *in 2. cap. de Divinis nominibus*, vbi dicit, quòd his, quę pertinent ad Humanam eius operationem, Pater, & Spiritus Sanctus nulla ratione communicant, nisi quis dixerit secundum benignissimam, & misericordem voluntatem, in quantum scilicet Pater, & Spiritus Sanctus ex sua misericordia voluerunt, CHRISTVM agere, & pati Humana. Addit autem, & omnem sublimissimam & ineffabilem Dei operationem, quam homo pro nobis factus adimplevit immutabilis profectò Deus, & Dei Verbum. Sic igitur patet, quòd alia est operatio Humana, in qua Pater, & Spiritus Sanctus non communicant, nisi secundum acceptionem misericordiæ suæ, & alia est eius operatio in quantum est Dei Verbum, in qua communicant Pater, & Spiritus Sanctus.* Hæc Sanctus Thomas.

663 Nec vrget dicere, vnam esse operationem agentis, vel causæ principalis, & instrumenti, vel causę instrumentalis: cumque Verbum Divinum, vti causa principalis Humanitate CHRISTI, istiusque Humanis operationibus tamquàm instrumento vteretur; necessario videtur dicendum, in CHRISTO vnam fuisse Divinitatis, & Humanitatis operationem. Non, inquam, obstat; huic enim instantiæ plenissimè satisfacit ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina *in prædicto Articulo ad secundum* sic scribentis: * Instrumentum dicitur aliquid agere ex eo quod movetur à principali agente, quod tamen præter hoc potest habere propriam operationem, secundum suam formam, vt de igne dictum est. Sic igitur actio instrumenti, in quantum est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis: potest tamen habere aliam operationem prout est res quædam. Sic igitur operatio, quę est Humanę naturę in CHRISTO, in quantum est instrumentum Divinitatis non est alia ab operatione Divinitatis: non enim est alia salvatio, qua salvat Humanitas CHRISTI, & Divinitas eius; habet tamen Humana natura in CHRISTO, in quantum est natura quędam, quandam propriam operationem prętet Divinam, vt dictum est.*

664 Ex quibus manifestè infertur, quòd estò Honorius dixerit: * Dominum IESUM CHRISTUM operatum Divina media Humanitate, Verbo Dei naturaliter vnita; * & in his Verbis Humanitatem tamquam Divinitatis instrumentum acceperit; indè tamen non deducitur, vnam tantum esse in CHRISTO Domino operationem; quia, vt rectè probat

bat ANGELICVS DOCTOR, causis instrumentalibus præter operationem instrumentalem, ad quam à causa principali motæ concurrunt, propria correspondet operatio, iuxtà specificam illarum formam, propriamque naturam. Quarè Humanitas CHRISTI, estò illam accipiamus, vt instrumentum Divinitatis operantis in illa, non ideò sua destituitur operatione, Humanę ipsius naturę propria, & à Divina operatione distincta, quæ sibi secundum suam Humanam naturam competit, imo & quasi suo iure debetur, vt ex Angelici Præceptoris Doctrina in locis suprà relatis probavimus; qui id ipsum tradit. 3. *part. quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 3. & *quæst.* 13. *art.* 2. in *corpore*; & *quæst.* 18. *art.* 1. *ad* 2. pluribusque aliis in locis, quos brevitatis gratia omittimus.

CAP. XIII.

QVINTVM ARGVMENTVM pro Honorii damnatione adductum dissolvitur, & iustam non fuisse probatur.

665 OBijcies 5. cum aliquibus Neotericis: Honorium estò piè defendi possit vt Catholicus, in suarum Epistolarum doctrina, iustè fuisse, non tamquam hæreticum, sed tamquam hæreticorum fautorem à VI. Synodo damnatum; vt tenet M. ALEXANDER *sæculo* 7. *Dissert.* 2. *conclusione* 2. & AVTHOR HISTORIÆ MONOTHELITARVM, Parisiis editę *anno* 1679. qui *Scrutinio* 5. §. 1. Honorii Epistolas ab errore Dogmatis vindicat; & tamen *Scrutinio* 7. per totum, iustè à VI. Synodo proscriptum fuisse contendit.

666 Respondetur: duas illas propositiones, quarum vna defendit Honorium vt Catholicum, illiusque doctrinam, vti Orthodoxam propugnat; alia verò tuetur Honorium, illiusque Doctrinam iustè fuisse à VI. Synodo condemnatam, nullatenus sibi posse cohęrere, vt ex sequentibus rationibus perspicuum fiet.

667 Primò: quia celebriores vtriusque Iurisprudentiæ Authores, præstantissimique Theologi, suprema Sacrorum Canonum, Sacratiorum Conciliorum, Sanctorumque Patrum Authoritate suffulti vnanimi consensu tuentur, nullum Pontificem posse ab aliquo Concilio, non modò damnari, sed nè quidem iudicari, nisi in expresso casu hæresis ab Ecclesia damnatæ, si legitimum Pontificem esse constet, aut in casu schismatis, cum de legitima Pontificis electione ambigitur. Atqui Honorius legitimè fuit in Pontificatum assumptus, & vt talis à tota Ecclesia admissus, & vt Catholicus toto sui Pontificatus tempore habitus, illiusque doctrina à laudatis Authoribus vti verè Orthodoxa suscipitur, & propugnatur: ergo nullum adest fundamentum, quo adstruatur, eum iustè fuisse à sexta Synodo condemnatum. De consequentia non ambigitur, si de præmissarum veritate constet.

668 Quoad primam ergo, nullum nempè Pontificem posse ab aliquo Concilio, estò OEcumenico, in aliquo casu, excepta hæresi, non modò condemnari, verum nec iudicari quidem, id eleganter tradit Cardinalis IACOBACIVS, *lib.* 9. *de Conciliis* (vt latè suprà probavimus) vbi inquirit: Ex quibus causis possit Papa deponi? Et primò de hæresi propriè loquendo, doctissimum Ægidium secutus, sentit, in nullo casu Concilium habere authoritatem de legitimo, ac vero Pontifice iudicandi: sic enim scribit: *Et ideò dicit (Ægidius *apud Iaco.*) quòd in nullo casu imaginabili, & ex nulla causa possibili, quantumcumque magna Papa, quamdiu est verus Papa, potest per quemcumque deponi, vel eijci.

669 Hanc etiam conclusionem reperio (prosequitur Iacobacius) per omnia positam in quibusdam Allegationibus factis pro Eugenio, quæ incipiunt: *Et si plurimi*; cuius Authorem ignoro; credo autem, quòd sint Petri de Monte; & probat per verba textus *dicti capitis*: *Nunc autem* 21. *dist. in pluribus partibus*; & *cap. Nemo.* 9. *quæst.* 3. & authoritate Sancti Thomę *in* 4. *sent. dist.* 39. *in quæst. de fraterna correctione.* Ad quod facit, quod dicit Baldus *in lege. Rescrip. C. de precibus Imperat. offer.* Vbi dicit: Quòd Papa à nemine cogitur, etiam si dicatur hæreticus; allegat. 22. *dist. cap. Qua traditione.* Et facit quod ponit Albericus de Rosate *in Rubrica de Hæreticis* in illa quæstione: Vtrum Hæreticus possit capi propria authoritate? *

670 Id ipsum confirmat ipse Cardinalis, vbi hæc habet: * Et ideò videtur concordare cum opinione illorum, qui voluerunt,

luerunt, quòd non sit dare casum, quo Papa, existens Papa, possit per aliquem (ne per Concilium quidem) damnari, vt refert Ægidius in *dict. cap. Electionem. 79. dist.* Quam opinionem reperio tenere Petrum de Palude *in tract. de Potest. Papæ*; qui voluit, quòd quamdiu manet Papa, cum sit maior Concilio Generali, & sit Vicarius Dei, etiam pro hæresi non potest à Concilio, nec à toto Orbe deponi.*

671 Hanc eandem sententiam sequitur idem Cardinalis, dicens: *Ad quod facit, quòd Prælatus hæreticus, quamdiu non est in notorium deductum quòd sit hæreticus, quidquid facit valet. 24. quæst. 1. in summa.* Facit quod dicitur *in l. Barbatius, ff. de Offic. Præto.* & *cap. Ad probandum: de re iudic.* Item per Prælatum hæreticum acquiritur Ecclesiæ, vt dicit Glossa *in cap. 1. de Schisma.* Item: si à Concilio Generali posset Papa pro hæresi deponi, sequeretur inconveniens, quòd ipse qui est Vicarius CHRISTI, & supremus in Ecclesia Militante, iudicaretur ab inferiori contrà notata *in cap. cum inferior. de maior. & obed.** Et sic concludit: * Et pro certo ista videtur vera opinio; quia quamdium manet Papa, non potest ab aliquo iudicari, quoniam non habet maiorem in mundo supra se, vt dict. *cap. Nemo 9. quæst. 3.**

672 Cum igitur Honorius ad extremam vsque vitæ periodum verus, & legitimus Pontifex extiterit, & vt talis à toto Christiano Orbe susceptus fuerit, ac veneratus, quin toto vitæ suę tempore leviſſima adhuc hæreseos suspicione notaretur, nec constet illum de Doctrina non Catholica fuisse accusatum, certè non potuit procedere Concilium contra Doctrinam, quam vivens, vti legitimus Pontifex docuit, ac toti Ecclesię tradidit, ob rationes, & momenta à nobis hucvsque adducta; cum nulla sit in Ecclesia superior Authoritas, quæ de veri, ac legitimi Pontificis factis possit cognoscere.

673 Pro maiori prędictæ veritatis munimine, operæpretium duximus adnotare, ipsius Cardinalis Doctrinam, qui prędarè, ac ingenti Authoritatum pondere probat, Concilium ob defectum Authoritatis in nullo casu, excepto hęreseos crimine, posse de Pontifice iudicium, ac Sententiam ferre. Id docet prędictus Cardinalis *lib. 9.* iam citato, vbi dirimens hanc controversiam: *An Concilium possit iudicare Papam, & in quo casu?* hæc scribit: *Ex quibus concluditur, quòd Papa pro crimine quocumque, etiam notorio & scandalizante Ecclesiam, & de quo est incorrigibilis, modò non sit crimen hæresis, non potest deponi. Et vltrà prędictos Doctores suprà pro ista parte adductos, alios idem tenentes adducit Cardinalis de Turrecremata *in 2. lib. cap. 93. in fine*: videlicet Hugonem de Sancto Victore, dictum Albertum, Alexandrum de Ales, Bonaventuram, Petrum de Tarantasia (videlicet Innocentium V. Ordinis Prædicatorum) Ulricum, Richardum de Media villa, Petrum de Palude, Patriarcham Hierosolymitanum (Ordinis Prędicatorum) Herueum (Magistrum Generalem eiusdem Ordinis) & Alexandrum de Alpidio *in Tractatu de Ecclesiæ potestate*: item Innocentium, Hostiensem, Ioannem Andream, Guidonem, Archidiaconum, qui omnes volunt, Papam verum, & indubitatum extra casum hæresis, strictissimè sumptę, nullum in terris iudicem habere superiorem, sed tantum Deum in cælis, cuius vices ipse gerit in terris.*

674 Prosequitur ibi ipse Iacobacius, probans, istam esse communem præstantissimorum Theologorum, celebriorumque Canonistarum Sententiam: *Et si benè (inquit) advertatur, ista est communis omnium scribentium opinio (Quidquid dixerit Decius *in quodam suo Consilio noviter impresso, num. 151.* incipiente: *Maximi ponderis.*) Et quòd ista sit communis, vltra alios suprà adductos, tàm Theologos, quàm Canonistas, etiam ostendunt omnes præcipui Doctores Canonistę, cum dicunt, quòd Papa non potest ab aliquo iudicari, nisi pro hæresi: vt voluerunt maximè Innocentius *in cap. Ex parte, de verbor. signif.* Ioannes Andreas, Antonius, & Cardinalis, & idem Ioannes Andreas post Hostiensem, & Antonium de Butrio Cardinalem, & alij *in cap. Proposuit, de Concess. Præbend.* Et aliqui idem replicant *in cap. Licet, de Electione*: & *in cap. In fidei, de Hæreticis, in 6*: Et licet non ponant istam quæstionem in forma (videlicet: quid, quando Papa est incorrigibilis de crimine notorio scandalizante Ecclesiam?) tamen rectè intuenti hoc volunt, ex quo excludunt omnes alios casus, & tantum casum

hæresis

hæresis possunt, in quo possit procedi contra eum.* Idipsum iam latè probaverat idem Iacobacius *in eod. lib.* concludens, Pontificem nullo de crimine, excepta hæresi, ab aliquo terreno iudice posse iudicari: *Ergo sequitur (inquit) quòd non potest ob quodcumque crimen â quoquam deponi, preterquam in casu hæresis, per dictum *cap. Si Papa*: & est bona Glossa *in cap. 1. de Renunt. in 6. in verbo Insufficientem.* Et sic nec à Concilio: quod & probat textus *in dicto cap. Sacrosancta*, 22. *distinct.* * Et ratio, qua ad id asserendum prædicti Authores moventur, est, quia in nullo casu, nequè in vllo crimine, hæresi excepta, datur in Ecclesia, avt in Concilio, Authoritas, quæ de verò, ac legitimo Pontifice possit iudicare: cumque adhuc ipsi Authores, qui Honorium iustê fuisse à VI. Synodo damnatum asseverant, affirment, eum hæreseos crimine extitisse indemnem, cum illius Doctrinam Catholicam esse fateantur, vt postea probabimus; hinc nec potuit VI. Synodus, nec Authoritatem sufficiẽtem habuit, vt iustè ab ea damnaretur Honorius.

675 Hanc veritatem confirmamus egregia Cardinalis TVRRECREMATA Authoritate, qui *lib. 2. de Ecclesia, cap. 93.* pro conclusione statuit: *Quòd Romanus Pontifex, extra casum hęresis, non habet iudicem superiorem in terris.* Quam quidem Assertionem tum ratione, tum Authoritate ex Sacra Scriptura, Conciliis, & Sanctis Patribus desumpta eleganter confirmat. Et licet Scripturę Sacrę, Conciliorum, Sanctorumque Patrum testimonia, ab ipso adducta, nunc missa faciamus, quia ea alibi iam retulimus, omittere tamen non possumus verba, quibus sic concludit: * Qua sententia, tantis, & tam irrefragabilibus testimoniis firmata, manifestè convincitur adversariorum præsumptuosa assertio, qua contra rationes manifestas, contra Sanctorum Patrum Traditiones, contra Sanctorum Conciliorum, & Apostolicæ Sedis Definitiones, nec non contra clarissimorum Doctorum, ac prȩcipuorum in tota Dei Ecclesia sententias dogmatizare non sunt veriti, Romanum Pontificem verum, & indubitatum, extra casum hæresis, pro quocumque peccato mortali, de quo incorrigibilis apparet, hominum subiacere iudicio.*

676 Huic sententiæ subscribit doctissimus Pater PAVLVS FABULOTVS *in tractatu de Potestate Papæ supra Concilium* inserto *in Apparatu ad Concilia Generalia Philippi Labei*: Etenim *in notabili 6.* statuit, Pontificem propter nullum aliud crimen, nisi propter hæresim, posse à Concilio aliquo iudicari, quia ita docet communis Theologorum, & Canonistarum consensus. * Supponendam, inquit, esse communem doctrinam, quam tradit Alvarus Pelagius *lib. 1. de Planctu Ecclesiæ, cap. 4.* Augustinus Triumphus, *lib. de Potest. Eccles. quæst. 5. art. 4.* Turrecremata, *lib. 2. summæ de Ecclesia, cap. 97. & sequent.* Paludanus *de Potestate Papæ*, Caietanus *de Authoritate Papæ, & Concilii, cap. 26. & 27.* Armilla *Tit. Papa*: Nullum Pontificem propter aliud crimen deponi posse, nisi propter hęresim; Id quod expressum habemus *in cap. si Papa. dist. 40.* Si Papa, inquit, suæ & fraternę salutis negligens deprehendatur, &c. Et *infrà*: Cuius culpas ipsum redarguere præsumat mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur â Fide devius, &c. Et *cap. Præsul. causa 2. quæst. 5.* Vndè Alvarus Pelagius *lib. 1. de Planctu Ecclesiæ cap. 34.* cum docuisset, Papam à nullo in terris posse iudicari, &c. *

677 Prætereunda non est doctissima, ac verissima sententia Illustrissimi Toletani Antistitis D. Fr. BARTHOLOMÆI DE CARRANZA, è præclaro Ordine Prædicatorum *in Tractatu de Authoritate Pontificis, & Conciliorum* qui *in Apparatu novæ Conciliorum Editionis* etiam extat transcriptus. Ibi quȩstionem istam exagitat: * An Romanus Pontifex possit iudicari, sive rei personam sustinere in Concilio, aut in Ecclesia, sive Cõgregatione aliqua Fidelium, vt volunt nunc Lutherani, & instanter petunt?*

678 Et respondet, esse contra omne ius naturale, & Divinum, subditos de superioribus iudicare. * Hoc primùm, inquit, videtur contra ipsam rerum naturam, Oves in Pastorem suum posse sibi præsumere Authoritatem iudiciariam, & subditos in Principem sibi Divinitùs constitutum esse superiores, qui solum Dei, & CHRISTI (cuius inter nos agit Vicarium) videtur Iudicio subiectus; & ideo

cius

eius solius reservandus Tribunali.*

679 Aliqui ex his, qui Constantiensi Concilio, *Sessione* 4. & 5. & Basileensi Synodo ad fuerunt, conati sunt intrepidè defendere, Concilium habere authoritatem supra Pontificem, modo quo *in lib. de Authoritate Papæ supra Concil.* explicabimus; alii verò quamvis tueantur, Papam esse Supremum Ecclesiæ caput, cui, vti supremo iudici omnes Fideles iure Divino subjiciuntur; dubitant tamen, an ab ista generali regula aliquis casus excipiatur: vt si Pontifex scandalizaret Ecclesiam, esserque incorrigibilis, vel hæreticus? Illustrissimus Carranza, referens Canonistarum, aliquorumque Theologorum sententiam sic scribit: *Canonistarum vna est & communis sententia, in casu hæresis Papam subesse humano iudicio. Fundamentum sumunt *ex cap. Si Papa* 40. *dist.* in quo dicitur: Cunctos iudicaturus est ipse à nemine iudicandus, nisi deprehendatur à Fide devius, &c. Canonistis sufficiens argumentum est (ait) quòd Gratianus in suum volumen Decretorum illud inserit, vndecumque sit desumptum; Theologorum maxima pars amplexa est hanc sententiam.*

680 Licet autem inter Canonistas, ac Theologos communis sit huius casus exceptio, sententiaque tenens, solius hæresis causa posse Concilium de Pontifice decernere: tamen non parum infert difficultatis, prædictum textum, è Iure positivo desumptum, posse exceptionem adhibere legi superioritatis, supremæque Pontificum in vniversa Ecclesia Authoritatis, quæ de Iure Divino est. Quia igitur Illustrissimus Carranza hac de re pereruditè disserit indignum duximus, rationum, quibus hanc stabilire conatur propositionem, efficaciæ aliquid subtrahere. Asserit enim: *Putaverunt (Theologi) levius esse fundamentum istud, quo nituntur Canonistæ ad tantam Assertionem: ideòque aliud altius ex Iure divino petendum, optimo iure existimarunt.

681 Quoniam si (prosequitur) ex Iure divino, Petro, & Successoribus illius, datam supremam iurisdictionis Authoritatem supra vniversam CHRISTI Ecclesiam, demonstratum est: ergo si aliquo casu, vice versa, Successor Petri fiat Vniversali Concilio subiectus, Iuris Divini dispositione id fieri oportet; quoniam contra dispositionem Iuris divini nihil potest humana exemptio. Sed nulla est dispositio Iuris divini circa hoc: ergo in nullo casu iudicandus est ab Ecclesia Papa. Quis ergo suo sensu citra Iuris divini Authoritatem potest excipere casum aliquem, etiamsi alicui videatur maximè rationi consentaneus?*

682 Omissa tamen ratione, quę in dogmaticis quęstionibus minoris est efficaciæ quã Authoritas, censet idem Illustrissimus Carranza exceptum fuisse à Theologis, ac Canonistis hæresis casum, vt in ipso Concilium possit de Pontifice iudicium ferre. *Casum prædictum hęresis, inquit, omnes, tàm Theologi, quàm Canonistæ meritò putant esse exceptum, vt non obstante iurisdictione Præsidis supra Ecclesiæ membra occurrente tamen eo casu, Ecclesiæ, & Vniversalibus Concilijs competat iurisdictionis Authoritas in suum Præsidem, cui aliòqui subjiciatur.* Solum restat difficultas: an extra casum hæresis alius occurrere possit, in quo Concilium Authoritatem habeat supra Papam? Cui difficultati satisfacit, idem Illustrissimus Antistes, cum magna Theologorum copia: *Quòd non est alius casus, in quo in Episcopum Romanum competat alicui aliqua iurisdictionis Authoritas.* Et ratio est evidens: nam de Iure divino habent Pontifices, vti Divi Petri Successores, quod sint suprema Capita, superiores, supremique Ecclesiæ Prælati, quibus omnes Fideles subiecti sint, quibusque in omnibus, semota cuiuslibet casus exceptione, debent obsequi iuxta illud 1. *Petri* 2. vbi præceptum est, vt vniversi CHRISTI fideles suis Prælatis obediant, etiam dyscolis; & Dominus in Evangelio dicit *Matth.* 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia quæcumque dixerint vobis, servate, & facite.*

683 Prosequitur idem Illustrissimus Antistes, admirans illorum Authorum præsumptionem, qui censent, Concilia in aliquo casu præter hæresim, supra Pontificem habere potestatem, cum ipsam non habeant Scripturæ, Ecclesiæ, vel Pontificis Authoritate stabilitam. *Qui verò, inquit, Ecclesiæ nomine in Conciliis arrogant sibi iudiciariam Authoritatem in Vniversalis Ecclesiæ Principem, & Pa-

florem, nescio cuius personam assumunt, nisi Cham, qui visis, & non coopertis verendis patris sui, maledictionem meruit accipere. Quantò magis merebuntur tales accipere, qui non solum vident, sed etiam scrutantur? Vniversalia Concilia quo titulo possunt præsumere iudiciariam Autoritatem in suum caput, & Vicarium CHRISTI, non satis intelligo.

684 Primùm: (prosequitur) suo nomine non possunt; quoniam in Scripturis nullum est verbum, quod propriè de eis, aut eorum Authoritate loquatur. Secundò: nec nomine Vniversalis Ecclesiæ, à qua nullam commissionem proferre poterunt. Tertiò, ostendimus omnem Conciliorum Authoritatem dependere ab Authoritate Sedis Apostolicæ, & Romani Pontificis, quæ si desit, aut resistat, non iam Concilia, sed conspirationes; & illicitos conventus, & nullius omnino momenti esse, ex prædictis perspicuum est.*

685 Et omissa Conciliorum Authoritate, quam pro ista doctrina stabilienda adducit, sic concludit: *Ex omnibus prædictis colligitur, nullum esse criminis casum, in quo Ecclesiæ Vniversalis Pastor iudicari, aut deponi possit ab vllo Episcoporum Concilio. Casum tamen hæresis omnes excipiunt.* Vnde convincitur, in nullo casu, hæresis tantum excepto, posse Concilium aliquod, Authoritatis aliquid sibi arrogare iudicandis, condemnandis ve Pontificibus.

186 Quoad secundam propositionem, in qua immunem Honorium ab hæresi Monothelitarum, Epistolarumque ipsius doctrinam Catholicam esse censendam asserimus, sic ex ipsorum, quibus modò respondemus, Authorum doctrina probabitur.

187 Primò. Magister NATALIS ALEXANDER *Sæculo 7. Dissertat. 2.* hanc 3. conclusionem statuit: *Honorius ab Hæresi, tàm verè excusatur, quàm piè.* Et prædictam Conclusionem sic roborat: *Honorii Epistolæ Catholico sensu explicari possunt, prout eas expositere Viri maximi, quorum in Ecclesia veneranda est Authoritas. (Et *paulò infra*:) Quamobrem Honorius ab hæresi piè excusatur, & verè.* Huic doctrinæ stabiliendæ Ioannis IU. Pontificis, Sancti Maximi, aliorumque graviorum Scriptorum Authoritates adhibet. Tandèm cuidam argumento, contra Honorii fidem facto satisfaciens, sic loquitur: *Sanctus Cyrillus dixit *Vnam naturam Verbi Incarnatam*; eademque verba Eutychiani vsurparunt: sed alio planè sensu. Ita Honorius cum Sergio, Cyro, & Macario Monothelitis locutus est; sed mente Catholica, & sensu ab eorum errore penitus alieno: siquidem absolutè duas voluntates CHRISTI non negavit, sed voluntates pugnantes, vt suprà ostendimus.*

688 AVTHOR verò, HISTORIÆ MONOTHELITARVM, qui etiam Honorium iustè fuisse damnatum à VI. Synodo defendit, similitèr fatetur, ipsum ab hæresi immunem; ipsiusque Doctrinam Catholicam fuisse; vt videre est *Scrutinio.* 5. Vbi de Honorio loquens asserit: *Honorii Doctrinam Catholicam esse, longêque alienam à Monotheliticis deliramentis, hoc est (vt verbis vtar Sancti Maximi in Epistola ad Marinum) Honorium Romanum Papam non differi naturalitèr in CHRISTO voluntatum dualitatem, sed hanc potius constabilire.*

689 Et *infrà* id ipsum confirmans sic scribit: *Hoc ergo solum nobis erit enixè probandum in hoc Scrutinio, scilicet Honorianas Epistolas dêpta præcisè, vt vocant, explicita geminę voluntatis, & operationis appellatione, doctrinam omnem Sancti Leonis, Concilii Chalcedonensis, & Sanctorum Patrum exhibere, ac proinde Catholicas esse, & Orthodoxas.*

690 Nec minus Catholicum Honorium, & à Monothelismo penitus alienum propugnat, §. 2. *eiusdem Scrutinij* 5. memorans quod in VI. Synodo peractum fuit cum Patriarcha Macario, qui duas in CHRISTO voluntates, & operationes, impijssime negabat, contendens suum errorem in Sanctissimis Concilijs inniti. Cumque VI. Synodus iussisset, vt Chalcedonense Concilium legeretur, deveniente illius Synodi Notario ad Sancti Leonis Papæ Epistolam, eamque relegente, notatu valdè dignum est, quod Apostolicæ Sedis Legati pro Catholico Honorij sensu exclamarunt. *Et accipiens (inquiunt VI. Synodi ACTA) Antiochus religiosus Lector, & Notarius Sanctissimi Patriarchæ Constantinopoleos primum Librum Sanctæ Chalcedonensis Synodi relegit. Et relegente eo Epistolam, quæ in eis continetur

tur Sanctę memorię Papę Leonis, magnæ Civitatis Romæ, & veniente ad textum, in quo scriptum est: *Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit; Verbo quidem operante, quod Verbi est; carne autem exequente, quod carnis est; & horum vnum coruscat miraculis, aliud verò succumbit iniuriis.* Exurgentes, qui ex parte Apostolicæ Sedis erant antiquæ Romę, exclamarunt: Ecce, Benignissime Domine, manifestè duas naturales operationes inconfusè, & indivisè in Domino nostro IESU CHRISTO præsens Sanctissimus prædicat Pater.*

691 Ex his verbis infert prædictus HISTORIÆ MONOTHELITARUM AUTHOR, Honorium expressiùs, quàm Sanctum Leonem, de duabus CHRISTI voluntatibus fuisse loquutum: *Sistas (inquit) hìc aliquantulum, Lector, & tibi paucis ostendero, Honorium in hoc puncto lōgè clarius efficaciusque fuisse loquutum, quàm Sanctum Leonem. Quid in Leone occurrit expressum, quod in Honorio longè clariùs non inveniatur expositum?

692 Si legas (prosequitur) ex illo, quòd in CHRISTO *agit vtraque forma, cum alterius communione*; legam & ex isto, quòd in eodem *vtraque natura cum alterius communione operatur.* Si reponas ex vno, Verbum operari, quod Verbi est; carnem exequi, quod carnis est; reponam & ex altero: Divinam naturam in CHRISTO operari, quæ Dei sunt; humanam exequi, quæ carnis sunt. Quinimo subdam (inquit idem Author) Honorium, vt longè recederet ab Eutychianismo, & Nestorianismo, addidisse: Non divisè, neque confusè eas operari: quæ verba non ita promptè reperies in adductis ex Sancto Leone. Quanto igitur potiori iure potuerim cum Legatis Apostolicis exclamare: Ecce, veritatis amator, manifestè duas naturales voluntates, & operationes Sanctissimus prædicat Honorius?*

693 Idipsum confirmat idem Author, loquens enim de Honorio, hæc scribit: *Hìc iterum fas est sistere tantisper, ac obiter evolvere, quàm consona sit confessioni Agathonis, Doctrina Honorij. Nefas est, & indignum viro Christiano dubitare, Honorium suspicatum, vel leviter fuisse de duplici CHRISTI Domini natura. Vlteriùs apertum est, eumdem Honorium non minus, ac Sanctum Agathonem manifestè fassum, vtramque naturam operari quæ propria sunt, iuxta ea, quę §. antecedenti ponderavimus.

694 Quid ergo supererat ab Honorio palàm profitendum, vt eadem, quæ docuit Sanctus Agatho, edoceret? An fortè decernendum supererat, mansisse in CHRISTO duplicem proprietatem naturarum? Profectò non semel, sed bis hoc ipsum fassus est Honorius. Ecquid enim aliud sibi vult frasis Honorij: Divinam naturam in CHRISTO operatam esse, quæ Dei sunt, & Humanam, quę carnis sunt; nisi vtramque naturam operatam esse proprias operationes? Rursus, quid aliud præseferunt verba illa. Oportet, ipsas duas naturas (id est Divinitatis, & carnis assumptæ) in vna persona vnigeniti Dei Patris inconfusè, indivisè, atque inconvertibiliter nobiscum prædicare, propria operantes; nisi quòd in CHRISTO remanserint post vnionem, vtrarumque naturarum proprietates?*

695 Et infra. *Vides, inquit, quàm benè invicem cohæreant Agathonis confessio, & Honorii Doctrina? (Et *infrà*:) Quonam igitur iure sugillabimus Honorium, vt Monothelitam, cum & ipse dissertè fateatur, mansisse in CHRISTO post vnionem, & naturarum proprietates, & differentias earumdem quas opus est penitùs amputare qui duas à CHRISTO voluntates explodit, vt inculcat eruditè Maximus Aquileiensis Episcopus *in Lateranensi Concilio Secret.* 1.*

696 Tandem ipse Author, postquam Honorii Doctrinam, cum Sancti Leonis Papæ Doctrina contulit, censet Honorium idem cum Sancto Leone sensisse; illiusque Doctrinam, Catholicam existere. *Quam obrem, inquit, firmitèr asseruerim, Honorii Doctrinam in omnibus vnanimem esse cum principiis Sancti Leonis, ac Fidei Catholicæ, dempta precisè explicita appellatione geminæ voluntatis, & operationis.* Hanc quidem exceptionem rectè posset prędictus Author omittere, cum apud Sanctum Leonem, nec in prædictis verbis, nec in aliis, expressa geminæ voluntatis, & operationis mentio occurrat. Undè optimè potuisset nulla exceptione addita asserere, Honorii Doctrinam in omnibus vnanimem esse cum Sancti Leonis

principiis, eisque omnimodè congruere.

697 Ex dictis deducitur, quòd si in Ecclesia, vel in Concilio ipsam repteſentante, ſufficiens non datur Authoritas ad iudicandum, vel cognoſcendum de aliquo Pontifice, niſi in caſu expreſſo hæreſis ſtrictiſſimè ſumptæ, vt cum communi Theologorum, Canoniſtarum, Conciliorum, Sanctorumque Patrum ſententia probavimus: cum Honorius ſuis in Epiſtolis tradiderit Doctrinam, nõ modò Monotheliſmo oppoſitam, ſed etiam ſummè Catholicam, Sanctorumque Patrum, & Conciliorum ſententiæ conſonam, vt ſupra latè tradidimus, & cum prædictis Neotericis modò à nobis probatum eſt; nulli certè rationi cohęrere poteſt, poſſe prædictos Authores aſſerere, Honorium iuſtè fuiſſe â VI. Synodo damnatum. Etenim damnari non potuit Honorius ob vitam, quam non niſi honeſtiſſimam, traduxit, vt teſtantur quotquot illius vitam litterariis monumentis conſecrarunt; nec conſtat eum, dum vixit, alicuius criminis reum fuiſſe factum, nec improbis moribus coinquinatum, imò Apoſtolicis virtutibus enituiſſe. Neque damnari potuit ob doctrinam, quam in ſuis Epiſtolis poſteritati tradidit: cum enim prædicti Authores eam Catholicam fuiſſe deprædicent, neceſſe eſt, vt eam nulli damnationi obnoxiam admittant; inauditum etenim eſt, aliquem ab aliquo Concilio fuiſſe damnatum, quòd Doctrinam Catholicam, ac Sanctis Patribus conſonam amplexus fuerit, ac ſecutus. Nulli ergo rationi congruit, nec fundamento ſolido defendi poteſt, Honorium à VI. Synodo iuſtè fuiſſe damnatum, ſi aliũdè illius Doctrinam Catholicam fuiſſe aſſeritur. Unde ſi Honorii Doctrina Catholica extitit, vt extitiſſe probavimus, nec oppoſiti inficiantur Authores, illius condemnatio, non quidem iuſta, ſed iniuſta, ab eis eſſet appellanda; ſi tamen verè extitit talis condemnatio.

698 Ingens pretereà deduceretur abſurdum, ſi Honorium ob ſuarum Epiſtolarum Doctrinam iuſtè à VI. Synodo damnatum fuiſſe, aſſeratur. Cum enim Honorij Doctrina in omnibus conſona ſit, ac conformis Sancti Leonis Papę, & Sancti Chalcedonenſis Concilij principijs, vt prædicti Authores fatentur, inde apertiſſimè inferretur, damnatam etiam fuiſſe Catholicam Sancti Leonis Papæ, prędictique Chalcedonenſis Concilij Doctrinam: imò & ſententiam aliorum Conciliorum, Sanctorumque Patrum, qui eamdem Sancti Leonis, & prædicti Concilij tenuere Doctrinam; quod quidem non ferendum, nec cogitandum abſurdum, neceſſariò ex prædictorum Authorum Sententia deduci, manifeſtè probatur.

CAP. XIV.

OCCVRITVR SEXTÆ ADVERſariorum obiectioni.

699 ARguitur 6. Honorius, eſtò Catholicus extiterit, potuit nihilominus à VI. Synodo iuſtiſſimè damnari: non quidem tamquam Hæreticus, ac Monothelita; ſed tamquam Monothelitarum fautor. Ita tenet ALEXANDER NATALIS *loco ſupra citato*, *concluſione* 2. vbi ſic ſcribit: *Honorius in VI. Synodo iuſtè damnatus eſt, vt naſcentis Monotheliſmi, Monothelitarumque fautor.*

700 Idem cenſet AVTHOR HISTORIÆ MONOTHELITARVM §. 1. & 2. *in fine*, vbi hæc habet: * Cur ergo dicere verebimur, prudenter proſcriptas à S. VI. Synodo Honorianas Epiſtolas, ob hanc ſilendi OEconomiam?* Et §. 10. iuſtam fuiſſe aſſeverat Anathematis in Honorium Sententiam, ob nimiam cum Hæretico Sergio communicationem, nimiumque favorem præſtitum eidem; & ob alias cauſas, quæ videri poſſunt apud illum *Scrutinio* 7. quibus permovetur ad aſſerendum, potuiſſe eſſe iuſtam Anathematis Sententiam in Honorium latam ob illud principium, quod ipſe ſtatuit §. 1. quia ſcilicet Honorius, eſtò ab errore Dogmatis defendatur immunis, potuit ob aliam cauſam & motivum à Concilio damnari, cuius rationem his verbis ſubiungit: *Ideò aliud iter nobis eſt ineundum, vt de iuſtitia damnationis (Honorij) iudicium feramus. In quo quidem non modicùm decipitur quiſquis exiſtimat, ob hæreſes ſolummodo damnatos eſſe, quicumque leguntur in Concilijs vincti Anathemate: poteſt enim vnà cum Hæreticis damnari fautor Hęreticorum; quique, licet in Dogmate Catholicus, fomentum præbet Hæreſibus communicans cum Hæreticis, vel nimis indulgens iiſdem; ſi preſer-

sertim ex officio teneatur in eos acriter obniti.*

701 Admissa igitur Doctrina, qua prędictus Author existimat, posse aliquem à Conciliis damnari, non modò ob Hæresim, sed ob nimium favorem hæreticis præstitum, & exhibitum, dubium modò est, an Honorius à VI. Synodo de facto fuerit damnatus; quia Monothelitarum fautor, ob silendi OEconomiam, ob communicationem cum Sergio, & alijs Monothelitis, vel ob modum communem loquendi cum ipsis, vel ob alias causas, quas prædictus Author possibiles arbitratur, & in quibus convenit Alexander, loco citato secundæ Assertionis. Cum enim prędicti Authores in prima sua Assertione tueantur Honorium, fuisse de facto à VI. Synodo condemnatum, & in secunda Conclusione illam damnationem de facto iustam fuisse propugnent, huiusmodi damnationis æquitas, non ex motivis ad libitum, nec ex rationibus de possibili, sed ex causis, ab ipsa Synodo de facto expressis, desumenda est.

702 Atqui in tota Concilij Definitione, & Honorij damnatione non inveniuntur motiva, quæ prædicti Authores pro damnatione tuenda adducunt, communicatio scilicet cum Sergio, silendi OEconomia, loquendique modus cum Monothelitis communis, sed alia longè diversa, & cum Conclusione, qua prædicti Authores Honorium iustè damnatum, & Catholicum tuentur, incompossibilia: estò ergo Concilium possit Anathemate percutere non modò Hæreticos, sed illos etiam, in quibus rationes, & causæ à prædictis Authoribus adductę occurrunt, ex illis tamen deducere non possunt prędicti Authores, Honorium iustê fuisse de facto à VI. Synodo condemnatum, quidquid sit de possibili.

703 Minor probatur: quia quòd ex prædicta Synodo expressiùs innotescit, est, Honorium damnatum esse ab illa ob Doctrinam, quam in suis Epistolis tradidit Hæreticam, Monothelitis conformem, & contra communem Conciliorum, Sanctorumque Patrum Sententiam; vt ex ijs, quæ sequuntur, manifestè apparebit. Primò, quia id apertissimè constat ex VI. Synodi Epistola ad Agathonem Pontificem missa; in illa enim prædicti Concilij Patres Agathoni scribentes, illumque vti Supremum Ecclesiæ Caput, certiorem facientes de his, quæ in illo Concilio peracta fuerant, asserunt, se illius Apostolicis Litteris, quas ipsi, vti à Spiritu Sancto dictatas, susceperunt, ac venerati sunt, fuisse permotos ad novam Monothelitarum Sectam, errorem, hæresim, impiam, nefandamque Doctrinam extirpandam, & Anathemate percutiendos quotquot in prædictam hæresim, & errorem fuerant prolapsi, quos inter Honorium enumerant; quod vt clariùs innotescat, prædictæ Epistolæ verba in medium producimus: *Itaque tibi (inquiunt) vt Primæ Sedis Antistiti, Universalis Ecclesiæ, quid agendum sit relinquimus, Stanti supra firmam Fidei Petram, libenter perlectis verę Confessionis litteris à Vestra Paterna Beatitudine ad Pijssimum Imperatorem missis, quas vt à Summo Apostolorum Vertice divinè perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris Hæreticam Sectam depulimus, Constantino nobis ad decernendum hortatore, qui divinè imperat, sceptraque clementissimè regit, quo adiutore impietatis errorem evertimus, Hęreticorum nefariam Doctrinam quasi obsidione adorti.

704 Indè fundamenta (prosequitur) execrandæ eorum hæreseos prorsus convellentes, eosque armis spiritualibus, paternisque aggredientes, & linguas eorum, ne inter se accomodatè loquerentur, confundentes, extructam ab iis impijssimę hæresis turrim subruimus, ac ipsos vt lapsos circa Fidem, ac peccatores in matutinis extra castra Atriorum Dei, vt Davidicè loquamur, Anathematibus interfecimus ex Sententia per Sacras Vestras Litteras de his priùs lata, videlicet Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, & Petrum.* Ex quibus verbis apertissimè constat, damnatam esse à VI. Synodo impietatem, errorem, hæresim, nefandamque doctrinam, quam Theodorus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus Patriarchæ, secuti fuerant, ac docuerant; inter quos, Honorium Pontificem prædicti Concilij Patres eodem verborum tenore, absque vllo prorsus discrimine, Anathemati subjiciunt: Ergo si Pyrrhus, Paulus, alijque Monothelitæ Anathemate percutiuntur, non quia hæreticorum fautores, sed quia formali Hæresi infecti, impiam, & Hæreticam sectabantur

Do-

Doctrinam, cum aliunde à prædicta Synodo nullum Honorium inter, alioſque Hæreticos apponatur diſcrimen, clarè ex prædictis verbis infertur, Honorium ęquè ac cæteros Monothelitas, ſub eadem Hæreſi, ac Anathemate à VI. Synodo fuiſſe comprehenſum: componi ergo non poteſt, velle prædictos Authores, Honorium, ciuſque Doctrinam Catholicam defendere, & aliundè iuſtè damnatum aſſerere ſi vitiata non ſint Concilii de Honorio verba.

705 Hęc ampliùs confirmantur ex Edicto, quo CONSTANTINUS Imperator iuſſit, vt in toto ſuo Imperio exequeretur quidquid à VI. Synodo Decretum fuerat, ac ſtatutum: in illo namque Edicto referens Imperator errores, eorumque Authores à VI. Synodo damnatos, ſub illis Honorium ęquè, ac Cyrum, Sergium, cœteroſque, quos tamquam Monotheliſmi Sectarios damnatos fuiſſe minimè dubitabatur, comprehendit, vt patet *ex Actione* 18. *eiuſdem VI. Synodi*, vbi hæc habentur: *Etenim deſiderabile eſt Dæmoni, qui generi humano ſemper infeſtus eſt, ſeparare hominẽ à Deo, qui factus eſt ad imaginem Dei, & multimodis deceptionibus fallere::: Quod & nuper elapſis temporibus demonſtravit, atque adverſus invicem Eccleſias prelia ſumere perſuaſit, per inſtrumenta, quæ ad hoc adinvenit, ſub Sacerdotali ſcilicet habitu, & indumento, doloſam intentionem obcelantia. Vnius quippe voluntatis, & vnius operationis in Incarnatione SALVATORIS, atque in duabus eius naturis, Divina dicimus, & Humana, novitatem ſanxerunt: quatenus, & vnam ex hoc in CHRISTO naturam ex improviſo excogitantes introducere, antiquę illius, & corruptibilis confuſionis hęreſim reconflarent; cum qua Apollinaris quidem diſperiit, Themiſtius verò nefandus anathematizatus eſt, Euthyches, & Dioſcorus cum ſua peſſima ſecta ſimul deiecti ſunt, & omnes hi, & qui qui veſtigia eorũ ſecuti, è regione veritatis ierunt Synodalibus ſimul, & paternis condemnati ſunt ſententiis.*

706 At quinam fuerint hi, qui Apollinarii, Themiſtii, Eutychetis, Dioſcori, iſtiuſque ſequacium, hæreſim ſuſcitarunt, ipſe Imperator hiſce oſtendit verbis: *Huiuſmodi denique contagione Eccleſias contaminaverunt eriam hi, qui, ante noſtra tempora, ſacrilegi Sacerdotes perversè Eccleſias gubernarunt. Sunt autem hi: Theodorus, qui fuit Pharan Epiſcopus: Sergius, qui fuit noſtræ à Deo conſervandę Regiæ Vrbis Antiſtes: ad hæc & Honorius, qui fuit Antiquæ Romæ Papa, huiuſmodi hæreſeos confirmator, qui etiam ſui extitit oppugnator: Cyrus quoque, Pyrrhus, Paulus, Petrus, &c.*

707 Et in eodem Edicto perveniens ad Anathemata in eos, qui vt hæretici, hæreticorumque fautores Eccleſiam nova Monotheliſmi labe contaminarunt, hæc habet: *Super hæc omnia Anathematizamus, atque refutamus, & eos, qui ſupervacuorum, & novorum Dogmatum hęretici Authores, atque Fautores ſunt. Dicimus autem Theodorum, qui fuit Pharanitanus Epiſcopus, & Sergium, qui fuit huius à Deo conſervandæ noſtræ Regiæ Vrbis Antiſtes, huic conſentaneum, & moribus, atque impietate parilem: ad hæc, & HONORIUM, qui fuit Antiquæ Romę Papa, horum hæreſeos in omnibus fautorem, concurſorem, atque confirmatorem: & Cyrum, qui fuit Alexandrinorum Epiſcopus; ſimiliter Pyrrhum, Petrum, & Paulum huius Regiæ noſtræ Civitatis Præſules, & vnà cum eis Macarium, qui fuit Antiochenorum Epiſcopus, & Stephanum eius Diſcipulum, atque Polychronium dementem, & omnes, qui ſapuerunt, & ſapiunt, vel futuri ſunt ſapere vnam voluntatem, & vnam operationem in diſpenſatione Salvatoris noſtri IESU CHRISTI.* Hactenus ille.

708 Hæc eadem veritas clarius elucet, ex verbis LEONIS Papæ II. *in Epiſtola*, quam *ad Conſtantinum Imperatorem* ſcripſit VI. Synodi Acta confirmans, quæ habetur *in eadem VI. Synodo*, deveniens namque Pontifex ad Anathemata, hęc habet: *Anathematizamus præterea, atque execramur omnes hæreſes, omneſque earum Authores, atque fautores, qui adverſus Apoſtolicam, & Orthodoxam fidem Diabolicis decepti fallaciis, falſitatis errores in Eccleſiam conati ſunt introducere; id eſt, Arium, Sabellium, Macedonium, Apollinarem, Neſtorium, &c.*

709 Et *paulò infra*: *Pariterque Anathematizamus novi erroris inventores, id eſt, Theodorum Pharanitanum Epiſcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyr-*

Pyrrhum, Paulum, & Petrum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ subsessores, (id est insidiatores, magis, quàm Præsules) necnon & HONORIVM, qui hanc Apostolicam Ecclesiam, non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam Fidem subvertere conatus est, & omnes, qui in suo errore defuncti sunt. *

710 Ex dictis manifestè apparet, quàm difficile, imò impossibile videatur, vtrũque illud defendi, iustam nempè esse damnationis sententiam in Honorium ob rationes, quas modo retulimus, à VI. Synodo prolatam, & aliunde Honorii Doctrinam Catholicam tueri. Etenim nec Catholica Doctrina potest, vt impia, & hæretica damnari; nec hęretica, vt vera, ac Catholica commendari; neque Authores qui Heterodoxam sectantur, ac tuentur doctrinam, digni sunt, vt Catholici habeantur, vt patet ex omnibus Conciliis, quæ in Ecclesia Dei celebratà legũtur; Sacra namque Concilia numquam eos, qui hæreticis Sectis adhæserunt, Catholicos reputarunt: similitèr Catholica Doctrina numquam tamquam hæretica damnata est; neque illi, qui eam amplexati sunt, vmquam Anathemate perculsi sunt quasi errorum fluctibus submersi; Ergo prædicti Authores, cum Honorium in doctrina Catholicum propugnent, tueri non possunt, iustè fuisse à VI. Synodo condemnatum; illiusque doctrinam Anathemate perculsam à VI. Synodo, quæ quidem, vt impiam hæreticamque proscribit, vt fusè supra probavimus.

711 Secundò, quia eisdem verbis, quibus Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus *Actione* 13. VI. Synodi de facto damnati sunt, ac anathematizati, Honorius Pontifex *Actione* 16. *eiusdem Synodi* dãnatus & anathematizatus habetur, vt ex prędicti Concilii verbis innotescit: Ergo si ob dictam damnationem, & Anathema Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, non vt Catholici, sed vt formales hæretici, & Monothelismi sectatores semper in Ecclesia Dei habiti sunt, quin in hoc, dubium aliquod, aut controversia sit; profectò Honorius, si à prædicta Synodo iustè, ac legitimè esset damnatus, non posset vllo pacto à prędicta hęreseos censura ab Authoribus istis vendicari.

712 Tertiò, quia nemo Arium, Nestorium, Apollinarem, Dioscorum, aliosque similes potest sine gravi censura, vt Catholicos defendere, nec illorum doctrinam tamquam Apostolicam tueri, quia nempe isti, à Sanctis Conciliis, vt hęretici damnati sunt, & vt tales Anathemate perculsi, istorumque doctrina ab eisdem Conciliis tamquam impia eliminata: id autem in Honorio accidisse inficiari nequeunt Authores, qui VI. Synodi in illum damnationem, que Actione 13. continetur, iustam fuisse tuentur, cum id perspicuum fiat, ex verbis, quibus prædictum Concilium Synodales Iudices alloquitur in iudicio, quod de Honorii Epistolis, illiusque Doctrina protulerunt. *Secundum promissionem, inquit, quę nobis ad vestram gloriam facta est, retractantes Dogmaticas Epistolas, quæ tamquam à Sergio, quondam Patriarcha huius à Deo conservandæ Regię Urbis, scriptæ sunt, tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Episcopus Phasidis, quàm ad Honorium quondam Papam Antiquæ Romę; similiter autem Epistolam ab illo (id est, Honorio) rescriptam ad eumdem Sergium, hasque invenientes omninò alienas existere ab Apostolicis Dogmatibus, & à Definitionibus Sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum; sequi verò falsas doctrinas hęreticorum, eas omninò abjicimus, & tamquam animę noxias execramur.* Si hac Censura non obstante Honorii Doctrina potest, vt Catholica defendi; poterit etiam Doctrina Epistolarum Cyri, & Sergii, vt Orthodoxa affirmari, cum ęquè de vtraque loquatur Concilium; vnde non obstante iusta cæterorum hæreticorum damnatione, aperiretur aditus, vt illorum Doctrina posset tamquam Catholica defendi; quod quidem non ferendum absurdum necessariò infertur, ex illorum Authorum sententia, qui & iustam Honorii in VI. Synodo damnationem, & Catholicam illius Doctrinam propugnant.

713 Et quidem id, quàm alienum sit ab ipsius Synodi mente, apertè innotescet ex verbis, quæ his, quæ retulimus subiunxit CONCILIVM. *Quorum autem (id est eorumdem) impia execramur Dogmata, horum, & nomina à Sancta Dei Ecclesia proiici iudicavimus; id est Sergii quondam Pręsulis huius à Deo conservandæ Regię Urbis, qui aggressus est de huius-

iusmodi impio Dogmate conscribere, Cyri Alexandrię, Pyrrhi, Petri, & Pauli, qui & ipsi Præsulatu functi sunt in Sede huius à Deo conservandæ Civitatis, & similia eis senserunt: ad hæc, & Theodori quondam Episcopi Pharan, quarum omnium suprascriptarum personarum mentionem fecit Agatho Sanctissimus, ac ter Beatissimus Papa Antiquæ Romæ in suggestione, quam fecit ad Piissimum Imperatorem, eosque abjicit, vtpote contraria rectæ Fidei nostrę sentientes, qnos Anathemati submitti definimus. Cum his verò simul projici à Sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus, & HONORIUM, qui fuerat Papa Antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem secutus est, & impia Dogmata confirmavit.*

714 Ex quibus hoc dilemma conficitur. Vel Authores, de quibus loquimur, Honorium, istiusque Doctrinam, vt Catholicam tuentur, vel non? Si secundum, manifestè sibi adversantur, vt ex eorum verbis convicimus. Si verò primum, vt par est, dicatur; necessariò deducitur, VI. Synodi damnationem in Honorii Doctrinam prolatam esse penitus iniustam; nihil enim iniustius potest excogitari, quàm Catholicam, & Apostolicam Honorii Doctrinam, vt impiam, & ab Apostolicis Dogmatibus, Conciliorum Definitionibus, Sanctorumque Patrum sententia alienam explodere, & tandem vti hæreticum in Doctrina damnare, & Anathemate ferire illum, qui Catholicè sensit, & Orthodoxam Doctrinam semper amplexatus est. Id autem sequi, ex horum Authorum sententia, & suprà ostendimus, & apertè evincitur *ex Actione* 16. eiusdem VI. Synodi, vbi hæc scribuntur: * Honorio hæretico Anathema.* Et in definitione Fidei *Actione* 18. id ipsum confirmat Sancta Synodus dicens: * Dæmon plenitudini Ecclesiæ erroris scandala suscitasse per Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Regiæ Urbis Antistites, insuper & Honorium, qui fuit Papa Antiquæ Romæ.* Et post subscriptiones, iterum conclamatum est: *Sergio, & Honorio Anathema, &c.*

715 Nec iuvat dicere, prædicta verba: * Honorio hæretico Anathema; * non de propriè hęretico, sed hæreticorum fautore esse intelligenda, vt censent oppositi Authores locis supracitatis. Non, inquam iuvat. Primò, quia hæc interpretatio apertissimo Sacri Concilii textui manifestè repugnat. Secundò, quia Concilium eisdem verbis, quibus de Cyro, Sergio, Pyrrho, cęteriśque Monothelitis loquitur, Honorium condemnat. Cum ergo communis Ecclesię sensus, ac vsus Pyrrhum, Sergium, cęterośque Anathemate perculsos non modo, vt hęreseos fautores, sed vt formales hæreticos declaraverit, tenuerit, ac à Catholico gremio abiecerit, proculdubio idem in Honorio Pontifice præstitisset, si iste sub eadem cum ipsis damnatione, & Anathemate iustè fuisset comprehensus. Tertiò, ingens hinc patescceret aditus, quo hęretici Conciliorum damnationes eluderent: si enim ille, qui à Concilio iustè est damnatus, & Anathemate perculsus, posset vt Catholicus defendi, proculdubio hæretici, quantumvis à Pontifice, Generalibusque Conciliis anathematizati, nequaquam se hæreticos reputarent, sed iustè Catholico nomine gloriarentur: Unde Concilia inanem navarent operam, dum tanto labore, & sollicitudine conantur hæreticos ab his qui Catholicè sentiunt, segregare, dumque illos, vt hæreticos declarant, Anathemate percutiunt, atque illorum Doctrinã, vt impiam à Catholico Orbe eliminant. Intolerabilia insuper orirentur absurda, non sine ingenti Ecclesiæ Fideique publicæ iactura. Et quidem prædicti Authores, dum condemnationem, quam VI. Synodus in Honorium inflixit, iustam volunt astruere, iniustam proculdubiò proclamant; nihil enim iniustius, quàm in Catholicum, Catholicè sentientem, Censionis Sacrę fulmina, vti in protervum hæreticum, exercere, Catholicamque Doctrinam vti impiam anathematizare; siquidem hoc nihil aliud est, quàm damnare iustum cum impio, vtque Concilium in damnatione iustum salvent, impium, ac iniquum in eadem ipsa damnatione astruere. Quæ enim maior impietas, quodnam execrabilius scelus, ac crudelius flagitium excogitari potest, quàm velle Sacratissimum Concilium in Christum Domini insurgere, Supremumque, ac publicum Fidei, & Ecclesię Patrem, quem sua hone-

neſtiſſima vita, ſana, Orthodoxaque Doctrina Catholicum ęquiſſimè prædicant, hæreticorum Cathalogo adſcriptum dehoneſtaſſe?

CAP. XV.

SEPTIMVM ARGVMENTVM contra Honorii Fidem, infringitur.

716 OBjicies contra Honorianæ Fidei puritatem illa VI. Synodi verba, *Actione* 13. vbi de Honorij Epiſtolis, illiuſque perſona fertur Sententia; de Epiſtolis quidem, illis verbis: *Similiter & Epiſtolam ab illo (id eſt Honorio) reſcriptam ad eumdem Sergium, haſque invenientes omnino alienas exiſtere ab Apoſtolicis Dogmatibus, & à Definitionibus Sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, ſequi verò falſas doctrinas hæreticorum; eas omnino abjicimus, & tamquam animæ noxias execramur.*

717 De perſona verò his aliis: *Quorum impia execramur dogmata, horum & nomina à Sancta Dei Eccleſia projici iudicavimus, id eſt, Sergii, Cyri, Pyrrhi, Petri, Pauli. (Et *paulò infra*:) Quarum omnium perſonarum mentionem fecit Agatho Sanctiſſimus Papa, eoſque abjicit, vtpote contraria rectę Fidei noſtræ ſentientes, quos Anathemati ſubmitti definimus.*

718 Vt autem appareat, Honorium ſub iſta Sententia comprehendi, ſic proſequitur Concilium: *Cum his verò ſimul projici à Sancta Dei Catholica Eccleſia, ſimulque anathematizari prævidimus, & Honorium, qui fuerat Papa Antiquę Romæ, eo quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit.* Quod quidem Anathema, & *Actione* 16. & in Definitione Fidei *Actione* 18. iteratum eſt; ipſumque confirmarunt VII. Synodus Generalis *Actione* 7. & VIII. OEcumenica Synodus *Actione* etiam 7. vbi Adrianus II. Pontifex Maximus, Honorium ob hæreſim damnatum ſupponit.

§. I.

PROPONITVR PRIMA SOLVTIO; qua prædictum argumentum diſſolvitur.

719 REſpondemus igitur: Indignum valde, durum, aſperum que ſanè videri, huiuſmudi Cenſura affici eum, qui Fidei Pater fuit, & totius Eccleſiæ Præſulatum digniſſimè obtinuit. Quare tres prędictas Generales Synodos in his omnibus, quæ Catholica Fide tenenda ſtatuerunt, & ad bonum Eccleſiæ regimen ſpectantia ſanctiſſimè decreverunt, debito honore venerantes, negamus eſſe de Fide, aut aliqua ratione certò conſtare prædictam in Honorium Cenſuram, Anathema, & Sententiam eſſe genuinum, & legitimum VI. Synodi fœtum; imò oppoſitum, magis certum eſſe arbitramur. Et quamvis ex his, quæ latè ſuprà probavimus; non innoteſceret, relata verba ſuppoſita êſſe, textumque prædictorum vulgarium Actorum, in his quę ad Honorii damnationem ſpectant; eſſe corruptum, conſtaret vtique ex ipſis verbis, quæ modo ex prædicto textu retulimus; quæ à Sancta Concilij mente valdè exiſtimanda ſunt aliena.

720 Nullius namque OEcumenici Concilij ea fuit vmquam mens, ac Sententia, eum, quem Catholicum quoad vixit venerata fuit Eccleſia, quique in ſuis ſcriptis Sacratiorum Conciliorum, Sanctorumque Patrum Doctrinam amplexus fuerit, ac ſecutus, ſpiritualis gladij poteſtate, ceù deforme monſtrum extinguere. Omnia itaque Generalia Concilia, quæ hactenus celebrata ſunt, cenſionis Sacrę fulmina exerere voluerunt in eos tantummodo, qui vel hæreſeos labe infecti fuerunt, vel ſeſe veritati, quam tenet, & ſequitur Eccleſia, ſuis perverſis dogmatibus oppoſuerunt. Honorium autem Catholicum fuiſſe habitum, non modò dum vixit, ſed etiam poſt mortem, tot præclaris Sanctitatis teſtimoniis mundo editis; eumque in vtraque Epiſtola, quam ad Sergium ſcripſit, Catholicam Sanctorum Patrum ſecutum fuiſſe Doctrinam, preterquam quod ſuprà à nobis, triplicis Concilij collatis Patrum Sententijs, cum Honorij Epiſtolis, probatũ eſt, luculentius adhuc perſpicuum fiet: Ergo prę-

dicta damnatio verbis adeo indecoris, ac iniuriosis prolata, in eum, qui ad altissimum Apostolicæ Sedis apicem dignissimè evectus sanctissimè vixit, valde aliena censeri debet à mente Sancti Concilij, speciali Spiritus Sancti assistentia suffulti. Maior nihil habet difficultatis. Solum probandum supereſt, Honorium, nullatenus potuisse sub illa damnationis Censura comprehendi.

721 Et quidem à mente Concilii longè abesse, Honorium in Monothelitarum sententia includi, ostenditur primò: quia incredibile est, voluisse Concilium vt Monotheliſmi damnare eum, qui omnium primus, Apostolicum suum Zelum in Monothelitarum damnatione exercuit, qualem fuisse Honorium apertissimè demonstrabimus.

722 At priùs diligenter consideranda est inveterata hæreticorum calliditas, qua omnibus sæculis conati sunt aliquas latebras suis erroribus quærere, eosque quibusdam sycophantiis, ac fucis occultare, tum Sanctissimos Ecclesię Patres indignissimis probris maculantes, & infami nota dedecorantes, tum illos & siniſtra verborum intelligentia, & perversa ipsius textus adulteratione pro se, sive per fas, sive per nefas, adducere pervicacissimè studentes, vt plures experientiæ testantur, nosque latissimè in Divi Clementis, aliorumque Pontificum Apologia ostendimus, & in hac ipsa VI. Synodo, & Lateranensi Concilio, cum Macarius Sanctorum Authoritates pro se adduxisset, huiusce communis Eterodoxorum fraudis convictus fuit, cum apertissimè ipsis Concilijs innotuerit, illas Authoritates à prædicto Macario, pro suo pernicioſissimo dogmate adulteratas fuisse, ac corruptas.

723 Id ipsum eleganter confirmat EUSEBIVS, *lib. 5. cap. 26. & 27.* dū de hęreticis sermonē instituens apertissimè tradit, ipsos sine vllis involucris, ac verecundia asserere, se in suis erroribus patronos, & antesignanos habere ipsos Sacros Apostolos, istorūq; Successores aliquos Romanos Pontifices, quos inter, Sanctum Zephyrinum Pontificem adnumerant. Illius verba audiamus: *Aiunt isti omnes, maiores nostros, & ipsos Apostolos ea, quę ipsi affirmant, non modò à Domino accepisse, verum etiam alios eadem docuisse, & veram prędicationis rationem vsque ad Victoris tempora servatam, sed à Zephyrino illius Successore penitus corruptam.*

724 Et ipse Eusebius Artemonem, & Theodotum Hæreticos convicturus falsitatis, qua Sanctum Papam Victorem pro se in medium producere conabantur, hoc vtitur argumento; quòd nempè si prædictus Pontifex eodem, quo illi, teneretur errore, neutiquam illos, illorumque errores damnasset: *Quod si Victor (inquit Eusebius) eadem cum illis sentire visus fuisset, sicut detestabilis illorum docet calumnia: quo pacto, aut qua ratione adductus Theodotum huius erroris inventorem ab Ecclesia reijcere, in animum induxit?*

725 Cum igitur Honorius Pontifex, Sergij, Cyri, cæterorumque Monothelitarum errorem omnium primus damnaverit; hinc apertè deducitur, longè à VI. Synodi mente abesse verba, quibus dānatur Honorius, quod Sergij (execrandi hæretici) mentem in omnibus fuerit secutus.

726 Honorium autem fuisse primum, qui Monothelitarum errorem improbaverit, apertè ex historiis deducitur, præcipuè ex historia Imperatoris Heraclii, qui regnum iniit *anno salutis* 610. Cum enim Heraclius post bellum Persicum *anno* 630. in Civitate Hierapoli cum Athanasio, Iacobitarum Patriarcha, de religione disceptasset, prędicto Athanasio Antiochenum Patriarchatum promisit, si Chalcedonensi Concilio subscriberet. Imperatoris pollicitationi acquievit Athanasius, qui versutus, & ad omnem calliditatem, & malitiam effictus, ab Imperatore quęsivit: an in CHRISTO pręter duas naturas à Concilio definitas, duæ etiam admittendæ essent voluntates? Obmutuit Imperator; priusque Sergium, Patriarcham Constantinopolitanum, & Cyrum Phasidis Episcopum, circa propositam difficultatem consuluit: cumque reperisset vtrumque cum Athanasio in vnam eamdemque rem conspirasse, in eo quod vnam tantum in CHRISTO voluntatem prædicarent (quod Theophanes Author Miscellæ, & alii affirmant) de horum Episcoporum Sententia Romanum Pontificem certiorem fecit, qui prædictam hęresim improbavit, vt THEOPHANES hisce testatur verbis: *Papa eorum hæresim proscripsit.*

Ex

727 Ex hac historia manifestè evincitur, impiam illam de vna Christi voluntate hæresim, quam Sergius, Cyrus, & Heraclius amplectebantur, fuisse à Romano Pontifice condemnatam: hunc verò Pontificem, fuisse Honorium I. Ecclesiastica monumenta demonstrat; Honorius namque fuit in Pontificem assumptus anno 622. Bullario Magno, Alphonsoque Ciaconio, testibus; vel anno 626. iuxta Baronium, & Spondanum, *ad dictum annum, num.* 1. & iuxta veriorem sententiam, plusquam 12. annis Ecclesiam rexit, ad annum scilicet 635. iuxta priorem, ad annum verò 638. in quo supremum vitæ diem confecit, iuxta secundam opinionem; estò alii Authores (per pauci illi quidem) Honorium in suo Pontificatu decem tantummodo annos expleviſſe arbitrentur. Cum igitur Imperator Heraclius post vigesimum sui Imperii annum, anno nēpè salutis 630. (Marchesio teste) Romanum Pontificem consuluerit, eique Sergii, Cyri, & Athanasii Iacobitę mēte ac sententiam aperuerit; hinc apertè deducitur, fuisse Honorium illum Pontificem, ad quē prædictorum Patriarcharum errorem detulit Heraclius: cumque insuper Pontifex, qui tunc temporis Ecclesiæ clavum tenebat, illorum Patriarcharum hæresim, (Theophane Authore gravissimo attestante) proscripserit: hinc necessariò infertur fuisse Honorium illum Pontificem, qui omnium primus Monotheliſmi hæresim reprobavit.

728 Id præclarè confirmat GREGORIVS CEDRENVS, qui gesta *anno.* 25. Imperatoris Heraclii cōmemorans idem in substātia affirmat, quod nos asservimus modò. At quia res de qua loquimur gravissima est, Scriptoremque Authoritate, & gravitate maxima prędituṁ laudavimus, illius verba hìc duximus apponenda. * Cum degeret, inquit, Hierapoli Augustus, venit ad eum Athanasius, Iacobitarum Patriarcha, homo callidus, &, vti sunt Syri omnes natura, ad mala facinora versutia instructus. Is cum Imperatore, de Fide colloquitur; eique Imperator promittit, se eum, modò Chalcedonensis Concilii Decreta approbet, Antiochiæ Episcopum creaturum. Athanasius id simulat, & fatetur duas in CHRISTO naturas. Simul Heraclio quęstionem proponit de actionibus, & voluntatibus: vtrum duplices in CHRISTO, an verò simplices dicendæ sint? Ea de re Imperator ad Sergium Constantinopolitanum, & Cyrum Phasidis Episcopum scribit; quorum cum vterque, è secta Monothelitarum esset, invenit eos idē cum Athanasio sentire. Quorum sententiam, cum ad Ioannem Papam prędscriberet, est hæc ab eo improbata. *

729 P. CHRISTIANUS LUPUS in Historia Ecclesiastica Doctissimus, id ipsum expendens *Tom.* 2. *Conciliorum* censet, Pontificem, quem circa Sergii hæresim Imperator Heraclius consuluit, non potuisse esse Ioannem IV. sed Honorium. * Vigesimusquintus, inquit, Heraclii annus est CHRISTI Domini 634. At verò tunc non Ioannes IV. sed Honorius I. erat Pontifex, agens annum Pontificatus nonum. Hic tamen computus coincidit, cum computu Martini Papę, atque ita isto anno cæpit errori Heraclius miscēri. *

730 Huic subscribit eruditissimus Pater MARCHESIVS Congregationis Oratorii *in Tomo inscripto* : *Clypeus Fortium*, sic enim scribit: * Ex quo notandus est error à nonnullis noviſſimè observatus, qui Theophani, seu etiam aliis Scriptoribus, pro Honorio Ioannem Papam nominantibus obrepsit; cum Ioannes III. multis annis ante, *anno* scilicet 572. è vivis decesserit, & Ioannes IV. *anno* dumtaxat 640. Pontificatum fuerit adeptus. * Ex quibus deducitur, impossibile esse Pontificem, qui Ecclesię navim moderabatur, quemque Heraclius consuluit anno salutis secundum aliquos 629. secundum alios verò 630. vel 634. fuisse Ioannem IV. sed Honorium, qui Monothelitarum hęresim reprobavi, & vsque ad annum 635. vitam ad minus protraxit, vt diximus.

731 Hæc amplius illustrantur ex his, quę in Lateranensi Concilio sub Sancto Martino narrantur de Cyro Patriarcha Alexandrino: hìc enim, à suæ promotionis initio, Theodorum Pharanitanum Episcopum secutus, vnam solummodo in CHRISTO voluntatem prædicavit, hunc que pestiferum errorem per totam Alexandriam, & publicè docuit, & temerè vulgavit, vt patet ex iam citato Concilio, vbi Sanctus Pontifex Martinus Patres in prædicto Concilio Congregatos alloquens: * Ante annos, inquit, octodecim, Cyrus vnam operationem in CHRISTO Divinitatis, & Humanitatis in

Alexandria Vrbe definiens, &c.* Cum autem hoc Lateranense Concilium celebratum fuerit *anno salutis* 649. ex aperta supputatione deducitur, Patriarcham Cyrum *anno salutis* 631. cæpisse infaustam Monotheliſmi hæresim diffundere, cumque Honorius Pontifex Ecclesiæ clavum tenuerit ab *anno* 626. *ad annum vsque* 638. apertè infertur, Pontificem, qui primus Monotheliſmi hęresim *anno* 631. subortam condemnavit, fuisse nostrum Honorium.

732 Consonat illud Sancti SOPHRONII, qui in sua Synodo hæresim de vna CHRISTI voluntate proscripsit, duasque in CHRISTO voluntates, & operationes iussit prædicari. Cumque sua Conciliaria Acta Honorio Pontifici misisset, hìc ea approbavit, ac per consequens Monothelitas damnavit; in reliquis enim Generalibus Conciliis, Pontifex dum damnationem in hęreticos latam approbat; hac sua damnationis approbatione illos dicitur condemnare.

733 Præclarum fundamentum ad id ipsum adstruendum nobis suppeditat, quem proximè adduximus Grecę Historię Scriptor CEDRENVS, dum de hoc Sophronii facto loquens, hęc scribit:* Hic (scilicet Sophronius) convocatis Episcopis, quibus prærat, Decretum Monothelitarum condemnat, Actaque Concilii sui ad Sergium Constantinopolitanum, & Ioannem Romę Episcopos mittit.*

734 At clariùs locutus videtur ZONARAS magni apud ipsos Græcos nominis Author, dum hæc habet: *Verum cum Sanctus Sophronius, tum Summo Sacerdotio fungens Hierosolymis, subiectis sibi Sacerdotibus convocatis, per Concilii modum demonstrasset, qui vnam in duabus CHRISTI naturis voluntatem, atque actionem affirmarent, eos palàm vnam quoque naturam statuere, eique Ioannes Papa Romanus assensus esset.* Ex his Authoritatibus apertè colligitur, Sanctum Sophronium sua Conciliaria Acta, Monothelitarumque damnationem approbanda Romano Pontifici misisse, & ab eo approbationem obtinuisse. Unde solum nobis modo probandum est, hunc Pontificem, ad quem hæc transmissit Sophronius, non fuisse Ioannem IV. sed nostrum Honorium.

735 Id autem manifestum fiet, nam cũ Sophronius creatus fuerit Patriarcha Hierosolymitanus *anno.* 633. & obierit *anno* 637. Ioannes verò IV. ad Apostolicũ verticẽ evectus fuerit post Sophronii obitũ *anno* nempê 639. vltima Decembris die, vt tradit SPONDANVS *eo anno num.* 2. hinc manifestè deducitur, Pontificem, qui Acta à Sophronio missa, isto adhuc vivente, confirmavit, non potuisse Ioannem IV. nec minus Ioannem III. esse, qui multis retro annis anno scilicet 572. vt Spondanus scribit, & alii fere communiter, vitæ periodum peregerat, sed Honorium, qui tunc temporis, vita, & communi spiritu fruebatur, vtpote qui ab anno. 626. ad annum vsque 638. Ecclesiæ clavum fuerit moderatus: sicque solus Honorius, Romanis Infulis condecorabatur toto illo tempore, quo Sanctus Sophronius in Patriarchatu Hierosolymitano vitam protraxit, ab anno scilicet 633. ad annum vsque 637. Ex quibus rursus manifestè deducitur, solum Honorium fuisse illum Pontificem, qui primam Monothelitarum damnationem, à Sancto Sophronio Hierosolymis factam, approbavit, & Apostolica Authoritate roboravit.

736 Insuper Sancti Sophronii Acta, quibus Monothelitarum error reprobatus est, ab Honorio fuisse confirmata manifestè ostendunt Sancti Maximi Acta, à quodam Greco, celeberrimo illorum temporum Scriptore, exarata, in Codice, qui & in Vaticana asservatur, & à Par. Mag. Combefis Sacri Ordinis Prædicatorum recenter Typis mandatus est: in his enim Actis expresè habetur, Imperatore Heraclio vehementer optante, vt illa sententia de vna CHRISTI voluntate, quam tenacissimè tuebatur, à Romano Pontifice approbaretur, non modo huiusmodi sententiam à Romano Pontifice approbatam non fuisse, sed potius reprobatam, & Anathema in illos, qui illam sequerentur, vibratum. Audiamus SANCTUM MAXIMVM hęc de Imperatore Heraclio scribentem: * Igitur cum celeritate Præsidi Vrbis Romæ refert, quę dogmatizabantur, quasi intustè facturum se existimans, nisi eos, qui vbique terrarum existerent, proprio fermento impleret, & sua pestilenti imbueret hæresi. Verum iste Divinus Vir errorem existimans, quę apud illum evidentia, à mala Doctrina se retrahens, non solum rescriptis validis con-

tra-

traditionibus convicit, & evertit, quæ proponebantur, sed & Anathemate perculit (diris affixit: ita legit P. Combefis) eos qui talia Dogmata, & scriptis, & animo tenerent.* Hac autem tempestate fuisse Honorium Pontificem, qui Dei Ecclesiam regebat, præterquàm quòd iam suprà â nobis probatum est, manifestê innuunt ipsius Sancti Maximi verba, qui alibi loquens de Honorio Pontifice ipsum conferens cum aliis Pontificibus, qui Apostolicum suum Zelum contra Monothelitas exercuerunt, asserit Honorium se divinè gessisse; ideoque ibi, sicut & hìc, *Virum Divinum* appellat.

737 Pro maiori huius veritatis munimine animadvertendum est, Nauclerum, Sabellium, aliosque non infimę notæ Authores asserere, Honorium gravissimas ad Imperatorem Heraclium scripsisse Epistolas, vt eum à pernicioſissimo illo errore avocaret. Quod prę clarissimè congruit his, quæ cum Cedreno diximus suprà; Imperatore scilicet Heraclio ad Romanum Pontificem præscribente, erroneam de vna CHRISTI voluntate sententiam, in quam Cyrus, Sergius, Iacobitarumque Patriarcha Athanasius conspirabant, hanc esse à Pontifice reprobatam. *Cum vterque è Secta Monothelitarum esset, invenit eos (scilicet Imperator) idem cum Athanasio sentire; quorum sententiam cum ad Ioannem Papam Romanum præscriberet, est hæc ab eo improbata.* Cum autem perspicuum sit, vt à nobis clarissimè probatum est, illa tempestate, qua Heraclius Romanum Pontificem consuluit, Ecclesiæ clavum, non à Ioanne IV. sed ab Honorio felicissimè gubernari; hinc apertissimè liquet, prędictum errorem fuisse ab Honorio Pontifice Apostolica litterarum falcè succisum. Cumque Honorius in Sacrarum Scripturarũ studio versatissimus esset, haud dubium, quin pro Supremę Dignitatis Magisterio nefariam illam sententiã Scripturę Sacræ ariete retuderit, Sanctorum Patrum clypeo reiecerit, atque acutissimis rationum iaculis confoderit, vt solent reliqui Pontifices, qui dum à Christiano Orbe aliquem errorem eliminare conantur, Sacra Pagina, Sanctisque Patribus, tanquam potentiori arcu, validioribusque sagittis tartareos hostes extirpare satagunt.

738 Insuper Honorium Pontificem, non verò Ioannem ab Imperatore Heraclio, tunc temporis fuisse consultum, certò cognoscet quisquis sciverit Imperatorem Heraclium in rebus Fidei, & Religionis, duos iniisse congressus, duoque miscuisse colloquia. Primum cum Paulo vno è præcipuis Severianis, anno duodecimo Imperii sui, cum Chosroæ Persarum Regi bellum intulit: tunc enim de vna Christi voluntate, & operatione, cum Paulo disseruit; cuius congressus meminit Sergius in Epistola Honorio data, quæ extat in VI. Synodo *Actione* 12. vbi hæc legũtur: * Ante aliquod certum tempus, cum adversus Persas confirmatus Dominus noster, & magnus Victor Imperator, promovisset exercitum propter certamina à Deo sibi creditę Christo amabilis Reipublicæ; & ad partes Armeniæ Provinciæ perveniſſet, vnus ex Principibus impiæ partis Severi, execrabilis, nomine Paulus, in illis locis apparens ad eius pietatem accessit, sermonem pro sua errabunda hæresi proferens, &c. (Et infrà:) Imperator verò recta, atque immaculata, è diverso protulit Dogmata, inter quæ & vnius operationis Christi Dei nostri, mentionem fecit, &c.* Hæc Sergius *in sua Epistola*.

739 Et licet de huiusmodi congressu Heraclii cum Paulo, à nemine dubitetur; quo tamen tempore hoc certamen initum fuerit? in hoc sita est difficultas: Si Cardinalem BARONIUM consulamus, audiemus ab ipso, istum congressum initum fuisse anno 13. Imperii Heraclii; qui tertius decimus annus, anno à Christi Incarnatione 622. correspondet: quòd quidem egregiè congruit iis quæ modò diximus, hunc nempè congressum factum fuisse eo tempore, quo Heraclius bello invasit Armeniam; vt aiebat Sergius, quòd anno tertio decimo Imperii Heraclii contigisse, Testatur THEOPHANES, Græcus præclarè Authoritatis Scriptor: *Heraclius (inquiens) anno Imperii sui tertio decimo, profectus à Regia Vrbe celeriter in Armeniam properavit.* In quam Sententiam conspirant CEDRENVS, aliique Scriptores Græci.

740 Hunc autem annum tertium decimum Imperii Heraclii, anno Christi 622. correspondere, manifestè deducitur ex his, quæ Græci Scriptores asseverant; iuxta illos enim annus 12. Heraclii, respon-

pondet anno Christi 621. vt THEOPHANES hisce testatur verbis: *Cum ageret Heraclius in Imperio annum duodecimum, & annus esset Domini 621. &c.* Si ergo annus 12. Imperii Heraclii, fuit Christi 621. rectè deducitur, annum 13. Imperii Heraclii, quo cum Paulo de Religione contendit, fuisse annum Christi 622. vt asserebat Baronius.

741 Secundum congressum in rebus Fidei, & Religionis, iniit Imperator Heraclius, cum Iacobitarum Patriarcha Athanasio, 20. sui Imperij anno; vt sentit THEOPHANES, sic scribens: *Anno 20. Imperii Heraclii, Hormisda regnat in Persis. Cum autem esset Heraclius apud Hierapolim, venit ad eum Athanasius, Patriarcha Iacobitarum, vir acris, & nequam ingenii Syrorum inditas versutias possidens: & moto de Fide ad Imperatorem sermone, repromisit ei Heraclius, si Chalcedonensem Synodum suscepisset, Patriarcham illum Antiochiæ se facturum. At ille simulatè susceptt Synodum, duas in Christo confessus naturas. Interrogavit autem Imperatorem de operatione, & voluntatibus, qualiter has in Christo dicere oporteret, duplas, an simplas, &c.*

742 Quibus addit CEDRENVS, Heraclium, cum Cyrum, & Sergium consuluisset, eosque idem cum Athanasio, Iacobitarum Patriarcha, de vna Christi voluntate, & operatione, sentire invenisset, Romanum consuluisse Pontificem, qui prędictam sententiam condemnavit: *Quorum cum vterque è Secta Monothelitarum esset, invenit eos idē cum Athanasio sentire: quorum sententiam cum ad Ioannem Papam prędscriberet, est hæc ab eo improbata.* Hæc Cedrenus.

743 At tunc temporis, non à Ioanne IIII. sed ab Honorio Pontifice, reiectam esse, ac damnatam, impiam illam Monothelitarum sententiam, errorem-que Heraclii, qui illis patrocinabatur, validissimo argumento, ex historia desumpto, ostenditur, præcipuè si Theophanem præclarum Scriptorem Græcum consulimus; hic enim apertè tradit, annum duodecimū Imperii Heraclij, anno Christi 621. respondere vt vidimus *n.* 739. Vndè si iuxta gravissimi huius Authoris Sententiam, annus 12. Imperii Heraclii, fuit Christi 621. cum Heraclius congressum, cum Athanasio Iacobita inierit, & Cyrum, Sergium, ac tandem Romanum Pontificem consuluerit, anno sui Imperii vigesimo, vt iam suprà diximus: manifestè deducitur, hæc omnia anno Christi 629. fuisse peracta, vt hæc supputatio manifestè ostendit.

Heraclii annus,	fuit	Christi annus.
12.		621.
13.		622.
14.		623.
15.		624.
16.		625.
17.		626.
18.		627.
19.		628.
20.		629.

744 Hinc cum Pontifex, quem Heraclius consuluit, impiam Monothelitarum hæresim damnaverit, manifestè deducitur, prædictam hæresim, non à Ioanne IV. sed ab Honorio fuisse improbatam. Siquidem ille error damnatus fuit anno CHRISTI 629. (Theophane teste) cum autem tunc temporis nondum Ioannes IV. ad Apostolicæ Sedis apicem evectus fuisset, vtpote qui anno CHRISTI 640. Pontifex creatus est; nec potuerit esse Ioannes III. cum iste anno CHRISTI 572. obierit; apertissimè infertur, Pontificem, qui tunc temporis impiam illam Monothelitarum sententiam explosit, (vt testantur illa Cedreni verba: *Est hæc ab eo improbata:* Et illa alia Anastasii Bibliothecarii. *Horum sectam non admisit:* ac tandem illa Theophanis: *Illorum hæresim proscripsit:*) non alium nisi Honorium extitisse; cum nullus alius ab Honorio Ecclesiæ clavum tenuerit, illo anno 629. quo Heraclius Romanum Pontificem consuluit, isteque illi respondit, ac illum errorem reprobavit; quippè Honorius creatus est Pontifex anno 626. & Dei Ecclesiam ad annum vsque 638. (vt ex Baronio aliisque constat) texit. Ex quibus clarè deducitur, Honorium Antesignanum extitisse Pontificum, qui illam Monothelitarum hæresim condemnarunt.

745 Idipsum egregiè confirmat præclarus ille Scriptor HERMANNUS CONTRACTVS *in suo Chronico*; deveniens enim ad gesta anni 635. sermonēque instituens de Sergio Patriarcha Constātinopolitano, ac (vt in Lateranensi Concilio

lio sub Sancto Martino refertur) præcipuo Monothelitarum ductore, hæc habet: * Per hæc tempora Sergius Constantinopolitanus, &c. ab Apostolica Sede damnatus est:* Undè Sergius, istiusque sequaces, vt Monotheliſmi labe infecti, damnati fuerunt anno 635. ab illo Pontifice, qui tunc temporis gubernabat: cumque iste proculdubiò fuerit Honorius, vt patet, tum ex his, quæ supra diximus, tum ex prælaudato Authore, asserente Honorium anno 638. ad meliora domicilia migrasse; (loquens enim de hoc anno sic scribit: * Anno 638. Romæ defuncto Papa Honorio cessavit Sedes Apostolica vnum annum:* Cui adstipulantur Baronius, eiusque Epitomatores Spondanus, atque Bisciola *ad dictum annum num.* 1. Binius *Tom.* 5. *Concilior. in Notis ad vitam Honorii, lit. B.* Marchesius *in Clyp. Fort. differt.* 1. *cap.* 6. Augustinus Oldoinus *in Additionib. ad Ciacon. in vita Honorii*, Danielque Papebrochius *in Conatu Chronico Histor.*) Hinc certò certius apparet, Honorium fuisse primum Pontificem, qui Monotheliſmi hæresim extirpavit.

§. II.

ALIA SOLVTIONE PRÆDICTI *Argumenti vis enervatur.*

746 REspondetur secundò, valdè alienam videri à mente Concilii Censuram, qua Honorii Epistolæ in prædicta Actione 13. afficiuntur; cum huiusmodi Censuram minimè in rei veritate subsistere posse, haud levitèr suprà dicta, infraque dicenda suadeant; nec vmquam in Concilio aliquo visum, auditumve sit, hæreticis annumerari eum, qui & vivus, & mortuus, Catholicus ab Ecclesia habitus est, nec Anathemati subiici Doctrinam, quam Sancti Patres, Romanique Pontifices Catholicam commendarunt, qualem extitisse Honorii Doctrinam, & suprà probavimus. & sequentes rationes apertissimè ostendent.

747 At prius notãdum duximus, primos huiusce modi in Honorium calumniæ inventores fuisse ipsos Monothelitas, qui Honorium à se stare contenderunt. Hoc autem nec Fidei Zelo, qui in ipso enituit, præiudicium aliquod afferre debet, nec huiusmodi impostura Fides à Catholicis est exhibenda, quia nempe à suspectis testibus originem duxit; multi enim Sanctissimi Patres, imo & Pontifices, quos hæretici falsò, ac malitiosè incusarunt, à Catholici semper fuere vindicati.

748 Sic hæretici, Sancto Gregorio Neocesareæ Episcopo, Melecio, ac Eustachio Antiocheno Sabellii errores obiecerunt. De Sancto Dionysio impiè dixerunt, ipsum Ario adhæsisse. Victorino Pictavienſi, vel Pictabionienſi Quartadecimanorum hæresim; Sancto Gregorio Nyseno Origenis errorem; Sancto Epiphanio, Salaminæ in Cypro Episcopo, hæreticum Iconomachorum Dogma falsissimè attribuerunt. Nec Divus Hieronymus Sabelliani, & Manichæi calumniam effugit. Sanctus Cyrillus Alexandrinus Apollinaristæ nota ab hæreticis infamatus est; ipsique hæretici Sanctum Fulgentium, Ruspensem Episcopum, Photiniani errores secutum asserere minimè erubuerunt. Sanctum insuper Anselmum, aliosque Sanctissimos Episcopos, Catholicosque Doctores, imo & aliquos Summos Pontifices, vti Sanctum Martinum Papam, Divum Gregorium septimum, Sanctumque Gregorium Magnum hæretici per summum nefas calumniati sunt. Tandem Monothelitæ celebriores Ecclesiæ Sanctos à se stare totis viribus contenderunt, quorum calumnias Catholici semper aspernati sunt. Et vt sana, ac Catholica Sanctorum Patrum Doctrina clariùs innotesceret, in Sanctissimis Conciliis Lateranensi nempè, sub S. Martino; & VI. Synodo, sub S. Agathone Papa celebratis, prædictas Sanctorum Patrum Authoritates à Monothelitis, precipuè verò à Patriarcha Macario, istiusque sequacibus vitiatas esse, ac corruptas, demonstratum est; illæque Authoritates, quarum sensus dubius esse poterat, ac difficilis, in Catholico sensu expositæ sunt. Cum igitur Sancti Patres, & quod maximum est, ipsi Pontifices Honorii Epistolas in Catholico sensu explicuerint, vt probatum est, & amplius adhuc demonstraturi sumus, parvi momenti existimandum erit quod in Actione 13. VI. Synodi tanto Pontifici falsò supponitur adscriptum.

749 Et certè animadversione dignum, tot inter calumniatores, qui Honorii Sanctitatem obnubilare conati sunt, nullum esse, qui Catholicum aliquem Autho-

thorem eorum temporum, in quibus Honorius vixit, producat; imo nec vllus illorum Authorum, qui quadraginta annis ab Honorii morte, sive Græcè, sive Latinè scripserunt, occurret, qui Doctrinam Epistolę Honorii ad Sergium erroneam esse, aut Honorium in illa Epistola falsam, ac impiam Sergii sententiam secutum fuisse, affirmet.

750 Nec silentio prætereundum est, quòd cum illis quadraginta annis, qui ab Honorii obitu, ad VI. vsque Synodum fluxerunt, tot viri, tum Sanctitate, tum litteris, in Græcia floruerint, qui Monothelitarum errori sese viriliter opposuerunt, ac cum impię illius hæreseos Authoribus, variis Nationalibus Conciliis, tunc temporis in Orientalibus congregatis, strenuissimè decertarunt: vt Sanctus Maximus, Sanctus Arcadius, Divus Sophronius, aliique Sanctissimi Episcopi penè innumeri, qui summo Fidei Zelo æstuantes, Catholicæ Religionis augmento ardentissimè invigilarunt, validissimoque Verbi Dei gladio, Monotheliſmum cõfodere, penitusque delere, ac totis viribus exterminare conati sunt, ne vnus quidem inveniatur, qui Honorium, nec in prædicta Epistola ad Sergium, neque in vlla alia ex multis, quas longo sui Pontificatus tempore scripsit, reprehensibilem in rebus Fidei agnoscat; quod quidem evidenter convincit Honorii Doctrinam, nec culpæ obnoxiam, nec reprehensione dignam à Sanctissimis illis viris fuisse iudicatam; etenim si talem illam agnovissent, haud dubium quin Divum Paulum imitati fuissent, qui *in faciem restitit Petro, quia reprehensibilis erat.* Cui enim in mẽtem veniat, credendum esse à nobis maiori Fidei zelo hæreticos, quàm Orientis Catholicos pręditos fuisse; maiorẽque à nobis Fidem exhibendam esse hæreticis, quàm Sanctis, qui in Græcia, Virtute, ac litteris insignes, numquam Honorii Epistolas, calumniati sunt: imò illas semper in Catholico sensu vsurparunt, vt à nobis infrà demonstrabitur?

751 Qui inter Græciæ Patres, grassantem ibi Monothelitarum hæresim validius expugnavit, Sanctitate, Doctrinaque præclarus, quique Honorii mentem perfectius compertam habere potuit, & agnitam, fuit Sanctus Maximus; siquidem communi spiritu & luce fruebatur illia tempestate, qua hæretici impiam illam, de vna Christi voluntate, calumniam Honorio Pontifici affixerunt; is autem totis illis viginti annis, quibus Honorio supervixit, illum semper ab iniqua illa impostura duplici via vindicavit, asserens fuisse manifestam Græcorum fictionem vocem illam, *vnam*, Honorij litteris inserere. Sic censet *in Epistola ad Marinum*, idque deducit ex celebri testimonio Sanctissimi viri, qui cum Honorio Pontifici fuisset à secretis, illamque Epistolam Honorii nomine scripsisset, attestatus est, vt refert idem Sanctus: * Quod nullo modò (Honorius) mentionem in ea per numerum fecerit vnius omnimodæ voluntatis; licet hoc nunc sit fictum ab his, qui hanc in Græcam vocem interpretati sunt: verum nec quamlibet exinanitionem, vel abolitionem naturalis secundum Humanitatem Salvatoris voluntatis, &c.* vt suprà diximus. Hæc, Vir ille Sanctissimus, cui Sanctus Maximus subscribit. Et certè rationi valdè consentaneum est, vt prædicto Viro sine vlla hæsitatione exhibeatur Fides, tum quia summæ Fidei, & Authoritatis testem probata ipsius Sanctitas commendat, tum quia Honorio Põtifici familiarior fuit, quique perfectius potuit illius mentem agnoscere, illiusque sensum adeò certè, & verè exponere, vt nullus Sententiæ Honorii certior, atque fidelior accedere possit interpres; prædictam enim scripturus Epistolam necesse erat, vt sermones aliquos cum illo conferret, illiusque mentem perfectissimè calleret. Et quidem SANCTUS MAXIMVS in Disceptatione cum Pyrrho inita, circa hęc eadem verba, quæ modò in Honorii Epistola leguntur: *Vnam voluntatem fatemur*; adeò id expendit, tantumque in huius viri verbis momentum, & pondus rationi, & veritati constitutum esse iudicavit, vt à Pyrrho quæsierit: *Quis fuerit fide, & Authoritate dignus Epistolæ huius interpres, qui eam ex persona Honorii scripsit, adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum alijs Virtutibus, tum pietatis Dogmatibus illustravit, an qui Constantinopoli ex suo corde loquebantur? Cui Pyrrhus: Ille qui hanc scripsit:* Hic autem, ea, quę modo ex Sancto Maximo adduximus, attestatus est. Si ergo Pyrrhus ipse refractarius disputator, præ-

ci-

cipuus inter Monothelitas Hæresiarcha, & vt talis à VI. Synodo damnatus, in ea publica disputatione inficiari non potuit, integram Fidem exhibendam esse verbis, quibus vir ille Sanctissimus, qui ex Honorii persona Epistolam illam scripsit, attestatus est, verbum illud de vna Christi voluntate fictitium esse, & ab eo, qui prædictam Epistolam è Latino Græcam fecit, superadditum; profectò præcipuum, capitaleque adversariorum corruit fundamentum, cum falsæ suppositioni innitatur, prædicta nempè verba, de vna Christi voluntate, in Latino Authographo, Epistolæ Honorij fuisse reperta.

752 Et quamquam ea verba: *Vnam voluntatem fatemur Domini nostri IESV CHRISTI* in prædicto Latino Authographo reperirentur, non indè deduceretur, Honorium in Monothelitarum hæresim incidisse; ibi enim, vt ipsius Epistolæ contextus apertè demonstrat, de Humana CHRISTI voluntate loquitur Honorius, quam vnam esse, non duas, à nemine dubitatur. Nec ex illis verbis infertur CHRISTO Domino duas ab Honorio denegatas fuisse voluntates, vt rectè annotat SANCTVS MAXIMVS *in prædicta Epistola ad Marinum*, sic scribens: *Honorium etiam, Romanum Papam, non diffiteri reor naturalitèr in CHRISTO voluntatum dualitatem in Epistola, quam scripsit ad Sergium, eo quòd vnam dixerit voluntatem; sed potius confiteri, & hanc fortassis constabilire.* Si ergo, iuxta Sancti Maximi mentem, Honorius in prædictis verbis (estò illius esse demus) non negat, imò fatetur Catholicum Dogma de duabus CHRISTI voluntatibus; manifestè deducitur, Honorium in prædicta Epistola de duabus CHRISTI voluntatibus, cum VI. Synodo Catholicè sensisse. Non igitur credibile videtur, Sanctæ, & OEcumenicæ Synodi mētem fuisse inter Monothelitas damnare eum, qui suis in Epistolis contra illius hæresis Authores Catholicè sensit, & pro eadem VI. Synodi Definitione viriliter stetit.

753 Consonat Divo Maximo Vir ille antiquitate, & vtriusque linguę, Latinæ scilicet, & Græcæ, eruditione Insignis ANASTASIVS, Apostolicus Bibliothecarius, qui post VI. Synodum floruit; hic enim *in Præfatione ad Ioannem Diaconum* arbitratur certum minimè esse id, quod de Honorio Pontifice, circa vnam CHRISTI voluntatem, in VI. Synodi Actis refertur: * Quis, inquit, erit, qui nobis interim dicat, vtrum ipse pro certò dictaverit Epistolam, de qua illum anathematizandi fomitem calumniatores susceperunt; cum & Scriptoris vel indisciplinatione, vel in Pontificem odio, quid contingere tale potuerit? *

754 At non solus Sanctus Maximus, sed ille etiam Catholicæ Fidei contra Monothelitas propugnator acerrimus SANCTVS SOPHRONIVS, in illa Orientis parte, Honorium Pontificem contra Monothelitas, qui ob illius Epistolæ verba hunc pro se stare conabantur, defensionis suæ scuto vindicavit, eodem illo tempore, quo à prædictis Monothelitis tantus Pontifex fœda illa calumnia afficiebatur. Id eleganter probat antiquissimus Codex, qui VI. Synodi Historiam Arabico Idiomate continens, in Apostolico Vaticanæ Bibliothecæ Archivio custoditur; in illo enim, hæc, inter alia, leguntur: * Ibi etiam egimus de rationibus, & argumentis, quæ ex Authoritate pro se adversus Sophronium obiectabat Cyrus, nimirum Honorium Papam Romæ, & Sergium in eadem esse cum ipso opinione, & sententia; quod quidem constanter inficiabatur Sophronius. *

755 Ex quibus apertissimè constat, Sanctum Sophronium constanter negasse, Honorium vmquam Sergii errori adhæsisse: at nulli aptiùs innotescere potuit Honorii mens, quàm prædicto Sophronio; cum enim hic, de illo Monothelitarum errore scriptis cum Honorio egerit, suosque sensus circa illam hæresim cum illo contulerit, optimè potuit ex responsivis Honorii Epistolis Catholicum illius sensum perspicere; at ita Catholicum agnovit, vt constanter negaverit, Honorium in his, quę ad vnam CHRISTI voluntatem spectant, eamdem cum Sergio tenuisse sententiam: immeritò ergo fœda hæc convitia in tantum Pontificem à calumniatoribus effunduntur.

756 His magnum Authoritatis pondus iniecit IOANNES IV. Pontifex Maximus, qui tribus ab Honorii obitu annis ad Apostolicæ Sedis apicem conscendit: cum enim Pyrrhus, Sergii in Constantinopolitano Patriarchatu successor, iniquam illam in Honorium Pontificem ca-

lumniam, in illis Orientis partibus evomeret, illius famam, decus, & æstimationem iniquè lædens, dùm illum pro suo errore adducere nitebatur; Ioannes IV. nè Apostolicæ Sedis Dignitas, ac honor calumniis illis obscuraretur, nevè Constantinus Imperator, Heraclii Filius, dolis illis innecteretur, coactus fuit asserere, omnes Occidentales partes scandalizatas turbari falso illo rumore, quem Patriarcha Pyrrhus contra Fidei puritatem, quę in Honorio effulsit, divulgabat. Undè *in prædicta Apologia* hæc, inter alia, scribit: * Quantum enim ex diversis suggestionibus, quæ ad nos catervatim venerunt, quinimò & ex ipso quoque auditu didicimus, Occidentales partes scandalizatę turbantur, fratre nostro Pyrrho Patriarcha per litteras suas, huc, atque illuc transmissas, nova quædam, & præter regulam Fidei prædicante & ad proprium sensum, quasi Sanctæ memorię Honorium Papam; Decessorem nostrum, attrahere festinante, quod à mente Catholici Patris erat penitus alienum, &c. *

757 Quibus verbis nihil, nequè contra falsum illum rumorem, quo Honorium detestandæ illi, de vna CHRISTI voluntate, hæresi adhæsisse iactababur, clarius; neque pro Catholico tanti Pontificis sensu luculentius potest excogitari; etenim quàm aliena à Monotheliśmo extiterit Honorii mens, ac sententia, apertissimè ostendunt illa Ioannis Pontificis verba: *Quod á mente Catholici Patris erat penitús alienum.*

758 Memoratu etiam dignum, quòd simul atque Romæ delatum est, errorem illum de vna CHRISTI voluntate Imperatoris Heraclii Ecthesi, sive Edicto innixum, tàm à Pyrrho, quàm à cęteris Monothelitis in Orientalibus partibus disseminari, Ioannes IV. iudicans sui Apostolici muneris esse, tam gravi damno occurrere, Cōcilium Romæ *anno* 640. iuxta BARONIVM, & alios congregavit, vbi prędictum errorem, & Ecthesim condemnavit. * Ioannes Romanus Præsul (inquit THEOPHANES) collecto Episcoporum Concilio, Monothelitarum hæresim Anathematizavit. * SCRIPTOR etiam ACTORUM SANCTI MAXIMI, hæc habet: * Conventum Episcoporum Episcopus Romæ egit, vt communi cum Concilio absurdum Dogma execrationi, & Anathemati subjiceret. Quod illi, vt facerent, hortatione, ac præceptis Divini Maximi adducti sunt. * In hac Monotheliśmi Anathematizatione diligenter perpendendum est, quòd estò Ioannes IV. Pyrrhum, Sergium, cæterosque Orientis Patriarchas Monotheliśmo infectos damnaverit, *in Apologia* tamen *ad Imperatorem*, pro Honorio, ab iniqua illa calumnia, qua hæretici tanto Pontifici Monotheliśmum adscribebant, meritò vindicavit, illiusque sensum Catholicum esse ostendit. Hanc autem Apologiam in eodem Concilio Romæ congregato editam esse, plures gravissimi testantur Autores, præcipuè P. FRANCISCVS MARCHESIVS eximia eruditione clarus *in Tomo*, cui titulus *Clypeus Fortium pro Honorio D. S. sert. 1. cap. 8.* vbi hæc habet: * Hæc Apologia ad Constantinum Imperatorem, eò magis pendi debet, quòd non ex sola Pontificis mente, sed in pleno Occiduorum Patrum consessu compilata fuerit; cui Authoritatem quoque addit Divi Maximi, cum Pyrrho disceptantis, Approbatio. *

759 In Ioannis IV. *anno salutis* 642. demortui Pontificatum, Spiritum, ac Fidei Zelum, Theodorum Pontificem immediatum illius successorem venisse, SANCTUS MAXIMVS hisce testatur verbis: * Non minus Præsulatus, quàm Orthodoxię hęres sufficitur: * Qui Prędecessoris sui vestigia secutus Honorium Pontificem tutatus est à turpi calumnia, qua illi assiduè conviciabantur Apostolicę Sedis æmuli, vti Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, qui *in Epistola ad Theodorum Pontificem*, Pontificis Honorii fidem, famam, & opinionem ausus est commaculare, hæc scribens: * Consonantes facti sunt pię memoriæ Sergius, & Honorius, vnus quidem Novæ, alter autem Antiquæ Romæ, Summi Sacerdotii Sedem decorantes. *

760 Pontifex verò Theodorus agnoscens non modò pertinaciam, qua Paulus Monotheliśmi laqueis erat irretitus, sed etiam improbitatem, qua non sine ingenti Honorii blasphemia, ac Apostolicæ Sedis dedecore, conabatur detestandum illum Monothelitarum errorem tanti Pontificis Authoritate munire, prædictum Paulum Anathematizatum Patriarchatu privavit, vt testa-

tur

tur SANCTUS MARTINUS Pontifex in sua Lateranensi Synodo *Secret.* 1. * Propter quod (inquit) iusta ab Apostolica Sede, & ipse depositionis vltione percussus est: * Quo tam execrabilis in Honorium Pontificem calumniæ, pœnam æquissimam persolvit, quam nullus potiori, ac æquiori iure valuit infligere, quàm Pontifex Theodorus, qui cum Romæ illis Honorii temporibus vixisset, potuit vtique perfectissimè agnoscere, & quàm Catholicus Honorii sensus extiterit, & quàm æquissimis pœnis subjiceretur, qui Sergii in Monotheliſmo socium efficeret, ac eiusdem erroris complicem falsò prædicare auderet eum Pontificem, qui omnium primus, Apostolico spiritu actus in Sergium, ipsum eiusque sequaces damnavit, vt probavimus.

761 Nec minori cura, ac zelo veritati, & Apostolicæ Sedis honori, consuluit Sanctus Pontifex MARTINUS, qui Monotheliſmi Hæresim extirpaturus, Romę Generale Concilium indixit, vt dogmati Ecclesiæ Dei pernicioſissimo, opportunum adhiberetur remedium, quod re ipsa adhibuit Pontifex, quinam effræni illa, ac detestanda hæresi infecti essent, ostendens. Huic autem Concilio personaliter affuit Martinus, & erronea illa, ac pernicioſa Monothelitarum dogmata, præclara Doctrinæ suæ efficacia cunfudit, & Apostolico Zelo curavit, vt ad illam Synodum celebriores Christiani Orbis Episcopi confluerent, quos inter adfuit Maximus Sanctitate, & Doctrina insignis, vt rectè annotavit Sanctus Scriptor THEOPHANES, hæc inquiens: *Cum autem Maximus Romam perveniſſet, Papam quoque Martinum ad æmulationem accendiſſet, Synodo 110. Episcoporum collecta, Sergium, & Pyrrhum Anathematizaverunt.*

762 Cui consonat SCRIPTOR ACTORVM SANCTI MAXIMI, hæc natrans: *Martinus Religioſissimus in illius Throno instituitur, cuius virtutem divinus Maximus admiratus, eum plurimùm frequentabat, atque vbique erat, de multis cum eo, quę fieri oporteret, loquebatur. Itaque cum eo consilium capit, omnes, qui vbique essent, Episcopos congregare, magnamque Synodum celebrare, vbi ad centum & quinque convenerunt, cum ijs sapientissimus Maximus interesset, omnia cum ratione, ac Divino Spiritu egerunt.* In hac ergo celeberrima Synodo, in qua Sanctissimi illi Patres, vna cum Sancto Martino, Fidei veritatem contra falsum, erroneumque hęreticorum sensum statuere diligentissimè procurarunt, Catholico sanè Zelo invecti sunt in Patriarcham Paulum, istiusque scripta, præcipuè in Epistolam, qua Fidei puritatem, quæ in Honorio Pontifice enituit, fœdissimis Monotheliſmi maculis aspergere conatus est, Honorium & Sergium consonantes esse, non sine ingenti & temerario ausu, affirmans: cumque Sanctissimi illius Synodi Patres æquè de veritate, ac de malitioſa calumnia, Sanctissimo Pontifici falsissimè adscripta, conscij essent, adeò Paulum, istiusque Epistolam contempserunt, vt lectis illis prędictę Epistolæ verbis: *Honorius, & Sergius consonantes erant*; statim intolerabilem Pauli audaciam damnandam, illiusque scripta anathematis fulmine exterminanda esse censuerint; quod patet ex Epistola Sancti Martini ad Constantinum Imperatorem, & ex ipsis Sancti Concilii Actis, vbi SANCTUS MARTINUS, de Paulo istiusque sequacibus, hæc scribit: *Tum ipsos, tum ea, quæ impiè docuerunt, igne Canonicæ Sententię exurentes Synodaliter condemnavimus. (Et *alibi*:) Cum omnibus, quæ pro his acta, scriptaque sunt, &c.* Nec mirandum est, quòd is, qui Christo adeò fuit blaſphemus, vt illi voluntatem Humanam, imò iuxta Sanctum Maximum, Divinam etiam negavit, adeò impius fuerit, vt Honorio Pontifici, Christi in Apostolicæ Sedis Throno Successori, quique vt Christi Vicarius Dei Ecclesiam Sanctissimè gubernavit, debitum honorem non detulerit, meritamque reverentiam non exhibuerit. Vndè iustissimè Divina Providentia dispoſuit (iuxta illud: *Qui vos spernit, me spernit*:) vt sacrilega Pauli Monothelitæ (vel, vt verius dicam, Anti Pauli) lingua, & calamus, debitas vtrique sceleri pœnas subierint.

763 At quamvis singularis exiterit Zelus, quo vterque prædictus Pontifex, Theodorus nempè, & Martinus, in extinguendam Monothelitarum hæresim incubuit, non minori laude dignus apparet glorioſus ille Fidei fervor, qui in Sanctiſſimis Pontificibus Honorio, & Severino effulsit; isti enim Apostolicam sollicitudi-

nem,& Authoritatem,in explodenda prædicta Orientalium Patriarchatum hæresi, primi omnium exercuerunt. Id apertissimè docet SANCTVS MARTINVS Pontifex *in Epistola*,quàm *ad omnes Fideles* scripsit,illis enarrans quæ in suo Lateranensi Concilio , contra Orientales Patriarchas Theodorum , Cyrum , Sergium, Pyrrhum, & Paulum gesta sunt,ac statuta, postquam Ecclesia,pro suo materno affectu,illos Monotheliſmi fœcibus inquinatos vehementer dolens,nullis neque hortationibus, neque obiurgationibus potuit propter eorum pertinaciam,à sordido hæreseos cœno ad suum piissimum sinum revocare. *Propter pravas (inquit) eorum adinventiones , & praviora novitatis commenta , & interiora cordis , iuxta Beatum Ieremiam,turbati, Catholicæ recordationis Antecessores nostri Pontifices, non destiterunt admonentes eos , & contestantes recedere à sua huiusmodi hæresi , & sanam Doctrinam complecti. Hoc autem consultissimè non solum ipsi effeciſſe noscuntur,&c.*

764 Ipse insuper Sanctus Martinus Pontifex, Sancto Amando Episcopo scribens, postquam prædictos Patriarchas, qui Monotheliſmi sequebantur errorem , recensuit , hæc habet: *Pro qua re sæpius Apostolica Sedes persuasionibus , contestationibus , atque increpationibus plurimis, admonuit eos, quatenus ab huiusmodi errore recederent.*

765 Id ipsum confirmat Sanctus Pontifex AGATHO , dum Constantino Impetatori scribens , illi enarrat , & expendit curam, & sollicitudinem , qua sui Prædecessores in Orientalium Patriarcharum Cyri, Sergij, Pyrrhi , & Pauli correctionem , & emendationem incubuerant, salutaribus hortationibus commonentes, vt à Monotheliſmi errore deflecterent, Catholicamque nostræ Fidei Veritatem, agnita illius hæreseos falsitate , complecterentur, sed frustrà ; illi enim Patriarchæ, suo errori, & iudicio pertinacia quadam addicti,salutari Sanctæ,& Apostolicę correctionis medicina contempta, incorrecti perstiterunt.

766 Sic docet Sanctus Pontifex *in prædicta Epistola* , quæ *Actione 3. VI. Synodi* continetur ; in illa enim hæc scribit Pontifex : *Consideret itaque vestra tranquilla Clementia,quoniam Dominus,& Salvator omnium , cuius Fides est,qui Fidem Petri non defuturam promisit , confirmare eum fratres suos admonuit , quod Apostolicos Pontifices, meę exiguitatis Prædecessores confidenter feciſſe semper,est cognitum cunctis.*

767 Et *infrà*: *Vnde & Apostolicę memorię, meę parvitatis Prædecessores, Dominicis Doctrinis instructi ex quo novitates hæreticas,in Christi immaculatam Ecclesiam, Constantinopolitanæ Ecclesię Præsules introducere conabantur , numquam neglexerunt eos hortari , atque obsecrando commonere , vt à pravi dogmatis hæretico errore , saltem tacendo desisterent, nè ex hoc exordium dissidii in vnitate Ecclesiæ facerent.* Tandem Theodoro,Cyro, Sergio, Pyrrho , Paulo, & Petro recensitis , sic concludit: *Meæ humilitatis Prędecessores Apostolicos commonuisse , rogasse, increpasse , arguisse, atque omnem modum exercuisse exhortationis , quatenus medelam posset recens vulnus accipere.*

768 Supposito ergo isto irrefragabili vtriusque Pontificis , Martini scilicet, & Agathonis testimonio , quo vnanimiter asserunt , suos Prædecessores omni sollicitudine, diversis temporibus, contendisse, Constantinopolitanos Patriarchas corrigere , reprehendere , & à Monotheliſmo illos recenter disseminato revocare , videndum modo nobis est , quinam fuerint illi Prædecessores , de quibus Sanctissimi Pontifices loquuntur ? Et quidem quoad Theodori, Pharanitani Episcopi, Patriarcharumque Sergii, & Cyri correctionem, qui præcipui fuerunt Monothelitarum Antesignani , nullatenùs occurrit posse illa Sancti Martini , & Agathonis verba de alio, quàm de Honorio verificari : siquidem Theodorus Pharanitanus Episcopus, in eo errore vixit , & in eodem mortuus est eo tempore , quo Honorius Ecclesiam moderabatur. Similitèr prædicti Patriarchę Cyrus , & Sergius prædictæ hęreseos laqueis,maiori temporis parte, sub Honorio Pontifice irretiti sunt ; estò enim sub Severino Pontifice , immediato Honorii Successore,obierint ; attamen cum iste non nisi tres menses Ecclesiæ clavum tenuerit, vix potuit brevissimo illo tempore Orientis Patriarchas , adeò diffitos , & in suo errore contumaces corrigere , & emendare. Id non leviter insinuat Cardinalis

lis Baronius ; cui consonat eruditus PARER MARCHESIVS in suo *Clypeo Fortium*, *cap. 9.* sic scribens: * Huiusmodi increpatoriæ monitiones non ab alio, quàm ab Honorio fieri potuerunt, vtpote cui paucis mensibus Sergius Cyrusque supervixere, vti Baronius animadvertit, Theodoro Pharanitano Honorii temporibus iam extincto. *Diversis temporibus* consultissimè *scribentes* ait Martinus. Hæc Honorii tempus indicant, cum Severinus, Successor Honorii, vix tribus mensibus Pontificatum rexerit, & ante eius mortem, Sergius iam à vita migrasse reperiatur. * Hæc ille.

769 Nec soli Pontifices, qui VI. Synodum præcesserunt, sed etiam Adrianus I. qui 120. annis à VI. Synodo floruit, Honorium Pontificem, ceu vèrè Catholicum, veneratus est ; etenim Monasterium ab Honorio conditum reedificari, & ad pristinam melioremque fortunam iussit revocari, Monachis præcipiens, vt tanti Pontificis memoriam perpetuò colerent, prout expresè habetur in Pontificali, vbi, dum Adriani I. Pontificis facta narrantur, hæc leguntur: * Hic Honorii Papę Monasteriũ, Divina inspiratione motus, noviter edificavit, atque ditavit, &c. Ab vno Choro Monachi, ex Monasterio Sancti Pancratii ibidem posito, & ab altero Choro Monachi iam fati Monasterii Sancti Andreæ, & Bartholomæi, Honorii Papæ; quatenus piis laudibus paritèr psallentes, hymniferis Choris lęti resonent cantus, reddentes Domino glorioſos melos, persæpius memorantes venerandi Pontificis nomen, scilicet, in sæcula memoriale eius pangentes carminibus. *

770 Ex quibus manifestè deducitur Adrianum Pontificem tot annis post VI. Synodum, tam longè ab fuisse, vt impostura illi, qua veteratores aliqui Græci in VI. Synodo Honorium calumniati sunt, assensum pręberet, vt imò potius Honorii, Apostolicęque Sedis Dignitatẽ, & honorẽ à fędis Monothelitarum impostoris vindicando, & in veritatis lucem asserendo, piissimê, ac æquissimè iusserit, prędictam Ecclesiam, Monasteriumque instaurari, vt in illo Honorii nomen perpetuis laudibus coleretur.

771 At non modò prædicti Patres, Sanctissimique Pontifices, Fidei puritatem, quam in Sanctissimo Pontifice Honorio agnoverunt, scriptis suis quam maximè, celebrarunt, sed illam etiam egregiè commendavit CONSTANTINVS Imperator, qui VI. Synodo præfuit ; cum enim Patriarchę Georgius, & Macarius, ab Imperatore vehementer contenderent, vt, retento Honorii nomine Vitaliani Pontificis nomen, è Dyptichis Ecclesiæ eiiceretur, Sacratissimus Imperator, eorum prębus contemptis, respondit, se vtrosque æqué Catholicos venerari, vt patet *ex Epistola*, quam *ad Domnum Pontificem* scripsit, in qua hæc habet: * Sed ad hoc non acquievimus (id est vt eiiceretur Vitalianus è Dyptichis) hoc quidem vtpotè omnem æqualitatem servantes, & vtrosque Orthodoxos habentes. *

772 Pro maiori horum confirmatione memorandum duximus EPITAPHIVM, quo Honorii Sepulchrum condecoratum cernitur; illo enim egregiê enituit ferventissimus Fidei Zelus, quo æstuans Honorius, Schisma, quod septuaginta annos Ecclesiam Dei vexaverat, penitûs extirpavit, vt testatur BARONIVS *ad annum 638.* vbi Honorium. * Magni Gregorii non modò imitatorem, sed ex hac parte in revocandis Schismaticis eo præstantiorem recolit. * Quod confirmat SPONDANVS *ad an. 638. n. 2.* sic scribens: * Sed mirabilius planè, quod in refossis nuper egregiis antiquitatum monumentis de eodem Honorio Papa traditur (à Canisio *Antiq. Lect. Tom. 6. pag.* 411. *Appendice Antiq. Inscript. pag.* 1163. *num.* 5. *& pag.* 1165. *num.* 11.) nempè ab ipso sublatum Schisma Histrianum de tribus Capitulis, spatio annorum septuaginta inveteratum, ad quod demoliendum frustra insudassent Prædecessores Romani Pontifices præsertim verò S. Gregorius, vt vidimus superiùs. Vndè mirificè commendatur ipsius Honorii Pontificatus, omni quidem ex parte laudatissimus. *

773 Adeo in hæresibus extirpandis excelluit Honorius, vt Sanctus Maximus ipsum præferat cęteris Pontificibus, qui sese Monotheliſmo oppoſuerunt ; *in Epistola* enim, quam *ad Petrum Illiricum* hac de re scripsit, narrans ea, quę à Summis Pontificibus Severino, & Ioanne, immediato Severini Successore, contra prędictam Monotheliſmi hæresim gesta

sta sunt, Honorium cum illis comparans, sic commendat: * Quid autem, & Divinus Honorius? Quid verò, & post illum Severinus senex? Quid denique ex his, qui post hunc extitit, Sacer Ioannes? Porrò is, qui nunc præsidet, Beatissimus Papa omisit, quicquam supplicationi conveniens? * Vndè si Honorius Pontifex iuxta prædicta Sancti Maximi verba, circa id ipsum, quod tres prædicti Pontifices in Monothelitas præstiterunt, quodque Sancti Maximi approbationem, & acclamationem meritò promeruit, sese divinitùs gessit; proculdubiò suum Apostolicum Zelum, non modò æquè, ac alii, sed longè præstantiùs exercuit, sesequè validiùs cæteris, invictèque Monotheliſmo opposuit.

774 Catholicam insuper Honorii Fidem egregiè commendat præclarus ille vir vtriusque linguæ Latinę, & Græcæ eruditione insignis, antiquitate, & historię peritia celebris, ANASTASIUS, Apostolicus Bibliothecarius, qui anno 180. post VI. Synodum floruit, & de quo hæc testatur THRITHEMIVS: * Apostolicę Bibliothecæ Custos, & instaurator sagaciſſimus, in diversis scripturis eruditus, & in sæcularibus litteris nobiliter doctus.* Hic igitur præstantissimus vir, Divo Maximo litterarum eruditione minimè inferior, vt plures testãtur Authores, *in Apologia*, quam *pro Honorio* scripsit, cuius fragmenta, Patris Sirmondi ê Societate Iesu opera Parisiis *anno* 1620. prodierunt, hoc titulo inscripta *Anastasij Bibliothecarij Sedis Apostolicæ Collectanea*; de Honorio hæc asserit: * Verum si omnia exaggerare volumus, quæ in Honorii Papę excusationem colligere possumus, faciliùs charta, quàm sermo deficiet, & interpretandi propositum ad dictationis profectò vertemus eloquium. Vnum autem dicimus, quod reticere proculdubio non debemus, quia talis est dictus Honorius, qualis est & pronunciatus, quòd si talis non fuit, cui fuit præfixa Sententia, profectò non erit, quoniam sicut scriptum est, *homo videt in facie, Deus autem in corde.**

775 Et prosequitur: *Sed ecce dum prolixiùs Præfatio ad re nostra dirigitur (ad Ioannem Diaconum) ab interpretandi studio procul abiectissimus, ostendere gestientes, quòd in Apostolicæ Sedis Petra, quantum ad Fidem pertinet, nec etiam per Honorium, inventum sit vmquam, serpentis, id est virulentæ sectæ vestigium. Sume igitur iam memoratam Ioannis Papæ pro Honorio Apologiam: sume etiam & pro eodem ipso Apologiam ex Epistola Maximi Monachi, & revera Philosophi, CHRISTIque Dei nostri Martyris missa Marino Presbytero, diffloratam. Ipse quippe Beatissimus Maximus non solum in iam dicta, sed & in ea, quàm scripsit ad Abbatem Thalasium Epistola, iam nominatum defendit Honorium: verùm etiam in Epistola sua dogmatica, quàm ad Petrum scripsit *Illustrem*, *Magnum hunc*, & *Divinum* appellat.*

776 Silentio premere, nec possumus, nec debemus, quòd in Basileensi Concilio contigit. Adfuit huic Generali Synodo anno 1433. Archidiaconus Barcinonensis IOANNES POLEMAR, singulari Doctrina celebris, qui tres dies contra hæreticos Bohemiæ peroravit, & Articulum de Potestate Ecclesiasticorum in temporalibus, à Petro Raynè Britanno propositum, acerrimè cõfutavit, cuius Orationem affert HENRICUS CANISIUS *Tomo* 12. Conciliorũ recenter Parisiis edito. In hac ergo peroratione memorans prædictus Ioannes Viros, qui Sanctitate, Doctrina, & miraculis insignes, Dei Ecclesiam gubernarunt, sic de Honorio loquitur: *Item Honorius Papa miræ pietatis fuit, cuius tunica dęmoniacus quidam indutus fuit, & liberatus est.* Et loquens de immediatis Honorii Successoribus, hæc habet: *Item Sanctus Severinus benignus amator Cleri, & pauperum, possessiones Ecclesiarum ampliavit. Item Ioannes IV. thesauris Ecclesiæ distractis multa millia hominum per Istriam, & Dalmatiam redemit.*

777 Tandèm numeratis, ac, vt par erat, laudatis aliis, Pontificibus, qui ad Nicolaum vsque Primum, Ecclesię clavum tenuerant, sic concludit: *Omnes prędicti fuerunt in Sede Romana post dotationem Ecclesiæ, viri Sancti, approbatę Sanctitatis.* Si autem verum esset id, quod de Honorii damnatione à VI. Synodo lata asseritur, nec dicta Synodus huiusmodi verba in lucem prodire passa esset, nec Ecclesia permisisset, vt illa eadem verba iterum typis, post tot sæcula, mandarentur, præcipuè in Gallia, vbi ab

aliquibus Authoribus Honorianę Fidei puritas perperam impugnatur.

778 Vndè cum improba illa in Honoriũ calumnia, suum duxerit ortum à Monothelitis, qui tanti Pontificis Fidem, & opinionem obtenebrantes, suum errorem illius sub vmbra voluerunt cęlare: cumque insuper Honorianę Fidei candor, summis laudibus fuerit à Sanctissimis viris acclamatus, non modò toto illo tempore, quo tantus Pontifex vitam protraxit, sed etiam duodecim illis sui Pontificatus annis, &, quod maximum est, totis illis quadraginta, qui à suo fœlici obitu ad Sextam vsque Synodum fluxerunt, quin reperiri possit Catholicus aliquis illius temporis Author, qui illum in rebus Fidei, vel minimi adhuc erroris, & incuriæ reum agnoscat; imò Sanctus Maximus, & Sanctus Sophronius Apostolicum Honorii in Monotheliſmo extirpando Zelum magnis prosequuntur encomiis, nostrumque Honorium, ceu virum verè Catholicum, imò & Apostolicum, venerati fuerint Sanctissimi Pontifices Ioannes IV. Sanctus Theodorus, Sanctus Martinus, Sanctus Agatho, & Constantinus Imperator piissimus; testes quidem in Ecclesia Dei supremæ, ac venerandæ Authoritatis, incredibile planè sit, VI. Synodum, aliudvè Concilium voluisse, inter Monothelitas connumerare eum, quem Summi Pontifices Divino Spiritu aflati, Fideique ac Religionis Patres Catholicum proclamant, Sanctissimi viri summis laudibus efferunt, totque Ecclesiæ Proceres, Apostolicum Monotheliſmi prædicant expugnatorem.

CAP. XVI.

TOTA ARGVMENTI MACHIna tertia solutione corruit, & VI. Synodi Acta quoad Honorii damnationem vitiata esse, vberiùs multipliciter ostenditur.

779 REspondetur tertiò: Negando vllo authentico instrumento, creditu digno, de Honorii damnatione legitimè constare; cum enim Pontificis damnatio, quòd in Fide defecerit, sit damnatio personæ, maiorem, ac supremam totius Ecclesiæ Dignitatem obtinentis, sitque ob delictum gravius, indignius, ac enormius omnium, quæ excogitari possunt de illo, qui sui muneris ratione Fidei, & totius Christianæ Religionis Pater est, ac vniversalis Magister; cumque insuper nullum huiusmodi damnationis exẽplar afferri possit, nec vmquam simile quid in Ecclesia Dei visum fuerit, aut auditum, nequè vllus sit Author, qui alio simili exemplo id possit astruere, nequè historia aliqua, sivè ex Græcis, sivè Latinis Scriptoribus desumpta confirmare, proculdubio Honorii damnatio credenda non est, quin vel testibus omni exceptione maioribus, vel locupletis fidei monumento, & instrumento omnibus numeris absoluto, quæ omnem alicuius vitii suspitionem adimant, confirmetur; ne animus in re adeo gravi, & quæ Christianę Religionis maximè interest, nutet, plenamque possit prædicto instrumento exhibere fidem. Id autem in Honorii damnatione in VI. Synodi Actis relata minimè evenire, certissimè constat, cum vulgatia prædictę Synodi Acta, quoad Honorii damnationem vitiata esse, nullamque fidem promereri, vt sequentes rationes apertissimè demonstrant.

780 At claritatis gratia supponẽdum est, VI. Synodum à S. Agathone Pontifice fuisse congregatam, vt Sergius, Cyrus, Pyrrhus, & Paulus, Orientis Patriarchæ Monothelitæ, iam in Lateranensi Concilio à Sancto Martino, & in Romano à Sancto Agathone condemnati, generalitèr condemnarentur, non solum in Occidente, sed etiam in Oriente, vbi magis Catholicæ Fidei puritatem polluerant, & Dei Ecclesiam prædicto Monotheliſmi errore turbaverant; sua etenim præsentia, & suarum Patriarchaliũ Dignitatũ Authoritate maiorem Orientis partem suis fallaciis circumventam pernicioſissimis erroribus illic graſſantibus infecerant. Vt ergo prędictus error, qui in maximam animarum perniciem vergebat, penitus exterminaretur, prædictique Patriarchæ pœnas tanto dignas scelere, in eodem loco, in quo sese criminibus illis implicuerant, luerent, equissimum fuit Sanctissimo Agathoni visum, vt in ipso Oriente, ipsaque Constantinopolitana Vrbe, Generale celebraretur Concilium, in quo prædicta Monotheliſmi capita, bis iam ab Apostolica Sede, in relatis Occidentis Conciliis condemnata, no-

vis

vis pœnis subjicerentur. Cum ergo hæc vna extiterit causa, vt prædicta VI. Synodus celebraretur, vt ex convocatoriis Sanctissimi Agathonis litteris apparet, in vulgarium Actorum exemplari, Honorii Pontificis damnatio, præter Sanctissimi Agathonis mentem, invenitur inserta, quin aliquis totius Occidentis Catholicus, vbi Honorius Sanctissimè vixit, & vitæ pensum rectè actæ exactissimè absolvit, illum in materia Fidei non modò levioris adhuc culpę, sed nec leviſſimę quidem suspicionis reum agnoverit, & quin constet prędictum Honorium accusatum fuisse, illiusvè causam, cum gravissima esset, iudicatam esse ab Apostolica Sede, Romanove Pontifice, ad quem prædicta accusatio deferenda erat, vt causæ cognitio iustificaretur, & Honorius post obitum iustè condemnari posset.

781 Secundò præmonendum censemus, nos nullatenus contendere VI. Synodi Authoritati in minimo adhuc derogare; prędictam enim Synodum vti OEcumenicam, legitimam, ac summè fide dignam veneramur. Solùm ergo dicimus, vulgare VI. Synodi exemplar, quod hodie circumfertur, quoad prædictam dumtaxat Honorii damnationem, non adeò legitimum esse, vt multi, graviſſimique Authores de illius integritate non dubitent, vt sequentibus ostendemus rationibus.

782 In primis enim, si de prædicta Synodo in vniversum loquamur (antequã *ad Sess.* 12. & 13. in quibus Honorii damnatio inserta est, progrediamur) animadversione digna occurret magna varietas circa Episcoporum numerum, qui prædictæ Synodo affuerunt: PONTIFICALE siquidem ROMANUM, vel *Liber de Vitis Pontificum*, cuius Authorem aliqui Anastasium Apostolicum Bibliothecarium arbitrantur, narrat in prima Sessione, quam Patres in Basilica Imperatoriæ Aulæ, *Trullus* nuncupatæ, habuerunt, præter Apostolicos Legatos, & Constantinopolitanum, Antiochenumque Patriarchas Georgium, & Macarium, *centum quinquaginta Orientales Episcopos convenisse*. In hunc eumdem Episcoporum numerum conspirant Paulus Diaconus, Venerabilis Beda, Freculphus, Abbas Vbspergensis, Hermannus Contractus, aliique graviſſimi Authores. At vulgaria prædictæ Synodi Acta, comprehensis Legatis, & Patriarchis *centum septuaginta Episcopos* in vltimis Sessionibus enumerant, quem quidem numerum etiam Phocius, & Theodorus Balsamon adstruunt; nihilominus tamen Septima Generalis, & OEcumenica Synodus Episcopos, qui ad VI. Synodum confluxerunt enumerans, asserit fuisse 289. quam Episcoporum summam sequuntur etiam Græci Authores Theophanes, Cedrenus, Author Historię Miscellę, aliique plurimi. Vndè si graviſſimos primę sententię Authores consulimus, eosque vnà cum Septimæ Generalis Synodi Actis, licet inter se non cohæreant, cum iis, quæ in vulgaribus VI. Synodi Actis de Episcoporum numero dicuntur, conferimus, inveniemus hæc vulgaria Acta, non integrę, sed dubiæ esse Authoritatis.

783 Notatu etiam dignum est, Patriarcham Macarium, vnum è præcipuis Monothelismi Antesignanis, qui sub VI. Synodo communi luce, ac spiritu fruebatur, à VI. Synodo in ius vocatum, vt quidquid pro vna CHRISTI voluntate haberet, coram illius Synodi Patribus produceret, respondisse se paratum esse ad illam vnam CHRISTI voluntatem ex Sanctis Patribus, Sacratissimisque Conciliis evincendam; cumque inter alias Sanctorum Authoritates, quibus id suadere conabatur, præcipuè citasset Sancti Cyrilli testimonium: *Est enim omnipotens voluntas.* Sancti Leonis in Chalcedonensi Concilio: Sancti Dionysii admittentis *Dei virilem operationem*: Sancti Pontificis Vigilii, qui de vna Christi voluntate mentionem fecerat in Epistola ad Patriarcham Mennam, ac tandem Honorii Pontificis *in Epistola ad Sergium*, sic scribentis: *Vnam voluntatem fatemur Domini nostri IESU CHRISTI* quæ quidem omnia verba sibi apertissimè favere iactitabat; Sancta Synodus prædicta Macarii allegatione diligenter audita, ac maturè considerata, *Actione* 4. decrevit, vt prædictæ, tàm Sanctorum Patrum, quàm Summorum Pontificum Authoritates, cum illarum Authographis conferrentur, vt refert ANASTASIUS Bibliothecarius, qui VI. Synodi Acta cum suis Originalibus Codicibus, qui in Apostolico Archivio asservabantur diligentissimè contulit; sic enim scribit: *in 4. Actione evolvitur ille Codex Quinti Concilii,

cui

cui Libellus ille Vigilii Papæ per dolum insertus fuerat.* Et post enarratam Epistolam in antecedenti Sessione appositam, affirmat, apertissimè innotuisse, falsatum esse quidquid Macarius è Sanctis Patribus, Summisque Pontificibus pro suo errore adduxerat: *Alia (inquit) die, Catholicæ Fidei defensor, pius Princeps, in Secretario residens, inquisitione de ipsis Codicibus facta, ita reperit falsa noviter addita fuisse.* Ubi hanc inquisitionem, & falsitatis confirmationem ad IV. prædictę Synodi Actionem, cui præsens adfuit Imperator, refert Anastasius, id deducens ex Authographis in Apostolico Archivio servatis, cum tamen eam in 14. *Actione*, cui Imperator non adfuit, factam esse, prædicta vulgaria Acta affirment, in quo nō levis reperitur discrepātia.

784 Pro maiori huius rei confirmatione, notandum etiam est, vt refert ipse Anastasius, mense Februario, anni 681. iussum fuisse, vt coram Piissimo Imperatore, Sanctissimisque VI. Synodi Patribus, & Episcopis, Macarii libri cum Patriarchalis Archivii Prothotypis, Sanctorumque Patrum, Conciliorum, & Summorum Pontificum Authoritates, quas Macarius pro se adduxerat, sibique patrocinari putabat, cum suis Authographis conferrentur. Quid autem ex huiuscemodi collatione acciderit, ipse ANASTASIUS memorat, dicens: *Confusus Macarius coram Synodo inventus est mendax. Hæc prima eius ruina fuit, die 13. mensis Februarij.* Post hæc autem præceptum fuit, vt Authoritates, quas pro duabus in CHRISTO voluntatibus Sanctissimus Pontifex Agatho allegaverat, cum libris Patriarchalis Archivii conferrentur, & ipsis consonæ, ac conformes inventę fuerunt, vt ex iis, quæ in 8. 9. & 10. prædicti Concilij Actionibus narrantur, apertissimè constat.

785 At de Macario, istiusque sequacibus loquens, hæc habet Anastasius: *Intromiserunt Libros, & Tomos diversos, & Synodos, quas falsaverant.* Anastasio consonat id, quod in huius Concilii Actis legitur, apud Sanctum BEDAM, sic scribentem: *Et convicti sunt, qui vnam voluntatem, & operationem asserebant in Christo, falsasse Patrum Catholicorum dicta, per plurima.*

786 Id ipsum expressiùs adhuc explicat prædictus ANASTASIVS locum suprà citatum sic prosequens: *Et accepta licentia, ea hora suos intromiserunt libros (loquitur de Macario, istiusque sequacibus) & Tomos diversos, & Synodos, quas falsaverant. Nam non per veritatem se superare existimaverunt, sed per mendacia, & diversa commenta, quæ in Libris suis ipsi addiderant; & relegentes per singula, reperti sunt mendaces, vnam operationem, & voluntatem dicentes.*

787 Cum igitur de Honorii ad Sergium Epistola non aliter in illo Concilio constiterit, nisi quia in prædictis Libris, & Codicibus, à Macario productis, erat inserta; & aliundè ex ipso Concilio innotescat, iuxta ea, quę Anastasius Bibliothecarius refert (& ex 12. ipsius Synodi Actione postea probabimus) falsatum esse quidquid ex Sanctis Patribus, & Pontificibus, pro vna CHRISTI operatione adduxerat Macarius, prædictas Sanctorum Authoritates obtruncans, eisque aliquid addens, aut contra textus integritatem adimens; hinc apertè deducitur, quàm infirmæ fidei sit Honorii Epistola, Macarii operibus inserta: cumque in VI. Synodi Actis non alia Honorii referatur Epistola, nisi illa, quæ in prædictis suspectę fidei operibus legebatur, manifestè dignoscitur, nullum nisi debile fundamentum ex illa posse desumi, ad damnationem de hæresi in Ecclesia Dei inauditam illius, qui sanctè vixit, & in Catholica communione migravit.

788 Tertiò, animadversione digna est ingens sententiarum varietas circa tempus, quo prædicta Synodus celebrari cæpta sit; prædictæ enim Synodi Acta illius initium referunt *ad* 13. *Imperij Constantini annum*; at id non ita esse, ex graviſſimis Authoribus comprobatur; ferè omnes enim vnanimiter tradunt, prędictam Synodum *anno Imperij Constantini* 12. qui CHRISTI 680. correspondet, fuisse inchoatam. Sic censet Sanctus Martyr THEOPHANES, hęc scribens: *Habitum est Sextum Concilium maximum contra Monothelitas 12. anno Imperij Constantini.* Theophani subscribunt ANASTASIVS, Apostolicus Bibliothecarius, & PAVLVS DIACONVS, sive AUTHOR HISTORIÆ MISCELLÆ, qui vnanimes sic scribunt: *Anno 12. Imperij Constantini*

collecta Sancta Synodus vniversalis VI. Constantinopoli: *Cedrenus bis de hoc eodem Concilio mentionem faciens, inter annum 11. & 13. celebratum esse affirmat, quo planè inniit 12. Imperii Constantini anno esse inchoatum; & quod maximum est, id ipsum ostendit ipsius Imperatoris Constantini Epistola ad Georgium Patriarcham Constantinopolitanum, vt Orientales Episcopos ad prædictam Synodum cõgregaret, data *anno* 12. *post eius Consulatum, septembris Idibus.*

789 Quod autem 12. Imperii Constantini annus, anno Christi 680. correspondeat, constat ex morte illius Patris, Constantis, qui iuxta suppurationem Sancti Bedæ, Pauli Diaconi, Hermanni Contracti, Abbatis Vbspergensis, aliorumque Scriptorum Syracusis mense Iulio, Indictione 12. in balneo occisus est. Hæc autem 12. Indictio coincidit cum *anno Christi 669.* quo Constantinus, mense Iulio, Imperii moderamen solus iniit, & ab hoc tempore vsque ad mensem Novembris anni 680. quo Concilium inchoatum est, iam fluxerant tres menses duodecimi anni post eius Consulatum. Ex quibus infertur, VI. Synodum inchoatam fuisse, non anno terciodecimo Imperij Constantini, vt in prędictis vulgatibus Actis habetur, sed initio duodecimi anni, iuxta graviſſimorum Scriptorum calculum, & iuxta relatam ipsius Imperatoris Epistolam.

790 Quartò non levem affert difficultatem id, quod circa VI. Synodi finem prædicta vulgaria Acta commemorant; referunt enim illam Synodum finitam esse, & absolutam mense Septembri anni 681. at contrà, graviſſimi Authores vnanimi consensu affirmant, prædictæ Synodo finem fuisse impositum in Paschate, quod illo anno in Aprilem incidit: Missa enim, quæ, finita Synodo, Deo Patri oblata fuit, in gratiarum actionem, ac signum lætitiæ, qua vniversalis Ecclesia, in Generali Concilio repræsentata gestiebat, & exultabat ob Catholicum Dogma contra Monothelitas in prædicta Synodo vnanimi Patrum consensu statutum, non in Septembri, sed in Paschate, quartodecimo die Aprilis prædicti anni, Latino more, solemnique ritu celebrata fuit.

791 Sic restatur LIBER *de Vitis Pontificum* maximæ quidem fidei, & Authoritatis, tum quia antiquissimus, tum quia in Apostolico asservatur Archivio, tum quia ipsius Author non alia in ipso scripsit nisi, quę ex fidelioribus, ac vetioribus Actis, & Scripturis, quæ in Bibliotheca Vaticana, & Apostolico Archivio continebantur, deprõpsit. Hîc igitur Liber in Sanctissimi Agathonis Pontificatu de VI. Synodi fine loquens, hęc habet: *Tanta autem gratia Divina Omnipotentis concessa est Missis Sedis Apostolicę, vt ad lætitiam populi, vel Sancti Concilii, qui in Regia Vrbe erant, Ioannes, Episcopus Portuensis Dominicorum die Octavarum Paschæ (vel vt in alio Codice legitur: Dominico die Paschę) in Ecclesia Beatæ Sophiæ, Missas publicas Latinè celebraret coram Principe, & Patriarcha, vt omnes vnanimitèr in laudes, & victorias Piissimorum Imperatorum, eo die, Latinis vocibus acclamarent.*

792 Id ipsum censet Sanctus BEDA temporibus VI. Synodi propinquior: nec ab hac sentẽtia discedit Cardinalis HVMBERTVS; sic enim scribit: *Finito conflictu, &c. Georgius quidem correctus est, Macarius autem, cum suis sequacibus, simul & prædecessoribus Anathematizati. Tantaque gratia Legatos Catholicæ pacis comitata est, vt Ioannes Portuensis Episcopus, qui erat vnus ex ipsis, Dominica Octavis Paschę, Missas publicas in Ecclesia Sanctę Sophiæ, coram Principe, & Episcopo ipsius Vrbis, Latinê celebraret.* Hanc eandem sententiam tenent Abbas Vrspergensis, Abbo Floricensis, aliique graviſsimi Authores, quos sequitur Sanctus ANTONINVS *in suo Chronico, Tomo* 2. vbi expressiùs affirmat, finito Concilio Missam solemnem, & Pontificalem in gratiarum actionem, & lætitię signum, ab Apostolico Legato fuisse celebratam. *Soluto, inquit, Concilio tanta gratia Divina Omnipotentis concessa est Missis Sedis Apostolicæ, &c.* Et eisdem Pontificalis verbis prosequitur.

793 In eamdem sententiam coincidit HERMANNVS CONTRACTVS, dum illud Concilium mense Februarii, anni 681. solutum fuisse affirmat; quod si de præcipuis illius Synodi Actionibus, vt par est, intelligatur, consonat AVTHORI *lib. de Vitis Pontificum*, qui totam Actionum prædicti Concilii seriem annumerat à mense Novembris, anni 80. quo Concilium

lium inchoatum est, vsque *ad Februarium*, *anni* 81. Vndè cum in Martio mense peractum fuerit quidquid ad Concilium spectabat, optimè potuerunt subsequenti mense, Aprili nempè, in Paschate celebrari Pontificales Missæ, quæ in vtraque lingua, Græca, scilicet, & Latina, solitæ sunt celebrari, & tota Synodus perfectissimè absolvi. Ex his, quæ ex prędictis graviſſimis Authoribus adduximus, manifestè convincitur, incertam esse prædictorum vulgarium Actorum supputationem, qua relatum Concilium non in Aprili, sed in Septembri absolutum fuisse, perhibetur.

794 Quintò, prædicta Acta in Epistola confirmatoria narrant, VI. Synodum fuisse à Leone II. Pontifice confirmatam, quin de alia priori confirmatione vllam faciant mentionem; fuisse autem eamdem Synodum, priùs ab Agathone Pontifice approbatam, constat primò ex Epistola, quam IPSVM CONCILIVM, postquam absolutum est, ad Pontificem scripsit, ipsi enarrans quidquid in illo fuerat peractum, & Conciliaria Acta per Apostolicos Legatos, qui prædictæ Synodo, Pontificis nomine, prę fuerant, ad ipsum tamquàm Ecclesiæ Caput remittens confirmanda; in illa enim Epistola, sic illius Synodi Patres scribunt: * Quemadmodum ex his cognoscere poteritis, quæ in vnoquoque negotio sunt pertractata, & relata in Commentarios, & in præsentia ad Vestram Beatitudinem mittuntur.* At, quo tempore prędicta Acta fuerint à Concilio ad Romanum Pontificem missa, eaque Apostolici Legati detulerint, constat ex his, quę *in Ioannis V. Pontificis Vita*, qui fuit vnus ex illis, hisce verbis enarrantur: * Expleta autem Synodo, à Clementissimo Principe relaxatus, retulit Sanctam VI. Synodum, &c. nec non, & alias Diuales iussiones, relevantes annonæ capita, &c. Et alia diversa, quæ Ecclesia Romana minimè exurgebat persolvere.* Hæc, quæ *in Libro de Vitis Pontificum* referuntur, Apostolicos nempè Legatos, cum Conciliaribus Actis, & Imperialibus Litteris, statim, ac VI. Synodus expleta est, fuisse profectos, vt Agathonem Pontificem facerent certiorem de his omnibus, quæ in illo Concilio pertractata sunt, & de piissima liberalitate, qua prædictus Imperator Apostolicam Sedem ab iniquo tributo, quo ambitiosa, ac intollerabilis prædecessorum suorum tyrannis ipsam gravaverat, liberavit; hęc, inquam, omnia eleganter confirmat ANASTASIVS Bibliothecarius *in Agathonis Pontificis vita*, dū sic de illo scribit: * Hìc suscepit Divalem iussionem secundum suam postulationem, vt suggessit, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari, pro ordinatione Pontificis facienda.* Quibus verbis prædictus Author, antiquitate, & Ecclesiastica eruditione graviſſimus, apertè supponit prædictas Imperiales Litteras, quibus Imperator Constantinus, Apostolicam Sedem iniusto illo vectigali, quod sui Prędecessores, Romanis Pontificibus Sanctissimi Agathonis Antecessoribus indixerant, Christianissimè levabat, ab Agathone Pontifice fuisse susceptas. Cum autem istæ Imperatoriæ Litteræ, vnà cum Conciliaribus Actis, ad Romanum Pontificem fuissent transmissæ, vt modo à nobis probatum est: hinc manifestè deducitur Agathonem Pontificem fuisse, qui prædictæ VI. Synodi Conciliaria Acta recepit: cumque insuper prædicta VI. Synodus *mense Aprili*, *anni* 81. expleta fuisset, commodissimè potuit Ioannes Apostolicus Legatus intra duos menses Romam accedere; etenim, vt multis Authoritatibus, ac luculentissimo præsertim testimonio Concilii sub Leone X. celebrati probavimus, regulariter, ac communiter Constantinopoli Romam vno mense migrabatur; sicque cum Apostolicus Legatus, VI. Synodo Aprili soluta, Constantinopoli mense Maio Romam fuisset profectus, optimè potuit, vel desinente Maio, vel Iunio, *anni* 81. incipiente, ad Urbem cum Conciliaribus Actis, & Imperatoris Litteris pervenire. Undè rectè potuit Pontifex Agatho, qui tunc vivebat, & vixit adhuc vsque *ad Ianuarii anni* 82. prędicta Conciliaria VI. Synodi Acta legere, & agnoscere, illaque, cum Monothelitarum damnatione approbare.

795 Hæc insuper Agathonis Pontificis confirmatio certior apparebit, si attentè legantur ea, quæ doctissimè scripsit HUMBERTUS, Sylvæ Candidæ Cardinalis, qui vixit, *anno* 1054. vir planè Doctissimus, & singulari Fidei Zelo insignis, vt apertè prędicant publica Litteraria certamina, cum Græcis inita. Hic igitur in

Dogmaticis controversiis, Græcis enixè conantibus, aliquos in VI. Synodo editos fuisse Canones, Agathone Pontifice illi Concilio præsidente; respondet, nec prædictum Pontificem illi Synodo personaliter prę fuisse, nec ipsum aliquos illius Synodi Canones, aut aliquid aliud, prę ter ea, quæ contra Monothelitarum hæresim in illo Concilio statuta sunt, confirmasse; sic enim scribit: * De Papa quoque Agathone omninò scimus, quia nec VI. Synodo per se ipsum præsedit, nec aliquibus Capitulis eius subscripsit, nisi quæ promulgata fuerant adversum Monothelitarum hęresim. *

796 Quod autem Pontifex Agatho, non modo VI. Synodum approbaverit, & confirmaverit, verum etiam Conciliaria illius Acta ad diversas Christiani Orbis partes remiserit, vt admitterentur, eisque ab omnibus Catholicę Ecclesiæ filijs obtemperaretur, constat ex Epistola, quam ipse Sanctissimus Agatho Archiepiscopo Viennensi in Galliis scripsit, vt omnibus illius Regni Episcopis ea Acta transmitteret, eaque ab omnibus admittenda, & executioni mandanda curaret. Illius autem Epistolę exēplar, vt referunt BIBLOTHECÆ FLORIACENSIS AVTHOR, & Cardinalis BARONIUS, sic se habet: * Agatho Episcopus, Edicto Viennensi Archiepiscopo. Tuus Donatus, in Synodo, vbi centum penè Episcopi residebant, Romę de tua Sanctitate nos lætificavit, cui rem gestam apud Constantinopolim, sicut Legati nostri detulerunt, Sanctitati tuę deferendam dedimus: vbi reperies Antiochenum Episcopum pro errore suo damnatum. Hæc tu, Frater Charissime cum percurreris, omnibus Galliarum Episcopis legenda, & cavenda, ac tenenda transmitte. Scias autem, loco eius Theophanem Episcopum ordinatum, &c. *

797 Vbi tria sese offerunt diligenter consideranda. Primò, in hac Epistola specialem fieri mentionem de Patriarchæ Macarii condemnatione; quia nempè, estò Cyrus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, aliique Monothelitæ fuerint etiam in VI. Synodo condemnati; at isti iam antea in Romanis Conciliis sub S. Martino, & Agathone celebratis, iustam ab Apostolica Sede condemnationis pœnam subierant: at Macarius nondum fuerat ab Apostolica Sede damnatus; ideoque in VI. Synodo fuit accusatus, auditus, & ob suam pertinaciam vnà cum suis sequacibus anathemate percussus. Quarè Agatho in illa Epistola specialem fecit mentionem de Macarij condemnatione, tamquàm de condemnatione capitis illorum Monotheliturum, qui in illis partibus Ecclesiam Dei suis erroribus tunc temporis oppugnabāt.

798 Secundò perpendendū est, Agathonē in prędicta Epistola nullam, inter hæreticos à VI. Synodo damnatos, mentionem facere de Honorio, cum de isto præcipuè loqui deberet, vel illum culpa eximens, vel illius crimen exaggerans ob maximum scandalum, quod omnes Fideles ex tàm gravi scelere suscepissent, si Pontifex Maximus in tàm detestandam hæresim fuisset prolapsus. Cum ergo in prædicta Epistola nulla, vel levissima mentio de Honorii condemnatione fiat, luce clarius apparet, in Actis, quę Apostolici Legati ex VI. Synodo ad Agathonem Pontificem detulerunt, nullatenus inveniri, quod de damnatione Honorii in prædictis vulgaribus Actis enarratur.

799 Tertiò animadvertendum est, quòd cum Apostolica confirmatio, post expletum Concilium, rebus in illo statutis Authoritatem, vigorem, & Infallibilitatem conciliet, Pontifexque Agatho primus fuerit, qui VI. Synodi Acta approbavit, vt non levibus rationibus ostendimus; hanc Agathonis confirmationem in vulgaris VI. Synodi Actis non inveniri, nullamque in illis de prædicta confirmatione fieri mentionem, non potest non defectus notatu dignus censeri. Illa insuper eadem Acta magnam de falsitate suspicionem iniiciunt, cū Leonis Pontificis confirmationem, quæ secunda fuit, vti primam referant, & Agathonis Pontificis omittant, cum hæc priùs, & principaliùs Authoritatem, & Infallibilitatem prædictis Actis conciliaverit.

800 Quartò, quia in prædictis VI. Synodi Actis, denuò impressis, habetur Epistola, quam memorata Synodus, Agathonis mortem supponens, ad Leonem Pontificem scripsit, eum participem efficiens omnium rerum, quæ in ipsa fuerant statutę, confirmationem omnium ab illo suppliciter orans, quę quidem Epistola data dicitur *mense Decembri anni 681.*

801 Hæc autem quàm difficilè inter se cohęreant, duabus ostenditur rationi-

bus

bus. Primò, quia, vt prædicta Acta commemorant, Concilium expletum, & solutum est *mense Septembri anni 681.* ipsaque Synodus prædictam Epistolam non ad Agathonem, quem iam vita functum supponebat, sed ad Leonem Pontificem direxit. Agathonem verò mense Decembri, quo illa Epistola scripta dicitur, nondum mortuum fuisse, certissimum est; vt enim Sancta Synodus *mense Decembri anni 681.* ad Leonem Pontificem scriberet, necesse erat, vt mense antecedenti, ad ipsam fuisset perlatum, Agathonem mense Octobri, vel Septembri è vita migrasse; Agathonem verò nec mense Septembri, nec Octobri, nec Decembri *anni 681.* vitę suæ periodum peregisse, omnia Martyrologia tàm Græca, quàm Latina apertissimè ostendunt, cum nullum ex illis Agathonis mortem in aliquo ex prędictis mensibus narret, sed omnia illa Agathonis obitum *ad 10. diem Ianuarij*, vnanimiter referant. Istum autem Ianuarium non potuisse esse *anni 681.* apertè liquet; siquidem prædicta Epistola data dicitur (expleta iam Synodo) *mense Decembri anni 681.* at mense Ianuario prædicti anni nondùm solutum erat Concilium, imò tunc illius initia celebrabantur, quo tempore Agathonem nondùm naturæ satisfeciisse, ipsa ostendit Synodus illum vivum supponens *mense Septembri eiusdem anni*, quo ipsa expleta est; siquidem, vt supra probavimus, VI. Synodus Agathoni conciliariter scripsit, ipsique Conciliaria Acta per Ioannem Apostolicum Legatum misit: ergo Agathonis Pontificis mors, quam omnia Martyrologia referunt *ad 10. Ianuarii diem*, non potuit *anno 681. sed 682.* evenire. Vndè prædicta Epistola *mense Decembri anni 681.* ad Leonem Pontificem à VI. Synodo, tunc Agathonis mortem supponente, scripta, non leve nobis fundamentum prebet, vt eam suppositiam suspicemur, cum veritati facti non cohæreat.

802 Nè autem hęc, quæ diximus, nulla fulta videantur Authoritate, consulatur MARTYROLOGIVM ROMANVM, sic scribens: *Natalis Sancti Agathonis Papæ 4. *Idus Ianuarii.** Videantur insuper Galesinius *in suo Martyrologio*, Usuardus, Hugo, Menardus, Bibion, Dorganius, Octavius, Caietanus, & Anastasius Bibliothecarius *in Vitis Pontificum*, Abbo Floriacensis, Luithprandus, Platina, cæterique omnes, qui de gestis Pontificum scripserunt, hi enim omnes Agathonem 10. *die Ianuarii* obiisse, vnanimi consensu affirmant. A Latinis discrepant Græci; etenim in suis Menęis scribunt, Agathonem 20. *die Februarii* vitæ periodum clausisse perfectissimè: nullus tamen invenietur Author, qui Agathonis mortem Septembri, Octobri, Novembri, vel Decembri contigisse affirmet, sed eam omnes Latini *ad 10. Ianuarij*, Græci verò *ad 20. Februarii* referunt diem.

803 Quod autem Ianuarius, in quo Agathonem decessisse, omnes arbitrantur Latini, non fuerit *Anni 681.* sed 682. vt iam supra ostendimus, probant communitèr Scriptores; etenim Bullarium Magnum, ex Apostolicæ Sedis approbatione, & præscripto, typis mandatum, tradit Agathonem obiisse 4. *Idus Ianuarii, anni 682.* Bellarminus *in Chronico* scribit, Agathonem è Vita discessisse *anno 682.* Idem tenent Pater Gaulterius *in Chronologia sæculi 7.* & Cardinalis BARONIUS ad hunc eumdem annum, sic scribens: *Sequitur annus Redemptionis sexcentesimus octuagesimus secundus, Indictione Decima, quo Agatho Papa 4. *Idus Ianuarii*, ex hac vita migravit. Ita Anastasius, ita & Romanum Martyrologium, vbi inter Sanctos eo die reperitur adscriptus.* Subscribunt Binius *in Notis ad Vitam Agathonis*, idque Ecclesiasticis tabulis probat Alphonsus Ciaconius *in Vita Agathonis*, *anno 15.* Constantini; Spondanus, quamvis ob errorem librariorum prędicti Agathonis mortem non *ad 4. Idus Ianuarii*, sed *Ianii eiusdem anni 682.* referat. Pater Augustinus Oldoninus *in Notis ad Ciaconicum*, sentit objisse, *die 10. Ianuarii prædicti anni 682.* Gonzales Yllescas *Tom. 1. Pontificalis Historiæ* estò prædictam Agathonis mortem, *non 10. sed 12. Ianuarii* contigisse affirmet, censet tamen illum Ianuarium fuisse *anni 682.* Tandèm hãc eamdem sententiam sequuntur Pater Bisciola *in Epitome Historiæ Ecclesiasticæ*, Canonicus Nicolini *in Vita Agathonis*, & Mag. ALEXANDER NATALIS *sæculo septimo Historiæ Ecclesiasticæ, Art. 6.* sic scribens: *Obijt Sanctus Agatho 4. *Idus Ianuarii*, quo memoria ipsius

in

in Romano Martyrologio celebratur *anno Domini* 682. *

804 His duodecim Authoribus, in Ecclesiastica Historia celeberrimis, aliisque plurimis, quos fastidii vitandi causa omittimus, apertè convincitur, Ianuarium, quo omnia Martyrologia, tàm Græca, quàm Latina vnanimitèr asserunt, Agathonem obiisse, non potuisse esse alium, quàm *anni* 682. sicque cum Historię legalitate subsistere nõ posse, quod in vulgatis VI. Synodi Actis narratur, de Epistola, quam illud Concilium, Agathonem *mense Septembri, vel Octobri, anni* 681. mortuum supponens, ad Leonem II. Pontificem *mense Decembri eiusdem anni* dicitur scripsisse.

805 Secundò; cum rei veritate cohærere non posse, quod in vulgatis VI. Synodi Actis dicitur de Epistola ab illo Concilio ad Leonem II. Pontificem *Mense Decembri, anni* 681. scripta, apertissimè ostenditur; prædictis enim mense, & anno adhuc Pontifex Agatho inter vivos numerabatur; imò vt clarè probavimus, vitam vsque *ad Ianuarium, anni* 682. vel vt Baronius, Spondanus, & alii existimant, vsque ad Iunium protraxit. Vndè vel duo simul in Ecclesia extitissent Pontifices, vel dicere teneremur, Leonem II. fuisse Schismaticum. Cum autem vtrumque sit intolerabile absurdum, nec de Generali Concilio dici possit, ipsum vivente Agathone alium agnovisse Pontificem: Hinc omninò impossibile videtur, quòd VI. Synodus prædictam Epistolam scripserit, *Mense Decembri, anni* 681. ad Leonem II. directam, cum hoc eodem tempore, omnia Martyrologia, tàm Græca, quàm Latina; celebrioresque Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, Agathonem, vti verum, & legitimum Pontificem, qui tunc temporis Ecclesiæ clavum moderabatur, vnanimitèr agnoscant.

806 Tùm, quia Ecclesiasticę Historiæ Scriptores, Pontificale, & Bullarium Magnum, Apostolicam Sedem ab Agathonis obitu vsque ad Leonis II. electionem annum vnum, & menses septem vacasse affirmant; quibus consonat Anastasius, Apostolicus Bibliothecarius, qui 800. retrò annis singulari fide, & opinione floruit; loquens enim de Agathonis Pontificis morte, hæc scribit: *Qui sepultus est ad Beatum Petrum sub *die* 4. *Idus Ianuarii*, & cessavit Episcopatus eius, annum vnum, menses septem, dies quinque. *

807 Idem tenet Baronius *ad annum* 682. Spondanus *Tomo* 2. *Annalium ad annum* 682. & Pater IOANNES BISCIOLA dum *in Epitome Annalium ad annum* 682. hæc scribit: * Agatho Papa 4. *Idus Ianuarii* moritur: eodem die relatus in Martyrologio, cum sederit annos quatuor: cessat eius Episcopatus annum vnum, menses septem. *

808 His assentitur ALPHONSUS CIACONIVS de Agathonis obitu hæc scribens: * *Obiit* 4. *Idus Ianuarii, anno* CHRISTI 682. Vacavit Sedes menses septem, anno fere altero post Concilium Constantinopolitanum absolutum. *

809 GONZALES DE ILLESCAS *in Pontificali*, loquens de Agathone, narrat, gravissima peste Romæ grassante, multisque hominum millibus morientibus, Agathonem *Ianuario anni* 82. eadem lue correptum obiisse, Apostolicamque Sedem, eadem illa peste, Romam, Italiæque partes longè, latèquè invadente, anno circiter, & dimidio, vacasse.

810 Hos sequitur Pater IACOBUS GAULTERIUS, dùm *in Chronologia sæculi VI.* affirmat Agathonem vita functum *Ianuario, anni* 682. Apostolicamque Sedem *ad annum, vsque* 683. quo Leo in Pontificem assumptus est, vacasse.

811 Pater Magister ALEXANDER NATALIS *loco suprà citato, artic.* 6. postquam dixit Agathonem 4. *Idus Ianuarii, anni* 682. discessisse è vita, hæc subdit: * Agathoni, post anni vnius, & septem mensium interregnum, successit Leo Secundus, ex Sicilia oriundus, scientię, & eloquentiæ Laude celebris. *

812 Tandèm Pater MARCHESIVS *in Clypeo Fortium*, adductis pro Agathonis morte sub Ianuario *anni* 682. Martyrologio Romano, Galesinio, Vsuardo, Hugone, Menardo, Bibione, aliisque Authoribus gravissimis, hæc de illis scribit: * Et post annum, & septem mẽses, Leonem Pontificatum iniisse, vnanimi consensu memorant. *

813 Cum ergo vnanimis sit, tàm gravium Scriptorum sententia, ab Agathonis obitu, vsque ad Leonis Pontificis assumptionem Apostolicam Sedem, annum vnum, & menses septem vacasse, optimè

mê deducitur, Leonem Secundum non potuisse Pontificem creari *vsque ad annum* 683. vt expresè asserunt non modo Concilium Toletanum, sed Martyrologium etiam Romanum, aliique gravissimi Scriptores, quos nè longius, quàm proposueram, oratio mea in hac secunda ratione protendatur, lubens silentio prętermitto; at omittere non possum, quod paucissimis verbis comprehendit Andreas VICTORELLUS *in Additionibus ad Pontificale Patris Alphonsi Ciaconii*, dum in vltima Romana Editione, de Leonis electione loquens, hæc scribit: *De Sancto Leone Secundo Martyrologium Romanum, Beda, Usuardus, Ado, 4. Kalendas Iulii.* Binius *Tomo 3. Conciliorum in Notis ad eius vitam*, ex Concilio XII. Toletano, colligit, Leonem creatum fuisse Summum Pontificem *anno* 683.*

814 In hanc eamdem Leonis Pontificis electionem sub *anno* 683. factam conspirant alii gravissimi Scriptores, quos brevitatis gratia non recēsemus. Ex quibus apertè evincitur, quod si omnia Martyrologia, tàm Græca, quàm Latina Agathonem Pontificem *sub Ianuario, vel Februario anni* 682. mortuum fuisse, vnanimiter tradunt, idque ipsum Breviaria Romana Apostolicę Sedis Approbatione edita, illustrioresque Historici, quos suprà laudavimus absque vllo dissidio docent, & ex annorum & Pontificatuum serie vnanimiter deducunt, ac pari animorum consensione Divi Petri Cathedram annum vnum, & menses septem ab Agathonis obitu vacasse scribunt; apertè convincitur, Leonem Secundum non nisi *anno* 683. ad Apostolicæ dignitatis culmen ascendisse, vt in specie probant, quos vltimò citavimus, Authores, Concilio Toletano XII. innixi. Vndê irrefragabili consequentia infertur Leonem II. non potuisse *anno* 681. in Pontificem assumi; sicque gravissimum dari fundamentum, vt suspicemur, Epistolam, quam VI. Generale Concilium *sub huius anni Decembri* Leoni Pontifici scripsit, eum rerum omnium, quę in illo statutæ erant, participem efficiens, Actorumque confirmationem ab ipso orans, supposititi am esse, & suspectæ fidei iudicari debere, ac per consequens vulgatum VI. Synodi exemplar in hoc esse vitiatū; quod nullatenus ausus essem asserere, nisi me tot, tantorumque Scriptorum moveret Authoritas.

815 Quintò, notandum duximus id, quòd eruditè pręmonuit EMMANVEL CALECA, è Sacro Prædicatorū, Ordine Græcus Scriptor Sapientissimus (à quo Neoterici Scriptores sumpserunt) tertia VI. Synodi Actione lectam fuisse Romani Concilii Epistolam, in qua vt Catholicum Dogma definitum est contra Græcos, *Spiritum Sanctum á Patre, Filioque procedere*; cumque Articulus iste adeò esset exagitatus, & à Latina Ecclesia contra Græcam acerrimè propugnatus, ac tandêm ab Apostolica Sede definitus, in prædicta Epistola non invenitur: *Filioque procedit*; sed tantùm legitur: *Spiritus Sanctus á Patre procedit*; vt in Florētino Cōcilio prædictus Emmanuel Caleca admonuit, & in eodem Concilio Cardinalis IULIANUS, cum Græcis disputans, prędictam in Latinos impostu am, quæ in vulgatis VI. Synodi Actis latebat eruditè detexit.

816 Sextò, in octava eiusdem VI. Synodi Actione lecta fuit Professio Fidei à Patriarcha Macario facta, qua vnam in CHRISTO voluntatem confitebatur, cui Patriarchæ Theodorus, & Georgius manu propria subscripserant, vt patet ex ANASTASIO Bibliothecario, qui *in Collectione Actuum VI. Synodi*, hæc scribit: *Sub ipsius inscriptione, & Theodori Patriarchæ, vtique iuxta tenorem, ibi subscriptio erat.* * Quòd confirmat ABBO Floriacensis, hæc addens: * Serenissimus Princeps Tomum ipsius Macarii protulit, in quo apertissimè vnam voluntatem in Domino affirmaverat, & manu sua subscripserat, cum Theodoro, & Georgio Patriarchis. Sed Georgius sui erroris pœnituit, &c.* At si vulgata VI. Synodi Acta accuratè evoluantur, ac diligenter lustrentur, prędictorum Patriarcharum Theodori, & Georgii subscriptio in Professione Fidei à Macario emissa, non invenitur. Vndè manifestè colligitur, infidam alicuius manum è prædictorum Actuum Authographo erasisse id, quod Græcis indecens videbatur, prædictos scilicet Patriarchas Græcos, erroris Macarii socios haberi. De illo autem, qui prædictorum Patriarcharum nomina, è prædictis Actis ausus est oblitterare, nê de illorum hæresi constaret, fas vtique erit suspicari, ipsum etiam fuisse, qui in Honorii Epistola ad

Ser-

Sergium *vnam voluntatem* fraudulenter appesuit; prædictam enim Epistolam falsatam esse iàm suprà ostendimus, apertissimis verbis illius Sanctissimi viri, qui, cum Honorio esset à secretis, prędictamque Epistolam ipsius nomine scripsisset, testatus est, nec tale verbum fuisse ab Honorio prolatum, nec à se conscriptum.

817 Septimò, in Nona eiusdem VI. Synodi Actione productæ fuerunt à Patriarcha Macario, Sanctorum Conciliorũ, Summorumque Pontificum Auctoritates, quibus perperam intellectis, suum errorem conabatur probare; cumque omnia illa Sanctorum Patrum testimonia cum libris, qui in Patriarchali Archivio asservabantur, fuissent collata, apertissimè constitit, plurà ex illis ad rem non esse, longissimèque à proposita quęstione aberrare; alia verò, quæ ad Dogma de vna CHRISTI voluntate, à Macario, propositum spectabant, cum illa diligenter agnovisset Concilium, à Macario, istiusque sequacibus corrupta, vitiata, ac falsata esse innotuit, ideòque ea audita lectione Codicum, ab omnibus in Concilio conclamatum est: * De vna voluntate non ostenderunt per testimonia ab eis prolata; sed & ipsa testimonia, quæ protulerunt coram Vestra Pietate, ac Sancta Synodo detruncarunt: * Hęc VI. SYNODUS; quæ cum apertè confiteatur, Authoritates Sanctorum Patrum, Summorumque Pontificum Vigilii, & Honorii, quæ pro vna CHRISTI voluntate à Macario fuerant productę, fuisse ab isto, istiusque sequacibus falsatas, & detruncatas, manifestè ostendit à se fuisse reiectam, ac meritò reprobatam falsam illam calumniã, qua Macarius in prędictis Codicibus vtriusque Pontificis Vigilii, & Honorii Auctoritates sibi, vnique CHRISTI voluntati patrocinari temerè affirmabat, vel adminus hinc rectè deducitur, & à paritate suadetur, quòd si Macarius in illa Synodo convictus est, Sanctorum Auctoritates ab ipso fuisse falsatas, optimè possumus suspicari de illo, quód etiam ipse Honorii Epistolam corruperit, sicut & Vigilii Epistolam ab ipso fuisse adulteratam, evidenter in prędicto Concilio innotuit. Vndè subsistere non posse videtur, quod in vulgatis VI. Synodi Actis narratur, Honorium nempè ob Epistolam, quàm ad Sergium scripsit, fuisse ab ipsa Synodo *Actione* 13. damnatum; siquidem *in* 4. *eiusdem Synodi Actione* producta fuerat à Macario prædicta Honorii Epistola, eamque à Macario, suisque asseclis corruptam, sicut & quidquid ipse in suis Codicibus pro vna CHRISTI voluntate adduxerat, vitiatum fuisse VI. Synodus declaraverat.

818 Octavò: Silentio prætereundum non est, in fine *Actionis* 10. affirmari, VI. Synodum præcepisse, vt legeretur Synodica Epistola, quam Sanctus SOPHRONIVS ad Sergium scripsit, vt hæreticos damnans eos, qui duas in CHRISTO voluntates fateri renuerint, hancque Epistolam nullatenus à Sergio, Patriarcha Constantinopolitano, fuisse susceptam: * Præcipit (inquit) vt legatur Synodica Sophronij Epistola, &c. Quæ ab ipso quidem ad Sergium missa sunt, nequaquam autem ab eodem suscepta sunt Sergio.* Vbi diligenter animadvertendum est, quòd cum Sanctus Sophronius sua Synodalia Acta, quibus prędictę hæreseos damnatio continebatur, non modo ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, sed etiam ad Honorium Pontificem transmiserit, sola responsiva Sergii reprobatio, non autem responsiva Honorii approbatio, qua tantus Pontifex Sancti Sophronii Acta confirmans, iustam prædictę hæreseos damnationem approbavit, in prædictis Sextæ Synodi Actis recensetur.

819 Nonò, omittendum non est, *in Decima prædictæ Synodi Actione* adfuisse decem Episcopos, præter illos triginta, qui in Prioribus Actionibus adfuerant, ita vt *in Actione* 10. quadraginta Episcopi numerarentur; at *in Actione sequenti*, nempè *vndecima*, Octuaginta Episcopi numerantur; quod difficile videtur: Actio namque 10. celebrata fuit *decimo octavo die Martii anni* 681. Undecima verò, *vigesimo primo eiusdem mensis*, & *anni*. Quis ergo non mirabitur, tàm parva temporis intercapedine Episcoporum numerum vsque adeò accreviisse? Cuius quidem incrementi causa penitùs ignoratur. Et quidem, si rem diligentèr perpendamus, magnam sanè admirationem concitat; siquidem à Quinta illius Synodi Actione, quæ habita fuit *Septimo Decembris*, *anni* 80. *vsque ad duodecimum Februarii*, *anni* 81. nulla hi-

his duobus mensibus celebrata est Actio, nullaque Episcoporum numero facta accessio ; eosdem enim Episcopos , qui Actioni 5. *septimo Decembris* celebratę adfuerun, adfuisse legimus die duodecimo Februarii , quo VI. Actio celebrata fuit. Hìc verò inter Act. 10. & 11. (quas inter, duo tantum fluxerunt dies) adeò Episcoporum numerum accreviſſe , vt in Actione 10. quadraginta tantummodò, in 11. verô octuaginta Episcopi ad fuerint , quod eam parit difficultatem , vt estò in VI. Synodi vulgatis Actis enarretur , satis difficile videatur.

820 Decimò , hęc eadem difficultas, quæ circa Episcoporum numerum , in prædictis Actionibus recensitum occurrit, magis accrescit , si rectè perpendantur ea, quę narrat ANASTASIUS , Apostolicus Bibliothecarius , qui sine dubio id hausit ex Authographis VI. Synodi Actis , quæ in Bibliotheca Vaticana , vel Apostolico Archivio asservantur , & ex tàm Authẽticis exemplaribus suam Actorum VI. Synodi collectionem confecit; loquens enim de Orientalibus Episcopis, qui ab initio VI. Synodi adfuerunt, numerum longè alium ab eo , qui in vulgaribus prædictæ Synodi Actis continetur, apponit, sic scribens: **Die 22. mensis Novembris* in Basilica , quę *Trullus* appellatur, intra Palatium sub regali cultu residente cum Constantino AugustoGeorgio, Patriarcha Constantinopolitano , ac Macario Antiocheno , suscepti sunt Missi Sedis Apostolicæ , deindè Metropolitę, vel Episcopi Orientalium partium numero *centum quinquaginta* , qui proni adorantes, residere eis præcepit , cum nostris, &c.*

821 Undè colligitur, quòd cum VI. Synodi OEcumenicæ congregatio in eum præcipuè scopum collimarit , vt Monothelitæ Cyrus, Sergius , Pyrrhus, Paulus, aliique, iam in diversis Conciliis Romæ, sub Sancto Martino , & Agathone, celebratis damnati,denuò in Oriente vnà cum Macario Patriarcha Antiocheno , Theodoro , aliisque sequacibus condemnarentur; cumque à prima VI. Synodi Actione vsque ad decimam de hac re actum esset, & *in Actione* 11. tota hæc res ad finem esset perducta : cumque tandem ab initio Concilii centum quinquaginta Episcopi Constantinopoli adessent, vt modò ex Anastasio Bibliothecario retulimus; quis non mirabitur triginta tantummodò Episcopos in primis ad decimam vsque Actionibus , quadraginta in Decima , & octuaginta in vndecima à vulgaribus VI. Synodi Actis recenseri? Certè cum omnes istæ Actiones coram Imperatore sint celebratæ , & in illis de Monotheliſmi extirpatione , gravioribusque , ac præcipuis causis, ob quas prædicta Synodus congregata est, maximè verô de Monotheliſmi hæresi , & Patriarchis illa infectis fuerit actum, quonam pacto credi potest, Imperatorem Constantinum, Fidei , Religionisque Catholicæ Zelo exęstuantem, permissurum, ex centum quinquaginta Episcopis,qui,prętер Apostolicos Legatos,in initio Concilii Constantinopoli aderant , solos triginta in Actionibus , quæ ab exordio Synodi , vsque ad decimam Actionem celebratæ sunt , quadraginta in decima , & octuaginta tantummodo in vndecima adfuisse , cum in his Actionibus de re adeò vrgenti , & Christianæ Religioni maximè necessaria , de Catholica nempè Fide stabilienda , & hæresi extirpanda ageretur? Hoc certè adeô rationi videtur dissonum, vt estò in vulgaribus VI. Synodi Actis enarretur , incredibile omninò appareat; saltim crebile non videtur, Imperatorem Constantinum toleraſſe , omnes illos centum quinquaginta Episcopos , quos, vt hęresis illa damnaretur , congregaverat, suisque sumptibus aluerat , non adesse in 11. Actione , in qua ipse vale dixit Concilio , vt patet ex ipsa Actione 11. & à nobis infrà probabitur. Nam ergo rationi , nec æquitati congruus videtur parvus ille Episcoporum numerus , quem vulgaria VI. Synodi Acta recensent ab *Actione* 1. *vsque ad* 11. inclusivè , in qua adfuit Imperator , eamque Imperatoria sua Authoritate , & præsentia condecoravit.

822 Vndecimò prętermitti nequit, in vulgatis VI. Synodi Actis , *eodem die* , 20. nempè *Martij* , 11. & 12. Actionem apponi , quod apertam contradictionem implicat ; in vndecima enim adfuit Imperator , in duodecima verò abfuit : in vndecima nihil contra Honorium lectum est , benè verò in duodecima. Hìc etiam adnotare oportet , in 11. Actione Imperatorem dixisse , se nequaquam à Macario Ser-

monem Prosphoneticum, sed quasdam carthulas, in sequenti Actione legendas, accepisse, vt patet ex illis verbis: * Constantinus dixit: Nos quidem Prosphoneticum Sermonem à Macario accepisse nescimus; carthulas autem quasdam nobis obtulit, & has in futuro Secretario proferemus.* Nihilominùs tamen prædicta VI. Synodi Acta referunt, illum, qui Concilio erat à Secretis, eadem *Actione* 12. dixisse, tres Macarii Codices sigillatos sibi ab Imperatore fuisse traditos, vt in prędicta Actione coram Episcopis legerentur * Chartas, inquit, quas mecum defero, atque Codices quos tradidit mihi, iubens per me hæc Sancto vestro offerre Concilio; & hoc per me dignatus est insinuare vobis, quòd nequaquam eas vsque hactenus legit, sed nec subscriptionem earum: inveniisse autem eas intra hos Codices, quos vnà cum Chartis, sicut conspicitis, misit omnia sigillata.* Lectis igitur prædictis Codicibus, in quorum tertio, illa Honorii ad Sergium Epistola continebatur, quam Macarius sibi vnicam in CHRISTO voluntatem propugnanti apertè favere asseverabat; lectisque insuper chartulis, quæ ad rem non spectabant, terminata est 12. Actio, conclamantibus vniversis Concilii Patribus contra Macarium, Authoritates, quæ in prędictis Codicibus continebantur, fuisse ab eodem Macario pro suo arbitrio vitiatas, damnantibusque illius errorem, inveteratamque malitiam, qua tàm Sacros Textus adiectione, detractione, & nonnumquàm etiam truncatione, corruperat, vt intolerabilem suum errorem ista fraude Fidelibus propinaret. * Inveteratum Macarium (inquit CONCILIVM *in ea Actione*) testimonia Sanctorum, & probabilium Patrum falsantem, & quædam quidem abscindentem, quædam verò addentem, & secundum quod ei videbatur, in devia mittentem Piissimum, & à Deo coronatum nostrum Principem per oblatos ei Codices, &c.*

823 Si ergo in tertiò illo Codice inserta erat Honorii Epistola, quę *ea Actione* 12. lecta est, vt de his, quæ in prædicta Epistola continebantur *Actione* 13. Patres iudicium ferrent, consequenter credendum est, illam Epistolam esse suspectæ fidei; tum, quia in prædicto Concilio vnicè exhibita est, Macarii Codicibus inserta, qui eadem Actione Sanctorum Patrum, eorumque omnium, quæ prosè adduxerat falsarius renunciatus est; tùm, quia ipse apertas inimicitias, ac simultates cum Apostolica Sede gerebat, ac præcipuè cum Honorio Pontifice, quòd iste omnium primus Monotheliśmi errorem, quem sequebatur Macarius, Apostolico Zelo damnaverit. Cum igitur Honorii Epistola producta, & allegata fuerit à Macario, tot exceptionibus secundum iuris regulas obnoxio, digna planè non erat, vt ei fides exhiberetur, quin priùs de prędictę Epistolæ Authographo Latino Authentico, quod vnicè erat Epistolarum Honorii Prothotypon, & Apostolicæ Sedis Regiśtrum, apertè innotesceret. Cum autem id factum non fuerit, videtur non potuisse Honorius *in* 13. *VI. Synodi Actione*, vel minimę adhuc culpæ reus iustè iudicari, ob illam Epistolã in tertio Macarii Codice insertam, & *in Actione* 12. recitatam; nullum namque datur in Orbe Tribunal, in quo scripturæ, manifesto huiusmodi exceptionis vitio obnoxiæ, cuiquam noceant, nec in quo aliquis damnetur ob scripturam non authenticam, & de cuius legalitate, omni exceptionis vitio submoto, non constet; maximè verò in re adeò gravi, & in magnum opinionis, ac famæ prędudicium vergente. Undè valdè arduum apparet, delictum personę, tàm publicę, qualis fuit Honorius, quem omnes Supremũ totius Ecclesiæ Caput venerabãtur, delictum, inquam, Honorii in materia Fidei, ex qua totius Christiani Orbis scandalum poterat suboriri, vnico verbo scripturæ, nec Authenticæ, nec legalis, & quam legitimam non esse, nec omnibus numeris à iure requisitis absolutam, apertiśimè constat, vnicè fuisse innixum: sicque creditu difficillimum est, OEcumenicum Concilium sola simplici prædictæ Epistolæ lectione *in Actione* 12. facta, absque diligentiori Honorii, istiusque scriptorum examine *in Actione* 13. ad illius damnationem processisse, vt in vulgatis Actis legitur.

824 Nec obstat, si dicas, in prædictis Actis enarrari, illam Epistolam cum alia Honorii, quę in Patriarchali Archivio asservabatur, fuisse collatam. Non, inquam, obstat: illa namquè Epistola, quæ in Patriarchali Archivio asservabatur, inserta erat Macarii Codicibus,

bus ; quos Imperator sibi traditos tradi iussit Secretario clausos, ac sigillatos, vt in illo legerentur Concilio, in quo quidquid in illis continebatur, vitiatum esse, & corruptum à Macario, apertissimè innotuit. Vndè post prædictam Sancti Concilii Censuram, tertius Macarii Codex, cui prædicta Honorii ad Sergium Epistola inserta erat, nullam promerebatur fidem, iuxta doctrinã Augustini *lib. Cont. Mend. cap.* 4. *&* 18. asserentis, Sacram Scripturam suspectæ fidei adhuc in gravioribus futuram, si in ea, vel minima mendacia aliqua ex parte admitterentur.

825 Duodecimô: in prædictis vulgatis Actis enarratur, Honorium Pontificem fuisse à VI. Synodo *Act.* 13. condemnatum, *quia in omnibus Sergij mentem secutus est*; vndè cum Sergius à tribus Sanctissimis Conciliis Hæreticus fuerit renunciatus, hinc apertissimè deduceretur, Sanctam Synodum idem de Honorio sensisse, sicque Sanctissimum istum Pontificem ab illa Synodo Hęreticum habitum fuisse, ac existimatum. Id autem quàm difficilè veritati cohęreat, manifestê convinci videtur ex his, quę hucusque latè probavimus, & ex Sancto Maximo ostendimus, qui in omnibus suis operibus, quæ in lucem edidit illis triginta annis, quibus fuit Honorio superstes, illum semper Catholicum defendit; idemque præstitit Sanctus Sophronius, vt suprà etiam probavimus; & quod maximum est, Ioannes IV. Pontifex Maximus, cum ad illum fuisset perlatum, Sanctissimi Honorii æmulos in Orientis partibus dissemināsse, Honorium consentire cum Sergio, declaravit, hanc esse manifestam calumniam, adeòque gravem, vt solus illius rumor totum Occidentem offenderit, Honoriumque Pontificem in prędicta Epistola Catholicè sensisse, & nec Sergio, nec cæteris Monothelitis vllo vnquam pacto adhæsisse; hoc enim, vt ipse Pontifex inquit: *A mente Catholici Patris erat penitús alienum.* Nec fuit hæc privata Ioannis IV. Pontificis mens, sed publica; quippè Sanctissimus Pontifex, vt Apostolicæ Sedis honori, & veritati consuleret, publicam de Catholica Honorii mente Apologiam edidit, eamque Imperatori transmisit, vt Catholica Honorii mens, & Sententia toti innotesceret Orienti, vbi Apostolici Zeli, quo Honorius æstuabat, æmuli, illius Fidei puritatem nefariis calumniis obnubilabant. Igitur cum hæc ita sint, cumque insuper Sanctus Theodorus, Sanctus Martinus, Sanctusque Agatho, Pontifices Summi, Honorium, tamquàm verê Catholicum, nostræque Fidei propugnatorem, & quod magis est, Monothelismi profligatorem acerrimũ semper fuerint venerati, vt modò ostendimus, verisimile non apparet, quod in prædictis VI. Synodi Actis refertur, Honorium nempê, quòd cum Sergio in omnibus consentiret, fuisse *in Actione* 13. ab ipsa Synodo condemnatum; siquidem de Sanctissimis illius OEcumenici Concilii Patribus, nec credi, nec existimari potest, ipsos fuisse ausos de hac Honorii causa cognoscere, ac iudicare, cum illa iam in superiori Apostolicæ Sedis iudicio à Ioanne videlicet IV. terminata fuisset, ac definita, & ab aliis tribus Sanctissimis Pontificibus confirmata, qui pro Honorii Pontificis innocentia, illiusque Fidei puritate vnanimi consensu semper steterunt. Ex his manifestè deducitur, Honorii damnationem, quę *in* 13. *VI. Synodi Actione* refertur, esse valdê suspectæ fidei; tùm, quia omni iuri repugnans videtur, inferiorẽ de causis à superiore cognitis, ac definitis cognoscere: tùm, quia huiusmodi condemnatio est contra omnem vsum, in Ecclesia Dei perpetuò servatum; numquam enim Concilia Sententiam aliquam contra ea, quæ Pontifices decreverant, tulerunt; nec Concilium aliquod, si Conciliabula excipias, vt hæreticum damnavit aliquem, etiam privatum, quem antea Pontifices Catholicum iudicaverant, ac talem esse definierant. Fiet nè ergo credibile, OEcumenicum Concilium tantum Pontificem agnovisse hæreseos culpę reum, quem tot Sanctissimi Patres, tot Concilia, tot Pontifices in eiusdem causæ cognitione insontem, summèque Catholicum in publico Orbis iudicio summa consensione acclamarunt?

826 Non tamèn hìc arbitror omittendum, vnicam voluntatem à Sergio, istiusque sequacibus prædicatam in CHRISTO, fuisse Divinam; ita vt isti omnem voluntatem, & operationem denegarent humanam, vt supra latè à nobis probatum est. At illa Honorianæ Epistolæ verba: *Vnam voluntatem fatemur Domini nostri IESV CHRISTI;* intelli-

genda esse de humana CHRISTI voluntate contra ea, quæ Sergius, cæterique Monothelitæ falsò existimabant, duas scilicet in CHRISTO voluntates contrarias, & ad invicem repugnantes admittendas esse, si voluntas admitteretur humana, vt supra etiam docuimus; Honoriumque Pontificem humanam in CHRISTO voluntatem expresè fateri, censent Sanctus Maximus, Ioannes Pontifex IV. cæterique omnes, qui tantum Pontificem piè, Catholicêque tuentur. Vndè manifestê deducitur, Honorium in sua Epistola à Sergio maximè dissentire; imò illi è diametro videtur opponi; sicque cohærere non posse videntur, quæ in prędictis Actis enarrantur, Honorium scilicet ideò à VI. Synodo damnatum, *quia in omnibus Sergij mentem secutus est.*

827 Notandum tamen occurrit, Monothelitas in VI. Synodo damnatos, antea iam in Conciliis Romanis sub Martino, & Agathone celebratis, fuisse ab Apostolica Sede multoties sui erroris admonitos, & salutaribus rationibus hortatos, vt resipiscerent, impiumque illum execrarentur errorem, vt supra tradidimus; cumque neutiquam paternis Apostolicæ Sedis monitis acquiescerent, in eisdem Conciliis accusatos, auditos, & defensos; cognita tandem illorum in prædicto errore pertinacia, damnatos fuisse, ac Anathemate perculsos. Idem in VI. Synodo Patriarchæ Macario, illiusque sequacibus contigisse cõperimus.

828 At nihil horum observatum fuisse in Honorio, contra omnem naturalis, & Divini Iuris dispositionem, constat; cum enim vtroque iure prescribatur, vt reus in iudicio audiatur, & defendatur; hoc in Honorio factum non legimus: siquidem non constat, eum per se, vel per suum procuratorem fuisse auditum, aut quidquam pro ipso adductum; solum namque invenitur, ipsum accusatum fuisse ob suam ad Sergium Epistolam ad VI. Synodum, ab apertissimo Sedis Apostolicę, & Honorii hoste, Macario scilicet, delatam, & ab ipso vitiatam, ac truncatam, sicut, & cætera omnia scripta, quæ infidus ille pro se adduxerat, & ab ipso fallata fuisse, in ipsa Synodo compertũ fuit, quæ ideò illũ prędictæ falsationis convictum, vti falsarium meritò condemnavit. In hac autem Epistola, quòd Honorio objicitur, & exprobratur, tantum est illud: *Vnam voluntatem fatemur.* At, si de hoc audita fuisset defensio, innotuisset profectò, illud falsò ac subdolê in prędicta Honorii Epistola insertum fuisse ab illo, qui eam in Grecũ transtulit è Latino, in quo idiomate simile verbum neutiquã reperitur, vt testatur ipse Honorii Pontificis Scriba, qui prędictam Epistolã ex Honorii persona composuit, Vir planê Sanctissimus, qui, S. Maximo attestante, totum Occidentem cum aliis virtutibus, tum Dogmatibus Fidei Christianę illustravit.

829 Insuper, si defensioni locus esset concessus, inventa fuissent in Imperiali Archivio in eadem aula, in qua celebrabatur Concilium, Apologia, quam Ioannes IV. Pontifex Maximus edidit, & Constantino Imperatori misit, vt Honorii Orthodoxia omni tempore Orientalibus innotesceret; in illa enim, ipsum ab impia calumnia, quam Pyrrhus, cæteriquè Monothelitę tanto Pontifici inurebant; liberum ostendit, & immunem, simulque patefacit, prædictum Monothelismi errorem, à Catholica illius mente longissimê abesse, ac penitùs abhorrere. Occurrissent præterea in eodem Patriarchali Archivio, si diligenter lustratum esset, Authographa, quæ Sanctus Sophronius edidit pro Honorio, ibique apparuisset, damnationem, quam prædictus Sanctus in Monothelitas, istorumque errorem in Synodalibus Actis protulit, ab Honorio fuisse confirmatam. Obvia tandèm sese obtulissent Sancti Maximi Opera qui triginta illis annis, quibus Honorio supervixit, sicut acerrimus Monothelitarum profligator extitit, ita & egregius vindicator calumniæ, quam Monothelitæ tanto Pontifici, illiusque Catholico sensui imponebant, vt latè supra relinquimus ostensum.

830 Et quamquàm prædicta defensio, Naturali, Divinoque Iure necessaria, omissa non esset, debebat adhuc ante damnationem in Actis constare, Honorium apud legitimum Tribunal, legitima potestate fuisse admonitum, correptum, & accusatum: hucusque tamen compertum non est, VI. Synodum legitimam habuisse Authoritatem, qua posset in Honorium Pontificem procedere. Siquidem gravissimi Authores, Concilia, & Patres, Sacrique Canones, tuentur, ac decernunt Con-

ci-

cilium, in casu tantummodò hæresis, ab Ecclesia declaratæ, posse de Pontifice cognoscere, & in illum damnationis sententiam ferre: certum autem est, ea Honorii tempestate à nullo Concilio fuisse declaratum, hæresim esse, vnam in CHRISTO voluntatem fateri; non enim constat, ante Honorium, hoc ab Ecclesia, aliquovè Concilio fuisse definitum, nequè id ab oppositis Authotibus vmquam ostensum est: non ergo aderat in VI. Synodo facultas procedendi in eo casu contra Honorium, estò falsum non esset, quod in prædicta Epistola ipsi adscribitur.

831 Præterea, hæresis, ad sui condemnationem, necessariò, & indispensabiliter exigit in errore pertinaciam, vt ex Divi Augustini, Angelicique Præceptoris Doctrina probavimus, traduntque communiter Theologi, ac generalis Ecclesiæ consuetudo omnibus sęculis observata confirmat; imò id specialiter in nostro casu apertè ostendit modus, quo Ecclesia ad prædictorum Monothelitarum Patriarcharum Sergii, Pyrrhi, Pauli, cæterorumque sequacium damnationem processit: illos enim, tàm Pontifex Theodorus, quã Ioannes IV. Martinus, & Agatho, Sanctissimi Pontifices, referunt, sæpè redargutos, numquam è miserrimis illius erroris sordibus emersisse; ideòque cognita illorum in errore pertinacia, damnatione fuisse perculsos. Et ex ipsa VI. Generali Synodo constat, Macarium, Monothelitarum tunc temporis Antesignanum, vnà cum suis sequacibus sæpè fuisse paternè correptum, & ad resipiscentiam admonitum. Cæterum cum ipse, illi errori tàm firmato animo adhæsisset, vt publicè conclamaret, se quoslibet dolores, probra, & cruciatus, etiam si toto corpore dilaniaretur, libentiùs subiturum, quàm Catholicum Dogma de duabus CHRISTI voluntatibus profiteri; Sancta Synodus meritò in illum adeò protervum, & cervicosum, cæterosque omnes illius Sententię, & iudicio pari pervicacia addictos, ęquissimam damnationis sententiam protulit.

832 Hinc dolore opprimor, ac disrumpor, quoties video, aliquos Authores enixè conari, sibi à nobis assensum pręberi, dum astruunt, Sanctam Synodum VI. Generalem talitèr contra Honorium processisse, qualiter nullum Orbis tribunal, cum aliquo reo, quibusvis scelęribus, infandis etiam, ac nefariis innodato, se gereret, si normam, regulamque iuris, ac Iudicii servaret; iura etenim, adhuc apud Æthnicos, præscribunt, in nullum ferri sententiam, quin priùs constet de corpore delicti, & quin ipse reus priùs audiatur, & defendatur: hæc enim sunt Vtriusque Iuris, Naturalis scilicet, & Divini Elementa, quę in Honorio observata fuisse non cõstat; estò enim *in* 13. *Actione* illius condemnationem legamus; attamen neque in illa, nequè in aliis antecedentibus, nequè *in* 12. in qua illius Epistola recitata est, in Honorio corpus delicti apparet, neque ipse alicuius criminis hæreseos reus factus conspicitur, neque à noxa, quæ ipsi adscribebatur, defensus apparet; non enim Apostolicis Legatis præcepit Concilium, vt Honorii causam agerent, illiusque partes defendendas susciperent.

833 Et quidem si defensioni locus esset concessus, evidenter innotuisset, fuisse meram calumniam, quod de vna CHRISTI voluntate ipsi imponebatur, illudque verbum, non nisi cum fraude, ac impiè in illius Epistola insertum: estò etiam Legati tantum Pontificem ab illa impostura non vindicassent; si lectæ fuissent Apologiæ, quàs Ioannes IU. S. Sophronius, & S. Maximus pro Honorio ediderant, quę ibidem in prædicto Patriarchali Archivio asservabantur, Honorii Orthodoxia Sole purior apparuisset, omnisque tandèm dubitandi de Catholica Honorii mente aditus fuisset præclusus, si lustratum fuisset id, quod Constantinus Imperator Patriarchæ Macario respondit, se Honorium, & Vitalianum Pontifices æquè Catholicos venerari, ideòque non permisit, vt illorum nomina, è Dyptichis, sive Ecclesiasticis Tabulis, in quibus soli Catholici recensiti erant, eraderentur. Cum ergo nihil horum, quę ad Honorii defensionem, ipsi iure naturali debitam, spectabant, observatum sit; cumque insuper in prædicta *Act.* 13. non constiterit, ipsum in aliquo errore vixisse, aut obiisse, aut viventem de illo reprehensum, aut in illo fuisse contumacem (imò constet, ipsum è vita in Communione Catholica decessisse) quod debebat in Actis constare, antequam ad sententiam procederetur: hinc deducitur, aut Honorium iniustè

fuisse

fuisse in VI. Synodo condemnatum; aut infidam aliquam manum in prędictorum Actorum exemplar, & præcipuè *in Actionem* 13. in qua Honorii damnatio enarratur, irrepsisse: non enim in illa reperitur, quod necessariò constare debebat, vt omnes intelligerent Honorii damnationem iustam fuisse, ac Iuris regulis, vniversalique consuetudini, quam Ecclesia in suis Conciliis semper retinuit, consonam, ac conformem: Concilia enim in hæreticis damnandis numquam ab æquitatis, rectique iudicii semita, maximeque à Naturalis, Divinique Iuris constitutis, ne transversum quidē vnguem discedunt: in Honorii autem condemnatione vtrumque ius violatum conspicimus, si iis, quæ *in Actione* 13. vulgarium Actorum leguntur, exhibeatur fides. Nè ergo O Ecumenicæ Synodo, in qua fidei Zelus Episcoporum, cęterorumque Patrum Sanctitas, iustitiæ æquitas, legumque observantia, in Monothelitarum condemnatione, mirificè floruerunt, tàm ingens adscribatur nefas, necesse est, vt dicamus, prædictorum Actorum exemplar, quoad Honorii damnationem vitiatum esse, ac corruptū, vt abundè à nobis demōstratū est supra.

834 *Actione* tamen 13. omissa, diligenter observanda occurrit *Actio* 16. in qua Anathematis iaculum in Honorium Pontificem vibratum legimus; in illa enim Episcoporum adstantium ordinem notabiliter mutatum agnoscimus: siquidem in omnibus huius Concilii *Actionibus* à 1. ad 15. semper in primo loco Apostolici Legati, in secundo Patriarchæ, in tertio Episcopi apponuntur: in hac verò 16. *Actione* alius Ordo inconsuetus deprehenditur; duo enim Episcopi Græci, alter nempè Thessalonicensis, alter verò Gortinensis, præter ordinem, & morem, ante Apostolicæ Sedis Legatos nominantur, vt patet ex Actis Conciliaribus noviſſimè Lutetiæ Parisiorum *anno.* 1671. editis, in quibus, recensitis in primo loco Sanctissimi Agathonis Pontificis Legatis, & in secundo Patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Anthiocheno, & Ierosolymitano, immediatè apponuntur tres Apostolici Legati, quos Agatho Pontifex misit nomine Romani Concilii, cui præfuit, & in quo Fidei instructio, vel Suggestio ad VI. Synodum edita fuit. Quod vt clariùs appareat, proponam ordinem *in* 1. *Actione* servatum, vbi sic scribitur: * Conveniente quoque Sancta, & Universali Synodo, quę, secundum Imperialem Sanctionem, congregata est in hac à Deo conservanda Regia Vrbe, id est Theodoro, & Georgio Venerabilibus Presbyteris, & Ioanne Venerabili Diacono, vicem agentibus Agathonis Sanctissimi, & Beatissimi Archiepiscopi Antiquæ Romæ, & Georgio Venerabili, ac Sanctissimo Magnæ Constantinopoleos Novę Romæ, & Petro Deo amabili Presbytero, & Monacho, & locum servante Sedis Magnæ Civitatis Alexandriæ, & Macario Venerabili Archiepiscopo Theopoleos Antiochiæ, & Georgio Religioso Presbytero, Monacho, & Apocrystario Theodori Venerabilis Vicarii Sedis Ierosolymorum, &c. * Post prædictos verò Legatos, & Patriarchas immediatè numerantur tres Legati Romani Concilii, cui præfuit Pontifex Agatho, illius præscripto, & Authoritate ad 6. OEcumenicam Synodum missi, vt patet ex illis eius 1. *Actionis* verbis: * Ioanne Episcopo Portuensi, Abundantio Episcopo Civitatis Paternensis, Ioanne Episcopo Civitatis Regitanæ locum representantibus centum vigintiquinque Venerabilium Episcoporum Sancti Concilii Antiquæ Romæ, qui per proprias subscriptiones demonstrantur in Suggestione ab eis facta ad Piissimum Imperatorem Constantinum. *

835 Tres istos Sancti Concilii Legatos cæteri subsequuntur Episcopi: * Et Theodoro Religioso Presbytero, & locum agente Theodori Deo amabilis Archiepiscopi Ravennæ, Basilio Episcopo Gortinæ Insulæ Cretæ, Basilio Episcopo Ephesi.* Hi duo vltimi Episcopi Græci fuerunt, & post istos cæteri Episcopi apponuntur. Hunc ordinem retinet Sancta Synodus, non modò in hac prima Actione, sed in omnibus etiam aliis vsque ad sextamdecimam.

836 *In Actione* autem 16. ordo iste in prædictis duobus Episcopis Græcis invertitur, Ioannes enim, Thessalonicensis Episcopus, qui numquam ante Ravennę Episcopum, multòque minus ante Legatos Romani Concilii sub Agathone celebrati *ab Actione* 10. *vsque ad* 15. fuerat recensitus, *in hac Actione* 16. ante illos appo-

apponitur. Similitèr Basilius, Civitatis Gortinæ Episcopus, qui in nulla ex quindecim Actionibus prędicti Concilii, Legatos ordine præcesserat; imò non solum prædictos Legatos, sed & Ravennatensem Episcopum fuerat semper subsequutus, *in hac 16. Actione* prior illis enumeratur.

837 Insuper cum prædicti Episcopi Græci, Ioannes Thessalonicensis, & Basilius Gortinensis, in nulla ex quindecim Actionibus, Legatos Sanctissimi Concilii sub Agathone præcesserint, *in hac 16.* oppositum invenitur, vti videri potest *in prædicta Actione*, vbi recensitis Legatis, qui nomine Agathonis Pontificis, & Apostolicę Romanæ Sedis, quatuorque Patriarcharum, prædicto Concilio aderant, hęc immediatê leguntur; *Ioanne Episcopo Thessalonicę, Theodoro Reverendissimo, & loci servatore Theodori Reverendissimi Archiepiscopi Ravennarum, Ioanne Episcopo Civitatis Portuensis, Basilio Episcopo Civitatis Gortinæ, Insulę Cretæ; Abundantio Episcopo Civitatis Paternensis, & Ioanne Episcopo Civitatis Regitanæ, locum representantibus centum vigintiquinque Venerabilium Episcoporum, Sancti Concilii Antiquæ Romę, qui etiam per subscriptiones suas ibidem demonstrantur in Suggestione, quæ ab eis facta est ad Constantinum Piissimum Principem.*

838 Undê clarê conspicitur Ioannem Episcopum Thessalonicensem, & Basilium Gortinensem immediatê post Patriarchas, & ante duos vltimos Episcopos, & Sancti Romani Concilii Legatos apponi, non sine Apostolicæ Sedis iniuria, ac contra consuetum in omnibus Conciliis morem, imò & in hac eadem VI. Synodo *ab Actione 1. vsque ad 15.* omni tempore observatum. Nec obstat dicere, hunc ordinem fuisse per incuriam inversum: non enim credendum est, Orthodoxos Patres permissuros, prædicta Acta in publicum prodire, quin priùs cum ipsorum Authographis conferrentur, & quin à prudentissimis, ac Sapientissimis viris visa, ac recognita approbarentur: cum res esset gravissima, & à qua multa possent suboriri præiuditialia incommoda: locus enim, qui semel alicui conceditur in Concilio, Lex est Dignitatis, & præcedentię, quæ ipsi in posterum in aliis Conciliis est deferenda. Tùm, quia estò *in hac 16. Actione* id per incuriam factum fuisse admittamus, credendum non est, similem incuriam *in Actionem* 18. irrepsisse, imò prudentissimè existimandum, *in prædicta Actione* 18. non sine diligenti sollicitudine eumdem inversum ordinem fuisse retentum; ibi enim numeratis Legatis, qui nomine Agathonis Pontificis, & quatuor Patriarcharum ibi convenerant, immediatè ante Romani Concilii Legatos duo illi Græci Antistites, aliique sola Episcopali Dignitate insigniti referuntur.

839 Quod vt clariùs appareat, apponam hic ordinem, quo Concilii Patres ibidem recensentur. *Conveniente quoque Sancto, & Vniversali Concilio, in hac Regia, & custodienda à Deo Civitate, id est, Theodoro, & Georgio, Venerabilibus Presbyteris, & Ioanne Reverendissimo Diacono, locum exhibentibus Agathonis Sanctissimi, & Beatissimi Papæ Apostolicæ Sedis Antiquæ Romæ, & Georgio Venerabili, & Sanctissimo Archiepiscopo huius Magnisonæ Constantinopolis Novæ Romæ, & Petro Deo amabili Presbytero, & Monacho, & loci servatore Pontificalis magnę Civitatis Alexandrinorum, & Theophane Venerabili, atque Sanctissimo Archiepiscopo Theopoleos Antiochiæ, & Georgio Deo amabili Presbytero, & Monacho, & responsali Theodori venerabilis loci servatoris Sedis Ierosolymorum.*

840 Enumeratis autem Pontificis, Patriarcharumque Legatis, Episcopi hoc recensentur ordine: *Ioanne Episcopo Thessalonicensi, Theodoro Episcopo Trimithuntorum, locum exhibente Epiphanii, Deo amabilis Archiepiscopi Insulæ Cypri, Theodoro Deo amabili Presbytero, & locum agente Theodori Deo amabilis Archiepiscopi Ravennæ, Ioanne Episcopo Civitatis Portuensis, Stephano Episcopo Corinthii, Basilio Episcopo Civitatis Gortinæ Insulæ Cretæ, Abundantio Episcopo Civitatis Paternensis, & Ioanne Episcopo Civitatis Regitanæ, locum exhibentibus, vnà cum Ioanne Deo amabili Episcopo Civitatis Portuensis, Venerabilis Concilii, quod circa Antiquam Romam est 125. Reverendissimorum Episcoporum, qui & per proprias subscriptiones insinuantur in Suggestione, quæ ab*

eis

eis facta est ad Constantinum Imperatorem.*

841 Vbi manifestè constat, quinque Patres, sola Episcopali Dignitate condecoratos, immediatè post Patriarchas, & ante duos vltimos Concilii Legatos numerari, contra antiquam in cæteris eiusdem Concilii Actionibus obseruantiam, & contra venerationem, quę deferenda erat Apostolicæ Dignitati, qua pollebant Legati ab Agathone Pontifice, Romanoque Concilio, cui dignissimè prefuerat, ad VI. Synodum destinati, quique Apostolicam, vt in illa adessent, ab eodem Pontifice susceperant Authoritatem.

842 Vt autem lucidiùs appareat, prædictam antelationem, & ordinis, ac numeri inversionem, non quidem incuria, sed solerti cura fuisse appositam, animadvertendum est, prędictum ordinem non modò in exordio, sed etiam in fine Actionis 18. in Definitionis Fidei subscriptione inversum esse, vt videre licet vbi VI. Synodi Patres, sic subscribunt.

SUBSCRIPTIONES.

* Theodorus, humilis Presbyter Sanctę Romanæ Ecclesiæ, & locum gerens Agathonis, ter Beatissimi, & vniversalis Papæ Vrbis Romæ, subscripsi.

Georgius, humilis Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & locum gerens Agathonis ter Beatissimi, & vniversalis Papę Vrbis Romæ, subscripsi.

Ioannes, humilis Diaconus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & locum gerens Agathonis ter Beatissimi, & vniversalis Papæ Vrbis Romæ, subscripsi.

Georgius, Misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos Novæ Romę definiens, subscripsi.

Petrus, Presbyter, & locum servans Apostolicæ Sedis Alexandriæ, Magnę Civitatis, subscripsi.

Georgius, humilis Presbyter, & locum gerens Theodori, Deo amabilis Presbyteri, & locum servantis Apostolicæ Sedis Sanctæ Christi Dei Nostri Ierosolymorum Civitatis, subscripsi.*

Hucusque, Legatorum, Patriarcharumque subscriptiones, quas subsequuntur Episcoporum, qui Romani Concilii Legatis prędferuntur:

*Ioannes, Misericordia Dei Episcopus Thessalonicensis Civitatis, & Apostolicæ Sedis Romæ Vicarius, & Legatus definiens, supscripsi.

Theodorus, Misericordia Dei Episcopus Civitatis Trimithuntenæ Insulæ Cypri, & locum gerens Epiphanii, Sanctissimi Archiepiscopi, definiens subscripsi.

Theodorus, humilis Presbyter Sanctę Ravennatis Ecclesiæ, & locum gerens Theodori, Archiepiscopi Beatissimi, subscripsi.

Ioannes, indignus Episcopus Sanctæ Portuensis Ecclesiæ, Legatus totius Concilii Sanctę Sedis Apostolicæ Vrbis Romæ, definiens subscripsi.

Stephanus, Misericordia Dei Episcopus Corinthi, & Legatus Apostolicę Sedis Antiquæ Romæ, definiens subscripsi.

Basilius, Misericordia Dei Episcopus, & Metropolita Civitatis Gortinæ Insulæ Cretæ, & Legatus totius Concilii, Apostolicæ principalis Sedis Antiquæ Romæ, definiens subscripsi.

Abundantius, humilis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Civitatis Temsanę, Legatus totius Concilii Sanctæ Sedis Apostolicæ Vrbis Romæ, definiens subscripsi.

Ioannes, indignus Episcopus Sanctę Ecclesiæ Regitanæ, Legatus totius Concilii Sanctæ Sedis Apostolicæ Vrbis Romæ, definiens subscripsi.*

843 In his subscriptionibus notandum occurrit, quòd in omnibus 15. prioribus Actionibus, & adhuc in 17. Concilium initio cuiuslibet Actionis, tres Romani Concilij, & Agathonis Legatos, post alios Legatos, & Patriarchas vniformiter enumerat, quin tribus illis Legatis aliquem ex Episcopis, qui hìc subscripserunt, anteferat. Vndè magnam parit admirationem, quòd cum in omnibus Actionibus, Cõcilii Romani Legati cæteris Episcopis præferantur, solum *in Actione* 16. (in qua nova Definitio statuta non est, sed solummodò lecta, quæ *in* 17. legenda erat) & *in* 18. tàm initio, quàm in fine, priventur antelatione, quam in toto Concilio tenuerant, eaque quibusdam concedatur Episcopis, quos in cęteris Concilii Actionibus, Dignitate, ordine, ac loco semper præcesserant. Huius quidem rei rationem penitùs ignoramus, imò non immeritò miramur: nulla enim occurrit alicuius momenti ratio, ob quam in his solummodò Actionibus prædictis Le-

ga-

gatis, Sanctiſſimiſque Romani Concilii Epiſcopis detraheretur honor, ac locus eorum Dignitati debitus, quem eadem VI. Synodus *in* 15. *Actionibus*, & adhuc *in* 17. ipſis iuſtiſſimè conceſſerat.

844 Nec obſtat dicere, Ioannem Theſſalonicenſem Epiſcopum, qui in prędictis ſubſcriptionibus primus poſt Patriarchas occurrit, Apoſtolicæ Sedis Romę Vicarium, & Legatum nuncupari: & ſimiliter Stephanum, Corinthi Epiſcopum, Baſiliumque Gortinenſem Antiſtitem, ſeſe Romani Concilii Legatos ſubſcribere. Vndè quid mirum, quòd Romani Concilii Legatos præcellant.

845 Non, inquam, obſtat; primò, quia eſtò hæc ita ſe habeant, attamen Theodorus Civitatis Trimithuntenę Inſulæ Cypri Epiſcopus, & Theodorus, qui Ravennatis Epiſcopi Locum gerebat, ſeſe Apoſtolicos Legatos non ſubſcribunt: ergo ſaltim duo iſti, Apoſtolicos Romani Concilii Legatos præcedere non debebant, prout ipſos præceſiſſe, ex principio & fine Actionis 18. apparet.

846 Secundò, ſi prędicti tres, quia Apoſtolici Legati, deberent Romani Concilii Legatos præcedere, vtique VI. Synodus eos in omnibus Actionibus cæteris prætuliſſet, eoſque vti Apoſtolicos Legatos, in ſublimiori gradu, quàm Concilii Romani Legatos conſtituiſſet, vel vt meliùs dicam, nominaſſet: atqui VI. Synodus neutiquam cum illis ita ſe geſſit; enumerans namque, in cuiuſuis Actionis initio, Prælatos, qui ibi aderant, in omnibus quindecim prioribus Actionibus, & in 17. prædictos tres Romani Concilii Legatos immediatè poſt Patriarchas recenſet, eoſque omnibus aliis Epiſcopis, in prædictis Actionibus præfert, nec vmquàm in citatis Actionibus tres illos Epiſcopos, Ioannem ſcilicet Theſſalonicenſem, Stephanum Corinthium, & Baſilium Gortinenſem, Apoſtolicæ Sedis Legatos appellat, quemadmodum ipſi *in Actione* 18. ſeſe ſubſcribunt: notabilis ergo hæc mutatio Epiſcoporum inter Legatos Apoſtolicos adſcriptorum non leviter indicat VI. Synodi Actiones 16. & 18. ſallaci Monothelitarum calliditate vitiatas eſſe, ac corruptas.

847 Animadvertendum etiam occurrit, quod in hac eadem Actione 16. Anathema in Honorium inflictum ſit; & quamvis non dubitem, quin oppoſiti Authores prædictum Actorum exemplar, vti genuinum, ac legitimum ſuſcipiant: attamen ſi prędicti adverſarii attentè perpenderint, in hac eadem Actione nominatum quoque fuiſſe inter damnatos Aſpergium, illis verbis: *Aſpergio hæretico Anathema*; quin eius nomen alibi in Actis reperiatur, aut quidquam de ipſius cauſa, accuſatione, vel condemnatione in illis referatur; novus hic labyrinthus, & Actorum ambages, circa illorum ſinceritatem, ipſis adhuc oppoſitis Authoribus non levem ſuſpicionem haud immeritò ſuggerent.

848 Nec minus notandum eſt, quòd *in eadem Actione* 16. Pamienſis Epiſcopus proſcriptus eſt, vt hæreticus; quin Anathema ipſi inflictum, in tota illa Actione inveniatur. Inveriſimile autem videtur, ipſum hac de re à VI. Synodo diſpęſationem obtinuiſſe: ſiquidem Georgius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum enixè Concilium deprecaretur, nê Patriarcharum, qui ipſum pręceſſerant, nomina in Anathemate contra ipſos promulgando legerentur, huiuſmodi diſpenſationem impetrare nullatenus valuit: multò igitur minus præſumendum eſt, Pamienſem Epiſcopum, *in eadem Actione* ſemel hęreticum proclamatum, non fuiſſe nominatim Anathemate perculſum, vt exindè colligatur, Actorum exemplar in prædicta Actione non integræ fidei probari.

849 Obiter etiam, Epiſcoporum numerus, Codicis vitiati, non caret coniectura *à prima* ſiquidem *uſque ad* 15. *Actionem* octoginta quatuor ad ſummum Patres recenſentur: *Actione* verò 16. centum quadraginta circiter Antiſtites, Concilio adſtantes, enumerantur. Ex quo luce clarius deſumitur, impoſtoris manum in hæc Synodalia Acta irrepſiſſe, atque Epiſcoporũ numerum, vel in prioribus Seſſionibus cõtraxiſſe, vel in iſtis verò poſterioribus amplificaſſe; vtrumque autem opponi videtur integritati, ac legalitati, quę in OEcumenici Concilii Actis requiritur.

850 Nec minorem ſibi attentionem vendicat, quod in 17. Actione eveniſſe dicitur; hæc enim celebrata eſt, vt Fidei Definitio, Catholicumque Dogma de duabus CHRISTI voluntatibus, contra Mo-

nothelitas promulgaretur, vt patet ex ipsa Actione, quę *in vulgatis Actis* iuxta vltimam editionem Parisiis factam, hæc habet:

ACTIO XVII.

Definitio Orthodoxæ Fidei facta in Regia Vrbe temporibus Piissimi, ac tranquillissimi Domini Nostri Constantini Magni Victoris Imperatoris.

851 Et recēsitis omnibus,tā iis,qui Imperatoris, quàm Agathonis nomine,illi Concilio aderant, Romani insuper Concilii Legatis, cæterisque Episcopis, qui in cęteris Actionibus fuerant numerati, prosequuntur Acta, enarrantia pręcepisse Concilium, vt Definitio, quæ facta fuerat recitaretur, Secretariumque eam accepisse, & coram omnibus Patribus legisse:* Sanctum Concilium dixit (inquiunt ACTA) Definitio Orthodoxę Fidei,quæ à nobis constituta est,relegatur. Et accipiens Agatho reverendissimus Lector, & Notarius Gregorii Venerabilis Archiepiscopi, à Deo custodiendę huius Regiæ Urbis, relegit eamdem Definitionem ita continentem, &c.* Et quamvis in prędicta Actione, prima Definitionis verba inveniantur, at textus ita truncatus proponitur, vt exarato, vel retento illius principio, additoque, &c. tota prædicta absolvatur Actio, quin nobis vlteriorem notitiam de Definitione ibi recitata exhibeat; quod sine ingenti admiratione, & notatione prætereiri nequit. Etenim si omnia Authographa, tàm Græca, quàm Latina evoluantur,huiusmodi Definitio *in prædicta Actione* 17. non invenitur, nec ibi proponitur ratio, ob quam Concilii Definitio posita non sit *in eadem Actione*, in qua ipsum Concilium lectam fuisse fatetur; vel si posita fuit, cur modò in omnibus Authographis desideretur? Hinc non levis suboritur suspicio prædictum exemplar Actionis 17. in his, quæ ad Concilium tantopere pertinebant, & in quibus tota Concilii nitebatur Conclusio, integrum non videri.

852 Nec obstat dicere, *in Actione* 18. Definitionem Fidei fuisse in integrum recitatam: quia vel hæc Definitio est illa eadem,de qua *in Actione* 17. pręceptum fuit, vt legeretur; vel est alia? Secundum dici non potest; quia est contra communem Conciliorum morem, qua semper observatum est, vt vna dumtaxat Fidei Definitio legatur; tum quia vt dici posset, Definitionem, de qua *Actione* 18. aliam esse à Definitione, de qua *Actione* 17. debebat de vtraque constare, vt vtriusque agnosceretur discrimen; tum quia, cum vnicum fuerit Dogma de duabus CHRISTI voluntatibus, & operationibus, in illo Concilio definitum, vnumque Anathema contra illum negantes intortum, proculdubiò deformitas esset, numquam hucusque visa, duas distinctas Fidei Definitiones tamquàm eiusdem Concilii conclusiones proponere, ac stabilire; nulla ergo aderat ratio, obquam diversa Fidei Definitio circa idem Dogma statueretur, quinimò diversa Fidei Definitio, tàm Sancti Concilii Maiestati, gravitati, ac Fidei Zelo derogaret. Si eadem fuit Definitio superfluè duæ multiplicantur Actiones, communique Conciliorum consuetudini adversatur, duas Actiones celebrari pro eadem re, cuius Definitio iam in prima Actione lecta, ac recitata fuit.

853 Prædictam autem Fidei Definitionem *in Actione* 17. lectam fuisse, docetur *ibidem*, dum hæc de Concilii Notario leguntur: * Relegit eamdem Definitionem ita continentem: Sancta, Magna, atque Vniversalis Synodus.* Et post pauca verba apponitur, &c. Vbi clarè apparet, prædictam Definitionem *in Actione* 17. lectam, ad hanc eamdem Actionem, & non ad aliam directè pertinuisse: inconcussa enim est Conciliorum consuetudo, quam & in hac Synodo observatam conspicimus, non pertinere ad secundam Actionem, quod in prima eiusdem Concilii Actione lectum fuit, neque quod lectum fuit *in* 12. *in* 13. collocari, & sic de cæteris. Quarē Definitionem Fidei non reperiri *in Actione* 17. in qua recitata fuit, quin in eadem Actione huiusmodi omissionis, & silentii relevans proponatur motivum, cum hoc sit contra laudabilem omnium Conciliorū morem,ingens nobis exhibet fundamentum, vt suspicemur,non esse integræ fidei VI. Synodi Acta in iis, quæ *Actione* 17. continentur; prædictumque Actorum exemplar *in Actione* 18. non minorem nobis præbet occasionem, vt opinemur, neque illud integrum esse, neque huiusmodi *Actionem* 18. habitam fuisse, neque vllam adfuisse rationem, quæ ex

Actis

Actis innoteſcat, ob quam huiuſmodi celebraretur Actio; cum non aliud contineat, quàm Fidei Definitionem, iàm *Actione* 17. in pleno Concilio lectam.

854 Alia præterea hìc nobis difficultas occurrit circa numerum Epiſcoporum, qui in hac *Actione* 17. conſedere: nam in ea vix nonaginta Patres Græci connumerantur, cum in antecedenti vltra centum quadraginta convenerint: hoc autem non poteſt, non mirum videri; cum enim *Actio* 16. *die* 9. *Auguſti, anni* 681. *Actio* verò 17. *die* 11. *Septembris, eiuſdem anni* iuxta CHRISTIANI LVPI, aliorumque calculum, celebrata ſit, quomodò tàm brevi temporis intercapedine tot Epiſcopi deeſſe potuerunt in Actione omnium præcipua, in qua, & Concilium abſolvendum erat, & ipſius concluſio, quę, vt in ipſis Actis refertur, erat ipſa Fidei Definitio, recitata fuit? Hoc certè inveriſimile videtur, maximê ſi attendatur prædictos Epiſcopos tunc temporis Conſtantinopoli adeſſe, prout ad fuiſſe conſtat; ſiquidem *in Actione* 18. ſex diebus poſt 17. celebrata vltra centum, & ſeptuaginta Epiſcopos ſubſcripſiſſe invenimus; quò magis accreſcit ratio ſuſpicandi, prædictum Actorum exemplar *in hac Actione* 17. integritatis metas tranſilire.

855 Circa *Actionem* 18. haud leves ſeſe offerunt difficultates. Primò, enim prædicta Acta Imperatorem huic Actioni pręſentem referunt: hoc autem meritò poteſt in dubium revocari, cum *in calce Actionis* 11. Imperator, vlteriùs ſe Concilio, propter vrgentiſſima Imperii negotia, intervenire non poſſe, declaraverit; ideòquè non interfuit cæteris Actionibus ſubſequentibus, nimirum 12. 13. 14. 15. & 16. imò nec 17. in qua Fidei Definitio lecta, & Concilium abſolutum fuit, quæque celebrata fertur ſex diebus ante illam, quam Acta tamquam 18. proponunt.

856 Secundò, in Definitione Fidei, quæ *in Actione* 18. legitur, inter illos, qui à Concilio Anathemate perculſi ſunt, omittitur Apolychronius, qui *Actione* 15. tamquàm hæreticus fuerat à Patribus Concilii condemnatus. Similitèr inter hæreticos à Concilio Anathematizatos prætermittitur Conſtantinus, Pamienſis Presbyter, cum in VI. eiuſdem Synodi Actione fuerit à Patribus tamquàm Monothelita proſcriptus. Veriſimile autem non apparet Orientalium Patriarcharum à Synodo execratorum nomina publicari, & Apolychronii, ac Conſtantini Pamienſis nomina, qui ab eadem Synodo, vt Monothelitæ, condemnati fuerant, reticeri: prædictum ergo Actorum exemplar vitiatum in hoc, non abſque fundamento poſſumus ſuſpicari.

857 Inveriſimile etiam penitùs apparet, quod *in hac eadem Actione* 18. perhibetur, Honorium, nempè, verbis ſanè indecoris, & à tanti OEcumenici Concilii Maieſtate planè alienis, cæterorum Monothelitarum numero à VI. Synodo fuiſſe adſcriptum; incredibile enim videtur, Honorium, Venerabile totius Eccleſię Caput, probroſo illo *Organi Satanæ* nomine nuncupari, cum in vniverſa Eccleſia Latina, & adhuc apud plurimos Orientales ſumma in veneratione haberetur, vocatus à S. MAXIMO *Divinus Honorius*, & ab aliis *ſpiritus Sancti Organum* dictus; cuius Catholicum, & Apoſtolicum Fidei Zelum Sanctiſſimi Pontifices Ioannes IV. Martinus, Agatho, & Adrianus I. ſummis laudibus extulerunt; quemque, vt ſummè Catholicum SS. Maximus, Sophronius, & Beda prædicarunt. Hoc ergo facinus non ex legitimo Concilio, ſed ex illegitima Synodo, quę ſine Legatorum Apoſtolicorum, Imperatoriſque interventu, celebrata fertur, prodiiſſe, cenſemus; de quo latiùs infrà.

858 Prętera à Concilii mente valdè abſonum fuiſſe, Honorium inter Monothelitas ab eadem Synodo iuſtè proſcriptos adnumerari, liquet. Siquidem VI. Synodi mens (vt patet *ex eadem Actione* 18.) fuit, in damnatione Monothelitarum, qui ſub Sergio, Cyroque Patriarchis Conſtantinopolitanis emerſerunt, conformem ferre Sententiam Cenſurę, ac proſcriptioni illorum Monothelitarum, quos Pontifex AGATHO *in Fidei Suggeſtione ad Conſtantinum Imperatorem* miſſa, expreſsè nominavit, vt oſtendunt illa ipſius Synodi verba: * Quæ pręſens Sancta, & Univerſalis Synodus fideliter ſuſcipiens, & expanſis manibus amplectens Suggeſtionem, quæ à Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Agathone Papa antiquæ

Romę facta est ad Constantinum Piissimum, atque fidelissimum nostrum Imperatorem, quę nominatim abiecit eos, qui docuerunt, vel prædicaverunt, sicut supra dictum est, vnam voluntatem, & vnam operationem in Incarnationis dispensatione Domini Nostri IESU CHRISTI.* Quibus verbis apertè docet Sancta Synodus, se velle Agathoni Pontifici subscribere in condemnandis hæreticis, quos prædictus Pontifex in suo Romano Concilio nominatim proscripserat: cumque Agatho nullatenus Honorium inter Hæreticos connumeraverit, inde fit nequè illum VI. Synodum inter eos voluisse referri, suam quippe mentem ad illos solummodò, quos Agatho Pontifex expresserat, restrinxit.

859 Sed nequè silentio prętereundum est, *in hac eadem Actione* 18. sese tamquam Apostolicos Legatos in Fidei Definitione subscripsisse tres Episcopos, vt sequitur: *Ioannes, misericordia Dei Episcopus Thessalonicensis Civitatis, & Apostolicæ Sedis Legatus, definiens subscripsi. (Et paulò post:) Stephanus, misericordia Dei Episcopus Corinthi, & Legatus Apostolicę Sedis Antiquæ Romæ, definiens subscripsi. (Et statim subditur:) Basilius misericordia Dei Episcopus, & Metropolita Civitatis Gortinæ, Insulæ Cretæ, & Legatus totius Concilii principalis Sedis Antiquę Romæ, definiens subscripsi.*

860 *In Sermone* item *Acclamatorio*, qui *in eadem Actione* 18. lectus est, eędem prædictorum Episcoporum subscriptiones, arrogantium sibi Apostolicorum Legatorum titulum, reperiuntur. Istæ autem subscriptiones quantûm à vero aberrent, nobis ostendit Concilium, dum de recentibus his Legatis nullibi meminit; imò in quindecim prioribus Actionibus, & adhuc *in* 17. estò isti in cuiuslibet Actionis initio recenseantur, illos semper Episcopos, numquàm vero Concilii, aut Pontificis Legatos appellavit.

861 Insuper huiusmodi subscriptiones à veritate penitûs deviare, luculenter confirmari potest *ex Epistola*, quam post Fidei Definitionem, & Sermonem Acclamatorium, SANCTA SYNODUS Agathoni Pontifici scripsit, ipsum certiorem reddens de his omnibus, quæ in illa fuerant pertractata; in illa enim, tres prædicti Antistites sese solo Episcoporum titulo subscribunt, vt videre est in ipso exemplari, *Actione* 18. vbi hæc leguntur: *Ioannes, misericordia Dei Episcopus Thessalonicensis Civitatis, pro me, & Synodo, quæ sub me est, subsignavi. (Et paulò post:) Stephanus, misericordia Dei Episcopus Corinthiorum, Metropoleos Græcorum Provinciæ, pro me, & Synodo, quæ sub me est, similiter subsignavi. Basilius, misericordia Dei Episcopus Gortinensis Metropoleos Cretę Insulę, pro me, & Synodo, quæ sub me est, similiter subsignavi.* In his subscriptionibus luce clarius apparet, tres prædictos Episcopos nullatenus prædictã ad Agathonem Epistolam Legatorum nomine subsignasse. Et meritò quidem: illa enim Epistola, ad Agathonem Pontificem, Concilii nomine dirigebatur; Concilium autem numquàm eos in antecedentibus Actionibus, tamquàm Apostolicos Legatos agnoverat: Vndè isti in illa sibi Legatorum Sedis Apostolicæ Dignitatem, & nomen minimè ausi sunt vsurpare. Imò si sese, vt tales in prædicta Epistola subscripsissent, iustissimè conquæstus fuisset Pontifex Agatho, quòd VI. Synodus tamquàm Apostolicos Legatos agnosceret, & vt tales in Concilio susciperet illos, qui nec tali honore ab Apostolica Sede insigniti, nec ad illam Synodum, vt tales, fuerant destinati. Etenim si Legatorum nomenclaturam ab Apostolica Sede obtinuissent, vtique sese, vt tales à prima Concilii Actione subscripsissent, eosque vt Legatorum locum tenentes, Concilium admisisset, quemadmodum cæteros, ab Agathone Pontifice legitimè nominatos, suscepit, qui, in omnibus Actionibus, Sancta annuente Synodo Legati Apostolici nuncupantur. Undè hæc diversitas subscriptionum, ipsorum Antistitum dolum aliquem manifestè coarguit, nobisque haud leve præbet fundamentum, vt prudenter suspicemur, neque Fidei Definitionem, neque *Actionem* 18. nec Sermonem Acclamatorium, vbi tres prædicti Episcopi eminentem Legatorum sibi arrogant Dignitatem, ad legitimam VI. Synodum, sed ad aliam VI. Synodum illegitimam paulò post à Græcis Patribus, sine Legatorum Apostolicorum, & Imperatoris interventu habitam, pertinere.

Etenim

862 Etenim certùm est, vt postea probabimus, VI. Synodum, quam alii Quini-sextam appellant, in qua Trullani Canones conditi sunt, nec legitimam esse, nec Apostolicæ Sedis Approbatione suffultam. In quo Quini sexto Concilio invenitur hæc BASILII, Episcopi Gortinensis in Insula Creta subscriptio: *Basilius, Episcopus Gortinorum Metropolis CHRISTO amabilis Cretę Insulæ, & locum tenens totius Synodi Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, definiens subscripsi.* Vndè cum VI. Synodus, in quindecim prioribus Actionibus, & adhuc *in* 17. in qua Definitio Fidei recitata est, tres prædictos Episcopos, Legatorum nomine non admiserit; Episcopus verò Gortinensis, tàm in Quini sexta Synodo, quàm in Definitione Fidei *in* 18. *Actione* inserta, sese Apostolicum Legatum subscribat; hinc non leviter suspicamur, Definitionem Fidei, in qua tres prædicti Episcopi, Sedis Apostolicæ vices agentium insignia falsò sibi adsciscunt, potius ad sextam Synodum, Quini-sextam appellatam, quàm ad Sextam legitimam pertinere: siquidem hęc, nec illos tamquàm Apostolicos Legatos vmquàm suscepit, nec ipsi in sex-decim huius Synodi Actionibus sese, vt tales, subscripsisse leguntur.

863 *In Sermone* etiam *Acclamatorio* obvia contradictionis nota occurrere videtur, quã cum Fidei Suggestione, ab Agathone Põtifice missa prętferre videtur: in illo enim, nomine Concilii dicitur, se inter Monothelitas Theodorum, Sergium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, & Petrum, Anathemate percutere Honorium; *qui fuit Romę Præsul; vtpotê qui eos in his sequutus est.* Hoc autem quàm longe absit ab iis, quæ dictum Concilium Agathoni Pontifici scripsit, ex ipsius Synodica apparet, in qua Agathonem certiorem faciens de his, qui Monotheliśmi labem incurrerant, affirmat, se Censionis Sacræ fulmina vibrasse in eosdem illos, in quos Pontifex Agatho Anathema iam antea intorserat: * Anathematibus (inquiunt CONCILII PATRES) interfecimus ex sententia, per Sacras Vestras Litteras de ipsis prius lata; videlicet Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, & Petrum.* Prędicta autem verba vera esse de Cyro, Sergio, Pirrho, & Paulo, neutiquam potest in dubium revocari: isti enim iàm fuerant à Sanctissimis Pontificibus Martino, & Agathone vniformiter auditi, iudicati, pro Monothelitis habiti, atque vt tales Anathemate perculsi: concedi verò non potest, sine manifesta verborum Concilii contradictione, ea posse de Honorio Põtifice verificari; hic enim, neque ab Agathone, neque ab alio Pontifice iudicatus vmquàm fuerat, aut proscriptus. Vndê cum illa verba, ad Agathonis Sẽtentiam in Monothelitas latam referantur; certumque sit, Honorium inter Monothelitas ibi nominatos à Pontifice non recenseri; consequenter dicendum est, aut prædicta Concilii verba vera subsistere non posse, aut de Honorio, sine aperta contradictione intelligi. Quarê potiùs crediderim, Honorii nomen ab infida manu hìc fuisse adiectum.

864 Nec obstat dicere: illa Concilii verba: *ex Sententia de his prius lata per sacras vestras Litteras*; ad Dogma ipsum referri, quod Agatho à Synodo confirmari desiderabat; ideoque Concilium prętatis verbis Pontifici significare, id feliciter iuxta eius mentem peractum. Non, inquam, obstat; nam verba ipsa satis apertè demonstrant, non tâm Dogma stabiliri, quàm personas damnatas recenseri; etenim non tàm de hæresi, de qua anteà, quàm de personis in illam prolapsis, loquitur Concilium, cuius animus est, Anathemate confodere easdem illas personas, in quas Pontifex Agatho proscriptionis sententiam protulerat, vt ostendunt illa Patrum Concilii verba: *Anathematibus interfecimus ex Sententia per Sacras Vestras Litteras, de his prius lata, videlicet, Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Honorium, &c.* Agathonem verò in Sententia, qua in Romano Concilio prædictos Hęresiarchas proscripsit, nullatenùs de Honorio meminisse, meridiana luce clariùs apparet. Vndè pariter convincitur, verbum illud, *Honorium*, non potuisse hìc, sine manifesta verborum Concilii contratietate adjici: cumque id de Sancto OEcumenico Concilio, Sanctissimisque Patribus, qui in illo floruerunt, præsumendum non sit, hinc ad vitandam huiusmodi Patrum contradictionem, *Honorii* nomen à Pontificię Dignitatis invido impostore fraudulenter superadditum fuisse, censendum est.

Hæc

865 Hęc autem vt ampliùs confirmentur, perpendenda sunt verba, quibus Imperator CONSTANTINUS de Honorio Pontifice *in suo Edicto*, irreverenter loquitur; recensitis siquidem his, qui illas Orientis Ecclesias perversè gubernaverant, easque Monotheliſmi contagione polluerant, Theodoro scilicet, Sergio, & aliis, toties iàm repetitis, addit: *Ad hæc, & Honorium, qui fuit Antiquę Romæ Papa, horum hęreseos in omnibus fautorem, concursorem, atque confirmatorem.*

866 Ex his certè verbis, ab egregia religiosissimi Imperatoris pietate prorsùs alienis, facilè quilibet agnoscet, veritati congruere non posse, quod de Honorio Monothelitis connumerato, vulgata VI. Synodi Acta produnt. Quod luculentiùs ostenditur. Nam Patriarchę Macario Imperatorem enixè roganti, vt è Dyptichis, seu Ecclesiasticis Tabulis eradi nomen Vitaliani Papę, iuberet; Honorii verò memoriam *propter honorem Apostolicæ Sedis Antiquæ Romæ* conservari; Constantinus respondit: se neque velle, neque vllo pacto permissurum, vt alicuius ex duobus illis Pontificibus nomen deleretur, eo quòd vtrosque æquè Orthodoxos existimaret, vt suprà ex ipsius Imperatoris verbis ostendimus. Vndè si Constantinus, sub eodem VI. Synodi tempore, vtrumque, Honorium scilicet, & Vitalianũ, tamquàm Orthodoxos, Sacris Dyptichis dignos habuit: nullatenùs cum veritate cohærere posse videtur, quod prædicta VI. Synodi Acta referunt, Constantinum, nempè, ea verba, sua dignitate, ac pietate prorsus indigna, in Honorium Pontificem protulisse; nequè enim verisimile putandum est, Piissimum Imperatorem in tàm aspera, duraque prorupisse verba, potiùs contra Pontificem Romanum, quàm contra reliquos ab eadem Synodo proscriptos, præcipuè cum illum (vt modò diximus) tamquàm verè Catholicum hactenùs fuerit veneratus.

867 Nec absque diligenti consideratione prætereunda *Epistola ad Leonem II.* ab Imperatore, 13. *die Decembris Indictione* 10. data, cui hæc suprascriptio affingitur: *Leoni Sanctissimo, ac Beatissimo Archiepiscopo Veteris, & clarissimæ Vrbis Romæ, & OEcumenico Papæ,* vt in vulgatis VI. Synodi Actis immediatè post Imperatoris Edictum, inseritur; in illa enim Imperator, Agathonis Pontificis mortem supponens, confirmationem eorum, quæ in VI. Synodo definita fuerunt, à Leone II. Pontifice postulat. Hoc autem, quàm difficilé, Historiæ veritati, Authorumque Chronologiis cohæreat, apertissimè dignoscitur: cum enim hæc Epistola *mense Decembri anni* 681. scripta sit, *eadem indictione* 10. qua Concilio finis est impositus, & Actio 18. & vltima, celebrata narretur 16. *die Septembris, eiusdem anni*, impossibile planè videtur, eam ad Leonem II. dirigi potuisse, vt in prædictis Actis refertur: siquidem *mense Septembri anni* 681. Agathonem Pontificem nondum fuisse vita functum, vt in prædicta supponitur Epistola, apertè omnia Martyrologia, tàm Græca, quàm Latina, à nobis supra adducta, produnt, quæ dum illius obitus diem 10. *Ianuarii anni* 682. recensent, manifestè supponunt, illum *mense Decembri anni* 681. nondum è vita migrasse. Historiæ igitur veritati non congruit, prędictam Imperatoris Epistolam, scriptam *mense Decembri anni* 681. *Indictione* 10. cum absolutum fuit Concilium, & vltima illius Actio, 18. scilicet celebrata (vt in prędictis Actis refertur) ad Leonem Pontificem fuisse directam; cum enim tunc temporis adhuc Potifex Agatho communi spiritu frueretur, & luce, neque potuit tunc Leo II. ad Pontificatus apicem fastigiari, neque Imperator potuit illi, tamquàm Universali Papæ scribere.

868 Nec illa Epistolæ suprascriptio: *Leoni OEcumenico Papæ*; communi Imperatorum stylo congruit: prædictum enim titulum Imperatores solis Pontificibus confirmatis, non verò tantummodò electis, tribuebant. Vndè Leo II. in prędicta Epistola confirmatus supponitur *in mense Decembri anni* 681. *Indictione* 10. cum iam tunc *OEcumenici Papæ* titulo donetur: hoc autem Historiæ veritati videtur repugnans; siquidem tunc temporis Leonem II. nec confirmatum, imò nec electum fuisse apertè ostendunt Ecclesiæ Martyrologia, gravissimique Authores dùm *mense Ianuario anni* 682. Agathonẽ objisse tradunt, Apostolicãque Sedẽab Agathonis morte, per annũ, & septem menses, vsque ad electionem, vel potiùs

tiùs Consecrationem, Leonis vacasse scribunt: non ergo potuit Leo in Pontificem eligi, nisi vel *anno* 684. incipiente, vel ad minus labente iam 683. sicque neque potuit Imperator *mense Decembri anni* 681. ad Leonem II. Papam *OEcumenicum*, id est, confirmatum, scribere, vt vulgaria Acta perhibent.

869 Nec intactum præteriri debet, quod in eadem Epistola commemorat IMPERATOR, se nempè ab Agathone Pontifice Legatos ad VI. Synodum pro Monothelicæ hæresis extirpatione postulasse, vt hæc eiusdem Imperatoris verba ostendunt: *Qua propter, &c. Sancti Papę Agathonis Beatitudinem piis apicibus nostris sumus hortati, qui aliquot mitteret, vt eius personam obtinerent; cæterisque Sanctissimis Præsulibus denunciavimus, vt sibi quisque Subditos venerabiles Sacerdotes convocantes, omnes simul in nostram à Deo conservandam, & Regiam Urbem convenirent, &c.* Imperatorem autem non ab Agathone, sed à Dono Pontifice, Agathonis Antecessore huiusmodi Legatos eflagitasse, apertè convincit eiusdem Imperatoris Epistola ad prædictum Donum Pontificem data, quę habetur in Actis, in huius enim Epistolę inscriptione, sic legitur: *Imperator Flavius Cõstantinus, Fidelis, Magnus Imperator. Sacra Dono Sanctissimo Archiepiscopo Antiquæ nostræ Romæ, & Vniversali Papæ. (*Data pridie Idus Augusti, Constantinopoli, Indictione. 6.*)*

870 Imperatoris autem petitio, pro Legatis ad Concilium mittendis, habetur illis verbis: *Adhortamur Vestram Paternam Beatitudinem per præsentem nostram piam Sacram, dirigere viros vtiles, ac modestos, notitiam habentes totius à Deo inspiratæ Doctrinæ, & peritiam irreprehensibilem habentes Dogmatum, indutos personam Vestræ Apostolicę Sedis, &c.* Ex quibus infertur, non videri integræ Fidei Epistolam ab Imperatore Constantino ad Leonem II. scriptam, prout in vulgatis VI. Synodi Actis refertur.

871 Ex hucusque dictis clarè convincitur, nos, non nisi gravissimo rationum pondere, ac solidissimo adductos fundamento fuisse, vt inficiemur, Honorium à VI. Synodo fuisse Anathemate perculsum; eò quòd illius proscriptio in nullo instrumento legali, & authentico, nullique exceptionis vitio obnoxio reperiri queat; estò enim in VI. Synodi Actis Honorii Anathema referatur, istud tamen exemplar vitiatum esse, ac corruptum, multis hucusque exceptionibus ex ipso emergentibus, latè supra probavimus, quę illud hac in re non esse integræ fidei haud leviter convincunt; cum enim Pontificis proscriptio, res quidem summi ponderis, ac momenti sit, ac omni exemplo destituta, & in magnum Apostolicæ Sedis dedecus, ac opprobriũ vergens, admitti non potest quin instrumento aliquo legitimo, nullique vitio, aut exceptioni exposito, comprobetur, maximè verò Honorii Pontificis condemnatio, cum eam omnibus iuris positivi, naturalis, & Divini regulis adversari, apertè probaverimus.

CAP. XVII.

OCTAVVM ARGVMENTVM diluitur.

872 OBjicies octavò, estò verum esset, prædictum Actorum exemplar illibatum non esse, sed iniqua hęreticorum fraude corruptum, nihilominus Honorii proscriptio luculenter probatur duobus testibus, omni exceptione maioribus, duobus scilicet instrumentis legalibus, authenticis, omnisque exceptionis expertibus, OEcumenicis Cõciliis VII. & VIII. in quibus Anathema Honorio dictum est, vt suprà *num.* 718. dicebamus: corruit ergo iam quidquid hucusque diximus, nullo scilicet instrumento legitimo, exceptionisque vitio non exposito, Honorii damnationem evinci; siquidem hæc duo Concilia OEcumenica fuerunt, & ab Ecclesia aprobata: cumque vtrumque in Honorii Anathemate VI. Synodo subscribat, de huiusmodi proscriptione nullatenus possumus dubitare.

873 Negari quidem non potest, plures prima fronte existimaturos, nostram Sententiam hoc argumento, tamquàm validiori adversariorum ariete, concussam penitus corruere; at tantum abest, vt existimem, illud oppositis Authoribus suffragari, vt potius crediderim, nullo alio argumento efficaciùs suaderi, Honorium à VI. legitima Synodo proscriptum nõ fuisse, aç per cõsequens neque à VII. & VIII. quod est præcipuus huius nostri laboris scopus.

Quod

874 Quod vt clariùs appareat, supponendum est, tres VI. Synodos fuisse variis temporibus celebratas, vt gravissimi produnt Authores, & Authentica, ac legitima instrumenta confirmant. Prima Synodus, vt ex Actis, quæ circumferuntur, habetur, Constantinopoli celebrata fuit à 1. Actione vsque ad 11. inclusivè, in cuius calce Imperator vlteriùs, Concilio, ob gravissima contra Fratres *anno* 13. eius Consulatus oborta iurgia, intervenire se non posse declaravit. In hac, confirmata fuit Anathematis Sententia, quam in Monothelitas Sanctissimi Pontifices Martinus, & Agatho in Occidente protulerant. Et denuò auditi fuerunt Macarius, istiusque sequaces, qui tunc Ecclesiam Monothelitæ sordibus polluerant. Præcipuus autem prædictæ Synodi congregandæ scopus fuit, Monotheliticæ hæresis exterminatio, vt Fidei instructio ab Agathone, illiusque Sanctissimo Romano Concilio edita, manifestè ostendit; in illa enim destinati fuerunt Apostolici Legati, qui Pontificis, Conciliique nomine VI. OEcumenicæ Synodo adstarent, Monothelitas denuò emergentes audirent, eosque in errore contumaces, Censionis Sacræ fulmine percuterent: cumque id omne in prędictis vndecim Actionibus, Imperatore prędente, peractum fuerit, VI. legitimæ Synodo *in Actione* 11. coram eodem Imperatore finis impositus est, quin in aliqua ex vndecim Actionibus, vel levior adhuc accusatio, causę cognitio, aut condemnationis sententia in Honorium lata contineatur.

875 Hæc autem Synodus *mense Septembri anni* 680. inchoata fuit, & *in Aprili anni* 681. sub Paschæ tempore absoluta, vt iam supra *num.* 788. *& sequentib.* probavimus, infràque fusiùs expendemus. At alii Authores ex vulgatis VI. Synodi Actis prædictum Concilium 7. *die Novembris anni* 680. inceptum, & 16. *Septembris anni* 681. *Indictione* 10. (in qua 18. & vltima Actio celebrata est) absolutum fuisse affirmant.

876 Secunda ab *anno* 682. *vsque ad* 85. celebrata fuit, vt posteà probabimus. Tertia est, quam aliqui Quini-Sextam appellant, vel quia quinque annis post Sextam congregata fuit, vt aliqui existimant, vel quia vt alii arbitrantur, Trullani Canones in illa conditi sunt, vt quod in V. & VI. Synodo omissum fuerat suppleretur; vtraque enim illa tantummodò celebrata fuerat, vt Catholicum Dogma contra insurgentes hæreses definiretur: nulli tamen Canones ad Ecclesiasticam disciplinam spectantes statuti fuerant; ideôque tertiæ huius VI. Synodi Patres, vt hunc defectum supplerent, vltra 100. Ecclesiasticos Canones condiderunt. Ob hanc ergo rationem aliqui hanc Synodum Quini Sextam vocarunt. Alii tandem ideò hanc Synodum hoc nomine donarunt, quia in illa iidem VI. Synodi Patres 5. post hanc anno convenerunt.

877 Tota huius controversię difficultas eò devolvitur, vt discutiamus, an omnes tres prædictæ VI. Synodi legitimæ fuerint? & an Anathema, quod in Honorium vibratum Synodi, & Acta testantur, à VI. legitima Synodo, an verò ab alia illegitima, & adulterina fuerit intortum? ex huius enim difficultatis dilucidatione manifestè patebit prędicti argumenti solutio. Tria ergo nobis discutienda supersunt. Primò, vtrum tres VI. Synodi celebratę fuerint? Secundò: an omnes tres legitimæ sint? & si non omnes legitimę sunt, quænam pro OEcumenica suscipienda? Tertiò: an ex OEcumenica Synodo Honorii proscriptio innotescat?

878 Quoad primum, certissimum est, tres fuisse Sextas Synodos diversis temporibus celebratas; prima est, quam ab Agathone Pontifice sub Imperatore Constantino vulgata Acta referunt congregatam 12. *die Novembris, anni* 680. inceptam; quamvis aliqui Authores (inter quos Christianus Lupus) eam 22. *die eiusdem mensis*, & *anni* inchoatam fuisse arbitrentur. Huic Synodo ipse Constantinus Imperator personaliter interfuit *anno* 27. *sui Imperii, & 13. post Consulatum, Indictione 9.* vt in ipsis vulgatis Actis habetur.

879 At quo tempore hæc VI. Synodus absoluta fuerit, hoc opus, hic labor est: estò enim illam 16. *Septembris anni* 681. *Indictione* 10. terminatam fuisse, prædicta Acta testentur, cum hoc tempore 18. celebrata sit Actio, vt patet ex Actis, eam tamen *mense Aprili eiusdem anni* 681. circa solemne Dominicę Resurrectionis Festum absolutam, gravissimi arbitrantur Auctores, dequorum nu-

numero est Author libri Pontificalis, qui magnam sibi Authoritatem, & antiquitate, & fidelitate conciliavit; illum siquidem Ecclesia in Breviariis, & Historia de Vitis Pontificum, in eorum Solemnitatum Lectionibus sequitur, adeò, vt quotquot Authores illum allegent, magna de illo veneratione loquantur: vnde certissimum arbitramur, ideò Ecclesiam illius Authoritati in Pontificum gestis subscribere; quia existimat, illum quidquid de Pontificibus tradit, ex fidelioribus Archiviorum Apostolicorum monumentis eruisse; si enim Ecclesia id certum non haberet, nullatenùs ipsi, in Sanctorum Pontificum Lectionibus, assentiretur.

880 Hic igitur de Vitis Pontificum Author, tanta fide, gravitateque pollens, narrat, Imperatorem Constantinum omnibus VI. Synodi Actionibus, & Missæ, quæ post Concilium in gratiarum Actionem, Latino more, solemnique Ritu decantata fuit, interfuisse, vt testatur eruditus P. MARCHESIUS, *in suo Clypeo fortiũ, cap.* 12. sic scribens: * Ad cuiusrei comprobationem, accuratè revoluenda est descriptio Actorum Sextæ Synodi, compendiosè relata ab Authore Libri Pontificalis: cui in omnibus ferè Actionibus, vsque ad vltimam, Imperatorem adfuisse, & ipsam Missam in gratiarum Actionem Latino Ritu à Legato Apostolico decantatam, eum audivisse, narratur. *

881 Prædictam autem Synodum non in Septembri, sed paulò ante Festum Paschę, quod eo *anno* 681. *in* 14. *diem Aprilis* incidit, expletam fuisse, censet idem AVTHOR de Vitis Pontificum, dum in *Agathonis vita* hæc habet: *Tanta autẽ gratia Divina Omnipotentis concessa est Missis Sedis Apostolicæ, vt ad lætitiam Populi, vel Sancti Concilii, qui in Regia Urbe erant, Ioannes Episcopus Portuensis, Dominicorum die Octavarum Paschæ (vel, vt alter Codex habet: *Dominico die Paschæ*) in Ecclesia B. Sophię Missas publicas Latinè celebraret, coram Principe, & Patriarcha, vt omnes vnanimitèr in laudes, & victorias piissimorum Imperatorum, eo die Latinis vocibus acclamarent. * Idem tenet S. Beda prædicto Concilio propinquus, Cardinalis Humbertus, Abbas Vrspergensis, Abbo Floriacensis, & S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus *in suo Chronico, Tom.* 2. quorum sententię, vt supra diximus *n.* 791. plures, eruditissimique Authores adstipulantur.

882 Porrò Imperatorem illi Synodo non adfuisse, nisi à 1. vsque ad 11. *Actionem*, ex omnibus, quę in prędictis Actis referuntur, patet ex eadem 11. *Actione*, in cuius calcè ipse Constantinus se excusat, non posse vlteriùs Concilio, propter gravissima Reipublicę negotia, interesse, subjiciens, se id sine magno scrupulo facere, cum res magis præcipuas, ob quas illa Synodus congregata fuerat, iam constabilitas relinqueret.

883 Undè cum hęc vndecima Actio fuerit vltima, in qua adfuit Imperator, vt ipse apertè testatur; & aliundè tàm Pontificale Romanum, quàm alii gravissimi Authores antiquitate, Authoritateque celebres, suprà à nobis laudati, vnanimes testentur, Imperatorem integro Concilio à prima ad vltimam vsque Actionem, Missæ etiam, in qua gratiæ pro felici prædictę Synodi exitu Deo agebantur, adfuisse: hinc apertè convincitur VI. Synodum *Actione* 11. inclusivè fuisse perfectissimè absolutam; sicque cæteras Actiones ab ista 11. & vltima, non ad primam VI. Synodum, Agathonis præcepto congregatam, sed ad aliam VI. Synodum de quo infrà latiùs loquemur pertinere.

884 Et quamvis Acta dissentiant circa mensem, quo hæc Synodus fuerit terminata, cum eam non *in Aprili* sed *16. die Septembris* completam referant, conveniunt tamen circa annum, quo huic Synodo finis impositus est, vt supra probavimus, & ex Actione 18. & vltima in prædictorum Actorum exemplari relata, apertissimè constat.

885 Quod autem præter hanc primam VI. Synodum, alia Sexta fuerit celebrata, obvium erit cuilibet, qui Ecclesiasticos Authores evolverit: siquidem primam VI. Synodum fuisse *anno* 681. sive *in Aprili*, sive *in Septembri* absolutam, vtriusque sententię Authores affirmant: at post prædictum *annum* 681. aliam etiam fuisse VI. Synodum congregatam, ex sequentibus apparebit.

886 CEDRENUS namque celebris inter Græcos Author tradit, fuisse quamdam VI. Synodum *anno* 682. celebra-

tam, dùm hæc scribit: * A Quinto, ad Sextum Concilium 129. *anni fluxerunt.** Quintam autem Synodum celebratam fuisse *anno* 553. communis est Authorum consensus. Undè si his 553. *annis* superaddantur 129. qui iuxta prædictum Authorem à Quinto vsque ad Sextum Concilium fluxerunt, manifestè reperitur Sextam Synodum *anno* 682. fuisse celebratam. Vndè Actio 12. non potest ad Sextam *anni* 681. sed ad Sextam *anni* 682. Synodum pertinere. Quod ampliùs confirmatur: quia Actio 11. in qua Imperator, vt Acta referunt, ab illa Synodo discessit, habita fuit 20. *die Martii anni* 681. & Actio 12. quæ 20. *die Martii* celebrata fertur, non potuit eodem *anno* 681. haberi: magnum enim discrimen, ac temporis intercapedo inter vtramque dignoscitur; siquidem in Actione 11. aderat Imperator, neutiquam verò in 12. in illa Epistola Honorii ad Sergium lecta non fuit; benè verò in ista. Undè cum duæ istæ Actiones tàm diversæ, tàmque distantes appareant, vt ex gravissimis Authoribus suprà probavimus; proculdubio dicendum est, VI. Synodum Actione 11. absolutam fuisse, & Actione 12. aliud inchoatum fuisse Concilium; nè duas Actiones, tàm diversas, & re, temporeque dissitas, eodem die celebratas fuisse dicamus. Nè ergo in istud incidamus absurdum, & vt prædictos textus ad concordiam reducamus, dicendum est, Actionem 11. celebratam fuisse 20. *die Martii anni* 681. de quo ab Authoribus non dubitatur, & Actionem 12. quam Acta *ad* 20. *diem Martii* referunt, ad Martium *anni* 682. spectare, quo tempore Græci Patres, vt scribit Cedrenus, VI. Synodum prosecuti sunt.

887 Nec mirum videri debet, Actionem 12. fuisse hoc tempore celebratam; siquidem Actionem 13. de qua mentionem faciunt VI. Synodi Acta *anno* 682. celebratam fuisse, ex ipsa Actione deprehenditur: etenim in illa producta fuit Cyri Epistola, vt prędicti Concilii SECRETARIUS testatur, dicens: * Ita signatam inveni in Gazophylacio Epistolam Cyri missam ad Sergium, ante quinquaginta sex annos per 14. Indictionem pręteriti circuli.* Tempus autem prædictæ Epistolę ante *annos* 56. prefixum iuxtà Sethum Calusium, & alios coincidit cũ *anno* 626. à quo vsque *ad annum* 682. quo iuxta Acta VI. Synodus terminata est, solum computantur 55. *anni*, quibus si superaddatur alius, 56. *anni* in prædicta Actione relati implentur; sequiturque Actionem 13. celebratam esse *anno* 683. vel saltim 682. Undè Cedreni supputationi congruit, non solum Actionem 18. sed etiam 13. VI. Synodi *anno* 682. fuisse celebratam.

888 Et quidem non solum *anno* 682. sed etiam 83. fuisse eamdem VI. Synodum congregatam optimè probat GARSIAS DE LOAYSA *in Notis ad Concilia* in Hispania celebrata: *in Notis* enim *ad Concil. Toletan.* 14. hæc scribit: *Congregatum est hoc Concilium adversus hæresim Monothelitarum, Apollinaris, iisdem fere temporibus condemnatam in III. Synodo Constantinopolitana, quę VI. Generalis est, sub Agathone Pontifice Maximo, & Constantino Imperatore. Causa huius Concilii (id est Toletani 14.) celebrandi fuit, quòd Romanus Pontifex Leo II. ad Flavium Ervigium Regem Hispaniæ, & Episcopos, per Epistolam miserat vnà cum Legato Acta Concilii 6. Vniversalis 3. Constantinopolitani, quod aliquot ante annos à Domno Romano Pontifice convocatum erat, & sub Agathone cæptum, sub Leone II. absolutum, & peractum, ad infringendum errorem Constantinopolis Patriarchæ, & Antiochiæ, & Alexandriæ.* * Cum ergo Leo II. *anno* 683. ad Pontificatum fuerit assumptus, vt latè suprà probavimus, censet vtique gravissimus iste Author, Græcos Patres hoc *anno* 683. fuisse VI. Synodum prosequutos.

889 Verùm non solum hoc *anno* 683. sed etiam 684. Græcos Patres inceptam Synodum peregisse, haud inefficaciter convincit Benedicti II. Authoritas, qui cum *anno* 684. Leoni II. successisset, aliquas ad VI. Synodi Patres, & ad Hispaniarum Regem Epistolas scripsit, quæ adhuc extant. De aliis verò eiusdem Pontificis Epistolis meminit Concilium Toletanum 15. Cumque sub idem tempus Theophanes, Patriarcha Antiochenus, obiisset, & Macarius, vt Monotheliśmi caput, Patriarchali Dignitate ritè fuisset exutus, Benedictus Papa Paterna, & Apostolica Benignitate vtens, denuò ei Antiochenum Patriarchatum obtulit, si resipiscens suum errorem publicè execraretur. At Macarius

carius Cacodæmonis fraudibus circumventus, maluit obstinatus persistere in sua improbitate hæreticus, quàm in Patriarchali Dignitate Catholicus. Cum igitur prædictæ Benedicti Pontificis, ad VI. Synodi Patres, Epistolę post illius electionem, *anno* 684. factam, fuerint scriptæ, præclarè evincitur, Græcos Patres adhuc fuisse eo anno in VI. Synodo congregatos.

890 Huc accedit, primam, & legitimam VI. Synodum absolutam fuisse *anno* 681. vt in illius Actis habetur; qui quidem annus *anno* 12. *Imperii Constantini* respondet, vt tradunt gravissimi Authores Græci, præclara Authoritate insignes, inter quos glorioſus Martyr THEOPHANES, vir singulari Authoritate, & Historię eruditione conspicuus loquens de hac VI. Synodo: * Habitum est, inquit, Sextum Concilium Maximum contra Monotheliras 12. *anno Imperii Constantini.**

891 Idem censet P. TURRIANUS, qui Theophanis versionem secutus, cum retulisset, falsum esse, iuxta Theophanem, quatuor post VI. Concilium annis aliquot Canones conditos fuisse, subdit: * Vt enim in cæteris omnibus falsitatis arguuntur, ita in hac re quoque mentiuntur. Habitum est VI. Concilium Maximum contra Monotheliras 12. *anno Imperii Constantini.* (Et *infrà*:) Imperavit autem post VI. Synodum Constantinus aliis quinque annis. Eo verò defuncto vita, imperavit eius filius Iustinianus.*

892 Suppositio ergo hoc principio, *anno* nempè 681. & 12. Imperii Constantini, habitam fuisse VI. Synodum; eam etiam subsequentibus annis celebratam, rectè probat ONUPHRIUS PANVINIUS, dicens, VI. Synodum *anno* 13. 14. & 15. Constantini fuisse congregatam: *Sancta,& Vniversalis(inquit)Synodus VI. Constãtinopolitana III. ducẽtorũ octuaginta novem Episcoporum contra Monothelitas hæreticos congregata ::: Constantini Augusti *annis* 13.14. & 15.* Cum autem VI. Synodus, quam Acta referunt, terminata fuerit, & absoluta *anno* 12. Constantini, qui *anno* 681. correspondet, vt suprà probavimus; hinc, iuxta huius Authoris sententiam, rectè deducitur VI. Synodum *anno* 82. 83. & 84. fuisse continuatam.

893 HERMANNUS CONTRACTUS, tradit, in VI. Synodo damnatam fuisse Monothelitarum hæresim, & in ea 9. Canones conscriptos: * Cunctos (inquit) hęreticos vnam in CHRISTO voluntatem, & operationem asserentes damnaverunt, & novem Capitula conscripserunt; * de quibus extat mentio in Antiquissimo Codice manuscripto S. Babonis, Civitatis Gandavensis in Belgio, vt rectè notant Surius, & BINIVS *in Appendice ad VI. Synodum*, dicens: * Erat autem Codex ille, ad instar Decreti Gratiani, distinctus quinque partialibus libris, quorum singuli tractabant singulas materias. Itaque Capitula, quæ subiunguntur, desumpta sunt ex eiusdem *Libro* 4. *cap.* 56.*

894 Prędicti autem Codicis inscriptio sic se habet: * De Canonibus Apostolorum, & de Synodis principalibus. Apostolorum Canones, qui per Clementem Romanum Pontificem, sicut quidam asserunt, &c. Sexta in Constantinopoli centum quinquaginta Patrum, contra Macarium Antiochenum Episcopum & Socios eius, qui vnam voluntatem, & operationem in CHRISTO falsa suspicione astruebant, temporibus Constantini Principis, Agathonis Papæ Romani, Georgii Constantinopolitani, qui, condemnata hæresi præfata, scripserunt novem Capitula inferiùs annexa.* Vbi duo adnotanda occurrunt; primò, prædictum Sanctum, dum de VI. Synodo, & de his qui in ea precipuè condemnati sunt, vti fuerunt, Macarius Patriarcha Antiochenus, istiusque sequaces, mentionem facit, de Honorio Pontifice nec leviter meminisse; quem si à VI. Synodo damnatum esse constaret, nullatenus hoc loco præteriisset, cum hoc exemplar adeò ratum esset, ac singulare, vt in nulla Historia possit huic simile reperiri, nec vlla appareat ratio, qua adduci potuerit S. Babo, vt illud silentio premeret, cum Sancti Patres, quotiescumque sese illis offert occasio, nullatenus D. Petri negationem, illiusque à D. Paulo reprehensionem prodere prætermittãt. Vndè si certum esset, quod de Honorio à VI. Synodo damnato fertur, haud dubium quin Sanctus id litteris consignasset, præcipuè cum nulla huius silentii ratio affulgeat; & ipse de his, qui à VI. Synodo Anathemate

fuerunt perculsi specialem sermonem instituat.

895 Hinc infertur secundò, iuxta Hermannum Contractum, & S. Babonem Gandavensem, in VI. Synodo, IX. Canones fuisse conditos, quos ibi refert Sanctus: hos autem editos non fuisse in VI. Synodo, quæ *anno* 681. absoluta fuit, est certo certius, cum in illis Actis nullus legatur Canon, vt tradit communis Authorum consensus, ac eleganter confirmant ORIENTALES PATRES, qui Quini-sextæ Synodo affuerunt; ideò enim ipsi illos 102. Canones ediderunt, quia nec in Quinta, nec in Sexta Synodo vllum Canonem conscriptum reperent, vt testantur *in prædictæ Quini-sextæ Synodi Prologo*, sic loquentes: * Quoniam autem Sanctæ, & Universales duę Synodi, in hac imperante Civitate congregatæ vna quidem temporibus Divæ recordationis Iustiniani, altera verò sub piæ memoriæ Imperatore Constantino, Sacros Canones nequaquam conscripserunt. (Et infrà, Iustinianum Imperatorem sic alloquuntur:) Propterea ergo, tuæ Pietatis iussu, in hac imperante Urbe congressi, Sacros Canones scripsimus.*

896 Prædictos autem IX. Canones non esse illos, quos Quini sexta Synodus edidit, apertè ostendit ipsorum contextus, ex quo manifestè apparet discrimen istorum ab illis; quos Quini-sexta edidit Synodus, in qua non modo 9. sed 102. vt probavimus, constituti sunt: tum quia hæc, de quà loquitur Hermannus Contractus, aliò tempore, ac Quini-sexta Synodus, celebrata est, vt postea probabimus.

897 Pro istorum confirmatione, animadversione dignum censemus, quod scribit Patriarcha TARASIUS de II. Sexta Synodo loquens: * Post quatuor, sive quinque annos, iidem ipsi Patres sub Iustiniano, filio Constantini, præsignatos Canones exposuerunt; & nemo dubitet de illis: illi enim, qui subscripserunt sub Constantino, ipsi & sub Iustiniano præsenti chartæ subscripserunt; ita vt hoc manifestum sit ex eorum proprię manus scripturæ immutabili similitudine. Oportebat se eos, qui Synodum Vniversalem præsentaverunt, etiam Canones Ecclesiasticos exponere.*

898 Undè si post quatuor, aut quinque à VI. Synodo annos, iidem ipsi prædictę Synodi Patres, Canones condiderunt: ergo ab *anno* 681. quo VI. Synodus sub Constantino Imperatore terminata fuit, quatuor subsequentibus annis, ipsi VI. Synodi Patres congregati sunt. Quod nê mirum cuiquam videatur, audiamus, quæ THARASIVS in VII. Oecumenica Synodo *Actione* 4. dixisse fertur. Supponit prędictus Patriarcha, VI. Synodum, post eam, quę sub Constantino habita est, sub Iustiniano Constantini filio, fuisse congregatam; & graviter ofensus, ac molestissimè ferens, Canones VI. Synodo attributos, & illius nomine circumferri solitos, à quibusdam in dubium revocari, asserit, eos ab eisdem illis Patribus, qui prædictæ Synodo affuerunt, verè fuisse conscriptos. Et quoniam illius verba nobis egregiè patrocinantur, hìc transcribenda duximus, estò eadem infra iterum simus adducturi. * Quæ (inquit) hìc ignorantia, qua plerique laborant circa hos Canones? Scandalum est enim dubitare num sint VI. Synodi. Cognoscant igitur tales, VI. Synodum, temporibus Constantini fuisse congregatam, nimirum contra eos, qui tantummodò vnam Actionem, & voluntatem in CHRISTO collocant. Illi igitur hæreticos Anathemate verberantes, Orthodoxam Fidem confirmantes, *anno* 14. *Constantini* Domum reverti sunt.*

899 Quibus verbis apertè demonstrat, Patres VI. Synodi, sub Constantino Imperatore habitę, mansisse Constantinopoli vsque *ad* 14. *Imperii Constantini annum* congregatos, cum in domos suas ad istud vsque tempus, non redierint; cumque VI. Synodus, quam Acta referunt, terminata fuerit *Septembri*, *anni* 681. qui iuxta S. Martyrem Theophanem, aliosque gravissimos Authores Græcos 12. *Imperii Constantini anno* correspondet. Hinc totum illud tempus, quo VI. Synodi Patres, subsequentibus *annis*, nempè 13. & 14. qui cum 682. & 683. coincidunt, congregati manserunt, ad aliam VI. Synodum distinctam à prima, quæ vt diximus, iuxta Actorum computum 681. anno absoluta est, pertinere videtur.

900 Id ipsum lucule utèr confirmat IVO Carnotensis Antistes, dum de hac ipsa re sermonem instituens, & præfatam

Patriar-

Patriarchę Tharasii Authoritatem adducens, vt probet VI. Synodum ad 14. vsque Constantini annum durasse: * Solutum, inquit, Concilium 14. *anno Constantini.** Quod, & tradit GRATIANUS *in Cap. Habeo Dist.* 16. his verbis: * Et soluta Synodus est *Constantini* 14. *anno.** Illum autem de VI. Synodo loqui, manifestè constat; siquidem de hac ipsa affirmat, fuisse sub Constantino inchoatam. * Sciant ergo quoniam Sancta Synodus VI. sub Constantino congregata est, contra eos, qui dicebant, vnam operationem, & vnam voluntatem:* Et de hac eadem in citato capite asserit, fuisse 14. *Imperii Constantini anno* solutam. Cumque huiusmodi annus, iuxta Theophanem, aliosque Authores *anno CHRISTI* 683. respondeat: hinc manifestè deducitur VI. Synodum, iuxta Theophanis, cęterorumque, quos modo laudavimus, Authoritatem, *ad annum vsque* 683. durasse; sicque fuisse aliam VI. Synodum ab ea, quę duobus annis post illud tempus, quod in prædictis Actis refertur, fuerit absoluta.

901 Verùm non duobus solum, sed quatuor etiam annis post VI. Synodi finẽ fuisse aliam VI. Synodum congregatam, gravissimi testantur Authores, quos inter est GRATIANUS, qui *in Cap. Habeo* 16. *Dist.* Patriarchæ Tharasii Authoritate probat, quatuor annis à VI. Synodo elapsis, fuisse aliam VI. Synodum congregatã. THARASII verba audiamus: * Post quatuor verò, aut quinque annos, iidem Sancti Patres congregati sunt sub Iustiniano filio Constantini, & prædictos Canones promulgaverunt; de quibus nullus dubitet: qui enim sub Constantino in Synodo fuerunt, iidem ipsi Episcopi sub Iustiniano istis Canonibus subscripserunt. Oportebat enim, vt Synodus Vniversalis Canones Ecclesiasticos promulgaret.* Hucusque Tharasius.

902 Textus autem Decreti sic prosequitur: *Sancta VI. Synodus, post promulgatam ab ea Definitionem contra Monothelitas, Constantino Imperatore, qui eam congregaverat, non multò post defuncto, & Iustiniano eius filio regnante pro eo, eadem Sancta Synodus divinitùs inspirata iterum Constantinopoli quarto, aut quinto anno congregata est, & Canones *numero* 102. ad correctionem Ecclesiæ promulgavit.* Hucusque Textus Decreti, prout refert GRATIANVS. Ex quo textu iuxta præfatam Authoritatem apertè colligitur, post quatuor annos à VI. Synodi fine, fuisse aliam VI. Synodum, in qua aliqui Ecclesiastici Canones conditi sunt; quod intendimus: quamvis deceptus fuerit Gratianus volens prędictam VI. Synodum, in qua Canones editi sunt, Adriani Pontificis Authoritate confirmare, dictæ *Dist. capiti* 5. hanc Epigraphem præfigens: * Sexta Synodus Authoritate Adriani corroboratur. (Statimque prędictum Cap. sic inchoans:) Sextam Synodum Sanctam recipio cum omnibus Canonibus suis.* Quamquidem Gratiani deceptionem manifestè ostendunt Decreti Correctores, Viri in vtroque Iure peritissimi; dum in Glossa super hunc textum asserunt, hæc verba non esse Adriani Pontificis, sed prædictum Papam solummodò ea referre ex Epistola à Tarasio ad se missa.

903 Prædictorum igitur Correctorum GLOSSA primum verbum præfati Capitis, *Sextam Synodum* exponens, hæc habet: *Hoc haberur in 2. Actione VII. Synodi in Epistola Adriani ad Tarasium. Sed eo in loco Adrianus refert verba Synodicæ Epistolæ, à Tarasio ad se missæ. Et hinc Gratianus non refert propria eius Epistolæ verba.* At Græci textus verba, iuxta versionem, qua ANASTASIVS Bibliothecarius VI. Synodum, alias VII. vt Glossa dicit, ê Græco Latinam fecit, longè alitêr se habent; non enim dicit textus iuxta Anastasium: *Sextam Synodum Sanctam recipio, cum omnibus Canonibus suis; * vt refert Gratianus; sed ita: * Easdem Sanctas Sex Synodos suscipio, cum omnibus regulis, quæ iure, ac Divinitùs ab ipsis promulgatæ sunt. * Ubi addit Glossa: * Et hæc quidem postrema verba sunt etiam in illa ipsa Tharasii Epistola; quod ex Concilio Græco, & nova interpretatione clarè apparet.*

904 Quarè deceptum fuisse Gratianum, dum Trullanos Canones Adriano Pontifici adscripsit, communis est Canonistarum, tàm veterum, quàm recentiorum consensus. BARBOSA *in huius textus interpretatione*: * Falsò, inquit, Gratianus verba huius textus tamquam Adriani Papę refert; cum constet; non Adrianum Papam, sed Tharasium Patriarcham

cham Constantinopolitanum, Canones VI. Synodi recipere, & approbare.* Consonant Cardinalis Bellarminus *de Concil. lib. 2. cap. 8.* Baronius *Tom. 2. Annal. anno CHRISTI* 102. Possevinus *in Apparat. Sacro. Tom. 1. verb. Apostoli, vers. Qui verò.* Sanchez *de Matrimonio, lib. 7. disp. 28. num. 7.* Azor *Institut. Moral. Par. 2. lib 5. cap. 16. vers. Tertiò objicies.*

905 Verùm estò Gratianus hallucinatus fuerit, intelligens, prædictos Trullanos Canones fuisse ab Adriano Pontifice approbatos; ipsi nihilominus à Patriarcha Tarasio, qui ob ferventissimum suum Ecclesiasticum Zelum, singularem in Ecclesia commendationem promeruit, approbati sunt; siquidem in Epistola, quàm ipse ad alios tres Patriarchas Græcos scripsit, quamque VII. Synodus, cum laude approbavit, prędictos Trullanos Canones, tamquàm verè à VI. Synodo editos recipit, dicens: * Sanctæ VI. Synodi, cum omnibus Dogmatibus, quæ legalitèr, ac Divinitùs ab ea promulgata sunt, etiam depromptos Canones recipio.* Et nominatim admittit Canonem *de pictura Agni*, qui est 82. ex Trullanis Canonibus, quos VI. Synodus condidit. Ex hucusque dictis manifestè deducitur, esse duas VI. Synodos, in quibus Ecclesiastici Canones statuti sunt: aliam nempè, quæ prædictos novem Canones edidit; & aliam, quæ 102. Trullanos Canones promulgavit.

906 Quod solita sua eruditione confirmat Illustrissimus Toletanus Antistes D. Fr. BARTHOLOMÆUS CARRANZA *in Summa Concil. in VI. Synodo*, vbi ex exemplaribus Græcis, interprete Gentiano Herveto Aurelianensi, hanc veritatem deducit, ita scribens: * In volumine Conciliorum excuso Colonię feruntur IX. Canones adscripti VI. Synodo.* Hos autem non esse illius VI. Synodi, quæ sub Constantino celebrata est, clarè asserit, & eleganter probat, hęc subiungens: * Cum tamen sciamus VI. Synodum, quando primò sub Constantino celebrata est, nullos Canones edidisse.*

907 Post quinque tamen annos, quos Constantinus VI. Synodo supervixit, sub Iustiniano nempè, Constantini filio, editos fuisse Canones in VI. Synodo de novo congregata, rectè probat idem Author *loco citato* dicens: * Sed post, sub Iustiniano convenientes 227. Patres in Trullo Regii Palatii, Constantinopoli, Canones ediderunt sequentes. Hoc ita tradunt Patres, qui ad VII. Synodum convenerunt in Nicea *in Actione* 5. & explicatiùs *in Actione 6.** De eisdem istis Canonibus mentionem fecerunt Nicolaus I. *in Epistola ad Michaelem Imperatorem*, & Anastasius Bibliothecarius Apostolicus *in Præfatione ad VIII. Synodum*, & quod magis est, Patres, qui ex Oriente, & Occidente ad Sanctam Florentinam Synodum confluxerunt, eosdem hos 102. Canones VI. Synodi in Trullo citant, *Sess. 5.*

908 Ex dictis tot Authoritatum pondere roboratis, manifestè patet, fuisse tres Sextas Synodos. Prima, quæ celebrata est *ab anno* 680. *vsque ad* 681. vt refertur in vulgatis Actis. Secunda, quę iuxta Authores à nobis supra adductos *anno* 681. inchoata fuit, & ex qua, vt diximus, novem Canones emanarunt. Tertia, quæ *quinque* post primam *annis* congregata est, & in qua 102. Canones, vt inquit Carranza, vel vt alii scribunt 111. constituti sunt, qui VI. Synodo attribuuntur; non illi quidem, quæ sub Constantino Imperatore habita fuit, sed alteri VI. Synodo, quæ sub Iustiniano Constantini filio celebrata est. Et quamvis aliqui Authores affirment, hanc vltimam VI. Synodum congregatam fuisse quinque annis post illam VI. sub Constantino Imperatore celebratam: alii nihilominùs prędari Scriptores maiori fundamēto innixi, censent maiorem tēporis intercapedinē, inter vtramque illam Synodum, fluxisse, vt posteà probabimus, nec desunt, qui autument 20. *annos* ab vna ad aliam præteriisse. His igitur suppositis.

§. I.

QVÆRITVR: AN OMNES TRES prædictæ Synodi legitimæ fuerint, aut quænam ex illis?

909 ET quidem si sermo sit de secunda VI. Synodo de qua suprà adducti Authores loquuntur, quæ fuit media inter VI. sub Constantino congregatam, *annoque* 681. solutam, & 6. sub Iustiniano *quinque* post illam *annis* cele-

celebratam ; asserimus , eam nec legitimam esse, nec talem debere iudicari; quia , vt aliqua Synodus possit Generalis , & OEcumenicæ Excellentia , & Dignitate potiri , & vt talis ab Ecclesia admitti, eiusque obseruantia ab omnibus Fidelibus suscipi , necessariò requiritur, eam esse legitima Authoritate congregatam,à Supremo Ecclesiæ Capite , Romano nempè Pontifice,in quo vnicè residet Apostolicę Authoritatis Potestas, congregandi Generalia, & OEcumenica Concilia, iuxta expressã ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrinã,à Theologis, & Canonistis vniuersali plausu susceptam. Insuper , vt cuiusvis, quantumvis Generalis , & OEcumenici Concilii Decreta infallibili polleant Authoritate,non sufficit ipsum fuisse legitima Authoritate congregatum , sed necesse quoque est , vt Summus Pontifex , qui solus gaudet præstantissimo illo in rebus Fidei non errandi Priuilegio(vt ex Sacra Scriptura , Sanctis Patribus , & Sacratissimis Concil is latè ostendimus) ea approbet, & confirmet , iuxta communem Theologorum, Iurisque Peritorum consensum.

910 Atqui non constat , prædictam VI. Synodum intermediam, fuisse legitima Apostolica Authoritate congregatam, nec ei aliquẽ, pro parte Romanæ Ecclesiæ, Primę Apostolicę Sedis,& pro parte totius Occidentalis Ecclesię ad fuisse (Authores enim estò de prædicta intermedia Synodo loquantur , nullus tamen refert, quanam Apostolica Authoritate fuerit celebrata:) insuper nec constat de Litteris delegationis à Pontifice ad suos Legatos , vt illius nomine præsiderent ; nec quod Constantinus Imperator , sub quo habita fertur, illam flagitasset , aut sua Authoritate, quà sua intererat , eam congregasset, nec de Apostolica Approbatione , & confirmatione necessariò requisita , vt ab Ecclesia debito honore susciperetur ; nec de prædictorum Actuum exemplari ; nec de Actionum , & Episcoporum numero; nec denique quonam tempore prima Actio fuerit inchoata , & vltima absoluta; quæ omnia,iuxta generalem Ecclesię consuetudinem,in omnibus obseruatam Conciliis, debebant cõcurrere,vt prędicta intermedia Synodus legitima haberetur,OEcumenicęque,& Generalis titulũ obtineret: Cũ ergo hęc omnia prędatę intermedię Synodo desint,estò eã Authores VI.Synodũ appellẽt dũm tamen ipsi non probent,eam his omnibus requisitis fuisse instructam , OEcumenicæ Synodi Titulum , quali VI. Synodus fulget , non merebitur ; sed potiùs Conciliabuli , cum habeat quidquid in illegitimis Conciliis solet communiter inueniri.

911 His ergo,circa Sextam intermediam Synodum, prælibatis , gravis controversia est , an aliæ duæ VI. Synodi (nempè prima , quę *anno* 681. sub Constantino Imperatore celebrata est;& secunda , quam sub Iustiniano Imperatore congregatam probavimus , quamque Authores aliqui *Quint-sextam* , alii verò *Trullanam* appellant , quòd in illa editi fuerint Canones Trullani) legitimę fuerint, & vt tales suscipiendæ ? Pro cuius resolutione,sequentes instituìmus quęstiones, à secunda , vtpotè maiori obnoxia difficultati, initium sumentes.

CAP. XVIII.

AN VI. TRVLLANA SYNODVS sit pro legitima habenda? Vbi VII. contra Honorium argumento respondetur.

912 MAgnum est inter Authores dissidium de hac VI. Synodo Trullana ; multi enim eam legitimam esse , multis , nec levibus fundamentis innixi,firmiter propugnare satagunt , vt ex sequentibus rationibus constabit.

913 Primò , quia GRATIANUS plurib in locis Canones in ea conditos VI. Synodi Canones vocat , & vt tales allegat ; vt patet *ex Cap. Placuit, & Cap. Quoniam* 16. *Dist. ex Cap. Iacobus, de Consecrat. Dist.* 1. *Cap. Didicimus, de Consecrat. Dist.* 2. *Cap. Siquis Episcopus* 27. *quæst.* 1.Certum autem est, VI. Synodum legitimam esse , & legitima Ecclesiastica Authoritate nobilitari: ergo cum Gratianus prædictos Trullanos Canones,tamquàm VI. Synodi statuta , tàm repetitis locis alleget , ac tali nomine donet , proculdubio eos fuisse in VI. Synodo legitimè sancitos , iudicavit.

914 Secundò , quia INNOCENTIUS III. *de Ætat. & qualit. Ordinand. Cap. A multis.* Asserit , in VI. Synodo constitutum esse, * vt siquis eorum,

rum, qui ad Clerum accedunt, nuptiali iure mulieri voluerit copulari, hoc ante Subdiaconatus Ordinem faciat.* Hunc autem Canonem hìc ab Innocentio adductum, esse inter Trullanos ordine 6. extra dubium est. Videtur ergo prædictum Trullanum Canonem in VI. Synodo editum, tamquàm legitimum ab Innocentio admitti.

915 Tertiò, quia etiam ADRIANUS Papa suscipit VI. Trullanæ Synodi Canonem, in quo de Imaginum picturis agitur: approbat namque Tharasii Patriarchæ Constantinopolitani Epistolam, quę in VII. OEcumenica Synodo lecta fuit, & approbata, vbi sic loquitur: * Omnes Sanctas VI. Synodos suscipio cum omnibus regulis, quæ iure, ac Divinitùs ab ipsis promulgatę sunt, inter quas continetur, in quibusdam venerabilium Imaginum picturis, Agnos digito Præcursoris ostendi.* Hunc autem Canonem in prędicta Epistola laudatum esse inter Trullanos 82. nullus, qui illos legerit, dubitabit.

916 Insuper idem Pontifex, prędvidens aliquos Galliæ Episcopos, iudicaturos prędictũ Canonem à VII. Synodo adductum, non esse efficax argumentum pro Sacrarum Imaginum adoratione, horum instantiam præoccupans, hæc scribit: * Idcirco testimonium de Sancta VI. Synodo Patres (in Septima) protulerunt, vt clarissimè ostenderent, quòd iam quando VI. Synodus Acta est, à priscis temporibus Sacras Imagines, & Historias pictas venerabantur. Vndè ipsa Sancta VI. Synodus fideliter per Canones, Orthodoxè statuens, ita concludit.* Hæc ille; prædictum iam 82. Trullanum Canonem promulgans: illum ergo tamquàm VI. Synodi admittit.

917 Quartò, quia non modò prædictus Pontifex eumdem Canonem, tamquàm à VI. Synodo editum suscepit, sed omnes etiam Germanię, Galliæ, & Greciæ Ecclesiæ prædictos Trullanos Canones fuisse à VI. OEcumenica Synodo conditos, adeò certò iudicarunt, ac firmitêr tenuerunt, vt tempore Cardinalis Humberti, quandò illos nondum Romana Ecclesia susceperat, & sua Authoritate approbarat, Græci, Latinos ob id schismaticos iudicarent, vt rectè notavit eruditus P. CHRISTIANUS LUPVS *in Notis ad Canones Trullanos*, ita scribens: * Quo circa non tantùm Adrianus Pontifex, sed & omnis Gallicana, ac Germanica Ecclesia cognovit, hosce Canones esse opus Synodi Sextę. (Et *paulò infrà*) Et quia Cardinalis Humberti tempore eos servare, & probare recusabat Romana Ecclesia, habebant Græci Schismatici nos Latinos, pro Canonum in Generali Synodo editorum, & à Sede Petri confirmatorum damnatis prævaricatoribus.* Hactenus ille; quamvis stet pro opposita sententia, vt postea probabimus.

918 Et confirmatur; quia ADRIANUS Pontifex approbat, & admittit hos Trullanos Canones, & VI. Synodum, quæ illos condidit; vt videri potest, *Cap. Sextam 16. Dist. & Cap. Sextam, de Consecrat. Dist. 3.* Non ergo licet Catholico de Trullanis Canonibus dubitare.

919 Quintò; quia Patriarcha THARASIVS *in VII. synodo, Act. 3.* hæc protulit: * Eiusdem VI. Synodi rectè, & Divinè Decreta edita, traditosque Canones recipio.* Et *Act. 4.* PETRUS Episcopus dixit: * Habeo Codicem VI. Sacræ Synodi Canones continentem.* Quod & confirmat prædictus Tharasius, dum *Cap. Habeo 16. Dist.* in hanc interrogationem erumpit: * Quæ est hęc ignorantia, qua plerique laborant circa hos Canones? Scandalum enim est, dubitare, num sint VI. Synodi.*

920 Sextò, hanc sententiam, haùd leviter confirmat EPIPHANII Authoritas, qui *Act. 6.* Septimæ Synodi Iconomachis hæreticis Concilii nomine respondens: * Sacra, inquit, VI. Synodus postea, quàm sententiam suam de vna voluntate CHRISTI sub Constantino pronunciasset, iterum vnanimitèr omnes Divina Voluntate, post quatuor, aut quinque annos congregati, duos, & centum Canones edidere.* Si ergo VII. Synodus censuit prædictos Canones fuisse à VI. Synodi Patribus, Divina Voluntate vnanimitèr editos, eos proculdubiò approbavit.

921 Septimò, quia eadem VII. Synodus confitetur à VI. Synodi Patribus statutum fuisse, vt singulis annis Synodus congregaretur, quod & VII. Synodus confirmavit, vt constat *ex Cap. Quoniam 18. Dist.* vbi hæc habentur, ex eadem Septima

tima Synodo: *Definierunt, omni excusatione remota, omnibus modis semel in anno fieri, (Conventum Episcoporum) & depravata corrigi. Hunc ergo Canonem, & nos renovamus.* Ex quibus verbis manifestè apparet, Septimam Synodum agnoscere in VI. Synodi Patribus, qui in Trullo congregati prædictos Canones ediderunt, legitimam Authoritatem in vnum locum conveniendi, ibique Canones statuendi; quam quidem definiendi, & Canones edendi Authoritatem VII. Synodus approbat, vt ex citato Decreti textu patescit. Sexta ergo Trullana Synodus in illis Canonibus, quos statuit, solidam ac firmam Ecclesiasticam habuit Authoritatem. Hùc præclarè facit, quod tâm VII. OEcumenica Synodus *Act.* 5. & 6. quàm Nicolaus Papa in Epistola ad Michaelem Imperatorem, ac OEcumenicum Florentinum Concilium, *Sess.* 5. horum Canonum Authoritate vtantur.

922 Ex hucusquè ergo dictis videtur, dubitari non posse, VI. Synodi, sub Iustiniano Imperatore celebratæ, Authoritatem legitimam fuisse, Trullanosque Canones in ea editos, fuisse legitima Ecclesiastica Authoritate statutos. Cumquè illorum primus Honorium condemnet, estò istius condemnatio in prima VI. Synodo sub Constantino congregata, ob suprà adductas exceptiones, non subsisteret, eo quòd exemplar Actorum, quę circumferuntur, quoad prædictam Honorii damnationem valdé vitiatum sit, vt probavimus; tamen nê de illius veritate dubitemus, sufficiet eam in primo secundę VI. Synodi Trullanę Canone reperiri, cum prædicta Synodus, illiusque Canones tot titulis legitimi sint, & legitima Ecclesiastica Authoritate in Ecclesia approbati, & à Conciliis, & Pontificibus admissi.

923 Et hanc quidem sententiam multi Authores, tàm Græci, quàm Latini tuentur, quorum nomina, ac citationes, nè longiùs orationem ducamus, libenter omittenda duximus; præcipuè cum Authoritates, quibus ipsi innixi sententiam istam propugnant, iàm suprà adduxerimus.

924 Nihilominùs tamen oppositа sententia firmitêr propugnans, prędictos Canones nec esse VI. Synodi, nec deberę tali nomine donari, ac nulla Authoritate, nullaque Apostolica Approbatione gaudere, certior est, & secutior, & quæ solidioribus fundamentis fulcitur; quam proindè quoad hanc partem sequimur, & pro Conclusione defendimus; in hanc enim conspirat vniversus Sapientissimorum, tàm antiquorum, quàm recentiorum Senatus. Inter Græcos, eam tenet Sanctus Martyr Theophanes *in Historia Illustri*: inter Latinos verò Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus, & Leonis IX. Apocrisarius *in Libello contra Epistolam Michaelis Patriarchæ Constantinopolitani*; Anastasius, Apostolicus Bibliothecarius, in vtraque lingua, Græca, & Latina apprimè eruditus, Paulus Diaconus, S. Beda, Ado Viennensis, Marianus Scotus, Cardinalis Baronius *ad annum 692.* per totum, Cardinalis Bellarminus in suis Controversiis, *lib. 1. de Concil. cap. 7. vers. Hos ego*, *lib. 2. de Pontif. cap. 18. & lib. 1. de Cleric. cap. 21. vers. Ad 3.* Canus *de locis Theolog. lib. 5. cap. vlt.* Sotus *in 4. Sent. Dist. 38. quæst. 1. art. 2. col. 4. & lib. 7. de Iust. & Iure*, *quæst. 6. art. 2. vers. Hæc ego.* Simancas *de Catholicis Institut. Tit. 40. num. 38.* Torrensis *lib. vnico*, *de Canonib. VI. Synodi*, Surius *Tom. 3. Concilior. in VI. Synodo*, Dominicus Bañes, Salmanticensis Professor 2. 2. *quæst. 1. art. 10. dub. 5.* Valentia *par. 4. disp. 9. quæst. 5. & disp. 10. quæst. 5.* Barbosa *in Decret. Dist. 15. cap. Sextam, num. 4.* & Christianus Lupus *in Notis ad Canones Trullanos.* Hi ergo, aliique gravissimi Authores, quos brevitatis gratia omittimus, censent, prędictos Trullanos Canones, qui sub VI. Synodi nomine circumferuntur, nec ab Ecclesia esse approbatos, nec legitima Ecclesiastica Authoritate statutos.

925 Hæc Conclusio, ratione, Authoritateque potest communiri; sed quoniam in rebus Dogmaticis rationi præponderat Authoritas, celebriores, melioriſque notę viros, qui de hac re luculentiùs loquuntur, & huic sententiæ apertiùs suffragantur, pro maiori illius elucidatione adducemus.

926 Ut autem appareat, quam de prædictis Canonibus opinionem imbiberit Cardinalis HUMBERTUS, eosque minimè fuisse à VI. Synodo editos, nec ab Apo-

stolica Sede susceptos, illius verba audiamus. * Non mirum si Agathoni Papæ, & Sanctis Patribus VI. Synodi vestra imputetis deliramenta, & quæ, aut corrupistis, aut finxistis capitula; cum etiam ipsi Domino IESV, & Apostolis eius imputetis figmenta. Undè nos scientes VI. Synodum, ad destruendam hæresim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas institutiones congregatam, Capitula, quæ nobis sub eius Authoritate apponitis, omninò refutamus; quia Prima, & Apostolica Sedes, nec aliquandò ea accepit, nec observat; quia aut sunt nulla, aut vt vobis libuit, depravata sunt. *

927 Et *infrà*: * De Papa Agathone omninò scimus, quia nec VI. Synodo per se ipsum præsedit, nec aliquibus eius Capitulis subscripsi t, nisi quæ promulgata fuerunt adversum Monothelitarum hæresim. Vos videte, vndè hæc, quæ proponitis, habeatis; quia Romana Ecclesia talia hactenûs ignoravit. *

928 Nec minus expressè huic opinioni patrocinatur, quod scribit S. THEOPHANES, impugnans Patriarcham Tharasium, contendentem dubitari non posse, quin prædicti Trullani Canones essent à VI. Synodo conditi, vt patet *ex VII. Synodo Act.* 2. vbi hęc habet THARASIVS: * Quę hæc ignorantia, qua plerique laborant circa hos Canones? Scandalum est enim mihi dubitare num sint VI. Synodi, &c. * Contra hæc enim ita insurgit S. Theophanes iuxta Græco-Latinâ Turriani versionem: * Illud oportet, non ignorare, cassum, & nugatorium esse, quod quidam dictitant, eos qui Sexti esse Concilii Canones apud ipsos falsò feruntur, post quatuor annos editos fuisse: vt enim in cæteris omnibus falsitatis arguuntur, ita in hac re quoque mentiuntur, *

929 Et certè quàm falsò VI. Synodo prædictos Canones adscribant Græci, probat ANASTASIVS, Apostolicus Bibliothecarius *in Præfatione ad Papam Ioannem VIII.* Synodo VII. præfixa, vbi hæc habet: * Easdem Patres Regulas illas Græci promulgare perhibent, qui in VI. Synodo sunt inventi; sed hoc nullis probare certè possunt indiciis. *

930 Et *in Præfatione in VIII. Synodo ad Papam Adrianum II.* Id ipsum his verbis confirmat: * Græci, & alia ostendunt Regularum numerosa, & præsumptuosa satis Capitula priscæ traditioni penè omnia valdè contraria, quæ à VI. falsò perhibent Synodo promulgata; cum VI. Synodus nullam protulerit præter Fidei Regulam, sed quas eius asseverat Regulas, longè post VI. Synodum, apud ipsos constat, penes se privatim depromptas. *

931 Insuper prædictos Canones nulla fuisse Apostolica Authoritate statutos, rectè coniicitur ex eo, quòd Iustinianus Imperator, sub quo editi dicuntur, omnem lapidem movit, omnemque contentionem adhibuit, vt Papa Sergius illos approbaret; at Sanctissimus Pontifex agnoscens, quàm alieni essent ab Apostolica Doctrina, & à communi Sanctorum Patrum sententia, non modò eos non approbavit; sed potiùs tamquàm Doctrinam in Ecclesia perniciosam explosit; quod Imperatorem impulit, vt sese duriùs, ac violentiùs, cum prædicto Pontifice gereret. At iste, Sancto Apostolico Zelo succensus, maluit apertum vitæ subire discrimen, quàm tàm execrabiles Canones confirmare.

932 Quod vt clariùs intelligatur, supponendum est, Iustinianum Imperatorem duas congregasse Synodos, aliam sub Papa Sergio, aliam verò sub Ioanne VII. & ab vtroque Pontifice prædictorum Canonum Approbationem vehementissimè flagitasse; à nullo tamen illorum id impetrare valuisse, gravissimi testantur Authores. Et quidem quoad Papam Sergium, id apertè tradit V. BEDA *lib. de Natura rerum, cap.* 67. dicens: * Iustinianum, Romanæ Ecclesiæ Pontificem Sergium, quia erraticæ suæ Synodo, quam Constantinopoli fecerat, favere, & subscribere noluisset, iussisse Constantinopolim deportari; qui tamen ob culpam perfidię, regni gloria postea privatus, exul in Pontum secessit. *

933 Quod & confirmat PAULVS DIACONVS, magnæ Authoritatis, & Antiquitatis Scriptor, *de Gestis Longobard. lib. 6. cap.* 11. his verbis: * Hic Imperator, Sergium Pontificem, qui errori illius Synodi, quam Constantinopoli fecerat, favere, & subscribere noluit, missio Zacharia Protospatario suo, iussit Constantinopolim deportari. Sed prævenit militia Ravennæ Urbis, vici-

narum

narumque partium, iussa Principis nefanda contemnens, & eumdem Zachariam cum contumelijs ab Vrbe Roma, & iniuriis pepulit.*

934 Idem tenet REGINO PRVMIENSIS ABBAS, non vulgaris Fidei Historicus, dum *ad annum 692.* * Iustinianus (inquit) Augustus Sergium Pontificem, quia in errorem illius Synodi, quam Constantinopoli fecerat, favere, & subscribere noluit; misso Zacharia Protospatario suo, Constantinopolim deportari iussit: sed militibus repugnantibus, iussa Principis perficere non potuit.*

935 Suffragatur MARIANVS SCOTVS *ad annum 692.* scribens: * Zachariam ignominiosè fuisse Vrbe eiectum. Tractare Sergium parabat Iustinianus II. quomodò Vigilium Pontificem, à primo Iustiniano tractatum supra ostendimus. Rei seriem, Protospatarii in Vrbe violentias, ac Romani Populi pro Pontifice Zelum, latè in libro Pontificali exponit Anastasius Bibliothecarius. Verùm Divina Providentia iusti oculi non dormiunt. (Pergit enim laudatus Marianus:) Iustinianus ob culpam perfidiæ regni gloria privatus, exul secessit in Pontum.*

936 His præstantissimis Authoribus apertè consonat PLATINA *in Vitis Pontificum*; nam *in Vita Sergij* hæc tradit: * Iustinianus Synodum habuit, in qua nonnulla approbata sunt, Orthodoxæ Fidei nequaquam congruentia. Eadem quoque Sergii Apocrisarius, qui tunc Constantinopoli erat, subscriptione sua stolidè nimium confirmavit. (Erant hi Apocrisarii Episcopi Græci, qui Apostolicorum Vicariorum munere fungebantur pro rebus, quæ in illis Græciæ partibus communiter occurrebant; quorum quidem Authoritas Universalis non erat, sed certis finibus coercebatur; non tamen erant Pontificis ad prædictum Concilium Legati, vt rectè notavit Baronius.) Verùm cum postea Romam delata à Sergio explo derentur, ira percitus Iustinianus, Zachariam misit, qui Sergium ad se vinctum traheret.*

937 Et quoniam ANASTASIUS Bibliothecarius singularem sibi fidem, inter Antiquos Scriptores, hac in re conciliavit, vtpotè is, qui de ea, maiori eruditione, fusiorique calamo pertractavit, nec facile sit cuiquam illius Opera invenire, transcribenda censuimus verba, quibus expendit, ac eleganter tradit, quantùm Pontifex Sergius, Iustiniano Imperatori Approbationem prædictorum Canonum, qui Sanctæ VI. Synodi nomine circumferuntur, extorquere conanti, obstiterit, quantoque Apostolico Zelo illos, vt pernicioſos detestaretur, malens gloriosè mortem oppetere, quàm Sanctæ Apostolicæ Sedis puritatem prædictorum Canonum, Fidei, & Ecclesiæ contrariorum Approbatione fœdare. Sic ergo scribit: * Huius itaque temporibus Iustinianus Imperator Concilium in Regia Vrbe iussit fieri, in quo, & Legati Sedis Apostolicæ convenerant, & decepti subscripserant. (de illis hoc intellige quos Theodorus recenset, Græcos Episcopos Romani Pontificis constitutos in Oriente Vicarios, vt ait Baronius *ad annum. 692. num. 36.*) Compellebatur autem & ipse Sergius subscribere; sed nullatenus acquievit, pro eo quòd quædam Capitula, extra Ritum Ecclesiasticum, fuerant in eo annexa. Quæ & quasi Synodaliter definita, & in Sex Tomis conscripta à tribus Patriarchis, id est Alexandrino, Constantinopolitano, & Antiocheno, vel cæteris Consulibus (hoc est Præsulibus) qui eo tempore illic convenerant, subscripta, manuque Imperiali firmata, missis in lucellum, quod *crebrum* (locus depravatus) Chartale vocitatur, in hac Romana Urbe ad confirmandum, vel in superiori loco subscribendum Sergio Pontifici, vtpotè Capiti omnium Sacerdotum, direxit. Qui Beatissimus Pontifex, vt dictum est, penitùs eidem Iustiniano Augusto, non acquievit, nec eosdem Tomos suscipere, vel lectione pandere passus est. Porrò eos, vt invalidos respuit, atque abiecit, eligens antè mori, quàm novitatum erroribus consentire.

938 Qui Imperator, Sergium Magistrianum, in spretum prænominati Pontificis, Romam mittens, Ioannem Deo amabilem Portuensem Episcopum, sive Bonifacium, Consiliarium Apostolicæ Sedis, in Regiam abstulit Urbem. Deinde Zachariam immanem suum Protospatarium, cum iussione direxit, vt prædictum Pontificem similiter in Regiam deportaret Vrbem. Sed misericordia Dei pręveniente, Beatoque Petro, & Apostolo, & Apostolorum Principe suffragante, suamque Ecclesiã immutilatam servante, excitatũ est cor Raven-

natis militię, Ducatus etiam Pentapolitani, & circumquaque partium, qui non permiserunt Pontificem Apostolicę Sedis in Regiam ascendere (hoc est accedere) Vrbem. Cumque ex omni parte multitudo militiæ conveniret, Zacharias Protospatarius perterritus, & trepidans, nè à turba militiæ occideretur, portas quidem Civitatis claudi, & teneri Pontificem postulabat: ipse verò in cubiculum Pontificis tremebundus refugit, deprecans lachrymabiliter, vt sui Pontifex misereretur, nec permitteret quempiam eius animæ infestari. Exercitus autem Ravennatis Urbis ingressus est Portam B. Petri Apostoli, & cum armis, & turba in Lateranense Episcopium venit, Pontificem videre æstuans, quem, fama vulgante, per noctem sublatum, & in navigium missum fuisse cognoverat.

939 Dumque fores Patriarchii, tàm superiores, quàm inferiores essent clausæ, has in terram, nisi velociùs aperirentur, mittere, minabantur. Præ nimia timoris angustia, & Virę desperatione Zacharias Protospatarius sub lectum Pontificis ingressus se abscondit, ita vt mente excideret, & perderet sensum. Quem Beatissimus Papa est confortatus, dicens, vt nullo modo timeret. Egressus verò idem Beatissimus Pontifex Basilicam Domini Theodori Papæ, apertis ianuis, in Sedem, quæ vulgò appellatur *sub Apostolis*, generalitatem militiæ, & populi, qui pro eo occurrebat, honorificè suscepit; datoque apto, & suavi responso, eorum corda lenivit: quamquam illi Zelo acti, pro amore, & reverentia, tàm Ecclesiæ Dei, quàm Sanctissimi Pontificis, iàm à Patriarchii custodia non recesserunt, quousque denominatum Protospatarium, cum iniuriis, & contumeliis à Civitate Romana foras depellerent. Nam & is, qui illum miserat, ipso etiam tempore à Domino retribuente regno privatur; sicque Ecclesia Dei imperturbata cum suo Prę sule, CHRISTO favente, servata est.* Hucusque Anastasius.

940 Hęc sunt, quæ prędicti Authores, antiquitate conspicui, de prædicta Trullana Synodo censuerunt: nunc ad Recentiores deveniamus. Cardinalis BARONIUS *ad annum 692.* loquens de hac Trullana Synodo, illiusque Canonibus rectè expendit, quàm indigni sint, vt Sanctæ VI. Synodi nomine circumferantur, ita scribens: * Cęterum, quî sequens est annus Domini *692.* Indictione 5. notatur, quo celebratum est Constantinopoli Concilium, seu potius Conciliabulum, in quo, nomine VI. Synodi 103. Canones (quod numquam hactenus in aliquo factum Concilio legitur) sanciti leguntur. *

941 Et *infrà* * Cæterum, inquit, quod ad Pseudo-Synodum ipsam pertinet, nemo prudens dixerit, eam in Spiritu Sancto legitimè congregatam: tuque ipse de his, Lector sapiens, iudex eris, cum, quę dicenda erunt, æqua lance perpenderis. Primùm quidem in ea, explosa veneranda antiquitate, cuius prę scripto cuncta benè geri in Ecclesia Catholica consueverunt, omnia sibi improba novitas arrogavit. Etenim vbi in primis auditum est, vt post decem annos à soluto Concilio OEcumenico, atque perfecto, dimissisque omninò Patribus, eiusdem Synodi nomine, ab alio coacto Conventu Canones sanciantur? Et non dico hoc inveniri posse post decennium prætерlapsum, sed nec post mensem, imò nec diem, vbi Synodus dimissa fuerit, vt apparet in Concilio Chalcedonensi. Si verò sanciendi aliqua occasione fuerunt Canones, quæ necessitas exigebat, vt nomine Synodi ante decennium hab itę sanciri entur? *

942 Tandèm ad rem nostram aptiùs, ac luculentiùs censet prædictos Canones, nonmodo, non fuisse ab Apostolica Sede approbatos, sed imò à Pontifice Sergio, contra relatas Iustiniani violentias, proscriptos. *Vides (inquit) Lector, quantum absit, vt recepti, probatique fuerint Canones illi à Romano Pontifice, qui nè reciperentur, steterit intrepidus contra Imperatorem ista præcipientem, adversus quem ipsius quoque milites insurrexerunt. Sed & ita perseverasse eodem odio in præsumptum scelus de Sancitis Canonibus illis reliquos Successores Romanos Pontifices, quę dicturi sumus, magis ostendent. *

943 Verùm non solum Pontifex Sergius, sed nec illius Successor Ioannes VII. prędictos Trullanos Canones approbavit, vt probat Baronius *loco citato num.* 39. quamvis Iustinianus agnoscens iustum supplicium, quo Deus illum Imperii privatione mulctarat, quia prædictorum Canonum

nonum Approbationem à Pontifice Sergio violenter extorquere contenderat; nullam ei ausus fuerit violentiam inferre: * In primis scias (inquit BARONIUS) eumdem Iustinianum Imperatorem, vbi expulsus Imperio, sui criminis conscius, probè novit, ob scelus in Romanam Ecclesiam præsumptum, se fuisse ab Imperio eiectum; postquam rediit, liberasque administrationis est nactus habenas, detestatum esse pristinum facinus, atque erga Romanam Ecclesiam factum æquiorem, non ampliùs misisse aliquem violentum Magistratum ad abstrahendum inde Romanum Pontificem, captivumque ducendum Constantinopolim, sed duos legasse Metropolitanos Antistites Romam, rogaturos eum, qui tunc sedebat, Ioannem eius nominis VII. vt eosdem Canones confirmaret, vel emendaret. Porrò ea legatione nihil factum est, eo quòd idem, qui præsidebat tunc, Ioannes Papa, nequaquam eos probare voluit in dispendium Ecclesiasticæ iam olim præscriptæ ab Apostolorum temporibus disciplinæ, neque emendare, vel (vt fecerat Sergius) ausus est improbare, veritus iras Imperatoris; sicque re infecta, qui fuerant missi, duo Metropolitani sunt reversi Constantinopolim.*

944 Pro maiori huius veritatis confirmatione omitti non potest, quod refert ANASTASIUS Bibliothecarius Apostolicus, *in Historia Pontificatus Ioannis VII.* & restitutionis Iustiniani ad Imperium, vbi hæc habet: * Pro tomis, quos ante sub Domno Sergio, Apostolicæ memoriæ Pontifice, Romam direxerat, in quibus diversa Capitula, Romanæ Ecclesiæ contraria, scripta inerant per duos Metropolitanos Episcopos, demandavit, dirigens per eos & Sacram, per quam denominatum Pontificem, Ioannem scilicet obsecravit, & exhortatus est, vt Apostolicæ Ecclesiæ Concilium aggregaret, & quæ ei visa essent, stabiliret, & quæ adversa, renuendo excluderet. Sed hic humana fragilitate timidus, hoc nequaquam emendans, per suprà fatos Metropolitas direxit ad Principem.*

945 Idem tradit PLATINA Antiquus Scriptor *in Vita Ioannis VII.* dicens: * Iustinianus eadem stultitia vexatus, qua fuerat ante amissum Imperium, Sergio Pontifici duos Metropolitanos Romam misit, qui Ioannem adhortarentur, vt habita Synodo, quæ de *Homousio* crederent Orientales, eadem etiam Occidentales affirmarent, præpositis libellis, in quibus ei subscribendum erat. Homines tamen re infecta ad Imperatorem Pontifex remisit.*

946 Quod solita sua eruditione illustrat Eminentissimus Cardinalis BELLARMINUS *de Rom. Pont. lib. 7. cap. 18.* sic scribens: * Cæterum nullius roboris sunt illi Canones; non enim Canones, sunt VI. Concilii verè legitimi, atque OEcumenici, sed alterius cuiusdam conventiculi, quod se falsò VI. Synodum nominavit. Constat enim VI. Synodum, quæ sub Agathone Papa, & Constantino IV, Imperatore celebrata est, nullos Canones edidisse sub nomine VI. Synodi. Id quòd manifestè colligitur, tùm ex principio horum Canonum, tùm ex confessione Tharasii Episcopi Constantinopolitani in VII. Synodo, Act. 4. quos eosdem Canones *Erraticam Synodum* Beda appellat, & à Sergio Papa, qui tunc sedebat, reprobatos fuisse scribit *in lib. de sex Ætatibus*, in Iustiniano Iuniore. Ex quo sequitur, istam falsam Synodum VI. aut non fuisse Generalem, aut non fuisse legitimam: nam Generalis legitima esse non potest, vbi deest Authoritas Primæ Sedis, vt ipsimet Græci fatentur in VII. Synodo, Actione VI. *

947 Et *infrà*, idipsum his verbis confirmat: * Quidquid de hoc sit, nobis constat, à Sergio Papa, qui tunc sedebat, hanc Synodum, tamquàm errantem fuisse reprobatam.*

948 Eidem nostræ Assertioni erudite favet SEVERINUS BINIVS *in Notis ad Concil. General.* præcipuè ad Pseudo Synodum, vel Conciliabulum, vbi sic loquitur: * Authoritate Callinici, Constantinopolitani Episcopi, qui hoc tempore, post obitum Pauli, Constantinopolitanæ Ecclesiæ præsidebat, hæc erratica Pseudo-Synodus in Trullo Constantinopoli congregata fuit.*

949 At quòd neque hæc Synodus, nequè illius Canones Apostolica Pontificum Sergii, & Ioannis VI. Authoritate fuerint aprobati, eleganter tradit ipse BINIVS *loco suprà citato*, his verbis: * Quid præter Canones supra positos, in Conventiculo Monothelitarum Episcoporum

rum Sancitum fuerit, non constat. Testimonio Bedę, & Pauli Diaconi hoc certissimè constat, quoôd neque Sergius per vim, neque Ioannes VII. & Constantinus Pōtifices per fraudem, & blanditias ad confirmādos impios Canones, prout Monothelitæ expetebant, ab Imperatore induci potuerunt. Cuius Authoritatis sint Canones Spurii, & illegitimi, qui hactenùs per fraudem, & impostura Græcorum sub nomine VI. Synodi vulgati fuerunt, dicam infrà verbo, *Reprobatum.* *

950 Et vt probet, prędictum Concilium fuisse ab Apostolica Sede reprobatum: * Testatur (inquit) illud eiusdem temporis Scriptor celeberrimus Beda *de Sex Ætatibus.* Idem iisdem propè verbis refert Paulus Diaconus *de gestis Longobardorum*, *lib. 6. cap.* 11. Paulò fusiùs eadem narrat Anastasius suprà *in Vita Sergii.* * Quorum verba, estò à Binio non adducantur, quia tamen à nobis suprà relata sunt, hìc prętermittenda censuimus; omittere tamen non possumus, quòd ipse in maiorem prædictorum confirmationem addit, sic scribens: * Multo tempore pro approbatione horum Canonum apud Iustinianum Imperatorem Orientales Episcopos instituisse, ipsosque importunis suis conatibus apud Sedem Apostolicam omninò nihil impetrasse, videre est apud eumdem Anastasium *in Vita Ioannis VII. Constantini, & Gregorii II.* Eadem posteriorum temporum Scriptores Othofrisingensis *lib.* 5. *cap.* 13. Regino *lib.* 1. Ado Viennensis *in Choronico*, Marianus Scotus, alijque plures attestantur. *

951 Ex dictis planè colligitur, quantùm à veritate devient, qui iudicant, prædictam VI. Synodum, illiusque Trullanos Canones esse ab Apostolica Sede approbatos; cum huiusmodi approbatione adeò indigni habiti fuerint, vt eam non modò, non ab Apostolica Sede, sed nec à cæteris quidem Patriarchalibus Orientis Ecclesiis, præter vnam Constantinopolitanam, vndè iniquè prodierunt, obtinere meruerint; vt tradit prædictus Author generali Conciliorum notitia apprimè excultus, *loco supra citato*, dicens: * Qui hosce Canones ab Ecclesia Romana indifferenter receptos esse sentiunt, longissimè à veritatis scopo aberrant. Nam Anastasii Bibliothecarii manifesta testificatione liquet, prædictos Canones non modò, non à Romana Ecclesia, sed nequè ab aliqua trium Patriarchalium Sedium receptos fuisse, imò eorumdem iudicio habitos fuisse indignos, qui excriberentur, & in Archiviis Ecclesiarum suarum inter alios asservarentur. *

952 Cui consonat BARONIVS *ad annum 692. num.* 45. dicens: * Tantùm abesse, vt Romana Ecclesia eos receperit VI. Synodi nomine promulgatos Canones, vt nec etiam aliqua trium Sedium Patriarchalium Orientalium eos, vt reciperet, induci potuerit. Etenim earumdem Ecclesiarū Patriarchæ, cum nec se vocatos ad illud conciliabolum scirent, neque per se, vel suos Legatos eidem interfuerint, procul abfuerunt, vt ab eo sancita receperint. Ita quidem, vsque ad sua tempora, eos in detestatione illorum Canonum, Anastasio teste, perseverasse, idem Author fidem facit: Adeò enim ipsos dignos execratione iudicaverunt, vt indignos existimarint, qui excribi deberent, & in suis ipsorum Archiviis inter alios Caonnes asservari. *

953 Quæ magis illustrantur ex his, quæ annotavit ANASTASIUS Apostolicus Bibliothecarius in *dedicatoria ad Ioannem VIII.* in VII. Synodo, quam è græco in latinum transtulit ipse Anastasius, admonens eos, qui prædictam Synodum legerent. * Ne putarent si interdum eorumdem Canonum VI. Synodi in ipsa VII. Synodo mentio haberetur, eos ab Ecclesia Romana esse receptos aliquando. * Ibi enim hæc scribit. * Sanè notandum est, quædam in hac Synodo ex Apostolorum, & VI. vniversalis Synodi Canonibus, & sententiis inveniri, quæ penes nos interpretatæ, nec habentur, nec admituntur (Et *infrá*) Regulas, quas græci à VI. Synodo perhibent æditas, ita in hac Synodo (Nicęna scilicet) principalis Sedes admittit, vt nullatenus ex his illa recipiantur, quę à prioribus Canonibus, vel decretis Sanctorum, sed huius Pontificum, aut certè bonis moribus inveniuntur adversæ. Quamvis omnes hactenùs ex toto maneant apud latinos incognitæ, quia nec interpretatæ, sed nec in cęterarum Patriarchalium Sedium (licet græca vtantur lingua) reperiuntur Archivis: Nimirum, quia nulla earum cum ederentur, aut promulgans, aut consentiens, aut saltem præsens inventa est, quamquam eosdem Patres, illas Græci promulgasse perhi-

beant

beant, qui in VI. Synodo sunt inventi, sed hoc nullis possunt probare certis indiciis. *

954 Vndè manifestè constat, quàm longé abfuerit Apostolica Sedes, sicut & præcipuę Patriarchales Orientis Ecclesię ab approbatione, & assensu prædictorum Canonum, qui falsò VI. OEcumenicæ Synodi nomine ad VII. vsque Synodum 100. post sextam annis celebratam prodierunt. Verùm nec iis acquievit pertinax græcorum contentio, sed Ioanne VII. vita functo, illiusque successore Sisinnio vigesimo post electionem die denato, ac Constantino ad Pontificatum assumpto, denuò ab Imperatore summa ope contenderunt, vt à prædicto novo Pontifice, quod ab istius prædecessoribus non potuerat, impetraret. Illum itaque Iustinianus Imperator Constantinopolim accivit, ibiquè omnibus vrbanitatis, obsequii, & venerationis supremum vniversalis Ecclesiæ Thronum tenenti debitæ tractavit indiciis, vt prædictus Anastasius ad notavit; & quamvis gravissimus iste Author *hoc loco* non afferat causam, cur prefatum Pontificem Imperator acciverit. *Ex his tamen (inquit BARONIVS) quæ idem scribit *in Gregorio II.* propter eosdem Canones, sive Capitula esse vocatum, intelligi potest, altercatumque diu inter Græcos, & Latinos, hosque tulisse superiores, cum pro Romana Ecclesia Gregorius defensor, atque Propugnator extiterit, eidem Constantino Papę suggessit. *

955 Vt videri potest in iis, quę ipse ANASTASIVS, de eodem Grægorio loquens scripsit: * Cum Viro Sancto Constantino Pontifice in regiam Profectus est vrbem, atque à Iustiniano Principe requisitus de quibusdam capitulis, optima responsione, vnamquamque solvit quęstionem. Erat enim Vir Castus, Divinæ Scripturæ eruditus, facundus loquela, & constans animo, Ecclesiasticarum rerum defensor, & contrariorum fortissimus impugnator. *

956 Ex quibus apertè convincitur Græcos, estò Iustiniano Imperatore ipsis patrocinante, omnes effuderint vires, vt Sancta Sedes præfatos Canones approbaret, nunquam id à Sancto prædictorum Pontificum Zelo impetrare valuisse, vt testatur BARONIVS *loco supra citato, num.* 41. sic loquens: * Ex quibus satis possumus intelligere, diù, multumque pugnatum inter Grecos, atque Latinos horum Canonum causa, illis conantibus eos comprobari à Romano Pontifice, istis eiusdem Authoritate Pontificis penitùs reluctantibus; verùm nec imperatoria quidem vi potuisse vnquam Latinos adigi, vt quæ ab ipsis adversus traditionem Sanctorum Patrum, eorumdemque Doctrinam statuta fuissent, vllatenùs firmarentur, præter ea, quę dicta sunt, etiam, quæ dicturi sumus, ostendent. *

957 Hucusque præclarissimis tàm insignium, tàmque eruditione Ecclesiastica illustrium Virorum Testimoniis probavimus, nec prędictam Synodum, nec illius Canones esse à Romana Ecclesia approbatos; quod adeò solidis argumentis præfati Authores ostendunt, vt quisquis eorum fundamenta candido, synceroque animo, ac omni affectione semota consideret, nullatenùs possit de nostrę Assertionis certitudine dubitare. At cum veritas valdè sit rationi consona, vt clariùs agnoscatur gravissimum fundamentum, quo Summi Pontifices prędictorum Canonum approbationem denegarunt, sequentes rationes afferemus.

§. I.

PROPONVNTVR RATIONES, quibus adduci potuere Pontifices, nè prædictos canones confirmarent.

958 PRędictam Synodum, Trullanosque Canones in ea conditos multis de causis Summi Pontifices nõ approbarunt. Primo; quia hęc VI. Synodi nomen multis retro annis finitæ falsò sibi vindicavit; quod non potest non mirum censeri, cum hucusque nunquam visum fuerit, aut auditum vt vno soluto Concilio, aliud eodem omninò nomine, & titulo celebretur, & in eo Canones prioris iàm finitæ Synodi nomine evulgentur, vt eruditè notavit BARONIVS *ad annum 692. num.* 5. his verbis: * Etenim vbi in primis (inquit) auditum est, vt post decem annos à soluto Concilio OEcumenico, atque perfecto, dimissisque omninò Patribus, eiusdem Synodi nomine ab alio coacto Conventu Canones sanciantur; & non dico hoc

inve-

inveniri posse post decenium prætersapsum, sed nec post mensem, imò nec diem, vbi Synodus dimissa fuerit, vt apparet in Concilio Chalcedonensi. Si verò sanciendi aliqua ocasione fuerunt Canones, quæ necessitas exigebat, vt nomine Synodi ante decenium habitæ censerentur.*

659 Id etiam eleganter admonuit eruditissimus MELCHIOR CANVS, Canariensis Antistes *Tom. de locis, lib. 5. de Authoritate Concilii, cap. vlt.* sic loquens: * Itaque hæc Trullana Synodus supplementum duarum esse dicitur, & quod deerat quintæ, & sextæ, id nimirum addidisse. Ideò enim nec sexta, aiunt, propiê numeratur, sed *quini-sexta*. Scilicet nomine VI. Synodi Trullana se priùs venditare volebat. At nunc nec sexta, nec quinta, nec septima est, sed monstruum quoddam quini sexta.*

960 Secundò, quia non minorem admirationem ingerit, hoc Concilium sibi sextæ vniversalis Synodi nomen arrogare; cum manifestè repugnet, esse VI. Synodum, & aliquos in ea fuisse Canones statutos; sicut & esse vniversalem eam, in qua nec prima sedes, qualis est Apostolica, præfuit, nec vllus Latinæ Ecclesiæ Episcopus adfuit; in omnibus enim OEcumenicis Conciliis in Ecclesia celebratis, & Romanam Sedem ipsis præfuisse, & Latinæ Ecclesiæ Episcopos ad ea confluxisse, comperimus; sed non è contra, vt eleganter expendit Cardinalis BELLARMINVS *de Romano Pontifice, lib. 2. cap. 18.* his verbis: * Non enim sunt Canones VI. Synodi verę, legitimæ, atque OEcumenicæ, sed alterius cuiusdam conventiculi, quod se falsò VI. Synodum nominavit, Constat enim, VI. Synodum, quæ sub Agathone Papa, & Constantino 4. Imperatore celebrata est, nullos Canones edidisse. (Et *infrà*:) Ex quo sequitur, istam falsam Synodum VI. aut non fuisse generalem, aut non fuisse legitimam. Nam generalis legitima esse non potest, vbi deest Authoritas primæ Sedis, vt ipsimet Græci fatentur *in VII. Synodo, Act. 6.*

961 At deindè (prosequitur) qua ratione generalis legitima dici potest, ad quam nec vnus quidem Latinorum est vocatus. Si autem legitima non fuit, planum est, nullam Authoritatem habere potuisse. Si verò legitima fuit, sed particularis, non generalis, non potuit leges ferre, nisi nomine sibi subiectis; non potuit igitur Sedem Romanam deprimere, ac privilegiis spoliare, quod tamen facere, conata est, cum ei Sedem Constantinopolitanam, alioqui inferiorem, atque subiectam, æquare tentavit; leges enim, & Canones nulli sunt, qui primam sedem secundæ subjiciant. Idipsum rationi maximè adversatur; denique nulla potest Historia in medium adferri, qua constet, aliquid actum ex Authoritate à Græcis Episcopis in Romana Ecclesia, aut cęteris Ecclesiis Occidentis.*

962 Hùc egregiè facit, quod eruditè scribit SEVERINUS BINIVS *in notis ad hanc Trullanam Synodum*, cuius epigraphe sic se habet: * Conciliabulum Constantinopolitanum Pseudo sextum vniversale, & reprobatum.* Et exponens hoc verbum *vniversale*, censet illud falsò esse prædictæ Synodo attributum, vt ex sequentibus illius verbis apparet: * Vt ea, quę inaniter constituerant, Authoritate Apostolica fulcirentur suo illegitimo conventui VI. OEcumenici Concilii titulum falsò, & iniustê adscripserunt. Nam vniversale Concilium fuisse non potuit, quod Authotitate Callinici Metropolitanæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ indictum est, cuique Romanus Pontifex, neque per se, neque per suos Legatos interfuit, aut præsedit. Theodorus Balsamon *loco allegato* suorum fraudem, & errorem confirmare nititur, eo in primis argumento, quòd initio quorumdam Canonum habeatur talis præfatiuncula: *Definit hæc Sancta, & Vniversalis Synodus*, quòdque Basilius Gortinæ Cretæ Insulæ Metropolis Episcopus, & quidam, vt ille inquit, Ravenę Episcopus, totius Synodi Romanæ Ecclesię vicem gerentes, huic Trullano Concilio interfuerunt.

963 Sed (prosequitur) cũ homo schismaticus, & Græcus impostor nequissimus animadverteret, hunc conventum malignantiũ eodẽ iure vniversalem Synodum nominari, quo Sacrosancti Concilii appellationem, ac nomen sibi imponit, per summam nequitiam, vnum incognitum, alterum innominatum Legatum Apostolicum adfuisse, subiungit: & nê mendacii posset argui, ait, subscriptionem Episcoporum

inve-

inveniri in Nomocanone, non quidem recentiore, sed quodam antiquo, qui fortasse numquam extitit.

964 Quarè impostor (idem prosequitur) schismaticus non tantum nequitiam, verùm etiam suam ipsius imperitiam apertè manifestavit. Nā si retroactaCōcilia OEcumenica diligenter inquirantur, nusquam reperietur, quòd ex Clero Romano vllus Episcopus, vlluśve Presbyter, aut Diaconus ad Synodum OEcumenicam ablegatus fuerit. Non minùs insolitum est, quod subiungit, Thessalonicensem, aliośve, quos pro arbitrio suo effingit, aliarum sedium Episcopos, Sedisque Apostolicæ Vicarios, Legationis munere fungentes, huic Synodo interfuisse.* Ex quibus manifestè apparet, quàm iniustè, Vniversalis, & OEcumenicę nomen, sibi prædicta Trullana Synodus arrogarit.

965 Tertiò, silentio præteriri non potest, motivum, quo præfata Trullana Synodus ad Canones efformandos inducta fuit; quià nempè duæ antecedentes, in eadem Constantinopoli celebratæ, nullos ediderant, sicque vt vtriusque defectus suppleretur; vt patet ex his verbis, quibus illius Synodi Patres Iustinianum Imperatorem, sic alloquuntur: * Quoniam autem Sanctæ, & Vniversales duæ Synodi, in hac imperante, & Dei obsérvatrice Civitate congregatæ, vna quidem temporibus Divinæ recordationis Iustiniani; altera verò, sub pię memoriæ Imperatore Constantino, tuæ mansuetudinis Patre, ad paternè declarandum Fidei Mysterium, Sacros Canones nequaquam conscripserunt, sicut reliquæ Sanctę quatuor Vniversales Synodi, perquos Populi quidem, à deteriore, abiectiore vivendi ratione recedant, ad melioré autem, & altiorem vitam se traducāt.*

966 Notatu etiam valdè dignum est, quod in hanc rem scripsit BARONIVS *vbi supra* de magna insciția, qua prędicti Conciliabuli Patres laborarunt, dum duo OEcumenica Concilia, suæ sententiæ pervicacitate, emendare voluerunt.* Sed maiorem (inquit) his vide insolentiam, atque fatuitatem, non nomine tantum VI. sed & V. Synodi iidem reperiuntur sanciti Canones:::stultè se necessitate coactos esse, veluti Apendicem ad dictas Synodos, ponere novos Canones.*

967 Et *infrà* probat, nullam fuisse necessitatem, quæ prædictos Canones statui postularet: *Si enim ratione res agatur, quæ necessitas, vt in OEcumenicis Synodis, Fidei causa tantummodò congregatis, alia quàm de Fide inter Patres tractentur? Imò dictum meminimus, accepisse in mandatis ab Agathone Pontifice Apostolicos Legatos, ad VI. Synodum missos, vt nihil in ea, prętęrquam de Fidei quæstionibus, quarum causa missi fuissent, agerent. Non enim alia ratione, quàm de causis ad Fidem spectantibus, consuevere Synodi OEcumenicæ congregari. Verùm etsi Appendix ista ad Synodum V. & VI. facienda erat, non nè eosdem Episcopos, eosdemque legatos, vel alios ab Apostolica Sede mittendos, vocari oportuisset? Quæ sunt ista deliramenta, & perficiendarum Synodorum vafrè quæsiti prætextus.*

968 Et sanè novum etiam est in Ecclesia, & numquam antea auditum, vt OEcumenicum congregetur Concilium, quin in eo Fidei Dogmata pertractentur, quale fuit istud, cuius pręcipuum scopum vnicè fuisse, prædictos Canones sancire, satis ostendunt illa ipsius Concilii verba: * Quoniam Sanctæ Vniversales Synodi V. & VI. Canones non fecerunt, propterea nos, in hanc Imperialem Urbem convenientes, Canones conscripsimus.* Quibus innuitur necessitas, ac vrgentia, ad prædictos Canones efformandos, quandò illis Ecclesia minùs indigebat, ob innumerabilium Canonum multitudinem, quam ad reformandum Clerum, & Ecclesiasticam Doctrinam stabiliendam, tàm Sancta, & diversa Cōcilia pro solita sui Magisterii Dignitate, differtissimè ediderant.

969 Hunc præfati Conciliabuli abusum, & audaciam graviter coarguit Doctissimus Episcopus CANO *loco supra laudato*, dicens: *Illud verò quis ferat, quod insimulant Patres hi, duo gravissima Concilia, V. & VI. tamquàm mutila, & imminuta, vt causa congregationis necessaria videatur? Enim verò Concilium Generale Ecclesia nè vnum quidem habuit, vbi causa, aut Hæresis, aut Schismatis, nulla esset. Trullana hæc Synodus sola est, quæ non ad profligandam hæresim, non ad tollendum schisma, sed ad Canones edendos cogitur. Quid autem erat opus, Pastores Ecclesiarum omnium suis Sedibus cieri,

vt post ferè innumeros Canones Apostolicos, Nicænos, Ancyritanos, Neocæsarienses, Antiochenos, aliorumque, & plurimorum, & Martyrum, & Confessorum, qui Canones, secūdo Trullano cōprobātur, alii 102. ab his Patribus ederentur? Quantò verò gravius VI. Synodus egit, quæ, causa Fidei, ob quam convenerat absoluta, noluit Ecclesiam Canonibus onustam discedere; non igitur necesse erat, Canones condere, sed si verum fateri vultis, alia Iustiniano causa vestræ Congregationis fuit, nimirûm, vt Latinos Sedemque præsertim Apostolicam insectaretur, vtque, quòd Platina ait, aliqua, vestra Authoritate probaret, Orthodoxæ Fidei nequaquam congruentia.*

970 Quod eruditè confirmat CHRISTIANUS LVPVS *in sua Dissertatione de Synodo Trullana*, expendens motivum, quod præfati Conciliabuli Patres, ad prædictorum Canonum efformationem arripuerunt. * Quintæ (inquit) igitur, & VI. Synodi in condendis Canonibus, seu morum, aut fidelis Populi reformativis Regulis, defectum hęc præsens supplere voluit, aut velle simulavit; ideòque passim à Græcorum Canonistis vocatur *Synodus quinta sexta*, verùm fuit pię solicitudinis temeraria simulatio. Etenim pleteque Synodi generales nullum condendorum Canonum, sed solius adversum tunc inquietantes hęreticos Fidei stabiliendæ mandatum, & potestatem habuerunt à Sede Apostolica; ideòque Sexta falcem suam in istam messem mittere, prudentissimè noluit, cavens tractari à S. Agathone Pontifice, quomodò à Sancto Leone Magno norat tractatos Canones Chalcedonenses.

971 Nullos enim (prosequitur) Græcorum Synodorum, nisi solos Nicænos Canones, hucusque Romana Ecclesia confirmarat. Laudo solam Synodum VI. & primam. Alia namque quatuor, quoniam, aut Fidem, aut Canones sine Romana licentia statuere attentarunt, Romanam Ecclesiam, ac Rempublicam crudeliter arietarunt. Quivis Episcopi, suæ Provinciæ, aut Diœceseos mores possunt omninò editis Canonibus corrigere; at de Romana Ecclesia statuere, vti suprà à S. Bonifacio I. audivimus, nec ipsa Nicæna Synodus, præsumpsit; ideòque hæc eius, non tantummodò humanos lapsus, sed & rectissimas, atque Apostolicas Institutiones arrodere, & mordere, ausa, nimium exorbitavit. * Superfluum sanè videretur solidissimis istis prædictorum Authorum fundamentis aliquid addere. At non possumus non egregiè comendare præclarissimum Ecclesiasticum Zelum, quo præfati Authores singulari eruditione conspicui, sese ad scribendum contulerunt, vt Pontificiam Authoritatem tuerentur cōtra inveteratā malitiam, qua istius infensissimi hostes eam assiduè rodere, arietare, impugnare, ac infestè persequi conantur.

972 Quarto, quia non potest dari in Ecclesia Vniversale, & OEcumenicum Concilium, quin Summi Pontificis Authoritate congregetur, quod apud Catholicos benè sentientes adeò est certum, vt supervacanea videatur huius veritatis probatio; nihilominùs tamen, vt delicatissimis quorundam ingeniis satisfaciamus, qui his, quę Apostolicę Sedi patrocinantur, nisi solido fundamento firmentur, haud facilem prębent assensum; illud profectò pro nostra Assertione non defuisse reperiet quis quis sese Sacræ Scripturæ, Sāctorū Patrum, & Conciliorum Sacrorum lectioni tradiderit; vt in *Tomo de Authoritate Papæ supra Concilium* vberius probabimus.

973 Interim tamen non omittendū duximus, quod in Alexandrina Synodo accidit, in qua singulorum Romanorum Pontificum hoc privilegium luculenter testatur, magnus ille Fidei Zelator, Sanctus ATHANASIVS ad Felicem Pontificem sic scribens: *Scimus in Nicæna Magna Synodo circa 318. Episcoporum, ab omnibus esse concorditer roboratum, non debere absque Romani Pontificis Sententia Concilia celebrari, nec Episcopos condemnari. *

974 Quod, & confirmant multę Sanctorum Patrum Authoritates, quas in hanc rem allegat Gratianus *dist.* 17. per totam. Eisdemque SS. Patrum testimoniis innixus magnus ille vir, Dignitate, & Doctrina in tota Gallia celebris HINCMARUS Rhemensis Antistes *lib. de Synodis, cap.* 18. in hæc verba erupit. * Nè mireris, quod ipsorum Conciliorum Authoritatem Romano Pontifici adscribamus; nam nulla Concilia rata leguntur, quæ Apostolica Authoritate fulta non fuerint, vt Damasus Papa *in secretis suis, cap.* 9. asserit, cui Anastā-

ſtaſius,& Iulius Papa,Nicænũ quoq; Cõciliũ,& reliqui quoquè Patres adſtipulãtur.*

975 Idipſum præclarè docuit, S. MARCELLUS Papa,& Martyr,*in Decretis ſuis, cap.* 5. vbi cenſet prædictum Apoſtolicæ Sedis Privilegium fuiſſe ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, Divino affiante Spiritu ſtatutum. *Ipſi Apoſtoli(inquit)& eorum Succeſſores,Domino inſpirante, conſtituerunt, vt nulla fieret Synodus pręter Romanæ Sedis Authoritatem; nam illius Sedis Epiſcopus iudex eſt totius Eccleſiæ, nec aliquod Iudicium, valet abſque legitimo iudice.*

976 Nollem in re adeô certa, ac manifeſta longiùs immorari, præterire tamen non poſſum notum illud Pelagii Pontificis eventum, cum enim Ioannes, Patriarcha Conſtantinopolitanus *Vniverſalis Epiſcopi* titulum ſibi arrogans, Eccleſiam ad Generale, & OEcumenicum Concilium vniverſaliter convocaret, volens Sanctiſſimus Pontifex, ràm execrabilem audaciam coercere, eique oportunis remediis mederi, vniverſis Chriſtiani Orbis Epiſcopis ſcripſit, nè prędicti Patriarchæ audacię, & temeritati aſſentirentur, nevè illum audirent, certiſſimum habentes, Authoritatem Congregandi, vniverſam Eccleſiam, eſſe Privilegium, D. Petro, vtpotè Eccleſiæ Principi, eiuſque Succeſſoribus, privativê conceſſum; ſicque ſe,quidquid, prędictus Patriarcha Conſtantinopolitanus Authoritate ſibi iniquè vſurpata attentarat, infectum, indictumvè denuntiare, prędictumque Concilium Generalis, & OEcumenici titulo donatum, nullum eſſe declarare: *Relatum (inquit) eſt ad Apoſtolicam Sedem, Ioannem, Conſtantinopolitanum, *Epiſcopum Vniverſalem* ſe ſcribere, voſque ex hac ſua præſumptione ad Synodum convocare Generalem, cum Generalium Synodorum convocandi Authoritas Apoſtolicæ B. Petri Apoſtoli Sedi, ſingulari Privilegio ſit tradira, & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apoſtolica Authoritate non fuerit fulta, qua propter quidquid in prædicto veſtro conventiculo, quia Synodus totaliter præſumpta eſſe non poteſt, ſtatuiſtis, ex Authoritate S. Petri Apoſtolorum Principis, & Domini Salvatoris voce, qua B. Petro Poteſtatem ligandi, atque ſolvendi ipſe Salvator dedit, quæ etiam Poteſtas in Succeſſoribus eius indubitanter tranſivit,præcipio omnia, quę ibi ſtatuiſtis,vana,& caſſa eſſe,&c. *

977 Hæc autem veritas nonmodò Authoritati, ſed etiã rationi innititur; ipſa ſiquidem æquitatis ratio dictat,ad eum, qui alicuius communitatis Caput eſt, pertinere, eam, cum expedierit, aut ratio expoſcerit, congregare, quam quidem veritatem, & ipſi Ethnici Imperatores ſolo naturali lumine ducti comprobarunt; ipſi ſiquidem ſoli, privativè quoad alios, Edicta totius Imperii convocatoria ferebant, vt omnes vectigalia penſitarent, cuius rei innumera exempla nobis ſuppeditat antiquitas, ſicque factum legimus, quando humanitas, & benignitas Salvatoris, Sole lucidior, Orbi apparuit, Generale namque Edictum ad tributi ſolutionem ſolus Cęſar edidit, iuxta illud: *Exiit edictum á Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniverſus orbis. Lucæ* 2.In Politicis etiam,& Civilibus ea generalis obſervantia viget,vt Generalis Regnorum, vel Principatuum, ad Comitia,vel Reipublicę negocia convocatio privativê ad Principes, aut Reges, qui Supremam Regni,vel Principatus obtinẽt dignitatẽ pertineat:in Eccleſiaſticis ergo Generalis Eccleſiæ convocatio ſpectare debet ad eum, quem CHRISTUS DOMINUS ſui loco Eccleſię Caput reliquit, qualis fuit D. Petrus cui CHRISTUS dixit: *Paſce oves meas, Ioã.* 21.& cęteri illius in Pontificia Dignitate Succeſſores, quibus, tamquàm Vniverſali Eccleſiæ Capiti, omnes Fideles Iure Divino parere tenentur; ſicque ad ſolum Romanum Pontificem eodem Divino Iure ſpectabit, Eccleſiam in Conciliis repreſentatam Generaliter Congregare, vt quidquid vniverſali Eccleſię bono expedierit, in illis vnanimiter decernatur.

978 Fundatur hęc ratio in ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina, quam communiter ſequuntur Theologi, quia aliàs illuſoria eſſet generalis convocatio, *niſi convocanti deberetur obedientia vniverſaliter*: at quod ſoli Romano Pontifici, ad vniverſalia Concilia convocanti, omnes Fideles obedire teneantur, tamquàm ſuperiori, & inter omnes Primatum tenenti, eſt certo certiùs, vt habetur *in Capit. Obedientiam, Diſtinct.* 93. Adeò ſolida eſt hæc ratio, vt ea vtatur Iulius Pontifex *in Epiſt.* Orientalibus directa, in qua, vt

habetur *in cap. Dudum 3. quæst. 6.* hæc leguntur: *Dudum à Sanctis Apostolis, Successoribusque eorum in antiquis Decretum est Statutis, quæ hactenus Sancta, & vniversalis Ecclesia tenet Apostolica, non oportere, id est, non convenire, sine scientia Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum condemnari, quoniam Sanctam Romanam Ecclesiam primatem omnium, Ecclesiarum esse voluerunt, & sicut B. Petrus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia suo nomini consecrata, Domino instituente, prima sit, & Caput cæterarum.*

979 Quod autem Trullana Synodus ad prædictos Canones condendos, nulla Summi Pontificis Authoritate fuerit convocata, certissimum est; quia constare debebat de convocatoriis litteris, & Pontificia Authoritate, à qua fuerint emanatæ, vt eas legitimas esse, innotesceret, iuxta vniversalem Ecclesiæ consuetudinem, in omnibus Conciliis observatam; quod in hac Trullana Synodo verificari non potest; nulla enim invenitur alicuius Summi Pontificis Epistola qua prædicta Synodus indicta fuerit, vt præstantissimo suo Ecclesiastico Zelo expendit Eruditissimus MELCHIOR CANUS, *de locis lib. 5. cap. Postr.* prædicti Conciliabuli Patres sic alloquens. *Principiò autem, si in Constantinam Vrbem conveniistis, dicite mihi, à quo evocante conveniistis? Annè Romanus aliquis Episcopus vobis Concilium indixit? Minimè id quidem. At Romanus Pontifex eo tempore certus erat, Catholicus erat, addo, etiam, probus erat. Primates autem Ecclesiæ, sine Principis Ecclesiastici, & veri, & Catholici, & pii voluntate cogere, hoc non est Synodum velle facere, sed adversus Ecclesiæ Principem conspirare. Quemadmodùm si Regni Proceres ad res publicas pertractandas sine Regis arbitrio conveniant, coniuratio illa potius, quàm congregatio æstimabitur. Iustinianus, inquis, eos fecit convenire: benè profectò narras; nàm istum improbum fuisse, & Ecclesiæ Romanæ inimicum, memoriæ proditum est: qualem autem Synodum à tali viro profectam esse, arbitrabimur?**

980 Quintò: quia in omni Generali Concilio debet Summus Pontifex, vti supremus Ecclesiæ Præsul in Conciliis repræsentatæ, per se, vel per suos Legatos præsidere, vt patet ex Ecclesiæ traditione, cuius origo ab Apostolorum temporibus emanavit; isti enim, vt de Mathiæ electione agerent, eumque Iudæ sufficerent, in Concilium convenerunt *Act. 1.* in quo B. Petrus, vt potè Apostolorum Princeps, Christianæ Plebi præfuit, quod præterquam patet ex circunstantiis litteræ, constat etiam, quia Petrus fuit in medio Apostolatus, exemplo CHRISTI, vt ait Glossa, inquit enim textus: *Exurgens Petrus in medio fratrum dixit.* Glossa: *Pastor pro ovibus loquitur.* Idem etiam patet in alio Concilio, Apostolorum tempore celebrato, super observatione legalium, aut eorum cessatione. *Act. 15.* Vbi sic scribitur: *Convenerunt Apostoli, seniores que Iudæorum de verbo hoc: cum autê magna conquisitio fieret surgens Petrus, &c.* In hoc autem Concilio præfuit Petrus: Vndè Glossa super verba: *surgens Petrus, dixit ad eos*, hæc annotat; *Præomnibus, quasi princeps loquitur.**

981 Idipsum præclarè confirmat Ecclesiæ Vniversalis observantia in reliquis OEcumenicis Conciliis, in quibus Summus Pontifex semper, vel per se, vel per suos Legatos, præses fuit, vt patet ex Libro Conciliorum, ex corpore iuris, & Decretalibus, in libro enim Conciliorum passim legimus. *Hilarius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, Synodo præsidens dixit, &c.* Gregorius, Generali Synodo Præsidens, dixit, &c. *Symmachus Papa in Generali Synodo Præsidens, dixit, &c.* In Decreto etiam, *cap. In nomine Domini, dist. 23.* hæc habentur: *Præsidente quoque Reverendissimo Nicolao Papa* & *Cap. Si quis Dogmata 25. q. 2.* *Nicolaus Papa Vniversali Synodo Præsidens, dixit.* Tandèm in Decretalibus *extra. de electione. cap. licet.* hæc scribuntur: *Innocentius III. in Concilio existens, & Præsidens, nos ad malum hoc evitandum, &c.**

982 Ex his, aliisque exemplis, quæ brevitatis gratia omittimus, manifestè colligitur, perpetua consuetudine in Ecclesia semper observatum esse, vt Summi Pontifices Generalibus Conciliis per se ipsos præessent, vel per suos Legatos, quandò ipsi iustis de causis per se ipsos præesse non possunt, vt probant communiter qui de Conciliis agunt, & ex sequentibus exemplis manifestè apparebit.

Ex

983 Ex eisdem enim Actis Conciliorum constat, Legatos Apostolicæ Sedis, vtpotè vicem gerẽtes Summi Pontificis, sedisse, & subscripsisse, suprà quoscunque Patriarchas, fuisseque Conciliorum Præsides. In prima Nicæna Synodo, Legati præfuerunt Sylvestri Papæ Osius Episcopus, Vitus, & Vincentius Presbyteri, hos sequebantur Alexander Alexandriæ, Eustachius Antiochiæ, & Macarius Hierosolymorum Patriarchæ.

984 Paucis dehînc annis Episcopus Osius, Vincentius Capuæ, & Chaleopolus Neapolis Antistites, Generali Sardicensi Synodo, nomine Sylvestri Papæ, præfuerunt, hosque Patriarchæ sequebantur.

985 In primo Constantinopolitano Concilio Apostolici Legati non adfuerunt; quia tunc S. Damasus Papa, qui eo tempore Ecclesiam moderabatur, ex omnibus Occidentis Episcopis, aliud super eadem causa Concilium Romæ congregarat, & Orientales, quibus Nectarius, Constantinopolitanus Antistes præsidebat, S. Damasi sententiæ valdè conformabantur, ac mirificè subscribebant, vt patet ex mutuis Epistolis, quas S. Damasus prædicto Concilio, & Concilium Damaso scripsit *apud Theodoricum lib.* 1. *cap.* 9. & 10.

986 In Concilio Generali Ephesino S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, tamquàm Apostolicæ Sedis Legatus, nomine Cœlestini Pontificis præfuit, si enim Legatus non esset, & Pontificis loco nõ sederet, nequaquam Affiatici Episcopi permisissent, vt in aliêna Diœcesi, & extra sui Patriarchatus limites præsideret, multoque minûs id tulisset Constantinopolitanus Antistes, qui primum post Romanum Pontificem locum sibi deberi, & Patriarchis præferri, contendebat. Undè cum omnes id ratum habuerint, proculdubio Cyrillus Apostolicus Legatus fuit, & Cœlestini nomine prædictæ Synodo præfuit, quod manifestè confirmant præfati Concilii Acta, cum in ipsis passim legatur *Cyrillo Alexandriæ Præsidente, & Locum-Tenente Sanctissimi, & Religiosissimi Archiepiscopi Romanæ Ecclesiæ Cœlestini.* Et cæteri sic immediatè subscribunt: *Iuvenalis Ierosolymę Episcopus, Memnon Ephesi.* Et sic de aliis.

987 In Generali Chalcedonensi Concilio *Act.* 1. primo loco legimus Papæ Legatos hoc ordine: *Paschasinus, & Lucentius Episcopi, & Bonifacius Presbyter, Legati Sanctissimi, Deoque Amantissimi Archiepiscopi veteris Romæ Leonis.* Et statim Patriarchas: *Tum Anatolius Sanctissimus Archiepiscopus novæ Romæ Constantinopolis: Dioscorus, Archiepiscopus Alexandriæ: Maximus, Antiochiæ: Iuvenalis, Ierosolymæ.* Quos cæteri Episcopi, & Metropolitani sequuntur.

988 Idem etiam patet ex S. Leonis Papæ Epistola, ad prædictam Chalcedonensem Synodum directa, in qua Sanctissimus Pontifex asserit, se non posse præfato Concilio personaliter adesse, ideòque Apostolicos suos Legatos mittere, vt suo nomine, & loco præsideant: *In his fratribus (inquit) hoc est Paschasino, & Lucẽtio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestrę vestra fraternitas confidat præsidere.* Et *in Epist.* quam ipse Pontifex Episcopo, & Patriarchę Constantinopolitano scripsit, hæc habet: *Fratres nostri ab Apostolica Sede directi, qui vice mea Synodo præsiderant, probabilitèr, atque constanter illicitis ausibus obstiterunt.*

989 In V. Generali Synodo, Constantinopolitana II. Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus approbatione, & delegatione Vigilii Pontificis præfuit, vt patet ex eiusdem Eutychii ad Pontificem Epistola, sic illum aloquentis: *Petimus, Præsidente Vestra Beatitudine, de tribus Capitulis, quæri, & conferri;* quę quidem Epistola extat in prædicti Concilii Actis, quæ ipse Vigilius confirmavit, vt scribit Photius *lib. de VII. synodis*; cui consonat ZONARAS *in sua Historia*, siquidem de præfato Concilio loquens, tradit: *Eius Principem fuisse Vigilium, Romæ Veteris Episcopum.* Insuper prætarum Eutychium in suprædicto Concilio primas tenuisse, patet ex ipsis Conciliaribus Actis, inquibus dùm ordo, & præsidentia, quam illius Concilii Patres habuerunt, annotatur, primus ponitur Eutychius Patriarcha, qui tamquàm Pontificis Legatus illi Conventui præsidebat.

990 In VI. Generali Synodo, Constantinopolitana III. S. Pontifex Agatho

per

per suos Legatos præsedit, vt patet *ex Actione* 1. sub Constantino Imperatore habita, vbi hæc leguntur: *Conveniente Sancta, & vniversali Synodo, id est, Theodoro, & Georgio venerabilibus Presbyteris, & Ioanne venerabili Diacono, vicem agentibus, Sanctissimi, & Beatissimi Archiepiscopi Romæ veteris Agathonis.* Et statim Patriarchæ Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Ierosolymitanus, suo ordine numerantur, *ibi*: *Et Ioanne Sanctissimo Archiepiscopo Constantinopolis novæ Romæ, &c.*

991 VII. Generali Synodo, Nicænæ II. etiam Summus Pontifex, per suos Legatos præfuit, vt patet ex 1. *Actione*, in qua hęc legimus: * Præsidentibus Petro, Archipresbytero Romanæ Ecclesiæ, Sanctorum Petri, & Pauli, & altero Petro Presbytero Monacho, Abbate Sancti Sabbæ Romę, Vicariis Sanctissimi Archiepiscopi veteris Romæ, Adriani.* Et statim Orientales Patriarchæ, Tarasius Constantinopolitanus, & cæteri immediatê referuntur.

992 Idem observatum legimus in VIII. Synodo Generali, Constantinopolitana IV. vt constat ex 1. illius *Actione*, in qua recensentur omnes, qui ei adfuerunt, & primus locus Apostolicis Adriani II. Legatis defertur: ipsa enim Synodus præmittit Donatum, & Stephanum Episcopos, & Marinum Diaconum, Adriani Papæ II. Legatos, & immediatê post istos, enumerat Ignatium, Constantinopolitanum Patriarcham, & post istum, Vicarios, qui nomine cæterarum Patriarchalium Ecclesiarum aderant, & cæteros illius Concilii Patres, Hierarchico ordine observato.

993 Prædictos autem Adriani Pontificis Legatos adfuisse, tamquàm illius Concilii Præsides manifestè innotescit, ex tenore, quo in illa Synodo subscripserunt, prima enim subscriptio, quæ in præfata Synodo legitur, est Apostolici Legati, quę sic se habet. * Ego Donatus, Episcopus Ostiensis Ecclesiæ, locum obtinens Domini mei Adriani Summi Pontificis, & Vniversalis Papę, omnia, quę superiùs leguntur, huic Sanctæ, & vniversali Synodo *præsidens*, vsque ad voluntatem eiusdem eximii Præsulis promulgavi, & manu mea subscripsi.* Secunda est Stephani S. Neisinæ Ecclesiæ Episcopi, & Apostolicæ Sedis Legati, qui eodem modo se nomine, & loco Sanctissimi Adriani II. Summi Pontificis, fœlicitèr tunc regnantis, in prędicto Concilio Præsidentem appellat; eodemque modo, tertiùs Apostolicus Legatus Marinus, Romanæ Ecclesiæ Diaconus, subscripsit, eãdemque hanc prælationem, quam Summos Pontifices per suos Legatos, in prædictis 8. Generalibus Synodis, Vniversali Ecclesia in Conciliis representata, Approbante, tenuisse probavimus, habuerunt etiam in cæteris Generalibus Conciliis, quę in Ecclesia postea celebrata fuere.

994 Hæc autem Generalis observantia, ab Apostolorum temporibus, tot retrò sæculis summo Ecclesiæ plausu recepta, irrefragabile fundat argumentum, & Apostolicam Traditionem ad probandum, Summo Pontifici iure Divino competere Generalibus Conciliis præsidere; idque adeò certò convincit, vt oppositum asserere, sit communi Ecclesiæ sensui, Apostolicæ Traditioni, consuetudinique vniversali totius Populi Christiani assensu in Ecclesia plusquam 1500. annis observatę, reluctari; quod est intolerabile absurdum à Catholica pietate, & sensu pœnitùs ablegandum. Maneat ergo vt certum, & in omni iure indubitatum Dogma statutum, ad Summum Pontificem spectare, Generalibus Conciliis præsidere.

995 At prædictam VI. Trullanam Synodum, quam oppositi Authores OEcumenicam, & Generalem vocant, dùm præfatos Canones condidit, nulla fuisse Apostolica Authoritate celebratam, eique Summum Pontificem, neque per se, neque per suos Legatos præfuisse, communis est celebriorum Authorum consensus, cum neque in Actis Conciliaribus constet, sicut in cæteris Conciliis habetur; nec Author aliquis probatæ Authoritatis sit, qui id testatum reliquerit.

996 Nec obstat Nilum oppositum sentire, his verbis. *Quoniam non defuit in hac Synodo Legatio Papæ Romani. Siquidem Gortbinæ in Creta Episcopus, locum Romani Pontificis tenuit, vt ex Historia Basilii percipi potest.* Non inquam, obstat; quia prædicto Nilo opponitur Cardinalis BELLARMINVS, eiusque argumento solita eruditione satisfacit *de Romano Pontifice, lib. 2. cap. 27.* dicens;

dicens: * Quis ille Episcopus Gortynensis fuerit, & quis ei dederit in Synodo locum Papæ Romani, Nilus viderit. (Fuit autem hic Nilus, quidam Hæreticus, qui illis Bellarmini temporibus, cõtra Apostolicam Sedem, istiusque prerrogativas, ac iura, ab omni Ecclesia admissa, calamum strinxit, & quem prædictus Cardinalis ingenti Ecclesiastico Zelo, ac Doctrinæ suæ eminentia impugnavit accerrimè) quòd enim nomen eius non exprimat, quòdque Historiam adducat, omninò incognitam, nescio cuius Basilii, non caret suspicione falsitatis.*

997 His consonat, quod ipse Cardinalis scribit, dicens: prædictam VI. Synodum non fuisse Apostolicæ Sedis, sed solius Iustiniani Imperatoris Authoritate in istius Palatii *Trullo* celebratam; vbi ipse Imperator aliquot Græcos Episcopos, quorum plurium nomina in Historiis non reperiuntur, sine Summi Pontificis Sergii, qui tunc Ecclesiam regebat, approbatione, & consensu, imò isto manifestè renuente, congregavit. * Constat enim (inquit Bellarminus) VI. Synodum, quæ sub Agathone Papa, & Constantino IV. Imperatore celebrata est, nullos Canones edidisse, sed post annos 5. ab ea Synodo dissoluta, iterum convenisse, nescio quos, Episcopos Græcos, Authore Iustiniano Iuniore, ac multos Canones edidisse sub nomine VI. Synodi.*

998 Nec subsistit Theodori Balsamonis sententia, qui *in sua Historia* firmiter asseverat, hanc Trullanam Synodum OEcumenicam fuisse, & Generalem, eique Summum Pontificem per suos Legatos præfuisse, sic scribens: * Etsi enim Occidentales Episcopi, Itali scilicet, & Latini, ab huius Synodi Canonibus oportunè icti, eam non esse Vniversalem institerunt, nec Romani Papæ Legatos in ea adfuisse, eo quòd sit alia VI. Synodus, quæ regnante Constantino Poganato facta est, vt diximus; hanc autem lõgo post tempore factam fuisse iussu Iustiniani, Rhinotmeti, id est, *trunco naso*: ego tamen eos audire non patiens, & huius allocutionis contextum potiùs respiciens, & Canones, qui sequuntur, dicentes: Definit hæc Sancta, & vniversalis Synodus hæc, & hæc. Ac recens quidem scripta Nomocanona, vt quæ eorum Imperatorum, & Patrum, qui Synodos exposuerunt, subscriptiones non haberent, prætercurri: antiquius autem Nomocanonum versavi, & ex subscriptionibus inveni, quòd in hac Synodo, quæ in *Trullo* Magni Palatii congregata est, aderant Basilius Gortinę Cretæ Insulæ Metropolis Episcopus, & quidam Ravennæ Episcopus, totius Synodi Romanæ Ecclesię cem gerentes.*

999 Verùm estò prędictus Author sua antiquitate, ac summa diligentia, quam in referendis illorum temporum rebus adhibuit, magnam sibi promereatur fidem in his, quæ Christinæ Religioni non adversantur; at in iis, quę ad Pontificiæ Authoritatis Dignitatem, ac decorem spectant, suspectę Fidei dignoscitur, hancque de illo opinionẽ cõmuniter concipiunt Catholici Authores, præcipuè BARONIVS, qui de prędicto Balsamone *loco supra laudato* citatisque illius verbis, loquens, hæc habet: *Sed audiamus Theodorũ Balsamonem Schismaticum hominem, atque Schismaticorum Patronum, ficus folia instar prævaricatorum primorum Parentum, ad tegendam turpitudinem consuentem, dum in Photii Nomocanonem, indefensionem horum Canonum ista garrit.* Et de relatis verbis sermonem instituens. * Hinc (inquit) amabo te, siste gradum, lector: attende quomodo (quod canit Psalmus 9.) *in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Fatetur in recentiori Nomocanone non inesse subscriptionem Episcoporum, qui interfuerunt, in antiqua autem, vt ait, eam se reperiisse. Sed cur non appposuit post eosdem, quos recenset verbatim singulos, & interpretatur 103. Canones? Vtique in re tanta, cui præsertim ab omnibus Occidentalibus sciret contradici Episcopis, omninò id præstari debuisset.*

1000 Et *infrà*: *Sed & cur Basilium Gortinæ Episcopum nominatim refert, Ravennatem non ita, quem Vicem gessisse tradit totius Romani Concilii? Non facile id fuit ipsi, vel fingere nomen, ne à Latinis redargui posset erroris. (Et *infra*:) Sed & redarguitur eius paritèr imperitia: quando, nam aliquando accidit, vt cum ab aliquo Romano Pontifice Legatio Constantinopolim ad magnam Synodum mitteretur, vnus dumtaxat Legatus sic missus, & non semper ex Romano Clero plures numero Presbyteri, atque Diaconi,

coni, & aliquis ex Italia benè notus Episcopus? Numquam sanè id reperies factum, quod finxit, & mentitus est, à Romano Concilio ad OEcumenicam, quam dixit, Synodum, esse missum vnum, & sine nomine, Ravennatem Episcopum, absque Presbyteris, atque Diaconis Romanę Ecclesiæ. *

1001 Nec veritati congruit, quod ipse Balsamon contendit, prædictæ nempè Synodo Apostolicos Legatos præfuisse, cum ei interfuerint illi Vicarii, qui Apostolica Authoritate in variis Orientis partibus commorabantur, facultatemque ab Apostolica Sede habebant audiendi illorum quærelas, qui Apostolicæ Sedis indigerent auxilio. Hoc, inquam, nec rationi congruit, nec in veritate subsistit; horum enim Authoritas, & delegatio longè alia erat ab ea, quæ concedi solet Apostolicis Legatis, alicui Concilio, Apostolicæ Sedis nomine, præfuturis.

1002 Hanc Balsamonis deceptionem rectè annotavit Illustrissimus SPONDANUS *ad annum 692. num. 2.* his verbis: *Theodorus Balsamon multa (in Nomocanone Photii) in eorumdem Canonum defensionem garriens, atque procaciter etiam mentiens, declaravit, eidem PseudoSynodo interfuisse Legatos Romanę Ecclesiæ, quòd videlicet præsentes fuerint nonnulli ex illis Episcopis Orientalibus, quibus Romani Pontifices consuevissent delegare vices suas, ad audiendos, si qui essent in Oriente, qui indigerent Apostolicæ Sedis auxilio. Sed hoc, aliud longé esse, quàm decernere Legatos, ad assistendum pro Sede Apostolica OEcumenicis Synodis, nemo non videt.*

1003 Addit insuper BARONIUS, numquàm simile quid fuisse ab Apostolica Sede in OEcumenicis Conciliis vsitatum. Vndè sic Balsamonem interrogat. * Dicat ipse, quando aliquem ex eiusmodi Vicariis, absque alia speciali ad hoc decreta Legatione, Trium saltim latinorum Collegatorum è Romano Clero electorum, mitti ad OEcumenicam Synodum, moris fuit? * Evolvantur Generalium Conciliorum Acta, & nullibi invenietur, aliquem Legatum, Apostolicę Sedis nomine alicui interfuisse Concilio, quin specialem ad hoc delegationem ab Apostolica Sede acceperit, & quin exprimatur causa, cur illud Concilium ab Apostolica Sede fuerit congregatum. Vndè cum in prædicta Synodo de hac speciali delegatione, & expressione non constet, hinc proculdubio fit, Theodorum Balsamonem hac in re fuisse deceptum.

1004 Nec minori errore captus est in iis, quę refert *in Nomocanone Photii*, vbi novos Apostolicos Legatos in prædictam Trullanam Synodum intrudit, illius verba audiamus. * Synodo, quæ in magni Palatii *Trullo* congregata est, aderat Basilius Gortinę Cretæ Insulę Metropolis Episcopus, & quidam Ravennæ Episcopus, totius Synodi Romanæ Ecclesię vicem Gerentes. Et non solum ipsi, sed & qui tunc erant Papæ Legati, Thessalonicensis Sardicēsis, Heraclianus in Thracia, & Corinthius Episcopi. Sunt autem Legati, qui à facie dicuntur, qui etiam particularum habent iurisdictionem, vt hoc ostēditur, ex secundo titulo quinti libri Imperialis. * Quibus verbis non pauci errores involuuntur, vt eruditè advertit CHRISTIANVS LVPVS, *in notis ad Canones Trullanos.*

1005 Nè autem, vel elegantiæ, qua id expendit, vel eruditioni, qua probat, aliquid detrahamus, referemus, quæ scribit, vt ostendat, Balsamonem non sine ingenti Historicæ veritatis dedecore, & Apostolicæ Sedis præiudicio, Apostolicos Legatos, qui nec fuerunt, nec esse potuerunt, in prædicta Synodo multiplicare. * Audiamus hìc nugas (inquit) Theodori Balsamonis, Anthiochenorum Schismaticorum Patriarchæ, in Commentariis Nomocanonis Photiani. * Et postquàm prædicta retulit verba, prosequitur ipse Lupus, dicens: * Errat variè; primò, Ravennę Metropolitam Synodo adfuisse. Disertè enim habet subscriptionum Tomus, *locus Episcopi Ravennatis*, vtique absentis. Secundò errat Balsamon, Heracleensem in Thracia Episcopum, fuisse Romanę Sedis Legatum à facie, seu Gentis suæ Vicarium Apostolicum, nostra hodie frasi, *Legatum natum.* Ille enim fuit Europæ Metropolita, ac Thracicę Diœcesis Primas: numquàm spectavit ad Romanum Patriarchatum. Sed neque Corinthius, licet Metropolita Illyricianus, fuit huiusmodi Legatus, aut Præfectus. Tertius error est, quòd eiusmodi Legati potuerint Synodo Generali præsidere. Sed neque Thessalonicensis fuit in hac Synodo, haud dubiè à Sergio Pontifice prohibitus, vt olim

olim etiam ad Ioannis IV. Constantinopolitani Episcopi profanas Synodos comparere, fuerat à S. Gregorio Magno prohibitus Eusebius, Episcopus Thessalonicensis. *

1006 Ex dictis manifestè colligitur, quantùm à veritate aberrent Nilus Hæreticus, & Theodorus Balsamon Schismaticus, volentes, novos in prędicta Trullana Synodo Legatos ponere, vt eam Apostolicę Sedis Authoritate fultam nobis proponant; cumque ex verissimis Historiis, & melioris notæ Authoribus constet, id merum esse illorum figmentum, vt suprà probavimus, hinc apertè deducitur, Pontificem Sergium, qui tunc temporis Ecclesiam regebat, nequè per se, nequè per suos Legatos prædictæ Synodo præfuisse, cum in præfati Concilii Actis non constet de hac speciali Sergii, vel alterius Summi Pontificis delegatione, vt prædicta, Trullana Synodus nomine *Sextæ*, vel *Quini-sextæ* celebraretur, & in illa nihil de iis rebus, quæ ad Catholicam Fidem spectant, sed de solis Ecclesiasticis Canonibus condendis ageretur, quandò Ecclesia illis non egeret. Insuper cum in Ecclesia nullo exemplari, aliquavè veridica Historia probari possit, Summos Pontifices tot Saculis vllum vnquam Generale congregasse Concilium, quin in illo de Fidei rebus tractandis ageretur, idquè in hac Trullana Synodo observatum non fuisse, conspiciamus; hinc prudenter statuere possumus, tàm præfatam Synodum, quàm illius Canones supposititios esse, & sine legitima Authoritate Ecclesiastica conditos.

§. II.

EX ERRORIBVS IN TRVLLANA Synodo contentis, eam nec legitimam, nec a Summis Pontificibus approbandam esse, ostenditur.

1007 SExta, nec levis quidem ponderis ratio, qua adducti fuere Pontifices, nè dictam Synodum, illiusque Canones approbarent, est; quia ipsa gravissimis scatet erroribus, alienis penitùs ab Apostolicę Ecclesię, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, Doctrina, quam Ecclesia in Catholicis Dogmatibus stabiliendis præoculis semper habet, ac diligenter attendit. Præclarum huius veritatis argumentũ nobis suppeditant Authores, tàm Antiqui, quàm recentiores, dũ hanc Trullanam Synodum *Erraticam* communiter appellant. Sic eam vocant Paulus Diaconus *de Gestis longobardorum lib. 6. cap.* 11. & V. Beda *de sex ætatibus in Iustiniano Imperatore*. At si huiusmodi appellationis rationem requiramus, eam nobis eruditè tradit Doctissimus BINIUS, *in notis ad Conciliabulum Constantinopolitanum Pseudo-Sextum*. vbi hęc habet: * Non immeritò *Erratica* dicitur. Nam cum pluribus Canonibus constituisse legantur ea, quæ Sanctissimæ Ecclesiæ Constitutionibus, ac Regulis contrariantur, non tantùm Pseudo-Synodum, verum etiam *Conventum Malignantium, & Synagogam Diaboli*, eamdem rectissimè appellaveris. Ea, quæ contra Antiquorum Patrum Fidem, ac regulas his canonibus sancita fuerunt, infrà significabo. *

1008 In idipsũ cõsonat P. CHRISTIANUS LUPUS, *in notis ad Canones Trullanos*, loquens de hac ipsa Synodo, sub nomine *Sextæ*, *Quæst.* 5. his verbis: *Hęc porrò Synodus vocatur *Erratica* à variis eius partim erroribus, partim ausibus temerariis, suprà abundè demonstratis. Marianus Scotus addit, esse hæreticam, nec sine causa. *

1009 Ex hisce Epithetis manifestè deprehenditur, prędictam Synodum, illiusque Canones nec fuisse ab Apostolica Sede approbatos, nequè potuisse approbari; numquam enim in Ecclesia visum est, nec auditum, vt is, qui ob suam Apostolicam Dignitatem, Fidei Pater est, ac Magister, errores in Fide approbet, & confirmet; imò semper Summi Pontifices errores Fidei oppositos ab Ecclesia glorioſissimè propulsarunt, suum sanguinem pro Catholica veritate, multis, fœlicibusque martyriis profundentes.

1010 Nè autem in re tanti ponderis, ac momenti in genere loquamur, in specie adducemus præcipuos prædictorum Canonum errores, qui fuerunt iusta, ac prępcipua ratio, qua inducti fuere Pontifices, vt illorum approbationi, tàm viriliter obsisterent, non obstante violentia, qua Iustinianus Imperator, vrgentibus Monothelitis, quorum hæresi erat infectus, eam iteratis vicibus efflagitavit.

1011 Secundus igitur Trullanus Canon admittit, Canonem à S. Cypriano in sua Synodo editum *de rebaptizandis Hæreticis*, dicens: * Obsignamus etiam reliquos omnes Canones, qui â Sanctis, & Beatis nostris Patribus expositi sunt.* Et relatis Conciliorum, & diversorum Patrum Canonibus, qui in Orientalibus Synodis conditi fuerunt, sic prosequitur: * Præterea verò, & à Cypriano, qui Afrorum Regionis fuit Archiepiscopus & Martyr, & Synodo, quæ sub hoc fuit, emissum canonem, qui in prædictorum Præsulum locis solum, secundum traditam eis consuetudinem, servatus est.*

1012 Ex hoc Canone, illiusque contextu manifestè deprehenditur, quàm indignus sit, vt ab Ecclesia approbetur, cum manifestè adversetur communi Ecclesiæ sensui, & Apostolicæ Traditioni, cui innixus fuit Sanctissimus Pontifex Stephanus, ad definiendum validum esse Baptismum ab Hæreticis, istorumque ministris collatum, dummodò in illo forma, qua Catholica vtitur Ecclesia, servetur. Contra hunc Canonem, qui prædictam extinctam hæresim innovare conabatur, videlicet invalidum esse Baptisma collatum ab hæreticis, optimè insurgit BARONIUS his verbis. * Sed quisnam est vnicus iste Canon, tùm à S. Cyprianò, tùm à Synodo tùnc congregata sancitus? Non alius quidem, quã qui totis viribus ab illis defensus de rebaptizandis, qui fuissent ab hæreticis baptizati. Vides monstrum, quomodo in odium Romanæ Ecclesiæ, quæ tunc per Stephanum Papam restitit Cypriano, & vniversis vbique constitutis Episcopis, probare conati sunt isti, quod ab vniversa Ecclesia Catholica certum est improbatum fuisse. Intelliges quàm egregie etiam mentiti sint à successoribus Episcopis, quod tunc sancitum fuit, probatum esse secundum consuetudinem, cum & consuetudo pro Stephano Papa esset, & Successores omnes etiam Africani Episcopi contra Cyprianum in sententiam Romani Pontificis abierint, vt de his omnibus locupletissimus testis est Augustinus, qui ob id manus sæpè conseruit cum adversariis Donatistis.* Hæc ille.

1013 Quod eruditè confirmat Illustrissimus CANO, *loco suprà citato*, vbi censet prædicti Canonis à S. Cypriano, istiusque sequacibus editi Approbationem communi Ecclesiæ sensui opponi. Alloquens enim Patres, qui præfatum Trullanum Canonem condiderunt, sic contra illos arguit. *In eodem II. Canone Decretum Cypriani de rebaptizandis hæreticis comprobatis, quasi secundum traditam Afris consuetudinem, lex illa constituta sit, & non magis adversetur omnibus Ecclesiis Dei. Nec enim decretum illud Cypriani explicari potest ad normam 95. Canonis Trullani, & 19. Niceni, quoniam Canon Cypriani de omnibus in vniversum hæreticis præscriptum est, maximè Donatistis, quos constat in nomine Trinitatis baptizasse: Decretum ergo Cypriani, ab vniversali Ecclesia simpliciter reprobatum, Sergius approbare non debuit, quod Trullana Synodus fecit.*

1014 Eamdem sententiam sequutus Eruditus BINIVS super hunc II. Trullanum Canonem ad illa verba: *Emissum Canonem* hæc annotavit. * Nimirum de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis ante baptizati fuerant, ita in odium totius Ecclesiæ Romanæ *erratica Synodus* confirmavit id, quod Stephanus Papa, eiusque omnes posteri Pontifices, & Episcopi pluribus Conciliis improbarunt & reiecerunt. Vide, quæ hac de re notavimus supra, sub Stephano Papa.*

1015 Nec prætereundus videtur 55. Trullanus Canon, in quo Sabbati ieiunium in Romana, & omnibus Occidentis Ecclesiis, tot retroactis sæculis vniversali plausu susceptũ, his expressis verbis prohibetur. * Quoniam intelligimus in Romanorum Civitatibus, in Sanctis Quadragesimæ ieiuniis in eius Sabbatis ieiunare præter Ecclesiasticam traditam observationem, Sanctæ Synodo visum est, vt in Romanorum quoque Ecclesia inconcussê vires habeat Canon, qui dicit: Si quis Clericus inventus fuerit in Sancto die Dominico, vel Sabbato ieiunare, præter vnum, & solum, deponatur, sin autem Laicus, segregetur.*

1016 Hic Canon prohibens ieiunium, cuius observantiæ prævaricatricem faciunt Romanam Ecclesiam Trullani Concilii Patres, est 65. ex iis, qui Apostolici dicuntur, quem legitimum esse Apostolorum fœtum aliqui probare contendunt, ex S. Ignatio, qui Apostolorum tempore floruit; hic enim *Epistola ad Philippenses* hoc idem sentire videtur, &

contra

contra eos, qui Sabbato ieiunant, hęc scribit: * Quicumque Dominicam, aut Sabbatum ieiunaverit, præter vnũ Sabbatum Paschæ, ipse est CHRISTI interfector.* Ommissis Authoribus Græcis, qui hanc sententiam sequuntur, eo quòd apud Ecclesiam Græcam invaluerit mos Sabbato non ieiunandi; aliqua circa hunc Canonem duximus expendenda. Et quidem si Apostoli id præcepissent, vt prædicta Trullana Synodus supponit, priùs huiuscè Apostolici præcepti expressam notitiam habuisset Ecclesia Romana Apostolorum lacte, & Doctrina nutrita, & eorum præceptis instructa, quorum observantiã omni tempore fidelissimè retinuit, ac strenuè propugnavit: cumque insuper Summi Pontifices immensos labores, assiduas ęrumnas, calamitatesque pertulerint, vt Apostolica documenta, perfectamque eorum observantiam in fidelium cordibus stabilirent, nequaquam dicendum, aut præsumendum est, Catholicum Zelum, quo Romana Ecclesia semper enituit, in ipsis iam nascentis Ecclesiæ primordiis, in illa defecisse, aut fuisse aliqualiter diminutum, aut ipsam vllatenus permissuram, vt in Occidentis Ecclesiis Sabbati ieiunium induceretur, si hoc fuisset Apostolico Canone vetitum: imò contraria perpetuò Romanæ Ecclesiæ observata consuetudo, magni ponderis argumẽtum est, non dari talem prohibitionem, nec ipsam Ecclesiam aliquem Apostolicum Canonem, oppositum præcipientem, agnovisse.

1017 Et certè, nullum vnquam fuisse Apostolicum Canonem, quo Sabbati ieiunium prohiberetur, haud inefficaciter suadetur ex eo, quòd nec S. Augustinus, nec D. Hieronymus, cum Apostolorum tempori valdè proximi fuerint, plenamque de his, quæ Apostoli sua Doctrina præceperunt, notitiam habuerint, vllam de prædicta Apostolica prohibitione mentionem faciunt, imò loquentes in specie de hoc eodem Sabbati ieiunio in Romana, & in omnibus Occidentalibus Ecclesiis observato, & in Græca prohibito, nullum Apostolicum Canonem, tamquàm huius prohibitionis rationem adducunt. Insuper AVGVSTINVS videns hanc observantię diversitatem inter Orientales, & Occidentales Ecclesias, D. Hieronymum super hac re consulit *Epist.* 17. *ad D. Hieronymum cap.* 2. vbi sic ab eo scisscitatur. * Vellem me doceret benigna sinceritas tua, vtrùm simulatè quisquam Sanctus Orientalis, cum Romam venerit, ieiunet Sabbato, excepto illo die Paschalis Vigiliæ? Quod si malum esse dixerimus, non solùm Romanam Ecclesiam, sed etiam multa ei vicina, & aliquando remotiora damnabimus, vbi mos idem tenetur, & manet. Si autem non ieiunare Sabbato malũ putaverimus, tot Ecclesias Orientis, & multo maiorem Orbis Christiani partem, qua temeritate criminabimur? *

1018 Ob hanc eamdem morum varietatem, diversasque rationes, quibus movebantur Orientales ad non ieiunandum, & Occidentales ad illud ieiunium religiosissimè servandum, celebris ille vir Hispaniæ decus LICINIVS etiam D. Hieronymum consuluit: *An liceret sabbatho ieiunare?* Tùm Decreto Concilii Illiberitani, vt omni Sabbato ieiunetur *Can.* 26. Tùm, quia moribus receptum erat, & observatum ieiunium. Cui respondit Hieronymus *Epist.* 281. *ad Licinium*, eique suadet, vt in hac re Ecclesiæ consuetudinem, & Traditionem sequatur, esse enim variam in diversis nationibus consuetudinem: * De Sabbato (inquit) quod quæris, vtrum ieiunandum sit, & de Eucharistia, nùm accipienda quotidie, quod Romanæ Ecclesiæ, & Hispaniæ observare perhibentur; scripsit quidem & Hippolytus, vir disertissimus, & carptim diversi Scriptores è variis Authoribus edidere; sed ego illud te breviter admonendũ puto, Traditiones Ecclesiasticas, præsertim, quæ Fidei non officiant, ita observandas, vt à maioribus traditæ sunt; nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subverti.* Ubi Sanctus, ad ieiunii observantiam probandam solam consuetudinem, tamquàm strictam legem, non verò aliquem Apostolicum Canonem adduxit.

1019 Eadem est D. AVGVSTINI sententia *in Epist. ad Casulanum ad fin.* cũ enim iste Presbyter vehementer exoptans quiescere, & liberari à dubio, quod ei rationes pro vtraque parte propositę ingerebant, Augustinum consuluit, qui ex D. Ambrosii doctrina, sic ei respondit. * Indicabo quid mihi de hoc requirenti responderit venerandus Ambrosius, (Mediolanensis Episcopus) à quo baptizatus sum. Nàm cum in eadem Civitate mater mea

mea mecum esset, & nobis adhuc Catechumenis, parum ista curantibus, illa solicitudinem gereret, vtrum, secundum morem nostræ Ciuitatis, sibi esset Sabbato ieiunandum; an, Ecclesiæ Mediolanensis more, prandendum; vt hac eam cunctatione liberarem, interrogavi hoc supra dictum hominem Dei. At ille: quid possum, inquit, hinc docere amplius, quàm ipse faciò? Ubi ego putaveram nihil cum ista responsione præcepisse, nisi vt Sabbato pranderemus (hoc quippè ipsum facere sciebam) sed ille secutus adiecit: Quando hic sum, non ieiuno Sabbato, quando Romæ sum, ieiuno Sabbato; & ad quamcumque Ecclesiam veneritis, (inquit) eius morem servate, si pati scandalum nō vultis, aut facere.

1020 Hoc responsum retuli (prosequitur Augustinus) ad Matrē, eique suffecit, nec dubitavit, esse obediendum: hoc etiam nos sequuti sumus. Sed quoniam contingit maximè in Affrica, vt vna Ecclesia, vel vnius regionis Ecclesiæ alios habeant Sabbato prandentes, alios ieiunantes, mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est. Qua propter, si consilio meo, præsertim quia in hac plùs fortè, quàm satis fuit, te petēte, atque vrgēte locutus sum, libenter acquieseis, Episcopo tuo in hac re noli resistere, & quod facit ipse, sine vllo scrupulo, vel disceptatione sectare.* Ex his vtriusque Sancti verbis manifestè colligitur, Sabbati ieiunium sola consuetudine fuisse in Occidentali Ecclesia inductum, sicut & oppositum in Orientali.

1021 Nec obstat dicere, Sabbati ieiunium Apostolico Canone fuisse prohibitum, idque Orientis Ecclesias, vndè Evangelii prędicatio originem duxit, ab Apostolis accepisse. Non, inquam, obstat, quia non desunt Occidentali Ecclesię rationes ad oppositum obseruandum, cum firmissimè teneat, S. Petrum primum fuisse, qui hoc Sabbati ieiuniū suo edocuit exēplo.

1022 Id perspicuè comprehendit eximiū illud Africæ, & totiusque Ecclesiæ fulgentissimū sydus S. AVGVSTINVS *Epist. 86. ad Casulanū*, vbi vtriusque partis rationes sic eleganter proponit. * Quòd si respondetur, hoc docuisse Iacobum Hierosolymis, Ephesi Ioannem, cęteroſque aliis locis, quod docuit Romæ Petrus, id est, vt Sabbato ieiunetur; sed ab hac doctrina terras cæteras deviasse, atque in ea Romam stetisse: & ex contrario refertur, Occidentis potius aliqua loca, in quibus Roma est, non servasse, quod Apostoli tradiderunt; Orientis verò terras, vndè cepit Evangelium ipsum prædicari, in eo quod ab omnibus simul cum ipso Petro Apostolis traditum est, nè Sabbato ieiunetur, sine aliqua varietate mansisse. Interminabilis est ista contentio, generans lites, non finiens quæstiones. Sit ergo vna Fides, vniversęque vbique dilatantur Ecclesię, tamquàm intus in membris, etiam si ipsa fidei vnitas quibusdam diversis observationibus celebratur; quibus nullo modo, quod in Fide verum est, impeditur.* Hactenùs Augustinus.

1023 Quibus verbis S. Doctor, estò quęstionem non dirimat, apertè tamen proponit vrgentes, ac graves rationes, quę Romanam Ecclesiam, ad Sabbati ieiunium religiosè servandum impulerunt; sicut, & Orientalis ad oppositum retinendum, hancque morum diversitatem, in prædicti ieiunii observantia, rectè cohęrere cum Fidei vnitate, quam vtraque profitetur Ecclesia, vt Consecratio in azymo, vel fermentato manifestè ostendit; estò enim tota Ecclesia Græca in fermentato consecret, & Latina in azymo, neutra tamen in Fide, aut forma Eucharistici Panis consecrandi deficit; quia nempè differentia azymi, vel fermentati in pane non est substantialis, sed accidentalis, vt docet ANGELICVS PRÆCEPTOR 3. p. q. 74. ar. 4. quem Theologi communitèr sequuntur. Absque vlla ergo Fidei iactura potuit, iustis de causis, in Ecclesia Latina statui consuetudo ieiunandi in Sabbato, & ob alias iustas etiam rationes, oppositum in Orientalibus Ecclesiis stabiliri, quod non diceret Augustinus, si aliquem Apostolicum Canonem agnovisset, Sabbati ieiunii prohibitivum.

1024 Similitèr, si aliquo Apostolico Canone huiusmodi ieiunium interdiceretur, neutiquam D. Hieronymus Licinio scribens, istius arbitrio, & electioni reliquisset, vt sequeretur, vel consuetudinem Ecclesiarum, quę ieiunabant in Sabbato, vel earum, quæ huiusmodi ieiunium non observabant, dicens. * Vnaqueque Provincia abundet in suo sensu, & præcepta maiorum, leges Apostolicas arbitretur.* At S. Augustinus clariùs asserit, se num-

quàm

quam Apostolicum reperisse præceptum, quo prædictum stabiliatur ieiunium. * Ego (inquit) in Evangelicis, & Apostolicis Litteris video præceptum esse ieiunium, quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus opporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non invenio definitum. * Quod neutiquam dixisset, si prædictum Canonem de ieiunio Sabbati, legitimum esse Apostolorum fœtum ei constitisset.

1025 Ad hunc Trullanum Canonem, & ad illum, quem Apostolicum dicunt, Sabbatici ieiunii prohibitivum, alludit, quod Cardinalis HVMBERTVS, Leonis IX. ad Constantinopolitanam Synodum Legatus, scripsit *in libro*, quem *contra calumnias Michaelis Patriarchæ Constantinopolitani, & Leonis Acridani Bulgariæ Episcopi edidit.* * Non autem mirum, si Agathoni Papæ, & cunctis Patribus vestra imputatis deliramenta, & quæ aut corrupistis, aut finxistis Capitula; cum etiam ipsi Domino IESV CHRISTO, & Apostolis eius imputetis figmenta. (Quibus nihil clariùs cõtra hunc Trullanum Canonem, vbi Sabbati ieiunii prohibitio Apostolis, eorumque Canoni adscribitur) Vndè nos scientes, VI. Synodum ad destruendam hæresim Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas constitutiones congregatam, Capitula, quæ nobis sub eius Authoritate opponitis, omninò refutamus: quia Prima, & Apostolica Sedes, nec aliquando ea accepit, neque obseruat hactenus: quia ea, aut nulla, aut, vt vobis libuit, depravata sunt, sicut depravastis Ioannis Chrysostomi, & aliorum Orthodoxorum Patrum dicta, & exhibuistis in eadem Synodo VI. *

1026 Id ipsum eleganter confirmat Eruditissimus D. FERDINANDVS DE MENDOZA *in Comment. in Concil. Illiberita.* Vbi expendit quàm malè suo tempore, & apud Antiquos prædicti Trullani Canones audierint, sic scribens. * Nec Theophanes tantum, & Anastasius Bibliothecarius Apostolicus, hos Canones post multa tempora suppositos fuisse docent, sed & Humbertus Cardinalis amplissimus, Leonis IX. ad Constantinopolitanos Legatus, &c. *

1027 Hùc quoque præclarè facit, quod refert piissimus, ac Venerabilis SYRIVS exponens eumdem hunc Trullani Concilii de ieiunio Canonem, hæc scribens. * Hic quoque Canon quinquagesimus quintus, qui Matrem Ecclesiarum omnium Romanam Ecclesiam reprehendit, non recipitur, nam tametsi hic citatur Canon Apostolicus 65. attamen certum est, quemadmodum Epiphanius quoque dicit, posse sancto proposito omnibus diebus ieiunari. Est autem verisimile Apostolicum Canonem pertinere ad Marcionistas, qui, vt idem Epiphanius testis est, eo die ieiunabant in invidiam Dei Iudæorum, qui Sabbato ab omni suo opere quieviset. *

1028 Ad hanc etiam rem maximè spectat, quod insignis ille vir GREGORIVS PROTOSYNCELLVS *in Apologia pro Florentina Synodo* contra Marcum Ephesinum scripsit, probans prædictum ieiunium non esse de Fide, sed absque vlla istius iactura posse, tàm Græcæ, quàm Latinæ Ecclesiæ consuetudinem, non obstante præfati Canonis prohibitione, obseruari. * Præcipiente Canone non esse ieiunandum Sabbato, Socrates, qui fuit ante Synodum III. in Occiduis, inquit, partibus ieiunant diebus Sabbati: Nec tamen, qui illis fuere temporibus, crimini hoc dederunt, quòd scirent varios ieiuniorum, & rituum mores non inferre differentiam Fidei. *

1029 Magnum certè huic sententiæ Authoritatis pondus adiecit INNOCENTIVS I. etenim si præfatus Pontifex agnosceret, dari Apostolicum Canonem, quo Sabbati ieiunium prohiberetur, nequaquam oppositum sinciret, nec obligationem ieiunandi in Sabbato rationum evidentia probaret, dicens: * Sabbato ieiunandum esse, ratio evidentissima demonstrat; nam si diem Dominicam, ob venerabilem Resurrectionem Domini Nostri IESV CHRISTI, non solum in Paschæ celebramus, verùm etiam per singulos circulos Hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta Feria propter Passionem Domini ieiunamus; Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam, atque lætitiam temporis illius videtur inclusum: nam vtique constat Apostolos biduo illo, & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum sese occlusisse. *

1030 At quod hanc rem evidentiùs con-

concludit, omnemque dubitationem eliminat, est Summi Pontificis NICOLAI I. Authoritas, qui graviter conquestus de Photio, in Patriarchalem Constantinopolis Sedem intruso, molestèque ferens calumnias, quibus præfatus Patriarcha Latinam Ecclesiam, maximè circa ieiunium Sabbati, proscindebat, ad Gallicanos Episcopos scripsit, eos paternè admonens, nè dolosis Photii cavillationibus deciperẽtur certissimè intelligentes, hanc veritatem fuisse iam ab Ecclesia, sub Sancto Sylvestro Pontifice terminatam. Vndè *Epist.* 70. sic loquitur. * De ieiunio Sabbati, tempore Sancti Sylvestri Confessoris CHRISTI, satis discussum est, & disputatum, atque vt celebraretur, per omnia definitum, nullusque post hæc, ausu temerario, contra istud statutum venire, aut saltim mutire præsumpsit. *

1031 Ex verbis igitur horum trium Pontificum, Innocentii I. Nicolai I. & Sancti Sylvestri, qui hanc controversiam, tàmdiù in Ecclesia exagitatam, vt ex S. Augustino, & D. Hieronymo vidimus, definivit, manifestè liquet, Sabbati ieiunium nulli Apostolorum Canoni opponi, cum numquam Ecclesia aliquid contra Apostolicos Canones definierit, nec Sancti Patres aliquid contra Apostolorum præcepta, vmquam senserint. Vndè infertur sub S. Sylvestro, vel de prædictis Apostolicis Canonibus non constare, vel Canonem Sabbati ieiunium prohibentem tunc inter illos non reperiri, aliàs numquam Sanctissimus Pontifex permisisset, vt de hac re dubitaretur, & oppositа consuetudo in Latina Ecclesia prævaleret; cumque insuper Apostolicam Sedem moderaretur, nullatenus credibile est, ipsum statuisse aliquid, quod Apostolico præcepto, & Canoni repugnaret, cum semper Summi Pontifices acerrimè propugnarint, non modò ea, quę Apostoli scripto docuerunt, sed etiam ea, quæ verbo tradiderunt Ecclesiis, quas sanctè gubernarunt, Evangelicaque Doctrina instruxerunt.

2032 Sed quoniam S. Sylvester Sabbati ieiunium in Ecclesia observandum esse præscripsit, non erit absre, hìc breviter inquirere, quanam fuerit ratione inductus, ad tàm Sanctum ieiunium Ecclesiastica lege statuendum? Eam refert EUSEBIUS *in Vita S. Sylvestri* his verbis. * Cum omnis Dominicus dies colendus sit in gaudium Christianorum, & omnis dies Sabbati deputandus est sepulturæ, ad execrationem Iudæorum, omnes enim Discipuli die Sabbati fletum habuerunt, sepultum spirantes, & Iudęis epulantibus lętitia inerat, Apostolis autem ieiunantibus tristitia imperabat. Tristemur itaque cum tristantibus de sepultura, si volumus cum eisdem de resurrectione Dominica gaudere. * Hęc ille. Quam rationem à Latinis didicisse, testatur Balsamon *ad Canonem* 55. *VI. Synodi in Trullo.*

1033 Ex dictis convincitur, prędictum Canonem, Sabbati ieiunium interdicentem, indignum planè esse, qui inter Apostolicos connumeretur, vt, solita sua eruditione, eleganter expendit ille insignis Hispanus Don FERDINANDUS DE MENDOZA *loco suprà citato*, dicens: * Et hìnc fit Tarasium qui *in* 4. *Actione* VII. Concilii, quatuor, aut quinque annis post VI. Synodum editos hos Canones refert, eorum Gręcorum sententiam sequutum videri, à quibus id additum fuit, & suppositum, vt maior his Canonibus Authoritas accresceret. Nec minus dissentaneum apparet, quod aliqui putant, editos hos Canones fuisse in altero nefario Conciliabulo, quod *Sextum* est etiam nuncupatum, contra Authoritatem huius Concilii (nefariè enim in illo, hoc damnatum est) anno 5. post hoc, qui fuit primus Imperii Philippici, vt doctè notatum est à Francisco Turriano *in Actis de VI. Synodo.* *

1034 Sed infrà clariùs tradit prędictum Trullanum Canonem Sabbatici ieiunii prohibitivum Apochryphum esse, his verbis. * Quibus tandèm omnibus observationem ieiunii Sabbati in Ecclesia Occidentali iustè obsèrvari constabit, relicto XXCVI. Can. VI. Synodi, quem Apocryphum, falsumque, & in invidiam Ecclesiæ Romanæ ab æmulis eius confictum, ex his, quæ iam diximus, satis perspicuè apparet. *

1035 Et infrà. * Nec Theophanes tantùm, & Anastasius hos Canones post multa tempora suppositos fuisse docent, sed & Humbertus, Cardinalis amplissimus. * Undè ipse Mendoza de hoc Trullano Canone loquens, hæc habet. * De Canone autem hoc, audiamus Humbertum contra Nicetam. Si interrogem, inquit, Iudæos, quid

quid in Sabbato celebrent ; Respondebunt: Requiem Domini. Si Græcos? idem, & non aliud dicent : Ergo sub servitute legis sunt, in cuius vmbra, & tenebris considunt. Quam traditionem (inquit) si tentasset Papa Agatho removere à Romanis, non audiretur ab eis. Quamobrem Caput quod asseritis Agathonem promulgasse (iam dixi suprà sub Agathone Papa VI. Synodum habitam, in eaque assedisse eius Legatos) vt si quis Clericus ieiunaret Sabbato, præter vnum, deponeretur, magis dicendum est Nazarçorum esse, quàm Apostolorum : Chærinti & Ebionis magis, quàm VI. Synodi, & Papę Agathonis, cui sanè Capitulo Epistola Pauli apertè contradicit, vbi ait, *Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei Festi, aut Neomeniæ, & Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum*: Unde Romani proprio Authori, vel Magistro Gentium in Fide, & veritate obedientes, nulli Sabbato Festum vel otium dependunt, sicut neque Neomenię; quia Iudaica sunt, & vmbra futurorum.*

1036 Eumdem Canonem reprehendit præfatus Cardinalis *in lib. adversus calumnias Michaelis, Patriarchæ Constantinopolitani, & Leonis, Acridani Archiepiscopi Bulgariæ, pro defensione azymi.* *Si vos non Iudaizatis (ait) dicite, cur Iudæis in simili observatione Sabbati communicatis ? Sabbatum ipsi certè celebrant, & vos celebratis, epulantur & ipsi, & solvunt semper in Sabbato ieiunium, & vos in vestra Quadragesima solvitis à ieiunio omne Sabbatum, prçter vnum. Illis duplex est causa celebrandi Sabbatum, ex præcepto Moysis ; & quod contristatis Discipulis, ipsi fuerunt de morte Domini, quem non credebant resurrecturum, in hac die gauisi : Undè quia cum Iudæis Sabbatum, & nobiscum celebratis diem Dominicum, videmini in tali observatione observare Sectam Nazaræorum ; qui recipiunt Christianismum, vt non dimittant Iudaismum. Latina autem Ecclesia compatiens passo, & sepulto Domino, & gaudet resurgenti in die Dominica, quandò Iudæos nimia occupavit mœstitia, & custodes Sepulchri conati sunt corrumpere pecunia : Vndê nos Traditionem vsque in hodiernum diem de Sabbato retinentes, & vsque in finem retinere cupientes, &c.* Ex quibus elicitur, quãnam de prædicto Canone ieiunii prohibitivo præfatus Cardinalis opinionem conceperit, cum dixerit. *Magis Nazaræorum esse, quàm Apostolorum; Chærinti, & Ebionis magis, quàm VI. Synodi.*

1037 Pro maiori prædictorum confirmatione, memoratu dignum, quod in Trullanos Canones annotavit CHRISTIANVS LVPUS, vbi censet, prædictum Canonem, nonmodo non esse Apostolicum, sed potiùs à Græcis quibus exosum erat ieiunium, multis post Apostolos annis, confictum, simulatque ad eos delatum, in Romana Ecclesia fuisse prçceptum, vt in Sabbato ieiunaretur ; sic enim scribit: *Et hinc liquet etiam, Grçcum Canonem Sabbatini ieiunij prohibitivum, non esse Apostolicum. Laudatus Patrum Prędicatorum adversus Græcos tractatus, rectè dicit editum, nascente, ac præsertim proficiente Latino Sabbati ieiunio : Græcis enim placuit Antiquus suus mos, ideòque illum Canonem stabilierunt. Et quidem Canon iste est intra 35. posteriores, quos Apostolicis vulgaribus primùm, Iustiniani Augusti tempore, adiecit Ioannes III. Episcopus Constantinopolitanus.*

1038 Hùc etiam facit, quod in hunc Canonem expendit P. M. ALEXANDER NATALIS *sæcul. 1. part. 2. Hist. Ecclesiast. dissert.* 17. vbi hæc habet: *Enimverò incredibile est Romanam Ecclesiam, Pontificesque, & Patres Sanctissimos, necnon eruditissimos, ab Apostolica Lege tàm enormiter desciviisse, vt spreto Apostolorum Canone, Sabbati ieiunium susciperent. At certum est, in ipsa Vrbe Roma, vivente S. Ambrosio (hoc est cadente 4. sęculo) Sabbato ieiunari solemne fuisse, testibus, S. Augustino *Epist. 86. ad Casulanum*; Cassiano, *lib. 3. de institutione Cœnobitarum, cap.* 10. & Socrate *lib. 5. cap. 2.* Et adductis, ac laudatis S. Hieronymi, & Innocentii I. verbis, sic concludit: *Quæ cum ita sint, spurium esse prçfatum Canonem necesse est, quo Sabatarium ieiunium tàm severè prohibetur.*

1039 Nec prędicto Canoni ieiunii prohibitivo suffragatur, quod supra retulimus *ex Epist*, S. IGNATII Martyris, *ad Philippenses*, sic scribentis: *Quicumque Dominicam, aut Sabbatum ieiunaverit, præter vnum Sabbatum Paschę,*

ipse

ipse est CHRISTI interfector.* Non, inquam, suffragatur, quia non constat prædictam Epistolam esse prefati Sancti legitimum fœtum, imò certius est, apocrypham esse, vt rectè notavit eruditus P. CHRISTIANUS LUPUS *loco citato*, his verbis: * Neque movet me adducta Authoritas S. Ignatii: eius namque ad Philippenses Epistolæ nequè in Historia Ecclesiastica Eusebius Cæsariensis, neque in Virorum illustrium Catalogo S. Hieronymus meminerunt, ideòque passim creditur adulterina, ficta, supposita. Est Græcus quarti, aut quinti sæculi fœtus, quomodò & Apostolicæ Constitutiones.*

1040 Et quamvis prędictam Epistolam S. Ignatij legitimam esse, fateremur, nihil nobis obesset, nec Græcorum sententiæ opitularetur; illa enim S. Ignatii verba, non respiciunt, neque condemnant Romanæ Ecclesię consuetudinem Sabbato ieiunandi, sed ieiunia Marcionistarum, qui in opprobium Dei Iudæorum Sabbato, & Dominica ieiunabant, vt cum S. Epiphanio eleganter, notavit D. FERDINANDVS DE MENDOZA, *loco supra laudato*, dicens: * Quod autem Ignatius, Ioannis Discipulus, ad Philippenses scripsit, CHRISTI esse interfectorem, qui Dominicam, aut Sabbatum ieiunaverit, præter Sabbatum Paschæ, aliò respexit: illud enim dixit contra hæreticos Marcionistas, qui eo tempore ieiunabant Sabbato, & Dominica in opprobium Dei Iudęorum, quòd septimo die requievisset ab omni opere, quod patrarat, vt D. Epiphanius est Author. Sabbatum verò, ieiunant ob hãc causam (ait) quoniam Dei, inquiunt, Iudæorum est requies, qui mundum fecit, & septima die quievit. Nos ieiunamus hanc, vt nè Officium Dei Iudęorum faciamus. Salutare igitur Sabbati ieiunium diuturno Ecclesiæ vsu, & Authoritate, vt sanctissimè ceptum, receptumque est, ita constantissimé est retinendum. Eius autem indicendi Authores Decreto interposito, Patres fuisse Illiberitanos, vel ex hoc Canone fit satis probabile.*

1041 Pro maiori huius veritatis illustratione videantur, quæ D. EMANVEL GONZALEZ TELLEZ, in Salmaticensi Vniversitate Canonum Professor, & in Tribunali Pinciano Apostolicus Inquisitor in hunc Canonem annotavit *in Commentar. Can. 26. Illiberitani Concilii.*

1042 Nec subsistit, prædictum Trullanum Canonem, quo Sabbati ieiunium prohibetur, fuisse à Vigilio Pontifice confirmatum, vt refert Theorianus, cognomento *Philosophus, in Epist. ad Sacerdotes de ieiunio Sabbati*, vbi asserit: *Canonem 55. Synodi VI. Constantinopolitanæ in Trullo*, qui Ecclesiæ Romanę consuetudinem ieiunandi Sabbato improbat, & non ieiunare iubet, à Vigilio Romano fuisse approbatum.*

1043 Sed quàm egregiè deceptus fuerit Theorianus, & quam falsò Vigilio Pontifici, multis iàm retrò annis defuncto, præfati Canonis confirmationem adscripserit, aperte liquet ex his, quæ solita eruditione annotavit D. FERDINANDVS DE MENDOZA *de Concil. Illiberit.* his verbis: * Cuius Historiæ, vel fabellę, fidem, authoritatem, & originem, paulò altiùs repetere visum est operępretium, nê Theoriani lapsus aliis etiam labendi occasio sit. (Et *infrà*:) Canonem hunc confirmatum fuisse à Vigilio Papa, idem Theorianus affirmat; sed falsò, cum non solum post Vigilium (prœcessit enim Vigilius Agathonem multis annis) sed post ipsum Agathonem, cuius ætate Concilium illud indictum est, & cuius Legati Theodorus, & Georgius Presbyteri, & Ioannes Diaconus in eo interfuerunt, septem, & viginti post annos, Canones hos, qui VI. Synodo esse feruntur, editos fuisse, constet, vt Anastasius Bibliothecarius, & ante illum Theophanes Episcopus Nicææ, apertè docent. (Et *infrà*:) Hæc Theophanes, 27. annos à Concilio habito, vsque ad descriptos Canones numerans, eumque sequutus Anastasius.*

1044 Vndè cum Vigilius Pontifex multis annis Agathonem Papam præcesserit, hicque post aliquos sui Pontificatus annos VI. Synodum celebraverit, anno nempè CHRISTI 680. & 81. vt suprà probavimus; cumquè iuxta gravissimos Authores, à nobis laudatos, Trullani Canones, qui VI. Synodi nomine circunferuntur, 27. post prędictam Synodum annis conditi fuerint, & inter illos quinquagesimus sextus contra Sabbati ieiunium statutus: hinc manifestè deducitur, nullatenùs potuisse prædictum Ca-

no-

nonem à Vigilio Papa, triginta, & amplius annis præmortuo, approbari: Quarè Theorianus falsò, ac enormiter, contra Hiſtoriæ veritatem, Vigilio Pontifici adſcribit approbationem Canonis, quem Trullani Patres iniquè condiderunt, contra ſanctam, laudabilemque conſuetudinem ieiunandi in Sabbato, quæ in Romana Eccleſia tot ſęculis fuerat ſtatuta, ęquiſſimiſque ſuadentibus rationibus obſervata, ac tandèm à Sanctiſſimo Sylveſtro Papa definita, vt ſuprà latè probabimus.

§ III.

EX IIS, QVÆ IN SECVNDO Trullanæ Synodi Canone continentur, manifeſtè oſtenditur, eam indignam eſſe, quæ ab Apoſtolica Sede approbaretur.

1045 MUlta ſunt in Trullanę Synodi Canonibus, quę eos Apoſtolicæ Sedis Approbatione indignos faciant; & nè in re adeò clara, longiùs immoremur, omiſſis aliquot ex illis, prædicta Approbatione indignißimis, vt rectè ſuadent Authores, tàm Antiqui, quàm recentiores, qui de illis in ſpecie agunt, præcipuè P. Chriſtianus Lupus *loco ſuprà citato*; ſolummodò expendemus II. Trullanum Canonem, ſtatuentem, vt 85. qui Apoſtolorum nomine communitèr circumferuntur, tamquàm à Sanctis Patribus admiſſi, omnimoda firmitate, & ſtabilitate ſuſcipiantur. * Huic Sanctæ Synodo placuit (inquit Canon 2.) vt ab hoc nunc tempore, & deinceps, firmi, ſtabileſque maneant, qui à Sanctis Patribus, qui nos præceſſerunt, ſuſcepti, ac confirmati ſunt, atque adeò nobis etiam traditi ſunt, Sanctorum, & glorioſorum Apoſtolorum nomine 85. Canones. *

1046 Uberem dicendi ſegetem ſuppeditat prædictus Trullanus Canon, viris eruditione conſpicuis, iis præcipuè, qui Apoſtolicorum Canonum numerum inveſtigarunt, & ea, quæ in illis continentur, diligenter ſcrutati ſunt. Et quidem ſi rem maturè perpendimus, inveniėmus ſufficere octuageſimum quartum Apoſtolorum Canonem, nè vllo pacto verificari poſſit, quod in præfato Trullano Canone aſſeritur, omnes nempè 85. qui Apoſtolorum nomine circumferuntur, fuiſſe à Sanctis Patribus ſuſceptos, & Approbatos; numquàm enim Sancti Patres receperunt, nec approbarunt, imò nec recipere potuerunt 84. ex relatis, cum iſte, contra communem Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum ſenſum, inter Canonicos Veteris Teſtamenti libros non admittat hos quinque, librum nempè Sapientiæ, Tobiæ, Iudith, Eccleſiaſtici, & duos Eſdræ, nec in Novo, Apocalypſim S. Ioannis.

1047 Inſuper in Novo Teſtamento admittit, vt Canonicas duas S. Clementis Epiſtolas, eiuſdemque ordinationes *in 8. libris*, qui Apoſtolicæ Conſtituriones S. Clementis dicuntur. Quod vt clariùs pateat, audiamus quid 84. Apoſtolorum Canonis textus dicat, prout vniformiter referunt ferè omnes prędictorum 85. Canonum Collectiones, quæ hucuſque prodierunt, & afferuntur à GRATIANO *in fine Decreti*. Sic ergo ſe habet prædicti Canonis textus.

CANON 84. APOSTOLORVM.

1048 Sunto omnibus vobis Clericis, ſimul & Laicis venerandi, ac Sacri, Libri, Veteris quidem Teſtamēti, Moyſis quinque, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Ieſu Filii Nave vnus, Iudicum vnus, Ruth vnus, Regnorum quatuor, Derelictorum *ex libb. dierum* duo, Eſther vnus, de Machabæorum geſtis tres, Iob vnus, Pſalterium vnus, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Prophetarum duodecim; vnus Eſaiæ, Hieremię vnus, Ezechiel vnus, Daniel vnus. Inquiritor autem à vobis extrinſecus, vt adoleſcentes veſtri addiſcant item Sapientiam Eruditi Syrach. Noſtra vero, (hoc eſt novi Teſtamenti) Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis; Pauli Epiſtolę quatuordecim: Petri Epiſtolæ duæ, Ioannis tres, Iacobi vna, Iudæ vna, Clementis Epiſtolæ duæ: Et Præceptiones, quæ Vobis Epiſcopis, per me Clementem in Libris octo nuncupatæ ſunt, quas omnibus publicare non opportet, ob quædam arcana, quæ in ſe continent, & Actiones noſtras Apoſtolorum. * Hucuſque Canon. Additque Gratianus. * Finis Apoſtolicorum Canonum Gregorio Holoandro Interprete.*

1049 In hoc prædicti Canonis tex-

tu, duo manifestè conspicimus; Primum est, præfatos Sapientię, Iudith, Tobiæ, Ecclesiastici, Esdræ, & Apocalypsis Libros, inter Canonicos, à prædicto Canone non admitti. Secundum est, inter Sacros, & Canonicos Libros Veteris quidem Testamenti, Tertium Machabæorum; Novi verò duas S. Clementis Epistolas, istiusque Constitutiones, ab eodem illo Canone recenseri. Quarè, vt clariùs innotescat huius 84. Canonis, & 2. Trullani difficultas, & vt manifestiùs dignoscatur, quàm alienum sit, ab Ecclesię, & Sanctorum Patrum Sententia, quod in illo continetur, probandum aggredimur, libros, quos ille Canon non admittit vt Canonicos, esse à Sanctis Patribus, & ab ipsa Ecclesia in Sacrarum Litterarum Canonem relatos.

DE DVOBVS LIBRIS ESDRÆ.

1050 Priores duos Esdræ Libros Sacros esse, & inter Canonicos recensendos, communis est Catholicæ Ecclesiæ, Sanctorum Patrum, & Sacrorum Conciliorum consensus, illosque Sacros esse, ac vt tales suscipiendos, definitum est in Conciliis CARTHAGINENSI, LAODICENSI, & TRIDENTINO, fuitque hæc cõmunis Hebræorum, & Rabbinorum sententia, vt tradit IOSEPHVS *lib.* 1. *adverſ. Apionem*, vbi recensens ex traditione Synagogæ Libros Divinos Veteris Testamenti, inter eos etiam hos connumeravit.

1051 Prædictos Libros Sacros esse apertè censuit S. AVGVSTINVS *lib.* 18. *de Civitate Dei*, *cap.* 36. Vbi hæc scripsit. * Est Esdras, qui magis rerum gestarum scriptor est habitus, quàm Propheta, &c. Nisi fortè Esdras in eo CHRISTVM prophetasse intelligendus est, quòd inter iuvenes quosdam, orta quæstione, quid amplius valeret in rebus, cum Regem vnus dixisset, alter Vinum, tertius Mulieres, quæ plerumque Regibus imperarent; idem tamen tertius Veritatem super omnia demonstravit esse Victricem, consulto autem Evangelio, CHRISTVM cognovimus esse Veritatem.* Hæc ille.

1052 Adeò Prophetæ Esdræ suffragatur Augustinus, vt nonmodò prædictos duos priores libros, sed & 3. eiusdem Esdræ inter Sacros annumeret, vt eleganter notavit Eruditus Noster DOMINICVS GRAVINA, dicens: * Quæ autem facta Prophetia pronuntiaverit Esdras, Augustinus multorum Patrum Sententiam sequens (nimirum Ambrosii *de bono mortis*, & *Epist.* 21. *ad Orontianum*, & Cypriani, *ad Demetrianum*, qui quintum Caput Esdræ videtur imitatus, tractans de sęculi interitu) tenentium librum tertium Esdræ esse divinum, clarè expressit, nimirum in 3. illo iuvene demonstante Veritatem, id est, CHRISTVM, Victricem super omnia; sed quia ex communi cæterorum Patrum Sententia liber iste tertius Esdrę est inter Apochryphos computatus, ideò dicendum est, quòd multaquæ in primo, & secundo volumine enarrantur, Prophetica dici possunt. Augustino consonat S. HIERONYMUS *in Prologo Galeato.**

DE LIBRO TOBIÆ.

1053 Hunc Librum esse Divinum, & in Canonicorum Catalogo reponendum, communis est Catholicę Ecclesiæ Sententia, in Decretalibus, & aliis summorum Pontificum operibus expressa. S. Clemens Papa *Epist.* 1. sic scribit. * Undè & in Veteri Testamento scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.** Quod desumptum est *ex lib. Tobiæ*, *cap.* 4. Aliud eiusdem Libri Testimonium allegat ALEXANDER Papa, siquidem *in* 1. *sua Epistola* ostendit Sanctissimæ Trinitatis Mysterium ex illis Libri *Tobiæ* verbis *cap.* 7. *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, &c. Impleatque benedictionem suam in Vobis.*

1054 S. LEO Papa *serm.* 5. *de Collectis*, *& Eleemosynis*, vtitur illis *Tobiæ* verbis *cap.* 4. *Ex substantia tua fac Eleemosynam.*

1055 S. GREGORIVS MAGNVS 3. *part. Curæ Pastoralis admonit.* 27. adducit illud *Tobiæ cap.* 4. *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue.*

1056 Sacratissima Concilia CARTHAGINENSE, FLORENTINVM, & TRIDENTINVM prędictum *Tobiæ* Librum in Sacrarum Scripturarũ Canonẽ retulerunt.

1057 Eiusdem libri Authoritate vsus fuit S. POLYCARPVS *Epist. ad Philippenses*, allegans illud *Tobiæ*, *cap.* 4. *quod Eleemosyna á morte liberat.*

1058 S. CLEMENS Alexandrinus *lib.* 6. *Stromat.* citat Scripturæ Sacræ testi-

testimonium illud *Tobiæ* 12. *Bona est oratio cum ieiunio.* ORIGENES *Epist. ad Iulium Africanum*, hæc scribit. *Tobia vtuntur Ecclesiæ,* & *Hom.* 27. *in Num.* computat lectionem *Tobiæ* inter divinorum voluminum lectiones.

1059 S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *serm. de Pœnit.* Eleemosynam comendans, hæc subdit. * Scriptum est enim, *quoniam Eleemosyna à morte liberat.** Quod legimus *cap.* 4. *Tobiæ.*

1060 S. CYPRIANVS *de Orat. Domin.* citat *cap.* 12. *Tobiæ* dicens: * Orationi alia bona opera esse adiungenda, & ideò Scriptura Divina instruit, dicens: *Bona est oratio cum ieiunio, & Eleemosyna.* *

1061 S. HILARIVS *in Psalm.* 129. ex eodem 12. *Tobiæ capite* probat assistentiam Angelorum ante claritatem Dei, & Orationem deprecantium ad Deum deferentium.

1062 S. AMBROSIVS *lib. de Tobia*, eum Propheticum nuncupat, dicens, *Lecto Prophetico Libro, qui intitulatur, *Tobias*, &c. *

1063 PHOEBADIVS AGENNENSIS relatus à S. Hieronymo *in Catalogo Scriptorum*, probat adversus Arianos nomen substantiæ in Sacris Scripturis reperiri, prolatis duobus testimoniis *Libri Tobiæ.*

1064 S. OPTATVS MILEVITANVS *lib. 3. contra Parmenidem*, huius Libri Authoritate astruit contra Donatistas energiam baptismatis: lecoris quoque, & fellis meminit ad tutelã fœminæ Sacræ, & ad illuminationem Tobiæ non videntis; & subdit, quòd *eiusmodi Piscis visceribus Asmodæus Dæmon à Sara puella fugatus est, &c.*

1065 S. PROSPER 2. *part. de prædictionib. cap.* 39. prædictum *Tobiæ* librum, vt Divinum, & Propheticum habuit. * Tobias CHRISTVM Dominum inter cætera prœconia suę laudis prophetavit, dicens: *cap.* 13. *Nationes multæ de longinquo venient habitatores á novissimis partibus terræ ad nomen Domini Dei, & munera sua in manibus habentes, Regi Cœlorum offerent cum lætitia*, quod nos nunc videmus impleri, * inquit Sanctus, prosequiturque prędictum locum, vt Scripturam Divinam allegans.

1066 Nec ab hac sententia dissentit S. HIERONYMVS *Proœmio in Ionam*, sic scribens: * Liber Tobiæ licet non habeatur in Canone, (intellige Hebræorum) tamen, quia vsurpatur ab Ecclesiasticis viris, tale quid memorat: dicente Tobia ad Filium suum: *Fili ecce senui.** *Tob.* 14.

1067 Consonat S. AVGVSTINVS, prędictum librum inter Scripturas Canonicas recensens *lib. de Doctrina Christiana, cap.* 8. & ex eodem libro citans testimonia *serm.* 4. *de SS. Petro, & Paulo, & in quæstionibus vtriusque testamenti, cap.* 100. *& Epist.* 120. *cap.* 20.

1068 At clariùs præfatum librum, vt Canonicum admittit S. ISIDORVS cum communi Ecclesiæ Sententia, siquidem *lib. 6. Ethymolog. cap.* 1. inquit: * Licet librum Tobiæ Hebræi in suum Canonem non recipiant, Ecclesia tamen CHRISTI, inter divinos honorat, & prædicat libros.*

1069 Ex quibus manifestè convincitur, *Tobiæ* librum, iuxtà Ecclesiæ Conciliorum, ac illustrium Ecclesiæ Patrum sententiam, Divinum esse, & Canonicum, eiusque Sanctam, & Divinam Doctrinam nullatenùs mereri à Canonicorum Veteris Testamenti librorum Cathalogo excludi, vt habetur in prædicto 84. Canone, qui Apostolorum immeritò nuncupatur.

DE LIBRO IVDITH.

1070 *Iudith* librum dignum esse, qui Sacrorum, & Canonicorum Veteris Testamenti librorum numero adscribatur, communis est Catholicæ Ecclesiæ Doctrina in Conciliis, & SS. Patribus declarata; & quidem præfatum librum Canonicum esse, & Divinum decrevit INNOCENTIVS I. *in Epist. ad Exuperium, Tholosanum Episcopum, cap. vlt.* vbi inter Sanctarum Scripturarum libros prędictum enumerat.

1071 GELASIVS Papa *in Concilio Romano* 70. *Episcoporum* inter libros, quos decernit, & asserit, Sanctam, & Catholicam Romanam Ecclesiam in Ordine Veteris Testamenti suscipere, ac venerari, Iudith librũ recẽset; idẽque decrevit CARTHAGINENSE CONCILIVM, quòd estó fuerit Provinciale, confirmatum tamen est, & approbatum à Leone IV. 20. *dist. cap. de Libellis*, quod clariùs

confirmant Sacratissima Concilia, FLORENTINVM *sub Eugenio IV.* & TRIDENTINVM *sub Paulo* 3. dum Canonicis Libris, quorum Catalogum texunt, prętatum Iudith librum inserunt.

1072 At quàm meritò, Concilia & Patres prędictum librum, vt Canonicum admiserint, ex sequentibus SS. Patribus demonstrabitur.

1073 S. CLEMENS ROMANVS inter mulieres, quæ prophetarunt, Iudith numerat *lib. 8. Const. Apostolic. cap. 2. lib. 3. cap. 8. & lib. 5. cap. vlt.* commendatque eiusdem pudicitiam, & ieiunium, quæ omnia in prædicto *Iudith libro* habentur.

1074 S. IGNATIVS *Epist. ad Philadelphios*: *Sint (inquit) non vagę, &c. sed vt Iudith illa honestissima.*

1075 S. CLEMENS ALEXANDRINVS *lib. 4. Stromat. consummatam in mulieribus* eam vocat, & quod præmia Fidei mox accepit, cum mulier in hostem se præclarè gesserit, & potita sit capite Holofernis.

1076 ORIGENES *in lib. Iudicum, Hom. 9. & Hom. 1. in Psal. 37.* eiusdem virtutes commemorat, quę in eodem *libro Iudith* recensentur, de quo alibi *Hom.* nempè 27. *in Numer.* sic scribit: *Si ergo cum recitatur talis aliqua divinorum voluminum lectio, in qua non videatur aliquid obscenum, libenter accipimus verbi causa, vt est libellus Esther, aut Iudith.*

1077 S. ATHANASIVS *in controversia contra Arium* adduxit illud *Iudith 16. Tibi serviat omnis creatura, quoniam dixisti, & facta sunt: misisti spiritum tuum, & ædificavit.*

1078 Idem testimonium affert S. ILDEPHONSUS *de Virginitate MARIÆ*, & eiusdem prętati libri Authoritate vsus quoque fuit S. IOANNES CHRISOSTHOMVS *variis in locis.* sic *Hom. 10. in Matth. cap. 6.* hilaritatem in ieiunio probat exemplo Iudith, *quę dum lętitia vultus ieiunium texit, de hoste triumphũ victoriæ reportavit.* Et *Hom. 60. in Ioannem*, asserit Deboram, Iudith, aliasque multas fœminas fuisse Imperatorum officiis functas.

1079 S. ISIDORVS PELVSIOTA *lib. 1. Epist. 87.* in Castitatis prœconium de hoc libro testimonium desumpsit.

1080 S. AMBROSIVS *lib. de Viduis 2. de Virginit. 3. de Officijs cap. 3.* Iudith Fortitudinem, Religionem, Puditiam, & de tabernaculo hostis integram fuisse reservatam, &c. commendat.

1081 S. HILARIVS *in Psal. 124.* tamquàm legalia verba citat aliud *ex eodem libro* testimonium, sic scribens: *Dicentes, hæc omnia à lege, & Prophetis, &c. Et cantantes ex lege: Dominus conterens bella: Dominus nomen est illi,* qui quidem locus habetur *Iudith 16.*

1082 Et quamvis aliquæ ex prædictis SS. Patrum Authoritatibus manifestè probent, prędicti libri Doctrinam Sanctam esse, & divinam, ac summa commendatione dignissimam, cum ea SS. Patres ad nostræ Fidei Mysteria comprobanda vtantur, non desunt tamen alia elegantissima SS. Patrum testimonia, quæ luculenter ostendunt, prædictum librum, esse Canonicum, & inter Sacros, & Divinos computandum. S. enim AVGVSTINVS *de Doctrina Christiana, cap. 8.* hunc librum inter Sacras Scripturas recenset.

1083 S. ALCIMVS AVITVS *de vera Virginitatis laude*, ad sororem, referens numerum librorum Sacrę Scripturæ *de libro Iudith* mentionem facit.

1084 S. FULGENTIVS *Epist. 2. de Statu Viduali, cap. 10.* verba huius libri, tamquàm Sacræ Scripturæ testimonium assumpsit ad probandam cordis, & corporis Iudith plenissimam continentiam, dicens: *De Iudith enim scriptum est: Et erat Iudith in domo sua.*

1085 CASSIODORVS *lib. 1. instit. cap. 13.* hunc librum cum aliis Canonicis enumerat.

1086 S. ISIDORVS *lib. 6. Origin. de Novo, & Veteri Testamento*, librum Iudith recenset iter eos, quos, & si Hebræi inter Apocrypha separent, Ecclesia tamen CHRISTI inter Divinos Libros honorat, & prædicat. Cui consonat S. PETRVS DAMIANI *cap. 19.* vbi tractans, quomodò cultus, & ornatus Iudith ad necessitatem fuerit assumptus, hęc scribit: *Cum necessitas petit diversis se ad corporis venustatem infulis adornavit, Sacra Scriptura testante, quæ ait: Abstulit á se Iudith cilicium, &c.* Quod habetur *cap. 7. huius libri Iudith.*

HVGO

1087 HVGO DE S. VICTORE *in Speculo Ecclesiæ, cap.* 4. testatur communem Ecclesiæ vsum in hoc libro pro Canonico suscipiendo: * In Septembri (inquit) legitur in Ecclesia, & cantatur, de Iob, Tobia, Esdra, Iudith, & Esther.*

1088 Consonat S. BERNARDUS *Serm.* 1. *in Cantica*, his verbis: *Cecinit (ait Scriptura) Israel carmen hoc Domino, cecinit etiam Debora, cecinit & Iudith, cecinit, & mater Samuelis.*

1089 S. PROSPER *cap.* 38. loquens de hoc libro, illum vt Canonicum habet, & diuinum, vt vidimus suprà.

1090 Hæc omnia ampliùs illustrantur NICÆNI CONCILII Authoritate, qua S. Hieronymus *præfatione in Iudith*, vtitur, ad probandum hunc librum verè esse Canonicum, & vt talem suscipiendum, dicens: * Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestræ imò exactioni, &c.*

1091 Ex his, quæ Conciliorum, Patrum, & ipsius Ecclesiæ Authoritate affatim probavimus, manifestè convincitur, librum *Iudith* debere Divinis, & Canonicis Sacræ Scripturæ Veteris Testamenti libris adscribi; sicque à vera ratione recessisse, qui prædictum Trullanum Canonem efformavit, quo præfatus liber à Sacrarum Scripturarum Catalogo excluditur.

DE LIBRO SAPIENTIÆ.

1092 Hunc librum esse Canonicis Sacræ Scripturæ libris connumerandum, est Ecclesiæ Traditio, & communis consensus Patrum, & Conciliorum, illum divinum esse probantium. INNOCENTIVS I. *in Epistola ad Exuperium*, recensens Canonicos Veteris Testamenti libros ait: * Genesis, Exodus, &c. Salomonis libri quinque,* quorum vnus est Sapientiæ.

1093 EVARISTVS Papa *Epist. ad Africanos*, hunc librum Salomoni tribuit; eumque Salomon sit scriptor Canonicus, & Divinus; proculdubiò, Canonicus, & Divinus est hic *Sapientiæ* liber.

1094 Pontifex FELIX I. *Epist.* 3. ex textu Sacræ Scripturæ desumpto *ex cap.* 9. *Sapientiæ*, probat, visionem beatificam, qua Filius semper fruitur visione Patris Æterni, dicens: * Nos verò ad ipsius fontis originem redeamus; ex quo Filium semper Patrem videre potuisse, vel posse evidentioribus testimoniis de Veteris, & Novi Testamenti Litteris doceamus, Salomone dicente: *Tecum Sapientia, quæ novit opera tua. Sap.* 9.*

1095 Pontifex FELIX 2. *Epist. ad Athanasium, & cæteros* adduxit textum *Sapientiæ* 1. his verbis: * Et iterum Sapientissimus Salomon: ait: *Quoniam qui loquitur iniqua, non potest latere* *

1096 Quamvis quatuor isti Sanctissimi Pontifices satis superquè essent, vt ostenderemus, prædictum librum Canonicum, & Divinum; nihilominùs tamen, quia Summorum Pontificum Doctrina Sanctorum Ecclesiæ Patrum Sententiæ mirificè adhæret, non desunt Sanctissimi Patres, qui hanc eamdem veritatem confirment.

1097 Inter Græcos primas teneat S. DIONYSIVS AREOPAGITA *de Ecclesiastica Hierarchia*, qui in variis suorum operum locis vtitur aliquibus *Sapientiæ* textibus, tamquàm testimoniis ex Sacra, & Canonica Scriptura desumptis, & *cap.* 2. vsurpat illud *Sapient.* 5. *Acuet duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo Orbis terrarum contra insensatos.* Et *lib. de divinis nominibus, cap.* 7. Loquens de Sapientia, ait: * *Omnia pertingit, penetrans*, vt scriptum est, *vsque ad omnium finem.* * Quod habetur *Sapientiæ* 8. & 4. & item: * In primis Scripturarum constitutionibus quemdam de Sapientia dixisse comperies, *Amator factus sum formæ illius.** quod testimonium habetur *Sap.* 8.

1098 Illustrissimus Episcopus MELITO, gravissimus, & antiquissimus Author *Epist. ad Onesimum in Catalogo voluminum Veteris Testamenti*, hunc librũ enumerat, vt refert EVSEBIVS *lib.* 4. *Hist. Ecclesiast. cap.* 26.

1099 S. CLEMENS ALEXANDRINVS hunc librum, tamquàm Scripturam Canonicam, & Divinam allegat *lib.* 4. *Stromat.* his verbis: * Divina Sapientia dicit de Martyribus; *Visi sunt oculis insipientium mori.** Quod habetur *Sap.* 3.

1100 Et *lib.* 5. adducit alium eiusdem Sapientiæ locum, sic scribens: * Porrò Salomon rursum dicit: *Arbor est immorta-*

ta-

talitatis iis, qui ipsum apprehendunt, Sap. 15. Quid verò? an non similiter Scriptura dicit : *Tollamus iustum a nobis? Sap.* 2. * Et *lib.* 6. ait : * Dictum est autem à Salomone : *Artifex autem, &c.* * Quod habetur *Sapientiæ* 7. Cum igitur iste Sanctus prædictos libri Sapientiæ textus tribuat Salomoni, quem dubitari non potest esse Scriptorem Canonicum, & Divinum, hinc nec ambigi potest Canonicum esse *Sapientiæ librum.*

1101 S. EPIPHANIVS *hæres.* 67. affert *cap.* 4. *libri Sapientiæ*, tamquàm Scripturam Divinam, sic alloquens Salomonem, præfati libri Authorem. * Adsis Prophetarum beatissime, qui accepisti à Domino effusionem cordis, ac Sapientiam, velut arenam iuxta litus maris, quidnam de pueris sentis ? & inquit *Sapientiæ* 4. *Senectus enim venerabilis est, non diuturna.* *

1102 Et *Hæres.* 76. prædictum Sapientiæ librum inter Divinas Scripturas computat, dicens: * Etiam Sapientiam, Salomonis, inquam, & Filii Sirach, & omnes in summa Divinas Scripturas oportebit te evoluere.*

1103 S. GREGORIVS NAZIANZENVS duplicem adducit *libri Sapientiæ* locum, tamquàm Divinæ Scripturę Oraculum, præfatum librum attribuens Salomoni; loquens igitur prædictus Sanctus de Fide, hæc habet. * Hinc, & Salomon *Sap.* 7. *cum sit* (inquit) *vna, omnia potest, & permanens in se omnia innovat.* * Et *Orat.* 34. quæ est *Oratio* 2. de Theologia, sic scribit: * Iam verò quomodo illud tueri poterimus, quod ait Scriptura, Deũ omnia pervadere, atque implere, iuxta illud *Hier.* 23. *Nonne Cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus?* Et : *Spiritus Domini replevit Orbem terrarum. Sap.* 1.* Idem in laudem Basilii *Orat.* 44. & 49. testatur.

1104 Nec minori perspicuitate hunc librum esse Divinam Scripturam tradit S. GREGORIUS NISSENVS, *cap.* 15. *de Virginitate*, sic loquens. * Atque vt in Divinis Litteris scriptum extat, *in animam malevolam non intrabit Sapientia.* * Qui quidem locus habetur *Sapientiæ* 1. Idem Sanctus adversus Iudæos, *cap. de Virginit.* probat Propheticum Salomonis spiritum in prædicto libro, his verbis: * Et Salomon Propheticè, *puer enim ingeniosus, & animam bonam sortitus, &c.* * *Sap.* 8.

1105 THEOPHILVS ALEXANDRINVS vtitur Sapientię loco, tamquàm Divinę Scripturæ testimonio *in Epist.* 1. *Paschal.* * Et alibi legimus. *Spiritus Domini replevit Orbẽ Terrarum.* (*Sap.* 1.) quod numquàm Scriptura memoraret, nisi irrationabilia quæque, & inanima illius numine complerentur. *

1106 EVSEBIVS *lib.* 4. *Hist. cap.* 22. scribit, Salomoni hunc librum (videlicet *Sapientiæ*) attribuisse Irenæum, sicut & Proverbia : sicque Canonicum esse iudicavit.

1107 At S. CYRILLVS apertè fatetur, prædictum librum esse Scripturam Divinam, nam *lib.* 11. *in Ioannem*, hunc librum, tamquàm Propheticum habet; & *lib.* 2. *contra Iulianum* hæc scribit. * Et nos quoque dicimus, confitente hoc Divina Scriptura, dicit enim : *Ego eram, cum qua lætabatur, in conspectu eius in omni tempore.* * *Sap.* 8.

1108 S. IOANNES DAMASCENVS *lib.* 1. *Orthodoxæ Fidei, cap.* 4. *agnoscit* præfatum librum Divinę Scripturæ Dignitate insigniri, dicens : * Ad hęc quomodo illud retinebitur, quod ait Scriptura : Deum omnia pervadere, atque implere?* *Sap.* 1. Et *lib.* 2. *cap.* 6. ait: * Quod iustorum animæ in manu Dei sint, nec mors eos attingat, etiam Sacris Litteris proditum est.* *Sap.* 8.

1109 Hucusque SS. PP. Græci, quibus mirificè consonant Latini; hanc enim nostram Assertionem pręclarè illustrat S. CYPRIANVS, qui *de exhortatione Martyrii, cap.* 12. hanc veritatem mirificè probat his verbis. * Quæ spes, & merces maneat Martyribus post conflictationes huius temporis, & passiones, per Salomonem Spiritus Sanctus ostendit, & pręcatur, dicens: *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est.* * *Sap.* 3.

1110 Quod & confirmat *lib. de Mortalitate* : sic scribens : * Sed & per Salomonem docet Spiritus Sanctus, eos, qui Deo placeant, maturiùs hinc eximi, &c. *Raptus est* (inquit) *ne malitia mutaret intellectum eius.* *, *Sap.* 4.

1111 S. AMBROSIVS *lib.* 3. *de Spiritu Sancto, cap.* 19. probaturus contra ali-

aliquos blaſphemos hæreticos, Spiritum Sanctum non peccaſſe, ſic affatur: *Et hoc accipiant Scripturarum Authoritate nos dicere: Scriptum eſt enim, *quia in ſapientia eſt Spiritus intelligentiæ, Sanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, mobilis, diſſertus, immaculatus,* dicit Scriptura, &c.* *Sap.* 7.

1112 S. OPTATVS MILEVITANUS *lib.* 4. *contra Parmenidem* admittit, *Sapientiæ librum* eſſe propheticum, illiuſque Authorem Salomonem, fuiſſe Canonicum Scriptorem: * Et illud (inquit) quoque in Salomone Propheta lectum eſſe dixiſti: *Filios adulterorum inconſummatos, & ſpuria vitulamina altas radices dare non poſſe.** *Sap.* 4.

1113 LACTANTIVS *lib.* 4. *de Vera Sapientia, cap.* 16. *in* 2. *cap. lib. Sapientiæ* expreſſam Prophetiam diſſertis verbis contineri, demonſtrat.

1114 S. HIERONYMVS *in cap.* 18. *Ieremiæ.* * Iactant, (inquit) Iudæi, in Sacerdotibus, & Sapientibus, & in PſeudoProphetis legem, & conſilium Dei, & eloquium permanere, dicente Scriptura: *In perverſam animam non introibit Sapientia.** *Sap.* 6.

1115 S. AMBROSIVS *ſerm.* 8. *in Pſalm.* 118. Sapientiæ librum *Divinam Scripturam* Appellat.

1116 S. PETRVS CHRYSOLOGVS *ſerm.* 101. prædictum librum, tamquàm Divinum eloquium allegat, dicens. * Deus vitam fecit, Diabolus machinatus eſt mortem, Divino eloquio ſic prodente: *Deus mortem non fecit, &c.** *Sap.* 2.

1117 CÆSARIVS ARELATENSIS *hom.* 16. idem ſentit his verbis: * Quòd autem, aut qui invidus eſt, ſine Dæmone eſſe non poteſt, ſicut Scriptura dicit: *Invidia Diaboli mors intravit in Orbem terrarum, &c.** *Sap.* 2.

1118 EUGENIVS CARTHAGINENSIS *de Fide ad Hunnericum* prędictum librum Propheticum, & Divinum eſſe exiſtimavit; ſic enim ſcripſit. * Patris ergo ſubſtantiam Filium eſſe Propheticis iam olim deſignatum eſt Oraculis, dicente Salomone: *Subſtantiam enim tuam, dulcedinem tuam, quam habebas, in Filio oſtendebas.** *Sap.* 16.

1119 S. FVLGENTIVS, *ad Traſimundum Regem lib.* 1. *cap.* 18. Sapientię librum Scripturam Sacram, & Propheticam venerатur; ſic enim loquitur: * Quod Propheticè per Salomonem Spirituali gratia cernimus intimatum, cum ait: *anima iuſti Sedes eſt Sapientiæ.* (*Sap.* Et *Epiſt.* 7. *cap.* 3.) Scriptum tenetur in Litteris Sacris: *Sapientiam non vincit malitia.** *Sap.* 7.

1120 Eamdem ſententiam ſequitur S. GREGORIVS *lib.* 5. *moral. cap.* 14. præfatum librum Divinam Scripturam reputans. * Qua igitur ratione (inquit) diſcurrere Spiritum Sanctum dicamus, dum cuncta intra ipſum ſunt, & locus nuſquam ſit, vbi non ſit, ſicut ſcriptum eſt: *Spiritus Domini replevit Orbem terrarum.** *Sap.* 1.

1121 S. ILDEPHONSVS, Toletanus Antiſtes, *ſerm.* 2. *de Aſſumptione Mariæ* vtitur Sapientiæ textu, tamquàm Scripturę Sacræ teſtimonio, dicens: * Quod ſi anima iuſti cuiuslibet Sedes eſt Sapientiæ, teſte Scriptura, multo magis huius anima. *

1122 Subſcribit ALCVINVS *lib.* 2. *de Trin. cap.* 7. Vbi verba *Sapientiæ* 1. *Scripturam Sacram* vocat, ſic ſcribens: * De Spiritu quoque Sancto, Scriptura ſic loquitur; quia *Spiritus Domini replevit Orbem terrarum.** *Sap.* 1.

1123 S. PETRVS DAMIANVS *Epiſt.* 4. *cap.* 4. Sapientię, tamquàm Divinę Scripturę teſtimonium proferens: * Hinc eſt, (ait), quòd eos in afflictione Spiritus conquęri, Scriptura teſtatur. *Exiguum, inquiunt, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ.** *Sap.* 12.

1124 Idem præſtat S. ANSELMUS CANTUARIENSIS *in cap.* 1. *Epiſt. ad Roman.* * Deus illos iuſtè deſeruit, qui ſibi prætulerunt idòla, & ſicut Scriptura loquitur: *Initium fornicationis eſt exquiſitio Idólorum.** *Sap.* 12.

1125 S. BERNARDUS *ſerm. de donis Spiritus Sancti, cap.* 6. textum *Sap.* 1. vti Scripturam Sacram allegat: * Niſi mentis intuitus diligenter purificatus fuerit, myſtica, & divina rectè intelligere nequit; nam ſcriptum eſt, *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum.** *Sap.* 1.

1126 ANGELICVS DOCTOR, in multis ſuorum operum locis, ſuas Concluſiones, *ex Sapientiæ libro*, tam quã ex Divino, & Sacro Oraculo confirmat,

vt

vt 1. *part. quæst.* 85. *art.* 7. vbi adducit illud : *Puer autem ingeniosus eram. Sap.* 8. Et 1. 2. *quæst.* 91. *art.* 2. affert illud: *Cui cura est de omnibus. Sap.* 12. & alibi sæpè.

1127 S. BONAVENTURA *in Prologo comment. huius libri* , tradit illius Authorem Divino fuisse Spiritu illustratum: * Triplex (inquit) causa huius libri potest assignari. Prima per modum inspirantis ; & ista est Deus. Secunda per modum invenientis ; & est ipse Salomon. Tertia proxima causa per modum compilantis, & sic est Philo, vt dicetur.*

1128 Sed luculentiùs præ cęteris hunc librum Canonicum esse, & Sacrum, tradidit S. AVGVSTINVS; vt videri potest *lib.* 14. *de Trinitate* , *cap.* 1. vbi illius verbis, tamquàm Sacræ, & Divinæ Scripturæ eloquiis vtitur , sic scribens: *Secundum hanc itaque Sapientiam, quę Dei cultus est , ait Sancta Scriptura : Multitudo Sapientum sanitas est orbis Terrarum.* *Sap.* 6.

1129 Sed ad rem nostram aptiùs, ipse Sanctus *lib.* 1. *de Prædestinatione Sanctorum, cap.* 14. vbi insurgens contra illos, qui illud *Sapientiæ* 4. *Raptus est , né malitia mutaret intellectum eius* , non admittebant, expendit , quantam sibi Authoritatem , & locum inter Divinas Scripturas vindicet Divinus iste Sapientiæ liber. Augustini verba audiamus : *Quæ cum ita sint, non debuit repudiari Sententia libri Sapientię , qui meruit in Ecclesia CHRISTI de Gradu Lectorum, Ecclesiæ CHRISTI , tàm longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis ab Episcopis , vsque ad extremos laicos Fideles, pœnitentes, Cathecumenos, cum veneratione Divinę Authoritatis audiri.*

1130 Infrà verò , sic prosequitur: *Qui Sententiis tractatorum instrui volunt , oportet, vt istum librum Sapientię , vbi legitur : Raptus est, né malitia mutaret intellectum eius* , omnibus tractationibus anteponant. Quoniam sibi eum antepositerunt etiam , temporibus proximi Apostolorum egregii tractatores , qui eum testem adhibentes , nihil se ; thibere, nisi Divinum testimonium crediderunt.*

1131 Idem Sanctus *de dono Perseverantia cap.* 17. aperte ostendit , quanta semper fuerit apud Ecclesiam Divini istius libri Authoritas ; sic enim scribit: * De continentia legitur *in lib. Sap.* cuius Authoritate vsi sunt magni , & docti Viri, qui longè ante nos eloquia divina tractarunt , ibi ergo legitur : *Cum scirem, quia nemo potest esse continens , nisi Deus det.* *Sap.* 8.

1132 Et *lib.* 17. *de Civitate Dei, cap.* 20. docet hunc librum in Orientalibus Ecclesiis semper, vt Canonicum habitum fuisse. Ac tandèm *lib.* 2. *de Doctr. Christ.* censet librum Sapientiæ , sicut & Ecclesiastici fuisse ab Ecclesia inter Canonicas Scripturas susceptum: *Vterque (inquit) in Authoritatem recipi meruerunt.*

1133 Ex his, quæ celebriorum Sanctorum , & Patrum , tàm Græcæ , quàm Latinę Ecclesiæ , qui mira Sacrarum Litterarum eruditione floruerunt, Doctrinæ innixi diximus, plenissimè constat, Sapiętię librũ esse certò Divinam, Canonicãque Scripturam. Et quamvis , tàm evidens probatio nobis deesset, adhuc prædictum librum Canonicum esse , & Divinum manifestè convinceret Sacrorum Conciliorum Authoritas, quæ eum , vt talem semper susceperunt.

1134 GELASIUS Papa, qui *in* 70. *Episcoporum Concilio* tantam operam navavit in exactiori indagatione librorum, quos esse Scripturam Divinam legitimè constabat, in Catalogo librorum Veteris Testamenti prędictum Sapientię librum retulit.

1135 SYNODUS ALEXANDRINA *in Epist. ad omnes vbique Ecclesias*, vt Divinum agnoscit librum Sapientiæ Salomonis.

1136 SYNODVS SARDICENCIS *in Epist. ad totius Orbis Episcopos* , quæ extat *apud Theodoretum Eccles. Histor. lib.* 2. *cap.* 8. idem sentit, dicens: * Filium , omnium conditorem demonstrat: ait Scriptura : *Sapientia omnium Artifex, me docuit.* *Sap.* 7.

1137 Sed clariùs prædictum librum, vt Canonicum suscipit CONCILIVM CARTHAGINENSE III. ab Apostolica Sede approbatum , ait enim Can. 47. *Sunt Canonicæ Scripturæ Genesis, Exodus, &c. Sapientiales libri quinque.*

1138 Quam quidem sententiam manifeste confirmavit CHALCEDONENSE CONCILIUM. in isto enim lecta fuit

Epi-

Epistola trium Episcoporum Dalmatiæ ad Leonem Imperatorem, vbi hæc habentur: *Ad omnem perfectionem Catholicę Fidei sufficit Doctrina sapientissimi Salomonis; ait enim: *Sentite de Domino in bonitate, &c.** *Sap.* 1.

1139 CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM V. *Act.* 1. Sapientiæ librum, vt Divinum, & Canonicum veneratur, his verbis: *Æqualiter enim, vt dicit Divina Scriptura: *Odibilia sunt Deo impius, & impietas eius.** *Sap.* 14.

1140 Consonat CONCILIVM TOLETANVM XI. *in Professione Fidei*, vbi hæc leguntur: *Nam si attendamus illud, quod Scriptura dicit de Sapientia: *Splendor est lucis æternæ, &c.** *Sap.* 7.

1141 Hunc librum Scripturam Sacram vocat CONCILIVM NICÆNVM II. *Tract.* 4. vbi, vt probet CHRISTI Crucem esse à Fidelibus adorandam, vtitur testimonio Sapientiæ Salomonis, his verbis: *Sic & Salomon inquit: *Benedictum lignum, per quod fit iustitia.** *Sap.* 14.

1142 TRIA GENERALIA, ET OECVMENICA CONCILIA, Lateranense magnum, Florentinum, ac novissimè Tridentinum, Sapientię librum, vt Canonicum suscipiunt.

1143 Tandèm prætereunda silentio non est totius Ecclesię Authoritas, quæ prædicti libri Doctrinam, vt Scripturam Canonica, & Divina vtitur; siquidem *feria* 4. *Pentecostes*, decantat illa verba *Sap.* 1. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terrā.* In Mysteriis quoque, Sacramentis, ac in Officio Pentecostes multoties canit illud *Sapient.* 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.*

1144 Et D. PAVLVS *Roman.* 11. adducit Authoritates *lib. Sapientiæ*, tamquàm testimonia libri Canonici, & Divini; præcipuè *vers.* 13. affert locum *Sap.* 9. dicens: *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit?* Licet mutatis verbis prædictum textum allegaverit; quia *in lib. Sap.* sic legitur: *Quis enim hominum poterit scire Consilium Dei; aut quis poterit, cogitare, quæ Deus velit?* quæ in substantia idem sunt. Et *ad Hebræos* 11. citat illud *Ecclesiast.* 44. *Fide Henoc, &c.*

1145 Vndè cum Summi Pontifices, Sanctissimique, tàm Græcæ, quam Latinę Ecclesię Patres, Sacratissima Concilia, ac totius Ecclesię Authoritas prædictum Sapientiæ librū, vt Sacrā & Divinā Scripturā cōcordi sensu agnoverint, & susceperint, vt latè probavimus; non poterit sine temeritatis nota, de tàm aperta veritate dubitari. Quarè non miror Illustrissimum Episcopum TENA *Isagoge in totam Scripturam, difficul. 9. sess. 2. lib. 2.* vbi de Sapientiæ, & Ecclesiastici libris disserit, hęc scribere: *Et quamvis antiquitùs de hac re fuerit inter Catholicos dubitatum; iàm tamen certa Fide tenendum est, prędictos libros verè existere in Canone Ecclesiæ, & ita esse infallibilis Authoritatis.*

1146 Illustrissimus Canariensis Episcopus D. MELCHIOR CANO *de locis Theologicis, lib. 2. cap. 9.* loquens de quinque libris, de quibus quondàm dubitatum fuit, an essent Canonici, Tobiæ nempè, Iudith, Sapientię, de quibus iam egimus, & Ecclesiastici, de quo statim tractabimus, ostendit, eos esse sine dubiò pro Canonicis habendos. Et *Conclus.* 2. rem magis vrget, sic resolvens: *Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum à Canone rejicere, multò magis erroneum est, nè dicam hęreticum.* Vndé omni ex parte certissimum est, prædictum Sapientiæ librum esse Scripturam Divinam Veteris Testamenti, ac per cōsequens perperam esse exclusū per Canonē 84. dictū Apostolorū.

DE LIBRO ECCLESIASTICI.

1147 Debere hunc librum inter Canonica, & Divina Veteris Testamenti volumina recenseri, communis est Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & totius Ecclesię consensus.

1148 Summi Pontifices hunc librum, vt Sacram, & Divinam Scripturam venerati sunt. S. CLEMENS, Romanus, Pontifex Maximus 1. *sua Epistola*, hæc scribit: *Et iterum per Prophetam loquitur: *Et expavit Cælum super hoc, &c.* (*Ierem.* 2.) Et iterū: *Impone homo tuæ linguæ ostium, & seram.** Quę verba desumpta sunt *ex Eccles.* 28.

1149 S. ANACLETVS Papa, 1. *sua Epist.* attribuit hunc librum Salomoni, quem esse Authorem Canonicum extra dubium est, sic enim habet: *Salomon loquitur dicens: *Qui foveam fodit, incidet in eam, & qui volvit lapidem, revertetur ad eum.** *Eccles.* 27.

1150 EVARISTVS Pontifex *Epist.* 1.

1. affert illud *Eccles.* 24. tamquàm Prophetícum dictum, his verbis: *Ipso Filio in Propheta loquente: *Qui me genuit, requievit in Tabernaculo meo.** *Ecclesiastici* 24.

1151 SIXTVS I. Pontifex *Epist.* 1. citat illud *Eccles.* 36. tamquàm Salomonis oraculum: *Et in Salomone habetur: *Miserere nobis Deus omnium, & ostende nobis lumen miserationis.** Et *in eadem Epist.* *Et vbi est (inquit) quod in Salomone Scriptura loquitur, (*Eccles.* 36.) *Sicut enim in conspectu eorum magnificatus es in nobis, ita in cõspectu nostro magnificaberis in illis.** Quibus etiam Ecclesiastici verbis vtitur GELASIVS Pontifex 1. *sua Epist. ad Vigilium* vt certum supponens, prædicta verba esse Salomonis Divini, & Canonici Scriptoris.

1152 Idem sentit FABIANVS Papa *Epist.* 2. *ad omnes Episcopos*, hæc scribens: **Fili* (ait Salomon) *in mansuetudine serva animam tuam.** *Eccles.* 10. Et infrà probans Sacerdotes honorandos esse: *Loquitur (inquit) *in Eccles.* 7. *In tota anima tua time Deum, & Sacerdotes illius sanctifica.**

1153 CALIXTVS Pontifex *Epist.* 1. allegat Ecclesiastici librum, vt Scripturam Sacram, his verbis: *Dicente quippè Scriptura Sancta, (*Eccles.* 18.) *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere.**

1154 Pontifex SIXTVS II. *Epist.* 1. citat, tamquàm Salomonis, alium Ecclesiastici locum, per hæc verba: *Quod Pater est, id est etiam Filius. (*Ecclesiast.* 24.) *Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam.**

1155 Eadem est MARCELLINI Papæ sententia *in Epist. ad Salomonem Episcopum.* Vbi illud *Ecclesiastici*, 24. Salomoni adscribit, sic enim ait: *Et vt Filius cum Patre in Altissimis habitasse credatur, Salomonis testimonio comprobatur: *Ego habitavi in altissimis, & Thronus meus in colũna nubis.** *Eccl.* 24.

1156 EVSEBIVS Papa *Epist.* 3. Ecclesiastici librum, vt Scripturam Sacram, veneratur, hęc scribens: *Ideò charissimi, et vos iuxta Sanctam Scripturam *discite bene facere.* Et, sicut scriptum est. (*Eccles.* 14.) *Fili si habes, bene fac tecum, & Deo dignas oblationes offer.**

1157 S. DAMASVS Papa *Epist.* 6. vt Salomonis dictum, suscipit illud *Eccles.* 18. *Antequam scruteris, nè reprehendas, &c.* sic enim loquitur: *Quod benè per sapientiam Salomonis dicitur: *Antequam scruteris, &c.**

1158 INNOCENTIVS I. *in Epist. ad Exuperium cap.* 7 attribuit Salomoni quinque libros, eosque pro Scriptura Sacra habet, dicens: *Salomonis libri quinque.* Horum autem vnus est *Ecclesiastici.*

1159 Pontifex SIXTVS III. *lib. de malis D.D. & operibus Fidei*, affert, vt Scripturam Divinam, locũ *Ecclesiastici* 32. *Ad comprobandam (inquit) huiusce intelligentiæ Veritatem, aliqua Divinę Legis exempla promenda sunt. dicit enim Scriptura. *Qui credit Deo, attendit mandatis eius.**

1160 Papa LEO I. *Serm. de Quadragesc. cap.* 3. Salomoni attribuit Ecclesiastici librum; sic enim loquitur: *Et ideò Sapientissimus Salomon: *Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.** *Eccles.* 2. Et *Serm.* 8. *de ieiunio 7. mensis, cap.* 1. Sacrã Scripturam reputat Ecclesiastici librũ, ait enim: *Dicit Scriptura: *Post concupiscentias tuas non eas.** *Eccles.* 18.

1161 GELASIVS Papa approbat, vt Sanctam, & divinam Scripturam, eam, quæ Ecclesiastici libro continetur: asserit enim: *Nonnè hæc est illa naturalis, quę ad detestanda captivitatis iura descendit, quàm Scriptura Sancta sic commemorat. (*Ecclesiastici* 40.) *Grave iugum super Filios Adam, à die exitus de ventre Matris eorum, &c.**

1162 HORMISDA Pontifex *Epist.* 6. præfatum *Ecclesiastici* librum Divinam Salomonis Scripturam existimat; sic enim habet: *Clamante sapientissimo Salomone, *Non tardes converti ad Dominũ, & nè differas de die in diem.** *Eccl.* 5.

1163 IOANNES II. *in Epist ad Valerium*, vt Salomonis eloquium, citat textum *Ecclesiastici* 24. his verbis: *Et in Salomone: *Qui genuit me, requievit in tabernaculo meo.**

1164 S. GREGORIVS MAGNVS *in Psal.* 4. *Pœniten.* prædictum librum, vt Sacram Scripturam veretur, dicens: *Vndè non inconvenienter ait Scriptura: *Homo sapiens tacebit, vsque ad tempus.* (*Ecclesiast.* 20.) hinc rursum scriptum

est:

est: *Ori tuo fac ostium, & vectem, &c.** *Eccles.* 28.

1165 Eodem honore prosequitur illum Pontifex MARTINVS I. *Epist.* 13. sic loquens. *Quoniam igitur scriptum est: *Fratres, quis misrebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus, qui approprinquant bestiis? sic & qui comitatur cum viro iniquo, & obvolutus est in peccatis eius.** Eccles. 12.

1166 ZACHARIAS Papa, *Ecclesiastici* Librum, vt Divinam Scripturam profert *Epist.* 11. vbi hæc habet: *Factum est illis, sicut scriptum est: *Sapientiam, qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam, arenam, & salem.** Eccles. 22.

1167 INNOCENTIUS III. ad probandum, quantam vtilitatem nobis afferat Eleemosyna, vtitur *Ecclesiastici* testimonio, tamquàm Oraculo Divino, dicens: *Audi super hoc Sapientis sententiam: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & ipsa pro te exorabit.** Eccles. 29.

1168 Quamvis ex his viginti duobus Pontificibus Summis, qui *Ecclesiastici* librum, vt Sacram, & Divinam Scripturam agnoscunt, & approbant, satis clarè appareat nostræ Assertionis Veritas, & certitudo, hunc nempè esse communem totius Ecclesiæ sensum, tot sæculis in tot Summis Pontificibus, Sanctitate, & Doctrina conspicuis, expressum: nihilominus cum Pontificum Doctrina Sanctorum Ecclesiæ Patrum Sententiæ mirificè consonet, & cohæreat, prædictum *Ecclesiastici* librum, esse, vt Canonicum, & vt Divinam Scripturam habendum, ex Sanctis Patribus tàm Græcæ, quàm Latinę Ecclesiæ, probabimus.

1169 Inter Græcos agmen ducat S. IGNATIUS *Epist. ad Neronem*, vbi suam sententiam comprobat ex illo *Eccles.* 19. *Qui citò credit, levis est corde.*

1170 S. CLEMENS ALEXANDRINVS prædictum librum, vt Divinam Salomonis Scripturam veneratur, illius verba, non semel adducens, *Sic* 5. *Strom. cap.* 5. ait. *Salomon quoque rursus dicit: *Arbor enim est immortalitatis iis, qui ipsam apprehendunt.** (*Sap.* 15.) Et Deus dicit: *Ecce do ante faciem tuam vitam, & mortem, diligere Dominum Deum, & ambulare in vijs eius, & audire vocem eius, & credere vitæ.** *Eccles.* 15.

1171 Et *lib.* 2. *Pedagog. cap.* 8. recitat alium, *Ecclesiastici* locum, vt Divinę Scripturæ testimonium, his verbis: * *Honora medicum propter vtilitatem eius*, inquit Scriptura, *ipsum enim creavit Altissimus, &c.** Eccles. 38.

1172 ORIGENES loquens de Ecclesiastico, illum, vt Divinam Salomonis Scripturam allegat *Hom.* 1. *in Ezechielem*, vbi hæc habet: * Vide Salomonem, Sapientissimum omnium, quid de Dei correptionibus suspicetur. (*Eccles.* 19.) *Fili noli esse pusillanimis in disciplina Dei; neque deficias correptus ab eo.**

1173 Magnus ille Fidei Zelator S. ATHANASIUS duos Ecclesiastici textus, tamquàm Sacram, & Divinam Scripturam profert, alium *in Epist. de fuga sua*, his verbis. *Et Salomon hunc Sermonem obsignans, ita ait: *Tollentur immaturæ animæ impiorum.** Eccles. 19. (Et *lib. de Virginitate*:) *Ait enim Scriptura Sacra: *Qui attingit picem, inquinabitur, & qui communicat superbo, similis illi efficietur.** Eccles. 13.

1174 S. BASILIUS MAGNUS lib. *Ecclesiasticum*, vt Sacram, & Divinam Scripturam veneratur, siquidem *in cap.* 6. *Isaiæ* hæc habet. * Ait enim Scriptura (*Eccles.* 18.) *Cum consummaverit homo, tunc incipit, &c.**

1175 Et *in Regul. fusiorib. resp.* 17. * Porrò (inquit) hæc ita esse, Sapientissimus Salomon confirmat, his verbis: *Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem Sapiens vix tacitè ridebit.** Eccles. 21. Et *resp.* 104. *omni in re memoria Antistes tenere debet, quid dicant Divinæ litteræ.*

1176 S. EPHREM Syrus *adversus improbas mulieres* adducit *Ecclesiastici* verba, vt Sacræ, & Divinæ Salomonis Scripturę eloquia *Non immeritò dictum est à Sapiente (*Eccles.* 25.) *Brevis omnis malitia super malitiam mulieris.**

1177 S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Orat.* 2. *in Iulianum*, affert vt Sacram, & Divinam Scripturam illud *Eccles.* 11. vt ipse legit: *qui potentes de sedibus deponit, & insuspicabilem diademate ornat.* Et subdit: *Nam id quoque à Scriptura accipio.*

1178 Consonat S. GREGORIUS NYSSÆNVS *de Vitâ Moysis*, sic loquens: *Hoc est, quod Sapientia monet: *Altiora*

te nè quæsieris, & fortiora te né scrutatus fueris. Eccles. 3.*

1179 S. EPIPHANIUS huius libri Scripturam, vt Divinam admittit: ait enim *in Ancorato.** Si verò reprehendit nos Scriptura Divina, dicens: *Quæ tibi præcepta sunt, ea considera.* Ecclesiast. 3.*

1180 S. IOANNES CHRYSOSTOMVS hunc librum, pro Sacra, & Divina Scriptura suscipit, & in illo Divinum Spiritum agnoscit, ait, enim *cap. 6. Genes.* * Sed & hoc, quod postea à Propheta dictum est, prius ipse implebat. *Melior est vnus faciens voluntatem Domini, quàm innumeri prævaricatores.* Eccles. 16.*

1181 Et *Hom. 33. ad Populum Antiochenum:* *Audi (inquit) Scripturàm dicentem: *Sicut qui occidit Filium coram Patre, ita qui offert sacrificium expecuniis pauperum.* Eccles. 34.*

1182 Idque ipsum confirmat *Paræneſi 1. ad Theodorum lapsum* dicens: * Nam *vnus est*, ait Scriptura, *qui extruit, & alter, qui demolitur, quid lucri accedit præter laborem?* Eccles. 34.*

1183 Nec ab hac sententia dissentit S. CYRILLVS ALEXANDRINUS *Hom. quam Ephesi habuit*, vbi sic loquitur: *Quibus rationibus patientia comparetur, id Divina nos Scriptura docet: *Fili* (inquit illa) *accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Eccles. 2.*

1184 Idem sentit S. ANASTASIVS SINAITA, Episcopus Antiochenus *lib. 9. in Hexaëmeron*, dicens: * Si autem adiutrix est mulier, quomodò dicit Scriptura: *Quod vinum, & mulieres separant à Deo?* * *Eccles. 19.*

1185 S. IOANNES DAMASCENVS *orat. 3. de dormitione MARIÆ* citat, vt Divinam Scripturam, textum *Eccles. 3.* his verbis: * Nobis nihil vltra ea, quæ dicta sunt, perscrutari liceat, Scriptura nimirum aliarum rerum indagationem nobis obstruente. *Quæ enim tibi præcepta sunt*, inquit, *excogita: altiora te ne quæsieris.* Eccles. 3.*

1146 Verùm estò prædicti Græci Patres eleganter probent, ac manifestè convincant, prædictum librum esse Scripturam Divinam; id tamen non minoti efficacia suadent Latini Patres.

1187 Primas teneat S. HILARIVS qui *lib. 12. de Trinitate*, ad Fidei Dogmata probanda vtitur, Ecclesiastici libro, tamquàm Scriptura Divina; sic enim habet: *Quòd si ita sentire te, pium est; Paulum impietatis necesse est, Filium ante tempora æterna esse, dicentem condemnes. Etiam ipsam de se testantem Sapientiam, quòd ante sæcula fundata sit, crimineris: quæ Patri aderat, tum cum Cælum præpararet.* *Eccles. 14.*

1188 S. AMBROSIVS *de bono mortis*, prefatum librum, vt Scripturam Divinam suscipit, & illius Authorem fuisse Sacrum Scriptorem admittit, his verbis: *Illud quoque egregium, quod Scriptura ait: *Ante mortem nè laudaveris quemquam.* Eccles. 11.* Et *ad Virginem devotam, cap. 2.* * Non legisti (inquit) Salomonem dicentem: *Bonis bona creata sunt ab initio?* Eccles. 39.*

1189 S. OPTATVS MILEVITANVS *lib. 3. contra Donatistas*, vt Salomonis amplectitur *Ecclesiastici* librum, sic scribens: * Quia illud à Salomone discere noluisti, quod ait: *Abscondе panem in corde pauperis, & ipse pro te rogabit.* Eccles. 29.* Et *lib. 4.* *In auxilium (inquit) eum adduxeras Prophetam, in quo lectum est: *Sacrificium peccatoris, quasi qui victimet canem.**

1190 S. HIERONYMVS, in Sacris Litteris apprimè versatus, *Eccles.* librum Divinum, & à Salomone Scriptore Canonico exaratum veneratus est; nàm *Epist. 33.* hæc scribit: *Divina Scriptura loquitur: *Musica in luctu, importuna narratio.* Eccles. 22.* Et *ad cap. 33. Ezech.* * De Magistris negligentibus Salomon loquitur, *sapientia abscondita, & tesaurus occultus, quæ vtilitas in vtrisque?* Eccles. 20.*

1191 GAVDENTIVS *tract. 13.* vt Divinam Scripturam veretur *Ecclesiastici* librum, dicens: *Loquitur Scriptura Divina: *Conclude eleemosynam in corde Pauperis.* Eccles. 29.*

1192 S. AUGUSTINUS estò *lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 8.* prædictum librum inter Canonicos numeret, nihilominùs pro maiori huius Veritatis confirmatione, præfatum librum vti Scripturam Divinam laudat; etenim *ad Orosium contra Priscillianistas*, ait: *Clamat Sancta Scriptura, *altiora te nè quæ-*

*quæsieris.** *Eccles.* 3.

1193 Et *de cura pro mortuis cap.* 17. *Epist.* 248. vbi ait: * Nec frustra Scriptura dicit *in lib. Eccles. In mortuum produc lacrymas, &c.** *Eccles.* 38.

1194 Hanc sequitur Sententiam S. PAVLINUS, Episcopus Nolanus, quem citat, & sequitur S. HIERONYMVS *cap.* 10. *Epist.* 14. *cap.* 1. sic loquens: *Vetus Scripturę celebrata sententia est, esse pudorem, qui gloriam inveniat, & gratiam; & esse rursus pudorem, qui soleat parere peccatum.** *Eccles.* 4.

1195 S. MAXIMVS TAVRINENSIS *Hom.* 1. *de Eleemosyna*, eumdem librum, pro Scriptura Sacra habet, sic enim loquitur: *Dicit Scriptura Divina: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.** *Eccles.* 3.

1196 S. PROSPER *de Promiss. & prædiction. Dei, part.* 2. *cap.* 35. censet hunc librum Divino, & Prophetico Spiritu insigniri: *In his (inquit) suppleta est Prophetia, dicens: *qui foveam fovet proximo, incidet in eā.** *Eccl.* 27. Et *de Vita contemplativa, lib.* 2. *cap.* 6. idipsum clariùs asseverat, hæc scribens: *Ait enim *in Ecclesiastico* Spiritus Sanctus, *Est correptio mendax in ore contumelioso.** *Eccles.* 19.

1197 SALVIANUS, Massiliensis Episcopus *lib.* 3. *ad Ecclesiam Catholicam*, eidem sententiæ patrocinatur; sic enim loquitur: *Fili* (inquit Scriptura Sacra) *si habes, bene fac tecum, &c.** *Eccles.* 14.

1198 S. FVLGENTIVS *lib.* 1. *de remissione peccatorum, cap.* 12. eumdem librum Scripturam Sacram agnoscit, his verbis: * De talibus *in lib. Ecclesiastico* Scriptura Divina sic loquitur: *Qui baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eum, quid proficit lavatio illius?** *Eccles.* 34.

1199 CASSIODORUS 1. *instit. cap.* 13. inter Canonicos Libros *Ecclesiasticum* quoque recenset. Et *in Psal.* 55. *ex eodem lib.* desumit testimonium ad probandum, quod Deus non decipit in se confidentes, sicut Salomon dicit: *Nullus speravit in Domino, & confusus est. *Eccles.* 2.

1200 S. ISIDORVS Hispalensis *lib.* 6. *Etymolog. cap.* 2. *Ecclesiastici* librum in Canonem Sacrorum voluminum Veteris Testamenti refert.

1201 ALCVINVS magnæ antiquitatis, & Fidei Author, hunc librum esse Scripturam Divinam, haud obscurè indicat; loquens enim de virtutibus, & vitiis *cap. de Pœnitentia*, hæc profert verba: *Dicitur in Scriptura Sancta, *ne adijcias iterum, sed de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur, &c.** *Eccl.* 21. Et *cap. de Castitate*: *Admonet (inquit) nos vtique Sancta Scriptura, dicens: *Post concupiscentias tuas non eas.** *Eccles.* 18.

1202 RABANVS MAVRVS *de institutione Clericorum, lib.* 2. *cap.* 13. hunc librum inter Canonicos enumerat.

1203 S. BERNARDVS librum istum esse Scripturam Divinam apertè innuit: loquens enim *de gradibus Humilitatis* ait: * Cavendum est ideo malum desiderium: quia mors secus introitum delectationis posita est. Vndè Scriptura præcipit dicens: *Post concupiscentias tuas non eas.** *Eccles.* 18.

1204 ANGELICVS DOCTOR 4. *contra gentes, cap.* 8. *Ecclesiastici* librum vt Scripturam Sacram suscipit; siquidem 11. argumento Arianorum, probare conantium, Dei Filium esse creaturam, respondet ex illo *Ecclesiastici* 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum*, & dicit: *Quod ex creatione accipitur immutabilitas Patris, ex Generatione vnitas naturæ in Patre & Filio (& subdit) & sic huiusmodi Scripturæ intellectum Synodus exposuit, vt per Hilarium patet.*

1205 S. AVGVSTINVS docet, hunc librum esse Prophetiam Mysteriorum nostræ Redemptionis: lectu dignissima sunt verba, quibus id asserit *lib.* 18. *de Civitate Dei, cap.* 20. *In Ecclesiastico (inquit) Fides Gentium prædicitur futura isto modo: *Miserere nostri dominator Deus omnium, & immitte timorem tuum super omnes Gentes. Extolle manum tuam super gentes alienas, & videant potentiam tuam, vt sicut coram illis Sanctificatus es in nobis, ita coram nobis, magnificeris in illis, & agnoscant te secundum quod & nos agnoscimus te, quia non est Deus præter te Domine. *Eccles.* 36. Hanc sub optandi, & precandi specie Prophetiam per IESVM CHRISTVM videmus impletam: Sed adversus contradictores, non tanta Au-

tho-

thoritate proferuntur, quæ scripta non sunt in Canone Iudęorum.* Verùm estò hæc Prophetia non sit tantæ Authoritatis apud Iudęos, magnæ certè est apud Ecclesiam Catholicam, quæ eam in IESV CHRISTO agnoscit impletam, eodem Sancto testante.

1206 Præclarè HUGO Cardinalis *Præfatione in hunc librum.* * Hic liber apud Hębræos *Parabola*, apud Latinos, *Ecclesiasticus* appellatur; eo quòd Ecclesiæ sit vtilis, sicut Ecclesiastes. Vndè hanc vtilitatem demonstrans Rabanus, dixit: Ecclesiasticus morum penè omnium disciplinam, & Sanctæ Religionis conversationem affatim, & copiosè describit: dictus autem, *Ecclesiasticus* pro eo, quòd in medio cætu Populi idem coram Ecclesia fuerit habitus. Hic propter nimiam sensus similitudinem, & eloquii pariliratem, Salomonis titulo prænotatur. Constat autem, hunc librum sub Iesu Filio Sirach editum fuisse, & inter reliquos Scripturarum libros pari habitum veneratione.* Hęc ille, *lib. 5. de vniuers. cap. 3.*

1207 Ex tot Sanctorum Patrum, tàm Græcorum, quàm Latinorum testimoniis, suprà adductis, manifestè constat, *Ecclesiasticum lib.* mereri inter Divinos, & Canonicos Veteris Testamenti libros computari; & quamvis daretur aliquis adeó in suo errore pervicax, vt attenta vniformitate, qua tot Sancti Patres, in tàm diversis, tâmque disitis Christiani Orbis Regnis, hunc librum Sacrum esse, & Divinum testantur, adhuc à sua opinione non discederet, is certè calculum reduceret, & de nostræ Assertionis Veritate minimè dubitaret, si Sacra Concilia evolveret; inveniret enim, prædictum librum esse à multis Conciliis, vt Sacrum, & Divinum approbatum, ac vt talem definitum.

1208 Etenim SYNODUS ALEXANDRINA *in Epist. ad Episcopos Ecclesiæ Catholicæ* vtitur *Ecclesiastici* Authoritate, dicens: * Non Athanasii sed illorum acta luctum, lamentationemque merentur. In ipsos enim ploratus congruit, sicut scriptum est: *Ne fleas mortuum.** *Eccles.* 22. Extat *apud Athanas. Apolog. 2. contra Arian.*

1209 CONCILIUM TOLETANVM VIII. *cap.* 10. etiam allegat, vt Scripturam Canonicam, alium *Ecclesiastici* locum, his verbis: * Horrenda voracium ingluvies, dum frœno parsimoniæ adstringitur, Religioni contraire monstratur; Dicente enim Scriptura: *Qui spernit minima, paulatim decidet.** *Eccles.* 19.

1210 CONCILIVM FRANCOFORDIENSE *in Epist. ad Præsules Hispaniæ*, hunc librum reputat Divinum; sic enim scribit: *Item *in lib Sapientiæ*, ipsa dicente Sapientia, id est Filio Dei: *Ego ex ore Altissimi prodiui, &c.** *Eccles.* 24.

1211 CONCILIVM EPHESINUM *ad Synodum Pamphiliæ* scribit, hunc librum esse divinitùs inspiratum: **Cum Cõsilio omnia fac*, dicit divinitùs inspirata Scriptura.* *Eccles.* 32.

1212 Tandèm Sacratissima Concilia CARTHAGINENSE III. ab Apostolica Sede confirmatum, FLORENTINVM, & TRIDENTINVM Summa vniformitate *Ecclesiastici* librum in Sacrarum, & Divinarum Scripturarum Canonem retulerunt. Cum ergo prædictus pro se habeat Supremam Authoritatem, quæ eum vt Divinum, Propheticum, & vt Sacram Scripturam commendat, ac inter Canonicos Veteris Testamenti libros collocat, vt ex Summis Pontificibus, SS. Patribus, tàm Græcis, quàm Latinis, & Sacratissimis Conciliis, tùm Orientalibus, tùm Occidentalibus, latè suprà probavimus, certa omninò, ac pœnitùs indubitabilis nostra reddirur Assertio, adeò, vt oppositum sentire esset nonmodò intolerabilis error, sed etiam expressa Hæresis, vt cum Illustrissimo CANO asseruimus; & quamvis id tantus Pręsul non dixisset, nostram tamen Assertionem esse ab Ecclesia in Conciliis definitam, manifestè ostendit, oppositam esse tamquàm hæresim reiciendam.

1213 Hinc manifestè infertur, quàm immeritò Trullani Concilii Patres, Canone 2. decreverint, vt 84. Canon qui Apostolorum dicitur, & *Ecclesiastici* librum à Catalogo Sacrorum voluminum Veteris Testamenti rejicit, firmus stabilisque maneret. His ergo circa Canonicam *Ecclesiastici* Authoritatem diligenter discussis; videamus nunc An prædicto 84. Canone *Apocalypsis S. Ioannis* à Canonicis Novi Testamenti libris legitimè excludatur.

DE

DE APOCALYPSI.

1214 Quàm meritò debeat *Apocalypsis* in Sacrorum librorum Novi Testamenti Canonem referri, probant Summi Pontifices, clamant Sancti Patres, statuunt Concilia, confirmatque communis Ecclesiæ vsus.

1215 SIXTVS III. *lib. de Castit.* affert, vt Scripturam Sacram, illud *Apocalyp.* 14. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati.*

1216 S. LEO MAGNVS *Epist.* 52. *cap.* 5. allegat vt Scripturam Divinam illud *Apocalyp.* 3. *Tene quod habes, &c.*

1217 ZACHARIAS Pontifex *Epist.* 1. citat, vt Scripturam Canonicam, illud *Apocalyp.* 9. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo.*

1218 NICOLAVS I. *Epist.* 8. *ad Michaëlem Imperatorem* adducit illud *Apocalyp.* 5. *Vicit Leo de Tribu Iuda.*

1219 Prædictis Summis Pontificibus mirificè consonant Sancti Patres, tàm Græci, quàm Latini. Ex Græcis S. DIONYSIVS *de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 3. agnoscit *Apocalypsim*, vt Sacram D. Ioannis Scripturam; eam enim vocat: *Arcanam, & Mysticam Visionē dilecti discipuli.* Et *de Divin. nomin. cap.* 2. adducit illud *Apocalyp.* 1. *Hæc dicit, qui est, qui erat, & qui venturus est.*

1220 S. IVSTINVS MARTYR *in Dialogo cum Tryphone*, veneratur *Apocalypsim*, vt S. Ioannis Apostoli Scripturam, & consequenter, vt librum Sacrum, dicens: * Quoniam apud nos vir quidam Ioannes, vnus ex duodecim CHRISTI Apostolis in revelatione sibi facta prophetavit, Christianos mille annos peracturos esse, &c.*

1221 Hinc factum est, vt cum S. IVSTINVS agnosceret *Apocalypsis* Doctrinam esse Propheticam, & Apostolicam; tàm ipse, quàm alii Commentaria in ipsam ad maius Fidelium commodum, vtilitatemque ediderint, vti gravissimi adstruunt Authores. De eodem Iustino refert EVSEBIVS *in Chronico*; & *De viris Illustribus* etiam S. HIERONYMVS iam credidisse *Apocalypsim* esse Ioannis Apostoli, & eam exposuisse. Sicut idem etiam Eusebius refert id præstasse MELITONEN SARDICENSEM, *lib.* 4. *Histor. cap.* 25. THEOPHILVM ANTHIOCHENVM *eodem lib. cap.* 23. & APOLLONIVM ex eodem libro contra Cataphrygas hæreticos testimonia citasse, dicit *lib.* 5. *cap.* 17.

1222 S. IRENÆVS *Apocalypsim*, vt Sacram, & Divinam, S. Ioanni Apostolo adscribit; siquidem *lib.* 1. *cap.* 27. docet: * Quòd Nicolaitæ pleniſſimè per Apocalypsim Ioannis manifestantur, qui sint.* Et *lib.* 4. *cap.* 37. hæc habet: *Sed & Ioannes Discipulus in Apocalypsi salutarem, & glorioſum regni eius videns adventum: Conversus sum, inquit, videre vocem.* *Apocalyp.* 1.

1223 S. CLEMENS ALEXANDRINVS *variis in locis* allegat textus *ex Apocalypsi*, tam quàm ex Scriptura Sacra. Sic *lib.* 6. *Stromat. cap.* 5. ait: *Et licet hic in tertis talis Presbyter non fuerit Prima Sede honoratus, sedebit in quatuor & viginti Thronis, vt dicit Ioannes *in Apocalypsi.** Et *lib.* 2. *Pedagog.* citat textum *Apocalyp. cap.* 22. dùm dicit: * Ex Sanctis Lapidibus supernā Ierusalem fuisse constructam, accepimus.*

1224 ORIGENES multa adducit *ex Ioannis Apocalypsi* testimonia. *Hom.* 1. *in Exod.* ita scribit: *Quod Ioannes *in Apocalypsi* loquitur de populo hoc CHRISTO credenti: dicit enim (*in cap.* 7.) *Ex tribu Ruben duodecim millia signati.* * *Hom.* etiam 7. *in Ezech.* & *lib.* 1. *Periarch.* non paucos *ex Ioannis Apocalypsi* textus profert.

1225 DIONYSIVS ALEXANDRINVS *apud Eusebium* præclaram de Divino isto *Apocalypsis* libro opinionem concepit; siquidem *lib.* 7. *cap.* 20. hęc scribit: * Ego librum ipsum *Apocalypsis* nullo modo audeo abrogare, præsertim cum adeò multi fratres eum tàm magni ęstiment. Sed hanc mecum de eo opinionem concipio, longè abstrusiorem esse in illo materiam, quàm mens mea facilè consequi queat, & in singulis propè sententiis sensum quemdam Mysteriis involutum, & valdè admirabilem deliteſcere, planè existimo, &c.*

1226 EVSEBIVS *lib.* 3. *Histor. cap.* 19. inter Canonicos Sacræ Scripturæ libros *Apocalypsim* magna commendatione agnoscit: loquens enim de manifestis

Scri-

Scripturæ libris: *Inter istas (inquit) si placet, *Ioannis Apocalypsim* coniiciamus, de qua, quicquid veteres statuerint, aliud erit tempus exponendi. Atque hæc sunt (inquit) quæ omnium asseveratione constanter approbantur.* Et *in Chronic.* Ioannem Evangelistam in Insula Pathmos *Apocalypsim* vidisse, expressè testatur.

1227 S. ATHANASIVS *in Synopsi Divinæ Scripturæ*, contra Arianos, Filium Patri consubstantialem negantes, arguit *ex Ioannis Apocalypsi*, quam in Insula dicta *Pathmos* Ioannem Dominica die vidisse, testatur, ex ea testimonium illud sumit *cap.* 1. *Qui est, & qui erat, & qui venturus est, &c.* ad probandam consubstantialitatem.

1228 DIDYMVS ALEXANDRINVS *lib.* 5. *de Vnica Substantia Trinitatis in Epistola Iudæ*, docet de hæresi Nicolaitarum mentionem factam *in Apocalypsi* per Iezabel, quæ super fornicationem esse describitur.

1229 S. EPHREM SYRVS, vt probet Crucem in iudicio apparituram, CHRISTVMque ad illud venturum, testimonium *ex Apocalypsi* profert, dicens: *De apparitionibus Crucis in tempore Iudicii, Regem Regum venturum scribit Sanctus, *cum potestate, & maiestate multa*; sicut Ioannes prædicavit Theologus, dicens: *Ecce venit cum nubibus; & videbit eum omnis oculus.** *Apocalyp.* 1.

1230 S. GREGORIVS NAZIANZENVS etiam agnovit *Apocalypsim*, vt Sacram Ioannis Scripturam; illius quippè Authoritate vsus fuit *in quodam Concilio, & contra hæreticos*, qui Filii consubstantialitatem negabant: nam *Orat.* 32. *habita coram* 150. *Episcopis*, dicit: *Angelos vocari Ecclesiarum Præsides, quemadmodum *in Apocalipsi* Ioannes docet me.* Et *Orat.* 35. ad probandam Filii consubstantialitatem cum Patre, tamquàm Scripturæ testimonium adducit illud *Apocalyp.* 1. *Qui est, & qui erat, & qui venturus est, &c.*

1231 S. EPIPHANIVS *hæresi contra Alogos* hunc librum vt Divinum, & à S. Ioanne editum admittit, Alogianorum rationes egregiè dissolvens, atque confutans.

1232 S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *in Nativitate S. Ioannis Baptistæ* ad probandam, laudandamque Virginitatem, & eos, qui eam illibatam servarunt, desumit testimonium *ex Apocalypsi*, ita de Virginibus loquens: *Hi sunt*, de quibus *in Apocalypsi* dictum est: *Qui vestem suam non inquinaverunt*; id est, qui carnem suam inviolatam custodierunt.*

1233 S. NYLVS *de Oratione*, *cap.* 69. *Apocalypsim* S. Ioanni attribuit hęc scribens: *Quod *in Apocalypsi* dicit B. Ioannes ferre Angelum Thymiama, vt daret in Oratione Sanctorum, existimo esse gratiam Dei, quam ipse per Angelum operatur.*

1234 IOANNES CASSIANVS *Collat.* 4. *cap.* 29. asserit, Scripturam de tepidis esse loquutam; quod vt probet, adducit illud *Apocalyp.* 3. *Vtinam calidus esses, aut frigidus.*

1235 S. CYRILLVS *de Adorat. in Spirit. lib.* 6. apertè affirmat, *Apocalypsim* à B. Ioanne scriptam, dicens: *Ioannes ille sapiens Apocalypsim descripsit, qui Patrum iudicio comprobatus est.* Et *lib.* 1. *Thesaur. cap.* 5. ante sæcula extitisse probat Verbum Dei, illud adducens: *Qui est, & qui erat, & qui venturus est. *Apocalyp.* 1.

1236 ANDREAS CÆSARIENSIS *in Apocalyp.* vt certum tradit, Authoritatem huius libri esse Canonicam, superfluumque esse, hac de re disceptare, contra communem Sanctorum Ecclesię Patrum consensum; loquens enim de prędicti libri Authoritate: *Supervacaneum est (inquit) differere, contra namque illos viros Patres nostros, Gregorium Theologum, Cyrillum Alexandrinũ, multòque his vetustiores Papiam, & Irenæum, Methodium, & Hippolytum, Divinum, Fideque dignum esse non in vno loco tradidere.*

1237 PROCOPIVS GAZÆVS *in cap.* 47. *Isaiæ*, vt Scripturam Divinam assumit illud *Apocalyp.* 1. *Ego sum primus, & novissimus.*

1238 Hunc autem librum Divinum esse, apertiùs docuit ARETAS CÆSARIENSIS *in Apocalyp.* his verbis: *Quidam veterum, librum hunc alienum dicunt à dictione, & lingua Ioannis dilecti, ipsum ad alium referentes: sed non est ita, siquidem Gregorius Theologus hunc inter germanos, & legitimos libros con-

connumeravit. Sicut me docet, inquit, Ioannis *Apocalipsis.**

1239 SIMEON METAPHRASTES, S. Ioanni Apostolo *Apocalipsim* attribuit, & de S. Antipę Martyrio loquens: * Ioannes (inquit) Apostolus præstantissimus *in Pathmum* Insulam relegatus est, vbi dum magnum CHRISTI martyrum cætum iis, quæ de septem Ecclesiis scripsit, confirmaret: *Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, vbi Satanas habitat, &c.**

1240 Hucusque Græci Patres: deveniamus iam ad Latinos. TERTVLLIANVS ad profligandas hæreses, sese *Apocalypsis* textibus, vt Sacris & Divinis obarmat; præcipuè *lib. de Præscriptionib. cap.* 33. hæc habet: * Ioannes *in Apocalypsi* Idolothyta edentes, & stupra committentes iubet castigare.* Et *cap.* 46. ait: quod istam hæresim Nicolaitarum, Apocalypsis Domini gravissimæ sententiæ Authoritate damnavit, dicendo *cap.* 2. *Odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Idem prętitit *adverſ. Marcion. lib.* 3. *cap.* 13. *& lib.* 4. *cap.* 5.

1241 S. CYPRIANVS Divinæ huius libri Authoritati egregiê patrocinatur; etenim *Epist.* 63. hæc scribit: *A quas namque populos significare, *in Apocalypsi* Scriptura Divina declarat, dicens (*cap.* 17.) *Aquæ, quas vidisti, super quas sedet meretrix illa populi, & turbæ Æthnicorum sunt, & linguæ, &c.** Et *de Exhort. ad Martyr.* adducit illud *Apocalyp.* 3. *Tene quod habes, nè alius accipiat coronam tuam.* Et *de disciplina & habitu Virgin.* illud *Apocalyp.* 17. *Et venit vnus de septem Angelis, qui habebant septem phialas.*

1242 VICTOR PICTAVIENSIS *commentar. in Apocalyp.* hunc librum pro Canonico habet, illumque B. Ioanni Evangelistæ attribuit, ita scribens: *Quando hoc vidit Ioannes, erat in Insula *Pathmos*, &c. Ibi ergo vidit *Apocalypsim*, &c.*

1243 IVLIVS FIRMICVS MATERNUS *de Error. Profanar. Religion. cap.* 20. *Apocalypsim*, vt Sacram, Divinamque admittit, dicens: **In Apocalypsi*, id est, *Revelatione*, quis sit sponsus inveniemus: ita enim scriptum est: *Veni ostendam tibi novam nuptam, vxorem Agni.**

1244 S. HILARIVS, Pictavienſis Episcopus, sacræ huius libri Authoritati præclarè suffragatur, asserens: *Nequaquàm Psalmorum librum, nisi per Fidem Adventus eius, posse intelligi. Ita B. Ioannis *Apocalypsi* (*cap.* 3.) docemur: *Et Angelo Philadelphiæ Eccl-siæ scribe: Hæc dicit Sanctus, & verus.** Et *in Psal.* 3. idem confirmat, dicens: * Esse autem huius infernæ regionis, vastæque abyssi incolas plures, B. Ioannis *Apocalypsi* docemur, cum nullus, nequè in cælo, nequè super terram, nequè infra terram, obsignatum librum dignus repertus est aperire.*

1245 S. AMBROSIVS *in Psal.* 41. Divinam esse huius libri Scripturam haud obscurè indicat, dicens: *Et ideò fortasis Ioanni Evangelistæ Cælum apertum, & albus equus demonstratur, super quem sedebat habens in capite diadema, & in femore suo scriptum nomen: *Rex regum, &c.** Et *lib de Pœnit. cap.* 9. alium Apocalypsis locum, tamquàm ex Sacra Pagina desumptum adducit.

1246 S. PACIANVS, Episcopus Barcinonensis *contra Novatianos* affert illud *Apocalyp.* 2. *Memento vnde excideris, & age pœnitentiam, & opera priora fac.*

1247 S. HIERONYMVS vt Canonicam, Divinamque suscipit *Apocalypsis* Scripturam: *Nos *Apocalypsim* Ioannis suscipimus, nequaquàm huius temporis consuetudinem, sed cęterorum Scriptorum authoritatem sequentes, qui plerumque huius vtuntur testimoniis, non vt interdum de Apocryphis facere solent.*

1248 Et *in Epist. ad Paulin.* egregiè commendat Divinum Spiritum, quo liber iste scriptus est, dicens: * *Apocalypsis* Ioannis tot habet Sacramenta, quot verba. Parum dico, pro meritò voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.*

1249 D. Hieronymo consonat DIONYSIVS ALEXANDRINVS *apud Eusebium, lib.* 7. *Histor. Eccleſiast. cap.* 2. sic scribens: * Admirabilem in singulis capitulis rerum expectationem contineri suspicor: etenim vbi illum non intelligo, altiorem quemdam sensum verbis inesse cogito, neque de illis meo intellectu inquiro, & invenio, sed Fide potiùs acquies-

cens, sublimiora illa, quæ à me intelliguntur, etiam puto.*

1250 RICHARDUS DE S. VICTORE *lib.* 7. *cap.* 12. censent Scripturam *Apocalysis* Evangelicam esse, & Apostolicam; asserit enim: * Librum hunc non solum esse Evangelicum, sed in Evangelica Doctrina sicut vltimum, ita & summum locum obtinere, ac in ipso Sanctam Scripturam, ad modum arboris, cacumen extulisse.*

1251 RVFFINVS AQVILEIENSIS *in Symbol. Apostol.* adducit tamquàm Ioannis Apostoli illud *Apocalyp.* 4. *Et requiem non habebant die, ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, &c.*

1252 S. AVGVSTINVS plurimos profert *ex Apocalypsi* textus, præcipuè *de Virginit. cap.* 27. vbi dicit: Virgines figurari in illis *Apocalypsis*, qui sequebantur Agnum quocunque ibat. Et *serm.* 181. adducit illud *Apocalyp.* 2. *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & opera priora fac.*

1253 Sed clariùs nobis adstipulatur, *lib.* 2. *de Doctr. Christ. cap.* 8. vbi inter alios Canonicos Scripturę Sacræ libros *Apocalypsim* enumerat.

1254 S. PROSPER *de Promissionibus* hunc librum, vt Sancti Evangelistæ Ioannis, Canonicum, & Divinum agnoscit. 1. *par. cap.* 38. vbi hęc habet: * Hos etiam *Apocalypsis* Ioannis Apostoli designat. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.** *Apocalyp.* 7. Et *par.* 2. *cap.* 12. * Admonetur, ait, Ioannes Apostolus *in Apocalypsi*: *Scribe Angelo*, id est Rectori, *Ecclesiæ Pergami.**

1255 S. FVLGENTIVS *lib.* 1. *ad Monimum, cap.* 27. tamquàm Scripturam Sacram profert illud *Apocalyp.* 20. *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris.* Et *lib.* 2. *ad Trasimund. cap.* 15. adducit illud *Apocalyp. cap.* 1. *Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus.*

1256 PRIMASIVS *in Apocalyp.* eam vocat Ioannis Apostoli librum, multis Mysteriis opacatum, ipsamque Commentariis illustrat.

1257 S. GREGORIUS re non minus, quàm nomine *Magnus*, multis in locis *Apocalypsim*, vt Scripturam Divinam allegat. Sic *lib.* 1. *Moral. cap.* 4. adducit illud *Apocalyp.* 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, &c.* Et *lib.* 4. *Dialog. cap.* 42. illud *Apocalyp.* 5. *Nemo poterat, neque in Cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, &c.*

1258 S. ILDEPHONSVS, Archiepiscopus Toletanus, *lib. de Virginit. Mariæ* citat illud *Apocalyp. cap.* 5. *Vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu Throni.*

1259 Præclarè ad hanc rem ANSBERTVS: * Quã magnę sunt Authoritatis, quę in hac Historia (Apocalypsis) narrãtur, hinc liquidò colligitur, quòd is, qui se citò venturum annunciat, id est Dominus IESVS CHRISTVS, testimonium perhibere probatur. Mirandum valdè est, cur apud Oriẽtales, secundum quorumdam sententiam, de hoc Libro dubitetur, ac nequaquam plenæ Authoritatis putetur, maximè cum & fidelis Historiæ Scriptor Ioannes retineatur, & locus, in quo visa fuerit, à quo, & per quem missa, à quo, & per quem revelata, cuiusque testimonio roborata, apertissimè declaretur.*

1260 RABBANVS MAVRVS *Apocalypsim* S. Ioanni Evangelistæ adscribit: vndè eam Canonicam esse, atque Divinam, admittit, *de Instit. Cleric. cap.* 14. sic loquens: * Apocalypsim Ioannes Evangelista scripsit eodem tempore, quo, ob Evangelii prędicationem, in Insulam *Pathmos* traditur relegatus.*

1261 S. PETRVS DAMIANI *Serm. de S. Ioanne Evangelista*, præclarè probat, *Apocalipsim* esse Scripturam Canonicam, & Divinam, ita scribens: *Cum hic liber septem Asię Ecclesiis mittitur, omni vniversali Ecclesiæ, quæ sub septiformi Spiritus Sancti Magisterio regitur, destinatur. Vndè consequens est, vt omnes Ecclesiæ per Orbem terrarum circumfusæ non dubitent, B. Ioannem communem se habere Doctorem.*

1262 S. BERNARDVS *de Epiphan. Dom.* vtitur *Apocalypsis* verbis, tamquàm Scripturæ Divinæ testimoniis: *Si enim (ait) quod offerimus est thuris odoramentum, quo nimirum, vt *in Apocalypsi* Ioannis legimus, significantur Orationes Sanctorum, &c.*

1263 HVGO DE S. VICTORE hunc

hunc librum, vt Scripturam Diuinam, illiusque Authorem, vt sacrum, veneratur *lib. 2. Par. 16. cap. 1.* vbi hæc habet: * Scriptura ait: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Ex Apocalypsi.** Et *lib. 4. Erudit. Didascal. cap. 6.* **Apocalypsim* (inquit) scripsit Ioannes Apostolus *in Pathmos* Insula relegatus.*

1264 RVPERTVS ABBAS tradit, *Apocalypsis* Authorem esse Spiritum Sanctum, illiusque Scriptorem inter Sacros computandum: ad illud enim *Apocalyp. vlt. Ego IESVS misi Angelum meum testificari vobis in Ecclesiis*, hęc habet: * Ac si dicatur: Si huius libri Authoritatem quæritis; ego sum IESVS, Author, & dator *Apocalypsis*. Non est Scriptura hæc à Ioanne principaliter, non est ab homine, neque enim ab homine accepit illam Ecclesia, aut didicit; sed me revelante, qui sum IESVS, & mittente per Angelum meum, vt sicut omnes Scripturæ Diuinæ sunt Authoritatis, ita & scripta hæc testificentur, & recitentur vobis in Ecclesiis, atque in Canonico apice sint.* Hæc ille.

1265 ANGELICUS DOCTOR *Prolog. in Ioan. Apocalypsim* inter Sacras, & Canonicas Scripturas recenset, dicens: *Nam post omnes alios libros Sacræ Scripturæ hoc Evangelium est scriptum. Cum enim Canonica Scriptura incipiat à libro Geneseos, & terminetur *in Apocalypsim*. Evangelium istud scriptum fuit, postquam Ioannes revocatus est à *Pathmos* Insula Asiæ, vbi, ad præces Episcoporum Asiæ, hoc scripsit Evangelium.*

1266 At B. ALBERTVS MAGNVS *Prolog. in Apocalyp.* satis peritè, & doctè dirimit controversiam, quàm absque vllo prorsus fundamento aliqui exagitabant, hunc librum S. Ioanni Apostolo denegantes, aliique immeritò ascribentes, quibus sic Sanctus occurrit: *Sed dicendum ad hæc, sicut definiendo dicit Dionysius, quòd inter Diuinas Scripturas reponendum est hoc opus: & si non intelligit, tamen veneratur: vndè dicit: Non reprobo, quod non intelligo: sed tantò magis admiror, quantò non intelligo.

1267 Hieronymus etiam (prosequitur) inter Scripturas Canonicas ponit, & vt Ioannis Apostoli recipit, & dicit *in Epist. ad Paulin.* *Apocalypsis* Ioannis tot habet Sacramenta, quot verba; & pro merito voluminis laus omnis inferior est. Item tota Ecclesia recipit hunc librum, vt Ioannis Apostoli, & ideò hoc tenendum est pro constanti.*

1268 Nec omitti potest S. EPIPHANIVS, qui *Hæres. 51.* apertè asserit, ea, quæ *in Apocalypsi* scripsit Ioannes, ipsi fuisse à Spiritu Sancto dictata: *Quę in lege, & Prophetis obscura erant, & in ænigmate dicta, ea Dominus dispensavit, vt per Spiritum Sanctum ad nostram salutem seruo suo Ioanni revelarentur, quæ illic obscura erant; hic enim spiritualia, ac manifesta prædicans, spiritualiter autem nobis eadem dispensans.*

1269 Nec obstat illa huius libri inscriptio: *Ioannis Theologi*; idem enim Apostolus & *dilectus* CHRISTI, per Anthonomasiam, *Theologus* similiter dictus est, iuxta communem Sanctorum Patrum Sententiam, & patet ex S. ATHANASIO *Orat. contra Idololat.* S. CYRILLO *lib. 3. de Trinit.* & D. AVGVSTINO *Tractat. 36. in Ioan.*

1270 Pro huius veritatis confirmatione animadvertenda est S. DIONYSII Areopagitæ Authoritas Apocalypsim S. Ioanni Evangelistæ attribuentis, sicque non obscurè asserentis, illius Authorem Sacrum esse, ac Diuinum; vt videri potest *in* eiusdem Sancti Dionysii *Epistola*, cuius inscriptio, sic se habet: *Ioanni Theologo, & Evangelistæ *in Pathmos* Insula relegato.* *In Epistola*, hęc, inter alia, scribit Dionysius: *Nos autem nulla procella, nulla adversitas privabit Ioannis clarissimo radio, id quidem consequuturos memoria, ac renovatione tuæ vetissimæ Theologiæ.* Est autem hæc *Epist. 10.* in ordine Epistolarum S. Dionysii, cuius esse legitimum fœtum, ostendit METAPHRASTES *apud OEcumenium in Ioannem.*

1271 Nec silentio prætereundus Prologus à GILBERTO Apocalypsi præfixus, qui tantam æstimationem consequutus est, vt meruerit à B. Alberto Magno, Hugoneque Cardinali commentariis illustrari. *In hoc* ergo *Prologo* hæc inter alia scribit Gilbertus: *Propterea videns Deus Pater tribulationes, quas passura erat Ecclesia, ab Apostolis fundata supra petram CHRISTVM, vt minus ti-

meantur, disposuit, vnà cum Filio de Spiritu Sancto ea revelare. Revelavit autem tota Trinitas CHRISTO secūdum Humanitatē, CHRISTVS verò Ioanni per Angelum, Ioannes Ecclesię. De qua revelatione hunc librum composuit. Vndè, & liber iste *Apocalypsis* dicitur, id est, *Revelatio*; quia hìc continentur, quæ Deus revelavit Ioanni, & Ioannes Ecclesiæ, quanta scilicet Ecclesia passa sit in tempore primitivo, & nunc patiatur, & novissimis temporibus Antichristi passura sit.* Quibus verbis manifestè ostendit prædictus gravissimus Author, *Apocalypsim* esse revelationem D. Ioanni à CHRISTO factam, sicque indubitanter debere, hunc librum inter Canonicas Scripturas connumerari, vt idem Author, hisce verbis asseverat: * Ideò iste liber inter reliquas Scripturas Novi Testamenti, Prophetiæ nomine censetur, quę aliis est excellentior Prophetiis. Sicut enim Novum Testamentum præstat Veteri, Evangelium legi: ita hæc Prophetia Prophetiis Veteris Testamenti, quia de CHRISTO, & Ecclesia, magna ex parte iàm adimpleta Sacramenta denunciat.*

1272 B. ALBERTVS MAGNVS elucidans illa verba: *Ideó iste liber, &c.* hæc habet: * Undè Aymo (Antiquissimus, & Eruditissimus Author) Tanta est distinctio inter hanc Prophetiam, & eam, quæ antè Adventum Domini revelata est, quanta est differentia inter servum, & Dominum, inter Legem, & Evangelium, inter hominem, & Deum.*

1273 Nec obstat instantia, *apud Magnum Albertum, loco citato* sic efformata: Si Prophetia hæc præstat aliis: ergo Ioannes præstantior fuit omnibus Prophetis; quod opponitur Glosę *in principio Psalterii*, dicenti, Davidem fuisse Prophetarum eximium. Et *Deuteron.* 33. dicitur: *Non surrexit Propheta in Israel sicut Moyses.* Tandèm opponitur D. Hieronymo *in Isaiam* scribenti: quòd Isaias non tàm Propheta, quàm Evangelista dicendus sit.

1274 Non, inquam, obstat; prædictæ namque instantię ita satisfacit idem Albertus: * Ioannes præstantior fuit omnibus Propheris Veteris Testamenti, quia Propheta fuit Novi Testamenti, & dictorum profunditate, & revelantis Authoritate, & ipsius Dignitate; fuit enim Apostolus, & omnes Apostoli maiores Dignitate antiquis Prophetis. Undè Hieronymus *in secundo Prologo Bibliorum*: Confidenter illis omnibus Apostolos præfero.* Verùm omisso Commentario, quem *in hunc Prologum* edidit B. Albertus, ipse *in suo Commentario, Cap.* 1. optimè expendit, quàm Divinus sit hic liber, quem, vt Canonicum interpretatur; & ad illa verba: *Apocalypsis IESV CHRISTI*; hæc habet: **Apocalypsis*, id est *Revelatio*; Nota, *Apo* Græcè idem est quòd *de* Latinè; & *clypsè* Græcè, *tectio* Latinè. Undè *Apocalypsis* idem est, quod *detectio*, vel *revelatio*. Hæc est (suple) IESU CHRISTI, id est, quam Trinitas revelavit IESV CHRISTO secundum Humanitatem, vel IESU CHRISTI, id est, quam IESVS CHRISTVS revelavit Angelo, & Angelus Ioanni; & in hoc vitat Ioannes arrogantiam, quia non suam, sed IESV CHRISTI dicit esse revelationem.*

1275 Præter relatos autem Authores, tàm Græcos, quàm Latinos antiquitate valdè venerabiles, Sanctitateque conspicuos; vt agnoscatur, Ecclesiam omni semper tempore abundasse viris Divinarum Scripturarum intelligentia, Sacræque Historiæ eruditione apprimè ornatis, atque instructis, qui Hæreticorum, tàm antiquorum, quàm recentiorum incursibus semper obstiterunt, *Apocalypsis* librum, vt Sacrum, & Canonicum venerantes, non possumus, non hìc aliquos Authoritate insignes, eruditioneque eminentes in medium producere.

1276 HVGO CARDINALIS *Prologo in Apocalypsim*, vti certum constituit, librum hunc esse Scripturam Sacram, eiusque Scriptorem S. Ioannem Apostolum extitisse, his verbis: * Undè Hieronymus *in Prologo Bibliæ*, *Cap.* 8. ait: *Apocalypsis* Ioannis, tot habet Sacramenta, quòt verba::: Undè inter cæteros Sacræ Scripturæ obscurior est liber iste; plus etiam quàm Prophetę; quia eorum Scripturæ pro magna parte iam impletæ sunt; istius verò quasi tota, vel pars maxima futura est.* Et paulò inferiùs hæc addit: *Quis autem sit Author iàm patet, quia Ioannes Apostolus, non solum Apostolus, imò & Propheta.* Et infra: * Totus ergo liber iste Prophetia est, consolans bonos, & deterrens malos.*

Et

1277 Et *infrà*: * Quidam enim dixerunt, hunc librum non esse Ioannis Apostoli, sed Chærinti ipsius æmuli: alii etiam dixerunt, quòd fuit Ioannis, non Apostoli, sed alterius Sancti, sic dicti: sed Dionysius definiens, dixit, quod censet, hunc librum esse inter Divinas Scripturas reponendum; quem si non intelligit, tamen veneratur. Undè dicit: Non reprobo, quę non intelligo: hoc est etiam contra illos, quia ipsum recipit, & Hieronymus, & Ecclesia, vt Ioannis Apostoli.*

1278 Cardinalis BELLARMINVS *de Verbo Dei, cap. 19.* * *Apocalypsim*, inquit, Ioannis, ex antiquis hæreticis Marcionistæ respuebant, teste Tertulliano, nec non Alogiani, & Theodosiani, teste Epiphanio, *Hæres. 21. & 54.* Et Luthetus *in Prologo.**

1279 Et *infrà*: * Nec defuerunt olim Catholici, qui de huius libri Authoritate, vel Authore dubitaverint. Verumtamen *Apocalypsim*, tum Ioannis Apostoli verum esse fœtum, tum librum admirabilem, ac diviniſſimum esse, facilè probare possumus. Primò ex Conciliis, deindè ex Patribus Græcis, vltimò ex cõmuni Latinorum consensu.*

1280 Eamdem tenet sententiam Cardinalis BARONIUS *ad annum* CHRISTI *97. num. 4.* sic scribens: * *Apocalypsim*, sicut alios complures Divinæ Scripturæ Canonicos Libros, cùm Cerdonius, Marcion, & Alogiani hæretici impugnarunt, tùm etiam complures Antiquarum Ecclesiasticarum rerum Scriptores in controversiam adduxerunt; an ab ipso Ioanne Apostolo scripta fuerit. Vetùm temeritatem, atque procacitatem Cerdonis, & Marcionis eam omninò improbantium, cùm alii plures, tûm Epiphanius de his vberiùs agens, refellit.* Relataque D. Hieronymi Authoritate, quàm suprà adduximus, sic prosequitur: *Cuius sententia duo hæc affirmari videntur: in primis Veteres Scriptores Ioannis *Apocalypsim*, vt Canonicam Scripturam probasse. *

1281 Et *paulò infrà*: Certè verum esse probatur, tàm Græcos, quàm Latinos Patres, qui sæculum S. Hieronymi præcesserunt, eamdem Apocalypsim inter Scripturas Canonicas adnumerasse.*

1282 Vetùm quamvis hucusque dicta luculenter probent, *Apocalypsis* librum esse Canonicum, cum ita statuant Summi Pontifices, teneant Sanctissimi Ecclesiæ Patres, tàm Græci, quàm Latini, tradantque maioris Fidei in Sacra Historia Authores, tàm antiqui, quàm recentiores; luculentiùs tamen adhuc idipsum ostendit Authoritas Conciliorum, quæ & hanc veritatem expressè definierunt, & prędictum librum in Sacrarum Scripturarum Canonem retulerunt.

1283 Sic CARTHAGINENSE 3. *Apocalypsim* inter Canonicas Scripturas recensuit. ANCYRANUM *anno Domini* 314. in Galatia celebratum, & à Generali Nicæna Synodo approbatum, *Can. vlt.* ex hoc libro testimonium desumpsit. NICÆNVM II. hunc librum sub Ioannis nomine allegavit; & ROMANUM *sub Gelasio* 1. *Apocalypsim* inter Sacros, & Canonicos Libros constituit.

1284 CONCILIUM TOLETANUM 4. *anno 633.* habitum, cui præfuit S. Isidorus *Can. 17.* hæc habet: * *Apocalypsim* librum, multorum Conciliorum Authoritas, & Synodica Sanctorum Præsulum Romanorum Decreta, Ioannis Evangelistæ esse præscribunt, & inter Divinos Libros recipiendum;* quin & ibi ab hoc veritatis tramite deviantes excommunicationis sententia feriret.

1285 Tandèm TRIDENTINUM *anno 1560.* celebratum, *sess. 4.* cum quinam essent pro Canonicis libris habendi, summa diligentia fuerit perscrutatum, eorum tàm Veteris, quàm Novi Testamenti Catalogum texuit, & *Apocalypsim* Ioannis Apostoli, vltimum inter Novi Testamenti Canonicos libros admisit, quod hoc Decreto firmavit: * Si quis autem libros ipsos integros (prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt) pro Sacris, & Canonicis non susceperit, Anathema sit.*

1286 Si autem aliquis, pro maiori prædictę veritatis munimine, scire desiderat, quamnam apud antiquos Authores opinionem præfatus *Apocalypsis* liber obtinuerit, & an ab eis inter Canonicos fuerit reputatus, consulat celebriores Authores, qui exactiorem Sacrorum Librorum Indicem ediderunt, invenientque S. AVGUSTINUM, qui *anno 400.* floruit *lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 8.* omnium Sacrorum Librorum Catalogum scribere, atque Esdram, Tobiam, Iudith, Sapientiam,

tiam, Ecclesiasticum, & *Apocalypsim* inter Canonicos connumerare.

1287 Inveniet etiam INNOCENTIUM I. qui *anno* 406. enituit, id ipsum præstitisse *in suo Canonicorum librorum Catalogo*, *Epist. ad Exuper. Tholosan. cap.* 7. sic scribentem: * Qui libri recipiantur in Canone Sanctarum Scripturarum; brevis annexus ostendit; * ibique omnes sex relatos libros comprehendit.

1288 GELASIUS PONTIFEX, qui *anno* 490. viguit, *in Concilio* 70. *Episcoporum*, *Tom.* 2. *Concilior. in Decretis*: * Ordo, inquit, Librorum Veteris, & Novi Testamenti, quem Sancta, & Catholica Romana suscipit, & veneratur Ecclesia, &c.* Inter illos autem, sex relatos enumerat.

1289 ALCIMVS AVITVS *circa annum* 500. *lib. ad Sororem, de Consolatoria Castitatis laude*, Sacrorum Voluminum numerum Latino carmine cecinit, sexque prædictos in illo includit.

1290 CASSIODORVS, haud vulgaris inter Scriptores Authoritatis *ad an.* 540. *lib.* 1. *Divinar. Institut. cap.* 13. dum Canonicorum Librorum numerum proponit, præfatos sex recenset.

1291 S. ISIDORVS HISPALENSIS *anno* 620. *lib.* 6. *Ethymolog. cap.* 1. Omnium Sanctorum Librorum Indicem scribit, atque in eo, sex prædictos collocat.

1292 RABBANVS MAVRVS *anno* 840. *de Instit. Cleric. lib.* 2. *cap.* 53. in suo Catalogo Canonicorum Librorum Veteris, & Novi Testamenti, sex supra recensitos enumerat, sic concludens: * Quorum omnium signaculum est Apocalypsis Ioannis, quod est Revelatio IESV CHRISTI, qui omnes libros & tempore concludit, & ordine. Hi sunt libri Canonici Septuaginta duo. Ob hoc & Moyses Septuaginta elegit Presbyteros, qui Prophetarent; ob hoc & IESUS Dominus noster Septuaginta duos Discipulos prædicare mandavit.*

1293 THEODULPHVS, Aurelianensis Episcopus, qui vixit *anno* 850. Canonicorum librorum numero, quem Latino carmine edidit, omnes sex illos adscribit, quos prędictus 84. *Canon*, qui Apostolorum dicitur, & â Trullana Synodo approbatur, excludit.

1294 SMARAGDVS ABBAS *anno* 950. *ad cap.* 9. *Regulæ S. Benedicti*: * Codices (inquit) legantur Divinę Authoritatis, tàm Veteris Testamenti, quàm Novi, id est, quinque libri Moysis, &c. (Sexque prædictis inter Canonicos insertis, concludit:) Actus Apostolorum, & Apocalypsis.*

1295 IVO, Carnotensis Antistes, *anno* 1100. *in Decret. Par.* 4. *cap.* 61. agens de ordine librorum Veteris, & Novi Testamenti, in eorum numero *Apocalypsim*, sicut & alios quinque, supra relatos, reponit.

1296 GABRIEL, Patriarcha Alexandrinus *anno* 1595. *in Confessione Fidei*: * Suscipio (inquit) omnes libros Canonicos, quos suscipit Sancta Romana, & Catholica Ecclesia. Sunt verò inter alios, Esdrę 1. & 2. Tobias, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiasticus, & tandèm *Apocalypsis* Ioannis Apostoli.*

1297 Hinc iam mirum videri non debet, nos constanter asserere, tamquâm Catholicum Dogma tenendum, prædictos sex libros, Esdræ nempè, Tobię, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & *Apacalypsis*, Canonicos esse & Sacros. Quo ad *Apocalypsim* enim, quæ præcipuus est huius controversiæ scopus, rectè id ostendit, ac eleganter probat magnus ille Sacrarum Litterarum interpres, CORNELIVS A LAPIDE *Prolegom. in Apocalyp. quæst.* 1. vbi hanc statuit conclusionem: * Dico 1. *Apocalypsis* est Scriptura Canonica. Est de Fide, vt patet ex Decreto Concilii Romani sub Damaso, Florentini, &c. * Laudatisque pro hac Assertione aliquibus Authoribus, antiquitate illustribus, subdit: * Hi enim omnes in eo nominant, & collocant *Apocalypsim*. Quo circa veteres *Apocalypsim* citant, vt librum Canonicum.*

1298 Idem censet Doctissimus SYLVEIRA *in Apocalyp. quæst.* 2. *n.* 6. dicens: * De Fide est *Apocalypsim* veram, & propriam esse prophetiam.* Eamdemque sententiam eruditè propugnat DOMINICVS A S. TRINITATE *lib.* 3. *sect.* 1. *Tom.* 1. sic scribens: * Dicendum est 1. *Apocalypsim* esse librum Canonicum: est de Fide. * Quod & probat ibidem eleganter.

1299 Verùm non modò Catholica Fide tenendum est, prædictos libros esse Canonicos; sed etiam dicendum, oppositum esse intolerabilem errorem, imò & hæ-

hæresim. Id eleganter tradit Illustrissimus Canariensis Antistes MELCHIOR CANO *lib. 2. de locis cap. 9.* vbi pro 2. conclusione statuit, quòd excludere à Canonicorum librorum numero Tobiam, Iudith, Sapientiam, & Ecclesiasticum, est erroneum, nè dicam hæreticum. *In* 5. verò *Conclusione*, sic de *Apocalypsi* loquitur: * Librum Apocalypsis à Canonicis excipere, hæreticum est.* Vtramque autem Conclusionem multiplici Conciliorum, Sanctorumque Patrum eruditione, ac communi totius Ecclesiæ vsu exornat.

1300 Nec prætereri debet, pro maiori huius veritatis confirmatione, quod expendit præclarus ille Sacrarum Litterarum interpres SIXTUS SENENSIS, Ordinis Prædicatorum, *in Bibliotheca Sancta*, *in Annotationibus circa Sacros libros*, vbi inter varias hæreses, quas eruditissimè impugnat, decimam, quæ est de *Apocalypsi* Ioannis Evangelistæ, hisce proponit verbis: * Hæresis decima, Apocalypsim nec esse Ioannis Apostoli, nec inter Canonicas Scripturas recipiendam,* relatisque huius hæreseos Authoribus, ac fundamentis, quibus innituntur, propositis, sic in illos solita eruditione insurgit *lib. 7. hæres. 10.* *Adversus istorum temerarium errorem pugnant vetustissimorum Patrum testimonia, Conciliorum determinationes, ac totius Catholicæ Ecclesiæ Authoritas * latèque roborata Conclusione concludit:* Voluimus vtique ostendere, eum (videlicet *Apocalypsis* librum) per cunctas Patrum successiones, ab ipso statim nascentis Ecclesiæ primordio, vsque ad nostra tempora fuisse semper, tamquàm verum, & legitimum Ioannis Apostoli, & Evangelistę opus, in numero Sacrorum Voluminum receptum.*

1301 Nec omittendam duximus censuram, qua librorum istorum Authoritatem commendat Eruditissimus Vir THOMAS MALVENDA, Ordinis Prędicatorum, Sacræ Scripturę intelligentia egregiè excultus; nàm *Prologo in Sapientiam*, de hoc libro loquens: * Sapientiæ (inquit) Scripturam esse Canonicam, & Divinam, iâm ipsa Ecclesia decrevit.*

1302 Quod confirmat Eruditus CERVANTES commentar. *in Sapient. quæst. 2. in 1. Asserto*, hęc scribens: *Liber hic Sacer, Canonicus, ac proindè Divinę Authoritatis est, à Salomone Spiritus Sancti afflatu, & illuminatione conscriptus: nam in primo Canone Sacrorum librorum relatum promunt decem Concilia, Carthaginense, Florentinum, Valentinum, Toletanum, Tridentinum, Sardicense, Triburiense, Pistense, Parisiense, & Nicænum.*

1303 Alios autem libros, Tobiæ nempè, Iudith, Sapientiæ, & Ecclesiasticí, à Sacrorum Canone excludere, impium, hęreticumque reputat MALVENDA *Prologo in librum Tobiæ*, his verbis: *Cæterum, & Tobiam, & Iudith, & Sapientiam, & Ecclesiasticum, & primum, & secundum Machabæorum, libros esse Divinos, & Canonicos, Spiritu Sancto dictante conscriptos, ad confirmanda, & stabilienda Fidei Catholicæ fundamenta, & Dogmata, Divina, & æterna Veritate Verbi Dei subnixos, in tanta iam Ecclesiasticorum Decretorum, ac Definitionum luce, in tàm luculentis doctissimorum hominum demonstrationibus, qui refragatus fuerit, est palam impius, hæreticus, & Ecclesię Dei perduellis. Id semel adnotatum esto: Nemo quantumvis ingenio, & Authoritate pollens, Ecclesiæ Catholicę præscribat.*

1304 Tandèm circa *Apocalypsim* omni animadversione digna est censura, qua S. EPIPHANIVS, apud *Dominicum á S. Trinitate, loco suprá laudato*, inter hęreticos recenset eos, qui Sacram Ioannis *Apocalypsim*, tamquàm Canonicam suscipere renuunt.

§. IV.

ARGVMENTVM, QVO PRObari poterat, ex Can. 84. Apostolorum sex prædictos libros esse à Sacrarum Scripturarum Catalogo expungendos, diluitur.

1305 EX Suprema Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, Sanctorumque Patrum Authoritate; ac vnanimi totius, tàm Orientalis, quàm Occidentalis Ecclesiæ, consensu, superioribus §.§. expenso, manifestè infertur, prædictos libros Esdræ, Tobię, Iudith, Sapientię, Ecclesiastici, & Apocalypsis, esse pro Canonicis, Diviniſque

que susceptos, atque in Sacrorum Librorum Catalogo tanta infallibilitate relatos, vt gravissimi Authores existiment, id esse de Fide, & oppositum tamquàm impium, & hæreticum nullatenùs sustinendum; ac per consequens nullo modo posse hos libros Catholicè rejici, cum illos tot Summorum Pontificum, & Conciliorum Authoritas, Divinos prædicet, ac proponat.

1306 Nec obstat, Canonem Apostolorum 84. prædictos sex libros inter Canonicos, quos ibi recenset, non includere, quod & secundus Trullanæ Synodi Canon confirmat, vndè à Sacrarum Scripturarum Catalogo videntur rejiciendi. Non, inquam, obest; propterea enim multi, gravissimique Authores, tàm prędictum Canonem 84. Apostolorum dictum, quàm 2. Trullanum, suppositicium, Apocryphum, nulliusque roboris esse, non sine magno fundamento affirmant.

1307 Præclarum huic solutioni fulcimentum suppeditat Cardinalis BARONIVS *ad an.* 102. *num.* 16. vbi de hoc 84. Apostolorum Canone loquens, hæc scribit: * Quod item ad eumdem Canonem spurium spectat, taceo in præsentiarum dicere de Sacris Libris Veteris Testamenti, vt Esdræ, Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, & Ecclesiastici, qui omnes eo Canone omittuntur. *

1308 Consonat SEVERINVS BINIVS *in Notis ad Canones Apostol. Tom. 1. Concilior.* his verbis: *Sexta Universalis Synodus de numero horum Canonum nihil definivit. Allegatus sub nomine VI. Synodi Canon. 2. est illegitimi Conciliabuli potiùs, quàm Concilii; nam vera VI. Synodus, vt patet Actione 4. & 5. Concilii Nicæni 2. nullos Canones edidit. Centum autem, & duo illi, qui sub huius nomine editi sunt, Sexta iam absoluta, ab Episcopis, post annos aliquot, tempore Iustiniani Constantinopolim reversis, in Palatio quod dicitur *Trullum* constituti sunt, & à Sergio Pontifice, qui tunc sedebat, reprobati.*

1309 Et *infrà*: * Accedit, quòd hoc Canone, Libri Veteris Testamēti hi Esdræ, Iudith, Tobię, Sapientię, & Ecclesiastici omittantur; qui tamen ab antiquissimis Patribus Dionysio, Irenęo, & cæteris inter Sacros Libros citantur, ac numerantur::: Si vrgeas Canonem secundum VI. Synodi, quo 85. Canones recepti esse dicuntur: Respondeo, sicut supra dixi, Canonem obiectum spurium esse, & illegitimum, vt qui editus sit à Conciliabulo Trullano, non autem à VI. Synodo* Hæc ille.

1310 Eruditus BAILIVS, Parisiensis Doctor *in Collectan. Concilior. Tom. 1. in Notis ad hunc Canonem Apostolorum*: * Hìc Canon (inquit) Apocryphus est, & subreptitius, tùm quòd contra omnium Conciliorum, & Patrum communem sententiam, Sancti Ioannis Apocalypsim à Græcis reiectam, ab vniversa autem Ecclesia, à multis, & antiquissimis Conciliis, ac Patribus receptam, eidem Sacrę Scripturæ Canoni adimat: Similiter, & libros Veteris Testamenti, Esdrę, Iudith, Tobię, Sapientiæ, & Ecclesiastici, qui inter Sacros ab antiquissimis Patribus citantur, ac numerantur. *

1311 P. CABASSVTIVS *in Notitia Concilior. edita Lugduni, anno* 1680. de his Apostolorum Canonibus loquens, censet 50. Canones sub nomine Apostolorum, è Græco fuisse in Latinum translatos à Dionysio Exiguo, elapsis 32. annis à prohibitione, qua Gelasius Papa librum inscriptum, *Canones Apostolorum* interdixerat; posteà verò prodiisse aliam Collectionem Isidori Mercatoris, qua sub Apostolorum nomine 84. Canones continebantur, cui sese opposuit Cardinalis Humbertus Leonis IX. apud Græcos Legatus, qui libro Nicętæ Græci Schismatici respondens, asseveravit: * Apocryphos esse Apostolorum Canones, exceptis quinquaginta. *

1312 Nec ab hac sententia discedit P. M. NATALIS ALEXANDER *in Eccleśiast. Hist. Sæc. 1. p. 2. Dissert.* 17. de hoc namque 84. Apostolorum Canone loquens, hęc habet: * Præterea Canon ille expungit à serie librorum Canonicorum librum Sapientiæ, & libros Tobię, Iudith, Ecclesiastici indictos prętermittit, quos Vetus Ecclesia pro Canonicis habuit, ex Apostolorum vtique Traditione, vt patet ex Decretis Innocentii I. *in Epist. ad Exuper.* & ex Gelasio Pontifice Maximo in Synodo Romana. Denique Esdram inter Veteris Testamenti libros, nec Apocalypsim inter Libros Novi Testamenti memorat hìc Canon: ergo falsò Apostolis affixus est. *

1313 Ex his manifestè infertur, quàm

levis

levis ponderis sit argumentum, ex prædicto 84. Apostolorum Canone desumptum, ad prætatos sex libros ex Canone Scripturarum expungendos, contra communem Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ sensum: contra quorum etiam communem sententiam tertium Machabæorum librum inter Canonicos admittit; quem non contemnendum errorem adductis Authorum sententiis repellendum aggredimur.

DE TERTIO MACHABÆORVM LIBRO.

1314 In primis Cardinalis BELLARMINUS *de Scriptoribus Ecclesiast.* Agens de horum librorum Authore: * Libri (inquit) Machabæorum, vltimi sunt inter Sacros Libros Veteris Testamenti. Sunt autem duo libri: nam duo alii inter Apocryphos numerantur. *

1315 Eruditissimus Episcop. CANO *de locis lib. 5. de Authorit. Concilior. cap. vlt.* afferens rationes, quibus induci potuit Pontifex Sergius, nê Trullanos Canones cõfirmaret, non obstante importuna instantia Iustiniani Imperatoris, sub quo prædictum Conciliabulum congregatum fuerat, invehitur in Patres, qui hos Canones efformarunt, & inter alios errores, quos ipsis objicit, vnus est, quod *tertiũ Machabæorũ librum* in Sacrarum Scripturarum Canonem, contra communem Ecclesiæ sensum, retulerint. * In Canone (inquit) secundo suscipitis, & confirmatis 85. Canones Apostolorum: hos Sedes Apostolica non recipit, vt Author est Isidorus *16. Dist. cap. Canones.* Id quod cum ex Leone IX. *cap. Clementis ead. Dist.* ostẽdi potest; tum verò magis ex Gelasio 15. *Dist. cap. Sancta Romana.* Cur autem Sedes Apostolica probet 84. Canonem, quem vos probatis, vbi tres Machabęorum libri contra omnium consensum Ecclesiarum admittuntur? *

1316 Illustrissimus COVARRVVIAS *lib. 4. variar. cap. 14.* * At duo tantum (inquit) Machabæorum libri, primus scilicet, & secundus, recipiuntur inter Canonicos in Concilio Carthaginensi tertio, in Concilio Florentino, &c. qua ratione de his duobus libris Machabæoram disputandum non est: reliqui Canonici non sunt censendi. *

1317 EPISCOPVS CAVRIENSIS *lib. 4. Evangelicar. Institut. cap. 3.* * Machabæorum (inquit) libri primus, & secundus, in Canonem recepti sunt ab hinc mille, & ducentis annis, vt Augustinus est Author 18. *de Civitate Dei.* (Et *infrà*:) Alii verò duo libri Machabæorum, nempé tertius, & quartus, qui hoc tempore prioribus additi circumferuntur, prorsus Apocryphi sunt; verùm Machabęi non generis, & nominatione, sed casu dicti fuerunt. *

1318 IOSEPHVS STEPHANVS, Valentinus, Episcopus Oriolen. *in Prolegom. ad libros Machabæor.* hanc difficultatem exagitans: * Sed tertius liber (inquit) & quartus inter Apocrypha scripta enumerandi sunt, cum à nullo Concilio Generali approbati fuerint, sed totius Ecclesiæ consensu, à Sacrorum serie librorum excluſi, & expuncti. *

1319 Episcopus TENA *lib. 2. Isag. Sacræ Script. Diffic. 16.* de tertio, & quarto Machabęorum libris loquens: * Cum tale (inquit) Decretum non adsit, nequè sit adhuc res ita discussa; hinc est, quòd pro Canonicis nondum habentur. Ad illud autem de Canone 84. Apostolorum, vbi tres libri Machabæorum recensentur. Respondeo primò, quòd isti Canones non sunt recepti, vt libri Canonici; quia non constat certò, fuisse editos ab Apostolis. Secundò dico, nonnullos fuisse additos à Græcis, quorum vnus ille 84. censeri potest, cum tantum duos libros priores Machabæorum, vt Canonicos Ecclesia recipiat, & ibi ponantur tres. *

1320 DOMINICVS GRAVINA *de Cathol. Præscript. lib. 4. controvers. 3.* Quartum argumentum proponit in hunc modum: * Tertius liber Machabæorum inter Apocryphos recensetur; & tamen in 84. Canone Apostolorum inter Sacros numeratur. Ibi enim dicitur, quòd inter cęteros Canonicos sint venerandi Sacri libri de Machabæorum gestis tres. * Cui argumento respondet: * Illum Canonem suppositititium esse, qui ordine 84. enumeratur: germani enim Canones Apostolici 70. vel 60. vt alii legunt, à Zepherino Papa *Epist. 1.* numerantur, qui Apostolorum temporibus proximus, eorum Doctrinę, & Canonum conscius esse poterat. Evidens autem istius suppositititii fœtus argumentum est, quòd quidam libri certissimè Canonici, in eodem Canone omittuntur, vt est Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici,

Apocalypsis, quos Canonicos esse, Apostolica Traditione cognovimus::: Impossibile ergo est, illum esse Canonem Apostolicum Traditioni Apostolicæ manifestè contradicentem : vndè meritò Gelasius *Dist.* 15. Canones Apostolicos ob nonnullorum corruptelam, aliorumque suppositionem, inter Apocryphos posuit, qui etsi numero 85 in VI. Synodo approbari videãtur, non ab illa, sed à nonnullis Patribus qui illi interfuerunt, & in Trullano Conventiculo convenerunt, approbati sunt, qui postea meritò à Sergio sunt reprobati, vt dixit Beda *lib. de sex ætatibus in Iustiniano.**

1321 Eamdem sententiam, estò brevioribus verbis, sequitur CORNELIVS A LAPIDE *in Commentar. ad lib. Machab. in Synopsi*, hęc scribens: * Suppono, duos hosce Libros (primos scilicet) esse Canonicos, vt definit Concilium Tridentinum, &c. (Et *infrà*:) Extat insuper liber tertius Machabęorum, & apud non nullos quartus; sed hos intra Canonem Ecclesia non admisit. *

1322 DOMINICUS A S. TRINITATE *lib.* 3. *Biblioth. Theolag. cap.* 60. de tertio, & quarto Machabeorũ libris hæc scribit: * Et si duo libri non sint Canonici, suam tamen habent Authoritatem, & veritatem. (Et *infrà*:) Huius libri meminit S. Athanasius *in Synopsi*, & Eusebius *in Chronicis*. Imò S. Clemens *in libro Canonum Apostolorum*, *Can.* 84. eum (scilicet tertiũ *Machabæorũ*) inter Libros Canonicos numerat. * At qua ratione id intelligat, rectè his verbis exponit: * Sed largè sumit nomen *Canonicus*, vt complectitur omnes libros, qui in Bibliis continentur, quales sunt tertius & quartus Esdrę, & Oratio Manasses, cum à nullo Generali Concilio recepti approbativè sint, sed totius Ecclesię sensu à Sacrorum serie librorum excluſi, & expuncti. * Hæc ille.

1323 Tandêm IOANNES DE LA HAYE, *tom.* 1. *Bibl. Max. in Prolegom. ad vniuers. Sacram Scriptur. Sect.* 13. *cap.* 1. * Dubium (inquit) movetur de tertio, ac quarto Machabęorum, an sint Apocryphi; sed de quarto nulla potest esse dubitatio ::: De tertio maior est difficultas, nam Veteribus Bibliis pluribus additus hic liber reperitur. Adde Clementem Romanum *Can.* 84. referre in Canonem tres libros Machabæorum. Sed etiam hic à Canone proscribitur, & ille Canon citatus, qui dicitur Clementis, non illius est, sed supposititius, & adulterinus, &c. * Vide pro hac eadem sententia SIXTVM SENENSEM *lib.* 1. *Biblioth. Sanctæ in fine*, & NATALEM ALEXANDRVM *sæc.* 4. *Par.* 3. *in Append.* §. 20.

1324 Vndè colligunt gravissimi isti Authores, novum hunc errorem, qui manifestê dignoscitur in prædicto 84. Canone, admittente vt Canonicum, tertium Machabæorum librum, cum nullum vmquam ex tot Conciliis ab Ecclesia approbatis, in quibus de Canonicorum librorum certitudine est actum, tertium Machabæorum librum susceperit vt Canonicum, imò potiùs communis Ecclesiæ sensus, & vsus, illum semper à Sacrarum Scripturarum Canone expunxerit, nec vllus ex Sanctis Patribus eruditione, doctrinavè insignibus, illum inter Sacros, & Canonicos recensuerit: ê contra verò duo priores Machabęorum libri à Patribus, Conciliis, & Ecclesia, vt Sacri, Divinique perpetuò sint suscepti.

DE SANCTI CLEMENTIS Epistolis, & Constitutionibus.

1325 INter alios tandèm errores, qui in prędicto 84. Canone agnoscuntur, nequaquam videtur silentio prætereundus ille, quo duæ S. Clementis Epistolę, istiusque Constitutiones, octo libris comprehensæ, inter Canonicos Novi Testamenti libros recensentur: quod haûd levem eruditis Viris admirationem attulit.

1326 Præclarissimus ille Cardinalis, omnigena litterarum supellectile instructus, CÆSAR BARONIUS *ad annum* 102. de 84. Apostolorum Canone loquens, sic exclamat: * Cæterum quis æquo animo ferat, vt eodem Canone inter Canonicos Libros, octo Libri Constitutionum Clementis, & duę eius Epistolæ recensitę habeantur? Quis vmquàm tàm Græcorum, quàm Latinorum Scriptorum, aut quænam ex Sacris Synodis, tàm in Oriente, quàm in Occidente antiquitùs celebratis, quæ texuerunt Catalogum Canonicorum Librorum, inter eos annumeravit Constitutio-

tiones Clementis? Noverunt eas quidem, & complures eaſdem ſunt venerati; ſed nequaquam eius æſtimationis eſſe, quiſquam illorum putavit, vt inter Canonicas eas Scripturas adnumeraret. Præterjiſſet nè, ſi Apoſtolorum hoc monuiſſet Authoritas, & Clementis, vniverſalis Eccleſiæ Epiſcopi chyrographum conſignaſſet? *

1327 Baronio conſonat BINIUS cenſens, contra communem Patrum, Eccleſięque ſenſum eſſe, in Canonicorum Librorum Catalogum S. Clementis Conſtitutiones referre, vt videri poteſt *tom. 1. Concilior. in Notis ad Canon. Apoſtol.* præcipuè *ad Can.* 84. vbi hæc habet: *Hic Canon Apocryphus eſt, & ſubreptitius, tùm quòd Scripturarum Canoni, contra omnium Conciliorum, & Patrum communem ſententiam, quoſdam libros Apocryphos, nimirum Conſtitutiones, & Epiſtolas Clementis addat, &c.* Idem eiſdem fere verbis tradit BAILIVS *in Summa Concilior. in expoſitione Canonis* 85. *Apoſtolorum.*

1328 Nec obſtat dicere, prędictum Canonem 84. confirmatum fuiſſe à VI. Synodo *Can.* 2. octuagintaquinque Apoſtolorum Canones admittente. Non, inquam, obeſt: reſpondemus etenim, cum Bailio: * Canonem obiectum ſpurium eſſe, & illegitimum, vt qui æditus ſit à Conciliabulo Trullano, non autem à VI. Synodo. * Quod alibi probavimus.

1329 Ut autem agnoſcatur Authores ſuprà à nobis laudatos, non ſine graviſſimo fundamento id aſſerviſſe, ſupponendum eſt (vt *ſuprà lib. 2. Apologet. cap. 6.* diximus) prędictas Conſtitutiones S. Clementis, Apoſtolorum nomine ſcriptas, & libris 8. comprehenſas, in ſuis Conciliorum ęditionibus, tàm Surium, quàm Severinum Binium evulgaſſe; ac tandèm Patrem Turrianum è Gręco Latinas dediſſe, commentariiſque illuſtraſſe, ſub hoc Titulo: *Conſtitutiones Sanctorum Apoſtolorum, Authore Clemente Epiſcopo, & Cive Romano, Catholica Doctrina, Franciſco Turriano, Societ. IESV Theologo Interprete;* vt refert BINIVS *tom. 1. Concilior.* Tandem *in calce*, ſic ſcribitur: * Finis Conſtitutionum Sanctorum Apoſtolorum, per S. Clementem, Catholicę Doctrinæ. *

1330 Hæc autem poſteriora verba *Catholicæ Doctrinæ*, non poſſunt non ingentem afferre difficultatem, cum prædictæ Conſtitutiones à Sanctorum Apoſtolorum Doctrina non parum ſint alienæ, vti latè probatum reliquimus *dicto lib. 2. Apolog. cap. 7.* pręcipuè *num. 908. & ſequent.* vbi intollerabiles errores in his Conſtitutionum libris contentos tradidimus. In cuius confirmationem vide Canonem Trullanum 2. Patriarcham PHOTIUM, S. EPIPHANIVM, IACOBVM Archiepiſcopum Ianuenſem, SIXTVM SENENSEM, D. FERDINANDVM DE MENDOZA *ad Concil. Illiberit.* CHRISTIANUM LVPVM, D. EMMANUELEM SCHELSTRATE eidem ſententię ſubſcribentes, quorum verba dedimus *loco ſuprà laudato.*

1331 Ex quibus infertur, prædictum Canonem 84. qui Apoſtolorum dicitur, manifeſto errori eſſe obnoxium, dùm S. Clementis Conſtitutiones in Sacrarum Scripturarum Canonem retulit, cum à Catholica Doctrina, quam Sancta profitetur Eccleſia, tàm longè abſint; nec vnquàm in Canonicarum Scripturarum albo repoſitum ſit, niſi quòd à Spiritu Sancto fuiſſe, conſtitit: & intollerabilis eſſet in Spiritum Sanctum blaſphemia, Authorem illum aſtruere tot errorum, quòt in prædictis Conſtitutionibus agnoſcuntur, adeò graves, & execrabiles, vt indigni penitùs agnoſcantur, qui ab Eccleſia, & Conciliis approbentur. Quarè eſtò in Trullanis Canonibus nullus alius reperiretur error, quàm prædicti 84. Canonis, ſub nomine Apoſtolorum approbatio, hic planè ſufficeret, vt *Erratica Synodus* meritò nuncuparetur; cum eo ipſo tot erroribus ſubſcripſerit, vt ex Sanctis Patribus, & Doctoribus in Eccleſiaſtica Hiſtoria celeberrimis, oſtendimus.

1332 Hinc manifeſtè infertur, quàm iuſtis, quantique momenti rationibus adducti fuerint Papa Sergius, cęterique Summi Pontifices, ad exercendum Apoſtolicum Zelum, viriliter reluctantes approbationi Canonum, qui tot titulis ab Eccleſia reprobari merebantur, quales ſunt prædicti 102. editi in *erratica VI. Trullana* Synodo, ſub Iuſtiniano Imperatorę celebrata.

§. V.

RESPONDETVR ARGVMENTO, ex VII. Synodo desumpto.

1333 NUnc respondendum superest, argumento suprà *num.* 872. summatim proposito, atque ex Authoritate VII. Synodi desumpto, quæ damnationis sententiam à VI. Synodo in Honorium latàm confirmavit; nam Act. 3. lecta fuit, & approbata Synodica Patriarchæ Tarasii Epistola, vbi inter alia: * Subjicio (inquit) Anathemati Sergium, Cyrum, Honorium, Pyrrhum, Paulum, & omnes eorum sectatores.* Et eadem Act. 3. lecta fuit, & approbata Synodica Patriarchę Theodori Epistola, vbi hæc leguntur: *Postquam Sancta VI. Synodus, quemadmodum alius Sol emicuit 289. Sanctorum Patrum, Regiam Urbem sortita pro requie, in qua celebrata, eos, qui duas proprias voluntates, & operationes in dispensatione carnis Dei nostri denegant, & vnam voluntatem, & vnam portentosè asserunt operationem Salvatoris nostri, Deitatis paritèr, & Humanitatis, Anathematizavit, id est, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Petrum, Honorium.*

1334 Tandèm in Definitione Fidei hęc habentur: * Deniquê duas voluntates, & actus, secundum naturarum proprietatem, in CHRISTO prædicamus, quemadmodum Sexta Constantinopoli Synodus definivit; detestamurque cum ea Sergium, Honorium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium, impios istos pietatis impugnatores, omnesque illis consentientes anathematizamus.* Ubi apertè cernitur, Honorium fuisse à VII. Synodo in suis anathematibus comprehensum, quemadmodum fuerat à VI. Synodo inter Monothelitas recensitus.

1335 Et, quod maioris ponderis est, Adrianus I. Papa, qui per suos Legatos VII. Synodo præfuit, non solum VII. sed etiam VI. Synodum confirmavit; vt patet *ex cap. Sextam 16. Dist.* vbi sic loquitur: * Sextam Synodum Sanctam recipio.* Quod confirmat prædicti Capitis Epigraphe, vbi hæc scribit GRATIANUS: * Sexta Synodus Authoritate Adriani corroboratur.* Cum igitur Honorius in VI. Synodo fuerit condemnatus, vt relata VII. Synodi, Patriarcharumque Tarasii, ac Theodori verba testantur; hinc manifestê deducitur, Honorii condemnationem, quam VI. Synodus in eum protulit, approbatam fuisse, non modò a VII. OEcumenica Synodo, sed etiam ab Adriano I. Pontifice, qui prædictæ VII. Synodo præfuit, eamque vti legitimam, OEcumenicamque approbavit.

1336 Huic argumento respondemus, tàm Patriarcham Tarasium, quàm Theodorum, ac VII. Synodum, loqui de Honorii condemnatione facta in VI. Synodo, non quidem ea, quæ sub Constantino celebrata est, quamque legitimam fuisse probavimus; sed ea, quę habita fuit sub Iustiniano Imperatore, & in qua 102. Trullani Canones conditi sunt, in quorum primo Honorii condemnatio refertur. Et quidem Tarasium non de prima, sed de secunda VI. Synodo loqui, manifestè ostendunt ipsius verba: nam *in præfata Epistola* sic scribit: * Ipsius autem Sanctæ VI. Synodi, cum omnibus Dogmatibus, quæ legalitèr, ac divinitùs ab ea promulgata sunt, etiam depromptos Canones recipio. *

1337 Similitèr Patriarcha Theodorus *in sua Epistola* de VI. Trullana Synodo loquitur, cum asserat 289. Patres ad illam confluxisse: * Postquam Sancta VI. Synodus, quemadmodum alius Sol emicuit, ducentorum octuaginta novem Sanctorum Patrum, Regiam Urbem sortita pro requie.* Hoc autem intelligi non potest de Sexta legitima Synodo sub Constantino habita, cum ad hanc solum 150. vel ad Summum 160. Patres confluxerint, vt constat ex præfatę Synodi Actis, & ex his, quæ celebriores Authores litteris consignarunt. At in VI. illa Synodo, è qua Trullani Canones prodierunt, vltra 200. Patres numerati sunt: CHRISTOPHORVS nãque IUSTELLUS recenset 240. BALSAMON, & ZONARAS 227. enumerant: Et *in Tomo Trullanorum Actuum* 211. Patres subscribunt, vt videre est *apud Christianum Lupum ad Canones Trullan. quæst.* 2.

1338 Id præclarè confirmat GRATIANUS *in Decreto*, afferens alium textum Patriarchæ Tarasii, qui dum loquitur de VI. Synodo, quæ sub Iustiniano habita est, eam intelligit, quæ Trullanos

nos Canones edidit ; sic enim scribit: * Post quatuor verò, aut quinque annos iidem Sancti Patres congregati sunt, sub Iustiniano filio Constantini , & prædictos Canones promulgaverunt, de quibus nullus dubitet. (Et *infrà*:) Sancta VI. Synodus , post promulgatam ab ea Definitionem contra Monothelitas, Constantino Imperatore, qui eam congregaverat, non multo post defuncto, & Iustiniano eius filio regnante pro eo , eadem Sancta Synodus, divinitùs inspirata, iterùm Constantinopoli quarto, aut quinto anno congregata est, & Canones numero 102. ad correctionem Ecclesiæ promulgavit. * Hucusque textus Decreti, prout refert Gratianus ; suntque Patriarchæ Tarasii verba. Ex quibus manifestè apparet, Tarasium loqui de Trullana Synodo, in qua prædicti Canones conditi fuerunt.

1339 Nec subsistit, quod Epiphanius Diaconus , qui in VII. Synodo Hæreticis Iconomachis pro Catholicis respondebat, Anathema in Honorium confirmavit, dicens: * Has Sanctas, & Universales Synodos , & præcedentes eas, susceperunt Sergius Constantinopolitanus , Cyrus Alexandrinus , Honorius Romanus , sed, vt hæretici , anathematizantur à Catholica Ecclesia per hæresim suam.* Non, inquam , subsistit ; prædictus namque Epiphanius non loquitur hìc de condemnatione facta in VI. legitima Synodo, sed in *6.* Trullana sub Iustiniano Imperatore; vt constat ex eiusdem Epiphanii verbis in VII. Synodo Act. *6.* sic loquentis: * Sancta verò VI. & Universalis Synodus, cum promulgasset Definitionem suam contra eos , qui vnam voluntatem prædicant in CHRISTO Deo nostro, &c.::: Iidem ipsi qui in ea fuerunt congregati, rursus nutu divino vnanimitèr convenientes post quatuor , vel quinque annos, regulas ediderunt, pro correctione Ecclesiasticorum negotiorum, vsque ad duas, & centum , in quibus Canonibus, &c.*

1340 Ex quibus clarè constat, tàm Patriarchas Tarasium , & Theodorum, quàm Epiphanium Diaconum *locis adductis* , in quibus referunt Honorii condemnationem in VI. Synodo factam , loqui de VI. Synodo , quę sub Iustiniano Imperatore 102. Canones edidit. Hanc autem non esse Sextam illam legitimam, quæ sub Constantino celebrata est, manifestè liquet, cum in Sexta sub Constantino nulli Canones conditi sint, vt communitèr tradunt Authores; benè verò in Sexta sub Iustiniano habita , quam nec legitimè , nec Apostolicæ Sedis Authoritate, & assistentia celebratam fuisse, nec ab vllo Pontifice approbatam, latè supra monstravimus. Quarè estò Honorii condemnatio in primo prædictæ Trullanæ Synodi Canone referatur, ac de ea VII. Synodi Patres loquantur ; nullius tamen roboris est argumentum ab hac condemnatione desumptum , cum præfata Trullana Synodus , istiusque Canones nullius sint Authoritatis , vtpotè nonmodò ab Apostolica Sede non approbati , sed etiam à Papa Sergio expresè reprobati , vt ex graviſſimis Authoribus demonstravimus.

1341 Nec obstat, quòd Adrianus Papa *in textu suprà adducto* VI. Synodum approbarit ; nam quamvis in dicto *cap. Sextam 16. Dist.* videatur absolutè VI. Synodum approbare illis verbis: * Sextam Sanctam Synodum recipio.* At si immediatè sequentia verba attentè legantur , manifestè innotescet, de quanam VI. Synodo loquatur, cum sic scribat: *Sextam Sanctam Synodum recipio cum omnibus Canonibus suis.* Ex quibus verbis apertè liquet, eum loqui de VI. Synodo, quæ Canones edidit , qualis fuit Trullana , quam illegitimam fuisse, probatum suprà reliquimus.

1342 Sic censet GLOSSA ad illud verbum, *sextam*, ita scribens: *Hoc habetur *in* 2. *Act.* VII. Synodi *in Epistola Adriani ad Tarasium.** Et patet *ex sequenti cap. 6.* vbi sic ait Petrus, Nicomediensis Episcopus : * Habeo librum continentem Canones Sanctæ VI. Synodi. (Et infrà Tarasius:) Eadem Sancta Synodus divinitùs inspirata iterum Constantinopoli quarto aut quinto anno congregata est, & Canones numero 102. ad correctionem Ecclesiæ promulgavit.* In quæ verba CORRECTORES DECRETI hæc habent : * Verba sunt Petri Episcopi Nicomediæ , ac Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani *Act.* 4. VII. Synodi ; quod quidem ipsi de 102. Canonibus dixerunt , qui in Trullo tempore Iustiniani Rhinotmeti, secundo anno suæ revocationis ad Imperium, editi sunt. * Vndè ex ipso textu manifestè apparet, quòd si ei , prout illius verba litteraliter

præ-

præferunt, fides sit adhibenda, non loquitur in eo Adrianus Papa de VI. legitima Synodo, sub Constantino habita, quę nullos edidit Canones, vt supra latè probavimus; sed de VI. Synodo Trullana, in qua prædicti Canones sanciti sunt.

1343 Hunc autem esse Septimæ Synodi sensum, elegantèr confirmat Illustrissimus D. BARTHOLOMÆVS CARRANZA, qui *in summa Conciliorum*, id deducens ex Græcis exemplaribus, Interprete Gentiano Herveto, sic scribit:* In volumine Conciliorum, excusso Coloniæ feruntur novem Canones adscripti VI. Synodo.* Hos autem non esse VI. Synodi, quę sub Constantino celebrata est, his verbis ostendit:* Cum tamen sciamus VI. Synodum, quandò primò sub Constantino congregata est, nullos edidisse Canones.* Quos tamen condidit VI. Synodus sub Iustiniano in Trullo celebrata, vt his verbis probat idem Carranza: * Sed post, sub Iustiniano convenientes 227. Patres in *Trullo* Regii Palatii Constantinopoli, Canones ediderunt sequentes. Hoc ita tradunt Patres, qui ad Septimam Synodum convenerunt in Nicæa, in *Actione* 5. & explicatiùs in *Actione 6.* *

1344 Nec obstat dicere, quòd si Adrianus Papa VI. Synodum, istiusque Trullanos Canones confirmavit, cum illorum primus Honorii condemnationem contineat, hinc manifestè infertur, prædictam Honorii condemnationem fuisse ab Adriano Pontifice confirmatam. Non, inquam, obstat: respondetur enim, manifestè deceptum fuisse Gratianum, dùm illa verba: *Sextam Synodum Sanctam recipio*, Adriano Pontifici adscripsit, quasi tanti Pontificis essent; quod & confirmat *in Epigraphe*, sic scribens: * Item cum Adrianus Papa VI. Synodum recipiat, cum omnibus Canonibus suis.* Et paulò infrà *in inscriptione Capitis*, *Sextam*. His verbis: * VI. Synodus Authoritate Adriani corroboratur.*

1345 In his autem deceptum fuisse Gratianum, communis est Authorum consensus, & precipuè GLOSSÆ, quę censet, prædicta verba non esse Adriani Papæ, sed istum illa in sua Epistola referre, tamquàm â Patriarcha Tarasio prolata. * Hoc habetur (ait GLOSSA ad illud verbum, *Sextam.*) in 2. Actione Septimæ Synodi, in Epistola Adriani ad Tarasium: sed eo in loco Adrianus refert verba Synodicæ Epistolæ à Tarasio ad se missæ, & hic Gratianus non refert propria eius Epistolæ verba: in versione enim Anastasii Bibliothecarii sic legitur: Invenimus autem in prædicta Synodica Epistola Sanctitatis Vestræ, post plenitudinem Fidei, & confessionem Sacri Symboli, & omnium Sanctarum VI. Synodorum, & de Sacris, & Venerabilibus caracteribus, miraculum laude, & veneratione dignissimum contineri: quarè, & easdem Sanctas VI. Synodos suscipio cum omnibus Regulis, quæ iure, ac divinitùs ab ipsis promulgatę sunt. *

1346 Hic est proprius, ac legitimus textus Epistolę Adriani Papæ, prout refert vir tantę Authoritatis, antiquitatis, & fidelitatis, vti Anastasius, Apostolicus Bibliothecarius; qui textus præclarè consonat ipsimet Epistolæ Patriarchæ Tarasii, eiusque Gręco textui, iuxtà novam versionem, prout rectè notavit ipsa GLOSSA ibi: * Et hæc quidem postrema verba sunt etiam in illa ipsa Tarasii Epistola: quod ex Concilio Gręco, & nova interpretatione clarè apparet. *

1347 Ex adductis igitur Glossæ, Anastasiique Bibliothecarii Authoritatibus manifestè constat, verba prædicti textus longè aliam speciem prę se ferre, ab illa, quam proponit Gratianus: in illis enim non loquitur Adrianus Papa, sed Patriarcha Tarasius, & adhuc iste non dicit: *Sextam Synodum Sanctam recipio*; sed: *Easdem sex Sanctas Synodos suscipio.* Undè nullius roboris est argumentum, cum in illo supponatur ea verba, *Sextam Synodum Sanctam recipio*, esse Adriani Pontificis, istumque in illis Sextam Synodum, ac per consequens Honorii condemnationem approbasse; quod antecedens falsissimum est, ac perindè corruit penitùs conclusio ex ipso illata.

1348 Et quidem prædictum textum perperàm fuisse à Gratiano intellectum, & applicatum, istumque ingenti æquivocatione laborasse, dum Trullanorum Canonum confirmationem Adriano Pontifici attribuit, communis est Canonistarum, nonmodò antiquorum, sed & recentiorum consensus. BARBOSA *in hunc eumdem textum* ita scribit: * Falsò Gratianus verba huius textus, tamquàm Adriani Papæ refert; cum constet, non Adria-

num

num Papam, sed Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum Canones VI. Synodi recipere, & approbare. * Eamdem tenuere sententiam Cardinalis BELLARMINVS *de Concil. lib. 2. cap. 8. ver. 13. & sequent.* Cardinalis BARONIVS, *tom. 2. anno CHRISTI* 102. POSSEVINVS *in Apparatu Sacro, Tom. 1. verbo, Apostoli, vers. Qui verò.* SANCHEZ *de Matrim. lib. 7. disp. 28. num. 7. in fine.* AZOR *Instit. Moral. Par. 2. cap. 16. vers. Tertio objicies.* & alii.

CAP. XIX.

SOLVITVR 9. ARGVMENTVM Adriani II. Authoritati innixum.

1349 OBjicitur 9. Adrianus II. Pontifex in VIII. Synodo, Constantinopolitana IV. Honorii cõdemnationem factam in VI. Synodo manifestè supponit, illis verbis: * Intolerabilis est ista præsumptio, dilectissimi, & hanc aures prȩcordiorum, fateor, sustinere non possunt. Quis vmquam vestrum tale quid, præcor, audivit? Vel quis huiusmodi temeritatis saltem lectione immensitatem invenit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus, de eo verò quemquam iudicasse, non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem Anathema sit dictum; sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solam, licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus liberè respuendi; quamvis nec illis, nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam, de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi eiusdem Primæ Sedis Pontificis consensus prȩcessisset Authoritas.*

1350 Respondetur 1. ex prædicto textu nec inferri, Honorium fuisse à VI. Synodo proscriptum, nec eius condemnationem, vt certam ab Adriano 2. supponi; sed solum asserere Adrianum: quòd dato, quòd ab Orientalibus Anathema dictum esset Honorio, hoc ideò fuisset, quia ab Orientalibus fuerat de hæreseos crimine accusatus. Ubi diligenter animadvertendum est, illud verbum, *ab Orientalibus*, à quibus Honorii accusatio, & Anathema promanavit, vt aguoscatur, Occidentales in illud minimè conspirasse, aut aliquo pacto convenisse; numquam enim in aliquo Occidentali Concilio, ex his omnibus, quæ contra Monothelitas celebrata sunt, tàm sub Theodoro Pontifice, quàm sub Ioanne IV. nec in Romanis S. Martini, & Agathonis, Honorius vel leviſſimæ suspicionis in rebus Fidei damnatus, iudicatus, imò nec accusatus fuit: quinimò, tàm vivus, quàm vita functus, à toto Occidente ita verè Catholicus habitus, ac veneratus est, vt cum Patriarcha Pyrrhus Monothelita sub Ioanne IV. dissemināsset, Honorium sibi patrocinari, ob Epistolam ad Sergium scriptam, & à prȩdicto Patriarcha malè intellectam, Sanctissimus Pontifex, vt Apostolicæ Sedis honori consuleret, ac nè Imperator tàm pravam de Honorio conciperet opinionem, sui muneris esse existimavit, tàm immanem calumniam ab Innocentissimo Pontifice propulsare, & Apologiam ad Constantinum scribere, vt hic apertè cognosceret, totum Occidentem, propter calumniam istam Honorio illatam ingenti scandalo conturbari. * Omnes (inquit) Occidentales partes scandalizatæ turbantur, fratre nostro Pyrrho Patriarcha, per litteras suas huc, atque illuc transmissas, nova quȩdam, & præter Fidei regulam prȩdicante, & ad proprium sensum quasi Sanctæ memoriæ Honorium Papam attrahere festinante, quod à mente Catholici Patris erat penitùs alienum. *

1351 Undè meritò inquit Adrianus: *Licet Honorio ab Orientalibus Anathema sit dictum, &c.* Apertè innuens quod etsi Orientales in prædictam Honorii condemnationem, & Anathema conspirarint, minimè tamen Occidentales, qui eum, vt summè Catholicum venerabantur. Quarè non potuit illud Anathema ab OEcumenica Synodo prodire; hȩc enim Orientales, Occidentalesque complectebatur, & si vtraque Ecclesia in prædicta condemnatione consensisset, sicut in Monothelitarum Anathema conspirarat, non dixisset Pontifex, *ab Orientalibus*, sed ab OEcumenica Synodo Honorium fuisse damnatum, prout observant omnes Authores, qui de Patriarcharum Cyri, Sergii, Pyrrhi, & Pauli condemnatione loquuntur, nec vllus invenietur Pontifex, qui de prædictorum Patriarcharum Anathemate loquens, asserat, eos

fuisse

fuisse ab Orientalibus, sed ab OEcumenica VI. Synodo proscriptos.

1352 Præclarè facit Cardinalis TURRECREMATÆ Doctrina *lib.* 2. *de Eccles. cap.* 93. his verbis expressa: * Nota tamen quod dicit, *ab Orientalibus, & post mortem*: quoniam Honorius ille numquam, nec dum viveret, nec post mortem, repertus fuit posuisse in CHRISTO vnam tantùm voluntatem, & vnam operationem. Undè nec ab Apostolica Sede, nec à Patribus Occidentalibus talis iudicatus est. Imò Agatho Papa, sub quo VI. Synodus illa celebrata est; cum condemnavit ponentes vnam voluntatem tantùm in CHRISTO, & vnam operationem, videlicet, Sergium, Pyrrhum, Paulum, &c. nullam mentionem fecit de illo Honorio, quem Orientales dicunt favere erroribus Sergii. Vndè creditur, quòd hoc fecerint Orientales, ex mala & falsa, ac sinistra informatione de prefato Honorio, decepti. *

1353 Quod & confirmat Cardinalis BELLARMINUS *de Romano Pontif. lib.* 4. *cap.* 11. docens: * Adrianum, cum Synodo Romana, non apertè dicere, Honorium fuisse hæreticum; sed solum, dictum ei fuisse Anathema *ab Orientalibus*: quia de hæresi fuerat accusatus. Ubi videtur Adrianus dixisse, *ab Orientalibus* Anathematizatum Honorium fuisse; quia sciebat, ab Occidentalibus, id est, à Concilio Sancti Martini, non fuisse Anathematizatum. *

1354 Respondetur secundò: ex prædictis Adriani verbis, Honorii condemnationem non posse rectè deduci: in illis enim nec eam confitetur, nec vt certam supponit; sed quomodocumque, sive legitimè, sive illegitimè sit ab Orientalibus facta eam adducit pro maiori suę admirationis argumento; quod enim præcipuè expendit, & miratur, est ingens audacia, & sine exemplo temeritas, qua Photius, in suo Conciliabulo, ausus est Nicolaum Pontificem condemnare, Anathemateque percutere, contra Sacros Canones, & Concilia statuentia, nullum Patriarcham posse condemnari, neque Censionis Sacræ fulmine percuti, quin Apostolicæ Sedis præcedat Authoritas; multòque minus posse in Supremum Patriarcharum, Romanum nempè Pontificem, damnationis sententiam proferri, nisi in casu hæresis, ob quam solam possunt Summi Pontifices à Conciliis iudicari; cumque Nicolaus I. esset legitimus Pontifex, & vt talis à tota Ecclesia susceptus, nec in materia Fidei, vel leviter deliquisset, velle Photium, absque omni prorsus Authoritate Apostolica, sed solo temerario ausu, condemnationis, & Anathematis sententiam in eum proferre, in summam admirationem Adrianum rapuit, ipsumque in illa impulit verba: * Intolerabilis est ista præsumptio, dilectissimi. Quis vmquam vestrum tale quid, præcor, audivit, vel quis huiusmodi temeritatis saltem lectione immensitatem invenit? *

1355 Ut autem prœoccuparet instantiam, qua Honorii condemnatio posset ipsi opponi, ostendit, illam nullius esse momenti; quia dato, quòd *ab Orientalibus* legitimè fuisset prolata, hoc ideò admitteretur, quia Honorius fuerat in materia Fidei accusatus, quæ potest esse sufficiens accusationis titulus, quandò legitima Authoritate perficitur: at condemnatio, quâm in Nicolaum Pontificem protulerat Photius, penitùs est execranda, tùm quia fuit sine aliqua Apostolica Authoritate; tum quia Nicolaus summa Innocentia, & Fidei puritatè enituit; sicque Honorii exemplar nullatenùs Photio patrocinari poterat.

1356 Hanc solutionem prœclare illustrat Cardinalis BRANCATVS DE LAVREA *tom.* 3. *de Fide, disp.* 8. §. 8. vbi prædicta Adriani verba expendens: * Conqnestionem illam (inquit) non esse de damnatione Honorii, evidens est; sed de damnatione Nicolai Papæ impudenter à Photio peracta. Cum verò dicit hæc verba: *Nam quamvis Honorius, post mortem, ab Orientalibus Episcopis Anathemate sit affectus, &c.* hoc non approbat, quòd ita fuerit; sed ex suppositione illa, quòd circumferebatur, & ab aliquibus credebatur factum hoc fuisse, voluit dicere Adrianus, dato & non concesso quod dicitur; tamen dicitur etiam causam fuisse hæresim; at id de Nicolao non vrget. Suum ergo intentum erat, improbare Photium, & purgare à calumnia Nicolaum; non approbare damnationem Honorii: imò eam improbat, si facta esset. * Hæc ille.

1357 Respondetur tandem tertiò, prædictum textum minimè obstare; cum Adria-

Adrianus in eo, nec Honorii condemnationem *ab Orientalibus* factam supponat, nec Honorium in prefato textu comprehendat, nec vllam de illo mentionem faciat, vt manifestè constabit, si diligenter evoluatur prædictæ VIII. Synodi Authographum, quod in Apostolico Archivio, & Vaticana Bibliotheca asservatur, vt testatur eruditissimus P. FRANCISCVS MARCHESIVS *in suo Clypeo fortium, Dissert. 5. cap. 1.* qui summa diligentia adhibita in prædicto Adriani textu discutiendo, hæc scribit: * Ego enim ipse Antiquos Vaticanæ Bibliothecę Codices pervoluens, in Octavæ Synodi Actorum Libellum Græcè descriptum, & num. 1183. signatum, incidi, vbi præcitata Adriani verba de Honorio, omninò desiderantur. Ita etenim ex Græco in Latinum Idioma traductum Pontificis dictum concinit: Inauditum hactenùs est Romanum Pontificem à cæteris Ecclesiis esse iudicatum; sed alios omnes ab illo iudicari scimus. Nam quamvis de hæresi accusatus fuerit, qua sola in causa, licet inferioribus in superiores insurgere, ibi tamen nec Patriarcharum quisquam, nec vllus Antistitum sententiam pronunciare potuerit, nisi eiusdem Primarię Sedis accedente ad eam rem Authoritate.* Hactenus Pontifex.

1358 Prosequitur verò Marchesius: * In margine autem, à recentiori alio calamo adiecta, citata de Honorio Adriani verba obseruavi. Cùm itaque in aliquo veteri Codice VIII. Synodi, huiusmodi Adriani 2. effatum, de Honorii Anathemate, minimè appareat, nemò me deceptum arbitretur, si hoc ipsum in sincerioribus, atque antiquissimis istius Concilii textibus, ab Anastasio Bibliothecario perlustratis, nequaquam exaratum asseveraverim.*

1359 Vndè cum ex tàm securo, ac fidedigno isto Actorum VIII. Synodi Authographo, certissimum sit, Adrianum II. in prædicto textu, non loqui de Honorio, vt oppositi Authores supponebant, nullius roboris est argumentum innixum prædictis verbis Adriani II. condemnationem Honorii, istiusque ab Orientalibus Anathema supponentibus.

1360 Nec obstat, graviissimos Authores, vt suprà laudatos Cardinales, & alios, prædictum Adriani textum explicuisse, quia isti solummodò viderunt vulgaria Acta, in quibus textus vitiatus est, & corrigi debet, ac emendari per alia fidedigniora, & magis Authentica, quæ in Archivio, & Apostolica Bibliotheca Vaticana asservantur. Nec mirum hoc alicui videatur; nam ideò Apostolica Sedes summa directione, providoque Consilio disposuit, ac præcepit, vt Decretum denuò corrigeretur, huic operi doctissimos, & in vtraque Iurisprudentia peritissimos viros præficiens, vt pro sua Sapientia expungerent errores, quos multi in Decreto notarunt, dùm in illo illegitimi textus pro legitimis irrepserant, vel Pontificibus, quorum non erant, adscribebantur, vt ex illorum notis perspicuum fit. Vndè si textus ipsius Decreti, generali plausu susceptì, in aliquibus Canonibus ibi adductis correctione digni existimati sunt, & spongiæ subiecti, atque ad magis legitimos, & authenticos adaptati: quid mirum, si asseramus, prædictum Adriani II. textum in vulgari VIII. Synodi collectione, quoad Honorii Anathema, debere per correctius, ac magis Authenticum, Apostolici Archivii Authographum emendari, in quo nulla de Honorio, in prędictis Adriani II. verbis, facta mentio reperitur.

CAP. XX.

SATISFIT ARGVMENTO EX Leonis 2. Epistola desumpto.

1361 OPponitur 10. Leo 2. VI. Synodum confirmavit, vt patet *ex illius Epistola ad Constantinum*, quæ habetur *in nova Conciliorum editione, tom. 2.* vbi hæc habentur: * Exemplar relationis missæ à Leone Sanctissimo, ac Beatissimo Papa Senioris Romę, ad Constantinum Piissimum, & CHRISTI amatorem, confirmantis, & approbantis, quæ in Sancto, & Vniversali VI. Concilio gesta, & definita sunt.* Quòd autem Pontifex Leo in prædicta Epistola Actorum confirmatoria, Honorium inter reliquos à VI. Synodo Anathematizatos comprehendat, constat ex illis ipsius Leonis verbis: * Pariterque anathematizamus novi erroris inventores Theodorum, Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ Traditionis doctrina lustravit.* De Honorii ergo damnatione

natione nemo potest iure dubitare, cum facta fuerit in OEcumenico Concilio, quòd Apostolica Sedes congregavit, cui præfuit, cuiusque Acta Authotitate sua confirmavit.

1362 Respondetur primò, dubitari non posse, quin magni roboris foret hoc argumentum, si constaret de veritate facti, quòd prędicta Epistola supponit, circa Honorii condemnationem in prędata VI. Synodo promulgatam, quàm gravissimis fundamentis hucusque ostendimus, nec de iure, nec de facto à prędata VI. Synodo sub Constantino prodire potuisse. Et certè quandò exemplari Actorum VI. Synodi, vbi huiusmodi condemnatio refertur, nihil aliud posset opponi, quàm exceptiones, quibus illud obnoxium esse, ratione, Authoritateque probavimus, hoc quidem sufficeret, nê illi plena adhiberetur fides, sed potiùs valdè suspectum iudicaretur; maximè in re adeò gravi, in qua Christianæ Religionis decus periclitatur, ingensque imminet prędiudicium celeberrimo illi in rebus Fidei non errandi Privilegio, quòd, ab ipsius CHRISTI ore, omnes Summi Pontifices (à D. Petro vsque ad hodiernum diem) acceperunt, & vsque ad finem mundi, Apostolica Traditione sic docente, infallibiliter sortientur.

1363 Respondetur secundò, incertum omninò esse, an prædicta confirmatoria Epistola legitima sit, cum eam illegitimam gravissimi suspicentur Authores, quos inter Eminentissimi Cardinales BELLARMINUS, BARONIUS, BRANCATUS DE LAVRÆA, & alii in Ecclesiastica Historia eruditissimi, quorum verba suprà retulimus: nec absque magni põderis fundamento factũ id putamus, vt ex sequentibus rationibus apparebit.

1364 Primò, quia præfata Leonis Papæ Epistola, Actorum VI. Synodi confirmatoria, dicit, Apostolicę Sedis Legatos exemplar prędictorum Actorum secum ferentes, Romam perveniſſe *Mense Iulio, Indictione* 10. vt patet ex his eiusdem Epistolę verbis, quibus Pontifex Imperatori Constantino id enarrat: * Denique Legatos huius Apostolicæ Sedis, Matris vestræ, Romanæ Ecclesię, pietatis vestrę famulos, id est Theodorum, & Georgium Presbyteros, & Ioannem Diaconum filios nostros, atque Constantinum Subdiaconum Regionarium Sanctæ nostræ Ecclesiæ, vnà cum personis, quæ cum eis profectæ fuerunt, quæ à Prędecessore meo, Apostolicæ memoriæ, Agathone Papa, per 8. Indictionem, pro causa Fidei, Vestra Pietate iubente, illuc directę fuerant per *nuper elapsam decimam Indictionem mense Iulio*, cum divalibus Clementię Vestræ apicibus, & Synodalibus gestis; cum magno iocunditatis gaudio, in Domino exultantes, suscepimus.*

1365 Hæc autem supputatio haud facilè potest componi; huiusmodi enim Acta *mense Iulio Indictione* 10. paulò ante finita, Romæ recepta sunt, vt in citata Leonis Epistola continetur. Indictionem autem 10. correspondere *anno* 681. patet ex *Actione* 18. & 17. hanc enim referunt Acta 11. *die Septembris Indictione 9.* illam verò 16. *Septembris Indictione* 10. *anno* 681. vt censent communitêr Authores. Vndè VI. Synodi Acta *anno* 681. Romam allata sunt: cum autem hoc anno non Leo 2. sed Agatho Pontifex Ecclesiæ clavum moderaretur, cum ad Ianuarium vsque *anni* 682. vixerit, vt ex omnibus Martyrologiis, tàm Græcis, quàm Latinis probavimus *num.* 801. *& seq.* hinc inverisimile fit potuisse Leonem Papam prædata Acta *anno* 681. suscipere.

1366 Si autem prædicta Epistola de *anno* 682. loquatur, non potuerunt prædata Conciliaria Acta ad Leonem Papam *mense Iulio* pervenire; ab Agathonis enim obitu (qui iuxta communem Authorum sententiam *mense Ianuario*, vel iuxtà alios, *mense Iunio anni* 682. contigit) ad Leonis vsque electionem, & confirmationem, annus vnus, & septem menses fluxerunt, communi omnium Ecclesiasticorum Scriptorum consensu, qui Apostolicam Sedem, ab Agathonis morte, per annum, & septem menses, vel septem menses ad minus vacasse scribunt. Estò autem admittamus Leonem; post septem tantùm menses Agathoni suffectum, concedendus est saltim vnus mensis, vt istius novæ electionis notitia, Roma Constantinopolim deveniret, aliusque, vt ea habita, possent Legati Conciliaria Acta, simul cum Imperatoris Epistola Romam deferre. Vndè indispensabilitêr admittendum est, ac necessariò concedendum, novem fluxisse *menses à Ianuario anni* 682. quo Agathonis obitus contigit, ad illud

lud vsque tempus, quo possent prędicta Conciliaria Acta, Imperatorisque Epistola ad Leonis Papæ manus devenire. Non ergo potuit Leo huiusmodi Acta *mense Iulio anni* 682. recipere.

1367 Quod haud levitèr confirmat ipse Pontifex, dùm asserit, se huiusmodi Acta suscepisse *Indictione* 10. iam finita: *nuper elapsa* 10. *Indictione* : cum enim 10. *Indictio* inceperit 16. *die septembris anni* 681. vt in prædictis Actis Act. 18. refertur, proculdubio *mense Septembri anni* 682. terminata fuit. Asserente ergo Pontifice, se prędicta Synodalia Acta *mense Iulio Indictione* 10. *iam finita* suscepisse, neutiquam potuit id *mense Iulio anni* 682. *sed* 683. evenire; & hoc quidem, si Apostolicam Sedem, ab Agathonis, obitu per septem solos menses vacasse admittatur. Cum verò Scriptores vnanimi consensu tradant, eam ab Agathonis obitu (qui, vt probavimus *suprà*, 10. *die Ianuarii anni* 682. cõtingit) per annum integrum, septemque menses vacasse, non potuit Leo nisi *mense Augusto anni* 683. ad Pontificatum assumi; cumque insuper huic supputationi necessariò duo sint menses addendi, vt novæ electionis notitia Constantinopolim deferretur, Legatique vnà cum Conciliaribus Actis, & Epistola Imperatoris Romam pervenirent, hinc manifestè deducitur, prædictos Legatos non nisi labente *Octobri*, vel incipiente *Novembri anni* 683. Romam pervenire potuisse. *Iulius* ergo ille, quo Leo Papa, in prædicta confirmatoria Epistola, affirmat, Conciliaria Acta cum Imperatoris Epistola sibi tradita fuisse, non potuit esse *anni* 683. cum Legati hoc eodem anno, *mense Octobri* Romam pervenetint; sed 84. Si autem hæc supputatio, quæ legitimè, & necessariò infertur, admittatur, difficilè verificari possunt illa verba: *per nuper elapsam* 10. *Indictionem*; quibus asserit Pontifex, prædicta Acta oblata sibi esse *mense Iulio Indictione* 10. paulò ante finita: cum duobus iam annis fuerit terminata.

1368 Hinc deducitur, prædictam Leonis 2. Epistolam, Actorum confirmatoriam, cui oppositi Authores tantoperè fidunt, non certò constare integræ fidei esse, sed potiùs suppositititiam. Hanc etiam suspicionem haud leviter iuvant Authores, dùm vix vllam de dicta Epistola mentionem faciunt, vt eruditè notavit Doctissimus P. MARCHESIVS *loco iam citato*, sic scribens: * Quòd si huiusmodi Epistolæ, legitimi Leonis 2. essent fœtus, ab aliquo vetere Authore, post eam ætatem efflorescente, ipsarum mentio fieret. Earumdem meminissent Byzantini Præsules, Apostolicæ Sedi infensi, vel etiam alii Orthodoxi in suis ad Pontificem Litteris; at penes antiquos Græcos, ac Latinos Scriptores de iis altum omnino silentium. Eas penitùs ignoravit Anastasius; neque Iuonem eas citasse, in sequentibus demonstrabo; quam obrem alias ab hisce diversas Leonem ad Imperatorem scripsisse Epistolas, haud perperam concludimus. *

1369 Secunda Epistola Leonis Papę ad Episcopos Hispaniæ, non minorem difficultatem secum involuit: difficilè enim historicæ veritati congruit, quod circa VI. Synodum scribit, prædictum nempè Pontificem Conciliaria Acta ad eos non mittere, quia nondum erant è Græco in Latinum translata: * Et quia quæque, in Constantinopolitana Vrbe vniversali Concilio vertente celebrato gesta sunt, & necdum in nostrum eloquium examinatè translata, Definitionem interim eiusdem Sancti Sexti Concilii, & acclamationis, &c. Pariterque dictum Clementissimi Imperatoris, &c. Vestrę Dilectioni direximus. * Pontifex ergo Leo solam Fidei Definitionem in prædicto Concilio editam mittit; quia VI. Synodi Acta nondum fuerant è Gręco Latinitate donata; cum tamen Toletani Concilii Patres *Can.* 2. fateantur, se vnà cum Leonis Papæ Epistola, Conciliaria VI. Synodi Acta suscepisse; idque omnibus Hispaniæ populis esse notissimum: * Clara omnes notio populos Hispaniæ implet, quòd currentis evoluti temporis serie, per Romani Præsulis Baiulum, Gesta Synodalia Societati nostræ advecta sunt; quibus Constantinopolitani, &c. Cum quibus etiam gestis, Leonis quoque, Antiquæ Romæ Pontificis Invitatorio, Epistolaris gratiæ consulta suscepimus, per quæ omnis ordo gestorum, gestaque ordinum, dilucidè, vt acta sunt, nostris sensibus patuerunt. *

1370 Vbi Toletani Concilii Patres apertè asseverant, se à Leone Pontifice nonmodò istius Epistolam, sed etiam

Conciliaria Acta, & quidquid in VI. Constantinopolitana Synodo fuerat statutum, accepisse: certum autem est, huiusmodi Acta missa fuisse à Pontifice ad Hispaniæ Episcopos, iuxta stylum, quo communiter mitti solebant, in Latinum nempè Idioma translata; aliàs non potuissent prædicti Concilii Patres asserere: *Per quæ omnis ordo gestorum, gestaque ordinum dilucidè, vt Acta sunt, nostris sensibus patuerunt.* Cum igitur prædictum Toletanum Concilium fateatur, hanc rem in tota Hispania notissimam, scilicet nempè Conciliaria VI. Synodi Acta, & quidquid in ea gestum fuerat, suscepisse; perperam verificari possunt illa Leonis Papæ verba in prædicta Epistola, nempè, se solam Fidei Definitionem mittere, non verò Synodalia Acta; quia nondũ erant Latinitate donata: vndè prædictã Leonis Papę Epistolam, ex his & aliis, non esse integrę fidei, haud leviter possumus suspicari.

1371 Neque hoc mirum videri debet, cum etiam referatur alia eiusdem Leonis Epistola ad Quiritium Episcopum, quam supposititiam esse, apertè convincitur: vt enim rectè notavit BARONIVS, nullum Toletanum Concilium illis temporibus celebratum, aliquam de Quiritio Episcopo mentionem fecit, solumque in Concilio Toletano XI. præfatus Quiritius reperitur, & in XII. sex annis post celebrato, hæc leguntur: *Iulianus Quiritii Successor.* Habitum fuit hoc Concilium *anno* 681. *Idibus Ianuarii*, & in eo Quiritius iam vita functus supponitur, cum Iulianus illius Successor in prædicto Concilio subscribat. Cum ergo certum sit Leonem II. non potuisse Pontificem creari ante *annum* 683. quandò iam tribus annis fuerat Quiritius vita functus, inverisimilis proculdubiò videtur prædicta Leonis II. Epistola ad Quiritium, tunc Regię vrbis Metropolitanum, prout in ipsa Leonis Epistola habetur.

1372 Respondetur tertiò, quòd estò prædicta Leonis Epistola Synodalium gestorum confirmativa, tamquàm legitima admittatur, indè tamen Honorii condemnatio non infertur: quia prædicta confirmatio non fuit absoluta, sed limitata, vt ex optimæ fidei monumentis manifestè liquet: multa enim antiqua Breviaria Romana Authoritate Apostolica Typis edita, & in tota Ecclesia evulgata, vniversaliterque recepta, dùm de S. Leone II. in istius Lectionibus sermonem instituunt, & in VI. Synodo Anathematizatos referunt, hæc habent: *Ita suscepit VI. Synodum, vt eos anathematizaverit, quos eadem Synodus, præsente Constantino, anathematizaverat.*

1373 Idem etiam habet antiquissimum aliud Gallicanæ Ecclesiæ Breviarium, quod Romæ in Bibliotheca Vallicellana, Cõgregationis S. PHILIPPI NERII asservatur; cui mirificè consonat antiquus ille Pontificię Historiæ Scriptor PLATINA, dùm aliqua Leonis II. Pontificis gesta narrans, hæc tradit: * Sextã verò Synodum, de qua in Agathone diximus, ita suscepit, vt eosdem anathematizaverit, quos Sancta Synodus, præsente Constantino, damnaverat.* Constantinum autem Imperatorem non adfuisse Anathemati in Honorium, sed soli in Monothelitas Patriarchas Orientales Cyrum, Sergium, Pyrrum, Paulum, &c. à VI. Synodo inflicto, patet ex his, quæ suprà probavimus, & refert AVTHOR LIBRI PONTIFICALIS, in quo memorabilia Pontificum gesta exarata sunt; hic enim de VI. Synodo loquens, enarrat, Imperatorem in omnibus ferè Actionibus vsque ad vltimam adfuisse, & ipsam Missam, in gratiarum actionem, Latino Ritu à Legato Apostolico decantatam, audivisse.

1374 Certum ergo est, provt in vulgaribus Actis habetur, Imperatorem non nisi ad 11. vsque Actionem præsentem fuisse, cum in ea, ab illo Concillio discesserit ob vrgentissimas Imperii causas, & quia iam perfectè absoluta videbantur ea, quorum causa illa Synodus præcipuè fuerat congregata, vt illa ipsius Imperatoris verba declarant: * Quia verò in CHRISTO amabilis nostræ Reipublicæ causis occupamur, iubemus Constantinum, & Anastasium, glorioſissimos Patricios, Polieutum quoque, & Petrum gloriosos Exconsules, ex persona nostræ pietatis, cum Sancto, & vniversali vestro Concilio in reliquis Conventibus inveniri.* Vndè cum Constantinus Imperator integro Concilio adfuerit, vt ex Pontificali Romano probavimus, & *Act.* 11. à præfata Synodo discesserit, vt patet ex prædictis verbis, quę eadem *Actione* 11. rese-

referuntur. Hinc manifestê infertur, præfatum Concilium, fuisse *Actione* 11. terminatum, Imperatoremque Constantinum *ad Actionem vsque* 11. inclusivè præsentem fuisse, reliquis verò subsequentibus minimè adfuisse.

1375 Vndê Imperator nec adfuit Honorii condemnationi *Actione* 13. latæ, neque illius Anathemati, quod in reliquos Patriarchas Orientales evulgatum fuit *Actione* 16. & 17. qua illud Concilium dicitur absolutum. Hinc manifestè deducitur Honorii condemnationem, non fuisse à Leone II. approbatam; siquidem prædictus Pontifex, vt modò probavimus, solum admisit VI. Synodi Acta, Actiones, & Anathemata, quę coram Imperatore publicata sunt: cumque Imperatore præsente, nec Honorii condemnatio, nec Anathema fuerit evulgatum, nec aliqua in Honorium causa, aut accusatio acta in aliqua ex omnibus illius Synodi Actionibus, vsque ad 11. inclusivè, in qua Imperator ab illo Concilio recessit, hinc apertissimè infertur, Honorii proscriptionem neutiquã illa Leonis II. confirmatione comprehendi; sicque Epistola illa suspectæ fidei, quantum ad id tantum, quòd Honorium attinet, meritò existimari potest.

1376 Nec mirum videri debet, quòd asseramus VI. Synodum, quoad omnia quę in ipsa, Patriarcharumque Orientalium condemnatione continentur, fuisse à Leone II. confirmatam, eò qnòd isti iam antecedenter fuerint ab Apostolica Sede proscripti, & in Conciliis Romanis sub Martino, & Agathone Monothelitæ renunciati; Honorii verò condemnationem neutiquam fuisse à præfato Pontifice cõfirmatam, estò pleno fuisset statuta Concilio: magnum enim fundamentum ad id adstruendum nobis suppeditant antiquitas, & communis Ecclesiæ in confirmandis Conciliis vsus, & consuetudo; semper namque consueverunt Summi Pontifices Suprema Authoritate vti, approbantes ea omnia, quæ in talibus Conciliis approbationem promerebantur, illa vero quæ in ipsis, quamvis Generalibus, reprehensione digna videbantur, respuentes: quorum plurima exempla passim occurrent Ecclesiasticas Historias, Sacraque Concilia lectione perlustrantibus, nosque aliqua hìc adducemus, ex quibus veritas hæc manifestiùs appareat.

1377 Eam luculentêr probat illud, quod in 1. Œcumenico Constantinopolitano Concilio, sub S. Damaso Papa celebrato, contigit, cuius Canonem vniversali Patrum consesu statutum, quo Patriarchę Constantinopolitano Primatus immediatè post Romanum concedebatur, numquàm Damasus Papa confirmavit, sed penitùs reiecit, vt apertissimè tradit ANASTASIVS BIBLIOTHECARIVS *in Præfat. ad Ioan. Diac.* Sic scribens: * Secundum vniversalem Synodum, quæ primò Constantinopoli celebrata est, in causa Primatus Ecclesiarum, Sedes Apostolica non admittit. *

2378 Idem censet S. GREGORIVS *lib. 6. Epist.* 125. dicens: * Canones quidem Constantinopolitani Concilii, Eudoxianos damnant; sed quis fuerit eorum Author, Eudoxius, minimê dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem Canones, vel gesta illius hactenus non habet, nec accipit. In hoc autem eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. *

1379 Suffragatur apertè prędictis S. LEO PAPA *Epist.* 53. *ad Anatolium* his verbis: * Persuassioni enim tuæ in nullo penitùs suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta, vt iactas, annos facta subscriptio, numquamque à Prędecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiã; cui ab initio sui, caducæ, dudumque collapsæ, sera nunc, & invtilia subjicere fulcimenta voluisti, eliciendo à fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam iniuriam verecundia fatigata pręberet. *

1380 Hùc pręclarè facit quod adnotavit LUCENTIVS ESCULANUS Episcopus, qui in Chalcedonensi Concilio Apostolici Legati munere fungens, & *Actione* 16. de 1. Constantinopolitani Concilii Canonibus loquens, vocat eos *non conscriptos*, id est, ab Ecclesia non probatos; & *infrà*: * Trecentorum (inquit) decem & octo Constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, qui in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantum feciisse noscuntur. *

1381 In Codicibus Actorum Ephesini Concilii, inter hæreticos ab illa Synodo Anathematizatos, recensentur Adelphius, & Saba, quos tamen Romana Ecclesia numquam vt tales admisit, nec ea Censu-

ra dignos iudicavit, vti testatur S. GREGORIVS, asseverans *lib.* 1. *Indict.* 14. *cap.* 14. se numquam illos in Authenticis exemplaribus, quæ in Romano Archivio asservantur, reperisse: sic enim scribit: * Ephesinam autem Synodum perscrutantes, de Adelphio, & Saba, qui illic dicuntur esse damnati, omninò nihil invenimus.*

1382 In Concilio OEcumenico Chalcedonensi Patres, qui ei adfuerunt, Anatholio Patriarchæ Constantinopolitano præsenti, istiusque Successoribus Primatum super reliquos Orientis Patriarchas concesserunt. At S. Leo Papa agnoscens, æquum non esse, vt ille, ad quem ista prærogativa iure spectabat, suo iure privaretur, huiusmodique intolerabili iniuria afficeretur; sese ita acerrimè præfato Decreto Concilii opposuit, vt illud Apostolica sua Authoritate irritum declararit, ac nullum. Nihilominus tamen ea fuit Orientalium pervicacia, & obstinatio, vt iustissimum illud Sancti Pontificis Decretum contemnentes, prędictam suam Constitutionem, in Concilii Chalcedonensis Actis scriptam, reliquerint, adeò vt S. Gregorii, Gelasiique Pontificis temporibus adhuc in prædictis Actis legeretur; quod duo illi Sanctissimi Pontifices ægrè tulerunt, gravitèrque increparunt.

1383 Audiamus S. LEONEM Papam, qui *Epist.* 61. de Chalcedonensis Concilij, prefatique Canonis susceptione sermonem instituens, hæc habet, ad rem nostram aptissima: * Consensiones Episcoporum, & Sanctorum Canonum apud Nicęam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ Fidei pietate in irritum mittimus, & per Authoritatem B. Petri Apostoli, generali prorsus Definitione cassamus.*

1384 Pro hac eadem re notandum duximus, quod scribit GELASIUS I. Papa *tom. de Anathematis vinculo*, vbi de præfati Concilij Canonibus loquens: * Nè fortè (inquit) quod solent, dicant, quòd si Synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant, quæ illic videntur esse deprompta. Aut enim ex toto eam admitti oportere, aut si ex parte repudiabilis est, firmã ex toto constare non posse. Cognoscant igitur illud secundum Scripturas Sanctas, traditionemque maiorum, secundum Canones, regulasque Ecclesiæ, pro Fide communi, & veritate Catholica, & Apostolica pro qua hãc fieri Sedes Apostolica delegavit, factãq; firmavit, à tota Ecclesia indubitanter admitti. Alia autem, quæ per incomperentem præsumptionem illìc prolata sunt, vel potius ventilata, quæ Sedes Apostolica gerenda nullatenùs delegavit, mox à Vicarijs Sedis Apostolicæ contradicta, manifestum est; quæ Sedes Apostolica etiam petente Marciano Principe nullatenus approbavit.

1385 Quæ Præsul (prosequitur) Ecclesiæ Constantinopolinæ tunc Anatholius, nec se præsumpsisse professus est, & in Apostolicæ Sedis Antistitis non negavit posita potestate: quæ ideo, sicut dictum est, Sedes Apostolica non recepit, quia quæ Privilegijs vniversalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione sustinet. Quid enim? Quia ex libris Sanctis, quos vtique veneramur, & sequimur, quoniam quorumdam illic, & profanitates esse feruntur, & scelera gesta narrantur, ideo nobis pariter, aut veneranda sunt, aut sequenda, quia in illis Sanctis libris, & venerabilibus continentur? (Concludit tandem:) Hęc & huiusmodi exempla, & testimonia divina confirmant, non omnia passim à quocumque dicta, vel vbicumque scripta indifferenter accipere, sed retentis bonis, quæ noceant, refutare, &c.*

1386 Nequit tamen pro maiori dicti Canonis 28. reprobatione omitti, quod Sancto ęquitatis, ac iustitię Zelo, commendationeque observantiæ Sacrorum Niceńorum Canonum altê expendit S. LEO Papa, *Epist.* 53. *vel* 80. iuxta Ioannis Quenelli editionem, in qua Anatholij Patriarchæ immoderatam honoris cupiditatem, gravissimis hisce verbis, perstringit: * Post illa itaque ordinationis tuæ non inculpata principia, post consecrationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet contra Canonicam regulam vindicasti; doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, vt Sacratissimas Niceńorum Canonum Constitutiones conareris infringere, tamquàm opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Anthiochena Ecclesia proprietatem tertiæ Dignitatis amisserit, vt, his locis iuri tuo subditis, omnes Metropolitani Episcopi proprio honore privarentur. Quibus inauditis, & numquam ante tentatis prævenieris excessibus, vt Sanctam

Sy-

Synodum ad extinguendam solum hæresim, & ad confirmationem Fidei Catholicæ, studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, & vt conniventiam suam tibi det, impellas, tamquàm refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per Spiritum verè Sanctum ordinata conditio, in aliqua cuiquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione Congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis, quàmtumlibet copiosior numerus Sacerdotum, vel comparare se audeant, vel præferre, cum tanto divinitùs privilegio Nicæna sit Synodus consecrata, vt sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitùs Authoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. Nimis ergo hæc improba, nimis sunt prava, quę Sacratissimis Canonibus inveniuntur esse contraria.

1387 In totius (prosequitur) Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio, quę ita abuti voluit Concilio Synodali, vt fratres tantummodò in Fidei negotio convocatos, & definitione eius causæ, quę erat curanda, perfunctos, ad consentiendum sibi, aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret. Indè enim fratres nostri ab Apostolica Sede directi, qui vice mea Synodo præsidebant, probabilitèr, atque constanter illicitis ausibus obstiterunt, apertè reclamantes, nè contra instituta Nicæni Concilii præsumptio reprobæ vanitatis assurgeret. Nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in Epistola tua etiam ipse conquæreris, quod conatibus tuis voluerint obviare. In quo quidem multum illos mihi hæc scribendo commendas: sed temetipsum, quod eis parere nolueris, dum illicita moliris, accusas, superfluenda, non concedenda appetens, & insalubritèr tibi contraria concupiscens, quæ nullum vmquam poterant nostrum obtinere consensum. *

1388 Ex quibus clarissimè patet, quàm malè de prædicto 28. Chalcedonensi Canone sentiat Sanctissimus Pontifex Leo, vtpotè statuto contra ea, quæ in Sacris Nicęni Concilii Canonibus Sanctè fuerant sancita, expressêque decreta; ideoque illum reprobat, indignumque iudicat, qui possit Romani Pontificis obtinere consensum. Pro eiusdem rei confirmatione legi potest ipsius Leonis Epistola 54. vel 78. in Quænellii editione, quam ad Marcianum Imperatorem scripsit.

1389 Quòd iterum confirmat idem Pontifex *Epist. 55. vel 79. ad Pulcheriam Imperatricem* directa, *& Epist. 61. vel 81. de custodiendis Sanctorum Patrum Statutis*, data *ad Episcopos, qui in Chalcedonensi Synodo fuerant congregati*; ac tandêm *Epist. 62. vel 92. ad Maximum Antiochenum Patriarcham.*

1390 Nec omittendum censuimus, quod in hunc Canonem solito suo Ecclesiastico Zelo expendit eruditus P. CHRISTIANVS LVPUS *tom. 1. Concilior.* vbi de prędicto 28. Chalcedonensi Canone loquens: * Hic est (inquit) Canon, quem iure meritò semper damnavit Romana Ecclesia, & adversum quem in Litteris ad Anatholium Constantinopolitanum Episcopum, eius Authorem, S. Leo Magnus, esse dicit Canonem ambitiosum, Nicænis Canonibus, qui Spiritu Dei conditi, ac totius mundi reverentia consecrati, adversum Alexandrinos, & Antiochenos Patriarchas, ac tribus Authocephalis Primatibus iniurioſum, totius Ecclesiasticæ per Apostolos constitutæ Hierarchiæ eversivum; per eum calcari antiquitatem, Ecclesiarum privilegia, ordinationum Episcopalium iura, quietem omnium Provinciarum. *

1391 Hinc optimo iure dixit Sanctissimus Papa GELASIUS I. *Epist. 19. ad Dardaniæ Episcopos* directa, S. Leonem Papam tantummodò approbasse Chalcedonense Concilium, quoad Definitionem Fidei contra hæreses tunc occurrentes, qui fuit præcipuus illius Concilii congregandi scopus; non verò quoad Canones, qui Nicæni Concilii Canonibus opponebantur, qualis est 28. aliique similes. *Ipsum Beatum Papam Leonem Sedis Apostolicæ Præsulem (inquit Gelasius) cuius Synodus Chalcedonensis Authoritate firmata est, quidquid vltra quàm ab eodem pro Fide, & communione Catholica, atque Apostolica illic agendum, constaret esset delegatum, per occasionem congregationis illius, præter Nicænos Canones, nova videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse. *

1392 Quisquis autem huius 28. Chal-

ce donensis Canonis defectus fusè examinatos videre desiderat, adeat CHRISTIANVM LVPVM *loco citato*, vbi eruditè expendit, ipsum, duodecim gravissimis erroribus fœdari.

1393 Ex relatis hucusque exemplis apertè dignoscitur, Ecclesiam, Summosque Pontifices, qui illam moderabãtur, suprema Authoritate vtentes, in Conciliis confirmandis, consueviſſe aliquandò quoad omnia, aliquandò verò solum quoad partem ea approbare, reprobantes quidquid censura dignum iudicarunt; vt patet in adductis Constantinopolitani, Ephesini, & Chalcedonensis Concilii Canonibus, qui estò fuerint toto approbante Concilio statuti, ob superiores tamen, ac graviores rationes, ab Apostolica Sede, Summisque Pontificibus illam eo tempore gubernantibus, reiecti sunt. Rectè ergo potuit Leo II. Sextam Synodum, damnationemque Monothelitarum, qui iam in aliis Conciliis fuerant ab Apostolica Sede proscripti, omnesque illius Synodi Actiones vsque ad 11. inclusivè, & omnes in illis Imperatore Constantino præsente Anathematizatos confirmare, vt narrant prædicta Breviaria Apostolica Authoritate typis mandata; quin cæteras eiusdem Synodi Actiones, in quibus tantùm de Honotii condemnatione actum est, sua Authoritate approbaret; sicque dicendum est Leonem II. neutiquam Honorii condemnationem, & Anathema confirmasse.

CAP. XXI.

ALIVD ARGVMENTVM, VEL potiùs contra superiores solutiones instantia, proponitur, & diluitur.

1394 ARguitur II. Honorii condemnatio, & Anathema clarè exprimitur, & expressè continetur in prædicta Leonis Epistola, quæ multis ab hinc sæculis inter VI. Synodi Acta circumfertur: atqui si præfata Epistola, quoad Honorii condemnationem, legitima non esset proculdubio fuisset à prædictis Conciliaribus Actis oblitterata: ergo cum tot sęculis abrasa non sit, nec expuncta, signum evidens est, eam, non modo quoad cęterorum Monothelitarum condemnationem, sed etiam quoad Honorii Anathema, legitimam fuisse iudicatam.

1395 Hoc argumentum alicuius posset ponderis existimari, nisi manifesta obsisteret instantia: sicut enim iam suprà diximus, Canon in primo Constantinopolitano Concilio statutus, de Primatu Constantinopolitanę Ecclesiæ post Romanam, ab Apostolica Sede reprobatus est, sicut & vigesimus octavus Chalcedonensis Concilii Canon; ambo tamen in Tomis Conciliorum hisce adhuc nostris temporibus eodem prorsus modo circumferuntur, quo ante reprobationem fuerant exarati, vti rectè adnotavit P. FRANCISCVS MARCHESIVS *in suo Clypeo Fortium Dissert. 4. cap. 3.* his verbis: * Hęc iraque exempla nobis exhibent, pleraque OEcumenicorum Conciliorum gesta à Romanis Pontificibus integram non meruisse confirmationem: quæ licet Apostolico robore destituta, imò à Pontificibus omninò cassata dicantur, in Tomis nihilominus Conciliorum descripta leguntur.*

1396 In eodem 1. Constantinopolitano Concilio extat Canon 6. de Accusatoribus, qui non reperitur in prædicti Concilii Codicibus, in Apostolico Vaticano Archivio servatis; quem quidem Canonem Ecclesia numquam admisit, vt rectê admonuit NICOLAVS Papa *ad Imperatorem Michaelem* ita scribens: * Quod providê Constantinopolitana Synodus Canonum suorum sexto dignoscitur prohibere Capitulo; quod tamen non apud nos inventum, sed apud vos haberi perhibetur; * nihilominùs tamen prędictus Canon adhuc in Tomis Conciliorum extat.

1397 In V. OEcumenica Synodo proscripti fuerunt Origenis, istiusque sequaciũ errores, prout *in VII. Synodo Act.* 1. refertur. Nihilominùs in Synodalibus gestis, nec levis adhuc de Origenis erroribus habetur mentio; quod Cardinalem Baronium, & Severinum Binium impulit ad asserendum non dubium, quin eo tempore, quo Vigilius Pontifex errores illos in V. Synodo condemnavit, Acta ista Authentica servarentur, quæ si postea diligenter custodissent (subinferunt prædicti Authores) non foret opus, corruptum hoc, & mutilatum à Græcis accipere. Idem etiam Laudati Authores alias in præfatis Actis gravissimas implicantias adnotant, quas nostri instituti non est modò referre, nec in eis immorari. Præter;

eun-

eundum tamen non est, quod ea Acta sine alio delectu, atque animadversione, in Tomis Conciliorum, inter cęteras OEcumenicas Synodos habentur.

1398 Præclaram etiam huius doctrinæ confirmationem *in Actione 4. Sextæ Synodi* reperimus; in illa enim præfato Concilio, & Imperatori in ipso præsenti exhibita fuit, ab Apostolicæ Sedis Legatis, Romanæ Synodi Epistola, in qua Patres Latini Spiritum Sanctum à Patre dumtaxat procedentem profitebantur. Hanc autem Epistolam fuisse à Græcis malitiosè corruptam, patuit in Florentino Concilio, vbi diligentia, & studio Iuliani Cardinalis compertum fuit, Græcos à prędicta Epistola abstulisse verba illa, *Filioque*. Et quamvis in dicto Florentino Concilio declaratum fuerit, illum textum esse malitiosè adulteratum, adhuc nihilominus his nostris temporibus in vltimæ editionis VI. Synodi Actis *Sess. 4. eodem modo*, ac antea, cernitur vitiatus. Quamvis ergo Honorii damnationem, censuram, & Anathema, quod Græci Patres in VI. Synodo protulerunt, nec Apostolica Sedes, nec vllus Pontifex admiserit; nihil obest, quòd adhuc in prædictis vulgaribus Actis legatur; nec indè potest efficax argumentum depromi, ad probandum, prędictum Anathema esse ab Apostolica Sede approbatum, sicut nec desumi potest ad ostendendum Constantinopolitani, Chalcedonensisque Concilii Canones, suprà memoratos, Approbationem ab Apostolica Sede obtinuisse; cum constet esse ab ea expressè reiectos, quamtumvis, ad hodiernum vsque diem, in Conciliorum Actis reperiantur scripti.

1399 Ex eo autem, quòd Honorii Anathema in VI. Synodi Actis inveniatur, ad summum inferri potest, quædam Apostolicæ Sedis tolerantia, & permissio, quæ longè alia est ab ipsius Approbatione. Deus enim, infinita sua Providentia, omnia peccata, quæ in mundo committuntur, patienter tolerat, ac permittit, quin indè Catholicus aliquis inferre possit, Deum peccata approbare.

1400 Apostolica Sedes Libros, & scripta Antiquorum Patrum, qui sua doctrina Ecclesiam illustrarunt, adeò semper venerata est, vt quamvis illorum aliqui, pro humana fragilitate, in plures errores Catholicæ Fidei oppositos inciderint, vt Tertullianus, Origenes, aliique similes; quia tamen illorum scripta multum vtilitatis Ecclesiæ conferunt, permisit, ac conniventer tulit, vt integra circumferrentur, quin errores, in quos prolapsi sunt, quamtumvis ab Apostolica Sede, Conciliisque damnatos, expunxerit, aut ab eis oblitteraverit. Nihilominus tamen ex hac Apostolicæ Sedis permissione, ac tolerantia, neutiquam infertur prædictos errores esse ab Ecclesia approbatos. Nullius ergo roboris est illa Recentiorum quorumdam instantia: Honorii condemnatio in vulgaribus VI. Synodi Actis, Apostolica Sede permittente, tot sæculis circumfertur: ergo ab Apostolica Sede approbata est. Nihil enim probat argumentum nimis probans; Nam si hęc consequentia contra Apostolicam Sedem teneret, vtique etiam teneret contra ipsum Deum, cum pariter ex peccati permissione, Deum illud approbare convinceretur; quod piæ Catholicorum aures abhorrent; nec vnquam Catholici ex permissione approbationem intulerunt, sed solummodò hæretici hoc argumento aliquando vsi fuere, quod proinde à Catholicorum castris procul arcendum, ac nullius momenti existimandum: Apostolica namque Sedes iustissimis, suęque Providentiæ legitimis causis adducta est, vt VI. Synodi, sicut & cæterarum Acta, ea legalitate circumferrentur, quam Latina traductio exposcit, quin in hac aliquid auferatur ex his, quæ in Græcis Authographis certum est inveniri, quod si in illis aliquid correctione dignum occurrat, ideò abundat Ecclesia Doctoribus, qui præclara sua Sapientia sciant, bonum à malo discernere, & inter Lepram, & Lepram distinguere.

1401 Minuitur nè vel minimè Scripturæ Sacræ Authoritas, dignitas, & certitudo, quòd, inter pręclaras Sanctissimi Davidis virtutes istius adulterium, homicidiumque commemoret? Num quia Magdalenę conversionem refert, ideò illius peccata oblivioni tradit? Calumniabimur nè Divinam Scripturam, quod inter egregia facinora aliqua infausta, improbaque narrare non omittat? An ideo dicemus, hæc illius approbationem promereri? Absit tantus error. Hoc argumentum elegantèr prosequitur Sanctus Pontifex GELASIVS *Tom. de Anathematis vinculo* sic

scribens: * Quia ex Libris Sanctis, quos vtique veneramur, & sequimur, quoniam quorumdam illic & profanitates esse feruntur, & scelera gesta narrantur, ideò nobis paritèr, aut veneranda sunt, aut sequenda, quę in illis Sanctis Libris, & venerabilibus continentur? * Undè sic sub infero: Ergo quia in Sancto VI. Concilio extat Monothelitarum condemnatio iustissimè statuta, & à Romana Ecclesia in multis Conciliis approbata; & reperitur similitèr Honorii Anathema à Sanctissimis Pontificibus reiectum, nec vnquam ab Ecclesia admissum; quia, inquam, bonum & malum in VI. Synodi Actis paritèr refertur, ideò illaturi sumus, vtrumque Ecclesiæ approbationem meruisse? Absit. Quanam ergo regula discernendum id, ac perficiendum est? Ea profectò, quam *citato loco* Gelasius Pontifex præscripsit. * Hæc, & eiusmodi exempla, & testimonia divina confirmant, non omnia passim, à quocumque dicta, vel vbicumque scripta indifferenter accipere, sed retentis bonis, quę noceant, refutare, &c.*

CAP. XXII.

HONORIANÆ FIDEI PVRITAS, ex Ecclesiastica Traditione demonstratur.

1402 VT gravissimam istam controversiam absolveremus, operæpretium duximus, Honorianæ Fidei puritatem Ecclesiastica Traditione munire. Esse autem huiusmodi Traditionem solidissimum argumentum ad comprobanda Fidei, Sacraque Ecclesię Dogmata, latè iam suprà *Tom.* 1. ex Sanctis Patribus, aliisque Ecclesiasticis Authoribus demonstravimus; vbi etiam ostendimus esse Ecclesię Traditionem, quidquid Ecclesia vniversalitèr admisit, vt docent S. AVGVSTINVS *lib.* 4. *contra Donatist.* S. IRENÆVS *lib.* 1. *contra Hæres. cap.* 3. S. ATHANASIVS *in Epist. ad Iovinian. Imperat. teste Theodoreto, lib.* 3. *Histor. Ecclesiast. cap.* 3. S. HIERONYMVS *adversus Luciferian. cap.* 4. S. LEO Papa *Serm.* 9. *& Serm.* 2. *de Ieiunio Pentecost.* TERTVLLIANVS *de Corona Milit. cap.* 4. S. AVGVSTINVS *Epist.* 86. *ad Cassulan. & lib. de Fide Christ. in Can. Catholica*; S. BASILIVS, *lib. de Spirit. Sancto, cap.* 7. aliique complures, quos brevitatis causa duximus omittendos.

1403 Non solum autem quidquid in Ecclesia vniversalitèr reperitur acceptum, est tamquàm Ecclesiastica Traditio habendum, vt ex prędictis Sanctis Patribus ostendimus; verùm etiam quidquid in ea multis sæculis admissum, approbatumque perdurat, vt censent S. IGNATIVS *ad Philippen.* TERTVLLIANVS *lib.* 4. *contra Marcion.* S. CYRILLVS *de recta in Deum Fide ad Theodos.* CASSIANVS *collat.* 21. *cap.* 12. TRIDENTINVM *sess.* 13. *in Proœmio, & cap.* 5. NICOLAVS I. *in cap. Ridiculum* 12. *Dist.* TVRRECREMATA *in expositione huius capitis*, & S. HIERONYMVS *in Epist. ad Pammach.* Tandem TRIDENTINVM *sess.* 4. definivit, Editionem vulgatam esse vnicum, legitimum, Canonicumque textum, ad Fidei Dogmata ex Sacra Scriptura comprobanda; & ratio, cui innititur, est, quia hæc vulgata Editio, tot sæculis est in Ecclesia, vniversali Approbatione susceptа. * Decrevit, inquit Synodus, vt hæc ipsa vetus, & vulgata Editio, quæ longo tot sæculorum vsu in Ecclesia probata est, pro Authentica habeatur, & quod eam nemo rejicere, quovis prætextu audeat, aut præsumat. *

1404 Quod autem præcipuè Ecclesiasticæ Traditionis dignitatem sortitur, est illud, quod Romana Ecclesia, Summique Pontifices multis sęculis observarunt, sequendoque probarunt; vt elegantèr probat INNOCENTIVS I. *in cap. Quis nesciat* 11. *Dist.* vbi postquam dixit, Hispaniam, & Galliam D. Petro, Romanæque Ecclesiæ suam Fidem, & Magisterium debere, subdit: *Quod si non legunt, oportet eos sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse, non dubium est.*

1405 Huic sententiæ luculenter patrocinatur Sumus Pontifex CALIXTVS I. *Dist.* 12. *cap.* 1. vbi hæc habet: *Non decet à capite membra discedere. Nulli verò dubium est, quod Apostolica Ecclesia (loquitur de Romana) Mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius regulis nullatenus vos convenit deviare.*

1406 His suppositis, Honorii condem-

demnationem numquam fuisse ab Ecclesia, inter Monothelitas Anathemate perculsos, admissam, aut approbatam, certissimum est: Anathemati enim à VI. Synodo in Monothelitas inflicto, annexum erat Decretum, quo Sancta Synodus præcipiebat, vt Anathematizatorum nomina ab Ecclesia expungerentur; & quamvis Anastasius Bibliothecarius asserat, huiusmodi Decretum in Patriarchis Orientalibus immediatè fuisse executioni mandatum; Honorii tamen nomen neque in Orientali, neque in Occidentali Ecclesia vmquam deletum est; imò omni semper tempore à suo obitu, & totis 45. annis vsque ad VI. Synodum elapsis, omnes Summi Pontifices eum verè Catholicum venerati sunt, ipseque Leo II. qui VI. Synodi Acta, extinctionemque nominum Monothelitarum approbavit, neutiquam præcepit, vt Honorius à Catholicorum Pontificum Catalogo eraderetur. Nec solus Leo II. sed & omnes illius Successores, qui, ad hodiernum vsque diem, per mille, & amplius annos Ecclesiam gubernarunt, Honorium verè pro Catholico habuerunt, & inter Catholicos Pontifices connumerarunt.

1407 Cum ergo certum Dogma sit, & indubitatum, vniversalem Ecclesiam errare non posse; hæcque Honorium tàm vivum, quàm vita functum, semper verè Catholicum agnoverit, perque mille, & amplius ab eius obitu annos inter Catholicos recensuerit; hinc rectè infertur, Ecclesiam, Traditione tot sæculis continuata, numquam Anathema in Honorium à VI. Synodo intortum admisisse, nec eum inter Monothelitas, sed inter Catholicos habuisse. Hoc argumentum efficacius est pro Honorio, istiusque Catholico animo, ac Fidei puritate, quàm cætera omnia, quæ in oppositum adducta sunt, cum innitatur Traditioni, tot sæculis ab Ecclesia receptę, quæ, vt ex Sanctis Patribus ostendimus, efficacissimum est argumentum ad Catholica Dogmata comprobanda.

1408 Nihilominùs tamen, quia multorum animi potiùs ratione, quàm Authoritatis pondere momenta; non erit absre, pro maiori huius veritatis munimine expendere momenta, quibus adducta fuit Ecclesia, nê Honorii condemnationem admitteret, dato quod lata esset in OEcumenico Concilio, Authoritate Apostolica congregato, & à Summo Pontifice confirmato. Ex dictis facilis esset resolutio, si attenderetur, Apostolicam Sedem, vt paulò ante probavimus, multoties supremam suam Authoritatem in confirmandis Conciliis adhuc Generalibus exercuisse, ipsa aliquando in totum, aliquando verò solum in partem approbando, spernendoque aliqua Decreta, quamtumvis vnanimi Patrum consensu statuta. Quoniam autem de re non levis agimus ponderis, placuit aliquas proferre rationes, quæ Ecclesiam permovere potuerunt, ne prædictum in Honorium Anathema admitterret.

§. I.

PROPONITVR PRIMA RATIO, qua adduci potuit Ecclesia, nè Honorii Anathema confirmaret.

1409 PRimò, quia VI. Synodus, in eo fulminando, à communi consuetudine, in Generalibus Conciliis semper servata, longè recessit: Sacra namque vniversalia Concilia, dùm aliqua Fidei quæstio definienda occurrit, numquàm ad eius Decisionem procedunt, quin Primæ, & Apostolicæ Sedis Iudicium, sententiaque præcedat; vt ostendunt apertè celebriora Cõcilia, quę in Ecclesia celebrata sunt. In CONCILIO EPHESINO noluerunt Patres contra Nestorium procedere, quin ipsorum Decretum præcederet instar normæ, condemnativa sententia, quam contra nefandam illius hæresim Cęlestinus Papa protulerat, vt constat *ex* 1. *Actione* dicti Concilii, in qua sic Patres loquuntur: *Congregatis nobis, Nestorium à Sacerdotio removimus, depositionem eius Canonicam facientes, atque laudantes Deo amantissimum, & Sanctissimum Episcopum Maximę Romæ Cælestinum, qui, ante nostram sententiam, hæretica Nestorii Dogmata, & ante nos protulit adversus eum Sententiam, propter Ecclesiarum cautelam, & traditam nobis Fidem ab Apostolis.*

1410 Secundò, hanc eamdem veritatem eleganter confirmat quod S. DAMASUS Papa, vnà cum Romani Concilii Patribus contra Ariminensis Concilii inordinatum procedendi modum Episco-

pis in Illyrico constitutis scripsit, dicens: *Nec enim præiudicium aliquod fieri potuit per numerum Episcoporum Arimini congregatum, quandò constat Romanum Pontificem, cuius ante omnia decebat expectare Decretum, talibus non præbuisse consensum.*

1411 Tertiò, idipsum præclarè comprobat, quod S. LEO Papa Theodosio Imperatori scripsit, ostendens, ideò Ephesinam Synodum errasse; quia non permisit, legi Sententiam, & Iudicium, quòd in rebus Fidei, Apostolica Sedes tulerat, vt ita Concilium ab omni errore tutum redderetur, ac securum: *Ad Episcopale (inquit) Concilium, quod haberi apud Ephesum præcepistis, tam instructi sunt Missi, vt si scripta, quę ad Sanctam Synodum, vel ad Flavianum Episcopum detulerunt, Episcoporum publicari auribus, Alexandrinus permisisset Antistes, ita manifestatione puritissimæ Fidei, quam Divinitùs inspiratam & accepimus, & tenemus, omnium concertationum strepitus quievisset, vt nec imperitia vltra deciperet, nec nocendi æmulatio viam repeteret.*

1412 Quartò, omni animadversione dignum occurrit, quod NICOLAUS Pontifex, *Michaeli Imperatori* scribens, asseruit, adeò nempè necessarium esse, Romani Pontificis Sententiam Conciliorum Definitionibus præmitti, vt Ephesini Cōcilij Patres haud leve amittendę Fidei periculum subierint, quòd non expectato S. Leonis Papæ Iudicio, definire voluissent. *Quomodò (inquit) non ęgeat quælibet Synodus iuvamine Sedis Apostolicæ, quando in Ephesino latrocinio cunctis Præsulibus, & ipsis quoque Patriarchis prolabentibus, nisi magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptum est: *Vicit Leo de Tribu Iuda*, divinitùs excitatus, os aperiens, totum Orbem, & ipsos quoque Augustos concuteret, & ad pietatem commoveret, religio Catholica penitùs corruisset.*

1413 Quintò, nostrę Assertioni apertè suffragatur CHALCEDONENSIS SYNODUS, quæ contra Nestorianam, & Eutychianam hæresim procedere noluit, quin priùs ipsi innotesceret S. LEONIS Papæ mens, & Sententia circa prædictę hæreseos condemnationem. Undè Sanctissimus Pontifex Theodorito, Cyri Episcopo hęc scribit: *Revertentibus ad nos Fratribus, & Consacerdotibus nostris, quos ad Sanctum Concilium Sedes Beati Petri direxit, agnovimus dilectionem tuam superno adiutorio nobiscum, tàm Nestorianę impietatis, quàm Eutychianæ væsaniæ extitisse victricem. Vndè & gloriamur in Domino cum Propheta, canentes: *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit Cælum, & Terram*, qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit; sed quæ nostro priùs definierat ministerio, vniversę fraternitatis irretractabili firmat assensu, vt verè à se prodire ostenderet, quod priùs à prima omnium Sede firmatum, totius Christiani Orbis iudicium recepisset, vt in hoc quoque Capiti membra concordent.*

1414 Sextò, huc egregiè facit quod S. LEO Papa *Vniversis Episcopis per Siciliam constitutis* scripsit: *Culpam nullo modo potuistis incidere, si vndè consecrationis honorem accepistis, indè legem totius observantiæ sumeretis, & Beati Petri Apostoli Sedes, quæ vobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esset Ecclesiasticæ magistra rationis.*

1415 Septimò, præclarè NICOLAVS I. Imperatorem Michaelem admonuit, vt intelligeret, quòd sicut CHRISTVS DOMINVS Ecclesiæ Primatū Cathedræ D. Petri contulerat: sic in omnibus Conciliaribus dispositionibus, Canonicisque definitionibus, prima norma, & regula debebat esse sententia, & resolutio Romani Pontificis, qui est immediatus Cathedræ D. Petri successor; vt apertissimè constat *ex ipsius Nicolai* 1. *Epistola in* 4. *Actione* 8. *Synodi* vbi hæc leguntur: *Sicut constat, Sanctam Romanam Ecclesiam, & Beatum Petrum, Principem Apostolorum, qui Dominico ore Primatum Ecclesiæ suscipere promeruit, omnium Ecclesiarum caput esse, & ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis vtilitatibus, & Ecclesiasticis institutionibus, quas Canonicas, & Synodicas, Sanctorum Patrum sermone, inviolabilitèr, atque irrefragabilitèr retinet, exquirere, atque sectari.*

1416 Octavò, idipsum luculenter confirmat idem NICOLAVS Papa, ad prædictum Michaëlem Imperatorem, hæc, inter alia, scribens: *Ad cuius enim (scilicet

licet Fidei) integritatem obſervationis, multoties Conventus factus eſt Sanctorum Patrum, à quibus, & deliberatum, & obſervatum extitit, qualiter abſque Romani Pontificis conſenſu, nullius inſurgentis deliberationis terminus daretur.*

1417 Nonò, eximiè huic ſententiæ auxiliatur, quod ADRIANI II. Apocriſariis, vel Legatis in VIII. Synodo contigit. Scripſerat Pontifex ad prædictam Synodum Sententiam, & Decretum, quod circa Dogma adorationis imaginum condiderat; quod vix lectum fuit, quando Apoſtolicæ Sedis Legati à Cæſario Patriarcha, atque à Synodo tota inquiſierunt: An prædictum Decretum, & Fidei definitionem ab Adriano II. ſtatutam, & ante omnia præfatæ Synodo propoſitam, admitterent? Quibus tota Synodus ſic reſpondit: *Tota Sanctiſſima Synodus ita credit, ita ſapit, ita Dogmatizat.* Ipſique Apocriſarii vlterius progredientes, ſic præfatam Synodum interrogarunt: * Dicat nobis Sancta Synodus, ſi admittat Litteras Sanctiſſimi Papę Senioris Romæ, an non? Reſpondit Sancta Synodus: Sequimur, & ſuſcipimus, & admittimus.* Ex quibus apertiſſimè liquet, in præfata Synodo circa illud Fidei Dogma, præceſiſſe Adriani Pontificis reſolutionem, quæ à tota Synodo ſuſcepta fuit, ac venerata.

1418 Decimò, idipſum vlterius roboratur ex his, quæ in VIII. CONSTANTINOPOLITANA SYNODO evenerunt; in qua Fidei Dogma in ipſa definiendum anteivit Fidei reſolutio, Sententiaque Adriani Papæ, qui libellum miſit, vt omnes Epiſcopi ſecundum formam illius profiterentur, ac procederent; quod & factum eſt. Libellus autem ille, vt ex geſtis eiuſdem Synodi patet, ſic incipit: *Prima ſalus eſt, rectæ Fidei regulam cuſtodire; & à conſtitutis Dei, & Patrum nullatenùs deviare, &c. Quàm Fidem Patres Synodi profitentes, ſic dicunt: Porrò de Venerabiliſſimo Ignatio Patriarcha noſtro, & de his, qui ex parte ipſius ſunt, quod Authoritas Apoſtolicæ Sedis Veſtræ decrevit, tota mente ſequimur, & religioſa devotione veneramur, atque pro poſſe, & noſſe noſtro, pia intentione, ac ſpirituali conflictu defendimus: quoniam, ſicut prædiximus, ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & obſervantes eius omnia cõſtituta, ſperamus, vt in vna Communione, quàm Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur, in qua eſt integra, & vera Chriſtianæ Religionis ſoliditas, promittentes etiam ſequeſtratos à Communione Eccleſiæ Catholicæ, id eſt non conſentientes Sedi Apoſtolicę, eorum nomina inter ſacra non recitanda eſſe Myſteria.*

1419 Nec in VI. SYNODO, CONSTANTINOPOLITANA III. hæc conſuetudo, & providentia prętermiſſa eſt; ſiquidem Sanctiſſimus Pontifex AGATHO Apoſtolico Zelo illius Concilii Patres inſtruxit, ac præmonuit, quid in illo eſſent pertractaturi, Dogma nempè de duabus in CHRISTO voluntatibus, & damnationem oppoſitum ſentientium, quos iam antea Eccleſia in duobus Conciliis condemnaverat, & Anathemati ſubiecerat, vt conſtat ex inſtructione Fidei, quàm per ſuos Legatos miſit, quæque *Actione* 4. lecta fuit, tamque ſingulari acclamatione ſuſcepta, ac ſi à Spiritu Sancto per os D. Petri emanaſſet; quàm proindè illius Synodi Patres nonmodò vt regulam ſequuti ſunt, ſed etiam propria manu conſignarunt, vt Cardinalis TURRECREMATA adnotavit, *lib. 3. de Eccleſ. cap. 23.* In hac inſuper ſuggeſtione, & Fidei regula Pontifex, propoſita Fide, quàm Apoſtolica Sedes, quoad duas in CHRISTO voluntates, docet, & amplectitur, Imperatorem Conſtantinum hortatur, vt diligentèr curet, prędictam Fidei Regulam in ſuo Imperio executioni mandari; ita enim Imperatorem orat: * Corde contrito, & fluentibus lacrymis, mente proſtratus exoro, porrigere dignemini clementiſſimam dexteram veſtram Apoſtolicæ Doctrinæ, quàm cooperator piorum laborum veſtrorum, B. Petrus Apoſtolus tradidit, vt non ſub modio concluſam, ſed tuba clarius in toto Orbe prædicetur; quia eius vera confeſſio à Patre de Cælis revelata eſt, pro qua à Domino omnium, *Beatus* eſſe pronunciatus eſt Beatus Petrus, quia & Spirituales Oves Eccleſię, ab ipſo Redemptore omnium, trina commendatione paſcendas ſuſcepit, cuius annuente prędidio, hęc eius Apoſtolica Eccleſia numquàm à via veritatis in quamlibet erroris partem deflexa eſt; cuius Authoritatem, vtpotè omnium Apoſtolorum Principis, ſem-

per

per omnis Catholica CHRISTI Ecclesia, & vniversales Synodi amplectentes, in cunctis sequutæ sunt. * Collatis verò Sanctorum Patrum Authoritatibus, quas Agatho Pontifex pro duabus in CHRISTO voluntatibus allegabat, visaque earum cum Authographis, quæ in Patriarchali Archivio asservabantur, conformitate, prædicta Fidei suggestio denuò *in Actione* 8. prefatæ VI. Synodi lecta fuit, ac singulari plausu suscepta. Vndè DEMETRIVS Episcopus dixit: * Suggestiones directas à Patre nostro Agathone, Sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ, & principalis Sedis Antiquæ Romę adà Deo coronatum, & Magnum Victorem Imperatorem, tamquàm ex Spiritu Sancto dictatas, per os Sancti, ac Beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito prædictiter Beatissimi Papæ Agathonis scriptas, suscipio, & amplector, & ita credo, ita sentio, &c. *

1420 GENESIVS itêm Episcopus dixit: * Secundum virtutem relectarum suggestionum Sanctissimi Papę Romanę, Vrbis sic credo & confiteor, &c. * Item GEORGIVS Episcopus Camulianorum: * Suscipio (inquit) & sequor suggestiones ab Agathone Sanctissimo Papa Romæ, & sic credo, & sic confiteor, &c. * Similiterque cæteri illius Concilii Patres subscripserunt, in omnibus assentientes his, quæ circa Dogma duarum in CHRISTO voluntatum Pontifex Agatho, in suo Romano Concilio definierat.

1421 Ex tàm memorabilibus celebriorum Conciliorum gestis manifestè liquet, fuisse vniversalem observantiam Ecclesiæ in Generalibus Conciliis representatæ, in magni ponderis rebus ac præcipuè in his, quę ad Fidem, hęresum condemnationem, hęreticorum que proscriptionem spectant, nihil agere, nihilque definire, quin priùs, & ante omnia præcederet primę Sedis D. Petri Sententia, Iudicium, & resolutio manifestata per Summos Pontifices, qui pro eo tempore in illa præsidebant, adeò vt iam temporibus Ephesini Concilii, Venerabiles illius Synodi Patres, hanc perpetuam consuetudinm Apostolicã Traditionẽ agnoverint, prout ex primo exemplari probavimus.

1422 Quod autem in VI. Synodo quoad Honorii condemnationem, cum esset in materia Fidei, & ratione personæ, & officii, res totius Ecclesiæ gravissima, nulla Romani Pontificis, qui tunc temporis Ecclesiam moderabatur, qualis erat Agatho, Sententia, nullumque Iudicium præcesserit, certissimum est: numquàm enim Apostolica Sedes, nec aliquis, ex novem Pontificibus, qui VI. Synodum præcesserunt, nec Sanctissimi Papæ Martinus, & Agatho, qui Concilia celebrarunt, in quibus Dogma de duabus in CHRISTO voluntatibus definitum fuit, & Anathema contra Orientales Patriarchas oppositum sentientes intortum, Sententiam contra Honorianę Fidei puritatem pronunciarunt: imò Hęreticis Honorium Monothelismo adhęsisse blatterantibus, Sanctissimi prefati Pontifices rem istam diligentissimè discutientes, nullamque, nec levissimam culpam in eo invenientes, scripta, in quibus hæc calumniosa blasphemia continebatur, igni tradenda decreverunt, vt suprà probatum est, apertè agnoscentes, certissimèque iudicantes, tantum Pontificem indignum esse, qui inter Monothelitas ab Apostolica Sede, in vtroque illo Concilio proscriptos, recenseretur, aut illorum consors, & sceleris particeps haberetur. Ideoque Pontifex Agatho in Sententia, quam in VI. Synodo publicari iussit contra Monothelismi Authores, & Fautores, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Patriarchas Orientales, inter illos Honorium non enumerat, nec levem adhuc de illo mentionem facit.

1423 Nec obstat, Epistolam Concilii iam absoluti ad Agathonem Pontificem, Honorium inter Anathematizatos comprehendere, illis verbis: * Anathematibus interfecimus, ex Sententia per Sacras Vestras Litteras de his priùs lata, videlicet Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum Paulum, Pyrrhum, & Petrum. * Non, inquam, obstat; tùm proptèr ea, quę de hac Epistola, dicta reliquimus suprà. Tùm, quia manifestê deceptus fuit, qui illam composuit, vel in ea Honorii nomen malitiosè inservit; in Sententia namque, quam Agatho Pontifex tulit, estò Anathemate percutiat Monothelitas relatos in Romano Concilio, & Suggestione Fidei, quam ad VI. Synodum per suos Legatos misit; nec levis extat de Honorio mentio, vt in prædicta Synodo *loco citato* vide-

videri potest. Si ergo verum esset, quod in præfata Epistola refertur, nempè VI. Synodi Patres condemnationis sententiam in Honorium protulisse, discessissent vtique ab Apostolica Traditione, vniversalique consuetudine in omnibus observata Conciliis, cum in re Ecclesiæ gravissima ad definiendum processissent, quin illorum Definitionem, Romani Pontificis præcessissent sententia: etenim, vt suprà probavimus, nec Agatho, nec vllus alius Pontifex Honorium vmquàm condemnavit, nec in materia Fidei eum, vel levissimæ culpę reum agnovit, nec alicui Concilio tamquam censura dignum proposuit; imò summis laudibus extulerunt Apostolicum illius Zelum, in extinguendo perniciosissimo schismate, per tot annos Ecclesiam perturbante.

§. II.

EXPENDITVR SECVNDA Ratio, qua arbitramur, Ecclesiam, Honorii condemnationem in VI. Synodo editam, iustè non admisisse.

1424 SEcunda ratio est: quia VI. Synodi Patres contra consuetum motē, in omnibus observatum Conciliis, resilierunt à finibus, quos Sanctissimus Pontifex Agatho in instructione Fidei eis præscripsit. Pro huius Assertionis elucidatione prænotare oportet 1. in omnibus Generalibus Conciliis, Apostolica Authoritate congregatis, in causis Fidei inconcusso stylo, inviolabilique consuetudine comparatum esse, vt Summi Pontifices per suos Apostolicos Legatos mittant Suggestionem, vel instructionem Fidei, in qua congregandi Concilii rationes, causæque in illo pertractandæ præscribuntur.

1425 Sic Chalcedonensis Concili Patribus, vt ad Eutychetis condemnationem procederent, fuit pro instructione condemnatio, quàm contra illum Sanctissimus Pontifex Leo iam antea pronunciarat, vt omnes illi Patres prædictę Leonis sententię, quoad omnia in ea Synodo subscriberent, prout patet ex S. LEONIS MAGNI *ad Theodoretum Cyri Episcopum Epistola*, quæ est 63. de Chalcedonensis Concilii Dogmate contra Eutychetem, vbi hæc leguntur: * Quę Dominus nostro priùs ministerio definierat, vniversę fraternitatis irretractabili firmavit assensu, vt verè à se prodire ostenderet, quod priùs à prima omnium Sede formatum, totius Christiani Orbis iudicium recepisset, vt in hoc quoque Capiti membra concordarent. *

1426 GALLIARUM EPISCOPI *in Epistola ad Leonem I.* quæ est ante 50. Leonis, gratias ei referunt, quòd eis Fidei Instructionem contra emergentes errores præscripserit: * Exultavimus (inquiunt) lectis Litteris Beatitudinis Vestræ, etiam Instructione patefacta, omnes intra Gallias constitutos exultare mox fecimus, dolentes paritèr pro iis vobiscum, qui, Catholicæ Fidei derelicto lumine, in errorum tenebras inciderunt, quæ Apostolatus Vestri scripta, ita vt Symbolum Fidei, quisquis Redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci, quò ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit. *

1427 Hûc præclarè facit condemnatio, quam contra Pricillianistas I. BRACHARENSIS CONCILII PATRES tulerunt 17. Capitibus, quibus declarant se ex Apostolicæ Sedis Instructione, eam protulisse sententiam, his verbis: * Si quid illud est, vel parum, vel magnum, quo variari videmur, ad vnam formulam præfixis rationabilitèr capitulis revocetur, præcipuè cum desertis quibusdam causis, Instructionem apud vos Sedis Apostolicę habeamus, quæ ad interrogationes suas, quondam venerandæ memoriæ Prædecessores tui, pro futuri prudentia, ab ipsa B. Petri accepit Cathedra. *

1428 Sic etiam DARDANIÆ EPISCOPI Gelasio Pontifici scripserunt, debitas ei grates persolventes de Fidei Instructione, quam eis miserat, seseque illius executioni promptos, ac alacres profitentur, extant autem hæ prædictorum Episcoporum Litterę inter Epistolas Gelasii, ibique sic eum alloquuntur. *Saluberrima Apostolatus vestri præcepta, qua oportet devotione suscepimus, & maximas Beatitudini vestræ referimus gratias, quòd nos pastorali admonitione, & Evangelica Doctrina visitare dignatus est, desiderii enim nostri est, iussionibus

vestris

vestris in omnibus obedire, &, quemadmodum à Patribus nostris accepimus, intemerata servare, atque religionem Orthodoxam, cuius estis prædicatores, fideli, & inculpata devotione custodire, & singulari illi Sedi Vestræ, communi fide, & devotione parere contendimus. *

1429 Prę̃clarè ad hanc rem S. ATHANASIUS *in Epist. ad Iovinianum*, vbi loquens de S. Sylvestro, sub quo Nicæna Synodus celebrata est, hęc scribit: * Quasi Concilii Sententiam antevertens, formulam Fidei, veluti tesseram Christianitatis, & ideam, normamque credendorum, per Osium Legatum expressit.*

1430 Primi CONSTANTINOPOLITANI CONCILII PATRES Fidem à S. Damaso in Romano Concilio circa confessionem Sanctissimæ Trinitatis præscriptam, amplexi sunt, & in eo Concilio definierunt.

1431 In CONCILIO EPHESINO, vt habetur *tom.* 2. *Concil. cap.* 15. refertur peroratio Episcopi Cæsareæ Cappadociæ, sic ad rem nostram loquentis. *Sacra, & Apostolica Cælestini Sanctissimi, Sacratissimique Sedes, per Litteras, quas pridem ad Cyrillum Alexandrinum, & Iuvenalem Hierosolymitanum, & Rufum Thessalonicensem Sanctissimos, Sacratissimosque Episcopos, nec non ad Sanctas Constantinopolis, & Antiochiæ Ecclesias misit, certam de præsenti negotio sententiam, regulamque præscripsit. *

1432 Ad II. etiam Constantinopolitanam Synodum VIGILIUS PONTIFEX Instructionem Fidei misit, vt illius Concilii Patribus norma esset, in iis, quæ in eo agenda præscripserat, vt constat *apud Evagrium*, *lib.* 4. *cap.* 37. referentem hęc Patrum illius Concilii verba. * Suscipimus, & Epistolas Præsulum Romanę Ecclesiæ. * Et vt agnosceretur, se huiusmodi Epistolas venerari, tamquam ideam, normam, & regulam, iuxta quam erant processuri, subdunt, ad Vigilium Papam scribentes. * Petimus, præsidente nobis vestra Beatitudine de tribus Capitulis quæri, & conferri.* Quibus respondit Vigilius: * Annuimus, vt de tribus Capitulis, facto regulari Conventu, mediis Sacrosanctis Evangeliis collatio habeatur, & finis detur placitus Deo. *

1433 Ex prędictis Authoritatibus, & memorabilibus Conciliorum factis, manifestè constat, quod 1. præsuppossuimus, vniversali nempè Ecclesię consuetudine comparatum esse, vt nihil grave in aliquo agatur Concilio, quin Romanorum Pontificum præcedat Instructio, qui pro eo tempore existentes, ea, quæ pro vniversali Ecclesiæ bono, in Conciliis pertractanda sunt, semper præscripsisse noscũtur.

1434 Secundò præmonendum putamus, prędictas Instructiones à Summis Põtificibus ad Concilia mitti solitas, non esse tantummodò cæremoniales, nec à Concilii Patribus, tamquàm Instructiones ad meram vtilitatem, & ad benè esse spectantes, suscipi, sed debere ab eis, tamquàm Fidei regulas admitti, & observari; ita vt penes istorum arbitrium non sit, ab earum præscripto discedere, vt ex sequentibus liquidò apparebit.

1435 In CHALCEDONENSI CONCILIO tanta fuit Romani Pontificis S. Leonis Authoritas, in Decretis Fidei contra Eutychetem, duas in CHRISTO naturas (vna tantummodò admissa) confundentem, vt nonmodò eum, illiusque hæresim Romæ condemnarit, sed etiam Apostolicos Legatos ad prædictam Synodum 630. Patribus coalescentem, miserit, quæ ad Definitionem procedere noluit, quin priùs legeretur Dogmatica S. Leonis Papæ Epistola, ad Flavianum Episcopum directa, quæ re vera lecta fuit *Act.* 2. & à toto Concilio, tamquàm Fidei regula tanto plausu susceptа, vt Reverendissimi Episcopi clamarint: *Hæc est Patrum Fides, hæc Apostolorum Fides; Omnes ita credimus, Anathema, qui non credit. Petrus per Leonem ita locutus est. Apostoli ita docuerunt. Piè, & verè Leo docuit. Hęc, in Epheso, cur lecta non sunt? (id est in II. latrocinali Ephesino Concilio) hæc Dioscorus occultavit. *

1436 Pro maiori huius Veritatis confirmatione memoranda est Synodalis Epistola, qua prædicti Concilii Patres confirmationem à Pontifice imploraruut, vt habetur *Act.* 16. vbi sic loquuntur: *Sancta, & Magna vniversalis Synodus, &c. * Et infrà, loquendo de Doctrina Fidei, à Leone per Epistolam Dogmaticam tradita, hæc dicunt: * Quam velut auro textam seriem, ex veste CHRISTI, & præcepto legislatoris venientem,

vsque

vsque nos ipse servasti, Vocis B. Petri omnibus constitutus interpres, eius fidei Beatificationem super omnes adducens, vndè & nos quippè, vt inchoatore bonorum, & ad vtilitatem vtentes, &c. *

1437 Idipsum eleganter confirmat VI. GENERALIS SYNODVS, CONSTANTINOPOLITANA III. *Act.* 4. vbi lecta fuit fidei Suggestio, ab Agathone Pontifice missa, in qua affirmat Sanctissimus Pontifex, se mittere per Legatos, exemplaria Authentica Decretorum in quinque superioribus Conciliis, & ab Apostolicis Prædecessoribus; testimonia Patrum, quos Apostolica Ecclesia recipit, cum eorum libris; mandatque Professionem Fidei, & de quæstione disputanda Patrum Authoritates.

1438 At *Act.* 18. ipsi præfatę Synodi Patres, suscipientes vt normam, ac regulam, Definitionem antea in Romano Concilio à Sanctissimo Pontifice Agathone, contra Monotheliśmum, istiusque Authores conditam, & in Dogmatica prędicti Pontificis Epistola, vel Instructione fidei contentam, fatentur, se eam admittere, tamquàm doctrinam divinitùs inspiratam, & à D. Petro per os Agathonis ipsis manifestatam. * Confessionem (inquiunt) à Deo inspiratam illa Romana Antiqua Civitas obtulit, & Dogmatum diem à Vespertinis partibus extulit. Charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur, (Et infrà) Summus nobiscum concertabat Apostolorum Princeps, illius enim imitatorem, & Sedis Successorem habuimus fautorem, & divini Sacramenti Mysterium illustrantem per Litteras. *

1439 Huc præclarè faciunt, quæ insignis ille Episcopus PRVDENTIVS, S. Damaso Papæ scripsit, dicens: *Cum Vestræ Sedi Episcoporum Iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, in honore Beatissimi Petri, Patrum Decreta omnium cunctam reservavere sententiam inquirendi reverentia de Dei rebus, quas observare debemus, maximè iustè debent ab ipso Præsulum examinari Vertice Apostolico, cuius Vestra sollicitudo est, tàm mala damnare, quàm revelare damnanda. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quidquid horum, quamvis in longuinquis positis ageretur Provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam Almæ Sedis Vestræ fuerit deductum, vt eius Authoritate, iuxta quod fuisset pronunciatum, firmaretur. *

1440 Cui consonat Magnus THEODORETUS *in Epist. ad Leonem Magnum*, quæ habetur *in fine operum eius*, vbi apertè ostenditur, quanta sit Romani Pontificis Authoritas, & in rebus Fidei Infallibilitas, ibi enim probat: quòd si S. Paulus D. Petrum adiit, eumque in rebus Fidei consuluit, potiori iure debemus & nos id ipsum exequi, maximè in Conciliis, vbi de causa Fidei principalitèr agitur. * Si Paulus (inquit) præco veritatis, Tuba Sanctissimi Spiritus, ad magnum Petrum concurrit, vt iis, qui Antiochiæ de institutis legalibus contendebant, ab ipso afferret sententiam, multò magis nos, qui abiecti sumus, & pusilli, ad Apostolicam Vestram Sedem currimus, vt Ecclesiarum vlceribus medicinam à Vobis accipiamus. *

1441 Et infrà, in laudem Romanæ Ecclesiæ dicit. * Præcipuè autem, & insignitèr eam exornat Fides, & fidedignus Apostolus divinus, qui clamat: *Fides Vestra annunciatur in vniverso mundo.* (Et infrà:) illorum Sedem claram, insignemque reddidit, cum Vestram Sanctitatem in ea collocavit; quia radios Fidei Orthodoxæ emittit. * Deindè enarrat, quot hæreses Leo Sanctissimus suis Decretis damnaverit, quotque Dogmata pro Concilio Chalcedonensi firmaverit.

1442 His igitur suppositis, quæ tot fulta fundamentis probavimus, Generalia nempè, & legitima Concilia, Authoritate Apostolica congregata, in gravibus, & maximè in iis, quæ ad Fidem, & Religionem spectant, adeò maturè procedere, vt ad earum rerum tractationem minimè progrediantur, quin præcedat Romani Pontificis Instructio, tamquàm norma, Regula, ac Cynosura, in iis, quæ conciliariter agenda sunt, adeò, vt teneantur prædictæ Instructioni, tamquàm Regulæ, ac infallibili Fidei Definitioni parere, ne in Fidei periculum, & in errores facilè labantur.

1443 Pro CONCLVSIONE statuimus: Concilia, quamtumuis Generalia, & Apostolica Authoritate congregata, non posse discedere â prædicta Romani

Pontificis Instructione Fidei. Et ratio est manifesta : quia Generalia Concilia, cum gravi sint Ecclesiiis dispendio, gravamini, & iacturæ, ob absentiam Prælatorum à suo munere, & animarum cura, quæ ipsis iure divino incumbit, non congregantur, ad generaliter de omnibus Ecclesiasticis rebus agendum, sed de vrgentioribus tantùm, in causa Fidei, & Religionis, quas præscribere, & designare spectat ad Romanum Pontificem in Litteris Concilii convocatoriis, & Suggestione Fidei, seu Dogmatica Epistola, quę, pro more in Ecclesia servato, solet ante omnia in Conciliis legi, vbi in specie agitur de pręcipuo fine, & specialibus causis, ob quas illud congregatur Concilium. Vndè ad alia transilire, & de aliis agere, est ab Instructione Fidei deficere, & à præcipuo congregandi Concilii scopo procul abesse ; quòd valdè reprehensibile est, & severissimè coercendum, vt ex sequentibus innotescet.

1444 Primò : quia id manifestê ostendit acris illa reprehensio, qua in Anatholium, Constantinopolitanum Antistitem, invehitur Sanctissimus Pontifex LEO, quòd pręscriptos convocationis Concilii limites excesserit ; prædicto enim Episcopo scribens, eum severè coarguit, quòd Chalcedonensem Synodum induxisset, vt prima Sedes post Romanam, qualis priùs erat Alexandrina, constitueretur Constantinopolitana. *Quibus (inquit) inauditis, & numquam ante tentatis, ita preveniris, excessibus, vt Sanctam Synodum, ad extinguendam solùm hæresim, & ad confirmationem Fidei Catholicæ, studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionem ambitus tui trahas, & vt conniventiam suam tibi det, impellas, tamquàm irritari nequeat, quod illicitè voluit multitudo. (Et infrà) Nimis ergo hæc improba, nimis prava sunt, quæ Sacratissimis Canonibus inveniuntur esse contraria. In totius Ecclesiæ perturbationem, superba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit Concilio Synodali, vt fratres in Fidei tantummodò negotio convocatos, & Definitione eius causæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad consentiendum sibi, aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret.* Hæc ille.

2445 Secundò : quia id ipsum eleganter confirmat Epistola, quam NICOLAUS Papa Michaeli Imperatori scripsit, equissimè conquęrens de Concilii Patribus, qui illa Synodo, solum in Fidei causa congregata, progressi fuerant ad Patriarchæ Ignatii condemnationem, huic Photium iniquissimè sufficientes, quę quidem Epistola lecta fuit *Actione* 4. vbi, inter alia, hæc habentur. * Quòd verò strenuum Virum Ignatium Patriarcham, vestro speciali depoluistis, damnastis, & expoliastis arbitrio, & Photium de Laicali agmine, vobis improvidê in eius loco subrogastis Episcopum, equanimitèr ferre omninò non possum, maximê, cum horum duorum negotium investigari, & nobis renuntiari, non definire, mandaverimus. * Hęc ibi.

1446 In hunc textum rectissimê monuit Eminentissimus Cardinalis TURRECREMATA *lib. 3. de Eccles. cap.* 38. hinc apertè colligi Generalia Concilia, vniversali Authoritate non gaudere, sed eam limitatam habere, quoad illud nempê præcisê, ad quod congregata sunt, & non ad aliud. * Ecce, (inquit) manifestè haberi ex huiusmodi reprehensionibus, quod Concilia Vniversalia congregata, ad ea tantûm extendere se debeant, sententiando, sive definiendo, ad quę congregata sive convocata fuerint, & non ad alia. *

1447 Nec à ratione alienum videtur hoc ; Concilium enim quoad suorum Decretorum, & Definitionum infallibilitatem pendet ab infallibili Supremi Ecclesiæ Capitis, Romani nempè Pontificis Sententia, & Iudicio, vt elegantèr docet ANGELICUS PRÆCEPTOR *in opusculo contra impugnantes Religionem*, vbi hæc habet. * Sancti Patres in Concilio congregati nihil statuere potuissent, nisi Authoritate Summi Pontificis interveniente, sine qua etiam Concilium congregari non potest. * Quæ tàm certa sunt, quàm communia inter Dogmaticos, & inter illos latè probat Cardinalis TURRECREMATA *in Decret. distinct. 17. per totam*, & communitèr Canonistæ *in cap. significasti. extra. de electione.* Vndê consequentèr Vniversale Concilium regularitêr ad id tantum se extendere potest, quantum ordinat, vel disponit Pontifex Maximus, qui Vni-

versale

versale Concilium convocat, & sua Authoritate communit.

1448 Ad hoc allusit Sanctissimus Pontifex LEO, dùm ad Patres Ghalcedonensis Concilii scribens, significavit, se tantummodò velle confirmare Decreta Fidei, ad quę illud Concilium fuerat congregatum, & non aliud; hæc enim scripsit: * Vt fraterna Vniversitas, & omnium Fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium propriam iniisse sententiam, in sola scilicet Fidei causa, quod sæpè dicendum est, propter quam Generale Concilium, ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis, placuit congregari, vt damnatis hæreticis, &c.* Ex quibus patet, Pontificem solum approbare ea, ad quę, congregatum fuit illud Concilium, & non alia.

1449 Hoc autem adeò verum est, vt Adriani II. Legati in VIII. Synodo noluerint agere de articulis, qui in Pontificis Instructione propositi non erant, vtpotè, quia certissimè intelligebant Concilium non habere Authoritatem ad agendum de iis, ad quæ non fuerat convocatum, vt colligitur, *ex Act. 5. VIII. Synodi*, vbi Legati Papę, scientes se non posse protendi, nisi quantum ab Apostolica Sede eorum potestas ampliata erat, sic Synodum alloquuntur. * Nos non novum aliquod, vel recens iudicium iudicavimus, sed vetus, & multo tempore iudicatum quidem à Sanctissimo, & Beatissimo Papa Nicolao, firmatum autem à Sanctissimo Papa Adriano, & non possumus transferri, vel commoveri à Paternis definitionibus, & legibus, nec declinare ad dexteram, vel ad sinistram.* Hæc ibi.

1450 Hucusque probavimus debere Concilium sese accommodare Summi Pontificis Instructioni, causas in Concilio peragendas, istiusque Authoritatem ad eas solum, ad quas præcipuè congregatum est, præscribenti; nec posse Concilii Patres à Pontificis Instructione, vel Dogmatica Epistola abire, cum hæc ipsis vt Fidei Regula proponatur. Quarè ad secundam iam Assertionem progrediamur.

1451 Sit II. CONCLVSIO: Si Concilium discesserit ab iis, quæ ei in Instructione Fidei præscribuntur, quidquid sic decreverit, irritum, ac nullius roboris, tamquàm Apostolica Authoritate destitutum censebitur.

1452 Egregium sanè huius Assertionis nobis fundamentum suppeditat THEODORETVS, dum *lib. 5. Historiæ cap. 22.* Concilii Ariminensis decretum, quo tollebatur *homousion*, nullius esse ponderis affirmat: quia nulla fuit Romani Pontificis Authoritate firmatum. * Numerus (inquit) Episcoporum, qui erant Arimini congregati præiudicium habere non debet; præsertim, cum formula composita sit, neque Episcopo Romano, cuius Sententia præ omnibus expectanda erat, placuerit.*

1453 Similiter Concilium Ephesinum II. erroneum, & nullum fuit renunciatum; quia Instructionem Fidei à Pontifice per suos Legatos missam, & per ipsos declaratam, sequutum non est, provt refert Cardinalis BRANCHATVS DE LAURÆA *de Fide, disput. 5. art. 2.* his verbis: * Ephesinum enim II. Concilium, dictum *Prædatorium*, seu *Latrocinale* à Leone Magno, instante Theodosio, indictum *anno* 449. vt diffusè in Cardinali Baronio *eodem anno, tom. 6.* turpiter erravit, Legatis siquidem, Papæ præsidentibus, & eius Instructionem, ac Doctrinam manifestantibus, Patres acquiescere noluerunt, iidem propterea, Legatis reclamantibus, Episcopi Eutychetis fautores hæresim decreverunt, scilicet post vnionem Verbi, cum natura Humana, non duas remansisse naturas, sed vnam effectam, damnarunt S. Flavianum Patriarcham Constantinopolitanum, qui olim Eutychem damnaverat, Legatis denullitate protestantibus, aliaque multa in eo Concilio indignè patrata sunt, quę postea omnia Leo Pontifex, Apostolica Authoritate, in Concilio Romæ coacto, rescidit, & vt nulliter facta cassavit.*

1454 Notandum etiam duximus Constantinopolitanę Synodi eventum, quæ in Fide erravit, & nulla fuit declarata; quia & ipsa, & Apostolici Legati, contra instructionem Fidei operati sunt, vt refert Cardinalis BARONIVS *ad annum 861.* & breviùs Cardinalis BRANCHATVS DE LAURÆA *loco citato*, dicens: * Concilium Constantinopolitanum, sub Nicolao I. in causa Ignatii, & impii Photii de *anno* 861. *ex Baronio* turpiter erravit. Ipsimet enim Legati Pa-

pæ, auro corrupti, Zacharias, & Rotoaldus mandatum Papæ non sunt executi, & damnationi S. Ignatii, ac Photii institutioni consenserunt. Quæ omnia cassavit Nicolaus Pontifex in suo Romano Concilio, & Legatos cum Photio excommunicavit. Ideò hoc Concilium *Prædatorium*, & *Latrocinale* dicitur.*

1455 Idem accidit Conciliis Ariminensi, Mediolanensi, & Basileensi, quæ sine Apostolicis Legatis, & Romani Pontificis Instructione Fidei ad definitiones processerunt; sicque nihil mirum quòd in Fide erraverint, & consequenter cassa fuerint, & irrita. Vndè prefatus Cardinalis, sic nostram Assertionem convincit: * Ex quibus manifestè concluditur, quòd Concilia, vel cum Legatis Papę, vel sine eis, etiam Generalia, si Papæ Instructionem, circa Fidei, aut morum vniversalis Ecclesiæ, non sequantur, vel si talis Instructio non adsit: decreta ab iis formata, nisi ab ipso Papa confirmentur, errori, ac deceptioni subiacere.*

1456 Quod eleganter confirmatur, ex his quæ dicit P. DOMINICVS A S. TRINITATE *Tom. 3. Biblioth. Theolog. lib. 3. cap. 5. sect. 5.* his verbis: *Quemadmodum autem vbi in Conciliis, iuxta has, quas Summi Pontifices mittunt, Instructiones, ac Definitiones agitur, omnia sunt salva; ita per oppositum, quandò illas non sequuntur, deficere, & peccare docet nos secundæ Ephesinæ Synodi exemplũ, quæ præsidentibus licet Apostolicæ Sedis Legatis, quia tamen ad formam ab ea præscriptam non processit, turpiter in Fide aberravit.*

1457 Et *eadem sect. 5. cap. 8.* hæc habet: *Quidquid in Conciliis definitur, dissentientibus Legatis Sedis Apostolicæ, vel etiam illis consentientibus, sed contra expressam Summi Pontificis Instructionem, tale Iudicium errandi periculo obnoxium est* Quod duorum Conciliorum exemplo convincit, Ephesini nempè II. & Constantinopolitani sub Nicolao I. quæ turpiter errarunt; quia sese Instructionibus Fidei à Summis Pontificibus Leone, & Nicolao missis opposuerunt. Vndè sic concludit: *Talia enim Concilia non possunt dici legitima, sed potiùs Acephala, & schismatica, quæ pugnant cum suo capite, mirum igitur non est, si illa errare, & falsum pro vero definire possint.**

1458 Ex quibus manifestè infertur, Concilia, quæ sine Pontificis Authoritate, vel instructione Fidei, in rebus definiendis processerint, vel à prædicta Instructione deviarint, potiùs dicenda esse Satanæ Conciliabula, quàm Catholica Concilia; quia dum Pontificis instructioni, quæ est Regula Fidei, opponuntur, nihil mirum quòd à Fide aberrent; sicque nullius roboris sit, & Authoritatis, quidquid ipsa decreverint.

1459 Hanc veritatem ipsa experientia nobis in sequentibus Synodis manifestè demonstrat. In Antiochena *anno* 347. sub Constantio, in qua damnatus est Athanasius, & patefactus aditus ad Concilii Nicæni I. eversionem, vt referunt SOCRATES *lib. 2. cap. 2.* & SOZOMENVS *lib. 3. cap. 5.* In Mediolanensi plusquam 300. Episcoporum, *anno* 355. sub eodem Constantio, in qua Catholica Fides damnata est, vt tradit S. AMBROSIUS. *in Auxent.* In Arimensi Episcoporũ 600. eiusdẽ Constantii tẽpore, *anno* 359. in qua sublatum est de Symbolo nomen *Homousios*, vt testantur Gelasius Papa in Concilio Romano, & alii. In Ephesina II. sub Theodosio iuniore *anno* 459. in qua, factione Dioscori, occisus est S. Flavianus, Episcopus Constantinopolitanus, & Legati Romani Pontificis Leonis fugati, ac demùm hæresis Eutychiana confirmata, quam propterea idem S. Leo *in Epistolis ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum, Theodosium Imperatorem, & Pulcheriam Imperatricem, Depredatoriam* vocat, & in VIII. Synodo *Latrocinalis* dicitur, cum eam iam antea Chalcedonense Concilium, ob legitimæ tunc celebrationis defectum, expressè improbasset.

1460 In Constantinopolitana sub Leone Isauro, in qua decretum contra Sacras Imagines promulgatum est *anno* 553. qui fuit 13. *Imperii eiusdem*, vt tradunt ADRIANUS I. *Epist. ad Tarasium*, & VII. GENERALIS NICÆNA SYNODVS *Act. 6. in pincip.* quę cõtinet refutationẽ Hęreticorum, qui in Constantinopolitano, Conciliabulo sub Leone, hęretico Imperatore, Prędidẽte Photio, Imagines Sacras damnaverant, quorum dicta referuntur à Grægorio Episcopo, qui tunc ad me-

meliorem mentem conversus fuerat, & redarguntur ab Epiphanio, ex BAILIO *in hanc eamdem Actionem, in Summa Conciliorum.*

1461 In altera etiam Constantinopolitana *anno* 754. in qua definitum fuit CHRISTI, & Sanctorum Imagines esse penitùs abolendas. Tandêm in Pisana Synodo *anno* 1511. ab Imperatore, & Rege Galliæ, ac aliquot Cardinalibus, contra Iulium II. Pontificem congregata, quæ paulò post reprobata est in Lateranensi Concilio, sub eodem Iulio *Sess.* 2. & 3. vbi lecta fuit Bulla, in qua Pisanum Concilium damnatur, & omnia in eo gesta annullantur, & irritantur.

1462 Quapropter, cum Imperator, & Christianissimus Rex postea intellexissent, prædicti Pisani Concilii gesta fuisse à Leone 10. Iulii Successore, damnata, præfatæ Synodo renunciarunt, vt patet *ex Mandato Regis Galliæ ad Lateranense Concilium sub eodem Leone X.* transmisso, quod habetur *Sess.* 8. vbi Christianissimus Rex per suos Legatos significat, quòd ipse, & Imperator electus: *Ea, qua decuit reverentia, & humilitate, à prætenso Pisano Concilio, penitùs discesserunt, illique plenariè renunciaverunt, ac purè, liberê, & simpliciter Sacrosancto Concilio Lateranensi prædicto, tamquàm vero, vnico, & legitimo adhæserunt.*

1463 Ex his quę in prædictis, potiùs Conciliabulis, quàm Conciliis gesta sunt, manifestè evincitur nostra Conclusio, Concilia nempè quantumvis plenissima, & numerosiori Patrum consensu, & senatu exornata, quoties à Summorum Pontificum instructione in rebus Fidei, & religionis discesserunt, aut eam non admiserunt, in multos contra Fidem, & religionem errores esse prolapsa, vt testatur tot sæculorum experientia, & exemplis quæ suprà retulimus, & aliis plurimis, quæ brevitatis gratia omittimus, manifestè comprobatur; quod impulit Ecclesiam, vt prafatos errores in subsequentibus legitimis Conciliis corrigeret, cassans, irritans, & annullans quidquid illæ Synodi, sine Summorum Pontificum Instructione Fidei, vel ab illa, corruptis, perfractisque Iustitiæ, Fidei, & religionis legibus discedentes, illicitè fuerant operatæ, vt patuit, ex S. Pontifice Damaso, qui Ariminense Conciliabulum cassavit; *quia in eo Fides læsa fuit, & infidelitas conscripta*, vt ait Sanctus: & similiter S. LEO Papa Ephesinum Concilium irritavit: *Quia in eo (vt inquit idem Leo) non fuit observata iustitiæ moderatio, nec Fidei religio.*

1464 Vndè cum Generalia Cõcilia, quãvis sint Apostolica Authoritate congregata, si terminos in Instructione Fidei pręscriptos excedant, ab ipsa Apostolica Sede irrita declarentur, ac nulla. Quærimus nunc, an VI. Synodi Patres in Honorii dumtaxat damnatione Apostolicam Instructionem tenuerint: an potiùs illius terminos prętergressi fuerint, & ab illa penitùs discesserint.

1465 Pro huius quęstionis elucidatione prænotandum est, Agathonem Pontificem, vt prædicta Synodus celebraretur, duas Dogmaticas scripsisse Epistolas, aliam quidem ad Imperatores, Constantinum, Heraclium, & Tiberium, qua piissimis annuit precibus, quibus præfatus Constantinus vehementer æstuans, vt Monothelitica hæresis, vnam tantummodò vtriusque naturę voluntatem in CHRISTO adstruens, penitùs extirparetur, & à toto suo relegaretur Imperio, Pontificem rogaverat, vt Constantinopoli Generale congregaretur Concilium. His ergo, piissimi Imperatoris precibus, assentiens Pontifex, illi in præfata Epistola significat, se in hunc finem Apostolicos Legatos mittere, eisque Authoritatem necessariam impertiri ad prædictam hęresim condemnandam, quam iam Sanctissimus Pontifex Martinus, & ipse Agatho, in suis Conciliis proscripserant: loquens autem de Authoritate, quam prędictis Legatis elargitur, iniungit, nê terminos ipsis pręscriptos excedant, vt habetur *Act.* 4. *VI. Synodi*, his verbis: *Licentiam proindè eis, sive Authoritatem dedimus, apud tranquillum vestrum Imperium, dum iusserit eius clementia, simpliciter satisfaciendi, in quantum eis dumtaxàt iniunctum est, vt nihil profectò præsumant augere, minuere, vel mutare.*

1466 Videamus nunc, quid Pontifex Agatho prędictis Legatis pręcipiat. Ad duo reduccuntur, quæ eis præfatus Pontifex

fex, vnà cum sua Romana Synodo, præscribit *in Dogmatica Epistola*, quæ fuit velut Instructio Legatorum, qui ad VI. Synodum celebrandàm missi sunt, prout ex prædictæ Epistolæ Epigraphe apparet *Act.* 4. VI. Synodi: Primum est, vt ad condemnationem Monotheliſmi, admittentis in CHRISTO DOMINO vnam tantummodò Divinitatis, & Humanitatis voluntatem, & ad definitionem Catholici Dogmatis, nonmodò duas in CHRISTO naturas, sed & duas etiam voluntates, & distinctas operationes asserentis, Apostolica sua Authoritate concurrerent. Secundum est, vt quoniam in illis Orientis partibus invalescebat Monotheliſmus, eumque multis annis Orientales Patriarchæ, non sine gravi animarum iactura fovebant, concurrerent etiam ad proscriptionem eorum omnium, qui in prædicto errore invenirentur pertinaces. Ne autem hæc, à nobis sine fundamento dicta videantur, audiamus prędictum Sanctiſſimum Pontificem *in prima Dogmatica Epist. ad Imperatores Constantinũ Heraclių, & Tiberiũ* in qua, relatis antiquis hęreticis, qui hunc vnius in CHRISTO voluntatis errorem tuebantur, ingenti animi mœrore asserit, Supremos Orientis Prælatos denuò sese huius hæreseos inventores, & fautores efficere, & (quod lamentabilius est) Constantinopolitanos, Alexandrinos, & Antiochenos Patriarchas eodem errore teneri, eique pertinaciter subscribere, vt patet, ex eo, quòd eos sigillatim nominat, dicens: * Ecce piiſſimi Domini, & Filii, Sanctorum Patrum testimoniis, tamquàm radiis spiritualibus, Ecclesiæ Catholicæ, atque Apostolicæ Doctrina illustrata est, & hæreticæ cæcitatis tenebrę, quę errorem imitantibus obiecerunt, revelatæ sunt. Nunc necessè est, vt novi Dogmatis intentio quosnam secuta sit, & quorum Doctorum Authoritate fulciatur, annotemus.* Quinam verò isti sint, immediatè ostendit, hæc subiungens. * Cyrus Alexandrinus in 7. definitionis eius Cap. &c. *

1467 Et *infrá* * Theodorus quondam Episcopus Pharanitanus, *ex Rescripto ad Sergium.* (Et *infra*) Item Sergius Constantinopolitanus, *ex Rescripto ad Cyrum Alexandrinum.**

1468 Et *infrá*: * Pyrrhus *in dogmatico tomo* confirmationis Hęreseos. (Et *infrá*:) Paulus quoque huius successor, *in Epist. ad Apostolicæ memoriæ Theodorum Papam, & in constructione Typi.* (Et *infrá*:) Petrus eius successor, ad Sanctæ memoriæ Vitalianum Papam scribens.*

1469 Vt autem agnoscatur, hos, & non alios, esse præcipuos huius erroris sectatores, rępetit iterum eorum inconstantiam, & contradictionem, qua secum dissidebant, & sibi ipsis opponebantur; nam alii iam vnam in CHRISTO voluntatem, & operationem, iam duas in ipso admittebant; alii verò, nec vnam, nec duas, sed nullam omninò propugnabant. Quinam verò isti sint ingeminat ipse Pontifex, dicens: * Qui se de summitate scientię prędicabiles ęstimabant, in hæretici erroris laqueos incidisse, nec in ipso errore constantes, sed semper instabiles, quandòquidem Sergius in aliis, & in aliis scriptis vnam voluntatem, & vnam operationem Dominum IESVM CHRISTVM habere prædicat ::: Et è contrario affirmat, vnam operationem à quibusdam Patribus esse dictam in CHRISTO, duas autem operationes à nullo: nec vnam tamen operationem, nec duas definit debere dici in vno Domino Nostro IESV-CHRISTO.

1470 Item Pyrrhus *in confirmatione Typi*, & in aliis vnam voluntatem, & vnam operationem intelligere se demonstrat, & idem ipse *in Libello Fidei*, cum Sanctorum Patrum testimoniis, duas naturales voluntates habere comprobat Dominum Salvatorem.* Similiter ostendit contradictionem, quam secum affert, quod dicit Paulus *in Epistola ad Theodorum Papam.* Idemque sentit loquens de Petro, Patriarcha Constantinopolitano, his verbis: * Petrus quoque, & vnam, & duas voluntates, & operationes in dispensatione Incarnationis Salvatoris Nostri IESV CHRISTI sapere se protestatur.*

1471 De horum autem in suis erroribus pertinacia, luculentiſſimum nobis exhibet testimonium ipse S. Pontifex *in prædicta Epistola*, condolens cum Imperatore infelicem illarum Orientalium Ecclesiarum statum, sicut, & Supremorum Patriarcharum Alexandriæ, Antiochiæ, & Constantinopolis, quorum ea fuit pervicacia, & incorrigibilitas, vt cum eos Sanctiſſimi huius Pontificis Prædecessores iterum, iterumque monuerint, hortati,

&

& obteſtati fuerint, reprehenderint, & correxerint, vt calculum reducerent, & à tam enormi errore diſcederent, ipſi Paternam, & Apoſtolicam correctionem ſpernentes in ſuo errore, & pernicioſa hęreſi ſemper perſtiterunt.

1472 Patent hæc ex iis, quæ ipſe Sanctiſſimus Pontifex, *in eadem Dogmatica Epiſt.* ſcribit: *Hæc autem (inquit) noſtræ humillimę ſuggeſtioni innectere curavimus, afflicti, atque inceſſabiliter ingementes, de tantis Eccleſiæ Sacerdotum erroribus, propria magis quęrentium, quàm veritatem Fidei ſtatuere, & fraternæ admonitionis ſinceritatem ad proprium contemptum pertinere cenſentium, non invido, ſicut Deus teſtis eſt, animo. (Et *infrà*) Sed pro ipſius veritatis, in qua ſalvari nos confidimus, rectitudine, & pro ipſius puræ Evangelicæ Confeſſionis regula, pro ſalute videlicet animarum, meæ humilitatis Apoſtolicos Prædeceſſores, commonuiſſe, rogaſſe, increpaſſe obſecraſſe, arguiſſe, & omnem modum exhortationis exercuiſſe, quatenùs medelam poſſit recens vulnus accipere, nec poſt inoliti erroris diuturnitatem, à commonitione ſilverunt, ſed ſemper hortati ſunt, ac conteſtati*

1473 Et *infrà*, videns prædictos Patriarchas ſuavi prędeceſſorum Romanorum Pontificum exhortatione, & paterna, ac charitativa correctione minimè cõmoveri, ad ſuorum errorum palinodiam recantandam, Imperatorem orat, & obſecrat, vt quà ſua intereſt, cooperetur, ac ſolicitè procuret, vt rigor Eccleſiaſticæ pœnæ, tanto errore promeritæ, exequutioni mandetur, ſicque perniciosiſſimum illud damnum, quo præfati Orientales, totius Orientis animas afficiebant, opportunis remediis comprimatur. * Et quia novi Dogmatis inventores (inquit Pontifex de prædictis Patriarchis, eodem ſemper contextu loquens) hæreticorum ſectatores oſtenſi ſunt, & non Sanctorum Patrum pediſequi; igitur quantum cumque ſuum colorare velit quiſquam errorem, à luce veritatis arguitur; ex hoc enim, & ſibi ipſis adverſa docuiſſe, novi Dogmatis inventores oſtenſi ſunt; quia Evangelicæ, atque Apoſtolicæ Fidei ſectatores eſſe noluerunt; quapropter, quia & veritas claruit, Deo inſpirante, veſtræ impietatis obtutibus, & falſitas denudata, & quia digna eſt, abominationem conſequuta, reſtat, vt à Deo coronatæ veſtræ Clementiæ piis favoribus, novitatis error cum ſuis inventoribus, & iis, qui eorum doctrinam ſecuti ſunt, proprię præſumptionis pœnam exolvat, & de medio Orthodoxorum Antiſtitum, pro ſuæ novitatis hæretica pravitate, expellantur, quam intra vnam Sanctam Catholicam, atque Apoſtolicam CHRISTI Eccleſiam conati ſunt introducere, & individuum, atque illibatum Corpus Eccleſiæ, contagione pravitatis hęreticę maculare.* Hæc ille.

1474 Vt autem appareat, Pontificem de eiſdem prædictis Patriarchis vno ſemper contextu loqui, & non de aliis, legatur eadem Dogmatica Epiſtola, vbi oſtendit Paternum Eccleſię animum, cuius viſcera tanta ſunt, Charitate, & Clementia plena, vt ſi Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui eam Eccleſiam tunc temporis moderabatur, velit Evangelicam Legem, & Doctrinam amplecti, eique, recantata pernicioſa ſuorum prædeceſſorum doctrina, ſubſcribere, & firmiter adhęrere, eum Eccleſia porrecta fronte, oſculo pacis CHRISTI excipiat, ſinum expandat, & obviis manibus, & brachiis amplexum, in ſuum pectus recondat: ſin autem mira hac Eccleſię Patientia, Pietate, & manſuetudine abutatur, in deteſtabili vnius voluntatis errore, cuius prędicti Orientales Patriarchæ toties fuerant à Summis Pontificibus, Agathonis prædeceſſoribus, correpti, obſtinato animo perſeverans, obteſtatur, ſe, in tremendo ſupremi Iudicii Tribunali, riguroſam de huiuſmodi pervicacia rationem ab eo exacturam. * Propterea (inquit Pontifex, cum Imperatore loquens) Piiſſimi, & à Deo inſtructi Domini filii, ſi hanc Sacratum Scripturarum venerabilium Synodorum, Spiritualium Patrum irreprehenſibilem Apoſtolici Dogmatis regulam, Conſtantinopolitanæ Præſul Eccleſiæ tenere nobiſcum, ac prædicare delegerit, pax multa erit diligentibus nomen Dei, & vllum non remanebit diſſenſionis ſcandalum, & fiet, quod in Actibus Apoſtolorum, dum, per Gratiam Sancti Spiritus, Populus, ad cognitionem Chriſtianitatis acceſſerit, omnibus nobis, *cor vnum*, & *anima vna*.

1475 Sin autem (quod porrò longè ſit) novitatem nuper ab aliis introi-

troductam amplecti maluerint, & alienis à regula veritatis Orthodoxæ, atque Apostolicæ nostræ Fidei, seseirretire doctrinis, quàm vtpotè animabus noxiam declinare, indesinenter ab Apostolicis meę humilitatis Prędecessoribus exhortati, atque commoniti, vsque hactenus distulerunt, ipse noverit, quid de tali contemptu in Divino CHRISTI examine satisfaciat, apud Iudicem omnium, qui in Cœlis est, cui & nos ipsi, pro suscepto prędicationis ministerio, reddituri summus rationem.* Hęc ibi.

1476 Et vt appareat mira consonantia, & vniformitas, qua S. Pontifex Agatho de Monotheliśmi Authoribus, in vtraque Dogmatica Epistola loquatur; cum viderimus iam, quid in prima asserat, videamus nunc quid in secunda dicat. In hac ergo, quam prædictus Pontifex scripsit, vt Apostolicis Legatis esset Fidei Instructio, Imperatorem Constantinum alloquens, eique expendens, quantum totius Ecclesiæ, & Christianę Religionis bono expediret, impii illius, de vna in CHRISTO voluntate, grassantis erroris semina, in illis Orientis Partibus, omninò suffocare, & illius fautores, auspices, & sectatores pœnitùs extinguere, ei significat, hos esse eosdem illos Præsules, & Patriarchas, quos in priori Epistola expresserat, & non alios. * Et vt veritas (inquit) adhuc in ancipiti positis clareat, & eam sinceriter amplectentibus robur accrescat; & zizaniorum germina, spirituali falce, vt offensionis, ac deceptionis occasio, de medio CHRISTI Ecclesiarum tollatur, abscindantur. Quorum Authores extiterunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus Constantinopolitani, vel quivis eis consentanei vsque in finem demonstrati sunt, qui novi erroris Authores, perfectæque dispensationi, qua salvati sumus, infesti, non solum veræ confessionis adversarii, sed, vtpotè à via veritatis aberrantes, sibi ipsis contraria docuerunt, aliter, & aliter asserentes, & alterutrum Dogmata destruentes. *

1477 Ex dictis concluditur, quòd cum S. Pontifex Agatho Legatis à se ad VI. Synodum missis, & per eos Patribus, qui illi Synodo adfuerunt, præceperit, sic observari ea, quæ in vtraque Fdei Instructione præscripta erant, vt nihil eis addere, demere, nec mutare auderent; vt ostendunt ea ipsius Pontificis verba: *vt nihil profectò præsumant augere, minuere, vel mutare.* Cumquè insuper duæ illę Suggestiones Fidei ad duo prępcipua capita reducantur, damnationem nempè Monotheliśmi, & proscriptionem eorum, qui in illam hęresim, vt fautores, inventores, & propugnatores prolapsi fuerant, quique iam antea in vtroque Concilio sub S. Martino, & sub eodem Agathone condemnationis sententiam subierant, quorum pertinacia apertissimè innotuit: Cumque tandèm istorum nomina in vtraque suggestione Fidei, toties exprimantur, ac manifestè tradatur, eos fuisse Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Petrum, Paulum, & Theodorum, quin in aliqua illarum, vel levis adhuc mentio de Honorio fiat, nec vllius culpę reus proponatur, hinc nemo erit, nonmodò prudentię, sed nè rationis quidem compos, qui non iudicet, Concilium, dum adeò exorbitanter ad Honorii condemnationem processit (dato quòd hęc à Concilio lata sit) ab Apostolica Instructione discessisse, nec ipsi ea, qua par erat veneratione obsequutum fuisse.

1478 Undè cum hęc Instructio sit Regula Fidei, vt *suprà* probavimus: hinc iam manifestè apparet maximùm inconveniens, quòd ex huiusmodi contraventione deducitur; vt minimum enim infertur, irritum esse, & nullum quidquid in illa Synodo, quoad Honorii condemnationem, actum fuit; siquidem, vt ex Patribus, & Conciliis ostendimus, non est integrum Synodi Patribus, limites sibi à Pontifice, qui per se, vel per suos Legatos illi Concilio præsidet, in Instructione Fidei præscriptos transilire.

1479 Deindè: quia de Honorii condemnatione adeò intempestivè agere, fuit Apostolicę Traditioni refragari, cuius observantia, valdè ab Agathone Pontifice VI. Synodo commendatur; vt enim ex Conciliis, Patribus, & Sacris Canonibus latè *suprà in secunda ratione* probavimus, Concilii Patres, iuxta Apostolicam Traditionem, nullam ferendi damnationis sententiam in aliquem Episcoporum facultatem habent, niii eis specialis Apostolica Authoritas concedatur, quam solent impertiri Pontifices in Instructione fidei, quam ad Concilia mittunt, vt in

toties

hac eadem VI. Synodo obſervatum conſpicimus, vbi Apoſtolicis Legatis, ipſique Synodo, Agatho Pontifex ſpecialem facultatem conceſsit, vt poſſent de Patriarchis, toties repetitis, in cauſa Fidei agnoſcere, & in eos condemnationis ſententiam ferre. Cum igitur in prędictis Apoſtolicis Inſtructionibus, ad præfatam Synodum miſſis, nulla contra Honorium commiſſa, aut delegata Authoriras, imò nec levis adhuc, illius nominis inſinuatio reperiatur: hinc Concilium ſine his requiſitis non ad vnius quidem Epiſcopi, ſed ad Supremi omnium Epiſcoporum, & Patriarcharum condemnationem procedere non potuit, quin Apoſtolicæ Traditionis, æquiſſimè receptæ, & in tota Eccleſia obſervatæ, limites excederet, & Sacra Iura violaret. Vndè infertur, eſſe penitùs inſubſiſtens quidquid contra Honorianæ Fidei puritatem, & innocentiam, VI. Synodi Patres ſtabilierunt; quandò enim pro huius veritatis comprobatione, non ſupperetrent rationes, & quidem efficaciſſimæ, ſufficiebat ſanè hæc, vt Honorii condemnatio, omninò incredibilis iudicaretur; eſtô enim verum eſſet Honorio fuiſſe à VI. Synodo Anathema dictum, cauſæ tamen gravitas, vtpotè in materia Fidei, ſuprema perſonæ Dignitas, & totius Chriſtiani Orbis commodum ſuo iure vindicabat, vt huiuſmodi cauſæ cognitio, non niſi ſumma maturitate, prudentia, conſilio, ac legitima ſpeciali Apoſtolica Authoritate terminaretur, & non adeò temerè, inconſulto hac de re, Eccleſiæ graviſſima, Supremo iſtius, & Concilii Capite, præſtanti ſua Sapientia, Apoſtolico Zelo, ac eximia virtute, ab omnibus ſummè venerando, Agathone nempè Pontifice, iudicaretur.

1480 Huc tandem egregie facit quòd expenditur *in VIII. Synodo Can.* 21. vbi præſcribitur modus, qui in agendis rebus, ad Romanam Eccleſiam expectantibus, tenendus eſt. * Porrò (inquiunt, illi PATRES) ſi Synodus Vniverſalis fuerit congregata, & facta fuerit, etiam de Sancta Romana Eccleſia, quævis ambiguitas, & controverſia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia, de propoſita quęſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra Summos Seniores Romæ Pontifices. *

§. III.

TERTIA RATIO, OB QVAM Honorii condemnatio nec potuit, nec debuit ab Eccleſia approbari, elucidatur.

1481 TErtia denique ratio fuit defectus Authoriratis, & iuriſdictionis in VI. Synodi Patribus ad illud Anathema intorquendũ: eſt enim principiũ certum, & comperta Aſſertio, nullius Concilii Patres per ſe, ſine ſpeciali Apoſtolicæ Sedis Authoritate, condemnationis ſententiam in Epiſcopos, multoque minùs in Patriarchas ferre poſſe.

1482 Id eleganter probat IVLIVS Papa *in Epiſtola ad Orientales*, vbi hoc tamquam Apoſtolicam Traditionem certum affirmat, his verbis: * Porrò dudum à Sanctis Apoſtolis, Succeſſoribuſque eorum in præfatis antiquis decretum fuerat ſtatutis, quę hactenus Sancta, & Vniverſalis Apoſtolica tenet Eccleſia, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Epiſcopum damnari. *

1483 In Nicæno etiam Concilio vnanimi PATRVM conſenſu ſtatutum eſt: * Vt nullus Epiſcopus, niſi in legitima Synodo, & ſuo tempore, Apoſtolica Authoritate convocata, ſuper quibuſdam criminationibus pulſatus audiatur, id eſt, iudicetur, vel damnetur. *

1484 Nec obſtat, prædictum Nicęni Concilii Canonem non eſſe ex illis 20. qui communiter inter illius Concilii legitimos admittuntur, & de quibus compertum eſt legitimos eſſe; hoc enim eius veritati non officit, cum pręter illos 20. nonnulli adhuc à Patribus agnoſcantur: nam vt Bigamus non ordinetur, in eodem Concilio Nicæno decretum fuiſſe, tradit D. Ambroſius *Epiſt.* 82. nè Epiſcopus ab vna Eccleſia ad aliam tranſeat; D. HIERONYMUS *Epiſt. ad Ocean.* Nê Epiſcopus Succeſſorem ſibi deligeret: D. AUGUSTINUS *Epiſt.* 120. ac tandèm, nê hęretici rebaptizentur; idem Sanctus *lib.* 2. *de Baptiſ. contra Donatiſt. cap.* 9.

1485 Et quidem, quòd prædictus Nicænus Canon ſtatuens, non poſſe ſine Romani Pontificis Authoritate Concilia congregari, nec Epiſcopos damnari, Apo-

stolicę Traditionis firmitate roboretur, patet, non solum ex his, quæ in ipso continentur, sed ètiam, quia Iulius Papa tàm *in* 1. quàm *in* 2. *ad Orientales Episcopos Epistola*, expressam de illa mentionem fecit.

1486 Eamdem hanc Assertionem egregiè confirmat FOELICIS II. *Epistola ad Athanasium, cæterosque Ægypti Episcopos* Alexandriæ congregatos, in qua conqueritur Pontifex, Episcoporum causas fuisse ab ipsis, inconsulta Apostolica Sede, contra Nicænæ Synodi statuta conciliariter dèfinitas. Hanc autem Pontificis querimoniam facilè potuissent Orientales Episcopi, in Alexandrina Synodo congregati, evadere, plenissimèque satisfacere, prædictum Canonem negantes, ni legitimus haberetur. Illi verò tàm longè ab huiusmodi negatione extiterunt, vt imò potiùs oppositum fuerint Synodaliter confessi, vt liquet *ex Epistola*, quam *ad Fœlicem II.* scripserunt in hæc verba: * Scimus in Nicæna magna Synodo 318. Episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari, nec Episcopos damnari; licet hæc, & alia quàm plura necessaria ab hæreticis, qui nos quotidiè infestant, & perdere niruntur, vt faciliùs nos capere possint, sint Synodica Capitula incensa, nobisque sublata, &c. *

1487 Pro maiori firmitate, ac munimine tàm prædicti Nicæni Canonis, quàm veritatis eorum, quæ in ipso continentur, videri potest *secunda* S. DAMASI Papæ *Epistola ad Stephanum, & Africæ Concilia*, vbi istius Canonis expressa mentio habetur; eumdemque Canonem LEO I. *in Epist. ad Theodos.* allegavit; ac tandèm eodem Canone vsi fuerunt GELASIVS Papa *Epist.* 11. *ad Episcop. Dardan.* PELAGIUS II. *Epist. ad illegitimam Synodum Constantinop.* NICOLAVS I. latissimè *Epist.* 8. *ad Michael. Imperat.* & GREGORIUS VII. *lib.* 8. *Epist.* 21. *ad Metensem Episcopum.*

1488 Nec minor huius Canonis mentio apud celebriores antiquitatis Scriptores habetur: SOCRATES enim *lib.* 2. *Histor. cap.* 5. agens de Synodo ab Eusebio, Antiochiæ Vrbis Syriæ Antistite congregata, hæc tradit: * Quin etiam Iulius Romanus Episcopus neutiquam aderat; nequè quemquam, qui eius locum suppleret, eò misit: idque cum Canon Ecclesiasticus iubeat, non oportere absque Sententia Episcopi Romani decreta Ecclesiis sancire, &c. *

1489 Et *cap.* 13. refert, ipsum Iulium, Antiochiæ Episcopos, missis ad eos Litteris, graviter obiurgasse: *Quòd contra Ecclesiæ Canones, illum ad Concilium non vocassent: quippé cum Canon Ecclesiasticus vetet, nè decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur. *

1490 Idem tradunt SOZOMENVS *lib.* 2. *cap.* 9. NICEPHORVS CALLISTVS *lib.* 9. *cap.* 10. *& alii.*

1491 Hùc etiam egregiè facit *Epistola* S. DAMASI Papæ *ad Stephanum, & Concilia Africæ*, vbi asserit: *Synodum sine Sanctæ Sedis Authoritate fieri, non esse Catholicum, nec Episcopos, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata, definitivè damnari posse; neque vlla vmquam Concilia rata legi, quæ non sunt fulta Apostolica Authoritate. *

1492 Insuper in III. Generali Ephesina Synodo à COELESTINO Papa, contra Nestorium, celebrata, vt agnosceretur, hæresum condemnationem, non ad Concilium, sed ad Apostolicam suam Authoritatem spectare, eam Sancto Cyrillo Alexandriæ Episcopo delegavit, vt præfatę Synodo præsideret, & Nestorium, ni præfixo tempore emendaretur, definitivè damnaret; vt videri potest *in Cœlestini Epistola, ad Cyrillum*, vbi hæc leguntur. * Quamobrem nostræ Sedis Authoritate ascita, nostraquæ Vice, & loco cum potestate vsus, eiusmodi non absque adquisita severitate Sententiam exeqeris: nempè, vt nisi decem dierum intervallo, ab huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam Nestorius conceptis verbis Anathematizet, eamque de CHRISTI DEI NOSTRI generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana, & tuę Sanctitatis Ecclesia, & vniversa denique Religio Christiana prædicat, illicò Sanctitas tua Ecclesię illi prospiciat. * Hactenus Cœlestinus Pontifex.

1493 Audiamus S. CYRILLI verba *ad Constantinopolitanos* pro hac re aptissima. *Si Nestorius intra terminum,

à S.

à S. Cœlestino Papa præscriptum, doctrinæ suæ novitatis nuncium non remiserit, eaque docuerat, aut libris suis inserverat, non Anathematizaverit, Communione Ecclesiæ privabitur. *

1494 Imò & ipsius Ephesini Concilii PATRES Nestorii condēnationē, à Romano Pontifice latam apertè fatentur; siquidem antequam ad condemnationem, quam ipsi conciliaritèr ediderunt, deveniant, illam supponunt, dicentes: * Necessitate ibi â Canonibus, & Sanctissimi Patris, Collegæque sui Romanæ Ecclesiæ Episcopi Epistola imposita, diu multumque lacrymantes, ad tristem hanc perveniſſe sententiam, &c. *

1495 Ad maiorem huius veritatis illustrationem præclarè facit, quod ipsa Sancta EPHESINA SYNODVS *Act.* 1. hisce verbis confitetur. * Congregatis nobis, Nestorium à Sacerdotio removimus, depositionem eius Canonicam facientes, atque laudantes Deo Amantissimum, & Sanctissimum Episcopum Maximæ Romę Cœlestinum, qui ante nostram sententiam hæretica Nestorii Dogmata, & ante nos protulit adversus eum sententiam, propter Ecclesiarum cautelam, & traditam nobis Fidem ab Apostolis. *

1496 Ex dictis colligitur, quàm propria sit Apostolicæ Sedis iuxta Sacros Conciliorum Canones, & Ecclesię Traditionem nonmodò Generalium Conciliorum indictio, sed & Episcoporum condemnatio, cum vtrumque sit Pontificiæ Authoritati privativè reservatum, vt rectè notavit Cardinalis TVRRECREMATA *de Ecclesia, lib.* 3. *cap.* 38. his verbis. * Romano Pontifici sunt aliqua in iure reservata, ratione sui Primatus, sicut est convocatio Vniversalium Conciliorum, depositio Episcoporum, maiorum causarum discussio, de quibus *in cap. dudum* 3. *quæst.* 6. & de multis specificè habetur *in Decreto*, & *Decretalibus*: Ergo cum soli Romano Pontifici ista reservata sint, nullus potest, sine Apostolicæ Sedis iniuria, ad illa manus extendere, sine licentia, & Authoritate illius. *

1497 Ex hoc igitur solidissimo principio rectè infertur, multò minùs posse Concilium, quamtumvis Vniversale, & Apostolica Authoritate congregatum, definitivam depositionis, Anathematisve sententiam ferre in causa, adhuc hęresis non quidem alicuius Antistitis Episcopali solo Charactere insigniti, sed Summi Pontificis, Supremū omnium Episcoporum, & Ecclesiæ Patriarcharum Thronum tenentis, nisi habeat exprssam Apostolicæ Sedis Authoritatem, ad id sibi specialiter commissam à Summo Pontifice, tunc Ecclesiam legitimè gubernante.

1498 Hinc ortum duxit iustissima illa Adriani II. quęrimonia, qua Sanctissimus Pontifex expostulat Photium, cuius temeritatis audacia eò devenit, vt ausus fuerit in suo Conciliabulo, omni Authoritate destituto, Nicolaum Papam Anathemate impetere; ideoque debita, ac iusta offensione commotus *in* 8. *Synodo Constantinopolitana* 4. in hæc verba prorupit. * Intolerabilis est ista præsumptio, dilectissimi, & hanc aures præcordiorum fateor sustinere non possunt. Quis vmquam vestrum tale quid præcor audivit? vel quis huiusmodi temeritatis, saltem lectione immensitatem invenit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus, de eo verò quemquam iudicasse, non legimus: licet autem Honorio ab Orientalibus post mortem Anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propterquam solam licitum est minoribus, maiorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus liberè respuendi. *

1499 Et adhuc in hoc casu non admittit Adrianus, posse aliquem de Supremo Episcoporum legitimè cognoscere, quin præcedat specialis Apostolicæ Sedis Authoritas. * Quamvis nec illi (prosequitur Pontifex) nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quolibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi eiusdem primæ Sedis Pontificis consensus pręcessisset Authoritas. *

1500 Quòd autem VI. Synodi Patres Authoritate destituti fuerint, ad cognoscendam, definiendamque Honorii causam in materia Fidei, certòcertius demonstratur, ex iuris regula docente, Delegatum non ante posse iurisdictione vti, quàm Litteras ostendat suæ delegationis, quippè ei innititur intentio, Authoritasque delegati, *Cap. cum in iure* 31. *de Offic. & potest. Deleg.* Hanc conclusionem probant TEXTVS *in cap. cum contingat* 24. *de Rescript. cap.* 2. *de di-*

lat.

lat. cap. cum á nobis 28. *de Testib. cap. Porrò acceptum.* iuncta GLOSSA, *verb. inscriptione, de Privileg. cap. Illud, de Cleric. Excommunic. Extra* 1. *de Elect.* Eamdem illustrant plures S. Rotæ Decisiones, quas cumulat PEñA *Tom.* 1. *Decis.* 416. GARCIA *de Benefic. par.* 7. *cap.* 2. *num.* 16. Id firmant plures relati à BARBOSA *in dict. cap. cum in iure*, quibus addi possunt NARBONA *in leg.* 60. *Tit.* 4. *lib.* 2. *Recopil.* SANCHEZ *tom.* 1. *consil. lib.* 3. *cap. Vnico, dub.* 27. *& de Matrim. lib.* 8. *disp.* 117. OSVALDVS *ad Donellum lib.* 17. *cap.* 3. FOELICIANVS VEGA *in Rubric. de foro compet. num.* 17. LANCELLOTVS *de Attentat. lib.* 2. *cap.* 4. FRAGOSO *de Regim. Christ. Reip.* 2. *par. lib.* 4. *disp.* 11. §. 2. PETRVS GREGORIVS *lib.* 2. *Partit. tit.* 5. *cap.* 1. VALENZUELA *consil.* 125. *num.* 19. RODERICVS SVAREZ *Allegat.* 14. GVTIERREZ *lib.* 2. *Canonicar. quæst.* 17. *num.* 3. BOVADILLA *lib.* 2. *Polit. cap.* 20. *num.* 22. PAREjA *lib.* 2. *de instrument. edit. resol.* 1. *&* 2. MANRRIQVE *de different. Vtriusque fori cap.* 160. *per tot.* CHRISTINEVS *tom.* 1. *decis.* 71. Episcopus FRANCES DE VRRITIGOITI *in Pastoral. Regular. par.* 2. *quæst.* 3.

1501 Et ratio est manifesta: nam licet Iudici Delegato sententiam proferenti parendum sit, id tamen procedit, cum constiterit, eum Iudicem esse: illi enim asserenti, sibi fuisse mandatam iurisdictionem, non creditur; ROTA *apud Farinaciu m in Posthumis. decis.* 6. *&* 9. etiam si affirmet, se sententiam proferre Authoritate Apostolica.

1502 Qualitas enim, quę iurisdictionem defert, ante omnia discuti, ac probari debet; nam cum in delegato tota delegatio fundetur in iurisdictione delegantis, de ea debet evidenter constare. Ad quod facit *l.* 2. §. *Sed si dubitetur. ff. de Iudiciis, l. Si quis aliena eod. tit. l.* 1. §. *Ait Prætor. ff. Nequid in flumine publico.* BARTOLVS *in l. multum. ff. de condit. & demonst. & in l. Si finita*, §. *Iulianus, ff. de damn. infect.* PARIS *DE PVT. de Syndic.* §. *Iudices, col.* 3. *vers. Iudicis semper, num.* 12. cum aliis relatis per ANDREAM GAIL *in tract. de Pace public. cap.* 13. *num.* 12. *& sequent. lib.* 1. PROSPER FARINACIVS *tom.* 1. *quæst.* 8. *num.* 86. *& quæst.* 11. *num.* 87. *& consil.* 10. *num.* 26. LAPVS *Allegat.* 59. *num.* 3. *vers. Item Innocentius.* Multa congessit Cardinalis THVSCVS *practicar. conclus.* 18. *litt. Q. á num.* 1. INNOCENTIVS *in cap. cum sit generale, de foro compet.*

1503 Et præcipuê, si ex adverso ipsa qualitas iurisdictionis negetur, plenè debet probari, & de ea constare, iuxta communem Doctorum sententiam, de qua testatur ALEXANDER *Cons.* 1. *num.* 8. *lib.* 5. FELINVS *in cap. si Clericus Laicum, col.* 2. *vers. Prima conclusio, de foro compet.* AYMON *consil.* 126. & si abundê *col.* 2. *in fine.* AFFLICTIS *decis.* 197. *incipit*: Pluries. FARINACIVS, & Cardinalis THVSCVS *locis* proximê *citatis.*

1504 Sextam verò Synodum hac Authoritate delegata instructam fuisse, ad terminandam Honorii causam, nihil est in ipsa Synodo, quo confirmetur, aut adhuc leviter fulciatur; quippè nec in Instructione Fidei, in qua Agatho Pontifex, quæ peragenda sunt in eo Episcoporum Conventu, recitat, exprimitque nomina Monothelitarum Theodori, Sergii, Cyri, Pyrrhi, Pauli, & Petri, eosque condemnari iubet, quia iam ipsos Apostolica Sedes prævia sententia exauthoraverat, ullum quidem verbum, sed altum omninô de Honorio silentium reperitur: nec in vndecim primis Actionibus, in quibus præfati Episcopi, & Patriarchæ damnati sunt, Honorii nomen invenies.

1505 In Actione autem 12. in qua eius causa exagitari cepta est, lecta Honorii Epistola ad Sergium, cui, veluti delicti corpori, tota illius criminationis machina innitebatur, nulla facta est mentio de Authoritate delegata Romanæ Sedis, qua ipsis Supremi Capitis cognitio committatur; nec in Actione 13. in qua Honorii condemnatio decernitur; nec in 16. vbi Anathemate percellitur; nec in 18. qua terminatur Concilium, lectaque fuit definitio Fidei, atque iterata sententia, & Anathema in Honorium; in nulla, inquam, ex supradictis Actionibus mentionem de delegata sibi Apostolica Authoritate erga Honorii causam faciũt Patres, sed id propria Authoritate peregisse, Honoriique iudicium ad exitum perduxisse convincitur.

Cum-

1506 Cumque latissimè iam suprà demonstraverimus, Apostolica Traditione cõpertum esse, Conciliorum Authoritatẽ, etiam Generalium, non cò protendi, vt Episcoporum causas, signanter in rebus Fidei, multoque minùs Patriarcharum, Supremique Ecclesiæ Antistis, nisi nutu, & speciali delegatione Romani Pontificis, terminare valeat; indè apertè deprehẽditur, quòd estò veram VI. Synodi erga Honorium condemnationem admitteremus, nullam, & absque omni iuris præsidio, ob iurisdictionis defectum, fateri debeamus.

1507 Et quidem ipsius adhuc VI. Synodi Patres probè cognovisse, propria, qua pollebant, Authoritate, sine speciali Apostolicæ Sedis commissione, non posse contra Orientales Episcopos, & Patriarchas procedere, satis perspicuè ostendunt ipsi PATRES *in Epistola*, quam absoluto Concilio Agathoni Papę scripserunt, ei manifestè significantes, se ideò ad causæ cognitionem, & Patriarcharum Theodori, Sergii, Pyrrhi, Pauli, & Petri condemnationem processisse; quia videbant, eos iam esse Apostolica Authoritate damnatos, ipsius Agathonis Pontificis sententia, cui ipsi adhærere, & maximè in materia Fidei subscribere, tenebantur, vt ex iis illorum verbis patescit. *Anathematibus interfecimus ex Sententia, per Sacras vestras Litteras, de iis priùs lata, videlicet, Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Paulum, & Petrum.* Quasi dicerent, neutiquam se ad Anathematis sententiam fuisse processuros, nisi viderent, illos iam esse Apostolica prædicti Pontificis Authoritate proscriptos: Cum ergo contra Honorium Pontificem nulla accusatio, nec causæ cognitio, nec alicuius Romani Pontificis Sententia, ac tandem nulla Apostolica Delegatio, vt in prædicta VI. Synodo de eo cognosceretur, illius Concilii definitionem præcesserit; cum in commissione Agathonis Papæ ad suos Legatos, vt prædictę Synodo præessent, nulla fiat de Honorio Pontifice mentio, hinc prædictæ Synodi Patres, dum de Honorio cognoverunt, eumque in materia Fidei reum declararunt, apertè sibi Pontificiam iurisdictionem vindicarunt, non sine ingenti Apostolicæ Sedis iniuria: vndè mirum non est, prędictam Honorii condemnationem, tot defectibus cumulatam, Ecclesię approbationem nullatenús meruisse.

1508 Nec iis obstat, Pontificem, dum Apostolica Authoritate Concilia congregat, suam illis Authoritatem committere, vel, vt ita dicam, incorporare; sicque ea vtentes, quoad Episcoporum condẽnationem, quidquid potest Pontifex, valebunt efficere, vel statuere. Præterea in Apostolorum Concilio *Act.* 1. vacante Iudæ Apostolatu, omnes Apostoli, & Discipuli conciliariter congregati, de eius successore eligendo tractarunt; vndè Prælatorum electio, quamvis sit de iis, quæ Romano Pontifici reservantur, poterit Generali Concilio competere, nec minus eorumdem depositio.

1509 Tandèm, quia GLOSSA *in cap. Primates 2. quæst. 1.* asserit, Synodum, Romani Pontificis Authoritate congregatam, posse Episcopos privare, & in eos damnationis sententiam proferre: hocque idem habetur *in cap. Nullus 5. quæst. 4.* quod & Generalium Conciliorum experientia confirmat, ê quibus repetitæ Episcoporum depositiones, privationes, & condemnationes prodierunt: Nulla ergo est ratio, ob quam Generalium Conciliorum Authoritas adeò restringatur, vt non possit ad Episcoporum condemnationem, & depositionem extendi.

1510 Hæc, inquam, non obstant: huic enim argumento (quod est præcipuum fundamentum, contendentium Conciliorum, Authoritatem extendere ad ea, quæ Romano Pontifici reservata sunt, & ipsis Conciliis Sacrorum Canonum dispositione denegantur) respondetur quoad 1. quòd estò Pontifex Vniversale Concilium indicens, communicet isti suam Authoritatem, ei tamen non concedit omnem suę Potestatis plenitudinem, sed eam dumtaxat, quę necessaria est ad providendum super illis, ad quæ illud congregavit. Vndè si illius Concilii Patres se extendant ad alia, quàm ad ea, ad quæ eis Romanus Pontifex potestatem concesit, & errant, vindicando sibi, quod non convenit, & sic per eos facta, & statuta extra datæ potestatis ter-

minos, viribus omninò vacua censentur: vt patuit in Chalcedonensi Concilio, quod S. Pontifex Leo graviter reprehendit; quia cum ob solam Fidei causam congregatum fuisset, illius Patres de aliis rebus, Patriarchalium nempè Orientis Ecclesiarum Primatu egerunt, quem quidem excessum Sanctissimus Pontifex, severissimè obiurgavit. Undè infertur, facultatem, quam Romanus Pontifex Concilio, Apostolica adhuc Authoritate congregato, communicat, non esse vniversalem illam plenitudinem Potestatis, qua ipse potitur, sed limitatam ad illas tantummodò causas, earumque discussionem, ad quas illud indixit. Quarè si in Concilii convocatione Pontifex ei non communicet earum cognitionem causarum, quæ Apostolicæ Sedi privativè reservantur, qualis est Episcoporum depositio, privatio, & condemnatio, aliæque maiores, tunc Concilium nulla ad illarum cognitionem Authoritate pollet; sicque si ad earum decisionem procedat, Apostolicam sibi Authoritatem vsurpabit, ac per consequens, quidquid decreverit, irritum, & nullum censebitur.

1511 Illud autem, quod de electione conciliariter facta, Apostolatu Iudæ vacante, opponitur, non est ad rem, præfato enim Apostolorum Concilio præfuit D. PETRVS, vti Ecclesiæ Caput, istiusque Apostolica Authoritate, illa electio peracta est, vt constat *Act.* 1. Vbi S. PETRUS sic eos dicitur alloquutus: *Viri Fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Iuda, &c.* (Et *infrà*:) *Oportet ergo ex his Viris, qui nobiscũ sunt congregati::: testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* (Et sequitur:) *Et statuerunt duos, &c.* Ecce manifestè, quod Principatus huius electionis fuit apud eum, qui Caput, & Vertex erat Apostolici Throni, vt dicit CHRYSOSTOMUS. Vndè cum electio illa conciliariter facta, præcipuè fuerit directa, dispositа, ac præscripta à D. Petro, Apostolorum Capite, Supremoque Ecclesiæ Pontifice, nullius profectò roboris est argumentum ab hac electione desumptum.

1512 Ad illud Glossæ, *Cap. Primates*, posse nempè Concilium, Apostolica Authoritate congregatum, Episcopos condemnare, & depositionis sententiam in eos proferre, quod etiam habetur *in cap. Nullus 5. quæst. 4.* Respondemus, nos non negare Concilium posse hoc facere, si ad id habeat speciale mandatum; hæc enim fuit GLOSSÆ sentẽtia in *cap. Nullus*, vbi de Generalis Synodi Authoritate loquens, hæc habet: * Auditi potest causa Episcopi, sed non potest terminari, sine speciali mandato Apostolicę Sedis.* Quæquidem Glossa maximè notanda est, cum nostram sententiam expressè confirmet; & hinc exhibetur solutio confirmationi desumptę ex multis Episcoporum condemnationibus, quæ à Generalibus Conciliis prodiere: hoc enim incunctanter admittimus; quia vt certum supponimus, illa Concilia habuisse Apostolicam Authoritatem, sibi quoad hoc specialiter commissam; quod si hæc in aliquo, quamtumvis OEcumenico, Concilio desideretur, Episcoporum condemnationem, ab isto factam, illegitimam esse, arbitramur.

1513 Nec obstat Basileense Concilium Apostolica Authoritate convocatum, & Generale, protendisse suam Authoritatem etiam ad ea, quæ Pontifici reservata sunt; imò ad ea omnia, ad quæ potest Papa suam Authoritatem secundum plenitudinem suę potestatis extendere. Non, inquam, obstat; quia ab hoc Concilio desumi non potest argumentum ad Vniversalis legitimi Concilii Authoritatem probandam, cum ipsum tale non fuerit, imò vsus, vel potius abusus Pontificæ Authoritatis, quam sibi per summam iniuriam arrogavit, adeò exorbitans fuit, vt totam Ecclesiam ingenti scandalo vulnerarit.

1514 Id nos præclarè docet S. ANTONINUS 3. *part. Histor. Tit.* 22. *cap.* 10. §. 4. sic enim scribit: * Illi (nimirum Basileenses) obturaverunt aures suas, scilicet iussis Apostolicis, quibus Pontifex Basileensem Conventum dissolverat, non audientes vocem Domini, sed Congregatione illa facta Conciliabulo nullas vires habente, nisi vt Synagoga Sathanæ, authoritate suæ temerariæ præsumptionis, cœperunt, Eugenium ad Concilium adeundum citare, sollicitati ad hoc à Duce Medio-

diolani, ægrè Pontificatum eius ferente, quia non sibi favebat.*

1515 Invehitur etiam in Basileensem Synodum S. JOANNES DE CAPISTRANO *de Papæ, & Concil. Authorit. part. 3.* *Iam vidimus (inquit) abominationem desolationis, Amedeum Sabaudiensem, non in loco sancto, Romano Throno, Domino prohibente, sed in loco profano, excommunicato, & interdicto, Basiliscorum spelunca, dæmonumque caverna, sedentem.*

1516 Bt.etiam NICOLAUS ALBERGATTUS (teste SIGONIO *in ipsius Vita cap.13.*) *Cum audisset, quæ in contemptum Apostolicæ Sedis Basileenses decrevissent, Vir antiquæ probitatis exarsit, atque graviter eorum facta increpuit, & vt in Authoritate Summi Pontificis permanerent, admonuit.*

1517 Id per eruditè expendit Cardinalis TURRECREMATA *lib.2. de Eccles. cap.100.* sic scribens: *Talia Decreta Concilii Basileensis (videlicet contra Pontificiam Authoritatem) ad furorem quorumdam hostium Apostolicæ Sedis cum multitudine populi parvi pretii, & nullius Authoritatis publicata sunt; & ideò plures attendentes, prædicta Decreta adversa esse Sanctorum Patrum Doctrinis, non modò in disputationibus suis contradixerunt, & reclamaverunt, verùmetiam in Sessionibus ipsius Concilii interesse noluerunt.*

1518 Et *lib. 3. cap. 38.* *Practica (inquit) habita in Concilio Basileensi in multis fuit exorbitans ab omni iure, introducta per quosdã temerarios, & præsumptuosos homines. Vndè à practica, & gestis illius Cõgregationis, quæ tot scandala in Ecclesia peperit, nulla exempla sumenda sunt, sed potius de omnium Fidelium veniunt delenda pectoribus.*

1519 Adstipulatur SEVERINUS BINIVS *in Notis ad dict. Concil. litt. D.* sic scribens: *Hanc Synodum Authoritate legitima reprobatam esse, constat ex Sessione vndecima Concilii Lateranensis, infrâ sub Leone X. celebrati, vbi Conciliabulum schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus Authoritatis,* non immerirò appellatur.* Synodus quoque Florentina *in Sess. publica, anno 1439. prid. Non. Septemb. habita,* Declarationes Basileenses, tamquam impias, scandalosas, in manifestam Ecclesiæ scissuram, ac omnis Ecclesiastici Ordinis confusionem tendentes, damnat, ac reprobat.

1520 Hùc magnoperè faciunt ea, quæ Eruditissimus P. AVGVSTINVS REDINCH *lib. de OEcumen. Cathed. Apost. Authorit. art. 2. de Authorit. Papæ sup. Concil. Disquisit.* 8. memoriæ prodidit, præsertim *in 1. probatione conclusionis*, vbi, de Decretis Basileensis Concilii agens, hæc scribit: *Quare Decreta illa inter mera Synodi, iam acephalę, imò capiti suo refractariè oppositæ, adversus immediatum CHRISTI in terris Vicarium attentata sunt, in tantum recensenda, vt ipsius etiam CHRISTI institutioni eatenùs repugnarent, quatenùs immediatę CHRISTI Vicarii Authoritati superponebant aliquem CHRISTO immediatiorem, nempè Concilii super Papa superioritatem.* (Ex quo *paulò infrà* hæc subdit, ac infert:) *Sicque proindè Papam non fore immediatum CHRISTI Vicarium, quod à Fidei principiis hactenùs traditis prorsus alienum est.*

1521 Et *probat. sequenti* hæc habet: *Probatio 2. qua ostenditur, illa Decreta Basileensia nedùm aliquid roboris adiecisse Decretis Constantiensibus, sed illa ceu nulla, & in suis intrinsecis principiis invalida, ac inania fuisse deinceps positivè reprobata in Sancta Ecclesia.* (Et *paulò inferiùs* ita id probare contendit:) *Duo reprobatæ illius Synodi argumenta, hìc proferre placet: vnum ex Bulla Pii II. retractatoria eorum, quæ priùs tamquam consors egerat in Basileensi, à capite divulso, Concilio, alterum Basileensis Synodi ab Ecclesia reprobatæ argumentum est ex Concilio Lateranensi, quod Julius II. & posteà Leo X. opposuit Concilio Pisano circa annum 1509.* Authoritate Maximiliani Imperatoris, & Ludovici, Galliarum Regis, dicto Julio II. infensorum celebrato, tandêmque reprobato à præfato Ludovico Rege, Synodum Lateranensem recipiente tamquam veram, & legitimam, in qua tamen reprobatum fuerat Basileense Concilium, seu potiùs Conciliabulum.*

1522 Deniquè non prætermittenda silentio videtur censura P. CÆLESTINI SFONDRATI, Authoris Galliæ Vindicatæ, *Dissert. 3. §. 4.* in hæc verba: *Si*

ergo, vt ex adductis hactenùs testimoniis liquet, Concilium Basileense Schismaticum, Satanicum, temerarium, præsumptuosum, factiosum, viribus cassum, Spiritu Sancto destitutum, Sanctorum Patrum Doctrinæ, & exemplis adversum, scandalosum, reprobatum, damnatumque fuit, amabo te, ex tali Concilio quale subsidium speres? An non pudeat tàm sordidi, fœdique patrocinii? Ego fidem adhibeam, ego moveri tam indignis testimoniis? Imò si alia omnia cessent hoc vnum sufficerit spernendæ adversariorum sententiæ, quod tàm miseris, pudendisque auxiliis sustentetur; impiam prodit tam profanus comitatus.*

1523 Ex hucusque dictis, totque Authoritatum pôdere stabilitis, manifestê apparet, Concilia etiam OEcumenica, absque Apostolicæ Sedis delegatione, nulla ad Episcoporum privationem, & definitivam condemnationem Authoritate pollere, quin Sacris Canonibus, Apostolicæ traditioni, & Vniversali Ecclesiæ praxi adversentur.

1524 Pro coronide tandèm operæpretium duximus, hîc asserere, Honorium Papam, cum nec ab Hæreticis, neque à Catholicis, nec in Oriente, nec in Occidente, nec à Latinis, neque à Græcis, de hæresi postulatus, nullovè in Concilio (& si plura fuerint adversus Monothelitas celebrata, per quadraginta quinque annorum spatium ab eius obitu ad VI. vsque Synodum) de hæresi nonmodò damnatus, sed nec accusatus quidem fuerit, aut eius memoria labe infecta (præcipuè in Conciliis Romanis sub S. Martino, & Agathone, vbi impii Monotheliſmi Authores sunt proscripti) ab omni prorsus hæresi immunè iudicandum: nec suspicari posse, Supremos Ecclesiæ Antistites, & Patres, qui in his Synodis consederunt, æqua sententia, crimen, quod in aliis damnarunt, in Honorio non adversaturos, si pari lapsu cum eis corruisse crederent. Cum autem constet, ipsum & integra fama vixisse, & pluribus cumulatum laudum præconiis in pace Ecclesiæ decessisse, atque in Albo Romanorum Pontificum collocatum, communi Ecclesiæ approbatione per mille, & amplius annos hucusque perdurasse; hinc irrefragabile desumitur argumentum ad convincendam impactam ipsi calumniam, probandamque inconcussam eius in Fide Constantiam.

1525 Aptissima quidem ad rem ATHANASII verba *in Epist. Apolog.* S. Dionysiũ Alexandrinum ab Arianismo per æmulos impositio vindicantis. *Magni certè argumenti est, nihil eos veri dicere, & calumniis virum premere, quòd ille numquam ab aliis Episcopis de impietate convictus est, neque hæresim propugnando ab Ecclesia recessit; sed in ea cum pietate obdormivit; quòdque eius memoria hactenus cũ Patribus celebrata est, & in Catalogum relata, qui si cum istis, eiusdem opinionis fuisset, aut si scriptorum rationem non reddidisset, minimè dubium, quin eadem, quæ illi, passurus fuisset.* Hæc Athanasius pro Dionysio, facilè applicanda pro Honorio, impudentèr, ac falsò à Monothelitis erroneæ suæ sententiæ adscripto.

LIBER IV.

APOLOGETICVS,

IN QVO

ALIORVM SVMMORVM

Pontificum in Fide Constantia oppugnata vindicatur.

CAP. I.

ILLIBATA IOANNIS XXII. in Fide puritas propugnatur.

1 FLAGRANTISSIMVS promovendæ Fidei Ardor, quo JOANNES XXII. Pontifex Maximus, multis Christiani Orbis Principibus sua cohortatione excitatis, Jerosolymam recuperare, & profligatis Begardorum, Beguinorum, Fratricellorum, istorumque sequacium erroribus, suo tempore grassantibus, ipsos summa vigilantia extirpare conatus est, obstinatam hæreticorũ perfidiam, rabiemque excitavit, vt, communi Ecclesiæ hoste instigante, omnem lapidem moverent, quò tanti Pontificis Nomen, ascitis in illius Fidei puritatem fictitiis calumniis, obnubilarent. Unus è præcipuis fertur Ocham, qui *in Opere 90 dierum*, Sanctissimum Pontificem criminabatur, ei falsò adscribens, docuisse, Animas Beatorum, Deum ante resurrectionem non visuras.

2 Nec solus Ocham, sed & cęteri Schismatici, quorum antesignani extitisse perhibentur Michaël de Cecennas, & Bonagratia, Pseudo Minoritæ, cũ Imperatore Ludovico Bavaro, infensissimo tunc Ecclesiæ hoste, eò temeritatis devenere, vt conciliabulum congregare ausi sint, prædictum Sanctissimum Pontificem, Pontificia Authoritate abdicaturi, convocatorias Litteras sequentibus calumniis attexentes, vt *ex manuscriptis Authographis*, quæ *in Vaticana Bibliotheca* asseruantur, innotescit; ibi enim hęc leguntur: *Dominus JOANNES *anno Domini* 1331. *in Festo omnium Sanctorum*, *in Sermone*, quem publicè fecit, qui incipit *Mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, &c.* Et *in alio Sermone*, quẽ publicè fecit *eodẽ anno in Dominica III. Adventus*, qui incipit: *Gaudete in Domino semper, &c.* Et *in alio Sermone*, *anno Domini* 1332. *in Vigilia Epiphaniæ*, qui incipit: *Surge tolle puerum, & Matrem ejus.* (Et *infrà*) Dogmatizatus est, quòd Sancti in Cęlo

non

non vident, nec videbunt, vſque ad diem generalis judicii, & futuram corporum reſurrectionem, faciem Dei, ſive Divinam Eſſentiam, ſed tantummodò vident, & videbunt, vſque ad futurum Vniverſale Judicium, Humanitatem CHRISTI.* Hæc ibi.

3 Effrenatam horum audaciam, ſolita ſua in Apoſtolicam Sedem inſolentia, Recentiores Hæretici imitati ſunt, prædictum Pontificem novis calumniis impetentes; vt patet in Eraſmo, qui *in præfatione ad lib. 5. Irenæi.* idipſum cum additamento affirmat, dicens: *In quo errore fuiſſe videtur Joannes Pontifex Romanus, ejus nominis XXII. coactus opera Theologorum Pariſiorum ad Palinodiam, coram Galliarum Rege Philippo, non ſine buccina, quod indicat Joannes Gerſon *in Sermone de Paſchate.**

4 Tandèm Calvinus *lib. 4. Inſtit. cap. 7. §. 28.* addit, eumdem Joannem docuiſſe, Animas eſſe mortales. *Atqui ſi privilegium, quod obtendunt, ratum eſſe volunt, expungant è numero Pontificum oportet Joannem XXII. qui palam aſſeruit, Animas eſſe mortales, vnàque cum corporibus interire vſque ad diem Reſurrectionis.*

5 In hæc, aliaque impiiſsima verba Schiſmaticos, hæreticoſque impulit ipſa eorum pervicacia, qui tanti Pontificis honori labem inferre, illiuſque ſplendori tenebras offundere, inveterata ſua malitia contendunt. Verùm quàm immunis ab hujuſcemodi calumniis Sanctiſsimus Pontifex extiterit *in hac Apologetica diſſertatione* manifeſtè demonſtrare curabimus: quod vt meliùs præſtare poſsimus, antiquum hujus Controverſiæ ſtatum, ac præcipuè eum, quem ſupradicti Joannis XXII. tempore habuit, proponemus.

§. I.

Patrum Sententia, qui Beatorum Animas ad diem vſque Iudicii Deum non viſuras docuerunt ante Ioannem XXII. in medium producitur.

6 COntroverſum valde prius illis temporibus fuit, an Sanctorum Animę, omni jam peccati macula purgatę, ſtatim Viſione Beatifica fruerentur? An potiùs, hæc illis ad vniverſalis vſque Reſurrectionis diem diferenda eſſet? Et quidem Sanctorū Animas non niſi poſt Univerſale Judicium æterna Beatitudine fruituras (quod Joanni XXII. tanquam præcipuo Authori, falſiſsimè adſcribitur) multi ex Antiquis Patribus, celeberrimiſque Eccleſiæ Doctoribus tenuerunt, vt refert Iluſtriſsimus SPONDANUS *ad annum 1333. num. 1.* his verbis: *Non pauci ex Antiquis Patribus, tàm Græcis, quàm Latinis, Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Theodoretus, Origenes, Lactantius, Victorinus, Prudentius, & alii tenuiſſe videbantur Animas à corpore ſeparatas, & ab omni peccati macula, vel in hac, vel in altera vita ritè purgatas, Beata Viſione Divinæ Eſſentiæ ante extremum Judicij diem haud perfectè frui, ſed ſuorum reſurrectionem corporum expectare, vt ſimul cum ipſis perfectam Beatitudinem aſſequerentur.*

7 Verùm cum hæc res graviſsima ſit, magnopereque conferat, vt Sanctiſsimus Pontifex JOANNES XXII. ab impoſtura, qua hęretici eum præcipuum hujus ſententiæ Authorem adſtruunt, vindicetur: operępretium me facturum arbitror, ſi non modò Antiquos Authores, Sanctoſque Patres, qui id docuerunt, adduxero, ſed & verba etiam, quibus ſuam mentem expreſſerunt, in medium proferam. Quarè, cum hæc in JOANNEM XXII. calumnia in Galliis diſſeminata ſit, quid fulgentiſsimum totius Gallici Regni Sidus, D. BERNARDUS hac in re cenſeat, videamus.

8 Explicans igitur MELLIFLVVS DOCTOR illud *Apocalip. 6. Vidi ſubtus Altare animas interfectorum*, haud leviter propendit in ſententiam, docentium, animas Sanctorum, ante corporis reſurrectionem Divinę Viſionis gloria frui non poſſe; ſiquidem *in Sermone 4. Feſtivitatis Omnium Sanctorum*, aſſerit: Beatorum Animas ad diem vſque judicii *ſub Altare Dei*, ideſt, in ſola Humanitatis CHRISTI Viſione, quieſcere, donec veniat tempus, in quo filius Dei poſt vniverſalem reſurrectionem ſe ipſum eis in forma Dei vnà cum Patre, & Spiritu Sancto videndum exhibeat, vt ex iſtis tanti Doctoris verbis innoteſcer. *In hunc ergo locum (ideſt, Abrahæ ſinum) SALVATOR deſcendens contri-

trivit portas æreas, eductosque vinctos de domo Carceris jam tunc *sub Altare Dei* collocavit, abscondens eos in abscondito tabernaculi sui, donec veniat tempus, in quo procedant, completo jam numero fratrum, & percipiant Regnum paratum ab origine mundi. (Et paulò post addit): Porrò *Altare Dei*, de quo nobis sermo est, ego, pro meo, sapere nihil aliud arbitror esse, quàm corpus ipsum Domini Salvatoris, de quo dictũ est *in Evãgelio: Vbicũque fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ.* Interim ergo sub CHRISTI Humanitate fœlicitèr Sancti quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam Sancti Angeli prospicere, donec veniat tempus, quando jam non *sub Altari* collocentur, sed exaltentur super Altare. Sed quid dixerim? Numquid Humanitatis CHRISTI gloriam, non dicam hominum, sed vel Angelorum assequi poterit quis, nêdum superare? Quonam igitur modo super Altare dixerim exaltandos esse, qui nunc sub Altari quiescunt? visione vtique, & contemplatione, non prælatione. Ostendit enim tunc se nobis Filius, vt pollicitus est semetipsum, non in forma servi, sed in forma Dei; ostendit etiam nobis Patrem, & Spiritum Sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis, quoniam *hæc est vita æterna, vt cognoscant te Patrem verum Deum, & quem misit IESVM CHRISTVM*, & in eis (quod non est dubium) etiam Spiritum vtriusque.*

9 Et *Serm. 3. ejusdem Festivitatis*, obiter explicans illud *Davidis Psal. 83. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutũ: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini, &c.* Docet, tres esse animarum mansiones; Primã, in Tabernaculis; Secundã, in Atriis; Tertiã, in Domo Dei, hoc est in Beatitudine, in quã sine corporibus non intratur.* Audistis, inquit, ni fallor, ex iis, quæ præcedente sermone sunt dicta, tres esse status Sanctarum Animarum. Primus, videlicet in corpore corruptibili. Secundus, sine corpore. Tertius, in Beatitudine consummata. Primus, denique in Tabernaculis. Secundus, in Atriis. Tertius, in Domo Dei. (Et post pauca subdit): In illam Beatissimam Dei Domum animæ, nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis: idest, nec Sancti sine plebe, nec Spiritus sine carne.*

10 Hinc ALPHONSUS A CASTRO, loquens de hac Divi Bernardi sententia, eam damnatam esse annotavit. At estò mihi dubium non sit, prædictam opinionem à Concilii Florentini, vel Benedicti XII. temporibus, qui post Ioannem XXII. floruit, esse proscriptam, numquam tamen crediderim, eam Divi Bernardi ætate fuisse damnatam: sicque mellifluus Doctor, non censura, sed excusatione dignus videtur; cum hujusmodi sententiæ neutiquam Author extiterit, sed antiquiores Sanctos, & Ecclesiæ Patres hac in re fuerit secutus, quos servata annorum serie proferemus in medium, vt clariùs patescat, quantam apud Antiquos Patres, & Doctores commendationem præfata obtinuerit opinio.

11 S. JACOBUS APOSTOLUS *in Liturgia Divini Sacrificii pro Animabus Sanctorum quiescentium in CHRISTO*, sic Deum deprecatur, vt non obscurè innuat, eas nondum ad optatæ Beatitudinis locum perveniisse; hujusmodi enim apponit precationis formam: *Domine Deus noster, memento omnium Orthodoxorum, ac rectè de fide sentientium ab Abel justo, vsque ad hodiernum diem, fac eos requiescere in regione viventium in Regno tuo, in deliciis Paradisi, in Sinu Abraham, Isac, & Jacob, Sanctorum Patrum nostrorum: vnde exulat dolor, tristitia, & gemitus, vbi præsidet lumen vultus tui, & perpetuò refulget.*

12 Nec minori claritate eamdem sententiam amplectitur Sanctus IRENÆUS, Lugdunensis Antistes, *in fine libri adversus hæreses*, dicens: *Cum enim Dominus in medio vmbræ mortis obierit, vbi Animæ mortuorum erant, post deindè corporalitèr resurrexerit, & post resurrectionem assumptus sit, manifestum est, quia, & discipulorum ejus, propter quos & hæc operatus est Dominus, animę abibunt in invisibilem locum definitum eis à Deo, & ibi vsque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem, post recipientes corpora, & perfectè resurgentes, hoc est corporalitèr, quemadmodum CHRISTVS resurrexit, & sic venient ad con-*

conſpectum Dei.*

13 Conſonat Sanctus JUSTINUS, Philoſophus, & Martyr glorioſiſsimus, *lib. Quæſt. a Gentibus poſitarum, quæſt. 76.* vbi inquirit: * Si ante reſurrectionem nulla ſunt operum præmia, quis fructus fuit latroni, cum in Paradiſum ejus animus introductus eſt, præſertim, cum Paradiſus ſub ſenſum cadat; Animæ autem eſſentia non percipiatur ſenſibus?* Cui difficultati ſic reſpondet: * Hoc latro conſequutus eſt, cum in Paradiſum intravit, quòd re ipſa Fidei emolumentum, fructumque cognovit, quia dignus eſt habitus *Cœtu* Beatorum, in quo cuſtoditur ad reſurrectionis, remunerationiſque diem, habetque Paradiſi ſenſum intelligentiæ ſenſu, qui dicitur, *quo Animi*, & ſe ipſos vident, & quę ſunt ſub ipſis, & prętera Angelos, atque dæmones. (Et rurſum *quæſt. 80.*) Nemini, inquit, ante reſurrectionem, ex his, quæ in vita geſsit, præmium redditur.* Hęc ille.

14 Nec ab his diſſentit TERTVLLIANVS *lib. 4. Adverſus Marcionem*, vbi hæc habet: * Vnde apparet ſapienti cuique, qui aliquando Elyſios campos audierit, eſſe aliquam localem determinationem, quæ *Sinus* dicta ſit *Abrahæ*, ad recipiendas animas filiorum ejus, etiam ex nationibus, Patris ſcilicet multarum nationum, in Abrahæ cenſum deputandarum, & ex eadem Fide, qua & Abraham Deo credidit, nullo ſub iugo legis, nec in ſigno Circumciſionis. Eam itaque regionem, *ſinum* dico *Abrahæ*, & ſi non cœleſtem, ſublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram Animabus juſtorum, donec conſummatio rerum, reſurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat, hanc apparitura cœleſti promiſsione, ad quam aſcenſum CHRISTVS edificat in Cœlo, vbi eſt locus æternus.*

15 Idque ipſum apertè tradit *lib. de Anima, cap. antepenultimo*, his verbis: * Nemini ante reſurrectionem ex his, quæ in vita geſsit, præmium redditur.* Idem *lib. de Anima, eodem cap. antepenul.* ait: * Si CHRISTVS, forma humanæ mortis apud inferos functus, non antea aſcendit in ſublimiora Cœlorum, quàm deſcendit in inferiora terrarum, vt illic Patriarchas, & Prophetas compotes ſui faceret; habes & regionem inferorum ſubterraneam credere, & illos cubito pellere, qui ſatis ſuperbè non putent, animas fidelium inferis dignas, ſervi ſuper Dominum, & diſcipuli ſuper Magiſtrum aſpernati, ſi fortè in Abrahæ ſinu expectandæ reſurrectionis ſolatium carperent. (Et *pauló infrà*:) Nulli patet Cœlum, terra adhuc ſalva, nè dixerim clauſa. Cum tranſactione enim mundi reſerabuntur Regna Cœlorum. (Et poſt aliqua addit:) Habes etiam de Paradiſo à nobis libellum; quo conſtituimus, omnem animam apud inferos ſequeſtrari in diem Domini.*

16 Et *Cap. Vltimo ejuſdem Operis*, hæc infert: * Omnes ergo Animæ penes inferos, inquit, velis, ac nolis, & ſupplicia jam illic, & refrigeria, habes pauperem, & divitē: Cur enim non putes Animā & puniri, & faveri, apud inferos interim ſub expectatione vtriuſque iudicii? Quid ergo fiet, in tempore iſto? dormiemus? At enim animæ, nec in viventibus dormiunt: corporum enim eſt ſomnus. (Et *infrà*:) Novit & apud inferos anima gaudere, & dolere ſine carne; quia & in carne illæſa, ſi velit, dolet; & læſa, ſi velit, gaudet. Hoc ſi ex arbitrio ſuo in vita fit, quantò magis ex judicio Dei poſt mortem?*

17 S. CLEMENS ROMANVS *lib. 2. Ypotypoſeon.* ex Petri ſententia, ſic ſcribit: * Quemadmodum Magiſter noſter CHRISTVS, non ſtatim evolans, abjit, ſed ſuſtinens definitum à Patre Reſurrectionis ſuæ tempus, quod & per Jonam manifeſtum eſt, poſt triduum reſurgens, aſſumptus eſt; ſic & nos ſuſtinere oportet Reſurrectionis, & gloriæ noſtræ tempus prænuntiatum à Prophetis, & ſic reſurgentes aſſumi in Cælum. Interim verò oportet animas vſque ad diem Judicii extra Cælum patienter futuram gloriam expectare.*

18 Hic neceſſariò duximus annotandum, hunc S. Clementis textum ex illius operibus non eſſe deſumptum (vt admonet SIXTVS SENENSIS *lib. 6. Bibliothecæ Sanctæ*, quod an alicubi nunc reperiatur ignoro) ſed *ex lib. 3. de occulta Philoſophia Cornelii Agrippæ Hæretici*, & in hoc præſertim articulo perperam ſentientis, qui ſi mea me non fallit ſuſpicio, tranſcripſit hæc *ex 5. lib. Irenæi*, in cuius fine hæc ſententia habetur ad verbum præter poſtremam illam clauſulam. *Interim verò oportet animas vſque ad diem iudicii patienter futuram gloriam expectare*,

re, quam, verisimile, est Cornelium de suo adiecisse, vtpotè Dogmati suo fauentem.*

19 Sed quidquid de hoc sit, prædictę sententiæ manifestè suffragatur ORIGENES *Homil. 7. in Levit.* hæc scribens: *Nondùm Sancti receperunt lætitiam suam, nec Apostoli quidem: sed & ipsi expectant, vt ego lætitię eorum particeps fiam, neque enim decedentes hinc Sancti, continuò integra meritorum suorum præmia consequuntur; sed expectãt etiam nos, licet morantes, licet desides; non est enim illis perfecta lętitia, donec pro erroribus nostris dolent, & lugent nostra peccata, sicut Paulus dicit: *Nondum assecuti sunt promissiones, Deo pro nobis melius aliquid providente, ne sine nobis perfectionem consequerentur.* Vides ergo, quia expectat adhuc Abraham, vt quæ perfecta sunt, consequatur: expectat & Isaac, & Jacob, & omnes Prophetæ expectant nos, vt nobiscum perfectam Beatitudinem percipiant.*

20 Et *in lib. Periarchon 2. non longè a fine*, loquens de loco, ad quem Sanctorum animæ post mortem tendunt: * Puto (inquit) quòd Sancti quique discedentes ex hac vita, permaneant in loco aliquo, in terra posito, quem *Paradisum* dicit Scriptura Divina, velut in quodam eruditionis loco, & vt ita dixerim adiutorio, vel schola animarum, in quo de iis omnibus, quæ in terris viderant, doceantur, iudicia quoque quædam accipiant, de consequentibus, & futuris, sicut in hac quoque vita positi iudicia quædam futurorum, licet per speculum in ænigmate, tamen ex aliqua parte conceperant, quæ manifestiùs, & lucidiùs Sanctis in suis locis, & temporibus revelantur. Si quis sanè mundus corde, & purior mente fuerit, indè ad aëris locum ascendet, & ad Cælorum regna perveniet.* Hactenùs ille.

21 Clariùs id tenet LACTANTIVS *lib. 7. Divinarum Instit. cap. 21.* sic loquens: *Nec quisquam putet, animas post mortem protinùs judicari; nam omnes in vna, communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen, tunc quorum fuerit probata iustitia, ii prȩmium immortalitatis accipient: quorum autem peccata, & scelera detecta fuerint, non relurgent, sed cum impiis recondentur in easdem tenebras, ad certa supplicia destinati.*

22 In hanc eamdem sententiam haud leviter propendit S. AMBROSIVS, Mediolanensis Episcopus, *lib. 2. de Cain, & Abel, cap. 2.* vbi hæc habet: *Solvitur à corpore anima, & post finem vitæ huius, adhuc tamen futuri judicii ambigua suspenditur. (Et *in lib. de bono mortis cap.* 10. asserit) Scriptura Esdræ habitacula animarum *promptuaria* nuncupat; & occurrens querelæ humanę, eo quòd justi, qui præcesserunt, videntur vsque ad diem judicii, per plurimum scilicet temporis debita sibi remuneratione fraudari, mirabiliter ait, Coronę esse similem diem judicii, Coronæ enim dies expectatur ab omnibus, vt intra eumdem diem, & victi erubescant, & victores palmam adipiscantur victoriæ: ergo dum expectatur plenitudo temporis, expectant animę remunerationem debitam, alias manet pœna, aliàs manet gloria.* Et *paulò infra in eodem capite*: Locum, quem petunt omnes animæ corporibus exutæ, appellat *infernum*, qui non videtur.

23 Idipsum tenuisse videtur Sanctus JOANNES CHRYSOSTOMUS, dùm *Homil. 39. in priorem Epistolam ad Corinth.* expendens vim illius argumentationis, qua vtitur Paulus, videlicet: *Si in hac vita tantum sperantes sumus: ergo omnibus animantibus miserabiliores sumus*; hæc habet: *Quid ais Paule? superestne fiducia sola, si corpus non excitetur? an non animus superstes erit? Erit & immortalis quidem, quamquam verò, vel sexcenties sit (vt sanè est) immortalis: tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur, quemadmodum neque pœnis punietur. Omnia enim eorum tribunali CHRISTI manifestabuntur, inquit Paulus, vnusquisque ferat, quæ per corpus, seu bona, seu mala fecit, nàm si corpus non resurgat, anima nostra incoronata manebit, & extra cælestem beatitudinem erit.* Alia eiusdem S. JOANNIS testimonia *in Expositione 1. ad Corinth. 15.* quibus fusiùs explicat, & clariùs ostendit, se prædictę sententiæ adhæsisse, videri possunt apud *Sixtum Senensem lib. 6. Biblioth.*

24 Eadem fuisse videtur S. AUGUSTINI mens; siquidem *in Expositione Psalm. 36.* *Post vitam (inquit) istam

nondùm eris, vbi erunt Sancti, quibus dictum: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Nondùm ibi eris, quis nescit? Sed iam poteris, ibi esse, vbi illum quondam vlcerosum pauperem dives ille superbus in mediis tormentis vidit, longè requiescentem, in illa requie certè securus expectabis judicii diem. (Et *lib.* 12. *de Genesi ad litt. cap.* 9. inquit:) Pars illa Civitatis Dei, quæ coniungenda immortalibus Angelis, ex mortalibus hominibus congregatur, nunc vel mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis, qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis, sedibusque quiescit.* Hæc ille.

25 Assentitur etiam THEODORETVS *in Commentariis ad cap.* 11. *ad Hebræos*, hæc scribens: * Sanctorum ergo tot, & tanta fuerunt certamina, sed hi tamen nondùm Coronas acceperunt, expectat enim Deus vniversorum aliorum certamina, vt soluto stadio, omnes, qui victoriam fuerint consecuti, simul victores pronuntiet, & remuneret.* Hæc ille.

26 Nec minori expressione hanc eamdem sententiam tradidit Doctus ARETAS, Cæsarienfis Episcopus, *in Commentariis in Apocalyp.* vbi exponens illud: *Vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum? &c.* hęc scribit: *Per hęc apparet, Sanctos petere mundi consummationem; ideò longanimiter expectare iubentur, vsque ad consummationem fratrum, nè absque ipsis consummentur, iuxtà Divinum Apostolum. Albæ autem Stolæ florentes in ipsis virtutum splendorem designant, quo induti sunt, quamquam promissiones nondum reportarunt. Horum igitur spe, quæ per intellectum veluti in speculo contemplatur, omni craficie liberati, meritò lætantur, quiescentes in sinibus Abraham; nam id à multis Sanctis dictum est, vnumquemque virtutis cultorem sortitum esse dignum locum: vndè etiam de futura sua gloria certam quandam assequantur coniecturam.*

27 Idipsum clariùs tenuit ECVMENIVS *in Epist. ad Hebræos cap.* 1. dicens: *Omnes Sancti testimonium promeriti, quòd per Fidem Deo placuerunt, nondùm consequuti sunt bona, iustis promissa, Deo de nobis melius providente, nè illi aliquid amplius, quàm nos haberent in eo, quòd priores coronati essent: vnum definivit tempus, vt & nos cum ipsis coronemur, hoc autem pro nobis est, illi numquam sedent irremunerati, nostram expectantes administrationem, nè sine nobis consummarentur, non dixit *coronarentur*, sed quod maiorem habet emphasim, *consummarētur*, hoc est, acciperent terminum bonorum, pro quo laborat omnis coronatus, & fatigatio eius, qui virtute præditus est.*

28 THEOPHYLACTVS, Bulgariæ Antistes, præfatam opinionem clarissimè propugnavit: siquidem *ad Hebræos* 11. hæc habet: *Sancti nihil adhuc cælestium promissionum sunt assequuti; tametsi fuisse constat nonnullos, vt Davidem Regem his terræ bonis affectos: haud tamen præsentia hæc ipsi inquirimus, sed quæ in Cælo sunt certiores, & veraciores promissiones.* Hoc quidem repetit *in Commentariis super* 24. *cap. Lucæ*, exponēs illud: *Hodie mecum eris in Paradiso.* *Sancti (inquit) tametsi nondùm perfectè bonis fruantur, iam tamen versantur in locis lucidis, & fragrantibus, & pulchris tabernaculis, etiam si nondùm distributionem regionum bonorum assequantur. Ità & Latro in Paradiso fuit, etiam si nondum perfectè acceperit, nè absque nobis perfectus sit, & hoc opinor verisimum omnium, vt nè dicam, quòd Sanctorum gratiæ in quotidianis miraculorum operationibus Paradisus meritò dicta sint, & omnes Sancti, quotquot participes facti sunt spiritualium donorum, & Arrabonem habent spiritus, in Paradiso sint, etiamsi nondùm perfecti fuerint, & regnum acceperint, sicut dicit Paulus *in Epistola ad Hebræos: Etiamsi nondùm promissiones acceperint.* Promissionem enim dicendo integram fœlicitatem posuit.*

29 Hanc eamdem sententiam secutus fuit Antiquus, & Eruditus PRVDENTIVS, dùm *in suo Poemate*, piorum animas à corpore decedentes, nunc in sinu Abrahę, nunc in Paradiso terrestri, nunc sub Altari Dei, docuit commorari, sicut fecit in Hymno, pro Exequiis Defunctorum, sic canens:

* Quanam regione iubebis,
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita Sancti.
Recubabit, vt est Eleazar,
Quem floribus vndique septum

Dives,

Dives, procul aspicit ardens.
Sequimur tua dicta Redemptor,
Quibus atra morte triumphans,
Tua per vestigia mandas,
Socium Crucis ire Latronem.
Paret ecce Fidelibus ampli
Via lucida iam Paradisi,
Licet & nemus illud adire
Homini, quod ademerat anguis.*

30 Tandêm pro hac sententia firmiter stetit S. VICTORINUS, Pictavensis Antistes, *in Comment. in Apocalyp.* vbi explicans illud *D. Ioannis: Vidi sub Altare Dei animas interfectorum*, hæc habet: *Animas autem occisorum, dicit se vidisse *sub Ara*, id est, sub terra; Ara enim, & cælum, & terra dicitur; sicut lex ait, quæ duas Aras fecerat, auream intrinsecus, & æream extrinsecus. Sicut ergo Cælum intelligitur *Ara aurea*, quę erat interior, ad quam Sacerdotes semel in anno introibant, sic & *Ara ærea*, terra intelligitur, sub qua est infernus, remota à pœnis, & ignibus Regio, & requies Sanctorum, in qua quidem ab impiis videntur, & audiuntur Justi, & neque illuc transmeare possunt.

31 Has ergo animas occisorum expectare vindictam sanguinis, id est, corporis sui de habitantibus super terram voluit nos cognoscere, qui omnia videt; sed quia in novissimo tempore, Sanctorum remuneratio perpetua, & impiorum ventura est damnatio, dictum est eis: *Expectate*, & pro corporis sui solatio acceperunt, inquit, Stolas albas, id est, donum Spiritus Sancti.*

32 Ex hucusque dictis manifestissimè evincitur, quàm perperam aliqui Joannem Papam XXII. huius sententię Authorem constituerint, cum tot ante illius ortum sæculis celebriores antiquitate, & Divinarum Litterarum eruditione Authores, Patres, ac Sancti, supra laudati, aliique plures, quos brevitatis gratia omittimus, eam vna mente tenuerint, vt ex eorum verbis, scriptisque cuiquam eos attentè legenti constare poterit.

§. II.

Proponitur status, quem sub Ioanne XXII. quæstio de Visione animarum habuit.

33 NEgari certè non potest, opositam sententiam, quæ Sanctis animabus iam plenè purgatis, visionem beatificam antè judicii diem concedit, sub Joanne XXII. magnopere viguisse, tuncque hanc controversiam acerrimè fuisse pro vtraque parte agitatam. Cœpit hoc dissidium *anno* 1331. vt clarè testatur eruditissimus P. ODORICVS RAYNALDVS, Annalium Baronii Cõtinuator, qui ad prædictum *annum num.* 42. ex Vaticanæ Bibliothecæ manuscriptis *num.* 4009. *pag.* 180. huius quæstionis statum his verbis proponit: *Agitari cœpta est *hoc anno* in Pontificia Curia quæstio de visione animarum controversa inter Theologos eius temporis, & sanè Joannes, dum Fidei Orthodoxæ, quam Romana profitetur Ecclesia, à Clemente X. conceptam ad Armenos, ad Cataynos, ad Persas, ad Tartaros, ad Alanos, ad Mascarinos, ad Lituanos ad Montis Albors, Aceolas transmiserat hæc docuerat: tenet, & prædicat Sacrosancta Ecclesia. (Et *infra*:) Illorum animas, qui post Sacrum Baptisma susceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt illas etiam, quæ post peccati contractam maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ sunt purgatę in Cælum mox recipi.

34 Hoc itaque Fidei Decretum nullatenùs in dubium revocatum est, sed vtrùm animæ illæ piorum omnis labis expertes, Cęlo exeptæ, & Empyreas adeptæ Sedes Divinæ Essentiæ visione faciali clara, & intuitiva potirentur? Pars maior perfruĩ visione sentiebat, pars negabat, sed visionem Beatificam dandam, solummodò in extremo judicio, cum decretoria illa sententia à CHRISTO pronuntianda foret: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod paratum est vobis à constitutione mundi.**

35 Accrevit hoc dissidium Authoribus in contrarias sententias abeuntibus, easque accerimè propugnantibus, tàm Parisiis, quàm Avenione, teste eodem ODORICO RAYNALDO *ad annum* 1333. *num.*

num. 45. vbi hæc scribit: *Dissenserant ea de re Doctores, neque huiusmodi controversia adhuc ab Ecclesia fuerat definita. (Et *infra*:) Cum verò Parisiis nonnulli Doctores eam controversiam agitarent, in quibus erat Supremus Minoritarum Præfectus, & in eam inclinaret sententiam, animas ante corporum resurrectionem claro Divinitatis intuitu non frui, &c.*

36 Consonat ALBERTVS KRANTIVS *lib.* 8. *Vvandaliæ*, *cap.* 16. his verbis: *Hoc erat illud tempus, quo sub Joanne eius nominis XXII. scindebatur Ecclesia de visione separatarum animarum, cum nonnulli ex Fratribus Minoribus pertinaciter tuerentur, illam differri vsque ad novissimam diem, quibus multum inhærere videbatur Pontifex; sed Fratres ex adverso Prædicatores docebant mox resolutam corpore animam justi cœlos ad Beatam vitam penetrare, quibus Prælati, & Doctores ferè omnes in Palladio Parisiensi subscripsere, qui etiam ea de re misere litteras Pontifici; scripsit & Rex illorum temporum Francię Philippus.* Hæc ille.

37 Testatur etiam id ipsum PAVLVS LANGIUS, Citizensis Monachus *in Cœnobii sui Chronico*, dicens: *Thomas de Valas, Ordinis Prædicatorum, Theologię Magister insignis, circa hæc tempora exponens se periculo ob Fidem Catholicam prędicavit Avenione publicè contra errorem de cęcitate animarum separatarum, qui ob id *anno proximo* ab Inquisitore hæreticæ pravitatis incarceratur Avenione, vbi pro CHRISTI Fide multa passus est, sed paulò post precibus Philippi Regis Gallorum, pro eodem Papæ scribentis libertati datur.*

38 De eodem controversiæ statu per id temporis hæc enarrat ALPHONSVS CIACONIVS *in Ioanne XXII.* ex antiquioribus Scriptoribus: *Per eos dies Joannes Papa Avenione eam tum primum quæstionem movit: an Sanctorum animæ è sæculo migrantes perfectè Djvinam essentiam ante resurrectionem videant? Quod ipse negare videbatur, affirmans eas tantum Christi Humanitatem contemplari, easque non nisi post vniversalem sententiam resurrectionis, & judicium, plenè, & clarè infinitam Dei bonitatem essentiam, & naturam comprehensuras: ita è contra de damnatorum pœnis disputabat, affirmans eorum supplicia ante vniversale judicium imperfecta esse; judicatorum verò longè atrociora futura. Quam suam sententiam multis rationibus, & Sanctorum Patrum authoritatibus citatis confirmare conabatur. Hæc opinio cum velut falsa, & erronea à majore Cardinalium, & Theologorum parte, & præcipuè à Fratribus Prædicatoribus damnaretur, jussit Pontifex omnibus Theologis, vt quid de ea censerent, diligentèr inquirerent, & sibi afferrent, affirmans, se nihil nisi disputandi gratia afferre, & nihil adhuc certò se determinasse. Ex verbis tamen ipsius intelligebatur, eum contra perfectam Sanctorum visionem sentire. De qua re à Francorum, & Siciliæ Regibus benigne admonitus est, vt ab ea quæstione quiesceret, cum muneris Pastoralis non esset, quæstiones suspectas, & contra Catholicam Fidem movere, sed veras decidere, & falsa dogmata extirpare. Tantorum Regum monitis Cardinales gavisi, Pontifici & ipsi suadebant, vt ab ea quæstione desisteret.*

39 Eadem refert ita ABRAHAM BZOVIUS *ad annum* 1331. *num.* 11. hæc scribens: *Eodem tempore idem Pontifex (Joannes XXII.) alios adversariorum adversum se excitavit, cum antiquiorum Doctorum, Tertulliani, Lactantii, Victorini, Prudentii, Bernardi, & ex Græcis Justini Martyris, Irenæi, Origenis, Theodoreti, OEcumenii, Theophylacti, Euthymii, & aliorum, de clara visione Dei opinionem, nondum ab Ecclesia damnatam, pro concione recitasset: & in partem quorumdam Fratrum Minorum asserentium animas à corpore separatas non statim Beata Visione Divinę Essentiæ frui, sed eam vsque ad diem judicii spectare, differendo quidem non asserendo, neque decernendo inclinavit. Fratres Prædicatores primi fuere, qui docentem Joannem Pontificem impugnavere ex Sacrę Scripturæ authoritatibus, & exemplis ostendendo, animam justi mox resolutam corpore, Cœlos ad fœlicem visionem divinitatis penetrare. Fratribus Dominicanis Prælati, & Doctoribus ferè omnes in Palladio Parisiensi contra Joannem subscripsere, eaque de re illi dehortatoriam dogmaticamque Epistolam misere. Scripsit & Philippus Rex*

Rex Gallorum, & Robertus Siculorum, nè Pontifex se contra torrenrem Doctorum Virorum opponeret, nevè hac opinione maculam nomini suo inureret.*

40 Et *infrà*: * Præ cæteris Fr. Thomas Valensis, Anglus, D. Dominici institutum professus, pro ea, qua pollebat, doctrina, & facundia, cum in amplissimo Episcoporum, & Patrum consessu Avinione, die Joanni Evangelistę Sacro, eam opinionem, & sententiis, & rationibus, & exemplis historicis exagitasset, & in assertores illius Divinam maledictionem imprecatus, non obscurè Joannem Pontificem perstrinxisset, à Quęsitore Fidei Franciscano in carcerem conjectus veritatis animosè prędicatę pœnas dedit, non inde in libertatem eductus, quàm Rex Philippus Joanni indignitatem vindicationis exposuisset. Idem periculum Fr. Durandus de S. Portiano, Prædicatorũ Ordinis, Avinione ab eodem Franciscano, ad dicendam causam evocatus incurrisset, nisi Philippo Rege suadente tantisper substitisset, donec Pontifex opinione rejecta, ex sensu vniversali sapere voluisset. Vterque non minus doctè, quàm constanter, verbo, & scriptis pro Catholico dogmate egit, calamitatemque nonnullam, & sustinuit, & Religioni Prædicatorum à Franciscanis accersivit: cum per id temporis Ludovicus Bavarus, quamquam antea acerrimus ejus Dominicani instituti hostis, non nisi pro veritate Prædicatores agonizare edoctus, odium deposuisset, hoc elogio Fratres Dominicanos ornasset: *Ordo Fratrum Prædicatorum, Ordo est veritatis, quam intrepidè, ac liberè contra errones, quãtumvis potentes, adverso pectore tuetur.* Antonius Lusitanus *in Chron. Prædicat.* Ferdinandus *Histor. Prædicat. Centur. par.* 2. Fr. Michaël Pius, *de Viris Illustrib. Ord. Præd. lib.* 2. LANGIVS *in Chron. Citizen.**

41 Verùm estò laude dignus videatur Zelus, quo dictus P. Valas adversus eam sententiam intrepidè prędicavit, laudari tamen non meretur imprudentia, qua sententiam, quam tot Sancti Patres, quot supra retulimus, sequebantur, nondum ab Ecclesia damnatam, publicè erroris nota perstrinxit: ad Divini enim Verbi concionatores certa, & indubitata Dogmata spectat populo annunciare, non verò dubia tamquam de Fide docere: vnde abs dubio, modestiæ fines excessit dictus Pater, in conspectu Ecclesiæ Procerum, Ecclesiæ judicium præveniendo, suique muneris debitum non exequendo, mittendoque falcem in messem alienam, cum in materia Fidei sententiam dicere, quin priùs Apostolica Sedes in ea controversia, quid tenendum, quidvè credendum censuerit, ausus sit. Quare P. ODORICVS RAYNALDUS *ad annum* 1334. *num.* 38. meritò dixit de eodem: *Redimus ad Joannem Papam, quem cum nonnulli carpant Valesium, Ordinis Prædicatorum è Sacro Pulpito contra declamantem carceri mancipasse; advertendum est, illum concionatorem justè addictum vinculis cum defigeret Anathemate, & hęresis nota contrarium sentientes, nondum lata à Sede Apostolica sententia, atque imprudens eiusmodi zelus merita percelli pœna debuit, nè turbis Ecclesiam misceret.*

42 Videns igitur Sanctissimus Pontifex Joannes huius quæstionis mare tot sententiarum fluctibus perturbatum, & Gallorum mentes tanta dissensione discretas, aliis vt Catholicam prædicantibus sententiam, tot Sanctorum Patrum testimoniis fultam, vt §. 1. ostendimus, quæ animabus Sanctis, vsque ad judicii diem visionem beatificam denegabat, aliis verò eam erroneam existimantibus, sui muneris propriissimũ duxit, solicitudinẽ adhibere, vt hæc controversia accuratiùs exagitaretur, ac vtriusque sententiæ fundamentis maturè perpensis, dirimeretur, prout refert idem ODORICVS *ad annum* 1333. *num.* 45. scribens: *Quam cum Joannes cuperet dirimi controversiam, in suis ad Cardinales collationibus Scripturę Sacræ Oracula, ac Patrum dicta in vtramque partem protulit, iussique sunt Cardinales, Præsules, aliique Doctores controversiam diligentissimè excutere, & quæ à Sanctis Patribus pronuntiata reperirent conferre, libellum etiam, scripsit Pontifex, quem Petro Archiepiscopo Rothomagensi transmisit, in quo nihil è suo, sed dicta tantummodò Scripturæ Sacræ, vel Patrum deprompsit.*

43 Magnoperê laudandus fuit Zelus, quo Sanctissimus Pontifex Joannes instituit, vt Sacræ evolverentur Scripturæ Sanctorum Patrum Authoritates perpenderentur, & maturè videretur cuinam

sententiæ, Scriptura & Sancti Patres vniformiori consensu faverent, sicut sui Antecessores præstiterunt, & antiquissimus, ac laudatissimus fuit semper Ecclesiæ mos in omnibus Dogmaticis controversiis, Scripturã, Sãctosque Patres priùs perscrutari, & quænam sit illorum sententia diligenter investigare, quàm ad veritatis scopum per definitionem progrediatur. Verùm estò hæc Sanctissimi Pontificis Cura, ac solicitudo omnem laudem, promereatur, non tamen potuit subterfugere Apostolici sui zeli invidiam, & æmulorum veritatis malitiam, qui perperam judicavere Sanctissimum Pontificem propendere in sententiam, quæ Sanctis animabus visionem Beatificam ad diem vsque judicii inficiabatur, quorum falsa præsumptio Philippum, Francorum Regem impulit, vt veritatem inquireret, cupiens enim Christianissimus Rex, vt doctrinalia ista dissidia Regni paci, & quieti pernitiosissima comprimerentur, & in re tanti ponderis securior doctrina teneretur, voluit hac de re à præstantioribus Sorbonensis Vniversitatis Theologis edoceri; ideòque iussit omnes in Theologia Magistros, & Doctores, omnesque Episcopos, & Abbates omnigena litterarum notitia pollentes in sua Regia congregari, eisque controversam difficultatem proposuit, vt quid tenendum hac de re ipsis videretur, censerent.

44 Testatur id CONTINUATOR CHRONICI GVILLELMI NANGII, qui illa ætate floruit, referens enim memorabilia facta *anni* 1333. hæc, inter alia, de Rege Philippo Valesio enarrat: *Rex adhuc super hoc non contentus altera die satis citò post fecit vocari in domo sua de nœmore Vincennarum, omnes Magistros in Theologia cum omnibus Episcopis, & Abbatibus, qui tunc Parisiis potuerunt inveniri, vocato etiam prædicto Ministro, cum resedissent, Rex in Gallico suo duo eis quærenda proposuit. Primum fuit, vtrum animæ Sanctorum, ex tunc videant faciem Dei? Aliud fuit, vtrum ista visio, qua nunc vident faciem Dei, in die judicii deficiat; alia superveniente visione?

45 Ad primam quæstionem omnes responderunt, quôd ista visio non in die judicii deficiet, sed permanebit æternaliter. Verum est, quod aliqui dixerunt, quòd ista visio in die judicii perfectior erit: & cum illis prædictus Minister, non sponte, sed quasi coactus, vt videbatur, concordatus est: & de ista sententia Rex petivit ab omnibus Magistris, ibidem assistentibus, vnam litteram sigillis istorum singulorum munitam, quod & factum est; nam factæ sunt tres litteræ eamdem formam continentes, quarum litterarum, ex parte Regis vna fuit missa Papæ.*

46 Omnes igitur illius Universitatis Theologi, præstantissimique Professores audita Regis petitione, eiusque Regio præcepto Parentes, hæc, inter alia, responderunt: * Considerantes, quòd iuxta Principis Apostolorum Doctrinam, de ea, quæ in nobis est, fide, & spe parati esse debemus, omni poscenti nos reddere rationem sigillatim, quod sentiebamus, respondimus, & omnes in hanc sententiam convenimus, quòd à tempore mortis Domini nostri JESV CHRISTI, per quem pretium Redemptionis humani generis extitit persolutum, omnes animæ Sanctorum Patrum, quas idem SALVATOR Noster, ad inferos descendens, eduxit de Limbo, cæterorumque Fidelium animæ, quæ de corporibus exierunt, nihil habentes purgabile, vel quæ iam in Purgatorio sunt purgatæ ad visionem nudam, & claram, beatificam, intuitivam, per immediatam Divinæ Essentiæ, & Beatissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quam Apostolus 1. *ad Corinth.* 13. *cap.* nominat visionem facie ad faciem sumpta sumptæ, ipsaque Deitate perfectè fruuntur, & iam quod crediderunt, videntes, quod speraverunt tenentes, non in spe, sed in re sunt beatæ: quamquam dicta visio, quam nunc habent, resumptis corporibus minimè evacuabitur, alia succedente, sed ipsam, & in eis, cum sit earum vita æterna, perpetuò remanebit.

47 Et quia Princeps inclyte postmodum in *die* S. Joannis Evangelistæ nos fecistis Parisiis congregari, & ibidem fuimus, vestro nomine requisiti, vt illud quod dixeramus redigeremus in scriptis, nostris ibidem sigillis appensis, nolentes vestris iussionibus contraire præsentes litteras sub appensione sigillorum nostrorum impremissorum testimonium regalis excellentiæ duximus concedendas, &c.*

De

De iis testimonialibus litteris constat *in Historia Parisiensis Vniversitatis Jæculo 6. Tom. 4. pag. 236.*

48 Auditis igitur Doctoribus, & præstantioribus totius Galliæ Theologis, qui vnanimi sententia tradiderunt, visionem Beatificam ad corporum vsque resurrectionem Sanctorum animabus non differri: Philippus Rex gravissimis pœnis prohibuit, nè quis in suo Regno oppositum tueretur, adeò, vt qui contrariam sententiam tenere præsumpserint, ad Fidei Tribunal essent adducendi, vt tamquam hæretici punirentur. Huius Regiæ prohibitionis certior factus Pontifex, quantum Regiæ, & laicæ potestatis limites huiusmodi Decretum excederet, cum ad illã nullo titulo expectet, Fidei controversias dirimere, sed id solius sit Summi Pontificis iuxta Sacros Canones, Concilia Sanctos Patres, & communem totius Ecclesiæ consuetudinem (ad illum enim, vti Supremum Ecclesiæ Caput, Fidei Patrem, & Pastorem Vniversalem, privativè quoad omnes pertinet Ecclesiam Universam, Fidelesque Catholicæ Doctrinæ pabulo, Fidei nempè Dogmatibus pascere, controversias in ea de rebus Fidei dirimere, & sententias Catholicæ Doctrinę oppositas, & pernitiosas proscribere) id, inquam, agnoscens Pontifex, pro Pastorali sui officii debito, coactus fuit Epistolam, iustissimis querimoniis plenam, prędicto Philippo Regi scribere, vt prędictum Regiũ Decretum, & prohibitionem revocaret, ac permitteret, vt vnusquisque hac de re liberè opinaretur, vt tot retrò sęculis ad illum vsque diem cuique liberum fuerat, quam veriorem existimarat opinionem amplecti, donec Ecclesia, ad quam id iure expectat, quid tenendum esset, ac tamquam Fidei Dogma amplectendum, diffiniisset, vt cõstat ex Authenticis monumẽtis in Vaticana Bibliotheca asservatis *Tom. 9. pag. 2. in Pont. Ioann. XXII.* quæ sic se habent.

**PHILIPPO REGI FRANCORVM*

49 Regalem notitiam volumus non latere, quod dudum ad Nostrum auditum relatio fidedigna perduxit, quòd nonnullos Magistros in Theologia audiveras asserentes, quòd fili charissime, tua magnificentia illos induxerat, vt, quòd animę Sanctę ante suorum resurrectionem corporum videbant clarè Divinam Essentiam, prędicarent; imò plus eorum aliqui, seu aliquis, asserebant, seu asserebat, quòd illum, seu illos qui hoc facere renuebant, seu renuebat, capitulaveras satis durè. Ab aliis verò audivimus, quibus fidem prorsus adhibemus, quòd præceptum tale, seu inductio, ab ore Regio non processit, sed vt Princeps zelator veritatis, quam diligis, & in tuo Regno prædicari desideras, & servari, aliquibus, qui dicebant forsan, seu fingebant, se propter metum aliquem non audere talia prædicare, dixisti, quòd metu cuiusquam personæ, non sinerent veritatem in præmissis, vel aliis prædicare.

50 Hoc profectò dicere decebat, & decet Regiã Maiestatem. Cum autẽ hanc quæstionem Beatus Augustinus *in scriptis suis* reputaverit valdè dubiam, & circa eam variasse, dicatur, & nèdum ipse, sed & multi Doctores alii circa istam materiam varient, propter hoc, vt veritas possit meliùs aperiri, Nos interdum in nostris sermonibus mentionem habuimus, non proferendo verbum de nostro Capite, sed dicta Scripturę Sacræ, & Sanctorum, præcipuè illorum, quorum Scripturæ ab Ecclesia sunt receptę: multique, tàm Cardinales, quàm alii coram nobis, & alibi in suis Sermonibus pro, & contra, de ista materia sunt loquuti; & nèdum in Sermonibus, imò publicè Prælatis, ac Magistris in Theologia præsentibus, est in Curia pluries quæstio huiusmodi, vt sic pleniùs posset inveniri veritas disputata.*

51 Et *infrà* sic prosequitur; *Profectò, amantissime fili, si quæ circa istam materiam aliqui scripserunt, & dixerunt, sciret tua magnificentia, merito miraretur, interdùm quidem hoc scripserunt, & dixerunt, quòd hæc quæstio erat tua, quòd tua prudentia per totum Regnum partem illam prędicari tamquam veram faceret, & aliam vt hæreticam reprobari: multisque comminati sunt Religiosis, & Sæcularibus, sub vmbra tui culminis, si partem illam quòd animę separatæ Divinam Essentiam non videant, & visionem, quam vocat Apostolus *facialem*, quòd de illa procedit quæstio, illos capi facerent, per Inquisitores hæreticæ prævitatis. Hæc, fili charissime, licet veritate, vt supponimus, careant, quamquam benè credamus, quòd ad hęc facienda, & dicenda tuam Excellentiam duxerint stimulandam, ad honorem*

rem Regium nequaquam pertinere noscuntur.

52 Et quia, amantissime fili, scimus, quòd in his, vel aliis, vt elucidetur veritas intendes, rogamus benevolentiam Regiam, vt per fidelem, seu fideles nuntios, Magistris in Theologia, & Baccalaureis, Parisiis legentibus, & degentibus, facias nunciari, quòd, talibus minis illatis non obstantibus, quilibet dicere, & disputare, & prædicare valeat, quod sibi iuxta Doctrinam Evangelicam, & Apostolicam disputandum videbitur, & etiam prędicandum, donec aliud ordinatum per Sedem fuerit Apostolicam, vel etiam declaratum: sic enim ad veritatem quæstionis prædictæ poterit promptiùs pervenirì. *Datum 16. Kalend. Decembris anno 18. Pontificatus nostri.**

53 *Hoc eodem anno*, quo prædicta Epistola à Joanne Pontifice scripta fertur, & hæc quæstio acriùs exagitabatur, cum sua Beatitudo magnopere peroptaret, vt Doctissimorum, ac Sapientissimorum hominum studio, & disputatione, veritas clariùs eluceſceret, & Spiritus Sancti magisterium apertiùs innoteſceret, illiusque assistentia, quid Ecclesia tenere deberet, meliùs decerneretur; celebriores Doctrina, & Sapientia Viri, tâm in illo, quâm in aliis Regnis adhibiti sunt, qui hac de re eruditissimè scripserunt, quorum vnus fuit DURANDUS DE S. PORTIANO, Ordinis Prædicatorũ, Meldensis Antistes, qui illa ætate singularis doctrinæ opinione floruit, vt in manuscriptis, quæ in Vaticana Bibliotheca asservantur, *num.* 208. annotavit JACOBVS NOVELLUS, Cardinalis Tit. Sanctæ Priscę, qui posteà ad Apostolicæ Sedis Thronum evectus fuit, & Joanni XXII. immediatê succesſit: sic enim scribit: * Cum tempore fœlicis recordationis Domini Joannis Papæ XXII. dubitatio apud aliquos esset mota, an animæ Sanctorum, purgatæ à peccatis, & pœnis peccatorum, ante resurrectionem, vel Judicium generale, essent Dei Essentiam visuræ, vel non? multi Sapientes, & Doctores etiam in Theologia, de hac materia disquirentes, vt vel sic ad veritatem dictæ quęstionis pertingere possent, multa, & diversa, ac adversa dixerunt, & eorum etiam aliqui scripserunt, inter quos fuit bonæ memoriæ Durandus, Episcopus Meldensis, famosus, & antiquus Magister in Theologia, qui super dicta materia scribens, & illud, quod scripserat, mittens dicto Domino Papæ, conatus fuit ostendere, quòd error erat, asserere, quòd dictæ animæ à carne resolutæ, & purgatæ, non viderent Divinam Essentiam ante resurrectionem, & iudicium generale. Quę scriptura per dictum Dominum Papam tradita fuit ad videndum aliquibus Magistris in Theologia.*

54 Et quoniam hæc scriptura vna est è prępcipuis, quæ eo tempore prodierunt, & difficillima inventu, cum tantummodô extet *in Manuscriptis Vaticanæ Bibliothecæ, sig. num.* 4006. nostri muneris proprijssimum duximus, curiosum Lectorem, dicti libelli, lectu dignissimi, notitia non defraudare.

LIBELLVS EPISCOPI MELdensis.

55 *Prima facie videtur, quòd dicere, quòd animæ Sanctorum decedentium sine peccato mortali, & postquam purgatę sunt à culpa veniali, si quam habent, vel à pœna cuiuscumque culpæ debita, non videant Deum facie ad faciem vsque post resurrectionem corporum, est negare articulum de descensu CHRISTI ad inferos, quod patet sic: CHRISTUS non descendit ad inferos secundûm corpus; quia illud totum triduum vsque ad resurrectionem iacuit in sepulchro: nec secundùm Deitatem; quia secundùm illam, est vbique. Igitur descendit secundûm animam. Ad quem finem? ad hunc, vt animas Sanctorum Patrum, & aliorum, quæ erant in Limbo inferni liberaret, secundûm illud Zachariæ 9. Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu.*

56 In inferno autem non est nisi duplex pœna, pœna sensus, & pœna damni; in Limbo autem Sanctorum non fuit pœna sensus, sed solum damni, quæ est carentia visionis Divinę, à qua nullus potest liberari, nisi per visionem Divinam; quia privatio alicuius non tollitur nisi per actum oppositum: ergo si descensus animæ CHRISTI ad Limbum inferni, fuit propter liberationem animarum Sanctarum, quæ tunc ibi erant, necesse est, quòd liberaverit eas à carentia visionis Divinæ, quod non potuit fieri, nisi dando eis visionem Beatam: & qui negat, quôd animæ Sanctorum Veteris Testamenti, quæ fuerunt in Limbo inferni, non videant Deum visio-

visione Beata vsque post resurrectionem, negat articulum de descensu CHRISTI ad inferos.

57 Et confirmatur, quia Lazarus, sive anima eius, ante Passionem CHRISTI erat in Limbo, seu in sinu Abrahæ, in magna consolatione, vt Evangelica testatur Scriptura *Lucæ* 17. multò magis anima Abrahæ erat in magna consolatione, & lætitia. Quid igitur contulit descensus animæ CHRISTI ad inferos? Si dicatur, quòd tunc perductæ sunt ad claram visionem, & eius fruitionem, habetur propositum. Si verò dicatur, quòd non, sed quòd solum perducti sunt ad ampliorem lætitiam, & consolationem, contra: quia secundùm prophetiam Zachariæ allegatam, quæ secundùm sensum naturalem intelligitur de descensu animæ CHRISTI ad inferos, CHRISTVS eduxit Sanctos, sive animas Sanctorum de Limbo, sic enim scribitur: *Tu autem in sangine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu*; dare autem vnam consolationem, magnam, vel parvam, de futura liberatione, non est eos liberare de vinculis, nec educere de carcere: ergo propter consolationem ampliorem datam Sanctis, in Limbo existentibus, non fuisset impleta dicta prophetia. Relinquitur ergo, quòd perducti fuerûnt ad visionẽ Dei.

58 Item *Lucæ* 23. legitur, quòd CHRISTVS existens in Cruce, dixit latroni, iuxta se crucifixo: *Mecum eris in Paradiso.* Istud autem non potest intelligi quoad corpus CHRISTI, & latronis; quia corpus CHRISTI fuit in sepulchro, & corpus latronis alicubi, & neutrum in Paradiso. Oportet ergo, quôd intelligatur, quoad animam, ita quòd anima CHRISTI, & anima latronis fuerunt eodem die in Paradiso, & cum Paradisus sit duplex, vnus scilicet corporalis, scilicet Cælum Empyreum; & alius Spiritualis, scilicet visio beata; in primo Paradiso, scilicet Cælo Empyreo, non fuerunt illo die animæ CHRISTI, & latronis; tùm, quia anima CHRISTI descendit ad inferos, secundùm Articulum Fidei; tùm, quia anima CHRISTI non ascendit ad Cælum Empyreum vsque ad diem Ascensionis, scilicet cum corpore. Relinquitur ergo, quòd anima latronis fuit illo die cum anima CHRISTI in Paradiso Spirituali, qui est visio beata.

59 Item *in Epistola ad Philip. 1. cap.* dicit Apostolus: *Mihi vivere CHRISTVS est, & mori lucrũ.* Et subdit: *Quid eligam ignoro. Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum CHRISTO, multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Ex primo verbo, quod dicit: *Mihi vivere CHRISTVS est, & mori lucrum*, potest argui: Si lucrum erat Apostolo mori, quid erit lucrum, nisi illud quod subditur: *desiderium habens dissolvi, & esse cum CHRISTO?* Ergo intentio Apostoli erat, quòd si dissolveretur à corpore, quod reciperet pro lucro, quòd esset tantùm cum CHRISTO. Et qualiter? Numquid secundum visionem Humanitatis CHRISTI solum? Certè non; quia anima separata à corpore non habet oculos corporales, vt videat corporalia, & in eis delectetur; & si cognitione spirituali solũ per Fidẽ cognoscat Humanitatẽ CHRISTI, nullum est ei lucrum maius, quam esse, & vivere, quia etiam dum CHRISTVS viveret ante resurrectionem, & post conversabantur cum eo, & ipsum corporaliter videntes, & ipsum spiritualiter credentes, non habuerunt ex hoc solo magnum lucrum tale, quale expectabat Apostolus à Deo: *mihi vivere CHRISTVS est, & mori lucrum.*

60 Subiungit enim, quòd *dissolvi, & esse cum CHRISTO*, multò melius est, quàm permanere in carne: istud autem non esset melius, si anima Apostoli, resoluta à carne, non videret Deum visione beata, sed solum crederet in ipsum; quia hoc habebat existẽs in carne, & vltra hoc augebatur eius meritum quotidie, quod non habet locum post mortem: & sic mori, & esse solum illo modo cum CHRISTO, non esset melius, imò multo deteriùs quàm permanere in carne, & esset damnum magis, quàm lucrum. Et si dicatur, quòd imò, quia post mortem homo nõ potest peccare, nec amittere gratiam, in qua decessit, sicut potest ante mortem; non valet propter duo. Primum est, quia homo existens in gratia ante mortem nõ potest amittere gratiam per peccatum, nisi velit; quia omne peccatum est voluntarium. Secundum, quia licet secundum legem cõmunem, homo non sit certus, quin cadat à gratia, tamen Apostolus fuit de hoc certus per revelationem, sicut ipse dicit *Romam. 8. Certus sum enim, quia ne-*

que mors, neque vita. &c. Ergo propter certitudinem de non amittendo gratiam post mortem, non dicebat Apostolis, quod mori esset sibi lucrum, vel, *dissolvi, & esse cum CHRISTO*, esse multo melius, quàm permanere in carne, sed solum propter visionem beatam, quam expectabat, & quam in raptu expertus est in transitu quodam.

61 Item Apostolus loquens de se, & de consimilibus perfectis, qui totaliter exeunt perfecti, & purgati, ex hoc mundo, dicit 2. *ad Corinth.* 5. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, sed æternã in Cælis*; igitur spiritus, & animę iustorum, & perfectorum, qualis fuit Apostolus, non habent nisi duplicem habitationem, vnam terrestrem, in corpore mortali; aliam Cœlestem, ad quam transeunt dissoluta prima habitatione terrestri: habitatio autem Cœlestis, si accipiatur corporaliter solum, nihil proficit animæ separatæ, quæ in puris corporibus delectabile non habet, cum sit spiritus: ergo oportet, quod accipiatur spiritualiter, ita videlicet, quòd animę sanctę, dum absolvuntur à corpore, transeunt ad Cœlestem habitationem, quæ est visio, qua Beati, tàm homines, quàm Angeli vident faciem Patris, qui est in Cœlis.

62 Item *Apocalypsis 6.* dicit Ioannes: *Vidi subtus Altare animas interfectorũ propter verbũ Dei, & testimoniũ (IESV CHRISTI) quod habebãt, & clamabãt voce magna, dicentes: Vsquequo Domine (Sanctus, & verus) non vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra?* Et datæ sunt illis singulæ stolę albæ, per quas intelligitur gloria animę. Igitur iam habebant remunerationem quantum ad animam, quamvis non talem quantum ad totum compositum ratione corporis, quod glorificabitur solum in resurrectione generali: & ideò dictum est illis, vt requiescant, id est expectent adhuc tempus modicum, donec impleatur numerus conservorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi. Item *Apocalyp. 7. Vidi turbam magnam:: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis.* Et in eodẽ *cap.* dicitur: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverũt stolas suas, & dealbaverũt eas in sanguine Agni.* Ex quibus omnibus datur clarè intelligi, quod Sãcti Martyres statim post mortem glorificãtur, quantũ ad animam, quæ gloria vocatur *stola alba*, licet expectent gloriam corporis in generali resurrectione. Iis duabus stolis finaliter vestientur omnes Sancti, secundum illud *Proverb. vltimo: Omnes enim domestici eius, vestiti sunt duplicibus.*

63 Item promptior est Deus ad remunerandum bonos, quàm ad puniendum malos: sed mali decedentes in peccato mortali, statim puniuntur quantum ad animam, quantum anima separata capax est pœnæ: ergo boni decedentes perfectè purgati, remunerantur quantum ad animam, quantum anima separata capax est visionis beatæ, quæ est facie ad faciem, quia ad hoc corpus, aut nihil operatur, aut modicum. Minor probatur, scilicet, quod mali decedentes statim post mortem puniuntur in anima quantum ipsa capax est, dum est separata; dicitur enim *Lucæ 16.* de divite epulone: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno*; quod non potest intelligi quantũ ad corpus, quod fortè sepultum fuit in pulchro sepulchro; sed quantum ad animam, de qua dicitur ibi ex persona Abrahæ: *Et nunc hic consolatur*, scilicet Lazarus: *Tu verò cruciaris.* Item *Iacobi 1.* dicitur: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Sed tota probatio hominis est in hac vita: ergo ea finita, veri probati accipient coronam vitæ, quæ non est aliud, quàm visio Dei facie ad faciem.

64 Ad idem concurrit generalis Ritus, & Authoritas totius Ecclesiæ; de Apostolis enim cantat Ecclesia sic: *Isti sunt viri Sancti, quos elegit Deus in charitate non ficta*; Et sequitur: *Et dedit illis gloriam sempiternam.* Hæc autem gloria non est gloria corporis, quæ est in resurrectione; sed gloria animæ, quæ consistit in visione divinæ essentiæ. Item, de eisdem cãtat Ecclesia: *Modò coronantur, & accipiunt palmã*; & sic idem quod prius. De Martyribus verò cãtat in Hymno Ecclesia: *Terrore victo Sæculi, &c.* vsque: *vitam beatã possident*: Ergo Beati sunt, saltim quãtum ad animam. Beatitudo autem animę consistit in beata visione, &c. (Interiectis pluribus aliis argumentis similibus subjicit Durandus) Ex quibus patet, quòd Generalis Ritus Ecclesiæ, qui in talibus maximam Authoritatem habet, confitetur, Deum laudans, quod

quòd Sancti post mortem, & ante resurrectionem glorificantur quantùm ad animam.

65 Beatus etiam GREGORIVS *lib. 4. Dialogorum, cap. 29.* respondens quæstioni Petri Discipuli, quærentis, si ante resurrectionem corporum in Cælo recipiuntur animæ Sanctorum? dicit, quòd Justorum animæ, vt ex carnis clausura exeunt, in Cælestibus Sedibus recipiuntur, iuxtà illud: *Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ*; quia illæ proculdubio, vbi Redemptor est corpore, illic & colliguntur Sanctorum animæ; & Paulus, cum desiderat dissolvi, & esse cum CHRISTO. Qui ergo CHRISTVM in Cælo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in Cælo negat, qui dixit: *Scimus, quod si domus nostra, &c.* Sed quærit. Si igitur in Cælo nunc animę sunt iustorum, quid est, quòd in die judicii pro retributione suæ justitiæ recipient? (Respondet Gregorius:) Hoc eis nimirum restat in judicio, quòd nunc animarum sola, postmodùm verò corporum Beatitudine perfruentur. Datæ sunt illis interim singulę stolę albæ, & dictũ est illis, vt requiescerent, &c. Qui itaque singulas Stolas acceperunt, binas in judicio Stolas habituri, quia modò animarum tantummodò, tunc autem animarum, & corporum gloria lætabuntur.

66 Item *in eodem libro cap.* 28. dicit Gregorius sic: Esse Sanctorum animas in Cælo, Sacri eloquii testificatione credidisti: oportet, vt per omnia verum esse, credas, & iniquorum animas in inferno, qui ex retributione internæ justitiæ in qua iam justi gloriantur, necesse est, vt per omnia injusti crucientur; nàm sicut electos Beatitudo glorificat, ita credi necesse est, quòd à die exitus sui ignis reprobos exurit: & ecce quàm expresè, & clarè dicit Gregorius, quôd animæ Sanctorum, postquam resolutæ sunt à corporibus, Stolam, quæ est Beatitudo animæ, quæ in dicta visione consistit, recipiunt.*

67 Interiectaque Authoritate Bedæ dicentis: Pueros baptismate ablutos, mox Cęlo excipi, addit DVRANDVS argumentum ex ratione petitum, inquit enim *Deus etiã, qui dicit: *Non remanebit opus mercenarii apud te vsque mane*, mercedem Beatorum Operariorum finito tempore non retardabit reddere operationem sine causa: cum autem perfecta merces, quam Deus promisit Sanctis suis, sit Beatitudo animæ, & Beatitudo corporis necessaria est. Quarè Beatitudo animæ retardetur ei statim, postquam resoluta est à corpore, cum ipsa sit capax tali Beatitudine, nec ad eam recipiendam indigeat corpore, nec vt subiecto, aut obiecto?

68 De Beatitudine autem corporis, quòd non reddatur modò, iusta causa est; quia corpus non potest glorificari sine anima, sine qua non vivit, &c. & cuius organum fuit in merendo, & sine qua ad ipsum non potest pertinere meritum, pro quo reddendum est præmium, quòd corpus non glorificatur donec reuniatur animæ, quod erit in resurrectione: dicere autem, quòd animæ Sanctorum non glorificentur, vsque post resurrectionem corporum, multum derogat sinceritati Fidei; cum enim de die judicii, & resurrectione, quæ tunc erit, CHRISTVS Salvator noster nihil voluerit revelare Apostolis, imò dixit: *De die autem illa nemo scit, neque Angeli in Cælo, sed tantum Pater*; si tota merces nostra, scilicet Beatitudo animæ, & Beatitudo corporis, differatur vsque ad diem illum, de quo nec Angeli sciunt aliquid, nec revelatum est Apostolis, nec filius voluit aliquid revelare, infirmi possent de facili scandalizari in Fide, cogitantes, quòd merces Paradisi Sanctis promissa, est eis reddenda pro tempore sic distante, quôd nullus scit de hoc aliquid dicere, sicut fuit dictum Magistro Arnaldo Catalano, qui volebat præfigere tempus Antichristi: Magister Arnalde, si vultis prudenter dicere, assignetis tantùm tempus Adventus CHRISTI.

69 Item, secundum doctrinam communem Ecclesiæ, post mortem hominis non assignatur nisi triplex status animarum decedentium, quia quædam detinentur in Purgatorio, illæ videlicet, in quibus erat aliquid purgandum. Quædam verò descendunt in infernum, scilicet, animæ damnatorum: Aliæ verò ascendunt in Paradisum, scilicet, animæ Sanctorum, & purgatorum. Si autem animę Sanctorum non vident Deum vsque post resurrectio-

nem corporum, tunc non essent in Paradiso, nec in inferno, nec in Purgatorio, sed haberent alium statum confictum. Et sic patet, quàm periculosus error sit, dicere, quòd animæ beatorum non glorificentur ante resurrectionem corporum, neque animæ malorum puniantur quo vsque suis corporibus vniantur.*

70 Hactenùs adduximus rationes, quibus vsus fuit DVRANDVS ad probandum Sanctorum animabus, omni iam culpa purgatis, visionis beatificæ præmium ad diem vsque Judicii non differri, & ad ostẽdendum, oppositum esse errorem, quem Cathari sequebantur. Et, pro huius controversiæ cõplemento, ad argumentorũ solutionem procedens, sic primum proponit: *Præmium, vel pœna non reddentur bonis, vel malis post mortem, nisi per Divinum Judicium; sed Divinum Judicium non fiet vsque ad finem post resurrectionem: igitur vsque tunc non præmiabuntur boni, nec punientur mali.* Huius Syllogismi minor de futuro in fine sæculi judicio, multis Authoritatibus *Isaiæ cap.* 3. *Danielis* 12. *Ioelis* 3. *Matth.* 3. 11. & 22. *Marci* 20. *Apost.* 1. *ad Corinth.* 5. & 2. *Petri* 5. tûm multis aliis Sacris Oraculis confirmatur.

71 Ad quam propositionem respondet DVRANDVS, duplex esse judicium, aliud Generale futurum in Orbis consummatione, de quo superiora Oracula loquuntur; aliud particulare, & occultum, inquit, quod fit de quolibet homine post mortem, de quo dicitur *Ecclesiastici* 38. *Memor esto judicii mei: sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.* Et isto judicio judicatur quilibet in morte sua, non secundum totum hominem, sed secundùm principalem partem, videlicet animam, quæ non desinit esse, & secundum quam solùm, aut principaliter attenditur totum meritum, & demeritum: & de isto judicio non est vera minor propositio: nec Authoritates Scripturæ, ad eius probationem adductæ, de isto judicio intelliguntur, sed solum de finali, & Generali.

72 Secundum argumentum: *Illi debetur præmium per se, cui competit per se mereri tale præmiũ; quia si per se præmietur, qui per se non meretur, non est condigna retributio; sed anima non meretur per se, quia tunc omnis anima separata posset mereri, nec corpus sine anima: ergo totius hominis constituti ex anima, & corpore, est mereri per se: igitur & præmiari per se, non ergo vnum sine altero.*

73 Huic argumento respondetur, animam coniunctam corpori, per actionem liberi arbitrii, suppolita gratia mereri per se, & principaliter, quamvis non totaliter, sed vt quod; corpus autem meteri, vt quo, scilicet organo, fiat actio: proindè post mortem præmio affici animam, quæ sine corpore, præmii sit capax; non corpus, cum non sit capax nisi coniunctum animæ: integrum verò hominem, vtpotè compositum ex corpore, & anima coniunctis, præmio non donatum iri, nisi post resurrectionem. Indirectè etiam retorto argumento in adversarium respondetur: si solus homo per se præmio donandus, qui per se solus mereatur, sequi animam nullo præmio post mortem affectum iri: non itaque excipiendam cælo, non cæleste gaudium susceptura: tum etiam animas separatas Purgatorii flammis non cruciari.

74 Tertium argumentum: *Promittitur, & donatur denarius illi solum, qui in vinea Domini laboravit: Sed anima non laboravit sine corpore, nec è converso, sed totus homo: ergo toti homini solùm debet dari præmium.* Ostendit Durandus, fallax esse hoc argumentum, & mutare quid in quale: licet enim quis locarit operam certo indutus cultu, non colligi, si eam vestem exuat mercede fraudandum: præcipuè enim attendi, id quod meretur, ac minùs principaliter, id quo mereatur.

75 Quartum argumentum: *Perfectè beatus nihil amplius potest desiderare; sed visio Dei nobis promittitur, tamquam finis omnium desideriorum nostrorum: ergo si anima videt nunc Deum, nihil debet, nec potest expectare. Sed naturaliter anima corpus spectat, tamquam illud sine quo perfecta non est, sicut pars separata à toto imperfecta est, perfecta tamen dum est in toto.*

76 Hæc ita solvuntur à Durando: *Cum dicitur, quòd perfectè beatus nihil amplius potest expectare, vel desiderare, dicendum, quòd beatitudo potest accipi dupliciter, vno modo prout includit omnem perfectionem homini possibilem, & sic Boëtius dicit, quòd beatitudo est status omnium bonorum agregatione perfectus, & qui habet talem beatitudinem, nullum potest amplius desiderare, & sic*

nullus

nullus homo erit beatus, vsque post resurrectionem.

77 Alio modo accipitur beatitudo, pro suprema, & optima operatione hominis, & hæc consistit in visione Divinæ Essentiæ facie ad faciem, & qui habet talem beatitudinem adhuc potest amplius desiderare, & optare; quia beatitudo sic accepta, est eligibilior, cum quocumque alio bono sibi adiuncto, & illo modo anima separata habet beatitudinem, & potest desiderare vniri corpori, & habere beatitudinem corporis sibi vniti. *

78 Et *infra* * Item principale non dependet ex accessorio, sed è converso: quantùm autem spectat ad præmium beatitudinis, anima, quæ est ad imaginem Dei, est principativa, corpus autem est accessorium, tamquam illud, quod non gloriatur, donec plenè sit subditum animæ: ergo ridiculum est dicere, quòd anima non beatificetur, quousque vniatur Corpori, cum ipsa sit capax beatitudinis sine corpore, non autem corpus sine anima. *

79 Ad Authoritates verò Sanctorum Augustini, & Bernardi ab adversariis obiici solitas, ostendit DVRANDVS, nihil ex his concludi posse, quàm animas beatas, non tanto impetu in contemplationem, & fruitionem Divinæ Essentiæ ob insitum appetitum in corpus ferri, quanto post resurrectionem ferentur, quę aliquorum est opinio, quamvis alij contrarium sentiant: *Cum dicitur, inquit, quòd animæ, resolutę à corpore, constituuntur in placidis sedibus, donec recipiant corpora sua, non est intelligendum de sedibus corporalibus, quæ animæ separatæ pro statu illo non conferunt complacentiam, vel displicentiam, sed *placidã sedem* vocat, gradum beatitudinis imperfectę, quam habet anima separata, respectu beatitudinis, quam habebit resumpto corpore; tunc enim beatitudo erit maior extensivè, quia anima beatificabitur, non solũ quantũ ad mentem, & quantum ad intellectum, & voluntatem, sed etiam quantum ad vires inferiores sensitivas, & appetitivas, quæ perficiunt corpus, & etiam intensivè, secundùm aliquos; quia anima clariùs videbit Deum, & ferventius diliget; quàm opinionem videtur declarare B. Augustinus, dicens: quòd anima separata retardatur quodãmodo ex naturali appetitu administrandi corpus, nẽ tota intentione feratur in Deum, quamvis aliqui non assentiant Augustino in hac parte. *Subdit, imò eosdẽ Sanctos in alijs locis explicatiùs referre, animas ante Generale Judicium divina gloria potiri, & singulas stolas accepisse, quæ stola fœlicitas est animarum.

80 Ad Authoritatem verò *Apocalyp.* de animabus, quæ sunt visę sub Altari, ex interpretatione S. Bernardi respondet: *Est notandum, quòd licet Bernardus fuerit vir magnę devotionis in oratione, non fuit tamen tam magnæ Authoritatis in expositionibus, & ideò in talibus, qui vult potest eum tenere, vel negare, sine reprehensione: propter reverentiam tamen eius discurramus per dicta sua.

81 Dicit enim, quòd illud Altare sub quo clamabant Sancti, Corpus est Domini SALVATORIS: & istud potest tolerari, accipiẽdo Corpus pro Humanitate, & quod subdit: Interim ergo fœlices animæ sub CHRISTI Humanitate quiescunt, nimirum *in quem desiderãt Angeli prospicere* non est bene dictum, nec secundùm intentionem Beati Petri 1. *Petri* 1. de quò loco sumuntur illa verba: Humanitas enim CHRISTI secundùm naturam inferior est natura Angelica, secundùm illum *Psalm.* & allegatur per Apostolum ad Hebræos: *Minuisti eum paulò minus ab Angelis.* Quomodò ergo Angeli desiderant prospicere in Humanitanem Christi? Nequaquam, sed Divinitatem eius, quàm habet cum Patre, & Spiritu Sancto, imò eamdem.

82 Quod autem dicitur, quòd veniet tempus, scilicet in resurrectione, quando animæ exaltentur super Altare, id est super Humanitatẽ CHRISTI, non prælatione, sed visione, & contemplatione; quia videbunt non solùm Humanitatem CHRISTI, sed Divinitatem, si intelligatur, quòd videbunt Divinitatem intentiùs, & clariùs, tolerari potest, cùm de hoc sint opiniones inter Doctores: si autem intelligatur, quòd tunc videbunt, & non prius, negandum est omninò, nec Authoritas Ioannis in Apocalypsi, cuius sensum putat se habere, & non habet, sic intelligenda est, sicut ipse eam exponit. *

83 Hucùsque retulimus scripturã DVRANDI, qui ea doctrina floruit, vt dignus habitus fuerit, cui in præstantioribus, & celebrioribus Vniversitatibus Cathedra erigeretur,

retur, verùm estò tantæ eruditionis fuerit, non potuit aliquorum invidiam subterfugere, maximè eo tempore, quo prędictum Libellum Pontifici transmisit; non enim defuere, qui apud Pontificem conquesti sint eum Libellum Censura dignum existimantes, adeò vt Ioānes Pontifex coactus fuerit, illū Theologis examinādū mittere, quorum præcipuus, fuit Eminentissimus Cardinalis IACOBVS NOVELLVS quem eximia virtutis, & sapientiæ præstātia ad Pontificiū Thronū evexit, quique Durandum ab his, quæ ipsi obiiciebantur, vindicavit. At nihil eorū, quę Durando opponebātur erat circa præcipuam controversiæ Conclusionem, ad quam totus Libellus dirigebatur, Sanctorum nempè animas, omni iam culpa purgatas, beatifica Divinæ Essentiæ visione frui, quin hæc eis ad vniversalem vsque resurrectionem differatur; imò oppositum esse errorem intolerabilem contra Divinam Scripturam, Ecclesiæ sensum, & sanam Sanctorum intelligentiam. In hac igitur prędicta illius Libelli Assertione, nulla opus fuit Durando defensione, cum valdè Catholica sit, vt modo diximus, sed solùm in aliquibus propositionibus, quas vel in suæ Conclusionis probatione, vel argumentorum solutione obiter protulit, & incidenter scripsit, & in his adhuc tanta fuit illius fœlicitas, vt tàm gloriosam propugnationem, & Apologiam promeruerit: quam, quia difusam, & ad rem nostram non necessariam, libenter ommittimus; extat tamen *in Vaticanæ Bibliothecæ Manuscriptis signatis num.* 4006. *pag.* 208, vbi prædictę defensionis Autographū asservatur, in cuius initio hæc habentur. * De dicta Scriptura extraxerunt decē, vel vndecim dubia, de quibus formantes decem, vel vndecim quęstiones, quæ propositę erant in titulis earū, vtrūCatholicū, an hæreticū, vel erroneū sit dicere dictū illud, quod dictus Magister Durādus dixerat. Qui articuli, per modū talium quęstionum, propositi diversis Doctoribus, in Curia tunc existētibus, traditi fuerunt per dictum Dominum Papam ad examinandum, à quò etiam mihi, licet renitenti, traditi fuerunt. *

84 Et postquam de prędictis Articulis, qui Durando objiciebantur, suum protulisset judicium, hæc inter alia scribit. * Et quia, quando incępi scribere, habui transumptum Scriptura dicti Episcopi Durandi, in secundo loco posui eius verba, ex quibus videbantur dictæ quæstiones esse formatæ, & provt meliùs potui in dictis locis, illa verba eius, quæ poterant habere bonum intellectum, & sanum, declaravi: In illis autem locis, in quibus fuit mihi visum, quòd non benè, vel rationabiliter dixisset, eius verba, vt melius potui, reprobavi per Scripturam, & dicta Sanctorum: in locis autem, in quibus mihi visum fuit quod non benè, nec ad eius intentionem verba eius accepta fuerant per illos, qui dictos articulos extraxerunt, ostendi, quòd ipse non dixerat illa, quę ei per illos imponebantur. * Hæc ille.

85 Et vt videatur magna illius humilitas, & veneratio, qua suam sententiam, & scripturam, ac Libellum Ecclesiæ correctioni, & censuræ subiecit, sic concludit. * Volo, quòd hæc dicta mea, sicut & aliæ scripturæ meę, sic accipiantur, sicut Magistraliter dicta, & nō sicut Papaliter dicta. *

86 Et *pauló infrà*: * In omnibus (inquit) tàm præsentem scripturam, quàm alias meas suppono correctioni, & emendationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, volens ex nunc credere, & tenere, quod ipsa decrevit esse tenendum, & credendum; nec solùm determinationi Sanctæ Romanę Ecclesiæ, & Successorum meorum suppono dicta mea scripta, sed etiam cuiuslibet sententiæ, quæ rationabilior, vel probabilior videretur. * Hactenus ille.

87 Verùm quamvis aliqui Durandi æmuli, prędictum Libellum maledicodente corroserint, nihilominus præcipua ejus Conclusio, qua asseruit, acerrimèque propugnavit, erroneum esse Sanctorum animas visione beatifica ante corporum resurrectionem non frui, non modo fuit ab eodē Pontifice, dum Cardinalis esset, propugnata, sed etiam à Ioanne XXII. de quo adeò dubitatum fuit, an oppositæ sententiæ faveret, amplexa, & Pontificio Diplomate confirmata. Ipse etiam Cardinalis, qui Durandum ab æmulantiū impostoris vindicavit, cum immediatè post Ioannem XXII. Pontificiam Cathedram ascēderit, eidem Durandi sententiæ sua definitione firmitatis robur adiecit, idemque præstit Florentinum Concilium, vt posteà videbimus.

88 Ut autem innotescat, doctrinam adeò Catholicam, qualis est de beatifica visione Sanctorum ante resurrectionis diem, defensam fuisse ab Ordinis Prædicatorum

torum alumnis, non modo Durando, sed etiam ab insigni illo omnigena eruditione Scriptore PETRO PALUDANO, Patriarcha Jerosolymitano, multisque alijs præstantissimis Magistris, & Doctoribus Parisiensibus, eiusdem Ordinis. Videatur quod in hac re tulit judiciũ, Parisiensis Vniversitas cum suis Magistris, & Doctoribus: inter quos, magnæ commendationis est pro ea sentẽtia annumerari, nedùm Parisiensis, sed vniversalem Academiarum Magistrum, D. THOMAM, in cuius doctrina Ecclesia, & Concilia in suis definitionibus sacratur, quem id ipsum, ante prædictos Parisiensis Authores, multis in locis docuisse liquidò constat. Et vt appareat, quàm pro dignitate Magistri hac de regerit, illius verba trãscribere non erit otiosum.

§. III.

D. THOMÆ Iudicium de beatifica animarum Sanctarum visione ante, vel post resurrectionem.

89 ANGELICUS DOCTOR 12. *quæst.* 4. *art.* 5. *in Corpore*, falsam reputat opinionem, quæ Sanctorum animabus visionem beatificam denegat ante Judicij, & resurrectionis diem; sic enim scribit: * Circa beatitudinem perfectam, quæ in Dei visione consistit, aliqui posuerunt, quòd non potest animę advenire, sine corpore existenti, dicentes, quòd animæ Sanctorum à corporibus separatæ, ad illam beatitudinem non perveniunt vsque ad diem Judicij, quando corpora resument, quod quidem apparet esse falsum, & Authoritate, & ratione; Authoritate quidem, quia Apostolus dicit 2. *ad Cor.* 5. *Quoniã dum sumus in corpore, peregrinamur á Domino*; & quę sit ratio peregrinationis ostendit subdens: *Per Fidẽ enim ambulamus, & non per speciem.* Ex quo apparet, quòd quamdiù aliquis ambulat per Fidem, & non per speciem, carens visione Divinæ Essentię, nondùm est Deo pręsens. Animæ autem Sanctorum à corporibus separatę, sunt Deo præsentes: Vndè subditur: *Audemus autẽ, & bonam voluntatẽ habemus bonã, magis peregrinari á corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Vndè manifestum est, quòd animę Sanctorum separatæ à corporibus ambulant per speciem, Dei Essentiam videntes, in quo est vera beatitudo.

90 Hoc etiam per rationem appareti; nam intellectus ad suam operationem non indiget corpore, nisi propter phantasmata, in quibus veritatem intelligibilem contuetur, vt in primo dictum est. Manifestum est autem, quòd Divina Essentia per phantasmata videri non potest, vt in primò ostensum est: Vndè cum in visione Divinæ Essentiæ perfecta hominis beatitudo consistat, non dependet beatitudo perfecta hominis à corpore: Vndè sine corpore potest anima esse Beata.* Hæc ille.

91 Ipse D. THOMAS 3. *par. quæst.* 59. *art.* 5. hoc sibi objcit argumentum: * Videtur, quòd post judicium, quod in pręsenti tempore agitur, non restet aliud Judicium Generale; post vltimam enim retributionem præmiorum, & pœnarum frustrà adhiberur judicium; sed in hoc pręsenti tempore fit retributio præmiorum, & pœnarum, dixit enim Dominus latroni in Cruce *Lucæ* 23. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Et *Lucæ* 16. dicitur: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Ergo frustrà expectatur finale Judicium. *

92 Huic argumento sic satisfacit Sanctus, nostram sententiam confirmans: * Ad primum ergo dicendum, quòd opinio quorundam fuit, quòd animæ Sanctorum non præmiantur in Cælo, nec animæ damnatorum puniuntur in inferno, vsque ad diem Judicij, quod quidem apparet esse falsum, ex hoc quod Apostolus 2. *ad Corinth.* 5. dicit: *Audemus, & bonam voluntatem habemus, peregrinari á corpore, & præsentes esse ad Dominum*, quod est iam non ambulare per Fidem, sed per speciem, vt patet ex ijs, quæ subsequuntur: hoc autem est videre Deum per Essentiam, in quo consistit vita æterna, vt patet *ex Ioannis* 17. Vndè manifestum est, animas à corporibus separatas esse in vita ęterna: & ideò dicendum est, quòd post mortem, quantùm ad ea, quę sunt animæ, homo sortitur quemdam immutabilem statum, & ideò quantum ad præmium animæ non oportet vlterius differri judicium. * Hæc ille.

93 Nec solum falsam, sed etiam erroneam esse existimat sententiam, quæ oppositum tuebatur, vt videri potest 1. *par. quæst.* 64. *art.* 4. vbi tertio argumento sic respondet. * Ad tertium dicendum, quòd aliqui dixerunt, vsque ad diem judi-

cii differri pœnam sensibilem, tàm dæmonum, quàm animarum, & similiter Beatitudinem Sanctorum differri vsque ad diem Judicii; quod est erroneum, & repugnans Apostoli Sententiæ, qui dicit 2. *ad Corinth.*5. *Si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur:: domum habemus in Cælo, &c.**

94 At vbi ex professo, & magistraliter hanc quæstionem pertractat, est *in Supplement. ad* 3. *Part.* vbi hanc quæstionem expressè proponit, & vt Catholicam Conclusionem defendit, Sanctorum animas ante diem Judicii beatifica visione frui, oppositamque sententiam non modò falsam, & erroneam, sed etiam hæreticam arbitratur, vt videri potest *loco citato art.*2. vbi inquirit: *Vtrùm statim post mortem animæ deducantur ad Cælũ, vel ad infernum?* Et affirmativè resolvit, idque probat primò illis *D. Pauli verbis* 2. *Corinth.*5. *Si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, ædificationem habemus, domum non manufactam, æternam in Cælis.* Ergo dissoluta carne, anima habet mansionem, quæ ei in Cælis fuerat conservata. Præterea *ad Philippenses* 1. dicit Apostolus: *Cupio dissolvi, & esse cum CHRISTO.* Ex quo sic arguit Gregorius *in* 4. *Dialogorum*: qui ergo CHRISTVM in Cælo esse non dubitat, nec Pauli animam in Cælo esse negat: sed non est negandum, CHRISTVM esse in Cælo, cum sit articulus Fidei: ergo non est dubitandum animas Sanctorum ad Cælos ferri. Quod etiam aliquę animæ ad infernum descendunt statim post mortem patet *Lucæ* 16. *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno.*

95 Nec solùm Divina Authoritate, sed & validissima ratione prædictam Conclusionem probat, oppositumque merita censura, quàm modò diximus, notat. Illius verba audiamus: *Respondeo dicendum, quòd sicut in corporibus est gravitas, vel levitas, quæ feruntur ad suum locum, qui est finis motus ipsorum, ita etiam est in animabus meritum, vel demeritum, quibus perveniunt animæ ad præmium, vel pœnam, quæ sunt fines actionum ipsarum: vndè sicut corpus per gravitatem, vel levitatem statim fertur in locum suum, nisi prohibeatur, ita animæ statim soluto vinculo carnis, per quod in statu vitæ detinebantur, statim præmium consequuntur, vel pœnam, nisi aliquid impediat: sicut interdum impedit consequutionem præmii veniale peccatum, quod primum purgari oportet: ex quo sequitur, quòd præmium differatur.

96 Et quia locus deputatur animabus secundum congruentiam præmii, vel pœnæ, statim, vt anima absolvitur à corpore, vel in infernum immergitur, vel ad Cælos evolat, nisi impediatur aliquo reatu, quo oporteat evolationem differri, vt priùs anima purgetur: Et huic veritati Authoritates Scripturę Canonicæ manifestè attestantur, & Documenta Sanctorum Patrum: vndè contrarium pro hæresi est habendum, vt patet 4. *Dialogorum*, & *lib. de Eccleſiaſt. Dogmatib.**

97 Nec obstat primum argumentum, quod sibi objicit S. THOMAS, dicens: *Videtur, quòd statim post mortem nullę animę deducantur ad Cælos, vel ad infernum, quia super illud Psalmi: *Adhuc pusillum, & non erit peccator*, dicit Glossa, quòd Sancti liberantur in fine mundi; post hanc tamen vitam non ibi erunt, vbi erunt Sancti, quibus dicetur: *Venite benedicti Patris mei.* Sed illi Sancti erunt in Cælo: ergo Sancti post hãc vitam non statim ascendunt ad Cælum.*

98 Non, inquam, obstat hoc argumentum, cui solutionem adhibet Sanctus: *Dicendum, quòd Glossa se ipsam exponit; quod enim dicit: *Nondum eris, vbi erunt Sancti, &c.* statim exponit subdens; id est, non habebis geminam Stolam, quam habebunt Sancti in resurrectione.*

99 Secundum argumentum, quod sibi opponit S. THOMAS, innititur Authoritati D. AVGVSTINI *in Enchiridione* hæc scribentis: *Tempus inter hominis mortem, & vltimam resurrectionem interpositum, animas abditis receptaculis continet, sicut vnaquæque digna est requie, vel ærumna. (Ex quibus verbis sic arguit:) Hæc abdita receptacula non possunt intelligi Cælum, & infernus, quia in illis post resurrectionem vltimam cum corporibus erunt. Vndè pro nihilo distingueret tempus ante resurrectionem, & post resurrectionem: ergo non erunt nec in inferno, nec in Paradiso vsque ad diem judicii.*

100 Cui namque argumento Sanctus solita eruditione respondet: * Dicendum,

dum, quòd inter illa abdita receptacula, de quibus Augustinus loquitur, etiam sunt computanda, & Infernus, & Paradisus, in quibus animę aliquæ ante resurrectionem continentur. Sed ideò distinguitur tempus ante resurrectionem, & post; quia antè resurrectionem sunt ibi sine corpore, post autem, erunt cum corpore: & quia in aliquibus receptaculis nunc sunt animæ, in quibus post resurrectionem non erunt.*

101 Tertium argumentum sic se habet: *Maior est gloria animę, quàm corporum: sed simul omnibus redditur gloria corporum, vt sit maior lætitia singulorum ex communi gaudio, vt patet *Hebræor.* 2. super illud: *Deo pro nobis aliquid melius providente, &c.* Dicit Glossa: Vt in communi gaudio omnium, maius fieret gaudium singulorum: ergo multò fortiùs gloria animarum debet differri vsque ad finem, vt simul omnibus reddatur.*

102 Verùm nec hoc argumentum subsistit; facilis nempè à DIVO THOMA adhibetur solutio dicente: *Quòd hominum corpora habent quamdam continuationem adinvicem; quia secundùm ea est verum, quod dicitur *Act.* 17. Quòd *Deus ex vno fecit omne hominum genus.* Sed animas sigillatim finxit: vndè non est tanta congruentia, vt omnes homines simul glorificentur in anima, sicut quòd glorificentur in corpore. Et propterea gloria corporis non est ita essentialis, sicut gloria animę: Vndè maius detrimentum esset Sanctis, si gloria animæ differretur, quàm si gloria corporis differretur; nec posset hoc detrimentum glorię recompensari propter ampliationem singulorum gaudii de gaudio communi.*

103 Tandèm nec obstat vulgare illud argumentum, quod: *Pœna, & pręmium, quæ per sententiam judicis redduntur, judicium præcedere non debent: sed ignis Inferni, & gaudium Paradisi dabuntur omnibus per sententiam judicantis CHRISTI, scilicet in vltimo judicio, vt patet *Matthæi* 25. Ergo ante diem judicii nullus ascendit ad Cælum, vel descendit ad inferos.*

104 Huic etenim argumento respondet Sanctus ex D. GREGORII Doctrina: *Dicendum, quòd eamdem objectionem Gregorius 4. *Dialogor.* proponit, & solvit: Si igitur, inquit, nunc in Cælo sunt animæ Sanctorum, quid est, quod in die judicii pro justitiæ retributione recipient? Et respondet: Hoc eis nimirùm crescit in judicio, quòd nunc animæ sola singulari retributione lętantur, postmodùm verò etiam corporum Beatitudine fruuntur, vt in ipsa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro Domino, cruciatusque pertulerunt: Et eodem modo dicendum est de damnatis.*

105 Retulimus hactenùs statum, quem temporibus D. AUGUSTINI, D. AMBROSII, D. BERNARDI, aliorumque Sanctorum habuit quæstio hæc de Beatifica animarum Sanctarum visione, & præcipuè eum, quem specialiter in Gallia obtinuit prædicta controversia *ab anno* 1331. *vsque ad Ioannis XXII. obitum*, quidque de hac re censuerint, tàm antiqui Patres, quàm Parisiensis Vniversitas, præclarioresque illius Professores, vti ANGELICVS DOCTOR Episcopus DVRANDVS, Jerosolymitanus Patriarcha PALVDANVS, aliique multi præstantissimi Ordinis Prædicatorum Magistri, qui singulari constantia prędicarunt, & docuerunt, Sanctorum animas ante diem judicii Beatifica visione perfrui, eodem planè modo, quo posteà ipsum diffinivit Ecclesia. Cumque insuper etiam retulerimus oppositam sententiam, quam tàm eo tempore, quàm superioribus sæculis gravissimi Authores propugnarunt, æquum erit, vt ad præcipuam quæstionem progrediamur, & qualis Joannis XXII. in hac re fuerit sensus indagare incipiamus.

§. IV.

De mente Ioannis XXII. erga Beatificam animarum Sanctarum visionem.

106 PRo clariori huius quęstionis resolutione duximus prænotandum, quòd cum Sanctissimus Pontifex probè agnosceret, ac diligenter perpenderet, quàm pernitiosa sint Ecclesiæ dissidia ista inter Catholicos in materia Fidei, videretque hac in re adeò divisos esse præcipuorum Ecclesiæ filiorum, Sanctorum nempè Patrum, animos, & sententias, alii siquidem affirmativam, alii verò negativam partem, tamquam Catholicum Dogma, propugnabant, vt procellosum illud mare quiesceret, & placidum redderetur, & tranquillum, & nè Eccle-

siæ Navis turbulentissimis agitata procellis in scopulos impingeret, sed ad tutissimum vnitatis Fidei portum perveniret (quam quidem vnitatem omnes profiteri, totoque conamine expetere debemus, juxtà illud Apostoli: *Vna Fides, vnum Baptisma, & vnum dicatis omnes, vt non sint in vobis schismata, & dissensiones*) prudentissimè decrevit, vt, quoniam hæc quęstio iam pro vtraque parte adeò controversa erat, ad eius resolutionem, & diffinitionem procederetur, idque ab omnibus vnanimiter teneretur, quod Spiritu Sancto Authore conformiùs Sacro Eloquio crederetur. Quod vt melùs consequi posset *anno* 1334. qui fuit sui Pōtificatus vltimus, omnes Cardinales, Prælatos, ac maioris nominis Doctores congregari mādavit, eisque sub Anathematis pœna iniunxit, vt super hac re diligenter studerent, vt, auditis eorum sententiis, melius in eam partem, quam ei Spiritus Sanctus inspiraret, propendere valeret, eamque vt certissimum Fidei Dogma definire, vt apertè testatur ipse Pontifex *in Epistola ad Galliæ Reginam* scripta, quæ extat *in Manuscriptis Vaticanæ Bibliothecæ signatis num.* 3785. *Tom. 9. pag.* 192. & sic se habet.

REGINÆ FRANCIÆ.

107 *Quid circa quæstionem visionis animarum ordinaverimus, ad Regalem notitiam credimus, diù est, peveniſſe. Iniunximus quidem fratribus nostris, scilicet S.R.E. Cardinalibus, ac Prælatis aliis, & Doctoribus Theologiæ, ac Juris Canonici, præsentibus in Curia, vt super illa cum diligentia studeant, nobisque quid eis videtur, exponant, quod vt promptiùs posſem facere, multarum Authoritatum tàm Canonis, quàm Originalium Sanctorum, pro vtraque parte collectorum, copiam fecimus. Et vt hæc diligentiùs studerent facere, sententiam Excommunicationis ipsos voluimus incurrere, qui præmissa non adimplerent, absolutione nobis, nostrisque Successoribus reservata. Gratia Domini nostri JESU CHRISTI sit tecum, charissima filia, quæ in agendis te dirigat, & protegat ab adversis. Dat. 4. Idus Martii anno Pontificatus* 18.*

108 Quæquidem Epistola satis ostendit sanam Pontificis intentionem. At quoniam non desunt Authores, tàm antiqui, quàm recentiores, non modò hæretici, sed etiam Catholici, qui nimia libertate, & audacia, Pontificiæ intentionis sinus penetrare præsumant, adrogantes sibi jurisdictionem, quæ Deo privativè competit, scrutandi corda hominum, evulgantes in suis libris, Joannem XXII. non solum propendisse, sed etiam sensisse, & publicè propugnasse, Sanctorum animabus, quamtumvis omni iam culpa purgatis, visionem beatam ad diem vsque judicii differri, cum hoc valdè alienum sit ab eius mente, ac veritate, ideò sequentem Conclusionem statuimus.

109 CONCLUSIO. Joannem XXII. Pontificem numquam sensisse, defendisse, aut evulgasse errorem, qui ei adscribitur de visione beata ad diem vsque judicii differenda, imò oppositum tenuisse, & declarasse eodem prorsus modo, quo est ab Ecclesia definitum, apertissimè demonstratur. Primò, quia nemo in toto Orbe mortalium est, qui vmquam probaverit, aut probare possit, Joannem XXII. sensisse, Sanctorum animas à corporibus separatas visione beata ad resurrectionis vsque diem non frui, iuxtà ea, quæ optimè annotavit Eminentissimus Cardinalis BRANCHATVS DE LAURÆA *Disp.* 8. *art.* 5. §. 9. his verbis: *Nullum enim extat authenticum scriptum Joannis documentum, in quo id dicat; non enim ab adversariis producitur, sed fortè ex fama, seu veriùs, rumore orto, ex eo, quòd ipse de hoc dubius, permittebat vtramque sentētiam prędicari, vt mox dicam. De testibus de visu, seu de proprio auditu pariter probatur; nullus enim dicit, se audivisse eum fatentem extrajudicialiter, quòd tenebat eam sententiam: Ergo non potest quis cum veritate dicere: *Ioannes tenuit eam sententiam*; nisi ei imponendo, & calumniando. Non enim potest alicui crimen affingi, nisi videatur is in facto delinquens, vel à testibus idoneis, omniq ue exceptione majoribus, vel à Scriptura eius authentica, & indubitata id habeat.*

110 Secundò, quia non obstat, Joannem XXII. permisisse, vt sententia, quæ animabus Sanctorum visionem beatam ante resurrectionem denegabat, publicè defenderetur, & prædicaretur, quam tamen posteá damnavit Ecclesia. Non, inquam, obstat: Si enim Joanni XXII. hoc posset in crimen verti, reprehensibiles pariter essent omnes illius Prædecessores, qui tot retrò sęculis Ecclesiam gubernarunt;

runt; cum sub illis Sancti Patres pro vtraque parte liberè disputarint; eidemque reprehensioni obnoxia essent Sacratissima Concilia, quotquot ab initio illius controversiæ, vsque ad Joannem XXII. celebrata sunt, cum prædictam sententiam non proscripserint, imò permiserint, eamdem controversiam pro vtràque parte defendi; siquidem priscis illis temporibus æquè, ac Joannis ævo, vtrumque propugnabatur; intolerabilis autē esset error, & non ferenda temeritas, tot Concilia, Summosque Pontifices, qui singulari prudentia, consilio, ac certa scientia prædictam sententiam permi serunt, vel leviſsimæ culpæ condemnare. Et quidem si Ioannes XXII. culpandus esset, quòd prædictam controversiam pro vtràque parte exagitari toleraſſet, eamdem certè notam tota subitura foret Ecclesia; Hæc enim, antequam Fidei Dogmata definiat, ac statuat, ea pro vtràque parte discuti, & disceptari sepè sępiùs permittit, vt habita in diversis Christiani Orbis Regnis pleniori Scripturæ, & Sanctorū Patrū notitia, ac diligēter expēsis per Patres, & Doctores Sacrarum Litterarum Oraculis, quibus illa veritas continetur, securiùs possit ad Catholicarum veritatum definitionem pervenire: Iam verò vniversalem hanc Ecclesię consuetudinem, tot sęculis summa Sanctorum, ac Conciliorum approbatione commendatam, damnare, impium quidem esset, erroneum, ac temerarium.

111 Vndè infertur, omnis culpæ expertem omninò esse Ioannem XXII. quòd prædictam controversiam de visione beata ante, vel post judicium, hinc inde disceptari permiserit, nec sapientibus prohibuerit, vt suum hac de re judicium liberè proferrent, antequam ad Fidei definitionem deveniretur; præcipuè cum huiusmodi definitioni proximus esset, hancque permissionem, & libere sentiendi concessionem haud inefficaciter suaderet inviolabilis consuetudo, qua semper vsa est Ecclesia, Summique Pontifices in cuiuslibet controversię Fidei definitione, tàm in Concilijs, quàm extra: Ergo vel omnes Pontifices culpæ, & reprehensioni obnoxij censendi essent, quòd absque intolerabili errore dici nequit, vel Ioannes XXII. omnis culpæ expers, & immunis iudicandus, cum in hac controversia aliud non præstiterit, quàm quod & Ecclesia, & Patres, & summa æquitate præstiterunt Concilia,

112 Tertiò, quia nullus potest in materia Fidei reprehendi, quòd defenderit propositiones, vel sententias, quæ Scripturę Sacræ expressè non opponuntur: prædictam autem sententiam, quę animabus Sanctis visionem beatam ante resurrectionis diem inficiatur, Scripturę Sacræ expressè non adversari, manifestum est, aliàs eam nec S. AVGVSTINVS, nec D. AMBROSIVS, nec S. IRENÆVS, nec vllus Sanctorum Patrum tenuisset, & publicè propugnasset, prout ab eis propugnatam ostendimus.

113 Insuper nec potest alicui vertì culpæ, aut crimini, quòd ante Ecclesiæ diffinitionem propendat, aut defendat aliquam sententiam, estò sit in materia Fidei, quāquā huiusmodi sententia posteà ab Ecclesia damnetur. Sic nemò dicet, D. Hieronymum errasse in Fide, quòd *in Epistola ad Damasum* dixerit, tres Personas Divinas nō posse dici *tres Hypostases*, etsi Ecclesia postea oppposítum diffinierit. Similiter nec erravit in Fide S. Cyprianus, dùm docuit: Baptizatos ab Hæreticis esse rebaptizandos, quia nempè tunc nondùm circa hoc fuerat aliquid ab Ecclesia definitum. Tandem nec in Fide reprehendi potest D. Petrus, quòd antequam ê Cathedra definiret *Actor* 15. Venientes ad Fidem non teneri ad Legalia, facto eos ad hęc adegerit. Ratio autem, quę D. Augustinum, S. Cyprianum, & D. Petrum ab errore in Fide liberat, dùm hæc docuerunt, est, quia materia non erat adhuc diffinita.

114 Et quidem hanc esse communem Ecclesiæ praxim in Conciliis, cōpertissimū est his, qui in Conciliaribus Historijs versati sunt; in omnibus enim Fidei controversijs, quæ in Concilijs definitæ sunt, numquam damnatæ partis Authores hæretici dicuntur, pro tempore diffinitionem antecedenti, nisi posteà in sententia, à Concilio damnata, contumaces perseveraverint. Et vt rem â primordijs repetamus in Concilio Apostolorum *Actor.* 15. Cùm orta esset quęstio inter conversos ad Fidem, an Gentes ad Deum conversæ, & Sacro regenerationis Lavacro perfusæ, circumcidi deberent? Affirmabant aliqui, alij verò negabant; nullus tamen illorum ante Petri Decretum hæreticus dicebatur, solùmque Hæretici habiti fuerunt hi, qui post illud, in affirmante sententia perstite-

runt, vt Pharisæi.

115 Idem pariter dicendum de hæresi rebaptizantium ab Hæreticis baptizatos; siquidem Sancti Agrippinus, & Cyprianus eam sententiam amplectebantur, eamdemque sequebantur alij, vt Donatistarum antesignani: & tamen constat, nec Agrippinum, nec Cyprianum fuisse, vt hæreticos habitos, benè verò Donatistas; quia nimirum ea sententia, dùm ab Agrippino, & Cypriano defendebatur, nondùm fuerat ab Ecclesia damnata, benè verò quando à Donatistis propugnabatur: ideòque isti, quia adhuc post Ecclesiæ diffinitionem in ea persisterunt, tamquam Hæretici proscripti sunt. Idem etiam dicendum de quæstionibus Purgatorij, Imaginum, alijsque similibus. Et, vt vno verbo dicam, nullus eorum, qui ante Conciliorum diffinitiones aliquid defenderit, hęreticus dici potest, etiamsi posteà illud à Concilio damnatum fuerit, dummodò post Ecclesiæ diffinitionem in illo errore pertinax non permanserit.

116 His ergo suppositis, nunc solùm probandum restat, sententiam, quæ animabus Sanctis visionem beatam ante vniversale judicium denegabat, nondùm fuisse ab Ecclesia Ioannis XXII. tempore reprobatam, sicque quemlibet potuisse, absque vlla censura in materia Fidei, eam liberè propugnare, ac per consequens, prędictum Joannem, dato, quòd in eam inclinasset, dignum non fuisse ea censura, quam ipsi oppositi Authores impingunt. Id autē adeò certum est, vt nullus hucùsque Author allegaverit, aut allegare possit aliquam Concilij, aut Ecclesię extra Concilium diffinitionem, qua prædicta sententia tamquam erronea, aut haretica fuerit eo tempore reprobata; si enim id probassent, haud difficile eis esset, tamquam hęreticos convincere eos, qui post Ecclesię definitionem eam pertinaciter defendissent. Nihilominus, nè soli argumento negativo videamur inniti, & vt in specie de hac eadem sententia loquamur, audiamus quid de sentiant gravissimi Authores, omnique Fide digniſsimi.

117 Cardinalis BELLARMINUS *lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 14.* respondens argumento, desumpto ex Authoritate Adriani, dicentis, Ioannem XXII. docuisse, animas beatorum non visuras Deum ante resurrectionem, hæc habet: * Respondeo in primis, Joannem hunc re vera sensisse animas non visuras Deum, nisi post resurrectionem. (At licet hoc dicat Bellarminus, non tamen probat) cæterum hoc sensisse quando adhuc sentire licebat sine periculo hæresis. (Et ratio, qua innititur, est hæc.) Quia nulla adhuc præcesserat Ecclesiæ definitio.*

118 Idem tenet Cardinalis BRANCHATVS DE LAVRÆA; siquidem *tom. de Fide, disp. 8. §. 9. concl. 4.* de hac re loquens: * Non potest (inquit) nec debet Ioannes de hæresi notari. (Hacque ratione probat.) Nulla cousque in eo erat pertinacia contra veritatem Fidei ab Ecclesia definitam, seu receptam; numquam enim id fuerat ab Ecclesia definitum, neque erat explicitum in aliqua parte Sacrę Scripturę, alioquin nec Augustinus, nec vllus hominum fidelium ausus esset oppositum docere. *

119 Nec dissentit Cardin. AGUIRRE, etenim *tract. 2. de Cathedra D. Petri Vindicata, disp. 32. art. 3.* quamvis de hac quæstione brevissimè pertractet, censet tamen, eam nondùm fuisse illo Joannis XXII. ævo definitam, sed imò potiùs à gravissimis Authoribus propugnatam. * Et quod attinet ad opinionem illam (inquit) cum adhuc nondùm damnata esset ab Ecclesia, imò potiùs celebris apud Catholicos multos, quamvis Pontifex assensum illi prestitisset, non propterea hæreticus esset.*

120 Adnotatione digna sunt, quæ scribit eruditus Episcopus SPONDANVS *ad annum 1333. num. 3.* Joannem XXII. hac in re ab omni hæreseos labe liberans, & excusans his verbis: * Sicuti ergo S. Cyprianum ab hæresi excusamus, cùm hęreticos rebaptizandos censuit; quia nondùm id in aliquo Concilio Generali reprobatum fuerat, ita & Joannem, quòd illa opinio, à nullo hactenus Pontifice, aut Concilio reiecta fuisset, prout fuit posteà à Benedicto XII. in Synodo Florentina inter Armenorum errores.*

121 Consonat eruditissimus P. ODORICVS RAYNALDUS *ad annum 1333. num. 45.* hæc scribens: * Agitari cępta est per hęc tempora quæstio, an justorum animę, à corporibus segregatę, quibus nulla criminis labes expianda supereſt, Divinitatem facie ad faciem, vt loquitur Apostolus, ante extremum judicij diem intuean-

intueantur. Dissenserant ea de re Doctores, neque huiusmodi controversia adhuc ab Ecclesia fuerat definita, quam cum Joannes diriniperciperet &c.*

122 Ex tot gravissimis horum Doctorum testimoniis liquidò constat, prædictam quæstionẽ de visione beata, quãvis illo Joannis XXII. ævo valdè cõtroversam, non fuisse tamen ab Ecclesia tunc tãquã de Fide definitam. Quod clariùs innotescit ex eo, quòd prædictus Joannes, vt tẽpestatem illam, ac sententiarum in materia Fidei varietatem vnitati Fidei, quam profitetur Ecclesia, valdè pernitiosam, sedaret, eam terminare exoptarit, adhibens omnem operam, quę ab Ecclesia in similibus eventibus solet adhiberi, quod estò morte præventus adimplere non valuerit, Benedictus tamen XII. qui illi immediatè successit, opere complevit, & posteà Florentinum Concilium confirmavit. Undè cum illo Joannis tempore nondum ab Ecclesia affirmativa sententia, quæ Sanctorum animabus visionem beatam ante vniversale judicium asserit, fuisset tamquam fide tenenda definita, nec opposita vt hæretica proscripta, integrum fuit cuique prædictam negativam sententiam, citra Fidei periculum, liberè tenere, sequi, & propugnare; sicque, dato, & non concesso, quòd Joannes XXII. eidem negativæ sententiæ adhæsisset, ab omni censura, & nota in materia Fidei liber, & omninò immunis censendus esset.

123 Quartò, quia nemo potest in materia Fidei increpari, quòd Dogmaticas quæstiones, ante Ecclesiæ prohibitionem, pro vtraque parte discutiat; hæc enim semper extitit inconcussa consuetudo Sanctorum, qui Dogmaticas controversias tractarunt, & contra errores scripserunt, vt non modò erroneas, & hæreticas sententias retulerint, sed & rationes, & fundamenta, quibus istę innitebantur, proposuerint, quin ideò vmquam in materia Fidei reprehensi sint, vt videri potest in S. Irenęo, S. Epiphanio, D. Augustino, D. Ambrosio, aliisque innumerabilibus, quos, nè Lectori molesti simus, facilè patimur prętiriri; ii enim omnes suorum temporum errores, & hæreses referunt, eisque oppositas Sanctorum sententias objiciunt, quin levi adhuc cẽsura ab aliquo affecti sint, sed à tota Ecclesia magnopere commendati.

124 Perindè ergo de Joanne XXII. videtur dicendũ: Siquidem quãdo statũ huius controversię de beata animarum visione proposuit in Scriptura, quam Rotomagensi Archiepiscopo tradidit, vt eam Philippo, Francorum Regi, daret, & in ea ipsa, quam Cardinalium Consistorio tradi, & in eo legi præcepit, non propriam, sed alienam mentem exposuit, tàm illorum Patrum, Gravissimorumque Authorum, qui Sanctorum animabus visionem beatam ante vniversale judicium inficiabantur, quàm aliorum æquè præstantissimorum, qui eam ante vniversalem resurrectionem asserebant, eorum testimoniis, è fide dignioribus, aut magis legitimis Authographis, ipsius iussu depromptis, quin è suo capite aliquid proferret, aut decideret (vt verbis ipsius vtar) cuinã ex duabus illis sententiis ipse magis adhæreret, aut teneri mãdaret, sed merè relativè, & disputativè se habendo, vt sic meliùs indagaretur veritas, quò ipse posset, quod Spiritus Sãctus ei inspirasset hac in re credẽdũ proponere, vt patet ex his, quę ipse Põtifex scripsit *in Epistola*, quam *Francorum Regi* direxit, ibi enim, inter alia, hæc habet: *Propter hoc, vt veritas possit meliùs aperiri, Nos interdùm in nostris sermonibus mentionem habuimus, non proferendo verbum de nostro capite*, sed dicta Scripturæ Sacræ, & Sanctorum, præcipuè illorum, quorum Scripturę ab Ecclesia sunt receptę. (Et *infrà*:) Fili dilectissime, vt superiùs prędiximus, *vnum verbum de capite nostro Nos non protulisse* reperies, sed quæ vel CHRISTUS, vel Apostoli, vel Sancti Patres, & Doctores Ecclesiæ protulerunt. Hæc Venerabili fratri nostro Petro, Rotomagensi Archiepiscopo, tradidimus, vt ea si tibi liberet intendere, duceret exponenda, cui & nunc scribimus, vt hæc impleat, si tuæ placuerit Maiestati.* Idem habet *in Epistola* directa Francicæ Reginæ, vt videri potest *suprà*, vbi eam retulimus.

125 Idipsum testantur alii Authores, omni laude dignissimi, quorum agmen ducat luculentissimum Parisiensis Universitatis testimonium, de qua Doctissimus SPONDANUS *ad annum 1333. num. 2.* hæc scribit: *Habemus porrò prę manibus ipsammet sententiam Doctorum Parisiensium, Regi, eam requirenti, oblatam, qua in primis testati Joannem suam non asserendo, sed solummodò recitan-

tando protulisse. Deindè sentiunt à tempore mortis Domini nostri JESU CHRISTI, omnes animas Fidelium nihil habentes purgabile, vel quæ pœnis Purgatorii sunt purgatæ, ad visionem nudam, & claram, beatificam intuitivam, & immediatam Divinę Essentiæ, & benedictissimæ Trinitatis, quam Apostolus nominat facie ad faciem, assumi, ipsaque Deitate beata perfectè frui, eāque visionē resūptis corporibus minimè evacuatā fore alia succedente; sed ipsammet in eis perpetuò remānsuram: cui deliberationi subscripserunt inter cæteros, tàm Sæculares, quàm plurimorum Ordinum Regulares, Petrus de Palude, Ordinis Prædicatorum, Patriarcha Ierosolymitanus, Petrus Rogerii, Archiepiscopus Rotomagensis, Ordinis Benedictinorum, & alii quàmplures, de quibus *infra*.*

126 Et *num.* 3. admonet ipse Author, se non agnoscere Joannem XXII vlla censura dignum, quamtumvis Schismatici Fratricelli hanc calumniam ei adscripserint: * Cęterum (inquit) non propterea dicendum, fuisse Joannem Pontificem hæreticum (sicuti Fratricelli ab eo damnati improperabant) manifestè apparet: Tùm quòd non ea *assertivè*, sed *disputativè* protulisse, vt magis veritas innotesceret, tàm ipse posteà in suæ sententiæ explicatione, quam eius Successor Benedictus in quæstionis decisione testatus sit.*

127 Id etiam eruditè confirmant, quę refert P.M. JOANNES GONET, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Provincię Tholosanæ Præfectus, & in Academia Burdegalensi Antecessor, *in suo Clypeo Theologiæ, Tom. 4. Disput. 4. de Summo Pontif.* §. 3. *num.* 34. vbi, & pro Joannis XXII. Catholica mente tuenda, Duralli in Parisiensi Vniversitate Regii Professoris sententiam adducit, asserens: *Huius Pontificis mentem semper bonam, & Catholicam fuisse. Idque confirmari potest ex Andrea Durallio *in Tract. de Infallibilit. Summi Pontif.* vbi refert, quòd ad huius Pontificis famam, & honorem non parum confert: nimirùm omnes Doctores Theologos facultatis Parisiensis coram Rege Philippo Vallesio eum ab omni hæreseos, & erroris suspicione vindicasse, aientes: se accepisse à fidedignis, totum quod à Summo Pontifice de beatitudine Sanctorum dictum fuerat, non fuisse assertivè dictum. Quod testimonio, & instrumento publico munierunt *anno* 1333. vt constat ex Authographo, quod, ad nostram vsque ętatem, asservarunt Fratres Prædicatores in Conventu S. Jacobi Parisiensis, & iterum refert Dominus Coeffeteau Massiliensis Episcopus *Pag.* 10. 40. & 41. suæ *Responsionis ad mysterium iniquitatis*, illudque se manibus tractasse, ait Gamacheus Doctor Sorbonicus 1. 2. *quæstione* 4.*

128 Nihilominùs lectu digna valdè est Apologia, quam adversus calumniatores Pontificios edidit præclarus ille VLRICUS, singulari eruditione, & doctrina in tota Germania conspicuus, quæ extat *in Manuscriptis Bibliothecæ Vaticanæ, sign. num.* 405. *pag.* 136. Hic enim vindicaturus Joannem XXII. à calumnia, quam ei istius Pontificatus infensissimi hostes adscribere ausi sūt, hęc habet *lib.* 4. *cap. vlt.*

EXCVSATIO, ET PIA INTERpretatio Papalis Sermonis.

729 Sanè quę iam in his tribus suprà dictis libris, & in tribus solutionibus superiùs de beata visione Dei ante diem judicii percipienda dixi, & posui, contra eos præcipuè scripsi, qui Sanctissimum Papam Joannem in suo sermone dicunt definiendo determinare, Sanctorum animas ante diem judicii non posse Deum beatè videre, vel è contra, eos, qui hoc ipsum ex eius sermone præsumunt asserere determinate definitivè, quasi ipse etiam videatur hoc definiendo, & determinando sentire. Verùm, si sermo Papalis piè, & sanè intelligitur, non propriè sermo, nec definitio, nec determinatio, seu prædicatio, sed magis quasi quædam scholastica disputatio, aut disputantium collatio aptiùs esse perpenditur.*

130 Et *infra*: * Itaque Sanctissima Papalis mens, cupiens loqui de Beata visione Deitatis ante diem Judicij, ab animabus Sanctorum percipienda, debitam formam, & modum, ac morem in Ecclesia publicè prædicantium, & sermonem de verbo Dei fidelibus, cum simplicitate facientium, & assumens formam, & modum, atque morem, per Authoritates, rationes, similitudines, argumenta, Glossas, Syllogismos, & per multas alias virtutes, & subtilitates verborum sicut fieri solet in Scholis, & in Studiis disputantium, ostendit se magis personam disputatoris, quàm Ecclesiastici

stici prædicatoris, quando loquitur de beata visione Deitatis, habere.

131 Quoniam in Scholasticis disputationibus quorundam Magistrorum, & Doctorum est definiendo quæstiones determinare & quandoque interrogationibus solutionibus, argumentationibus, & responsionibus, veritatem quæstionum indagare, ideò devota mens Papalis, more Salvatoris nostri JESV CHRISTI, in medio Doctorum in Ierusalem sedentis, & interrogantis, ac respondentis se humilians loquendo, & scribendo de Beata visione Deitatis ante diem Iudicii percipienda, videtur habere personam Scholastici disputatoris, cum ibi per rationes, argumenta, Authoritates, similitudines, & Glossas, arguit, & solvit, & concludendo instructionem, & correctionem, ac Ecclesię determinationem concupiscit, sicut expressè dicit; & in sua disputatione *nihil certum definiendo, & determinando reliquit*, nec sua disputatione, & sermone aliquod præiudicium veritati facere intendit.* Hactenus ille. Quibus verbis prædictus gravissimus Author manifestè convincit, Ioannem XXII. quidquid in suis, tàm sermonibus, quàm collationibus protulit, id merè disputativè, arguitivè, & relativè protulisse, sententias pro vtraque parte referendo, quin ipse ex propriis aliquid dixerit, definierit, aut in negativam sententiam expressè deflexerit, imò hæc ideò præstitisse, vt Spiritus Sancti assistentiam melius promereretur, qua posset, id quod Ecclesiæ consultius foret definire.

132 Quamquam hucusque tradita sufficienter ostendant, Ioannem XXII. de visione beata ante, vel post Iudicium, numquam asserendo, vel definiendo, sed tantummodo referendo, & opinando fuisse loquutum; quia tamen ad id probandum adduximus Parisiensis Vniversitatis judicium, â varijs Authoribus summatim relatum, illorumque testimonio confirmatum, ideò, vt, quæ in illo continentur, clarius videantur, & quia non facile invenitur, illiusque verba in magnum Pontificiæ Authoritatis, quam in prefato Ioanne XXII. Professores illi venerati sunt, decus cedunt, & venerationem, illud hîc integrum duximus transcribendum, quòd Christianissimo Regi Philippo transmissum fuit, & authenticum asservatur in Conventu Fratrum Prædicatorum Parisiensium, habetur-que etiam *in Historia Vniversitatis Parisiensis, 6. Sæculo*, & sic se habet.

133 **SERENISSIMO PRINCIPI, ac Domino, Domino Philippo, Regi Francorum Illustri*, sui devoti Capellani, eiusdem miseratione Petrus Patriarcha Ierosolymitanus, Petrus Archiepiscopus Rotomagensis, Guillelmus Bernardi Cancellarius Parisiensis, Ioannes de Blangiaco Archidiaconus Vulcasini in Ecclesia Rotomagensi, Nicolaus de Lyra Ordinis Fratrum Minorum, Ioannes de Mentorio Ordinis Sancti Benedicti, Matthæus de Archis, Petrus de Palma Prior Provincialis Ordinis Fratrum Prædicatorum in Francia, Ioannes de Caricampo Ordinis Cisterciensis, Petrus de Casa Prior Generalis Fratrum B. MARIÆ de Carmelo, Simon de Menestijs, Guillelmus de Castro Reginaldi Ordinis Fratrum Prædicatorum, Germanus Celati, Hyacintus de Gyaco Ordinis Fratrum Prædicatorum, Guillelmus de Brenna Ordinis Fratrum Minorum, Guillelmus Calco Ordinis Fratrum Prædicatorum, Olivarius Saladini, Gerardus de Pergamo Ordinis Heremitarum S. Augustini, Petrus de Verberia Ordinis Vallis Scholarium, Nicolaus de Alexandria Ordinis Heremitarum S. Augustini, Petrus Herse Ordinis Carmelitarum, Nicolaus Boneri Ordinis Fratrum Minorum, Durandus de Aureliaco Ordinis Fratrum Prædicatorum, Sacrę Theologię Magistri, cum sui humillima recommendatione, per temporalis Regni regimen sic transire, vt perveniat ad perpetui Regni culmen,

134 Placuit Regię vestræ Maiestati, nos *Dominica 4. Adventus* in vestro Manerio in nemore de Vicennis ad sui præsentiam convoçare, nosque requirere quod vellemus corporale iuramentum prestare, quòd super petendis à nobis de statu animarum Sanctarum à corporibus exutarum, veritatem, quàm sentiebamus fideliter, & absque palliationis cuiuscumque velamine diceremus, assistentibus Regiæ vestræ Celsitudini Excellentibus Principibus Dominis Philippo, Dei gratia Rege Navarrę, Ioanne Primogenito vestro Normanniæ, Ludovico Borbonij Ducibus, Carolo Germano vestro Alenconij, Guidone Plessensium Comitibus, ac Reverendis Patribus Guillelmo Auxitano Archiepiscopo,

Guillel-

Guillelmo Pariſienſi, Andrea Atrebatenſi, Guillelmo Convenarum, Petro Ruthenenſi, Rogerio Lemovicenſi, Bernardo Anicienſi, Ioanne Nivernenſi, Epiſcopis, Guillelmo electo Ebroicenſi, Petro Cluniacenſi, Guidone S. Dionyſiii, Petro S. Germani de Pratis, Hugone Corbienſi, Abbatibus, & aliorum, tam Clericorum, quàm Baronum, & Militum Conſiliariorum veſtrorum, Religioſorumque, & ſæcularium multitudine copioſa.

135 Præfato autem iuramento, per nos præſtito, duæ nobis fuerunt propoſitæ quæſtiones. Prima, vtrum animæ Sanctorum in Cęlo exiſtentes videant Divinam Eſſentiam facie ad faciem ante reſumptionem corporum, & ante Iudicium Generale. Secunda, vtrum viſio, quàm de Eſſentia Divina nunc habent, evacuabitur in die extremi Iudicii, alia ſuccedente. Et quia, Princeps Sereniſſime, vos vt Dominum noſtrum Chariſſimum, Fundatorem, & Guardiatorem Pariſienſis Studij, & noſtræ ibidem Theologicæ Facultatis, Regemque prędexcellentem revereri tenemur, & veſtri iuſsionibus obedire: Attendentes ſpecialiter id, quòd ab ore veſtro ibidem audivimus, quòd nihil in hac materia quęrebatis, quòd tangere poſſet Sanctiſsimum Patrem, ac Dominum noſtrum Ioannem, Dei Providentia, Sacroſanctę Romanæ, & Vniverſalis Eccleſiæ Summum Pontificem, cuius ſumus devoti ſervi, & filij; quinimò, ſicut filius eius devotiſsimus, honorem ſuum in his, & alijs zelabatis: Advertenteſque quod multorum fidedignorum relationem audivimus, quòd quidquid in hac materia ſua Sanctitas dixit *non aſſerendo, ſeu opinando protulit, ſed ſolummodo recitando, &c.**

136 Ex quibus infertur, quòd ſi præclariores Eccleſiæ Sācti, in litterarum omnegenis Anteſignani illuſtriores, nulla vmquam in materia Fidei digni habiti fuere cenſura, quòd dogmaticas quæſtiones pro vtraque parte diſcuſſerint, antequam eſſent ab Eccleſia definitæ, nec adhuc poſt Eccleſiæ definitionem nota aliqua affecti ſunt, quòd errores, Catholicis veritatibus oppoſitos, referendo tradant, vt detectis errorum tenebris Catholicæ Fidei, & veritatis puritas clarior eluceat juxta illud: *Contraria iuxta ſe poſita magis luceſcunt*; eo quòd id non aſſerendo, ſed diſputandi gratia referendo, & vt magis, ac meliùs Fidei veritas cunctis innoteſcat, ſalubriter præſtiterint, ideòque non modo nullis calumnijs, ſed potiùs ſumma Eccleſiæ laude, approbatione, & conſenſu illorū ſcripta ſuſcepta ſunt, immeritò quidem videtur aliqua notari cenſura Ioannes XXII. quod hanc quæſtionem de beata viſione poſt Iudicium pertractarit merè opinando, & referendo ſententiam, quę ab Eccleſia poſtea eſt proſcripta, cum id in nullo Sanctorum, qui id ipſum præſtiterunt, reprehenſibile cenſeatur.

137 Quintò, quia quamvis Ioannes XXII. re vera prædictam ſententiam, quæ animabus Sanctis viſionem beatam ante Iudicium denegat, amplexus eſſet, non ideò in materia Fidei crimini obnoxius eſſet; nemò enim hac in re cēſura aliqua dignus efficitur, quòd in graviſsimis, & dogmaticis quæſtionibus, quę in Eccleſia diſcutiuntur, ſequatur Sanctorum, & Illuſtrium Eccleſiæ Doctorum mentem, quando hæc ab Eccleſia reprobata non reperitur, ſiquidē ipſa Eccleſia ad definienda Fidei Dogmata, iſtiuſque controverſias dirimendas ferè ſemper Sanctorum doctrina vtitur, quos Deus reliquit vniverſales Magiſtros, vt tamquam limpidiſsimæ firmamenti ſtelliæ, ſuæ doctrinæ fulgoribus, Eccleſiæ Cælum illuſtrarent, vt patet in omnibus Conciliis, in quibus ab initio naſcentis Eccleſiæ ad hæc vſque tēpora, Fidei diſceptationes exagitatæ ſunt: in illis enim Eccleſia ſemper id, quòd ab omnibus Catholicis, vt Fidei Dogma tenendum erat, definivit, Sanctorum Patrum, & præclariorum Doctorum ſententiis adhærens, vt innotuit in controverſia de duabus in CHRISTO voluntatibus, in qua pro negativa ſententia ſtabant Patriarchę Conſtantinopolitani, alijque Orientales Prælati, pro affirmativa verò Sancti Eccleſię Patres, & Doctores, vt patuit in Concilio Lateranenſi ſub S. Martino, in Romano ſub Agathone, & tādem in VI. Generali Synodo Conſtantinopolitana, cui Sanctiſsimus Pontifex Agatho præfuit; in his enim tribus Conciliis, & in aliis, quę contra Arii, Sabelii, Eutychetis, Dioſcori, aliorumque errores celebrata ſunt, Summi Pontifices Catholicas veritates in prædictis Synodis controverſas ſemper iuxta vnanimem Sanctorum Patrum, qui in illis allegati fuerunt, ſenſum, & ſententiam definierunt, vt in ſpecie latè probavimus *in Apologetica*

tica Honorii defensione.

138 Cum igitur præclariores Ecclesiæ Patres, tàm Græci, quàm Latini, censuerint, Sanctorum animas ad diem vsque Iudicij beata visione non frui: (vt productis illorum verbis initio huius Apologiæ probavimus, & refert Eruditus Episcopus SPONDANUS *ad annum* 1333. *num.* 1. his verbis: * Quòd enim non pauci ex antiquis Patribus, tàm Græcis, quàm Latinis, Irenæus, Origenes, Theodoretus, Tertullianus, Lactantius, Victorinus Prudentius, & alij, vt Augustinus, & Ambrosius, Bernardus, &c. tenuisse videbantur, animas à corpore separatas, & ab omni peccati macula purgatas, beata visione Diuinæ Essentiæ ante extremum Iudicij diem haud perfectè frui.*) Quid mali fecisset Ioannes XXII. si in hac materia, adeò controversa, & aliundè illo suo tempore valdè dubia, ante Ecclesiæ definitionem in negativam partem inclinasset, & adhęsisset sententiæ tot præstantissimorum Patrũ, & Doctorum calculis roboratæ, qui firmiter tuebãtur, Sãctorũ animas ante Iudicii diem Deũ non visuras? An ideò censura dignus existimandus esset, sequendo quod Ecclesia suo nos edocet exemplo, scilicet in omnibus Dogmaticis controversijs Sanctorum Patrum amplecti sententiam? Absit tantus error.

139 Sanè ab omni æquitate, & iustitia valdè alienum esse videtur, è pluribus eiusdem sceleris consortibus alterum, vt reum damnari, alterum verò, vt innocentem, & immunem relinqui, iuxtà receptissimam illam Iuris regulam: *Quorum delicta sunt paria, par debet esse sententia.* Quamvis ergo in materia Fidei verti posset in crimen, ante Ecclesiæ definitionem tenere, & defendere sententiam negativam de visione beata, cum tamen id commune sit Sanctis Patribus, suprà laudatis, cum Joanne XXII. casu, quo hanc sententiam amplexus fuisset, quænam æquitatis ratio patitur, vt Patres isti ab omni prorsus culpa immunes, & omni hæreseos nota liberi censeantur, & Ioannes culpandus sit? In delicto equè cõmuni cęteros alios innocentes asserere, & in vnum solummodò culpam conferre, ab omni Iustitiæ lege maximè abhorret.

140 Id elegantèr prosequitur magnus ille Fidei, & Ecclesiasticę Authoritatis Zelator NICOLAVS SANDERVS *in eruditissimo Opere de visib. Monarch. Eccles. lib. 7. n. 1006.* vbi loquẽs de Ioanne XXII. & expendens, quàm immunis exiterit à calumnia, quam ei Pontificiæ Authoritatis hostes adscribunt, asserentes, eum negativæ sententię adhæsisse, in hæc verba queribundus prorumpit: * Quid, quòd hic error adeò cõmunis est, huic Pontifici cum multis veteribus, & Latinis, & Græcis Patribus; vt ex Latinis Tertullianus, Lactantius, Victorinus, Ambrosius, Augustinus, Prudentius, & Bernardus; ex Græcis verò Iustinus Martyr, Irenæus, Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Ecumenius, Theophylactus, Euthymius, in eumdem errorem impegisse videantur, vt iniquissimum sit, in vnum Papam Ioannem convicia ob eam rem iacere, quæ illi cum tot Sãctis communis est, nec aliam ob causam, quàm quòd is Papa, in scriptis Patrum religiosè versatus, credebat, se non temerè debere à tot Doctorum sententia dissentire.*

141 Et *paulò infrà*: * Quænam impudentia est, ob causam aliquam Papæ Ioanni crimen hæreseos intentare, & ob eamdem ipsam idem crimen Iustino, Irenæo, cæterisque Patribus non intentare? Sin illos nota ipsorum, & generalis fides liberat ab omni suspicione hæresis, quia doctrinam suam Ecclesiæ Decretis semper parati erant subjicere, certè hoc idem Ioannes Papa de se ipso quoque testatur; quæ cum ita sint, non minus ab hęresi liber, & solutus est Ioannes Papa, quàm vel Irenæus Martyr, vel S. Augustinus, quos vtrosque cum Deo in Cælis degere, nemo dubitat.*

142 Idem optimè expendit ABRAHAM BZOVIVS *ad annum* 1334. *num.* 3. sic scribens: * Iniuriam Joanni Pontifici Calvinus facit, cum ei hæresim de visione animarum imponit, exque numero Catholicorum Pontificum expungit: cum is de quæstione, nondùm per id temporis ab Orthodoxa Ecclesia definita, non tàm asserendo, quàm differendo, & recitando potius, quàm decernendo, anteà quippiam dixisset: neque pertinax in sensu proprio, aut ea opinione hęsisset; sed tandèm monentibus Regibus, & Cardinalibus obaudiens, Catholicam veritatem professus, sancto fine quievit: Ptolomæus Lucensis, Albertus Argentinensis, S. Antoninus, Ciaconius.*

143 Ex hactenus dictis manifestè evincitur, quàm immunis exiterit Ioannes XXII. à calumnia, & nota, quæ ei impin-

gitur circa visionem beatam Sanctorum animabus ad diem vsque Iudicii differendam; ostendimus enim eum, nec præfatæ sententiæ adhæsisse, nec, dato quòd favisset, in materia Fidei reprehensibilem esse, aut censura dignum, ob rationes quas modo retulimus. At quia hęc dissertatio gravissima est, eam fusiori calamo pertractandam, & diligentiori examine discutiẽdam censuimus; & quamvis de eventu adeò antiquo agatur, cuius probatio haud facilis sit, nihilominus, Divino favente lumine, speramus probandum, Ioannem XXII. à negativa sententia penitùs dissensisse.

§. V.

Tám longè abest, quòd Ioannes XXII. sententiæ neganti adhæserit, quin potiùs primus Pontificum fuerit, qui ex Cathedra docuit, Sanctorum animas, omni iam culpâ purgatas, visione beata ante diem Iudicii frui.

144 PRo maiori huius Assertionis probatione, Historiæ veritas supponẽda est. Videns enim Sãctissimus Pontifex Ioannes adeò dissidentes animos præstantiorum Ecclesiæ Doctorum, tàm antiquorum, quàm recentiorum sui temporis, in quo tota Gallia notabili contentione distrahebatur, aliis negativam sententiam, aliis verò affirmativam de visione beata Sanctorum animabus ante diem Iudicii concedenda amplectentibus, ex quo quidem molesto dissidio periculosa detrimenta poterant suboriri, ac ingentia imminebant mala, præcipuè nè scinderetur Ecclesia; gravissimis istis incommodis iam emergentibus Pastorali solicitudine mederi cupiens, singulari providentia decrevit, vt quoniam *ab anno* 1331. *vsque ad* 34. hæc controversia pro vtraque parte acerrimè exagitabatur (quò Ecclesia ad tranquillũ pacis portum deveniret) ad eius decisionem procederetur: Pontificia enim determinatione, & definitione, D. Petri navicula in omnibus procellis, & tempestatibus è periculosis vadis emersit, & à vorticibus remota ad litus appulit. Ideóque Sãctissimus Põtifex Ioannes *initio anni* 1334. qui fuit sui Põtificatus vltimus, in pleno Cardinalium, Prelatorum, & Doctorum Consistorio prædictę quæstionis statum proposuit, incommoda, quæ ex illa dissensione in materia Fidei suboriebantur, expendit, simulque ostendit, quantũ cõmuni Ecclesiæ vtilitati expedire videbatur, eam cõtroversiam dirimere, de qua cum Doctoribus, Prælatis, Cardinalibus varios sermones contulerat, eisque, vt hanc difficultatem melius perciperent, suumque in hac re iudicium proferrent, scripturam tradiderat, in qua Sanctorum Patrum pro vtraque parte testimonia, ex fidedignioribus Authographis deprompta, continebantur.

144 Et quoniam Pontificis mens ad maius Ecclesiæ bonum, & luculentiorem veritatis indaginem dirigebatur, vt suæ intentionis sinceritas innotesceret, & nè à veritatis, & suæ innocentiæ æmulis siniſtrè, & perperam exponeretur, ipsam publico Cardinalium, & Præsulum cœtui palam facere statuit 3. *Idus Ianuarii prædicti anni*, vt constat ex Manuscriptis, quæ extant *in Vaticana Bibliotheca, & in Archiv. Avinonen. Sig.num.* 118. necnon *apud Benedict. Anno* 1. *Pag.* 1. *in Secret. Epist. Cur* 12. & sic se habent.

145 * Ne quis siniſtrè interpretari possit, Nos sensisse aliquid, aut sentire, quod Sacræ Scripturæ obviet, aut Fidei Orthodoxæ, dicimus, & protestamur expressè, quòd quidquid in quæstione, seu materia visionis animarum, videlicet, an animæ à peccatis, & pœnis peccatorum purgatæ, videant Divinam essentiam, illa visione, quam Apostolus vocat *Facialem*; seu quacunque alia materia, in sermonibus, & collationibus nostris diximus, allegavimus, seu proposuimus, non intendentes aliquid determinare, vel decidere, seu credere, quod esset quovis modo Scripturę Sacræ obvium, vel contrarium Fidei Orthodoxæ; sed illud solum tenere, & credere, quod & Scripturæ Sacræ potest, & poterat, & Catholicæ Fidei convenire: & si forsan in prædictis sermonibus, vel collationibus aliqua, quæ vel Scripturę Sacræ, seu Fidei Orthodoxę quovis modo essent, vel viderentur obvia, ipsa prętер intentionem à Nobis fuisse prolata dicimus, & asserimus, eaque revocamus expressé, non intendentes illis adhęrere, nec ea in pręsenti defendere, nec etiam in futurum.* Hactenus Ioannes.

146 Et vt verificari possit in hac re illud ZACHARIÆ *apud S. Lucam Cap.* 1. *Salutem ex inimicis nostris*; ipsi etiam æmuli Apostolici Zeli, quo Sanctissimus iste Pontifex exarsit, id ipsum attestantur, pręcipuè P. BONAGRATIA, Pseudo-

Mi-

Minorita, qui *in suo Commentario*, vt extat *in Manuscriptis Vaticanæ Bibliothecæ Sig. num.* 4009. *pag.* 164. hæc scribit: * *Anno Domini* 1334. *de mense Ianuarij*, in Consistorio publicè coram Cardinalibus, & maxima multitudine Prælatorum, & Clericorum primò fecit legi allegationes, & rationes aliquorum, qui tenent, quòd animę Sanctorum ex nunc clarè vident faciem Dei, sive Divinam Essentiam.* Nonnullisque interiectis, quibus contraria argumenta ê Sanctis Patribus decerpta, iisque adversa sententia, nimirum purgatas animas non videre Deum facie ad faciem, defendebatur, ait, lecta fuisse, subiicit Joannem hæc verba protulisse: *Quia Nos studuimus in Originalibus, ista proposuimus: numquam tamen fuit nostræ intentionis dicere aliquid contra Fidem, & si aliquid diximus, totum ex nunc revocamus, & si quis magnus, vel parvus aliquid habet pro Conclusione affirmativa, securê det nobis, & libenter recipiemus, & super hoc mandamus, fieri publicum instrumentum. *

147 Id ipsum confirmat præclarus ille, ac magni nominis Historicus PTOLOMÆUS LVCENSIS *in Ecclesiastica Historia M.S. lib.* 24. *cap.* 42. si quidê clarê asserit, Joannê XXII. de negativa sententia non asserendo, sed referendo, egisse: * In Cõsistorio protestatus fuit coram Cardinalibus, Prælatis, & Capellanis, quòd in prædicta quęstione nihil definiendo, sed recitãdo dixerat, & quòd paratus esset revocare, si quę enormia dixisset, & quæ plures Authores, pro, & contra collegerant, fecit tunc legere in Consistorio quinque diebus. *

148 Id autem ideò præstitit Joannes, vt ostenderetur falsum esse rumorem, quem puritatis suę Fidei inimici evulgarant, dicentes, eum, quia rationes sententię, animabus Sanctis visionem beatam ante diem Iudicii deneganti, patrocinantes retulerat, proculdubio prædictæ sententiæ adhęsisse; cum tamen hæc consequentia valdè futilis sit, & Philosopho, & Theologo indigna; numquam enim Sancti Patres, quòd errores, quos impugnabant, retulerint, de illis suspecti habiti sunt; Joannes autem in prædicta scriptura, estò Sanctos, Authores, & rationes negativę sententiæ suffragantes congesserit, eam tamen impugnavit, cum Sanctos, Authores, & rationes oppositæ sententiæ, animabus Sanctis visionem beatam ante Iudicium concedentis, etiam protulerit; nullum ergo adest motivum ad credendum, eum huic etiam sententiæ non adhæsisse, cum eius fundamenta neganti opposita copiosê adduxerit.

149 Et vt innotescat, illius mentem solùm fuisse, sententias de hac re disceptantes referre, vt posteà suo tempore quid tenendum esset maturo consilio definiretur, audiamus summi ponderis testem, qui id confirmet; is erit Benedictus XII. immediatus Ioãnis XXII. Successor. Hic igitur *in Bulla*, quã iam Põtifex expedivit, de hac re loquens, hæc, inter alia, scribit: *Sanè cũ iam dudum per nonnullos revocaretur in dubium, an animæ à corporibus separatæ, ac à peccatis, & pœnis peccatorum purgatæ, ante resurrectionem corporum videant Divinam Essentiam, illa videlicet visione, quàm vocat Apostolus *facialem*, & super hoc tàm in sermonibus, quàm in aliis collationibus, & colloquutionibus per fœlicis recordationis Ioannem Papam XXII. Prædecessorem nostrum, & plures alios in eius præsentia multa dicta, recitata, scripta, & prædicata fuissent, volens idem Prædecessor, verbis, & linguis malignantium obviare, *anno à Nativitate Domini* 1334. *Indict.* 2. *die* 3. *Mensis Ianuarii* S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tùnc eramus, multisque Prælatis, & in Sacra Theologia Magistris, alijsque personis, & Tabellionibus publicis, in Consistorio Apostolico coram eo personaliter constitutis dixit, asservit, & protestatus extitit sub hac forma. Nè quis sinistrè interpretari possit, Nos sensisse aliquid, aut sentire, quòd Sacræ Scripturæ obviet, aut Fidei Orthodoxæ, dicimus, & protestamur expressê, &c. * Cuius protestationis verba dedimus *suprà num.* 145.

150 Ex dictis apertissimè liquet, quàm longe abfuerit Joannes XXII. ab assertione sententiæ, animabus Sanctis visionem beatam ante diem Iudicii denegantis, vt tradunt maioris suppositionis testes, à nobis supra allegati, & æque certum, ac indubitatum reddunt, & ipsius Joannis protestatio, & Benedicti XII. confessio.

151 Verùm quamvis hucusque solidissimis fundamentis probaverimus, prædictum Joannem negativæ sententiæ non adhæsisse, nec ab oppositis Authoribus con-

trarium vmquam probatum sit ex alicuius momenti ratione, aut instrumento, cui Fides adhiberi possit; nihilominus pro pleniori huius dissertationis elucidatione videndum modo est, quid ipse Joannes de Affirmativa sententia senserit?

152 Pro CONCLUSIONE ergo statuimus, Joannem XXII. clarè sensisse, & manifestè tenuisse, Sanctorum Animas visione beata ante Iudicium frui. Hæc Assertio haud leviter suadetur ex eo, quòd ipse Joannes è Cathedra definivit, Sanctos, quos Divorum numero adscripsit, gloria, & visione beata potiri, vt videri potest *in Bulla, Sol Oriens. Canonizationis S. LVDOVICI Episcopi*, vbi *in* §. 1. hęc habet: * Huic Cæli præstant hospitium, Cęli Cives, vt sibi conformem, & comparem, ad suũ hunc consortium admittũnt in supernis, CHRISTVS hunc refecit, idem ipse prandium, & conviva. (*Et* §. 29.) Cæterum, ait, quia convenit, vt quem Dominus in Cęlo magnificat, Mundus colat, Nos de Sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum ipsius inquiri fecimus diligenter, &c. (Et *infrà*:) *Septima die Aprilis* Sanctorum Cõfessorum Cathalogo duximus adscribendum, &c. * Tandem vniversis Episcopis injungit, vt eius festum solemni ritu celebrari faciant, cuius præcepti motivum his verbis exponit: * Vt pia eius intercessione hìc à noxiis protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis. *

153 Concessit etiam Canonizationis BVLLAM, qua D. THOMAM, Herfordiensem Episcopum, gloria, sicque visione beata frui declaravit, vt patet ex illis verbis §. 2. * Lætentur Cæli sursum, qui hunc Sanctum glorioſum in se suscipiunt; & exultet terra deorsum, quæ superiùs transmittit Præsulem, tàm mirandum. Huic occurrant Cęlestes cunei. Hunc collaudent festivè Cæli Cives. *

154 Id ipsum confirmat Canonizationis BVLLA, qua definivit animam D. THOMÆ AQVINATIS gloria, & æterna beatitudine gaudere. Notanda admodum sunt verba, quibus in præfatæ Bullæ Procemio sic eloquitur. * Patet ergo Cælum credentibus, patet humilibus, patet etiam, qui honestatis, paupertatis, & obedientiæ votis se Deo voluntaria sponsione devovent; Regnum enim Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, dum propriis subactis affectibus, violentia quadam ad superiora contendunt. Hęc igitur B. THOMAS DE AQVINO, Ordinis Fratrum Prędicatorum, nobilis quidem genere, sed nobilior conversatione, fama clarus, vita clarissimus, &c. * Et relata illius Sanctissima vita, sic prosequitur §. 8. * Verùm, quia dignum erat, & consonum, vt quem Deus viventem in hoc sęculo tantis suis donis, gratijsque perfecerat, assumptum in Cęlis Sanctificatum fore, hominibus declararet, multis eumdem virum Dei, post ipsius de hac vita transitum, (licet & antea nonnulla fecisse memoretur) magnisque fecit clarere miraculis, multis, clarisque signis glorioſiùs coruscare. *

155 Recensitis verò multis prodigijs & miraculis, quę Sancti DOCTORIS intercessione Deus fuerat operatus, declarans gloriam, quam possidet, quæ in beata visione consistit, sic prosequitur: * Hæc sunt igitur testimonia tua Deus, quę de hoc viro iusto credibilia facta sunt nimis; nam si testimonium hominis accipimus, testimonium Dei maius est. Quo animam enim Cælum possidere iam credimus, intercessorem ipsum expectamus, ac inter Sanctorum agmina, quasi stellam matutinam, eum fidimus esse locatum. *

156 Quod §. *sequenti* confirmat, dicens: * Cæterum, quia rationis ordo depostulat, vt Triumphantem in Cęlis Ecclesiam, devota in terris militans subsequatur, illum veneratione præcipua percolat, quem in Cęlestibus agminibus positum, Deum glorificare cognoscitur, Nos de Sanctitate vitę, ac miraculorum veritate Confessoris eiusdem, non semel tantùm, sed primò, & secundò, non festinè, sed maturè inquiri fecimus, &c. *

157 Et *infrà*: * Cumque per huiusmodi Nostram, & eorumdem Fratrum nostrorum examinationem solicitam, & solicitudinem examinatam vitam eius sanctam, & miracula vera, eius meritis facta, probata esse constitit, & supplicantibus Nobis id ipsum humiliter, & devotè, multis tùnc Prælatis apud Sedem Apostolicam existentibus, de dictorum Fratrum Nostrorum consilio, & consensu, Authoritate Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum eius, ac Nostra, eum

Sancto-

Sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum.*

158 Prolata verò Canonizationum Diplomata, quę præfatus Joannes expediri mandavit, probare eos Sanctos, quos laudatus Pontifex Divorum numero adscripsit, gloria, & ęterna beatitudine actu perfrui, manifestissimũ est, ac certissimum, non modo ex verbis, suprà relatis, quæ id apertè confirmant, sed etiam ex his, quæ communiter tradunt Authores, vt certum affirmantes, Canonizationem nihil aliud esse, quàm authenticum Testimonium, quo Ecclesia, vel Pontifex illius nomine declarat Sanctum, quem Cælitibus annumerat, & in superorum numero recenset, frui iam visione Dei, in qua ęterna beatitudo consistit. Canonizatio enim est publicum Ecclesiæ Testimonium de vitæ sanctitate, & gloria adepta hominis iam defuncti, quo etiam decernuntur honores, qui debentur illis, qui cum Deo fœliciter regnant. Ita sentiunt Cardinalis TVSCHUS *in Repert. verb. Canonizatio*, Cardinalis etiam BELLARMINVS *Controvers. Tom. 4. de Beatitudine Sanctorum, lib. 1. cap. 7. vers. Sed antequam*; MALVESIUS *de Canonizatione Sanctorum*, LVDOVICVS TURRIANVS *in 2. 2. D. THOMÆ, Disput. 17.* MALFESIVS *Consil. 46. num. 7.*

159 Quod eleganter confirmat ANGELICVS DOCTOR *1. 2. quæst. 3. de Beatitudine, art. 7.* vbi probat, Sanctorum gloriam, æternamque eorum beatitudinem in visione beata consistere: explicans enim illud *Ieremiæ cap. 9. In hoc glorietur, qui gloriatur scire, & nosse me*, hæc infert: *Ergo vltima hominis gloria, vel beatitudo non consistit nisi in cognitione Dei.* Quod ex professo probat *art. 8. ex 1. Ioannis 3. Cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* Et immediatè hanc Conclusionem propugnat: *Vltima & perfecta beatitudo non potest esse, nisi in visione Divinę Essentię.*

160 Ac tandem *in corpore Articuli* sic concludit: *Ad perfectam igitur beatitudinem requiritur, quòd intellectus pertingat ad ipsam essentiam primæ causæ; & sic perfectionem suam habebit per vnionem ad Deum, sicut ad obiectum, in quo solo Beatitudo hominis consistit, vt suprà dictum est.* Cum igitur Sanctorum Canonizatio sit authẽticum Testimonium, quo Ecclesia, vel Pontifex illius nomine contestatur, eos gloria, & æterna beatitudine perfrui, hęcque iuxta D. THOMAM, omnesque Doctores, in visione beata consistat; hinc consequenter infertur, Ioannem XXII. cum Canonizationis Bullas prædictis Sanctis concesserit, constanter sensisse, & firmiter tenuisse, eos ad æternam beatitudinem, visionemque beatam evolasse, sicque eum affirmativę adhæsisse sententiæ de visione beata ante Iudicium.

161 Quamquam hucusque dicta apertissimè ostendant, Ioannem XXII. affirmativam tenuisse sententiam; nihilominus induditabili testimonio probabimus, eum non modo in prædictis Sanctis, quos Divorum numero adscripsit, sed etiam generaliter in omnibus Sanctorum animabus plenè purgatis visionem beatam ante diem Iudicii asseruisse. Id patet ex authentica Scriptura, quam prędictus Pontifex in publico Consistorio coram Cardinalibus, & Prælatis legi præcepit, vt omnes genuinæ suæ mentis, & sententiæ testes essent, & ad perpetuam rei memoriam suæ fidei puritas, & sinceritas toti patesceret Orbi, nec in dubium posset revocari eum affirmativæ semper adhæsisse, & oppositam non assertivè, sed solum recitativè protulisse.

162 Extat autem prædicta Scriptura *in Manuscrip. Vatic. Bibliothecæ Sig. n. 4008. Pag. 172.* quæ sic se habet: *Nè super his, quę de animabus purgatis, separatis à corporibus, an citra resumptionem corporum, Divinam Essentiam, illa visione videlicet, quam Apostolus vocat facialem, videant, tàm per Nos, quàm per nonnullos alios in prędicatione nostra recitãdo, & allegãdo Sacram Scripturam, ac originalia & dicta Sanctorum, vel aliàs ratiocinando, sæpius dicta sunt aliter, quàm per Nos dicta, & intellecta fuerant, & intelligantur, ac dicantur, auribus fidelium valeant inculcari: Ecce quòd Nostram intentionem, quam cum Sancta Ecclesia Catholica habemus, & habuimus, serie præsentium, vt sequitur, declaramus. Fatemur siquidem, & credimus, quòd animæ purgatæ, separatæ à corporibus, sunt in Cælo, Cælorum Regno, & Paradiso, & cum CHRISTO in cõsortio Angelorũ congregatæ, & vidẽt Deum, ac Divinam Essentiam facie ad faciem, in quantum status,*

*& cõditio patitur animæ separatæ.** Quibus verbis continetur quidquid Sancti Patres, & Ecclesia de hac re nobis credendum tradidere; huicque sententiæ adeó firmiter adhæsit prædictus Ioannes, vt *eodem die*, quo hanc suam mentem exposuit, *tertio nempè Idus Decembris anno* 1334. iusserit de hac re Pontificium Diploma expediri, vt Catholicus, & Apostolicus suus Zelus, & fidei puritas, qua vixerat, & ad extremam vsque vitæ periodum conservarat, posteritati innotesceret; siquidem tamquam vltimum suum testamentum hanc controversiam pro virili sua parte statutam, & catholicè definitam, verbo, & scripto reliquit, vt probavit eventus; nam Benedictus XII. immediatus illius Successor eamdem definitionem edidit, eamque ab omnibus Catholicis teneri præcepit, qui tamquam oculatus testis eum Cardinalis esset, & Pontificia sua Authoritate post, hanc veritatẽ indubitatam reddit in Bulla, quam expediri fecit, nosque suprà adduximus: in ea enim sic prosequitur.

163 *Demùm quoque idem Prædecessor decumbens in lecto infirmitatis, de qua decessit, intentionem, quam super præmissis *habuerat*, & *habebat*, volens clariùs, & serioliùs aperire, *anno à Nativitate prædicto die*, videlicet 3. *Mensis Decembris proximè præteriti*, Nobis tunc nominato Jacobo, Titulo S. Priscæ, Presbytero Cardinali, & Venerabilibus Fratribus Petro Prænestino, Bertrando Ostiensi, Cardinalibus, & nonnullis Prælatis, & Tabellionibus publicis præsentibus, & propterea specialiter evocatis, quamdam litteram grossatam sub eius nomine legi fecit, ac se credidisse, & credere declaravit, & confessionem, revocationem, & submissionem fecit, de quibus in ipsa littera agebatur, sub his verbis: Nè super his, quę de animabus purgatis, separatis à corporibus, &c.* Prout suprà retulimus *num.* 162.

164 Idque ipsum præstitit OEcumenicum Florentinum Concilium his verbis. *Definimus, illorum animas, qui post Baptisma susceptum nullã omninô peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superiùs dictum est, in Cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Dominum Trinum, & Vnum sicuti est.*

165 Quibus relatis, & ostensa Catholica prædicti Joannis mẽte, sic prosequitur BENEDICTVS: *Verùm licet idem Prędecessor super huiusmodi cõtentis in dicta littera grossata voluerit, & mandaverit, fieri publica instrumenta, ipsamque litteram Bullę suæ munimine roborari, quia tamen, superveniente obitu eius, huiusmodi littera Bullata non extitit, nos volentes, quod huiusmodi eiusdem Prędecessoris declaratio, & omnia alia suprædicta ad communem Fidelium notitiam deducantur, super contentis in dicta littera, & aliis suprà scriptis, de præfatorum Cardinalium Fratrum nostrorum consilio, præsentes litteras Bulla Nostra munitas fieri mandamus in testimonium præmissorum; nulli ergo, &c. nostræ voluntatis, & mandati, &c. *Datum Avenione 16. Kalend. Aprilis anno 1.**

166 Ex quibus colligitur, esse ęquè certum, ac indubitatum, Joannem XXII. semper stetisse pro sententia, quam ab illius Pontificatu, ad hodiernum vsque diem Ecclesia, Concilia, Sanctique Patres amplexi sunt, vt ex Benedicti XII. attestatione, modò relata, manifestè appareat. Undè constat, oppositum esse manifestam impostluram, qua tanti Pontificis æmuli, illius Fidei Zelum, & Apostolicam, Catholicamque doctrinam commaculare, conati sunt.

§. VI.

Adversariorum argumentis exhibetur solutio.

167 QUamtũvis hucusque dicta sufficientem adversis argumentis, initio huius Apologię propositis, satisfactionem exhibeant, nihilominùs præcipuis oppositæ sententiæ in specie accuratiùs respondere satagemus. Oppositę sententiæ Authores Adriani VI. nituntur testimonio, qui *in* 4. *Sententiarum*, de Ministro Confirmationis loquens, hæc habet: *Ad secundum principale de facto Gregorii, dico primô, quôd si per Romanam Eccle-

Ecclesiam intelligatur Caput illius, puta Pontifex, certum est, quòd possit errare, etiam in iis, quæ tangunt Fidem. Item, & novissimè fertur de Joanne XXII. qui publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quòd animæ purgatę, ante finale judicium non habent stolam, quæ est clara, & *facialis* visio Dei; & Universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quòd nemo in ea poterat gradum in Theologia adipisci, nisi primitùs hunc errorem pestiferum jurasset se defensurum, & perpetuò ei adhæserunt.*

168 Huic argumento respondetur, Adrianum, cum prędictum Commentarium confecit, talia verba ingerens, nec Cardinalem fuisse, nec Pontificem, sicque non potuisse tantum ipsi Authoritatis tribuere, vt verum faceret, quod verum non erat, præcisè, quia ipse dixit, dùm in minoribus, & privata persona erat. Quarè cum, nec instrumento aliquo, neque testibus, ex proprio auditu fidedignis, probet, infirmæ authoritatis videtur in iis, quæ ad Historiæ veritatem spectant, nulloque authentico testimonio roborantur.

169 Deindè ex ipsiusmet verbis apertè innotescit, ipsum falso inniti rumore, qui sine fundamento evulgabatur in Gallia, cõstatque, eum, Joannis XXII. historiam accuratè non expendisse, sed incertis rumoribus credidisse, vt indicat ille loquendi modus ipsius ADRIANI, dicentis: *Novissimè *fertur* de Joanne XXII. qui publicè docuit, &c. Et Vniversitatem Parisiensem ad hoc induxisse *dicitur*, quòd nemo in ea, &c.* Ex quibus clarè elucet, quòd Adrianus VI. si de rei veritate meliùs esset instructus, quemadmodum nos oppositum ex Scripturis, & gravissimis Authoribus probavimus, neutiquam in re tanti momenti, in magnum Pontificiæ Anthoritatis præjudicium vergente, ausus fuisset, nec adhuc cogitasset, enarrare factum æquè incertum, ac ab Historiæ veritate alienum. Vide quæ diximus suprà ex Eminentissimis, ac Eruditissimis Cardinalibus BELLARMINO, BRANCATO DE LAVRÆA, & AGUIRRE.

170 Nec vrget, Gersonem, Parisiensem Cancellarium, asserere, Joannem XXII. in errorem impegisse, nec tantùm in sententiam damnandam propendisse, sed eam tenuisse, & propugnasse; siquidem *in Sermone de Festo Paschatis*, explicans illud: *Hodie mecum eris in Paradiso*, hæc habet Gerson: *Propter quod insuper apparet falsitas doctrinę Papæ Joannis XXII. quæ damnata fuit cum sono Buccinarum coram Rege Philippo, Avũculo tuo, per Theologos Parisienses de visione beata.*

171 Non, inquam, vrget, admiratione enim dignum videtur, tantæ eruditionis Virum, historicæ veritatis voluisse se adeò inopia laborantem ostendere, vt Joanni XXII. falsò tamquam Authori adscriberet sententiam, quam tot ante eum sæculis præclariores antiqui Patres, tàm Græci, quàm Latini, vt Justinus, Irenæus, Ambrosius, Augustinus, Bernardus, cæterique alii, quos suprà retulimus, expressè tenuerunt.

172 Respõdemus secũdò: quãvis Adrianus ante Põtificatũ, & Gerson, magnæ sint Fidei, & opinionis, maioris proculdubiò esse Benedictum XII. qui fuit etiam Parisiensis Doctor, & Pontifex, Ptolomæum Lucensem *lib.* 24. *Histor. Ecclesiast.* citatum ab ODORICO RAYNALDO *ex manuscript. Bibliothecæ Vaticanæ cap.* 42. & JOANNEM VILLANUM *lib.* 11. *cap.* 19. qui vtpotè Joanni XXII. coætanei, maiorem fidem promererentur in Historia, quæ illorum ævo contigerat, quam Adrianus, & Gerson, qui neque Synchroni Scriptores, nec oculati testes fuerunt, neque suum dictum authentico aliquo instrumento confirmant.

173 Undè mirum non est Cardinalem Branchatum de Laurea *loco nuper laudato, in solutione ad hanc eamdem instantiam*, dixisse: *Omnes præfatos, & alios quoscumque, id de Joanne cogitantes, allucinatos esse, & plus de eo credidisse, quàm ipse sentiret; eius namque mentem nullus homo poterat, nisi ex dictis suis penetrare; dicta autem, vt vidimus, non sonant intentum negativæ, sed permissio illa ad summum probat dubium, quod in mente habebat; dubium autem in re non determinata de fide non facit hæreticum, sed solùm dubium de Fide.*

174 Respondemus tertiò quòd dato, quòd sententia negans visionem beatam ante judicium, damnata fuisset à Theologis

gis Parisiensibus, cum sono buccinæ coram Rege Philippo; quid tamen inde? Numquid Parisienses illi Doctores habebant Pontificiam Authoritatem ad decernendum in materia Fidei, & condendum articulos, quibus Fideles cogerentur ad credendum de Fide, quod prædicta Vniversitas decrevisset? Numquid Theologi illi, qui tunc temporis eam Vniversitatem sua sapientia illustrabant, maioris erant Authoritatis, quàm S. Augustinus, S. Ambrosius, cæterique Sancti, qui oppositum tuebantur? Numquid tota illa Vniversitas facere poterat plusquam iudicium probabile in re ab Ecclesia nondum decreta, & definita?

175 Vlteriùs, maiorem nê authoritatem dabimus Gersoni, quàm toti Parisiensi Vniversitati, quæ factum illud longè aliter ac Gerson enarrat? Hic enim asserit, Ioannem XXII. non solùm propendisse in hanc sententiam damnandam, sed etiam eam asseruisse, & propugnasse. Parisiensis verò Vniversitas iuxta authenticum Testimonium, à nobis suprà relatum, oppositum dicit; Philippum quippè Regem de Ioanne XXII. alloquens, hæc testatur: *Advertêresque, quòd multorum fidedignorum relatione audivimus, quòd quidquid in hac materia sua Sanctitas (loquitur de Ioanne XXII.) dixit, non asserendo, seu opinando protulit, sed solummodò recitando.* Undè si Ioannes XXII. alicuius censuræ dignus censendus esset, quòd errores, & hæreses retulisset, eiusdem certè criminis consortes iudicandi essent omnes Sancti, qui in errores, hæresesque insurrexerunt, si quidem vt errores impugnarent, necesse erat, eos referre; quod tamen Ecclesia numquam reprehendit in Epiphanio, Augustino, Ambrosio, Thoma, Bonaventura, cæterisque Sanctis, qui errores, quos impugnabant, retulerunt; imò prædicti Sancti digni habiti sunt, vt eorum zelus ab ipsa Ecclesia commendatur. Quod autem veritati propiùs accedat, imò veriùs sit, quòd prędicta Vniversitas in præfato testimonio dicit, non quod Gerson enarrat, certissimum est; siquidem id quod Gerson asseverat, nullo authentico instrumento confirmatur, quod autem Parisiensis Vniversitas in nuper allato testimonio dicit authoritate ipsius Ioânis XXII. & Benedicti XII. qui eam refert, cõmunitur; Ioannes enim 3. *Idus Decembris anni* 1334. in authẽtica Scriptura, quam coram Cardinalibus, & Prælatis evulgari præcepit, & nos suprâ recensemus, vt omnis suspicioni aditus præcluderetur, & nê aliquis siniſtrè intelligeret eum, quoniam prędictam controversiam multoties discussérat, & vtriusque partis fundamenta scripto tradiderat, in negativam sententiam deflectere; ac tãdem, vt plenius innotesceret, eum vtramque sententiam retulisse, vt postea suam mentem meliùs exponeret, id præstitit ea forma, quam suprà tradidimus in hæc verba: * Fatemur siquidẽ, & credimus, quòd animæ purgatæ, separatæ à corporibus, sunt in Cælo, Cælorum Regno, & Paradiso, & cum CHRISTO, in consortio Angelorum congregatæ, & vident Deum, ac Divinam Essentiam facie ad faciem clarê, in quantum status, & conditio compatitur animæ separatæ.*

176 Sed vt apertiùs patesceret, omnisque suspicio expelleretur, hæc subiungit: *Si verò alia, vel aliter circa materiam huiusmodi, per Nos dicta, prædicata, seu scripta, recitando dicta Sacræ Scripturæ, & Sanctorum, & conferendo, & non determinando, nec etiam tenendo, & sic, & non aliter illa volumus esse dicta, prædicata, seu scripta.*

177 Ex quibus constat 1. Ioannem XXII. non potuisse clariùs, & prædicto Parisiẽsis Vniversitatis testimonio conformius loqui. Secũdò manifestè convincitur, quàm deceptus fuerit Gerson, dum dixit, Ioannem XXII. negativâm sententiam asserendo tenuisse, cum authentico duorum Pontificum testimonio comprobetur, Ioanem affirmativam sententiam asserendo tenuisse; negativam verò, solum *conferendo, & non determinando, nec etiam tenendo*, vt ipsius verbis vtamur, protulisse. Toto ergo cælo aberrare evincuntur, qui prædictum Ioannem negativam sententiam asserendo tenuisse, contendebant.

178 Respondemus quartò, Joannem XXII. dato, & non concesso, quòd negativæ sententiæ adhæserit, non mereri censuram in materia Fidei, quam ipsi oppositę sententiæ Autores infligunt, rectè enim posset ob venerationem, quæ supremæ Ecclesiæ dignitati debetur, in Catholico sensu explicari, prout ab aliquibus Catholicè exponuntur Sancti, qui præfa-

tam

tam negativam sententiam assertivè tenuerunt : possumus enim absque Fidei prejudicio dicere, duos esse beatitudinis status, vnum animæ sine corpore, vsque ad vniversale Iudicium, quem veteres, variis nominibus, describentes appellarunt, *Sinum Abrahæ, Paradisum primis Parentibus adeptum, Altare exterius, sub Altare Dei, Sanctorum vestibulum, Atria Dei, Promptuaria animarum, abdita Receptacula, animarum Custodiam, securitatis Requiem, Arrabonem Regni, Stolam albam, adeptas Repromissiones*, & alia huiusmodi.

179 Alterum verò esse statum animæ resumpto corpore post Iudicium, quem similiter diversis appellationibus nuncuparunt, *Domum Dei, Altare interius, super Altare, sublimiora Cælorum, consummationem gloriæ, resurrectionis Gloriam, perfectam Lætitiam, immortalitatis Præmium, bonorum omnium Terminum, integra meritorum Præmia, expectatam adhuc Mercedem, nondum acceptas Repromissiones, futurā Gloriam, coronarum Tempus, fruitionis Regnum*, & cętera his similia.

180 His ergo suppositis, vtraque sententia sic conciliari potest, vt cum apud priscos Ecclesiæ Doctores legeris, Iustorum animas vivere, aut in Sinu Abrahæ, aut in Paradisi nemore, aut sub Altare Dei, aut in abditis receptaculis, ibique expectare futurę gloriæ præmia, non statim suspiceris, animas Sanctorum carere Divini intuitus gloria, sed intellige, eas nondum potiri perfecta, & consummata illa fœlicitate, quam post corporis resurrectionem expectant; ita enim exponit Ambrosii, Augustini, & Chrysostomi sententias eruditissimus in Sacris Litteris, ac controversiis Dogmaticis SIXTVS SENENSIS *in Bibliotheca Sancta Annotat. 64. & 169. lib. 5. & Annotat. 264 lib. 6. & alibi.*

181 Si verò aliqua sint Sanctorum Authorum dicta, quæ nequeant huiusmodi interpretationem pati, meminisse oportet, hunc errorem nihil officere eruditioni, & pietati tàm Illustrium Patrum, cum Ecclesia illorum temporibus nondum aliquid certi in hoc Articulo statuisset credendum. In hoc ergo eodem sensu posset catholicè exponi mens Ioannis XXII. casu, quo prędictæ negativæ sententiæ adhæsisset.

182 Sic docet eruditissimus M. GRAVINA, Primarius Neapolitanę Vniversitatis Professor, 2. *Par. Contin. Tom. 4. de Papæ Infallib.* vbi hęc habet: *Dici etiam potest, Ioannem XXII. posse eam expositionem pati, qua multi doctissimi Viri nonnullos veteres excusarunt, qui beatitudinem Animarum Sanctarum vsque ad diem Iudicii distulerunt, videlicet, loquutum esse de fœlicitate, quasi imminuta, & dimidiata, quandoquidem Sanctorum Animæ separatæ, etsi beatitudinem habeant essentialem, adhuc spectant corporum resurrectionem cum dotibus glorioris, vt duplici stola amicti, in anima, & corpore glorioso in perpetuum regnent cum CHRISTO; sic Irenęum explicat Fevardentius *lib. 5. Cap. 31.* De his Patrum loquutionibus loquuti sumus *Tom. 3. Par. 1. de Patribus.* Ad hæc sunt, qui respondent Beatitudinem Sãctorum fore perfectiorem à resurrectione, non intensivè, sed extensivè: Vndè Græci in Concilio Florentino fatebantur, animas post resurrectionem non perfectiùs visuras, sed fruituras perfectiori fœlicitate cum suis corporibus, vel vt Latini, expectare aliam perfectionem cum suis corporibus.* Hęc ille.

183 Ex dictis patet, parvipendendum esse, ac penitùs contemnendum, quod dicit Erasmus *ad lib. 5. Irenæi*, vbi blasphema hostilitate, qua solēt horum temporum hæretici in Romanos Pontifices invehi, hæc scribit: *In quo errore fuisse videtur Ioannes XXII. coactus opera Theologorum Parisiensium ad palinodiam.* Quod non aliundè probat, quàm Gersonis authoritate.* Quod indicat Ioannes Gerson *in sermone de Paschate.**

184 Patet, inquam, prædicti Erasmi dictum esse penitùs contemnendum cum Gersonem in Historię veritate deceptum fuisse, manifestè ostenderimus ex maioris suppositionis testibus, & fidedignioribus ipso Gersone; siquidem, quamvis prędicti duo Pontifices oppositum non attestarentur, sufficeret certè authenticum testimonium, à nobis suprà relatum, totius Parisiensis Vniversitatis, & præstantissimorum illius Professorum, qui tunc temporis sapientię suę fulgoribus eam collustrabant, vti erant Petrus Paludanus, Patriarcha Ierosolymitanus, Rothomagensis Archiepiscopus, Guillelmus Bernardi, Parisiensis Cancellarius, & Nicolaus de Lira: Hi, in-

quam, soli suæ doctrinæ, & authoritatis splendore, in facto, quod eo tempore accidit, cum Parisiis essent, & de quo scribebant ad Regem, qui ab eis iuratam fidem exegerat, certiorem, & veriorem reddunt suam narrationem, quam Gerson, quem constat in Historiæ, quam refert, à veritate defecisse, ac nimis credulum fuisse.

185 Nec vrget, quòd tradit Ochamus in suo blasphemo lib. inscripto *Compendium errorum Ioannis XXII.* his verbis: *Joannes in quodam sermone habito 1331. qui incipit: *Mementote operum vestrorum*; scripsit, quòd animæ Justorum vsque ad diem Judicij erunt *sub Altari*, sub protectione, & consolatione Humanitatis CHRISTI: sed postquam CHRISTUS venerit ad judicandum, erunt super Altare, id est supra CHRISTI Divinitatem, vt in se est videbunt Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Quibus verbis conatur ostendere, quòd animæ Sanctorum tunc videbunt essentialiter Divinam Essentiam. Sed hoc est hæreticum, & contra Sacram Scripturam *Apocalip. 6. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.* Quam Authoritatem exponunt DD. de visione Divinæ Essentiæ, qua nunc fruuntur animæ separatæ, secundùm expositionem Gregorij *lib. 4. Dial. &c.** Hæc ille apud GRAVINAM *in con. 2. par. tom. 4. de Infallibilitate Papæ in Decretis Fidei.*

186 Non inquam vrget, siquidem quàm parum credendum sit huic Authori in ijs, quæ de hoc Sanctissimo Pontifice scribit, apertè innotescit ex iis, quæ alij gravissimi Authores referunt de obstinato illius in Pontificiam Authoritatem animo, capitalique odio. Audiamus insignem illum Scriptorem Ecclesiastico Zelo præclarum FRANCISCVM BOSIVM, Congregationis Oratorii Presbyterum, *de Ecclesiastica Monarchia, & Iurisdictione, lib. 1. cap. 3.* sic loquentem: * Præ reliquis Ochã audacter in Summos Præsules invehitur, cum non modo viri Religiosi, & Monachi, sed modestiæ Ecclesiasticæ excedat limites, non vno, sed pluribus in locis *in Dialogo, in lib. de Potestate Summi Pontificis, in Opere 90. dierum, in Compendio errorum Ioannis XXII.* *

187 Et *infra, cap. 24.* alium Ochami errorem impugnans, sic prosequitur: *Quę malum est ista tua oscitantia Ocham? Apparet manifestè malo spiritu ductum, voluisse detrahere Pontificiæ Dignitati, & cum adhæsisses vnà cùm Michaele Cecenate tuo Ludovico Bavaro, studuisse ipsum Ludovicum infensum reddere Pontifici. Sed quam tandem mercedem propterea consequutus es? Quod præmium? Vnà cum istis, quibus adhæsisti, excommunicationi fuisti subiectus, & tui damnati libri contra Pontificem, ejusque Potestatem scripti, tua maximè apud omnes posteros ignominia, tuo maximo dedecore. * Id ipsum haud obscurè innuit eruditus GRAVINA *loco iam citato*, vbi prædicti Ochami Authoritati respondens, hæc inter alia, scribit: *De Ocham non est curæ; illud enim Opusculum cum Dialogis, & Opere 90. dierum ab Ecclesia reiectum est.*

188 Magister ALEXANDER NATALIS *in sua Historia Ecclesiast. Sæculo 13. & 14. tom. 3.* rationem reddit, cur Ochamo Fides exhibenda non sit, in ijs, quæ contra Joannem XXII. scripsit, & Nos suprà retulimus: * Guillelmo Ocham, Ludovici Bavari Stipendiario, Joannis XXII. hosti, homini Schismatico, & Aventino, qui ipsum Authorem habet, atque laudat, multò minus contra hunc Pontificem credendum est.*

189 Nec omitti potest, quod apositè ad hanc rem expendit eruditus NICOLAUS SANDERUS *in suo lib. de Monarchia Ecclesiæ*, in quo Ecclesiasticum suum Zelum, æterna memoria dignum, satis ostendit *ad annum* 1317. & 18. vbi de Ochami in Joãnem XXII. audacia loquens, tantę temeritatis hanc causam reddit: * Quòd verò ad Ochamum attinet, iracundia commotus, vindictæ potius, quàm veritatis causa Joannem oppugnavit.*

190 Consonat TRITHEMIUS *ad annum Domini* 1324. dicens: * Guillelmus enim Ochamus, à Joãne Papa excommunicatus, ad Ludovicum Imperatorem confugit, à quo susceptus, multa, & variè scripsit contra Papam. (Et *paulò infrà*:) Vir doctus quidem, sed temerarius nimium.*

191 Tandem prætermittere non debemus, quæ ab Illustrissimo Episcopo SPONDAMO de Ochamo referuntur *ad annum* 1328. *num.* 15. vbi hæc habet: * Quod verò ad Ochamum, quem cum Michaele aufugisse diximus, pertinet; tradunt

dunt Trithemius (*in Chronico Hirsaugiensi, anno* 1324. *& de Scriptor. Ecclesiast.*) eum excommunicatum dixisse Ludovico excommunicato : *O Imperator, tu me gladio defende á Papæ iniuriis, & ego te verbis, ac scriptis defendam.* Fortis sanè bellator ! Sed ex illorum numero, quos ait Tertullianus, hanc magis gloriam captare, si stantibus ruinam, quam si iacentibus sublevationem operentur. Neque enim omninò recipimus quorundum excusationem asserentium Ochamum non tàm scripsisse contra Pontificatum, quàm contra personam Joannis Pontificis: cum dissertè idem S. Antoninus (*Tit.* 21. *cap.* 5. §. 2.) asserat, eum ita errorem Dantis, subiicientis Pontificatum Imperio, prosecutum esse, vt quasi ad nihilum deduceret Potestatem Papæ, & Prælatorum in Potestate Temporali : ideòque multos Viros doctissimos tunc libros edidisse de Potestate Ecclesiæ, seu Papæ. Quòd certè non fuisset necesse, si Ochamus contra solùm Joannem hominem invectus fuisset. Denique extant (*apud Goldastum, tom.* 3. *Monarch. & alibi.*) prolixissima eius scripta tàm pro defensione Ludovici, quàm Michaelis de Cesenna, & contra Joannem Pontificem, quibus abundè patet etiam doctrinam Catholicam de Authoritate Ecclesiæ, & Pontificum non parum læsisse ; indeque haud mirandum sit, si tot ac tantis præconiis tàm ipse, quàm eadem eius scripta ab hæreticis edantur, & evehantur. Qui demum damnatus Anathemate à Pontifice, damnatus æquè fuit à Schola Parisiensi, eiusque impia scripta igne combusta. *

192 Tandem PAVLVS ÆMILIVS *lib.* 8. *de Gestis Francorum*: * Ochamus, inquit, Theologus Minor, Joannem Pontificem, non criminibus modò, sed maledictis lacerat.* Ex ijs igitur, quę gravissimi isti Authores de illius audacia, & temeritate tradũt, manifestissimè patet, eũ apertissimã pati exceptionẽ nulliusq; Fidei esse in iis, quæ Joanni XXII. ab eo opponũtur.

193 Verùm quamquam nulla Fides Ochamo adhibenda sit in his, quæ in Joannem Pontificem scribit, vt ex suprà dictis patescit ; nihilominùs illius argumento respondẽtes, asserimus, eum duplici errore deceptum fuisse. Primô, deceptus fuit, volens Joanni XXII. adscribere prędicta verba, quæ vt tanti Pontificis refert, dicens: *Quibus verbis conatur ostẽdere Joannes, quòd animæ Sanctorum tunc videbunt essentialiter Divinam Essentiam, videlicet post judicium.* At id, quantùm à veritate aberret, apertè demonstrant, quæ ipse Pontifex Francorum Regi & Reginę scripsit, & refert ODORICUS RAYNALDVS *in Continuatione Baronii, ad annum* 1333. *num.* 45. vbi enarrat, Pontificem de aliquibus calumniis querulum, quæ in hac re illi falsò affligebantur, ad Regem, Reginamque scripsisse : *At Pontifex, vt calumniam à se propulsaret, pluribus litteris apud Regem, Reginamque Francorum questus est, rem sibi à malevolis affictam, nec se quidquam in ea statuisse quæstione ; sed dicta Patrum tantummodò veritatis indagandæ studio collegisse, quę ab Archiepiscopo Rothomagensi Gallicis verbis reddi, ac Regi exponi iussit.*

194 At idipsum clariùs, efficaciùs, & ad rem nostram aptiùs ostendunt, quę ipse Pontifex præfato Philippo Francorum Regi scripsit, & originaliter extant *Tom.* 9. *Part.* 2. *Epistolar. Secret. Pag.* 195. *&* 196. *in Vaticano Archiv.* vbi, inter alia, sic Regem alloquitur : *Cum autem hanc quæstionem B. Augustinus interdum in scriptis suis reputaverit valdè dubiam, & circa eam variasse dicatur ; & nêdum ipse, sed multi Doctores alii circa istam materiam varient, propter hoc vt veritas possit meliùs aperiri, Nos interdùm in nostris sermonibus mentionem habuimus, non proferendo verbum de Nostro Capite, sed dicta Scripturæ Sacræ, & Sanctorum, pręcipuè illorum, quorum Scripturę ab Ecclesia sunt receptæ.* (Et *infrà* sic repetit : * Et, vt superiùs prędiximus, vnum verbum de Capite nostro Nos non protulisse reperies, sed quæ vel CHRISTUS, vel Apostoli, vel Sancti Patres, & Doctores Ecclesiæ protulerunt.*

195 Consonat Parisiensis Vniversitas, quæ, vt suprà ostendimus, attestata fuit, Joannem XXII. quidquid dixit, non asserendo, seu opinando, sed solùm recitando dixisse, idque ipsum confirmavit ipse Pontifex in vltima sua Scriptura, qua in publico Consistorio coram Cardinalibus, & Prelatis palam ostendit, & publicè protestatus est, se quidquid pro sententia visionem beatam ante judicium negante verbo, & scripto tradiderat, solùm recitativè tradidisse, referendo verba Sancto-

rum, & Authorum, qui eam sequebantur; siquidem postquam manifestè confessus fuit, Sanctorum animas ante diem judicii Deum intueri, hæc immediatè subiungit: *Si verò alia, vel aliter circa materiam huiusmodi per Nos dicta, prædicata, seu scripta fuerunt, quoquo modo illa diximus, prædicavimus, seu scripsimus, recitando dicta Sanctorum, & conferendo, & non determinando, nec etiam tenendo, & sic, & non aliter illa volumus esse dicta, prędicata, seu scripta.* Deceptum ergo fuisse Ochamum, manifestè paret, dum Joanni XXII. vt propria adscripsit verba aliorum, qui negativam sententiam sequebantur, quin ipse Joannes tali sententiæ minimum assensum præbuisset, imò affirmativam oppositam expressè tenuit, vt suprà probavimus.

196 Iterum deceptus fuit Ochamus, dùm supponens Ioannem pro negativa sententia stare, ipsum erroris arguere volens dicit: *Sed hoc est hæreticum, & contra Sacram Scripturam *Apocalyp. 6.** Quàm inepté id dixerit, manifestè evincitur; illud enim propriè dicitur hæreticum, quod expressè est contra Sacram Scripturam, aut aliquam Ecclesiæ definitionem in Concilio, vel extra Concilium; negativam autem sententiam non fuisse expressè contra Sacram Scripturam, perspicuum est; si enim Sacris Litteris expressè adversaretur, neutiquam illam secuti fuissent, ac defendissent, nec in suis scriptis evulgassent tot celebriores Sacrarũ Litterarum Interpretes, vt S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Irenæus, S. Bernardus, aliique suprà relati.

197 Neque prædictam sententiã fuisse contra aliquã Ecclesiæ definitionẽ eo tempore quo eam Joannes XXII. discutiendam ptopoſuit, certissimum est, cum nullus sit alicuius nominis Author, qui id probare possit, imò quam plurimi, quos, quia iam suprà laudavimus, nunc missos facimus, oppositum expressè propugnant.

198 Nequaquã aliquis propriè dicendus hęreticus, quod ante Ecclesię definitionem sententiam postea ab Ecclesia, vt hæreticam proscriptam, amplexus fuerit, vt patet in D. Hieronymo, S. Cypriano, aliisque, quorum exempla suprà retulimus: nemo enim aliquem ex his hæreseos nota aspergere ausus est, quod sententias, quæ postea ab Ecclesia vt hæreticę damnatæ sunt, defenderint; cum eas non post, sed ante Ecclesiæ definitionem tenuerint. Illi igitur hęretici propriè habiti sunt, qui post Ecclesiæ definitionem prædictam negativam sententiam pertinaciter propugnarunt, vti Calvinus, aliique similes. De Calvino enim hæc habet BELLARMINVS *de Romano Pontifice, lib. 4. cap. 14.* *Ipse *libro 3. Institutionum, cap. 20.* dicit, solum CHRISTVM esse in Cælo, reliquos Sanctos expectare in Atrio quodam, vsque ad Mundi consummationem, *&* §. 24. dicit, Sanctos mortuos vnà nobiscum adhuc esse Fide coniunctos: Undè infert Bellarminus, quod si Fidem habent, non igitur vident Deum.* Hæc ille.

199 Hinc rectè annotavit GRAVINA, dicens: *Calvinistę verò festucas in alienis oculis videntes, suas trabes non considerant; festuca fuit in Joanne illa sententia, quam tamen nondùm eliquata veritate defenderat, definitioni Ecclesiasticæ futuræ se submittẽdo. At Calvinus trabem suam non consideravit, dùm post definitionem Ecclesiæ in Decretali Benedicti factam, & in Concilio Florentino, quòd animæ Sanctorum, quibus nulla expiatio supereſt, mox in Cęlum recipiuntur, videntes Deum sicuti est clarè, scribens *in Matthæum cap. 22. & 23.* non præsenti gloria frui, sed in vltimum diem earum spem suspendi scribit. Idem docet *Epist. ad Philippenses cap. 1. & Corinth. 13.* Sed alibi oppositum dixit, vt mirum sit, tàm Calvinum, quàm suos pullos in explicabile bellum ad invicem excitasse, vt non erubuerit dicere Danneus Lambertus, illum habuisse de hac re problematicam sententiam, vt liquet *in Commentario in Cap. 109. Enchiridii.* Sed ommittamus hos inconstantes, & Vertumnos, & stipulas ad omnem auram se commoventes.*

200 Et vt clariùs dignoscatur, quantum à veritate aberrent hæretici, qui Ioannem XXII. calumniantur, operæpretium erit animadvertere ingens discrimen, inter Ioannem XXII. & hęreticos intercedere: Ioannes enim, casu quo prædictæ negativæ sententiæ adhæserit, quod semper negamus, id tamen ante Ecclesiæ definitionẽ fuisset. At Calvinus, cæterique sequaces, eã post expressam Ecclesiæ definitionẽ, in magnũ ipsius contẽptum, non verentur amplecti; quod clarius innotescet ex verbis primæ

10-

solemnis definitionis, quam circa hanc quæstionem Benedictus XII. qui Joanni XXII. in Pontificio Throno immediatè succesit, in Ecclesia edidit, quam referunt Alphonsus de Castro *lib. 3. adversus hæreses*, & Nicolaus Sanderus *de Monarchia Eccles. lib. 7.* & sic se habet.

201 **Benedictus, Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Benedictus Deus in donis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis, qui Sacrosanctam Romanam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam (quam vt vineam plantavit dextera sua, quamque vt præcipuam in Ecclesiarum omnium Caput erexit, & victricem, dicente Domino ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*) sua miseratione non deserit, sed per Beatos Apostolos suos, præcipuè Petrum, & Paulum, singulares eiusdem Ecclesiæ defensores, pia benignitate, & continua pietate custodit, quatenus eisdem Rectoribus gubernata in se stabilis, maneat fundata suprà firmam petram, omnesque Christianæ Fidei Cultores, illi pareant, illi intendant, sub illius magisterio degant, sub eius disciplina, & correctione consistant.*

202 Et *infrà*: *Sanè dudum tempore fœlicis recordationis Joannis XXII. Prædecessoris nostri, inter nonnullos etiam Theologicæ facultatis Magistros super visione animarum Iustorum hominum post mortem suam, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc sæculo decesserunt, vel si fuerat, iam purgatum fuerat ex toto, an Divinam Essentiam videant ante corporum suorum resumptionem, ac judicium generale, & super nonnullis aliis, orta materia quæstionis. Ipsorum aliqui negativam, aliqui affirmativam, alii verò secundùm suas imaginationes de visione Divinę Essentiæ ab animabus huiusmodi, diversa, & diversimodè ostendere nitebantur, prout ex dictis, & scriptis eorum noscitur apparere: super reiectis suis verò concertationibus, quas hic causa veritatis omittimus, quia ita etiam ex Nostris etiam determinationibus inter se dissidebant, cum idem Prædecessor noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum huiusmodi se pararet, in suo Consistorio publico, tàm fratribus suis Sanctę Romanæ Ecclesię Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quàm Prælatis, & Magistris in Theologia, qui multi aderant præsentes, iniungendo districtiùs, & mandando, vt super materia de visione prædicta quando requirerentur ab eo, deliberatè vnusquisque diceret, quod sentiret, tamen morte præventus, sicut Domino placuit, perficere nequivit.

203 Defuncto itaque Prædecessore præfato, Nos, Divina dignatiode ad apicem sui Apostolatus assumpti, diligentiùs attendentes, quanta ex præmissis eorum concertationibus non solutis, animarum imminent pericula, quanta ex indè possunt scandala suboriri; vt ipsorum varietas pereat, & veritatis soliditas innotescat, habita priùs super prædictis solicita examinatione, & diligenti deliberatione cum fratribus nostris, dictæ Romanę Ecclesię Cardinalibus, de ipsorum fratrum consilio, hac in perpetuum valitura Constitutione, Authoritate Apostolica definimus, quod secundum communem Dei ordinationem animæ Sanctorum omnium, qui de hoc mundo, ante Domini nostri JESV CHRISTI Passionem decesserunt; necnon Sanctorum Apostolorum, Martyrum, & Confessorum, Virginum, & aliorum Fidelium Defunctorum post Sacramentum Baptismi ab eis susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, nec erit quando decedent etiam in futurum, vel si tunc erit aliquid purgabile in eisdem, tamen post mortem suam purgabunt, atque animæ puerorum, eodem CHRISTI Baptismate renatorum, & Baptizandorum, cum fuerint baptizati ante vsum liberi arbitrii decedentium, mox post mortem suam, & purgationem præfatam, in illis, qui purgatione huiusmodi indigebant, etiam ante resumptionem suorum corporum, & judicium generale post Ascensionem Domini nostri JESV CHRISTI in Cælum, fuerunt, sunt, & erunt in Cælo, Cælorum Regno, & Paradiso Cęlesti cum CHRISTO, Sanctorum Angelorum cõsortio aggregatæ, & post CHRISTI IESV passionem, & mortem viderunt, & vident, & videbunt Divinam essentiam immediatè, se benè, & clarè, & apertè illis ostendentem, quodque sic videntes eadem Divina Essentia perfruuntur: nec non quod tali visione, & fruitione, eorum animæ qui iam decesserunt, sunt verè beatæ, & habent vitam ęternam, & requiem.*

Ex

204 Ex dictis aperte colligitur Benedictum XII. fuisse primum, qui hanc controversiam vniversaliter pro tota Ecclesia definivit (quam Ioannes XXII. fœlici morte præventus, dirimere non potuit nisi in vltimo Consistorio coram Cardinalibus, & Prælatis) sicque quamvis sub prædicto Ioanne præsens quæstio pro vtraque parte acritèr exagitaretur, Ecclesiam tamen neque eo tempore, neque anteioribus sæculis determinasse, nec definisse quænam ê duabus illis sententiis præeligenda foret. Vndê liquet sub Ioanne XXII. cuilibet integrum fuisse, citra Fidei præiudicium, quâlibet è duabus illis opinionibus tenere; atque adeò dato quòd Ioannes negativę sententiæ adhæsisset, cum perindê fuisse à censura immunem, ac Sanctus Augustinus, S. Ambrosius, S. Irenæus S. Ioannes Chrysostomus, & S. Bernardus, quos extrà dubium est negativam sententiam assertivè tenuisse, & firmitèr propugnasse; at Ioannem XXII. negativam sententiam assertivè tenuisse, aut scripto propugnasse, à nullo vnquam Scriptorum probatum fuit, imò solam affirmativam semper amplexus est, vt ex irrefragabilibus Scripturis, & melioris fidei, ac optimæ notæ testimoniis confirmavimus.

205 Tãdèm Ioannes Calvinus solita audacia non dubitavit litteris prodere *lib.4. Instit. Cap.7.§.28.& Cap.8.num.133.* Ioãnem XXII. palàm asseruisse animas esse mortales, vnàque cum corporibus interire, vsque ad resurrectionis diem, quod non aliter probat, quam apponendo in margine hæc verba. *Testis Ioannes Gerson, qui tunc vivebat.*

206 At quanta temeritate à veritatis scopo aberret Calvinus, manifestè convincitur ex ipsis verbis in margine appositis, quibus falsò supponit Gersonẽ Ioannis XXII. ætate vixisse; siquidem vt constat ex JOANNE VILLANO *lib. 11. Cap. 14.* omnibusque aliis Historicis, Ioannes XXII. obiit anno Domini 1334. Ioannes verò Gerson, vt patet ex TRITHEMIO *de Viris Illustribus*, natus est anno Domini 1343. nondum ergo vitale lumen aspexerat Gerson, cum Ioannes Pontifex migravit è vita, sicque mendacissimè dixit Calvinus. *Testis Ioannes Gerson, qui tunc vivebat.*

207 Et quidem animæ mortalitatem apertissimam esse impostoram à Calvino invẽtam, rectissimè ostendit laudatus BELLARMINVS, dicẽs. *Quod autẽ negaverit animæ immortalitatem Ioannes Papa, neque Gerson, neque vllus alius scripsit ante Calvinum, nec ipse quidem Guillelmus Ochã, qui fuit Papæ Ioanni infestissimus.*

208 Quod adeò verùm est, vt Cardinalis BRANCATUS dixerit. *Quod nec levis suspicio vnquam fuit, Ioãnem XXII. docuisse, aut tenuisse animas rationales fuisse mortales, nullum enim adducitur authenticum, aut dubium documentum de hac sententia Ioannis, non adsunt testes de visu, seu de proprio auditu, neque datur, nec dari potest Scriptura eius manu signata, vel iussu scripta, in qua hæresis de mortalitate animę contineatur. Maligna ergo fuit impostoris Calvini calumnia erga Ioãnem Papam.*

209 Prętereâ, quia ipse Ioannes in Pontificiis Diplomatibus, quę in Canonizationibus S. Ludovici Episcopi, S. Thomæ, Herfordiensis Antistitis, & D. Thomæ Aquinatis expediri mandavit, differtè fatetur prædictorum Sãctorum animas immortales esse, easque in immortalitatis statu Deo sempiternè frui.

210 Quare mirũ non est NICOLAVM SANDERVM ita in Calvinum invehi: *Quid de illa insigni Ioannis Calvini audacia dicã, qui non dubitavit litteris prodere (*lib.6. Inst. c.8. n. 133.*) quod Ioãnes XXII. palam asseruit, animas esse mortales, vnàque cum corporibus interire vsque ad diem resurrectionis. Et addit, neminem Cardinalium huic se tantę insaniæ opposuisse. Hìc sunt duo egregia Calvini mendacia: primum Ioannes XXII. numquam asseruit animas esse mortales, sed tantûm dubitavit, vtrûm postquam â corpore separatæ, atque à peccatorum reliquiis expiatæ essent, mox nudam Dei faciem intuerentur: an verò in loco aliquo doloris quidem vacuo, sed non etiam summi gaudii pleno expectarent, donec reliqui fratres ipsorum consummarentur. Aliud autem est animam interire cum corpore, quod nemo fidelis vnquam sensit, & aliud ad tempus retardari à conspectu Divinitatis, quod per multi Patres (re nondum per Ecclesiam definita) opinati sunt.* Hæc ille.

211 Et *infrà* relatis ex Benedicti XII. Diplomate verbis, asserit: *Qui perpenderit ista Benedicti Pontificis verba, animad-*

madvertet, nihil omninò à Joanne definitum esse, atque ideò non fuisse vbi quisquam se opponeret illius opinioni.* Et *infrà* subdit: *Tota res ficta est à Calvino, vt ostenderet, se filium eius esse, qui ab initio mendax fuit, & in veritate non steterit.*

212 Sed nec prætermitti possunt, quæ Eruditus Episcopus SPONDANVS in hanc rem elegãter scripsit *ad annum* 1333. *num.* 3. *Calvinus dupliciter mentitur: Joannem asseruisse animas esse mortales, vnàque cum corporibus vsque ad resurrectionem interire. Hoc vtique dignum est Calvino perfrictæ frontis impostore, cum nedùm Joannes, sed nemo vmquam Christianorum asseruit animas esse mortales, neque de eo quæstio erat, sed tantùm vtrùm Sanctorum animæ, quæ sub Altari delitescere dicuntur *Apocalyp.* 6. vsque ad extremum judicii diem certò in loco contineantur, vbi Humanitatis CHRISTI præsentia gaudentes suorum corporum resurrectionem spectant? quamquidem sententiam noluit Calvinus in Joanne damnare, quoniam eam ipse mordicus tenet, ac propterea maluit aliam impietatem in eum comminisci, quam insontem declarare, &c.*

213 Quod luculenter confirmat Author Vitarum Pontificum *in Notitia Concil. General. apud Binium* in Joanne XXII. his verbis: *De animarum immortalitate, vt impudenter mentitur Calvinus, nihil vmquam perperam sensit, aut docuit.*

214 Tandèm non obstãt, quæ novissimè à LVDOVICO ELLIESIO DUPIN, Parisiensi Doctore opponuntur *Tract. de Antiq. Eccl. discipl. Disput.* 7. §. 3. qui nõ cõtentus in alios invehi Põtifices, de Joãne XXII. in hæc verba prorupit: *Joannis XXII. exemplum in medium potest adduci, qui Pontifex, tùm prædicationibus, tum etiam litteris, & scriptis, & legationibus conatus est suum de medio animarum post mortem statu errorem in Ecclesiam vniversam inducere. (Et *infrà*:) Ex his, & aliis, quæ huc afferri possent, testimoniis constat, Joannem XXII. non tantum in eo errore fuisse, animas Sanctorum beatitudine non frui ante judicii diem, sed etiam nihil non molitum esse vt errorem istum tota Ecclesia, ac præcipuè Gallicana amplecteretur.* Aliaque id genus non minus immodestè, quàm petulanter scribit, nullius quidem momenti innixus fundamento, cum nullus Authorum, quos refert, quique Joannis XXII. nomen enervare conantur, dicto, vel scripto alicuius fidei id probet. Quid autem interest, Nangium, Gersonem, Gobelinum, ac Langium dixisse, Joannem Pontificem errasse circa beatam visionem Sanctarum animarum, cum id ab ipsis pro libito sit assertum, ac tàm nefandum crimen Joanni impactum, sola impostoris, ac livoris malignitate, nulloque authentico instrumento, cui fides adhiberi possit, suadente? Si Joannes dixerat id in sermonibus, cur ipsius verba non afferuntur ab aliquo Scriptorum id attestantium, vt palàm videri possit, an id veritas sit, vel calumnia?

215 Sententiam negantem visionem beatam ante judicium animabus Sanctis (vt in hac dissertatione latè probavimus) S. Justinus Martyr, S. Clemens Romanus, S. Irenæus, S. Chrysostomus, S. Augustinus, OEcumenius, Victorinus Pictaviensis, S. Ambrosius, ac tandèm S. Bernardus, aliique quàmplures, tùm Græci, tùm Latini, quorum verba dedimus §. 1. tenuere; nullus tamen Scriptorum, quòd eam sententiam sequuti fuerint damnavit erroris, nec eos à Fide defeciisse vllus vmquam dixit, non aliundè nisi, quia tunc temporis, quo id dixerant Sancti, nondùm ab Ecclesia proscripta, vt erronea, erat ipsorum sententia, quod idem etiam accidit tempore Joannis XXII. nam licet ipse conaretur, vt ex his duabus sententiis oppositis quid de Fide sentiendum foret auditis Ecclesiæ Patribus in pleno Concilio, Spiritu Sancto ductore decerneretur; morte tamen præventus id consequi non potuit: vndè vsque ad fœlicem Joannis obitum, nec affirmativa, nec negativa erat ab Ecclesia definita, aut de Fide tenenda; ergo erroris argui non poterat, qui negativam docuisset. Vndè dato, quòd tenuisset sententiam negativam Joannes, quid indè? Censendus nè esset in Fide errasse, in quo non errarunt Sancti, quos idipsum tenuisse apertissimè constat?

216 Dicant hi quidquid eis libuerit, Joannem errasse, assertivèque tenuisse dictam erroneam sententiam: nonnè maioris põderis abs dubio sunt Authores, hoc factum negantes, asserentesque Joannem non assertivè, sed tantùm recitativè id

dixisse,

dixisse, eũque omni errore prorsus liberum agnoscentes, vt videre est in authentico testimonio UNIVERSITATIS PARISIENSIS adducto *num.* 133. in quo celebriores totius Galliæ, omnigena scientia eruditissimi Proceres, jurata fide testantur Regi, in publico Nationis Conventu, de Joanne Pontifice, *quod quidquid in hac materia sua Sanctitas dixit, non asserendo, seu opinando protulit, sed solummodò recitando?* Et hoc multorum fidedignissimorum relatione auditum testantur gravissimi illi Patres. Si tantùmmodò recitando Joannes Pontifex hanc sententiam dixit, vt tot fidedignissimi testantur, quot Gallia illustriores habet Authores; vndè, & quo jure in ea sententia erroris argui potest Joannes casu, quo eam tenuisset, vt perperam, ac falsissimè dixit Dupin?

217 Tãdèm negamus omninò, cum tota Parisiensi Universitate Joannem Pontificem sententiam negantem asserendo protulisse. Imò oppositam, videlicet, asserentem animabus Sanctis beatificam Dei visionem ante judicium ipsum amplexum esse; hancque semper ipsius mentem fuisse, monumentis publicis duorum Summorum Pontificum attestatione firmatis, in pleno Cardinalium Consistorio ad id specialiter coacto, probamus abundè *num.* 162. & 163. Hanc etiam sententiam à Summo Pontifice Benedicto XII. Joannis immediato Successore, definitam, vt Fide credendam, ibidem probavimus, eoque attestante, de hac Joannis mente. Vndé ergo erroris convinci potest Joannes tantummodò sequutus sententiam, quam de Fide tenendam posteà definivit Ecclesia? Erravit ergo toto Cælo Dupin, errarunt quoque, quos sequitur, Scriptores, qui tantum Põtificem, Catholicam sententiam ad extremum vsque halitum tenẽtem, ac publicè docentem, nedùm falsò, sed & impiè erroris arguere ausi sunt.

218 Ex his, quæ hactenùs Authoritate, ratione, & authenticis maioris fidei instrumentis ostendimus, manifestissimè patet, quàm iniquè veritatis, & Pontificii honoris ofores infensissimi, aliique, qui ipsos imitantur, Joannem XXII. impetant iteratis calumniis, quas tàm quoad visionẽ beatificã animarũ, quàm quoad earũ immortalitatem in eum cõtexuerũt; simulque constat, eum ab vtraque ista calumnia esse penitùs immunem, & singulari, ac eximia Fidei puritate enituisse, adeò vt de illo meritò dicere possimus, quòd de tanto Pontifice præclarus ille Fidei Zelator ALVARUS PELAGIUS prædicavit *de Planctu Eccles. lib.* 2. *cap.* 67. *Dominus Papa prędictus Dei Vicarius lumine claritatis Spiritus Sancti infusus, justus Judex veritatis &c.*

219 Et *infrà*: *Teste conscientia, audeo dicere, ipsum copiosissimis gratiis venustatum, & quantùm ad intellectus illustrationem, & quantùm ad affectus inflammationem; quãtùm ad intellectus illustrationem patet propter ingenii vivacitatem, & propter eloquii suavitatem, & propter memorię tenacitatem, & propter scientiæ profunditatem, & propter prudentiæ multiplicitatem, vt meritò sit ille Joannes, Aquilæ comparatus, qui cæteris altiùs Divinitatis patefecerit Arcanum.*

220 Et *infrà*: *Quantùm ad affectus inflãmationem: numquid nõ est plenus gratiis, in quo conspicimus fervorem gratię, & dilectionis; decorem placidæ conversationis, nitorem munditiæ, & incorruptionis; dulcorem medelæ, & correctionis; vigorem constantiæ, & roborationis; decorem famę, & bonæ opinionis?*

221 Tandèm sic concludit: *Superintendit toti Ecclesiæ in Hęreticorum extirpatione, in tyrannorum rebellium mulctatione, in jurium, & libertatum Ecclesię defensione, in Fidei dilatatione, in bellorum sedatione, in pacis seminatione, in bonorum, & litterarum promotione, in beneficiorum Ecclesiasticorum digna retributione, in Simoniæ, pompæ, & rapinæ, & aliorum vitiorum à Curia relegatione, in dubiorum declaratione, in filiorum nutritione, in istius Universitatis (nempè Avenionensis) speciali affectione, in multorum eiusdem Vniversitatis ad Cardinalatum, Archiepiscopatus, & Episcopatus sublimatione.* Hæc ille.

222 Ex quibus apertissimè elucet maximus Fidei candor, qui in tanto Pontifice emicuit; vt autem eum luce clariorem ostendere, & ab omni prorsus hæreseos, ac erroris vmbra accuratiùs vendicare possimus, ad aliam controversiam, quę eumdem Joannem, istiusque in Catholica Fide nitorem concernit progrediamur.

CAP.

CAP. II.

NICOLAI IV. APOLOGETICA Defensio.

223 NICOLAO Pontifici objicitur de CHRISTI, Apostolorumque paupertate hæreticè sensisse; siquidem *in Cap. Exiit. de Verbor. significat. in 6.* ostensurus Fratrum Minorum paupertatem, quæ à primis suę Religionis exordiis proprietatem, tàm in commui, quàm in particulari vetuerat, perfectam esse, meritoriam, & Sanctam, hæc habet *in §. Cæterum.* * Dicimus, quòd abdicatio proprietatis omnium rerum, non tàm in speciali, quam in cõmuni propter Deum meritoria est, & Sancta, quam & CHRISTVS, viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit, quàmque primi Fundatores Militantis Ecclesiæ, provt ab ipso fonte hauserant, volentes perfectè vivere, per doctrinæ, ac vitæ exempla in eos derivarunt. Nec his quisquam putet obsistere, quòd interdùm dicitur, CHRISTVM *locutos habuisse*: Nam sic IESVS, cuius perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdùm infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret: sic infirmorum personam CHRISTVS suscepit in loculis, sic & in nonnullis aliis infirma humanæ carnis assumens, non tantùm carne, sed & mente condescendit infirmis. *

224 Hac in Constitutione apertè docet NICOLAVS, tantam fuisse CHRISTI paupertatem, vt neque in speciali, neque in communi quidquam proprium habuerit. Hæc autem doctrina nedùm apparet falsa, sed & hæretica; videtur enim Scripturæ Sacrę adversari; siquidem *Ioannis* 22. de Juda dicitur: *Loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.* Vbi INTERLINEALIS: *Judas (inquit) Domini loculorum custos.* Et GLOSSA ORDINARIA: *Cui ministrabant Angeli loculos habet in sumptus pauperum, condescendens infirmis.* Ac tandèm GLOSSA NICOLAI DE LIRA: *Dabãtur aliqua CHRISTO ad subveniẽdum necessitatibus CHRISTI, & Discipulorum, & ad dandum pauperibus. (Et *infrà*:) Ex hoc patet, quod CHRISTVS, & Discipuli eius de eleemosynis vivebant.*

225 Estque hæc communis Sacrorum Interpretum sententia, præcipuè AVGVSTINI, qui *Tract. 50. in Ioannem, de* CHRISTO loquens: * Quarè, inquit, habuit loculos, cui Angeli ministraverunt? Nisi quia Ecclesia ipsius, loculos suos habitura erat.* Multis aliis Scripturæ locis probari poterat, CHISTVM, illiusque Discipulos habuisse aliquid saltem in cõmuni, imò & in particulari, vt patet in auro, à Magis oblato *Matthæi* 2. In panibus, & piscibus, *Matthæi* 8. In tributi solutione *Matthæi* 17. In CHRISTI vestimentis, *Matthæi* 27. & cõvivio in deserto, *Lucæ* 9. Ex quibus locis, aliisque plurimis, quorum verba infrà adducemus, manifestè convincitur, CHISTI, Apostolorumque paupertatem aliquid, tàm in communi, quàm in particulari permisisse, oppositumque Evangelio apertè adversari, quod ab hæreseos nota immune esse non potest. Vndè haud facile erit, NICOLAVM Pontificem ab hac censura vindicare.

226 Augetur insuper argumenti vis non modica ex Cõstitutione IOANNIS XXII. *Cum inter nõnullos. Extra. de Verb. sign.* vbi dicta sententia hæretica declaratur; sic enim loquitur Joannes: * Cum inter nonnullos Scholasticos Viros sæpè contingat in dubium revocari, vtrùm pertinaciter affirmare REDEMPTOREM nostrum, ac Dominum JESVM CHRISTVM, eiusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi, etiam hæreticum sit censendum? Nos huic concertationi finem imponere cupientes, Assertionem huiusmodi pertinacem, cum Sacrę Scripturæ, quæ in plerisque locis ipsos nonulla habuisse, asserit, contradicat expresè, &c.*

227 Et *infrà* sic concludit: *Erroneam fore censendam, & hæreticam de Fratrum nostrorum consilio, hoc præsenti declaramus Edicto: *Et cum Nicolai sententia huic non leviter opponatur Edi-

cto, suspectæ Fidei censenda esse videtur.

228 Nihilominùs pro certissima CONCLUSIONE statuimus: NICOLAVM Pontificem in materia Fidei irreprehensibilem omninò existimandum esse. Non enim opponitur Fidei, quod in Scriptura Sacra continetur expressè: CHRISTVM autem, istiusque Apostolos, illum imitantes, habuisse paupertatem à Nicolao assertam, quę nempè in omnium rerum, tàm in particulari, quàm in cõmuni abdicatione consistit, manifestè patet ex sequentibus Sacræ Scripturæ locis, iuxta Sanctorum Patrum expositionem.

229 Primo: quia CHRISTVS ad trigesimum vsque ætatis annum nihil habuit proprium; soli tariè enim, & sine Discipulis vixit; nec legitur aliquid propriè possedisse. Quod & ratio convincit; siquidem ad duodecimum vsque annum sub Parentum tutela fuit, istorumque cura alebatur; à duodecimo verò anno vsque ad 30. non constat ex Scriptura quomodo vixerit, an Iosepho in opere Fabri auxilium præbendo, an mendicando, an in desertis degendo? Nihil certi de hoc habemus, & potiùs tenendum videtur, eum tunc nihil proprii præter corpori necessaria, vt vestes, & cibum possedisse.

230 Secundò: quia CHRISTVS cum Discipulos suos in Iudæam misit, Evangelium prædicaturos, ipsis prohibuit aliquid proprium sub Cælo, tàm in speciali, quàm in communi habere. Idcòque *Matthæi* 10. illos instruēs exemplo, quod Populis erant exhibituri, vt isti cognoscerent, eos non lucri spe, sed causa salutis Evangelium prædicare, & in istius prædicatione non temporalibus commodis; & divitiis, sed animarū lucro vnicè insudare, ipsis præcepit, vt ad illius exemplum in huiusmodi prædicationis exercitio, summam paupertatem colerent, dicens: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram, nec duas tunicas, nec calceamenta, neque virgam, dignus est enim operarius cibo suo.* Id autem ideò præcepit CHRISTVS, iuxta D. HIERONYMVM *in Glossa*; nè causa lucri, & non salutis, Evangelium prędicare viderentur.

231 Hùc facit illud GLOSSÆ ad illa verba: *Dignus est enim operarius mercede sua &c.* *Ecce quare præcepit nihil ferre, quia omnia debentur eis.*

232 IPSA GLOSSA *in Cap.* 10 *Lucæ*, hæc habet: *Ecce qui saccum, & peram prohibuit, sumptus ex prædicatione concessit.*

233 Consonat Cardinalis BELLARMINVS, siquidem explicans illud *Matthæi* 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, &c.* asserit, CHRISTVM hoc modò omnimodam paupertatem verbo, & exemplo docuisse: * Neque refert, inquit, an hæc verba sonent præceptum, an consilium, & an possint exponi aliter, quàm de abdicatione omnis dominij; nam satis est ad sententiam Nicolai salvandam, quòd hæc sit CHRISTI doctrina, & quod non repugnet ei iste sensus, vt re vera non repugnat. *

234 Et *infrà*: * Accedit, quòd in hoc sensu illa verba accepit S. Franciscus, cuius viri institutum, & Deus plurimis miraculis, & Ecclesia vniversa communi consensu approbavit. Quòd autem exemplo hoc idem Dominus ostenderit, patet ex illo *Matth.* 8. *Filius hominis non habet vbi suum caput reclinet.* Et ex illo *Lucæ* 8. *Sequebantur eum mulieres, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Tunc enim Dominus cum Apostolis, sine loculis vivebat ex solis fidelium eleemosynis. *

235 Pro hac eadem re adnotatione dignum est illud *Matth.* 19. vbi Apostoli adeò pauperes effecti fuerant pro CHRISTO, vt ostenderint se, vt illum sequerentur, quidquid habebant reliquisse: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Vbi illud verbum *omnia* intelligendum est, non solum quoad affectum, sed etiam quoad proprietatem, nè dum in speciali, sed etiam in communi; etenim si hæc omnium rerum obdicatio magnam arguit in Apostolis perfectionem, vt nemo dubitat, credere certè debemus, eos non minori perfectione omnibus renuntiasse pro CHRISTO, quàm juvenem illum, cui CHRISTVS in laudato Matthæi loco dixit: *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*; siquidem Petrus occasione illius juvenis ea protulit: *Ecce nos reliquimus omnia*; vt ex ipso Textu patescit. Deindè; quia credibile non est, Apostolos minori mundanarum rerum con-

temptu, quàm prædictum juvenem se se ad CHRISTI vestigia præmenda accinxisse.

236 Cum igitur CHRISTVS prędictum juvenem admonuerit, vt pro adipiscendo perfectionis statu, omnia, quæ habebat, relinqueret, quoad abdicationem proprietatis, & dominii; præcepit enim, vt omnia sua venderet, & pauperibus erogaret; vendita autem, & pauperibus erogata non remanent amplius quoad proprietatem, & dominium, cum nemo possit retinere, quòd vendidit. *Caus. 1. quæst. 1. Qui studet.* Idem ergo pręstiterunt Apostoli; atque adeò verba illa Petri: *Ecce nos reliquimus omnia*, intelligenda sunt non modo quoad affectum, sed etiam quoad dominium, & proprietatem.

237 Id ipsum egregiè confirmant, quæ annotat GLOSSA INTERLINEALIS ad illa verba *Matthæi 19. Ecce nos reliquimus omnia*; Et ad illa alia *Lucæ 18. Ecce nos dimisimus omnia*: Vtrobique enim addit: *Etiam voluntatem habendi*: Vnde iuxta hanc Glossam authenticam, & ab Ecclesia approbatam, Apostoli adeò perfectè omnibus renuntiarunt, vt non solum omnia, quæ habebant quoad dominium, & proprietatem reliquerint, sed etiam (quod plus est) voluntatem habendi, quę numquam habuerunt, nec habuissent, sponte dimiserint.

238 Et confirmatur; quia eo modo intellecturi sumus D. Petrum ea verba protulisse: *Ecce nos reliquimus omnia*: quo ex opposito dixit CHRISTVS, valdè difficile esse eos, qui huius mundi bona possident, Cælorum regnum obtinere *Matth. 19.* & *Marci 10. Quia difficilè qui pecunias habent, Regnum Dei introibunt.* Sicut ê contrario sensu prædictum Regnum facile obtineri ab eis, qui se se mundi divitiis abdicant, quemadmodum præstitere Apostoli, dum dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia*; & rectè explicat D. JOANNES CHRYSOSTOMVS vtrũque locum sic expendens: * Dixit autem Dominus hoc Discipulis pauperibus existentibus, & nihil possidentibus, instruens eos inopiam non erubescere, & quasi excusando eis respondens, pro eo quòd nihil eos habere concesserat. * Hinc verba illa Petri, *reliquimus omnia*, de abdicatione proprietatis, omnium rerum quas possidebant, intelligenda sunt iuxta illud: *Nihil habentes, & omnia possidentes.*

239 Hùc maximè facit, considerare doctrinam, quàm de Christiana perfectione suis Discipulis, & in illis, nobis tradidit CHRISTVS, priùs fuisse illius exemplo commendatam, iuxta illud *Actorum 1. Cœpit Iesus facere, & docere*; quòd de omnibus ad morum disciplinam pertinentibus intelligendum est, ideòque ibidem dicitur: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit IESVS facere, & docere.* Vbi clarè constat, CHRISTVM suos Apostolos nihil ad perfectionem attinens docuisse, quòd prius non fecerit, ideòque *Ioannis 13.* dixit: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Hinc PAVLVS *Romanor. 15. Non*, inquit, *audeo loqui aliquid eorum, quæ per me non effecit CHRISTVS.* Hinc etiam D. AVGVSTINVS *de vera Religione*: * Tota vita CHRISTI in terris fuit disciplina morum. *

240 Inter præcipuas ergo virtutes, quas CHRISTVS suo exemplo cæteris commendavit, & opere docuit, Evangelica emicuit paupertas: hanc autem paupertatem, quàm CHRISTVS Discipulos docuit, fuisse cum omnium rerum abdicatione coniunctam, certissimum est, iuxta ea, quæ scribit S. AVGVSTINVS ad quemdam Comitem *in lib.* qui incipit: *Frater mi, si cupis scire*; ibi enim de CHRISTO loquens, hęc habet: * CHRISTVS, nè aurum diligeremus, oblata munera contemnere docuit. Nè famem timeremus, quadraginta diebus ieiunavit. Nè nuditatem pertimescerem us, præter vnam tunicam aliam Discipulos suos habere vetuit. Nè tribulationes expaveseeremus, omnia ipse substinuit: Nè mortem formidaremus, & hanc ipse suscepit. Et cum nos ita docuerit omnia, non tantum loquutus est verbo, verùm etiam exemplo ipse præcessit. * Hęc ille.

241 Vndê apertè colligitur iuxta D. AVGVSTINI mentem, CHRISTVM nihil ad morum disciplinam pertinens docuisse, quòd ipse priùs non fecerit. Et quidem CHRISTVM suo exemplo docuisse perfectam paupertatem cum omnium rerum abdicatione, tàm in speciali, quàm in communi manifestè constat, non solùm ex locis

hucusque relatis, sed etiam ex infra adducendis, sicque perfectam CHRISTI, & Apostolorum paupertatem abdicationem omnis proprietatis, & dominii comprehendere, solo vsu retento.

242 Hùc spectat illud *Matth.* 8. & *Lucæ* 9. vbi CHRISTVS de se ipso, & de summa, qua in hoc Mundo vixit paupertate, rerumque omnium abdicatione loquens, hæc habet: *Vulpes foveas habet, & volucres Cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*; id est hospitium. Quòd præclare illustrat GLOSSA illud *Matth.* 8. sic exponens: *Quid me propter lucrum sæculi vis sequi, cum ita sim pauper, vt nec hospitium, quòd meum sit, habeam.* * Et *Lucæ* 9. super eadem verba hæc scribens: * Quid me propter divitias, & sæculi lucra cupis sequi? Ego tantæ sum paupertatis, vt nec hospitiolum quidem habeam, nec meo vtar tecto. * Hactenus Glossa. Vbi describitur CHRISTVS in summo gradu paupertatis, & abdicationis omnium rerum huius mundi, non solum quoad affectum, sed etiam quoad effectum.

243 Quod autem CHRISTI Discipuli, suum Magistrum imitantes, ad hanc paupertatis perfectionem devenerint, adeò, vt nihil proprium possederint, manifestè colligitur ex illo *Lucæ* 14. vbi CHRISTVS sic eos alloquitur: *Sic ex vobis omnis, qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.* Vbi GLOSSA ORDINARIA hæc annotat: * Hoc distat inter renuntiare omnibus, & relinquere omnia, quòd renuntiare convenit omnibus, qui ita licitè vtuntur mundanis, quæ possident, vt tamen mente tendant ad æterna (iuxta illud *Psalm.* 41. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.*) Et 33. *quæst.* 5. *Can. Secundum.* Relinquere autem, tantum perfectorum est, qui omnia temporalia postponunt, solis æternis inhiant. * Quibus verbis hoc apponit Glossa discrimen inter renuntiare, & relinquere, quòd renuntiare sit quoad affectionem, & curam superfluam, quòd est imperfectorum, relinquere verò, quòd præstitit Petrus, cæterique Apostoli *Matth.* 19. *Ecce nos reliquimus omnia*, sit quoad proprietatem, & dominium, quòd est perfectorum.

244 Huic sententiæ luculenter favet S. GREGORII expositio *in cap.* 4. *Mat.* siquidem agens de charitate, perfectione, & obedientia, qua Petrus, & Andreas à CHRISTO ad Apostolatum vocati, *relictis retibus sequuti sunt Dominum*, aperté docet, eos non modo retia, sed etiam quidquid in hoc mundo habebant, nedùm quoad affectum, sed etiam quoad proprietatem reliquisse: * Audistis (inquit *Homil.* 5. *in Evangelia*) Fratres charissimi, quia ad vnius iussionis vocem Petrus, & Andreas relictis retibus sequuti sunt Redemptorem. Nulla verò hunc facere adhuc miracula viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant: & tamen ad vnum Domini præceptum, hoc, quòd possidere videbantur, obliti sunt. *

245 Hæc S. GREGORIVS, qui, vt ostendat Apostolos non parum, vt retia, à quibus eorum victus pendebat, sed magnum aliquid reliquisse, sic prosequitur: *Sed in hac re, Fratres charissimi, affectum debemus potius pensare, quàm censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quamtumlibet parum, totum deservit. Certè nos, & habita cum amore possidemus, & ea, quæ minime habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus, & Andreas dimisit, quando vtèrque etiam desideria habendi dereliquit.* * Ubi patet, primos Apostolos, iuxta S. Gregorii mētē, non solum affectionem, & desideria, seu concupiscentias habendi temporalia, sed etiam rem possessam, & proprietatem, tam habitam, quàm habendam reliquisse.

246 Id ipsum elegantet confirmat HIERONYMVS; siquidem *in Epist. ad Demetriadem*, de Apostolorum paupertate loquens: * Apostolici, inquit, fastigij, perfectęque virtutis est, omnia vendere, & pauperibus distribuere, & sic levem, atque expeditum cum CHRISTO ad cælestia subvolare.* Et licet Petrus non dixerit; *Matth.* 19. Ecce nos vendidimus omnia, & dedimus pauperibus; quia pro maiori parte pauperes fuerunt, & ea, quæ habuerunt suis egenis necessarijs, necesse dimittere habuerunt (*cap. Duo, & cap. Expedit.* 12. *quæst.* 1.) Tamen non minus perfectè omnia quoad proprietatem reliquerunt, quàm si vendita pauperibus erogassent.

247 Et quidem Evangelicam paupertatem consistere in omnium rerum abdica-

tione

tione tàm in particulari, quàm in communi, & vni mendicitati, ac soli vsui bonorum temporalium, quæ ad humanam vitam transigendam necessaria sunt acquiescere, egregie ostendit ALEXANDER IV. *in Condemnatione Libelli, qui contra Prædicatorum statum prodierat*; sic enim loquitur: * Cùm insuper iidē Fratres omnia propter Deum reliquerint, exilia vitæ subsidia mendicantes, CHRISTVMq; imitentur pauperem, perfectionem Evangelicam amplectendo, propter quòd evidenter apparet eos non solùm in statu salvandorum existere, sed etiam perfectorū, & per suæ Religionis observantiam, quę quidem ipsius Evangelicæ perfectionis tenet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri. * Hactenus Alexander, laudatus à Summo Pontifice Joanne XXII. *in sua Constitutione*, quæ incipit: *Quia quorundum.*

248 Insuper in Regula S. FRANCISCI *in Corpore iuris clausa*, Evangelica paupertas in omnium rerum abdicatione, etiam quoad dominium, & proprietatem statuitur: * Regula, & Vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Sanctum Evangelium observare vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate, &c.* Ergo vivere sine proprio, fuit paupertas Evangelica.

249 Quòd præclarè confirmat eximius Doctor S. REMIGIVS; siquidem explicans illud Apocalyp 11. *Metire templum, & adorantes in eo*, hæc habet: *Dicito enim sæculo renunciantibus: Beati estis, quòd Evangelici præcepti memores cuncta terrena pro CHRISTO reliquistis: sequentes eum à quo thesaurum in Cælo indeficiētē percipietis.* Hæc ille.

250 Notatu etiam pro hac re digna est Glossa S. AMBROSII in illud 1. *Corinth. 6. Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes*; sic enim scribit: *Hoc fuit in Apostolis gloriosum, vt sine sollicitudine & nomine possidendi, non solum ea, quæ in possessionibus erant, sed & ipsos eorum dominos possident. Omnia enim necesse erat ante eorum poni pedes, causa virtutum, sicut legimus in Actibus Apostolorum* Hactenus ille.

251 Huc magnopere faciunt, quæ scribit S. AUGVSTINUS *in legenda Sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ*, apud ALVARVM PELAGIVM *lib. 2. cap. 56.* vbi prędictos Apostolos sic loquentes inducit: * Non nobis licet aliquid possidere super terram, quia possessio nostra in Cęlis est, quæ est ęterna, vbi immortalitas regnat: Et ideò nulla ratione possumus accipere aurum, aut argentum, aut vestes, aut domos, aut prædia, aut servos, aut ancillas. Ista omnia terrena sunt, & morientem hominem non sequuntur. Quibus cum diceretur: Vel aliquantulum accipite, quia pauperes, & peregrini estis. Dixerunt: non sumus pauperes, quia divitias Cęlestes habemus.*

252 Ex hactenus dictis manifestè evincitur quantum Sacrarum Litterarum, Sanctorumque Patrum menti innixus, explicuit, & declaravit NICOLAVS IV. *in Decret. Exiit. Extr. de Verborum signif. in 6.* Regulam S. FRANCISCI de paupertate, quàm Fratres minores, CHRISTVM, & Apostolos imitantes servare debent, solo rerum vsu contenti, quin aliquid proprium tàm in particulari, quàm in communi possideant: * Dicimus, quòd abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerum tam in speciali, quàm etiam in communi propter Deum, meritoria est, & Sancta, quam, & CHRISTVS viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit, quamque primi Fundatores Militantis Ecclesię, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfectè vivere, per doctrinæ, ac vitæ ipsorum alveos derivarunt.* Hæc ille.

253 Vndè duo infert ALVARVS PELAGIVS: Primum est, vsum quarumcumque rerum vsu consumptibilium, & non consumptibilium separabilem esse à proprietate, & dominio in speciali, & in communi, quòd patet, ex eo quod dicit, quòd abdicatio proprietatis omnium rerum in speciali, & in communi propter Deum, meritoria est, & sancta: sed non esset meritoria, & sancta, si non esset possibilis: ergo vsus in omnibus rebus, est separabilis à proprietate, & dominio.

254 Secundùm est, CHRISTVM, & Apostolos habuisse rerum omnium vsum à proprietate, & dominio speciali, & communi separatum, quantum ad communitatem ipsorum specialem, & propriam. Quòd patet ex eo, quòd dicit, quòd *& CHRISTVS viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit, quamque primi Fūdatores Militātis Ecclesiæ,*

scilicet

scilicet Apostoli, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfectè vivere, per doctrinæ, ac vitæ ipsorum alveos derivarunt.

255 Tandèm rectissimè annotavit idem Alvarus Pelagius pro prædicta Nicolai Pontificis Constitutione, præfatam Decretalem, qua Nicolaus CHRISTI, eiusque Apostolorum paupertatem declaravit, incapacem esse erroris, cum eam multi Summi Pontifices, totaque Ecclesia in Generali Concilio approbaverit: * Nec est, (inquit) verisimile, aut aliquo modo credibile, quod vniversalis Ecclesia (quæ prædictam Decretalem D. Nicolai IV. absque contradictione aliqua iam sunt quinquaginta anni, & amplius recepit, approbavit, corpore Iuris clausit, publicè in Scholis per Vniversitates lecta est, & vbique prædicata, per Bonifacium VIII. in 6. lib. inserta, per Clementem etiam V. in Constitutione *Exivi de Paradiso*, in Concilio Vienensi edita, approbata per Dominũ Papam Ioannem XXII. in quadam sua *Extravaganti*, quæ incipit: *Quia quorundam.* corroborata circa vitam CHRISTI, & Apostolorum) vsque nunc fuerit in errore. Cum vniversalis Ecclesia in fide, vel moribus errare non possit 24. *Quæst.* 1. *Hæc est.* Et *Cap. A Recta.* *

256 Ex quibus iure meritò evincitur Nicolai Pontificis Constitutionem de Christi, & Apostolorum paupertate esse ab omni errore penitús immunem: vtpotè Sactis Litteris iuxta Sanctorum Patrum interpretationem valdè consentaneam. Verùm hinc per maxima oritur difficultas, an nempè idem iudicandum sit de Ioanne XXII. qui, vt multis videtur, oppositum censuit, & definivit, imò hæreticum declaravit asserere CHRISTVM, & Apostolos aliquid proprium in communi, & in particulari non habuisse? Pro cuius dubii resolutione sequentem Apologiam contexere oportunum iudicavimus.

(§) (†) (§) (†) (§)
(§) (†) (§)
(§)

APOLOGETICA DISSERTATIO.

CAP. III.

IOANNIS XXII. DE PAVPERtate Evangelica Constitutiones ab omni erroris labe vindicantur.

257 CVm defensio Constitutionum Joannis XXII. ad CHRISTI, & Apostolorum paupertatem, & ad Fratrum Minorum Regulam spectantium â facti intelligentia, & illorum temporum historia maximè pendeat, antequam ad prædictas Joannis Constitutiones ab omni erroris vmbra liberandas progrediamur, operæpretium duximus illorum temporum res gestas, pro maiori veritatis elucidatione enarrare, quo faciliùs calumnias, quas illius temporis Schismatici, & Hæretici maligno ore debacchantes, in Sanctas, & Apostolicas tanti Pontificis Constitutiones confinxerunt, penitùs propulsare possimus.

§. I.

Schismaticorum errores erga paupertatem Evangelicam, ac Ioannis XXII. Constitutiones in eis propulsandis referuntur.

258 SVpponendum in primis à Nobis est, anno 1317. Begardos, Beguinos, & Fraticellos sub Joanne XXII. in diversis Regnis, tàm in Gallia, quàm in Germania, Sicilia, Italia, Calabria, Thuscia, aliisque Regionibus, Ecclesiam variis sectis, & erroribus infectasse, vt tradunt PRATEOLVS *lib.* 8. *cap.* 11. *de Sectis Hæreticor.* & Inquisitor NICOLAVS EYMERICVS *in Directorio Inquisitorum*, 2. *part. quæst.* 15. vbi detestandos Begardorum, & Fraticellorum errores refert, è quibus præcipuos tantùmmodo, qui ad præsentis dissertationis statum pertinent, adducemus.

259 Primi prædictorum hæreticorum errores, & hæreses sunt contra CHRISTI,

& Apostolorum paupertatem, quorum primus est: *Quod Dominus JESVS CHRISTVS in quantum fuit Homo, & eius Apostoli, nihil habuerunt in proprio, nec etiam in communi: quia fuerunt perfecti pauperes in hoc mundo.

Secundus est, quod dicunt hanc esse perfectam Evangelicam paupertatem, videlicet nihil habere in proprio, nec in communi.

Tertius est, quod habere aliquid in communi diminuit de perfectione Evangelicæ paupertatis.

Quartus error, quod Apostoli sine diminutione perfectionis eorum, & sine peccato non potuerunt habere aliquid, nec in proprio, nec in communi.

Quintus error, & hæresis est, quod dicere, credere, & asserere contrarium prædictorum, est hæreticum.*

260 Quoad suam verò Regulam, D. nempè Frãciſci, sic eam attollere voluerunt, vt in aliud extremum præcipites ruerint, prout refert ipse Nicolaus Eymericus, dicẽs: *Sextus error est, quod Regula B. Francisci est illa vita IESV CHRISTI, quam CHRISTVS servavit in hoc Mundo, & quam Apostolis suis tradidit, & imposuit observandam.

Septimus error est, quod S. Franciscus tradidit Fratribus sui Ordinis in Regula suprà dictam Evangelicam paupertatem, ita, quod professores dictæ Regulæ nihil possunt habere, nec in proprio, nec in communi.

Octavus, quia dicunt, quod B. Franciscus post CHRISTVM, & eius Matrem (& aliqui addunt post Apostolos) fuit summus, & præcipuus observator vitæ, & regulæ Evangelicæ, ac renovator eius, in isto statu sexto Ecclesiæ, in quo dicunt iam nos esse.

Nonus error est, quod regulam S. Francisci dicunt esse Evangelium CHRISTI, ac vnum, & idem esse cum Evangelio CHRISTI.

Decimus error est, quod quicumque impugnant, vel contradicunt in aliquo regulæ S. Francisci (quam dicunt esse Evangelium) impugnant, & contradicunt Evangelio CHRISTI, & per consequens errant, & sunt hæretici, si in hoc perseverant.*

Quinam autem, & quales fuerint Authores huius sectæ Begardorũ, Beguinorũ, & Fraticellorum describit illustrissimus Episcopus ALVARVS PELAGIVS Ordinis S. Francisci *de Planctu Eccles. lib. 2. cap. 51.* vbi deplorans illorum temporum infelicitatem: * Istis, inquit, vltimis temporibus hypocritalibus plurimi, maximè in Italia, & Alemannia, & Provincia, vbi tales *Begardi*, & *Beguini* vocantur, nolentes iugum subire veræ obedientię, sed libertate noxia potiri, nec servare regulam aliquam ab Ecclesia approbatam sub manu præceptoris, & Ducis legitimi, vocati *Fraticelli*, alii *de paupere vita*, alii *Apostolici*, aliique *Begardi*, qui ortum in Alemannia habuerunt, specie tenus, & quantum ad hominem exteriorem Mundo renuntiare videntur. (Et *infrà*:) Et quia obedientia ligati non sunt, pro libito comedunt, & bibunt, surgunt, & ambulant, & ex occasione libertatis, quia corrigi non timent, nec per hominem visitari, nec excitari, communiter poltronizant, id est vitam pinguem volunt cum libertate, & sine labore, dediti somno, & vagationi continuæ.*

261 Et *infrà*: *Speciem quidem Sãctitatis habentes, virtutem autem abnegãtes ad litteram 2. ad Timoth. 3.* in sua hypocrisi se, & Mundum decipiunt; nam eorum prima abstinentia in gastrimargiam vertitur; paupertas in peculium; vigilia in somnolentiam; silentium, in multiloquium; maxime sub specie loquendi de Deo; simplicitas, in malitiam; solitudo in consortium, & familiaritatem sæcularium, & mulierum. Quidam etiã ex eis superius *Apostolici*, & *Begardi* nominati paupertatẽ Evãgelicã se servare dicentes, quia nec loculũ habẽt, nec aliquid se portare dicunt, vere girovagi, & vere ribaldi per mundum cursitant, dicunt enim, quod debent orare continuè, ne cadant in tentationem; quia Apostolus dicit: *Sine intermissione orate*; sed intus sunt lupi rapaces.

262 *Sed isti Pseudo Apostoli, & Begardi istius tẽporis perfectiores apparere desiderant, quam veri Anachoretæ, qui & viri Apostolici extiterunt, sed mentita est iniquitas eis, quia ipsi professionem Apostolicam non servant, nec vitam.*

Et

263 Et *paulò infrà*: *Verè Poltrones, & Ribaldi, & ab hominibus detestandi sunt; quia nec Ecclesię serviunt, nec proximo, nec sibi in CHRISTO, nec Domino IESV CHRISTO, in nullo ordine permanentes; de paupertate plenis ventribus, quorum ipsi sunt Deus, *ad Philip. 3.* & vita Apostolica gloriantes, contra enim Dei Ecclesiam, & sua Sacra Concilia, superiùs in principio istius §. allegata, sibi ordinem in oculis hominum invenerunt.*

264 Et *infrà*: *Porrò nullus quasi supradictorum Sarrabaytarum, Girovagorum, & Pseudo Apostolorum, Begardorum, & Fraticellorum, & illorum de paupere de vita, laborare vult manibus suis, sed de eleemosynis vivũt:: Quidã ex eis in sua secta viventes, sub cuius colore mendicant, de nullo approbato ab Ecclesia ordine Mendicantium existentes, contra Ecclesiam vivunt. Intrò istis temporibus Dominus Papa Ioannes XXII. contra omnes sic viventes, & eis faventes, excommunicationis sententiam promulgavit *in quadam Extravag.* edita contra eos, quæ incipit: *Sancta Romana, de Religiosis domibus.**

265 Insuper *anno* 1318. vt refert ODORICUS RAYNALDUS *in suis Ecclesiasticis Annalib.* variæ prodierunt sectæ, & errores, ad CHRISTI Apostolorumque paupertatem spectantes, quos præcipuè determinarunt, qui sese in Evangelica paupertate Apostolorum Successores confinxerunt. *Obortæ, inquit, fuerunt circà paupertatem varię hæreses; fœdissima fuit à Donatistis, Catharis, Vvaldensibus Pseudo-Apostolis excepta hæresis, deindè ad alios tenebriores propagata, qua effutiebãt, Põtificem, ac Præsules omni Authoritate Sacra spoliatos, adeò vt Sacramenta ab iis non cõfici cõtenderent, quod nimirum paupertatem CHRISTI, & Apostolorum non imitarentur: vndè Ecclesiastica Sacramẽta, ab iis, & ab aliis despecta, Joãnes in Constitutione *S. Romana, ac Vniversalis Ecclesia* conquerirur. Iidem verò, licet Sacris Ordinibus initiati non essent, tamen non Sacerdotalem modò, sed Pontificalem quoque Authoritatem sibi arrogabant ex homologeses simplicium audiebant, & inanes indulgentias ipsis flagitio conferebant; quippè eos veros Apostolorum Successores iactabant, qui inopem vitam profiterentur.*

266 Cum igitur per id temporis ingens esset inter Minoritas dissidium, an Regula, quam profitebantur, permitteret habere aliquid saltem in communi? aliis affirmativam, aliis verò negativam sententiam propugnantibus, Sanctissimus Pontifex Joannes, vt gravissimis incommodis, indè subortis, mederetur, & tàm Sanctę Religionis animos sedaret, prædictæ Regulæ rigorem temperare volens, dispensavit, & permisit, vt possent res vsu consumptibiles, vt vinum, triticum, oleum, &c. in communi habere. Ex hac autem Constitutione Fraticelli à prædicto Pontifice, iam Anathemate perculsi, ansam arripuerunt in novos errores prolabendi, Apostolicam Authoritatem, & prędictam Constitutionem execrantes, ac impias in eam voces, & convicia evomentes, vt constat ex his, quę refert Inquisitor NICOLAVS EYMERICVS *loco sup. laudato*; siquidem Begardorũ, & Fraticellorum errores sequentes recenset.

*Vndecimus error est, quòd sicut Papa, vel aliquis alius non potest aliquid immutare in Evangelio, nec addere, nec subtrahere ex eodem; ita non potest aliquid immutare in prædicta Regula (S. Francisci videlicet) nec addere, nec subtrahere ex eadem quantum ad vota, seu consilia Evangelica, ac præcepta contenta in ipsa.

Duodecimus error est, quia dicunt, quòd Papa non potest dictam Regulam Evangelicam S. Francisci cassare, vel immutare, nec tollere ordinem S. Francisci, quem Evãgelicum ordinem esse dicunt. Idem dicunt de tertia eius Regula.

Tertiusdecimus error est, quia dicunt, quòd Papa non potest facere Constitutionem, vel Decretalem, per quam dispenset, ac concedat Fratribus Minoribus, quòd possint habere bladum, vel vinum ad servandum in communi in granariis, vel cellariis pro tempore futuro, ad suum vsum, seu victum necessarium, & quòd hoc esset facere contra Evangelicam Regulam S. Francisci, & Evangelium CHRISTI.

Quartusdecimus error est, quoniam dicunt, quòd Dominus Papa Ioannes XXII. faciendo quamdam Constitutionem,

nem, quę incipit: *Quia quoramdam*, in qua dicitur concedere, ac dispensare cum Fratribus Minoribus, quòd possint congregare vinum, & bladum in granariis, vel cellariis pro tempore futuro, ad arbitrium Prælatorum Ordinis ipsorum, fecit contra Evangelicam paupertatem, & per consequens (vt aiunt) contra Evangelium CHRISTI; & ideò dicunt, quod factus est hęreticus, & quòd ex hoc perdidit Potestatem Papalem ligandi, & solvendi, & alia faciendi, si in hoc perseveraverit, & quòd Prælati per eum facti, ex quo dictam Constitutionem fecit, non habent aliquam Ecclesiasticam Iurisdictionem, seu potestatem.

Quintusdecimus error est, quòd omnes Prælati, & alij, qui eidem Domino Papæ in dicta Constitutione facienda consenserunt, ac consentiunt scienter, ex hoc facti sunt hæretici, si in hoc pertinaciter perseverent, & quod omnem potestatem, seu Iurisdictionem Ecclesiasticam perdiderunt.

Sextusdecimus error est; quia dicunt, quòd omnes Fratres Minores, qui dictam Constitutionem fieri procurarunt, ac qui eidem consentiunt, & etiam recipiunt, vel ea vtuntur, ex hoc hęretici sunt effecti.*

267 His, aliisque erroribus vsque ad 55. Apostolicę Sedis, & prædicti Pontificis Authoritatem execrabantur Fratricelli, & impia in eam convicia effundebant: Vndê patet, quam optimo jure Ioannes Pontifex prædictos grassantes errores, adeò execrabiles, & Ecclesiæ, animarum, ac ipsius Sanctissimæ Religionis bono pernicioſissimos, & tam Sanctę Regulę sensum adulterâtes cõdemnarit. Hinc NICOLAVS EYMERICVS, præfatis erroribus recẽsitis, hęc meritò subiungit: *Et quia prædicti errores fundantur in paupertate Evangelica, quam dicebant esse mendaciter, quòd Christus, & eius Apostoli non habuerunt aliquid in proprio, nec in cõmuni, & quod in his, quibus vtebantur, non habebant aliquod Jus, sed solummodò simplicem vsum facti; ideò Dominus Joannes XXII. declaravit contrarium esse verum, & Catholicum, & ista duo esse hæreticalia, & condidit de Consilio Fratrum *Extravag. Cum inter nonnullos.**

268 Prædicta Constitutio continetur *inter Extravag. Ioannis XXII. de Verborum Significat. cap.* 4. & sic se habet: *Cum inter nonnullos viros Scholasticos sæpê contingat in dubium revocari, vtrùm pertinaciter affirmare Redemptorem nostrum, & Dominũ IESUM CHRISTVM, eiusque Apostolos in speciali non habuisse aliquid, nec in communi, etiam hæreticum sit censendum, diversis diversa, & adversa etiam sentientibus circa illud: Nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem huiusmodi pertinacem, cum Scripturæ Sacræ (quę in plerisque locis, ipsos nonnulla habuisse asserit) contradicat expressè, ipsamque Scripturam Sacram, per quam vtique Fidei Orthodoxæ probantur Articuli, quo ad præmissa fermentum apertè supponat mendacii, ac per consequens quantum in ea est, in totum Fidem evacuans, Fidem Catholicam reddat, eius probationem adimens, dubiam, & incertam; deinceps erroneam fore censendam, & hæreticam, de Fratrum nostrorum Consilio hoc perpetuo declaramus Edicto.*

269 Rursus in posterum pertinaciter affirmare, quod Redemptori nostro prædicto, eiusque Apostolis, in iis, quæ ipsos habuisse Scriptura Sacra testatur, nequaquam Jus ipsis vtendi competierit, nec illa vendendi, seu donandi Jus habuerint, aut ex ipsis alia adquirendi, quæ tamen ipsos de præmissis feciſſe, Scriptura Sacra testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expressè, cum talis assertio ipsorum vsum, & gesta evidenter includat in præmissis non justa, quæ vtique de vsu gestis, seu factis Redemptoris nostri Dei Filii sentire nefas est, Sacræ Scripturæ contrarium, & Doctrinæ Catholicæ inimicum: assertionem ipsam pertinacem, de Fratrum Nostrorum consilio deinceps erroneam fore censendam meritò, ac hæreticam declaramus. Nulli ergo hominum liceat, &c. *Datum Avenione 2. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno* 7.

270 *Anno* etiam 1321. iterum repullulavit secta Fratricellorum, Bizochorum, & Beguinorum, qui prętextu observandi puram Evangelicam S. Francisci Regulam, suos errores, tàm in Italia, quàm in Gallia, & Sicilia disseminarunt, de quibus meminit idem Pontifex JOANNES *in sua Bulla: Dudum fidedigna*

relatio, Pontificatus sui anno 6. Avinione data, dicens: *Ad Apostolatus Nostri pervenit auditum, quòd nonnulli viri pestiferi, qui vulgariter *Fratricelli*, seu *Fratres de paupere vita*, aut *Bizochi*, sive *Beguini*, vel aliis fucatis nominibus nuncupantur. (Et *infrà*:) Et vt error ipsorum veritas, & impietas, Religio putaretur, plurimi eorum Regulam Ordinis Fratrum Minorum, quam S. Franciscus instituit, se profiteri & observare ad litteram confingebant. (Et *paulò post*:) Nonnulli etiam ex ipsis asserentes esse de tertio Ordine Sancti Francisci, *Pœnitētium* nuncupato dictum statum, & ritum eorum, satagebant sub velamine talis nominis palliare, cum tamen in Regula dicti Tertii Ordinis, talis vivendi ritus nullatenùs esset concessus, quodque quidam eorum, à veritate Catholicæ Fidei deviantes, Ecclesiastica Sacramenta spernebant, & errores alios studebant multipliciciter seminare.*

271 Sanctissimus ergo Pontifex maturè considerans, ac diligenter expendens, quam noxii erant supradicti errores, qui virtutis, & Religionis prætextu obrepebant, quamque indecorum esset, tàm Sanctæ Religionis Instituti, & Regulæ honori, eam sic à perversis hominibus adulterari, æquissimè decrevit, prædictam sectam penitùs extirpare, vt patet ex his, quæ in præfata Constitutione dicit, vbi sic prosequitur: *Nos attendentes, quòd talium damnanda temeritas, in eiusdem Fidei detrimentum, Fidelium scandalum, præfati Minorum, & aliorum Ordinum opprobrium, & etiam suarum, & aliarum animarum multarum redundabat, sectam, ritum, & statum huiusmodi, de Fratrum nostrorum consilio, Authoritate Apostolica nullius fuisse, & esse decernimus firmitatis, & quatenùs de facto processerant, de consilio, & Authoritate præmissis, revocantes omninò, perpetuæ prohibitioni subiecimus, eosque ab Ecclesia Dei penitùs duximus abolendos, &c.*

272 Nec prætermitti debet quod *anno* 1322. accidit, Pseudo-Minoritis ingens dissidium, ac acerbissimum bellum contra veros S. Francisci filios excitantibus, & contendentibus se esse legitimos Sancti, istiusque Sanctæ, & puræ Evangelicæ Regulę imitatores, cæteros verò prædictam Religionem adulterasse, sicque hos non esse in statu salutis, eòque hæc persecutio devenit, vt ni Summus Pontifex pro veris Seraphici Ordinis filiis stetisset, vniversus ferè Ordo ingens periculum subiisset, vt rectè expendit ODORICVS RAYNALDVS *ad prædictum annum num* 52. his verbis.* Duce Henrico Cesena trahere in Apostasiam Minoritas, Ordinemque Sanctissimum solvere nitebantur, contra quos, & alios, nisi à Ioanne Franciscani Ordinis acerrimo Propugnatore, studia Apostolica magno ardore collocata fuissent, vniversus ferè Ordò periclitatus fuisset, vt, Pontifice ipso teste, visuri fumus. Hi porrò Pseudo Minoritę gravissimo infectabantur odio Minoritas, à quibus defecerant, adeò, vt memoratus impostor Franciscus de Lutra, vti refert Ioannes, pro concione exclamaret, quòd peccaret mortaliter, quicumque daret eleemosynam fratribus Ordinis memorati.* Eo progressa est prædicti Francisci è Lutra audacia in conviciis contra Apostolicam Sedem, & veros Seraphicę Religionis filios effundendis, vt Summus Pontifex debitò fuerit dolore commotus, vt ostendunt illa ipsius Pontificis verba.* Alia superstitiosa, & falsa in Nostrum, & Apostolicę Sedis contemptum, dicti Ordinis opprobrium, plurimorum scandalum, & animę suæ perniciem, palàm, non est veritus prædicare &c. *Datum Avenione Kalendis Februarii, anno* 2.*

273 At quod pro hac eadem re adnotare oportet, quòd cum iam esset definitioni proxima quęstio hæc, de CHRISTI, Apostolorum, & Regulę Sancti Francisci Paupertate, an videlicet hęc aliquid proprium saltim in communi habere permitteret, necnè: an verò solum rerum vsum à proprietate separatum exigeret? & ex prędicti Summi Pontificis præcripto Avenione, & Romæ diligentius hęc quęstio disceptaretur, vt ad veritatis definitionem, & Catholicum Dogma faciliùs posset deveniri, P. Michael de Cesena, Generalis Minorum Minister, Perusii in Italia Generale Capitulum congregavit, & Ecclesiæ Iudicium præveniens, prædictam quæstionem Generali Capitulo proposuit, & ad illius decisionē, & fidei definitionem processit, provt eam refert P. NICOLAVS MINORITA, & extat *in Bibliotheca Vaticana in manuscriptis signa-*

gnatis num. 4008. *pag.* 54 & *M.S.* 4010. *pag.* 2. & apud ALVARVM PELAGIVM de *Planctu Ecclesiæ* ac tandem apud P. VVADIGVM *anno* 1322. *n* 52. & sic se habet: *Vniversis CHRISTI fidelibus præsentes litteras inspecturis, Fr. Michael, Ordinis Fratrũ Minorum Generalis Minister, Guillelmus Angliæ, Henricus superioris Alemanniæ, Arnaldus Aquitaniæ Provinciales Ministri, & in Sacra Theologia Magistri, necnon Hugo de NovoCastro, & Guillelmus de Almich, Sacræ Theologię Doctores, Nicolaus Minister Francię, ac Gillelmus Bloch Baccalaurei in Sacra pagina, & omnes Ministri, & Custodes discreti, & Lectores Generalium Studiorum apud Perusium Congregati in Capitulo Generali, ipsũque totũ Generale Capitulum Ordinis supradicti, Salutem, & pacem in Domino sempiternam.

274 Noveritis quod nos *anno* Domini 1322. *Indict.* 5. *pridie nonas Iulii* audita, & intellecta quæstione quadam, quę in Romana Curia præsentialiter agitatur, qua quæritur, vtrùm asserere, CHRISTVM, & Apostolos eius non habuisse aliqua in proprio, nec in communi, sit hæreticum? & requisiti quid de ipsa quæstione sentiremus, & in scriptis sub nostris sigillis, & subscriptionibus propriis redigere curaremus; visis, & examinatis dicta quæstione, tùm allegationibus, quæ pro, & contrà fiunt, diligentique, & matura deliberatione digestis, determinationi Sanctæ Romanę Ecclesiæ firmiter, & totaliter inhærentes, concorditer, & vnanimiter dicimus, & fatemur, quòd dicere, & asserere, quod CHRISTVS viam perfectionis ostendens, & Apostoli eamdem viam perfectionis sequentes, atque per exempla in alios volentes perfectè vivere derivantes, nihil iure proprietatis, dominii, seu iuris proprii in speciali, & in communi habuerunt, non est hęreticum, sed sanum, Catholicum, & fidele.

275 Maximè cum Sancta Romana Ecclesia Catholica, quæ à tramite Apostolicæ Traditionis, numquam devialse, aut errasse probatur (24. *quæst.* 1. *Can. A Recta Fide*, & *Can. Pudenda, in fine*) hoc expressè dicat, affirmet, & determinet manifestè, *Extra. de Verbor. signif. cap. Exiit qui seminat, lib.* 6. §. *Porrò*, sic inquiens: Dicimus, quòd abdicatio proprietatis omnium rerum, tàm in speciali, quàm etiam in communi propter Deum meritoria est, & sancta, quam & CHRISTVS, viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit, quamque primi fundatores Militantis Ecclesiæ, id est Apostoli, prout ab ipso fonte, id est CHRISTO, hauserant, in volentes perfectè vivere, per doctrinæ, & vitæ ipsorum alveos derivarunt. Quę Ecclesiæ determinatio *in lib.* 6. per ipsam Catholicam Ecclesiam est inserta, & per aliam Decretalem in Viennensi Concilio promulgatam *in* 7. *lib. sub Tit. de Verb. signific.* inserta, & per ipsam vniversalem, & Catholicam Ecclesiam, est approbata, ac novissimè per Sanctissimum Patrem, & Dominum Joannem, Divina Providentia Papam XXII. in quadam sua Declaratione, edita super Regulam, & Statum Fratrum Minorum, quæ incipit: *Quorumdam exigit*, est eadem declaratio, plurimùm commendata. (At hic annotandum est Odoricum Raynaldum in hęc vltima verba admonuisse: *Purum hoc etiam mendacium est, & falsum erroris fundamentum.* Et sic prosequitur prædictus Generalis Minister:) tamquam salubriter edita solida, lucida, multaque maturitate digesta, & testante *Canone* 19. *dict. cap. Si Romanorum*, illud, quod pro sano Dogmate Sedes Apostolica approbavit, semper teneri debet acceptum, nec ab eo licet alicui, quomodolibet resilire, 24. *quæst.* 1. *Can. Hæc est fides.* In huius autem nostræ opinionis, & communionis, ac concordis sententiæ testimonium, & munimen, præsentium seriem, de consensu omnium nostrum, sigillis, & subscriptionibus propriis Generalis Ministri, & nominatorum superiùs Magistrorum, & Baccalaureorum in Sacra Pagina, necnon quatuor Provincialiũ Ministrorum videlicet Thomę Provinciæ Bononiensis, Petri Provinciæ S. Francisci, Ferdinandi Provinciæ Castellæ, & Simonis Provincię Teuthoniæ, duximus muniendam. *Datum Perusiè anno, mense, & die superiùs nominatis, seu memoratis.*

Ego Fr. Michael, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister, & in sacra Pagina Magister prædictis consentio, & ea vera esse iudico; in cuius rei testimonium sigillum mei officii præsentibus litteris appendi iussi;

& me propria manu subscripsi. (Subsequuntur immediatè aliorum subscriptiones, ac tandem sic concluditur:) Omnes subscripserunt, sicut primus, cum proprio sigillo cuiuscumque ipsorum.* Hęc ibi

276 Nihilominùs Sanctissimus Pontifex, quo maturiùs in hac definitione procederet, viris sapientia præstantissimis, qui tunc temporis litterarium orbem illustrabant, præcepit, vt sunm de hac re judicium scripto proferrēt, idque Parisiensi Vniversitati, quę illo ævo viris doctrina celeberrimis efflorebat, præcipuè commendavit, auditaque illorum, pluriumque Cardinalium, & Episcoporum, sententia, controversiam dirimere statuit per Constitutionem: *Cum inter nonnullos*, suprà relatam.

277 Edita autem hac Constitutione, qua Pontifex controversiam de CHRISTI, Apostolorumque paupertate, & quid Catholica Fide in hac re tenendum esset definierat, statim aliqui Cardinales, & Prælati (ac præcipuè Cardinalis Vitalis, virus è doctioribus, & sapientia præstantioribus) priorem mentem mutarunt, suumque judicium prædictæ definitioni subiecerunt, prout refert ODORICVS RAYNALDVS *ad annum* 1323. *n.* 62. *ex Autographis manuscriptis, in Vaticano asservatis.* *Assensere (inquit) decernenti Pontifici, ac susceptam anteâ opinionem erroneam, propugnaramque (sine pertinacia tamen) exuerunt Vitalis, & Bernardus è Turre, Cardinales Minoritę, ac Berengarius Episcopus Tusculanus, tùm Arnaldus Boiardus Salernitanus, & Monaldus Beneventanus, Archiepiscopi; paritèrque Chosensis, Vlyssiponensis, Rigensis, & Pactensis Episcopi, qui plura scripta excutiendæ veritatis gratia ediderant, inter quos eminebat scientia, & doctrina, Vitalis Cardinalis, qui tres commentarios, detortis in suam sententiam Scripturis divinis, & sanctorum Patrum dictis, confecit, cuius argumenta Ioannes Neapolitanus, Ordinis Prædic. insignis Theologus, dissolvit.* Hęc ille

278 At quo isti promptiùs, & humiliùs, definitionem, quam è Cathedra, prædictus Pontifex ediderat, venerati sunt, eo tenaciùs in suo perstitit errore Michael de Cesena, vt tradit ipse ODORICVS *loco sup. laudato*, ita scribēs: *At Michael Cesenas, Supremus Minoritarum Prępfectus, conceptum erroris virus alto pressit animo, atque in hæresim, post sanctionem Pontificiam adauctum impiè effudit, perperamque intellectis Nicolai Papæ sententiis, quas in pravum, & obliquum sensum tractas, velut Decreta Fidei obtrudebat: Adiunxit, se socium illius perfidiæ Ochamus, Anglus, qui secta Nominalium inter Philosophos condita, eò temeritatis prorupit, vt dum superior quęstio apud Sedem Apostolicam agitaretur, CHRISTVM Dominum, vel Apostolos privato, aut communi nomine quidquam obtinuisse, ê sacro suggestu damnaret hæreseos.*

279 De hac Ochami temeraria præsūptione iustè cōqueritur prædictus Pōtifex, vt videre est *in Epist.* quam *Ferrariensi, & Bononiensi Episcopis* scripsit, in qua de Ochamo loquens, hæc habet: *Plus sapere, quàm oportet sapere moliens, & os suum ponens in Cælum, non summissa voce, sed altius solito proclamādo, indiscretè, & imprudenter dicere, & affirmare, non sine multa temeritate præsumpsit, hæreticum esse, dicere, & asserere, SALVATOREM nostrum, & Dominum IESUM CHRISTUM, ac eius Apostolos aliquid habuisse in proprio, vel communi: quamvis nec posset, nec deberet, quomodolibet ignorare, quæstionem subortam sub hoc, esse in Romana Curia, & in ea terminari debere, &c. *Datum Avenione Kalendis Decembris Anno* 8.*

280 *Anno* 1325. nondùm à suo errore discesserant, qui iis, quæ à prædicto Pontifice de CHRISTI, & Apostolorum paupertate definita fuerant, oppositum sentiebant, contendentes, CHRISTUM Dominum, istiusque Apostolos puro rerum vsu, sine vllo jure fuisse potitos. Inter alios prædictum errorem amplexi sunt Ubertinus de Casali, Marsilius, & Petrus Joannes Olivus, de quibus meminit ODORICVS *in prædicto anno, num.* 20. qui vt pœnam, quæ eis imminebat, effugerent, ad Imperatorē Ludovicum, apertissimum tūc Ecclesiæ hostem, confugerunt, prout refert ipse Odoricus his verbis: *Inter cæteros Vbertinus de Casali Pseudo-Minorita, cum lis apud Sedem Apostolicam penderet, judicio postulatus, non obtenta facultate discessit, atque in vincula à Pontifice abripi iussus est. Verùm ipse severitatem

ritatem elusit, confugirque ad Ludovicum Bavarum, cui vnà cum Hæresiarcha Marsilio in concipienda adversus Joannem sententia, refertiendaque, hæresibus postea operam navasse refert Mussatus, meminitque de eiusdem impiis scriptis adversus Decreta Apostolica *M.S. Vaticanum*. Vbertini Casalis Magister fuerat Petrus Joannes Olivus damnatus proximo incûte anno, factionis quæ inter Minoritas *Spiritualium* speciosum nomen sibi arrogabat, Princeps.*

281 Et quamvis multi errores prædicti Petri Joannis iam fuerant in Viennensi Concilio damnati; quia tamen maiores addere in dies non verebatur, non potuit censuram, quam merebantur sui libri, in quibus continebantur, effugere, vt patet *ex Manuscriptis Vaticanis, signatis, num. 3765. in Ioanne XXII.* vbi hæc habentur: **Anno Domini* 1325. *Sabbato primo Quadragesimæ* condemnavit Joannes, Postillam Fratris Petri Joannis Biterensis Diœcesis de Ordine Minorum, ex qua fomentum sumpsit, quædam secta pestifera illorum, qui se *Pauperes de Tertio Ordine S. Francisci* appellant, ex quibus multi fuerunt combusti.*

282 Eamdem Petri Joannis, istiusque errorum condemnationem latè refert præclarus ille Historicus BERNARDUS *in Chronic. Romanorum Pontificum*, qui extat manuscriptus *in Biblioth. Vaticana, sign. num.* 2043. Eamdemque expressiùs enarrat Episcopus ALVARVS PELAGIVS, eiusdem Ordinis, *de Planctu Eccles. lib. 2. cap. 29.* vbi asserit, prædictum Petrum Joannem damnatum fuisse, quòd sequeretur sententiam tenentem, nec CHRISTVM, nec Apostolos aliquid in particulari, aut in communi habuisse; additque, prædictam condemnationem ad eiusdem Seraphicæ Religionis preces, & instantiam prodiisse; quod etiam extat *in Manuscript. Archiv. Vaticani Var. Bullar. Ioannis XXII. pag.* 89. vbi hęc leguntur: * Dominus Papa, de consilio Sacri Collegii Dominorum Cardinalium, in condemnatione, iuxta supplicationem sibi factam pro parte Ordinis Fratrum Minorum, quam fecit de Postilla, quam Petrus Joannes *super Apocalypsim* conscripsit, habuit Concilium Magistrorum in Sacra Pagina, quibus examinationem ipsius Postillæ commisit, inter quos Magistros fuerunt Frater Gregorius de Landino, Archiepiscopus Viennensis, & Petrus de Palude, Ordinis Prædicatorum, & multi alii Magistri aliorum Ordinum, & Statuum: In quo judicio per ipsos Magistros in scriptis, sub eorum sigillis etiam in forma publici instrumenti prędicto Domino Papæ tradito, de quodam Articulo, quem dictus Petrus Joannes scripsit in dicta Postilla, cuius Articuli tenor de verbo ad verbum talis est. (Ex quo per Romanę Ecclesiæ authenticas testificationem, & confirmationem, constat, Regulam Minorum per B. Franciscum editam esse verè, & propriè illam Evangelicam, quam CHRISTVS in se ipso servavit, & Apostolis imposuit, & in Evangeliis suis conscribi fecit; & nihilominùs constet hoc per irrefragabilia testimonia librorum Evangeliorum, & cæterarum Scripturarum Sanctarum, & per Sanctos Expositores eorum, prout alibi est superabundè monstratum) dicti Magistri in Sacra Pagina de ipso articulo suum dant consiliũ in hæc verba:

283 Si dictus Petrus Joannes hæc verba accipit secundum intellectum, & declarationem Decretalis *Exiit qui seminat*, verum dicit: Si autem intelligit, sicut ipse *alibi* declarat, & sui sequaces asserunt, quòd Regula B. Francisci, sit verè, & propriè idem, & idipsum quòd CHRISTI Evangelium, & ê converso; & quòd Dominus Papa non habet Potestatem super eam, sicut nec super Evangelium, vel quòd quidquid est in Regula B. Francisci totum CHRISTVS ad litteram servavit, & Apostolis imposuit observandum, hoc totum simpliciter reputamus hæreticum, ridiculum, & insanum, nec istud probatur per aliquod testimonium, quod inducat.* Hæc verba dicti Concilii.

284 Nec soli præfati Vbertinus, Marsilius, & Joannes Olivus, prædictæ Joannis XXII. Constitutioni pertinaciter obstiterunt, sed etiam id ipsum pervicaciter pręstitere Marsilius de Padua, & Jandunus; & quòd magis est Princeps Ludovicus Bavarus, Imperator assertus, cuius pręcipui Consiliarii erant Marsilius, & Jandunus. De Marsilio Paduano, id testatur ALBERTVS PIGHIVS *lib. 5. cap. 1.* hæc de illo, inter alia, scribens: * Fuit homo Aristotelicus, magis quàm Chri-

Christianus, atque ex illius, magis quàm CHRISTI, institutis, novam Ecclesiæ Hierarchiæ formam conatus effingere. (Et *paulò infrà.*) Tàm virulenter in Romanos Pontifices invehitur, vt meritò dubitares, nisi tempora disjungerent, hic nè à Luthero, an Lutherus ab isto suam didicerit Rethoricam; nam vterque alterum in hac parte conatur vincere.*

285 De vtròque verò, tàm Marsilio Paduano, quàm Janduno, istorumque doctrina præclarè constat ex his, quæ scribit JOANNES PONTIFEX *in Bulla*, in qua vtriusque errores proscripsit *decimo Kalendas Novembris, Pontificat. anno* 12. in cuius initio sic loquitur Pontifex. * Sanè dudum ad Nostram evidentiam relatione, tàm verbali, quàm litterali, plurium sublimium, ac fidelium personarum, nec non fama publica notorij ante perducta, quòd duo viri nequam, perditionis Filij, & maledictionis alumni, quorum vnus Marsilium de Padua, & alter Joannem de Janduno se faciunt nominari, quemdam librum composuerant, multa falsa, erronea, & hæretica continentem, quodque ipsos errores, ac hæreses in Ducatu, ac terris Bavariæ dogmatizare publicè præsumebant, &c. (Et relatis vtriusque erroribus, ad illorum, & Authorum condemnationem progreditur Pontifex, sic concludens:) Velut Sacræ Scripturæ contrarios, & Fidei Catholicæ inimicos, Hæreticos, seu Hæreticales, & erroneos, necnon & prædictos Marsilium, & Joannem Hæreticos, imò Hæresiarchas foré manifestos, & notorios sententialiter declaramus, articulosque, ac librum prædictos, necnon & quamcumque aliam scripturam continentem eosdem, prædictos quoque Marsilium, & Joannem, vt Hæreticos manifestos, & notorios, imò vt Hæresiarchas potiùs reprobamus, & sententialiter condemnamus, &c.*

286 Hìscè Consiliariijs, aliisque Schismaticis, ac perversa istorum doctrina Ludovicus Bavarus sanę, & Catholicę Doctrinæ de CHRISTI, & Apostolorum paupertate, quam Pontifex Joannes XXII. adeò maturè, & vnanimi præstantissimorum, & eruditissimorum Christiani Orbis Doctorum Consilio, & Suffragiis definierat, sic se opposuit, vt coactus fuerit Pontifex, eum Hæreticum, & Ecclesiæ hostem renuntiare, & Principatu exuere, ac illius Vassallos fidelitatis juramento solvere, vt constat *ex Bulla, sub datis Avenione* 10. *Kalendas Novembris Pontificatus anno* 12. quæ incipit. *Dudum volentes*, vbi, inter alia, hęc habentur: * Sanè cum fama publica, tám verbalis, quàm litteralis plurium sublimium personarum, ad Nostrum perduxisset auditum, quòd Ludovicus de Bavaria, in discordia dudum in Regem Romanorum, vt dicebatur, electus, veluti in reprobum sensum datus, contra prędictam declarationem, temerè pręsumpserat, facta mentione expressa de Constitutione prædicta, *Cùm inter*, contrariũ asserere publicè, ac in eius præsentia per alios, vt plures in sui erroris devium traheret, facere publicari, & vt sui insania in plurium notitiam perveniret, libellum quemdam, Sigillo suo in eodem appenso, inter alia multa falsa, & erronea prædictam continentem hęresim, videlicet, quòd CHRISTO, & Apostolis in rebus, quas habuerant, nullum ius competiit, sed tantummodò vsusfructus; insuper adiecto, quòd dicere contrarium, hęreticum est censendum, prout etiam Nos, & plures ex Fratribus Nostris in diversis Libellis prædicti Ludovici eius Sigillo pendenti sigillatis vidimus contineri, per certos Nuncios ad diversas Civitates, & Principes Alemannię, & Italiæ, & aliarum partium, necnon ad Tyrannos, & Hæreticos partium prædictarum curaverat transmittere, Libellum ipsum affigi faciens in locis publicis, & exponi publicè, vt haberet de tali, & tanta infamia plures testes.

287 Ex quibus evidentiùs apparebat, ipsum asseruisse pertinaciter esse Catholicum, quòd dicta Constitutio Hæreticum iudicavit, ac fore Hęreticum, quòd dicta Constitutio Catholicum declaravit. Præcipuè cùm in eodem affirmaret Libello, se credere esse vera, & insuper cumulans malis nobis duos viros nequam, perditionis filios, & maledictionis alumnos, quorum vnus Marsilium de Padua, & alter Joannem de Janduno se faciunt nominari, ad eumdem Ludovicum gressus suos properè dirigentes, sibi librum quemdam, erroribus plenum, ac variis Hęresibus non vacuum, sicut multorum Fde dignorum Catholicorum habebat assertio, præsentarant; quos errores, & Hæreses in terra ipsius Ludovici, & in eius præsentia docere sępiùs pręsumpserant

rant publicè, ſicut habebat inſinuatio eorumdem, quodque nonnulli viri Catholici, Sacris Litteris eruditi, eidem Ludovico dicerent, doctrinam illam hæreticam, ipſoſque Marſilium, & Joannem fore veluti Hæreticos puniendos, periculoſumque ſibi fore, tales ad ſuam familiaritatem admittere, aut in terris ſuę ditioni ſubditis, ſuſtinere; ipſe tamen non acquieſcens eorum ſalutaribus monitis, velut credens illorum Hæreſes, ipſos in ſuos familiares retinuerat, errores prædictos, ac Hęreſes publicè dgmatizare permittens. (*Et infra*:) Ex quibus evidenter præſumebatur, imò convincebatur potius, Clavium Eccleſiæ Sanctæ Dei evidenter contemptor exiſtere, ac labe reſperſus Hęreticę pravitatis: Nos attendentes, quòd iuxta doctrinam Apoſtoli, peccantes publicè, ſunt publicè arguendi, &c. *

288 Cùm autem Pontifex prædictum Ludovicum Bavarum ſæpè erroris corripuiſſet, ac paternè admonuiſſet, vt à tàm nefarijs, ac ſcandaloſis hæreſibus, quæ in magnam Chriſtianitatis, & ſuæ ditionis pęrniciem graſſabantur, mentem lapſam revocaret, ac tàm execrabiles hæreticos, hæreſumque fautores, quales erant ſuprà relati, quibus cum ſocietatem inierat, velut exitioſum contagium vitaret, illo paternis hiſcè admonitionibus nihilo meliùs ſe habente, coactus fuit de illius cauſa cognoſcere, & Proceſſum, provt in huiuſmodi occaſionibus Eccleſia in Hæreticos aſſolet, pro ſui muneris debito efformare; cognitaque illius pertinacia, ad eius condemnationem procedere, vt liquet ex ipſius Pontificis verbis, quę *infrá* ſubiungit, dicens: * Cùm præmiſſa adeò ſint notoria, quòd nequeat tergiverſtione aliqua occultari, præſente hac multitudine Fidelium copioſa, ipſum reputantes, & declarantes meritò contumacem, Dei nomine invocato, de Fratrum eorumdem Conſilio, ipſum fore hęreticum, declaramus, ipſaſque Aſſertiones, per dictam Conſtitutionem hæreticas, vt prędicitur, declaratas, & ſcripturas quaſcumque, continentes eaſdem, necnon & ipſum Ludovicum, velut hęreticum reprobamus, & ſententialiter condemnamus. *

289 Nec hoc mirum videri debet, cùm iam antea ipſe Pontifex prædictum Ludovicum, ob graviſsima illius patrata ſcelera, in Apoſtolicam Eccleſię Authoritatem commiſſa, quando diſcordi electione, Romanorum Rex renuntiatus fuit, hęreſum Fautorem, & Eccleſiæ hoſtem declaravit, vt oſtendūt præfatę BVLLÆ verba, quibus Pontifex *in illius principio* ſic eloquitur: * Eumdem Ludovicum, quem ſuis demeritis exigentibus, velut hæreticorum fautorem, & perſequutorem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac plurium atrocium aliorum exceſſuum patratorem, de Fratrum ipſorum privaveramus Conſilio, iure, ſi quòd ſibi ex electione prædicta fuerat adquiſitum. *

290 Et *in Bulla*, qua prædictus Pontifex Marſilium Paduanum, & Jandunum declaravit, & condemnavit, vt hæreticos, & ſocios, conſiliarios, ac fautores execrabilium errorum, quos Ludovicus Bavarus in ſuis ditionibus diſſeminaverat, ſic de eo inquit *in principio*: * Quòdque ipſos errores, ac hæreſes, in Ducatu, ac terris Bavariæ, Ludovico de Bavaria excommunicato, Dei, & Eccleſiæ, Fideique Catholicæ perſecutore manifeſto, & hoſte crudeli, ſuiſque horrendis exceſſibus, & gravibus culpis exigentibus, iure, ſi quod ei ex electione diſcordi, quæ de ipſo celebrata dicebatur, ad Regnum Romanorum, vel Imperium competebat, iuſto privato iudicio, eiſdem Marſilio, & Joanni, favente ſuper his, ac etiam adhęrente, dogmatizare publicè præſumebant, &c. *

291 Et cum peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, ſuo pondere ad aliud trahat, vt S. GREGORIUS, ORIGENES, & alij tradunt, graviſsima delicta, in quibus Ludovicus, eiuſque ſocij, Marſilius, & Jandunus voluptabātur, eos ad graviora, ac longè immaniora flagitia perduxerunt; ſiquidem in Romana Curia tamquam Apoſtolico Vicario, ſedente, ac gubernante Viterbienſi Epiſcopo, cui Pontifex ſcripſerat, ac vehementer commendarat, vt Catholicum Populum hortaretur, ad prædictam perſequutionem conſtanter ferendam, omnemque præfati Ludovici Bavari Hæreſibus aditum intercludendum, Marſilius, Ludovico Bavaro patrocinante, Romam ingreſſus, eodem Ludovico favente, in ipſum Viterbienſis Epiſcopi locum ſufficitur, vt meliùs poſſet Romanum Populum ſuis hęreſibus inficere. Vnde commotus fuit Pontifex, ad S. Theodori Cardinalē Romam mittendū, vt tantis exceſsibus mederetur, & ſi Romam ingredi non poſ-

ſet,

set, in locis Vrbi vicinioribus, publico Edicto Romanum Populum hortaretur, eique præciperet, vt in prædictos hæresiarchas, Marsilium, & Jandunum, manum inijceret, eosque in Vincula, ac tenebras manciparet; vt patet ex BVLLA *sub datis Avinione* 17. *Kalend. Maij*, *anno* 12. quæ incipit. *Ad Nostri Apostolatus auditum*, ibi enim hæc, inter alia, præcipit Pontifex. * Romanum Populum, & eos, qui Rectorum, & Gubernatorum ipsorum gerunt officium, per publici propositionem Edicti in locis publicis. (Et *paulò infrà*:) Moneas efficaciter, & inducas, vt ipsi prædictos Marsilium, & Joannem hæreticos capiant, & tutè custodiant, &c.* At præfatus Marsilius rigorem sibi minantem evasit, ad Ludovici præsidium confugiens, prout testatur JOANNES VILLANVS, illorum temporum Author, sic scribens: * Elusit Pontificiam severitatem Marsilius, Clientela Ludovici rectus; * quem idem Joannes Villanus, *perfidum hæreticum, ac Bavari ductorem* appellat.

292 Adulatio, & ambitio Petrum è Corbaria vehementer impulerant, vt se se Ludovici Theologum efficeret, quo liberiùs posset pernitiosissima sua doctrina, exitiale suum in Apostolicam Sedem, & Joannem XXII. qui in D. Petri Cathedra sedebat, odium evomere, Imperatori suis cavillis suadens, Romanum Pontificem adeò ab Imperatore pendere, vt possit iste, pro libito, illum creare, vel deponere, provt rectè annotavit ODORICVS RAYNALDVS *ad annum* 1326. *n.* 11. vnà cum JOANNE VILLANO *lib.* 10. *cap.* 104. * Quibus sceleribus (inquit Raynaldus, loquens de Marsilio, & Ludovico) aliud atrox adiecerat, vt Præcursor Antichristi, Petri scilicet ê Corbaria. (Et *paulò infrà*:) Evomuerat iam ante eam Blasphemiam, Romanum Pontificem, non suam à CHRISTO Domino, sed Romanorum Imperatore, Authoritatem accipere; huiusque juris esse, Pontifices ad arbitrium creare, vel gradu pellere. *

293 Hac igitur æquè pernitiosa, ac scandalosa doctrina Ludovicus, assertus Imperator hostile odium, ac atrocem vindictam satiaturus, in Pontificem quæsitis coloribus processit, quòd in Fide defeciisset, ideòque eum apud suum Tribunal (proh nefas!) non veritus reum constituere, tamquam in hæresim prolapsum condemnavit, cuius condemnationis mentionem facit NICOLAUS PSEVDOMINORITA SCHOLASTICVS, vt constat *ex manu scriptis Bibliothecæ Vaticanæ signatis, num.* 4008. *pag.* 80. vbi sic scribit: * Videns prædictus Imperator, quòd præfatus Dominus Joannes, Papa supradictus, tria Statuta nimirum: *Ad conditorem. Cùm inter nonnullos: Quia quorumdam*, ediderat, & publicè promulgaverat, & pertinaciter defendebat, &c. (*Infrà*:) memoratum Dominum Joannem Papam XXII. in hæresi publicè deprehensum per sententiam definitivam solemniter deposuit de Papatu, cuius sententiæ tenor talis est: Denunciamus, & declaramus, pronunciamus, & publicamus, præfatum Jacobum de Caturco (sic nominabatur Joannes, antequam Pontifex crearetur) ex quo, vt dictum est, contra Fidem Catholicam publicè asseruit, & statuit prædicta, & ea manifestè, & notoriè promulgavit, & publicavit, & pertinaciter pro viribus defensavit, fuisse, & esse censendum hæreticum notorium, & manifestum, excommunicatum, ab omnibus Catholicis evitandum, & quia de facto se gerit pro Papa, ipsum privamus, & deponimus, sive privatum, & depositum nunciamus. *

294 Hæc, aliaque execrabilia verba (quę, quia pias Catholicorum aures adeò graviter offendunt, ommittimus) scripto protulit impius Ludovicus, Imperator suppositus, talibus edoctus Consiliariis, Michaele nempè è Cesena, Ocham, Marsilio, & Janduno, publicis iam Schismaticis, & Hæresiarchis; impiaque, ac detestabile prædictorum hæreticorum doctrina, quam demum à Petro è Corbaria accepit, executus fuit execrandam illam in Summum Pontificem sententiam, quæ non minori scandalo, quàm dolore Populum Christianum affecit, prædictum sacrilegum facinus adeò ægrè ferentem, vt verba desint, quibus possit tantus explicari dolor, omne sque præstantissimi Catholici probè noverant, præclarissimum Fidei Zelum, quo prędictus, Pontifex semper effulserat, nec ignorabant Ludovicum ad tàm iniquæ sententiæ executionem vllo absque fundamento, ac Authoritate, processisse, siquidem estò Pontifex à Fide defeciisset, & in hęresim fuisset prolapsus, neutiquã jure aliquo poterat Imperator, vtpotè merus laicus, in causa Fidei sen-

ſententiam, vel in minimum Eccleſiaſticum proferre, nedum in ſupremum totius Eccleſiaſtici Ordinis Antiſtitem, cuius Iudex, in caſu hęreſis, quando incorrigibilis eſſet, (quod nũquã per tot ſęcula, Deo providẽte, accidit) privativè quoad omnes ſolũ eſt Generale Cõciliũ, vt vnanimi cõſenſu tradunt communiter Theològi, cęterique vtriuſque Iuriſprudentiæ Doctores, pro vt ſuprà latè probavimus.

295 At minimê obſtante tàm enormi impijſsimi Eccleſiæ tyrãni Ludovici Bavari facto, demptis pauciſsimis ſcholaſticis ê ſcelerum, errorumque prædicti Ludovici complicibus, reliquus totius Orbis Chriſtiani Populus, præſtantioreſque Catholici, deciſionem, & definitionem, quam in controverſia de CHRISTI, & Apoſtolorum Paupertate, prædictus Ioãnes XXII. promulgarat, ſumma veneratione ſuſceperunt, eique pari obſervantia adhęſerunt; prout ex IOANNE VILLANO refert ODORICVS RAYNALDVS *ad annum* 1328. *num.* 17. Iſtius verba audiamus: *Ingemuiſſe ob tantum facinus bonos omnes, refert Villanus (*lib.* 10. *cap.* 70.) Norant enim Pontificem Orthodoxi Dogmatis aſſertorem, ac Ludovicum fraterculorũ faſcinatum deliriis, illi calumniam hæreſeos impingere, fallaceſque eſſe eius argutias, quas ab impiis doctoribus hauſerat; at contra ſenſit (ait Odoricus) cum Joanne XXII. vniverſus Orbis Chriſtianus in controverſia de Paupertate CHRISTI, exceptis paucis Apoſtatis religioſorũ ordinum; quo circa eiuſmodi Fratricellorum hęreſis in ipſo præfocata fomite orbem non pervaſit.* Hæc ille.

296 Præclarus ille Hiſtoricus BERNARDVS GVIDO *de Imperio Romano*, cuius liber manuſcriptus *in Vaticana Bibliotheca aſſervatur, ſign. num.* 2043. nefandum iſtud Ludovici ſcelus execrans, hęc valdè notanda ſcribit: *Præfatus Ludovicus in oſtentatione Coronationis ſuę, ſuggerentibus nefariis hominibus, mente, & fide corruptis, contra Sanctiſsimum Patrem, & Dominum Joannem Papam XXII. Vniverſali, & Catholicæ Eccleſiæ Præſidentem, & Vicarium Domini JESU CHRISTI prorupit, auſu nefario ſanctum polluens Sacerdotium, & Pontificium S. Petri, dicens: eumdem Sanctiſsimum Papam eſſe hæreticum, & non eſſe Papam Romanum, nec eſſe ſibi à Catholicis obediendum. (Et *infrà*:) Et alia nefaria nonnulla invexit, quæ pudor eſt dicere, & auditui ſunt horrori. O inſania capitis! O barbarica ſtultitia! O furor furens ad ſcindendam tunicam inconſutilem Domini JESV CHRISTI qui dicit bonum malum, & malum bonum!

297 Memoratu dignum eſt, quod in execrabile iſtud Ludovici facinus eruditê expendit S. ANTONINVS, Florentiæ Antiſtes, *Part.* 3. *tit.* 21. *cap.* 6. §. 6. vbi hæc habet: *Adeò fuit temerarius, & ſuperbus dictus Ludovicus Bavarus, quòd poſt falſam coronationem auſus fuit, facere contra Papam Joannem proceſſum, & contra Regem Robertum, tamquam hæreticos, & Pararenos, cum multis deriſionibus, & contumeliis, eos ad ignem condemnando: vndè omnes boni Fideles abominati ſunt eum, & multi Clerici ex Urbe receſſerunt, nè participarent cum illis ſchiſmaticis, & excommunicatis.*

298 Nec tàm immani ſcelere quievit obſtinata temeritas, & inextinguibile odium, quo Ludovicus Eccleſiam, & legitimum eius Præſidem, Ioannem Pontificem, perſequebatur, ſed ad vlteriora progreſſa eſt pervicax tyranni impudentia; Romam ſiquidem petijt, ibique voluit de novi Pontificis creatione agere, vt Eccleſiam duplici capite monſtruoſam redderet, & deformem, noluitque ad hanc electionem Cardinalem aliquem, aut Antiſtitem convocari, eo quòd omnes iſtos, tamquam hęreticos haberet, quòd legitimi ſui Capitis, Ioannis nempè XXII. ſententiam ſequerentur. Ad hãc igitur Electionem, tot titulis monſtroſam, cum ad illam nec Cardinales, nec Epiſcopi, nec quatuor Baſilicarum Canonici confluxerint, ſolos minoris Ordinis Clericos, nullo titulo, aut Dignitate fulgentes congregavit, in quorum congreſſu, vel (vt meliùs dicam) Satanæ conventiculo, voluit, vt tamquam Eccleſiaſticum Romani Cleri caput, præſideret Marſilius Paduanus, iam dudum ſchiſmaticus, & hęreſiarcha renunciatus, impioque, ac tyrannico Ludovici Imperio prędictus Clerus inuitus, & coactus Petrum ê Corbaria Minoritam Romanum Pontificem, vel vt meliùs dicam, Antipapam elegit.

299 Adeò execrabilis, & Chriſtiano orbi inviſa, ac deteſtabilis fuit iſta Ludovici temeritas, vt eloquentiori deſi-

ciant verba, quibus pro dignitate exprimi possit, imò abundent doloris lacrymæ, quibus tanta infœlicitas defleri queat, de qua meminit ODORICVS RAYNALDVS *ad annum* 1328. *num.* 42. sic scribens: *Hæc ad elidendam Ludovici potentiam agebat in Germania Pontifex, cum ille Romæ Sacro Ascensionis Dominicę die atrox facinus, creato Pseudo-Pontifice, adorsus est: observatque Nicolaus Minorita, Ludovicum, vt ritè scelus perageret, affirmasse, Cardinalium Senatum hæreticum esse, qui cum Joanne XXII. sentiret: proindè omnes Archiepiscopos, & Episcopos, qui eius Decreta excepere, hæresi maculatos; atque ita ad plebeculam, & nonnullos Minoris Ordinis Sacerdotes, quibus præerat Marsilius Hæresiarcha (nam Canonicorum Collegia Patriarchalium Basilicarum aufugerant) redactam eligendi Pontificis Potestatem. Ludovicus itaque, è fece illa dignum schismaticorum caput, Petrum à Corbaria Pseudo Minoritam, qui Sacerdotium iam cõtaminarat, dùm in coniugio invita vxore illud susceperat, ad Solium Pontificale extulit.* Hæc ille.

301 Christiano certè zelo, & inexplicabili dolore horrendum istud Ludovici scelus deflet, & de illo condolet Præclarus ille Antistes singulari pietate, & eruditione insignis, & professione Minorita, ALVARVS PELAGIVS, qui per id temporis *Librum* illum *de Planctu Ecclesiæ*, numquam satis laudatum, in lucem edidit, vbi hæc notatu dignissima scribit: *Bavarus in Imperio intrusus, olim Dux Bavariæ, cum populo stulto, & infideli, & furioso, & Clero phantastico Romano adulante sibi, in furia Theutonica, & insipientia sua, & vindicta, Dominum Papam Joannem XXII. *in cuius tempore scribo hunc Librum*, deposuerunt in Vrbe, & sibi substituerunt de facto Pseudo religiosum de Ordine Minorum, Fr. Petrum de Corbaria, quem cognovi in Vrbe verum hypocritam, cum Conventualis essem ibi Romæ in Ara Cæli, decimantem mentam *Matthæi* 23. & anetum in quibusdam abstinentiis exterioribus, & in aperto, & in abditis loculos compilantem, & inter mulierculas Romanas, quasi continuê residentem, & gloriam aucupantem: & sicut mihi testimonium prębuerunt Minister illius Provinciæ Romanę, & Custodes tunc, cum essemus in magno Concilio, de facto eius, & aliorum, qui Ecclesiæ, & Ordini revellaverant, anagniæ minus habentem, scilicet in castitate, & sic Fidem paupertatis, & munditię, & obedientiæ, quæ sunt legis graviora relinquentem, *Matthæi* 23.* Hactenùs ille.

302 Nec minori dolore nefarium istud facinus execratur BERNARDUS GVIDO *in Libello de Imperio Romano*, qui extat Manuscriptus *in Bibliotheca Vaticana sign.* 2043. vbi hæc scribit * Ad cumulum vesanię suæ, & in vituperium dictę Vrbis, & in scandalum Fidei Catholicæ fecit fieri, & erigi in Antipapam quemdam Pseudo religiosum de Ordine Fratrum Minorum circa festum Ascensionis Domini *anno eiusdem Domini Benedicti* 1328. eumdemque Antipapam fecit, non sacris, sed execratis orationibus execrari potiùs, quàm sacrari: cui etiam Antipapæ ipse Ludovicus reverentiam indebitam, tamquam Summo Pontifici exhibuit, & cervicem, & genua inclinavit, ipsumque manu tenuit, & deduxit tamquam idòlum, & Pastorem, & nefarium hominem pro Vicario Domini JESV CHRISTI. Præfatus Pseudo Papa vocabatur Frater Petrus Raynaldutii de Corbario, Reatinæ Diœcesis, qui vxorem habuerat, & adhuc habebat Joannam Matthęi de Corbario, eiusdem Diœcesis, cum qua cohabitabat publicè coniugaliter, vt maritus *annis quinque*, antequam assumeret habitum fratrum Minorum, quem assumpsit renitente pariter, & invita.*

303 Prædicta eleganter confirmat ALBERTINUS MVSSATVS, referens Ludovicum immani illo scelere hominum memoria indignissimo, non modò sibi nullum plausum, sed summum Christiani Orbis odium conciliasse, vt ex sequentibus verbis innotescet. *Quod pravis aliquorum sibi adiunctorum consiliis Papam Joannem abominatus, ac detestatus furioso plebeiorum, Populique Romani clamore, accensoque rumore, in illum, sub nullius Sacri, solemnisque juris serie, solius facti executione, depositionis, hæreticæque superstitionis sententiam fulminasset; nevè Divini, humanique juris alusioni, Sacrarumque Constitutionum, ac Consuetudinum quidquam deesset, turpi ludibrio, periculosoque Christiani Ritus

discri-

discrimine Antipapam, Cardinalesque creasse, sub clamore, favoreque dementiæ popularis, sub Sacri-Manti Papalis effigie, Galerorumque rubeorum; ad vltimumque fœdum, ac cæcum Consistorium constituisse, de potentia Papæ, factiosas per imperitos consodales suos, astu partiario, conscriptiones promulgasse.

304 Deniquê, & simplicissimorum puerorum more, Joannis Papæ ideam, seu imaginem ex stramine formari passum esse, ipsamque imaginem, Joannis Papæ nomine, igni adiudicatam cremasse. Quæquidem talia toti mundo horrenda, abominandaque Ludovico huic levitatis, parvæque prudentię, potiùsque paucæ maturitatis infamiam attulere. Verùm cum per plurimos imperialis factionis hæc iam dictis consodalibus, praviisque consiliariis, quam ipsi Ludovico adscribi, dicerent; vsquequaque tamen ipsa excusatio non levabat.*

305 Quamvis Joanni Pontifici magna præbebatur occasio excandescendi, ac sese graviter commovendi in Minorum Religionem, cuius alumni erant Michaël de Cesena, Petrus de Corbaria Antipapa, Guillelmus Ocham, aliique schismatici, quorum directione, consilio, ac pernitiosa doctrina, Ludovicus Bavarus Pontificium Thronum tam hostiliter persequebatur, adeò, vt non absque fundamento timeretur, nè Pontifex ipsam Religionem gravi aliquo mulctaret supplicio: verùm Sanctissimus Pontifex, vt vniversus agnosceret Orbis, quàm alienus esset ab huiusmodi opinione, cupiensque videri vniversalis Christiani Orbis Pater, ac verus Divinæ Clementiæ, ac mansuetudinis CHRISTI imitator, erga eos, qui eum ita graviter offenderant, & suis flagitiis haud leviter lacessiverant, eximia Paternę pietatis indicia præbuit, miseratus Religionem, quæ tunc temporis non parvis doloribus, & ærumnis obruebatur, eique prędara magni sui amoris signa exhibens, eam ad osculum pacis admisit, suæ liberalitatis thesauros expendens in remunerandis plurimis eiusdem Religionis filiis, qui suis litteris, & virtutibus huiusmodi honores promerue rant; duos eiusdem Religionis alumnos ad Sacram Purpuram evexit, alioque plures Episcopali Dignitate condecoravit, vt cum toti Orbi palam faceret, quàti Religionem, adeò Sanctam, proboque istius filios duceret, ac de illa benemeritos æstimaret, vt testatur S. ANTONINVS 3. *Part. tit.* 24. *cap.* 9. §. 15. his verbis: * Assumpti ad Cardinalatus prędellētiam duo fratres Aquitanici, Viri vtique litterati, & suæ Religionis Minorum ferventissimi Zelatores, Fr. videlicet Vitalis de Furno, & Fr. Bertrandus de Turre, canum latrantium contra Ordinem clamoribus in facie Ecclesię respondent.*

306 Et *infrà* expendit Sanctus, quanto dolore afficiebantur Principes, & Reges, videntes Minorum Ordinem in tanta tribulatione positum, ei suam protectionem, & cum Romano Pontifice intercessionem offerentes, vt præfatam Religionem Pontifex benignis oculis aspiceret: *Multi quoque Reges, ac Principes Ordinem in tanta tribulatione positum adiuvabant in Curia, Rex Franciæ, Rex Castellæ, Rex Aragoniæ, Rex Cypri, Rex Maioricarum. (Et *infra*:) Magna pars dictorum Regum, & Principum scripsit pro excusatione, & conservatione Religionis ipsius cordialissimê, Domino Papę. Et magni Magistri, & famosi tunc erant. Et ob hoc divino instinctu Dominus Papa, malitiam invidorum susurrantium, & solemnitatem, & innocentiam Religionis perpēdens, flexus ad eam, tùm ex compassione, tùm afflictione, litteras multum consolatorias, & favorabiles misit Parisios Capitulo Generali, & ad amorem pristinum est reductus.* Hæc Sanctus.

307 Et quoniam ad prædictæ Sanctæ Minorum Religionis commendationem, & ostensionem Paterni amoris, quem erga præfatum Ordinem Joannes Pontifex ostendit, præclarê facit responsiva istius Pontificis EPISTOLA, quam scripsit *Galliarum Regi*, qui ei prædictum Ordinem enixè commendarat, aliquas præfatæ Epistolę periodos hìc duximus transcribendas, inter alia enim, hæc ait Pontifex: * Quia in eadem littera recommendationem Ordinis adiecit Regia Celsitudo, precesque fudit, vt pacem in dicto Ordine ponere curaremus, ad hoc, vt aliàs respondimus, respondemus, quod personas dignas honoris pariter & favoris, tenemus indubiè in Ordine multas esse, quas cum earum probitatis obtentu; tùm etiam partium Regiarum intuitu, proponimus, & intendimus propensiùs habere com-

commendatas: nec excessus olim Rectoris, (nimirùm Michaëlis Cęsenatis) sequaciumque suorum, adhuc & plurium aliorum, si cum eis concurrerent, à dilectione Nos dicti retraherent Ordinis, nec contra illum turbare Nos poterunt, Domino concedente; cum non deceat, alium ex alterius odio prægravari, pœnaque suos Actores tenere debeat, nec sit ad alios extendenda. Pro pace autem dicti Ordinis Nos, sicut vnus de Prædecessoribus nostris, vtiliter credimus laborasse: & si Fratres vellent agnoscere, quanto periculo dictus Ordo subiacebat, tempore, quo assumpti ad statum huiusmodi fuimus, credimus, quòd nequaquam in dubium revocarent, quòd ex quo cœpit ipsorum Ordo, nullus efficaciùs, quàm Nos pro statu eorum pacifico laboravit: nec adhuc recusamus laborem, imò parati sumus promptè assumere, quoties opus fuerit.*

307 Quamqua m tanta Pontificis benignitas, propitiusque illius erga eumdem Ordinem animus satis, superque erat, vt Michael de Cęsena se ei humiliter subderet, erratorumque veniam postularet; talis tamen*, ac tanta fuit illius pervicacia, vt non modo se non correxerit, quin etiam suum in Pontificiam Authoritatem errorem liberiùs disseminarit. Et quamvis Pontifex aequissimo iure posset eum graviter punire, nihilominus volens, ac vehementer optans, errantem ovem ad Ecclesiæ caulam reducere, & amissam recuperare, Paterna vsus clementia, iussit, eum Avinionem accersiri, vbi coram Cardinali Bertrando de Turre alijsque tribus gravissimis ejusdem Ordinis alumnis, eum paternè corripuit, publicosque, & notorios illius excessus exprobravit, vt ab illis resipiscceret, iussitque, nè è Romana Curia sine speciali Pontificis licentia exiret: vt constat *ex tom. 6. par. 3. epist. secret. pag.* 188. & refert NICOLAUS MINORITA *in M.S. Bibli. Vaticana, sig. num.* 4008. *pag.* 21. his verbis: * *Anno Domini* 1328. *nona die Aprilis*, quæ fuit *Sabbato in Albis*, Dominus Joannes, Papa XXII. fecit vocari coram se Fratrem Michaelem Ministrum in præsentia Domini Fratris Bertrandi de Turre, Cardinalis, & Fratrum Petri de Prato, Ministri Provinciæ S. Francisci, Raymundi de la Dos, Procuratorum Ordinis in Romana Curia, & Laurentii de Coalbano, Baccalari Avenionensis; & dixit Generali Ministro prædictus Dominus Joannes Papa, eum, inter multa alia nuncupans, quòd erat stultus, temerarius, capitosus, tyrannus, fautor hæreticorum; & quòd erat sicut serpens nutritus in sinu ab ista Ecclesia, & specialiter increpavit eum de quadam littera Capituli Generalis facta Perusij, quòd quæstione pendente in Curia, ipse eam determinare cum Capitulo Generali præsumpserat: quam litteram, dixit, fuisse, & esse hæreticam, pluries, & frequenter. Vltimo præcepit sibi per obedientiam, & sub pœnis excommunicationis, privationis officij, & inhabilitationis ad quodcumque officium, & beneficium, vt non exiret de Romana Curia sine licentia speciali: quas pœnas, vt dixit, volebat ipsum incurrere ipso facto in hora, qua exire de Curia attentaret. *

308 Surrexit ê Pontificis pedibus, & ab illius præsentia discessit Michael de Cęsena, summa reprehensus benignitate, sed emendatus minimè; siquidem post prædictam correctionem evulgavit, & gloriatus est, se in faciem Papæ restitisse, quemadmodum D. Paulus D. Petrum reprehendit; prout referunt NICOLAVS MINORITA *in sua Historia*, & P. GERARDVS, Minister Generalis, immediatus Michaelis de Cęsena Successor, singulari pietate, doctrina, & Ecclesiastico Zelo conspicuus, qui abominans hanc Michaelis petulantiã, & fugam, qua à Romana Curia discessit, cum ibi ex Pontificis præscripto commorari deberet, eum graviter reprehendit, & luculenter refutat quæsitos colores, quibus præfatam reprehensionem, & fugam prætexere centendebat, sic enim ad illũ mirificê scribit: * Domino Papę te mendaciter asseris restitisse: nosti namque, quòd, qui fugit à facie, non restitit in faciem; nec Paulus resistens Petro, fugit à facie Petri, nec simulatione veritatem periclitari permisit. Tu autem, sicut res gesta declarat, à facie Domini Papæ nocturno tempore, sicut fur, & latro, fugisti. Non igitur sicut Paulus in Fide, & veritate Doctor Gentium restitisti, sed sicut Agar, mater infidelium, fugit à facie Saræ Dominę suæ, sic tu à facie Sedis Apostolicæ, Dominæ tuę, velut desperatus homo, fugisti.

309 Quòd autem argumentis vanissimis innitaris, luculenter apparet; tùm cũ vis tuam Apostaticam fugam etiam CHRI-

STI

STI consilio colorare: dicis, quòd Papa te, tuosque sequaces persequebatur vsque ad mortem, ideò iuxta consilium CHRISTI, dicentis: *Si vos persecuti fuerint in vna Civitate, fugite in aliam*; in Civitatem Pisarum te transtulisti. Sed verecundari deberes tu, qui confidis, te ducum esse cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infatuatorum, habentem formam scientiæ, qui Doctor cognominaris Theologiæ, quòd ita Scripturam accipias, quod taliter arguas: Legis enim, si Codicem verum habes, *Matthæi* 10. *Cum autem persequentur vós in Civitate ista*; non dicit *vna*, sed *ista*, de qua, scilicet, sermo præcesserat, vbi Dominus dixerat: *quicumque non receperit vos: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris*; vbi enim peregrinum Cives non recipiunt, nec audire volunt, sed de Civitate sua illum expellunt, vtique persequuntur: & de tali Civitate, suadet Dominus, quòd Prædicatores verbi Dei exeant, & in aliam transeant, fructum facturi salutis.

311 Tu tamē in Civitate Avenionēsi receptus fueras, expulsus nō fueras; imò quòd nō recederes, iussus fueras: coram Domino Papa prædicaveras de Fide, auditus, & audiēdus eras: locum cōvenientem habitationis, sufficientiamque victus, libertatem prædicandi, & facultatem loquendi, & consiliandi cum quibus velles: habebas. Dicat ergo tua nequam conscientia, si in tali casu iubet, vel consulit Dominus fugere, & ad aliam Civitatem ire. Nonnè dicit: *Beati qui persequutionem patiūtur propter iustitiam: quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum*? Quia ergo propter tuam, non justitiam, sed injustitiam puniri timebas, de CHRISTI consilio, nec de CHRISTI promissis curasti, sed, vt videtur, ad memoriam reduxisti verba B. Petri, dicentis: *Nemo vestrum patiatur, quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: Si autem, vt Christianus nō erubescat.* Quia ergo de Fide interrogari erubuisti, evidenter vtique demonstrasti, quòd non vt Christianus, sed vt maledicus pati timebas: nec iuxta conscientiam Pauli, cui te comparas, a fugisti. Recessisti à Vicario CHRISTI, & accessisti ad Vicarium Anrichristi. (Et *infrà*:) Accessisti, vt tu ipse dicis, ad Civitatem Pisarum, vbi tunc erat sedes Satanæ.*

312 Ex dictis manifestè liquet, quantum abominatus fuerit Minorum Ordo Michaelem de Cęsena, improbosque istius mores, ac flagitia, pariterque innotescit, quòd si iste in suis erga Apostolicam Sedem erroribus pertinax extitit, altissimi tamen providentia disposuit, quòd eo tempore præfata Religio talem, ac tantum Generalem veneraretur Patrem scilicet Geraldum, in quo efflorescceret Apostolicus Zelus, sese invicto animo prædictis erroribus opponendi, vt patuit quando Michael de Cęsena furibundus, ac querulus, quòd Pontifex se, suosque sequaces, tam quam schismaticos, & hæreticos haberet, Epistolamque Capituli Generalis hæreticam declarasset, hęc, inter alia, ad Geraldum Ministrum Generalem scripsit: *Ipse (Joannes nempè Papa) pronunciavit litteram Generalis Capituli hæreticam per se, & primò ratione contentorum in ipsa, & non ratione nostri præcisè, & reputat totum Ordinem fuisse fundatum in hæresi, & tu eius Constitutiones habes, sicut Catholicas?*

313 Huic enim inconsequentiæ, ac iniustæ Michaelis querimoniæ prædictus Minister Generalis Geraldus solita sua eruditione, ac ferventissimo suæ Religionis, & Ecclesiæ Zelo respondet, convincens calumniosam querelam, quam Michael in Pontificem effuderat, vt constat *ex manuscriptis Bibliotecæ Vaticanæ, signatis num.* 4001o. *pag.* 205. vbi hæc habentur; * Tu, non Dominus Papa, reprehensibilis multipliciter extitisti; tu namque quæstionem de Paupertate CHRISTI, & Apostolorum eius, in discussione Sedis Apostolicæ tunc temporis actu pendentem, prædeterminare ausu temerario præsumpsisti: de qua temeritate, nullo quidem sanę mentis dubitante, dignus reprehensione, & confusione fuisti; commissum tibi ordinem gravi exposuisti periculo; Ecclesiam vniversalem gravi replesti scandalo; Decretum Sedis Apostolicæ contempsisti; dicit enim Dominus Nicolaus III. *in decret. Exijt. Si quid penes aliquē in bijs ambiguitatis emerserit, hoc ad Culmen Sedis Apostolicæ deducatur*, vt ex Authoritate Apostolica, sua in hoc manifestetur intentio, cui soli concessum est in ijs statuta condere, & condita declarare.

314 Tu verò ambiguitatem, quam nove-

noveras in materia dictę Decretalis ad culmen Sedis Apostolicæ iam esse deductam, præoccupare, & vniversis CHRISTI Fidelibus tuam audaciam notam facere voluisti; nec quòd in hoc Sedis Apostolicę manifestetur intentio expectasti: quapropter, & præsumptionem contra te dedisti, & perfidæ opinioni speciem prætendisti; in hoc enim opinari, & credere videbaris, quôd Sedes Apostolica, tuam, non tu suam sequi deberes intentionem, vel quòd ei omninò disponeres repugnare: vndè mirari non debuisti, si Dominus Papa litteram tuam, seu determinationem, pro quanto erat tua, dixit hæreticam; non quidem definiendo, pronunciando, vel sententiando, vel etiam pro Tribunali sedendo, sed ad partem coram Ordinis nostri fratribus obiurgando, reprehendendo, & tuam temeritatem præsumptuosam increpando.

315 Tunc enim ex visibilibus coniecturis te fore suspicabatur hæreticum, sicut consequenti tempore declaravit; cernebat enim, quòd in prænominata determinatione tua speciem malam, vt prędicitur, prætendisti, quæ gravem, & periculosam hęresim sapiebat: quarè non mirum, si ad causam, & ad speciem dictæ litteræ, seu determinationis, vel potius, vt dictum est, interminationis attendens, dixit, ipsam hæreticam modo, & forma, & circunstantiis supradictis; nec ex huiusmodi dicto sequuntur inconvenientia, quę tua falsa calliditas infert, scilicet, quôd Dominus Papa ideò schismaticam, & hęreticam faciat, vt destruat, & confundat determinationem Ecclesiæ, & Regulam B. Francisci, & Religionem nostram; determinatio enim Ecclesię non est simpliciter eadem cum determinatione tua, vt de se patet cuilibet intuenti. Item, determinatio Ecclesiæ fuit à causa legitima; determinatio autem tua illegitima, & prohibita, vt ostensum est superiùs.

316 Item, determinatio Ecclesiæ speciem habet fidelissimam, puta, quia non vltimata, sed remittit ambiguitates ad culmen Sedis Apostolicę, per Apostolicam Sedem decidendas; determinatio verò tua, plena est specie mala, vt dictum est suprà, & est vltimata, ac si vniversi CHRISTI fideles tuæ tenerentur determinationi, & sententię generaliter adhęrere: quarè determinatio tua, vt tua est, hæretica potest esse, determinatione Sedis Apostolicæ Catholica remanente. In regula verò B. Francisci determinatio tua, nec verbaliter, nec sententialiter continetur.

317 Vndê igitur habes nisi à Patre mendacii, quòd si opus tuum est hęreticum, sic opus B. Francisci, opus Sedis Apostolicæ, vel potius opus Dei: Regula namque nostra fuit B. Francisco divinitùs inspirata: vndé igitur trahis, nisi ab illo, qui in infernum te trahat post se: quòd si facta tua sunt hæretica, & confusa, quòd ideò Religio nostra sit hæretica, destructa, & confusa? Nonnè vides quo modo Religio nostra facta tua videt, & condemnat?*

318 Subdidit Geraldus, Religionem Minoritanam, non Michaeli hæretico, sed CHRISTO innixam, medio B. Francisco in Fide (vt ait) & devotione, & obedientia, & reverentia, ac vnitate Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ, in eaque, quamvis Michael, & socij errent, inconcussam permansuram. Hactenus ille.

319 Eò devenit miseri Michaelis de Cæsena infęlicitas, vt contempta Paterna admonitione, & benignitate, qua erga eum vsus fuerat Pontifex Ioannes, qui eum potiùs emendationis, quàm supplicii desiderio corripuerat; spreta etiam solidissima doctrina, qua suus Generalis Minister Geraldus, eumdem Ecclesię, & suæ Religionis Zelo efficaciter fuerat adhortatus, impiosque illius errores confutaverat, & apertæ falsitatis convicerat, in ipsis adeò obstinato perstitit animo, vt non modo ab antiquis non emerserit sceleribus, sed in nova, ac immaniora sese coniecerit, adeò Ludovici Bavari schisma, eiusque detestãda errata fovens, vt cõpulsa fuerit Apostolica Sedes, lenitivis remedijs omissis, iustissimę sententię, ac damnationis fulmen in eum, illiusque criminum socios contorquere, vt ex sequenti PONTIFICIO DIPLOMATE *sub Datis Avenione 12. Kalend. Maii, Pontif. anno 13.* manifestè patet.

* *Ioannes, &c. Ad perpetuam rei memoriam.*

Quia præfatus Michael venenum, quod corde occultum diù tenuerat, evomere publicè, velut in sensum datus reprobum, non formidans, ad Civitatem Pisanam, (quę per eũdem Ludovicum de Bavaria jure, si quod sibi ex Electione discordi, quæ de ipso in Regem Romanorum facta dicebatur fuisse, quomodolibet competebat, iustitia exigẽte privatũ, tyrannicè tenebatur)

tur) non expavit dirigere greſſus ſuos, vbi cum eiſdem Ludovico, & Petro de Corbaria hæreticis, ſchiſmaticis, & rebellibus, converſans continuê, ipſoſque in ſuis hæreſibus, erroribus, & damnatis ſchiſmatibus fulciens, ac præſtans eiſdem adverſus Deum, & Eccleſiam ipſam, veritatemque Catholicam, auxilia, conſilia, & favores, nonnulla erronea, & hæreticalia contra Conſtitutiones, & Declarationes Sedis Apoſtolicæ, prę ſertim contra illam, quę incipit: *Cum inter*, ſcribere, ac dogmatizare in diverſis locis publicê, ſicut fama, ſeu potius infamia, publica notoriat, ac per eadem ſcripta, & quorumdam etiam depoſitiones teſtium, receptorum ſuper hoc, Nobis, & eiſdem fratribus conſtitit, evidenter prę ſumpſit; pertinaciter aſſerendo Catholica, quæ dicta Conſtitutio, hæretica, & hæretica, quæ Conſtitutio eadem Catholica declaravit; per quæ vtique ſe reddidit de dictis hæreſis, & ſchiſmatis, aliiſque diverſis criminibus reſperſum, imò etiam, vt hæreſiarcham manifeſtè convictum, ſatagens per ſuas falſas, & hęreticales doctrinas, & dogmatizationes huiuſmodi, quas verbis, & ſcriptis inculcare ſuis damnandis molitur conatibus, Fideles à ſua fidelitate pervertere, ac animas decipere ſimplicium, ſecumque deducere in præcipitium damnationis, & mortis. Nos, nè vir tàm reprobus glorietur vlteriùs, ſuæ pravitatis opera abſque condignis demeritorum ſtipendiis præteriri; nè deinceps in ſui erroris devium, ad quod tota ſua ferri videtur intentio, plures trahat, tantis malis, & periculoſis occurrere ſalubriter cupientes:::: Præfatum Michaëlem fautorem hæreticorum, & manifeſtum hæreticum, & hæreſiarcham, & ſchiſmaticum declaramus, & ſententialiter condemnamus.*

320 At cum præfatus Michael, nec Pontificio iſto Diplomate, quo hæreticorum fautor, ſchiſmaticus, ac manifeſtus hęreticus renunciabatur, priorem mentem mutaſſet, imò in ſuis pertinaciter perſiſtens erroribus nefario, ac publico ſcandalo populos commoviſſet, ſuiſque ſceleribus ſocios addidiſſet; Sanctiſſimus Pontifex, nè prędictus Michael pernicioſa ſua doctrina Chriſtianum populum contaminaret, iuſſit aliud expediri Diploma, quod incipit: *Quia vir reprobus*, vbi peſtifero illi, ac lethali doctrinæ veneno, quem in Apoſtolicę Sedis Authoritatem dictus Michael diſſeminaverat, ſalubre appoſuit antidotum ſolidæ, & Apoſtolicæ doctrinæ, quam amplexuri erãt Fideles, nê incauti in pernicioſiſsimos errores miſerrimè laberẽtur. Prædictum Diploma videre eſt apud ODORICVM RAYNALDVM *ad annum* 1329. *num.* 22.

321 Et quamvis poſt prædictam Pontificiam Cõſtitutionẽ, hi, qui in ea exprimuntur, in Pontificiam Authoritatem tenaces præſtiterint: nihilominùs demptis Michaele de Cęſena, iſtiuſque ſequacibus, reliqui prędictæ Minorum Religionis profeſſores pro Apoſtolica Sede conſtantiſsimê ſteterunt, ſingularique humilitate, ac obedientia Pontificia Decreta in præfatos ſchiſmaticos expedita, venerati ſunt, eiſque pari animi ſummiſsione paruerunt, vt conſtat ex eiuſdem Pontificis Joannis EPISTOLA *ad Franciæ Reginam*, vbi hæc leguntur:

**Ioannes Epiſcopus, &c. Ioannæ Reginæ Franciæ illuſtri.*

Vt de affectione, quam ad eumdem Ordinem gerimus, ſolicitudini Regiæ ſatisfiat indubiè volumus excellentiam Regiam iſtud ſcire, quòd ex tunc affectus noſter ad eumdem Ordinem auctus eſt, meritò non mutatus. Ex tunc enim, non obſtante, quòd ille Petrus de Corbario, reputatione frater eiuſdem Ordinis, Cathedram B. Petri præſumptuosê nimiũ tentaverit occupare, ſeque Summum Pontificem à ſuis ſequacibus fecerit nominari; Michael quoque, olim eorumdem Miniſter, cum nonnullis ſuis ſequacibus, à Noſtra, & Sedis Apoſtolicæ obedientia ſe, velut ſchiſmaticus, & hæreticus, duxerit ſubtrahendum; Miniſtriſque dicti Ordinis, & aliis fratribus Petrus, & Michael, ſuprà dicti ſub pœnis gravibus per ſuas litteras duxerint iniungendum, nè Venerabili Fratri noſtro Beltrando, Epiſcopo Tuſculano, quem dicto Ordini, quouſque de Miniſtro ordinatum foret, Vicarium dedimus, in aliquo non parerent; & Noſtras, & eiuſdem Vicarii ſententias excommunicationis, vel alias nullatenùs obſervarent, ſed interdicta, per Nos poſita, violarent.

322 Ordo tamen prædictus generaliter vbique (paucis exceptis perſonis vilibus, quæ feré omnes propter eorum

delicta

delicta, dudum carceri adiudicati fuerant, vel erant præsentialiter iudicandi) adeò promptè, & plenè Nostris, & dicti Vicarii paruere mãdatis, sicut vmquam Summo Pontifici, vel suo vero Ministro paruit dictus Ordo. Interdicta quoque Nostra servaverunt, vbi potuerunt, Fratres dicti Ordinis: vbi verò non potuerant, fugientes de locis illis, se ad loca, vbi servare poterant, transtulerunt.

323 Contra fautores quoque Petri, & Michaëlis, tàm Inquisitores hæreticæ pravitatis eiusdem Ordinis, quàm Ministri, & alii, ad quos poterat pertinere, diversos Processus fecerunt, & sententias protulerũt: ac in præsẽti omnes Ministri, & Fratres alii pro Generali Ministro, opportunè spretis mortis periculis, quod erat incredibile, properant versus Parisios gressus suos. Nonnê per hæc, filia charissima, meruit dictus Ordo, sed & promeruit merito gratiæ, & favoris augmentum? &c.* Extat *Tom.* 7. *Epistolar. pag.* 1. *Epist. Secr. pag.* 124.

324 Non modò his verbis magnam suam erga prædictum Minorum Ordinem pietatem ostendit Pontifex Joannes, sed clementissima etiam ferventissimæ Charitatis viscera patefecit erga eum, qui eo tempore Pontificium Thronum magis offenderat, Petrum nempè ê Corbario, quem vltrici ira exardescens Ludovicus ad Pontificium Apicem tyrannicè evexerat, vel, vt meliùs dicam, Antipapam violenter crearat; hic enim suum agnoscens errorem, damnaque Ecclesiæ suboritura, necnon & scandalum, si in phantastico illo intrusi Pontificis titulo diutiùs permaneret experientia quidem ipsum edocente., ad meliorem vitæ frugem conversus, Pisis suorum errorum palinodiam publicê decantavit, ipsosque abiuravit, seque Summi Pontificis obedientiæ humillimè subdidit, ex illius pietate sperans, sibi permittendum, vt idem istud obedientiæ obsequium coram ipso Pontifice exhiberet, prout refert JOANNES VILLANUS, illorum temporum Historicus, *lib.* 10. *cap.* 164. Cuius rei certior factus Pontifex, mirificè- que lætatus, eximia sui gaudii indicia præbuit, vt videri potest *in Epistola*, quam amoris, ac Paternæ benevolentiæ plenam, ad eum scripsit, eique permisit, vt novum illud obsequium Apostolico Throno, eique, qui Dei vicem gerebat, exhibere posset, quę sic se habet, *Tom.* 7. *part.* 2. *Epist. secret. pag.* 2.

**Petro de Corbario, Ordinis Fratrum Minorum.*

Læti percepimus hodie, te, iter spontaneè prosequentem ad nostram veniendi prę sentiam lætum, & incolumem Nicæam perveniss e. Profectò, Fili, talis adventus cor nostrum exultatione replevit, & gaudio non indignè: si enim Patri cedat ad gaudium, videre filium inventum fuisse, qui perierat, vel qui fuerat mortuus, revixisse, cuius tamen inventio, vel revictio, paucis, aut forsan nulli fuerat profutura, quantum putas tua inventio, & à morte spirituali resuscitatio, in Nobis possit, & debeat peperisse gaudium, de cuius inventione, & resuscitatione multorum salus probabiliter spectatur?

325 Rursus, si *Angelis est gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente*, cuius forsan pœnitentia futura non esset vtilis, nisi sibi; quantum Nobis, imò toti Ecclesię Catholicę super tua conversione possit existere gaudium, quę nedum tibi prodest ad meritum, sed & Deo ad gloriam, Angelis ad gaudium, cunctisque cedit hominibus ad exemplum? Proculdubiò tantum est, & esse debet huiusmodi gaudium, quod lingua non posset illud de facili explicare.

326 Nec tu, fili, expers à gaudio debes esse: si enim est gaudium ad lucem venire de tenebris, & de crudelissimo liberari carcere, ac de iugo gravi ad suave transire; vtique tibi, in quo spiritualiter concurrunt præmissa omnia, ingens in Domino gaudium debet esse: nec quoad Nos, nec quoad te gratiarum debet cessare actio, nec vox laudis, imô debent illi, qui tàm clementer, tàmque misericorditer nobiscum dignatus est agere, in corde, & ore iugiter resonare; ac etiam ipsum suppliciter exorare, vt qui præmissa faciendi virtutem tibi tribuit, in ipsis quoque perseverandi vsque in finem virtutem misericorditer largiatur. Gaude ergo, fili, in Domino, qui de tantis malis te liberavit, & periculis, & gratiarũ actiones non cesses agere, lætèque ad Nos venire festina, sciturus indubiè, quod Nos pium Patrem & clementem reperies, prę terita in memoria non tenentem, sed te tractãtem sicut cha-

charissimum filium, & specialem amicum. *Datis Avenione 5. Idus Augusti, Anno Pontificatus 16.**

327 Hacce Pontificis Joannis Epistola tanto amore, ac ferventissimę benevolentię indiciis plena, excitatus, & roboratus Corbarius, iter ad Romanam Curiam, Avenione residentem, libens, & lubens arripuit, altissimum pręteritorum scelerum, & errorum dolorem præseferens, prout testatur JOANNES VILLANVS *lib.* 10. *cap.* 164. & ZVRITA *lib.* 7. *cap.* 13. his verbis: * Iterque cœptum prosequutus, & in omnibus insignibus locis publicè damnato crimine, 24. *Augusti die* Avenionem ingressus proximè insequenti, in medio Cardinalium Senatu, laqueo coniecto, magna animi demissione, ad Pontificios Pedes prostratus, seque hæresi contaminatum fassus, condemnatoque Bavaro, qui illum Pseudo Pontificem crearat, admissa à se flagitia, iniectumque Orbi Christiano impietatis exemplum execratus, misericordiam imploravit.*

328 Pontificis pedibus provolutus, gravissimorum suorum scelerum veniam singulari humilitatis, pœnitentiæ, ac obsequii erga Apostolicam Sedem demonstratione expoposcit, & profusis contriti cordis lacrymis, Ecclesiæ pietatem, clementiamque imploravit, & in pleno Consistorio, coram Pontifice, & Cardinalibus, ad Ecclesię gremium singulari benignitate susceptus, suos errores publicè abiuravit, idque præstitit, medio publico instrumento, quod authenticum extat *in Apostolico Archivo Castelli Sancti Angeli Romæ, & in Manuscriptis Archivi Vaticani lit. C.* NICOLAI, Card. de Aragon *pag.* 141. *& in alio Manuscrip. pag.* 248. *apud* BOSQ. *in vita Ioannis XXII. & apud* CONTEL. *in Elench. Cardinalitũ*, & sic se habet. *In nomine Domini, Amen. Cunctis, & singulis pateat evidenter, quòd *anno à Nativitate Domini* 1330. *Indict.* 13. *Pontificatus Sanctissimi, in CHRISTO Patris, & Domini nostri, Domini Ioannis digna Dei providentia Papæ XXII. anno* 15. *die* 6. *Mensis Septembris* constitutus personaliter coram ipso Domino Nostro Papa in privato Consistorio, præsentibus, & assistentibus eius Reverendis in CHRISTO Patribus, Dominis Cardinalibus eiusdem Sacri Collegii, necnon alijs testibus, & nobis Clericis Cameræ suæ, publicis Tabellionibus infrascriptis: Frater Petrus de Corbario, Ordinis Fratrum Minorum, ex sua certa scientia, gratis, & spontanea voluntate, ac motu suo propriò, liberè facta, & exhibita reverentia humili, & devota sępiùs genibus flexis eidem Domino nostro Papæ, & Dominis Cardinalibus, in eodem Consistorio præsentibus, testibus :::: Capellanis Apostolicis, in effectu proposuit, & legit per ordinem, sicut denotantur inferiùs, omnia, & singula, quæ sequuntur, &c.*

329 Et sequutus consilium, quo Sanctus Ambrosius Imperatori Theodosio, sese Davidis exemplo purgare conanti, obstitit, dicens: *Si sequutus es errantem, sequere pœnitentem*, ceu alter David, veri doloris, ac pęnitudinis lacrymis perfusus, omnia, & singula, in quibus à veritatis tramite præcipuè deflexerat, publicè confessus est. Sed omitti non possunt, quæ *n.* 15. fatetur, dicens: * In primis itaque, confiteor, & cum ingenti amaritudine animi recognosco, quòd cum seductor ille schismaticus, & hæreticus manifestus, Ludovicus de Bavaria, &c. (Et *infrà n.* 16.) Cum idem perfidus Ludovicus, datus in sensum reprobum, se de facto fecisset Imperatorem à dictis Romanis perfidis, coronari, & contra vos, Beatissime Pater, diabolicam, & iniquissimam depositionis, imò verius abusionis promulgasset sententiam, & processus diversos, temerarios, falsos nimirum, & iniustos, meque ad quorundam perfidorum principalium Romanorum Clericorum, & laicorum instantiam, eius sequacium, vnà cum certis de clero, & Populo perfidis, eius complicibus, & fautoribus, ad hoc secum vocatis, in Papam, & summum Pontificem, imò verius Antipapam damnatum, & pestiferũ, elegisset: Ego miser, inductus, imò seductus, suis, & multorum, tàm clericorum, quàm laicorum, eius fautorum, & sequacium dictæ Vrbis præcibus importunis, & pernicioſis instantijs, ac infestis falsò, & erroneè asserentium, quòd Papam Imperator deponere poterat, & loco depositi alium ordinare, & quòd per consequens eidem hæretico, & schismatico Ludovico, qui tunc in fictum, & falsum Imperatorem denuò se coronari de facto fecerat, & vos, Pater Beatissime, abusivè deposuerat, hoc licębat, mea superbissima damnatione, mo-

re Luciferi, ambitioneque damnabili nihilominus excæcatus, huiusmodi acclamationi, tàm nefandæ, quàm reprobæ, imò nulli, & malitiosæ, consensum meum temerarium, & excæcatum, sicut præmittitur, omni pœna dignissimum, non erubui adhibere, & subsequenter consecrari, imò execrari, ab hæretico, & schismatico Iacobo, dudum Episcopo Castellano, excommunicato, & deposito, & coronari à dicto hæretico Ludovico de Bavaria me permisi, &c.*

330 Et relatis pluribus ex ijs, quæ suppositâ intrusi Pontificis authoritate egerat, quæ quia referre, nimis esset molestum, hìc omittuntur, ea omnia generaliter detestatur, hisce verbis comprehensa,* Hæc omnia, & plura alia, contra Deum, Sanctamque Catholicam Ecclesiam, ac vos, Beatissime Pater, verum, & vnicum IESV CHRISTI Vicarium, recognosco, & confiteor, me de facto iniquè nimirum, & temerè perpetrasse, quæ omnia, & singula recognosco, & confiteor nulla forè, ac cassa, & inania, velut ab illo, cui ea faciendi, non competebat ius aliquod, attentata, eaque, quantum ad me spectare potest, quatenus processere de facto, revoco, & nulla fore, & fuisse pronuntio, & declaro.*

331 Nec contentus generali hacce detestatione eorum omnium, quæ contra Deum, & Ecclesiæ, ac Apostolicæ Sedis bonum egerat, quoniam totum istud schisma, ac dissidium subortum fuerat ex inobedientia, qua adversatus fuerat Apostolicæ Constitutioni, Ioannis Pontificis controversiam de CHRISTI, & Apostolorum paupertate de Fide declarantis, sibi necessarium esse duxit, vt pleniùs Christiano Orbi satisfaceret, ea omnia, quæ hac in re Pontifex definierat, expressiùs, & in specie fateri; ideoque *num* 19. hæc subdit.* Confiteor insuper, & ore, ac animo recognosco, me credere, & tenere Fidem illam, quam Sancta Romana Ecclesia, ac vos, Pater Sanctissime, tenetis, prædicatis, ac docetis, & specialiter recognosco, me tenere, & credere, quòd ad Imperatorem non pertinet deponere, nec instituere Papam, imò hoc tenere, hæreticum reputo; prout per Processum contra hæreticos Marsilium de Padua, & Ioannem de Ianduno, per vos, Beatissime Pater, super hoc, & non nullis allis erroribus habitum, quem diligenter studui, continetur.

332 Item fateor, & recognosco, hæreticum esse, dicere CHRISTVM, & eius Apostolos non habuisse in his, quæ eos habuisse Scriptura Sacra testatur, nisi simplicem vsum facti, licet dudum contrarium tenuerim, & hæc tenentibus impenderim indebitè auxilium, & favorem: & fateor, & recognosco, quòd hoc asserentes, sunt censendi hæretici manifesti, secundum quòd in Constitutionibus vestris, Pater Sanctissime, quarum vna incipit, *Cum inter, &c.* alia verò. *Quia quorũdam, &c.* pleniùs continetur.*

333 Et *infrà.** Ac omnia, & singula Scripta, dicta, & publicata contra Constitutiones, & responsiones predictas, & tangentia eas, per hæreticos, & schismaticos Ludovicum, & Michaelem, prædictos, seu quoscumque alios, assero, recognosco, & dico, fuisse, & esse nulla, erronea, schismatica, hæretica, atque falsa, eaque omnia refuto, renuo, anathematizo, reprobo, & detestor. Item confiteor, & recognosco in veritate, quòd vos, Sãctissime Pater, & D. Domine Ioannes Papa XXII. & nullus alius, estis verus summus Pontifex, & vnicus in terris Vicarius IESV CHRISTI, & contrarium, quod tenui, & dicta quorumcumque, idem mecum dicentium, refuto, anathematizo, renuo, reprobo, & detestor.*

334 Quantũ singularis gaudii, & ædificationis Christiano Orbi hæroicum istud humilitatis, pœnitentię, ac veri doloris specimen attulerit, quo Petrus de Corbario, suos errores publicè detestatus est, tantum eidem Catholico Orbi doloris, ac scandali intulit mirabili, ac singulari isto exemplo, non emolliri obstinatam duritiem, & in suo errore pertinaciam, qua Michael de Cęsena Ludovici de Bavaria schisma, errores q; fovebat. Deus autẽ altissima sua providentia disposuit, vt quoniam Michael de Cęsena, Generalis totius Minorum Ordinis Minister, à debita Romano Pontificis, Apostolicæque Sedis obedientia defecerat, alius per id temporis Generalis eiusdem Ordinis Minister assurgeret, qui inenarrabili Ecclesiastico Zelo, Apostolicoque spiritu à Pontificia Authoritate staret, eamque acerimè tueretur singulari efficacia arguens, refutans, & convincens prefati Michaelis pervicaciam, & Religionis, ac Ecclesię honori mirificè consulens. Hic fuit

P.

P. GERALDUS, qui eum adeo luculenter & efficaciter arguit, & convincit, vt magnam prefati Geraldi doctrinę, & rationum efficacię iniuriam irrogaremus si illius verbis aliquid subtraheremus, quibus nihil est quod addendum occurrat, sed solum quòd illius doctrinam, spiritum, ac Religiosum Zelum admiremur; sic enim in prędictum Michaelem Cęsenatem invenitur, prout extat *in Cod. manuscripto Biblioth. Vatic. sig. num.* 4010. *pag.* 215.

335 * Nonnè cogitas, Fili incredulitatis, exemplum quod Frater Elias meus, & tuus in officio, sed tuus in schismatico scandalo Prædecessor, Apostata fuit, schismaticus, & hæreticus: qui sub Domino Innocentio IV. cum Friderico, ab Impetatoria Dignitate depositio, & sententialiter per Ecclesiam condemnato se subtraxit ab obedientia Domini Papæ, & Ecclesiastica vnione? His tamen non obstantibus, nostra Religio, procurante Domino, non super hoc Elia hæretico, nec super te imitatore suo, sed super solidissima Petra, CHRISTO, mediante B. Francisco, fundata in fide, & devotione, & obedientia, & reverentia, ac vnitate Sacrosanctę Matris Ecclesiæ inconcussa permansit, sicut hodie, te errante à Catholicæ Fidei tramite, cum hominibus deviis deviante, Nostra Religio, per Dei gratiam, in communione, & gratia Sedis Apostolicæ perseverat.

336 Non igitur tu Dominum Papam, sed te Dominus Papa, velut verè reprehensibilem, reprehendit. Quarè miser homo non vides, vel non intelligis, quàm inaniter, & quàm mendaciter de resistentia gloriaris? Cæterum cum inducis exemplum Cleri Romani, dicens scilicet: Ab ipsius Domini Joannis obedientia, & communione recessi, ad instar Catholicorum, & approbatorum virorum de Clero Romano, qui ab obedientia, & communione Anastasii Papæ, deviantis â veritate Fidei, quam Ecclesia determinaverat recesserunt, prout *in Can. 19. Dist. cap. Anastasius.* legitur, & habetur; istud quidem exemplum contra te militat in duobus.

337 Primò nãque, quia, si exẽpla Romani Cleri sequi decreveras, cur Romani Cleri Principibus Dominis S.R.E. Cardinalibus Catholicis, & Fidelibus, in obedientia, & communione Domini Papæ manentibus, non mansisti? Et cur ipsis non recedentibus recessisti, nisi, quia eos non sequi, sed præcedere, si te voluissent sequi, in Apostatica fuga volebas? Si tamen dicat tua perfidia, quòd non ipsos Dominos Cardinales, Clericos Domini Papæ, sed Anticardinales, dudum clericos Antipapę, habebas pro Clero Romano, seu pro Principibus Cleri Romani, respondes: Si cum illis tunc perfidis, à Communione Domini Papæ tunc recedentibus, recessisti, cur cum illis redeuntibus, & pœnitentiam agentibus, rediens pœnitentiam non egisti, postquam eorum exempla sequi volebas? nisi, quia superbia, sicut prior egreditur ad illicita opera, & posterior revertitur, seu frangitur ad pœnitentiam; sic tu superbus, superbiæ filius, primus esse in Apostasia, & novissimus in pœnitentia voluisti? Si verò tua dicat inaudita temeritas, quia nec Dominum Papam, nec adhuc Antipapam habes pro Papa, nec Clerum illius pro Clero Romano, respondes: Si secundùm opinionem tuam, Romana possit inveniri Ecclesia; quia constat, si non inveniatur Romanus Clerus, quia nec Romana Ecclesia invenitur: Clerus autem, qui habitat in Avinione, qui habitat Romæ, qui habitat in toto Orbe Catholicorum, & Orthodoxorum, obedit, & communicat Domino Papę: Clerus autem, qui est Saonę sub tuo sacrilego, & Blasphemo Vicario Berengario Bochusse Januensi Pseudo Archiepiscopo, & Pisano in Theologia Magistro obedit, vel Antipapæ, vel Satanæ, vel Synagogæ Judaicæ, vel vtrique.

338 Ubi est igitur Ecclesia Romana Catholica, ad quam appellas? Dic si tu scis, vbi est transportata? Nonnê verecundaris? nonnè confunderis, dicere, & scriptitare per mundum ea, quæ omnes Christianæ aures, atque Catholicę horrent, quòd tu nullius Dignitatis, nullius Nobilitatis, nullius Authoritatis, nullius Potentiæ, nullius Virtutis, licet multi criminis homo, Sanctissimum Apostolicum CHRISTI Vicarium, vniversam Ecclesiam, Parriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Principes, Burgenses, Cives, laboratores, tot viros, & fœminas, Populos Christianos sub obedientia, & communione Domini Papæ servientes, de hęresi, & fautoria hæresis audes condemnare?

339 Secundò præmissum exemplum contra te militat; quia tu, non Dominus Papa, in duas incidisti culpas. (Et *infrà*:) Tu, sicut tota novit Ecclesia, manifestis hæreticis, puta Petro de Corbario, dudum sacrilego, & hæretico Antipapæ, Marsilio de Padua, Joanni de Janduno, & quàm pluribus alijs etiam in criminibus, & sacrilegijs communicasti, communicas, & communicare non cessas. Item, occultè conaris per falsas suggestiones, scripturas, & suasiones, Fratres olim tibi commissi Ordinis, non quidem ad gradus Ecclesiasticos, sed à gradibus, & cultibus, ab Obedientia, & reverētia Ecclesiasticis revocare. (Et *infrà*:) Quarē Communitas nostri Ordinis propter eadem causas à tua communione, & obedientia meritò se abegit: Tamen Domino Papæ verè & fideliter, & vt verè fideli adhæsit; quia ipse non communicat, nec communicavit hæreticis, nec etiam occultē operatus est quidquam: Quinimò in revocatione damnatorum, redire cum pœnitentia volentium, & in editione suarum Constitutionū, exempla nequaquā sequens Anastasii, de consilio Dominorum Cardinalium, Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, multiplici deliberatione processit, quapropter hoc solùm exemplum, si benè cogitares, te à tanta infamia retrahere debuisset. *

340 Et *infrà*: * Sed temporibus nostris à communione, & obedientia Petri de Corbario in Antipapam tyrannicè, & diabolicè, per hominem laicum, sæcularem, & excommunicatum intrusi, quicumque fideles se subtrahere tenebantur. Videas igitur, si tu habes oculos, quibus videre valeas, si fuisti æqualiter occæcatus tàm in facto, quàm in isto dicto: Quomodo enim, & qua fronte ista exempla pro te inducere potuisti? (Et *infrà*:) Tu in tuo recessu accessisti ad intrusum, & recessisti ab illo, qui canonicè fuerat, nullo dubitante, ingressus. Recessisti à Vicario CHRISTI, & accessisti ad Vicarium Antichristi. Accessisti ad eum, qui aliundè ascendebat, vt *Latro*, & recessisti ab eo, qui per ostium intravit vt *Pastor*. Accessisti ad eum qui *in nomine proprio veniebat*, & recessisti ab eo, qui *venerat in nomine Christiano*. Accessisti, vt tu ipse dicis, ad Civitatem Pisarum, vbi tunc erat Sedes Sathanæ, & ibi Fratres, quorum animas in Cura te habere dicebas, faciebas ab Antipapa officia, & Dignitates Ecclesiasticas acceptare, quorum consecrationi, seu potius execrationi, invnctioni, vel veriùs fœdationi, sicut impudicus leno fornicationum, & fœditatum spiritualium assistebas. *

341 Et *infrà*: * Quòd autem appellationis tuæ pallium, sub quo rebellionem tuam Schismaticam velare conaris, sit inane, & vacuum, patenter apparet consideranti cuilibet eum, qui appellat, & eum contra quem appellat, & Iudicem, quem appellat. Tu autem appellasti realiter, non vt persona publica, quia Ordo appellationem tuam non approbat, nec commendat, sed potiùs improbat, & condemnat; sed vt persona privata attentasti facere, quod fecisti: hoc autem modo fecisti te personam hæreticam, prout constat per litteras tuas, vt in Processibus contra te habitis in novissimo nostri Ordinis Generali Capitulo declaratur: Persona autem hæretica, secundùm Canonicas Sanctiones, appellare non potest, nec admitti appellatio eius debet: Tu autem, qui Decretales, & Decreta frequenter allegas, ista meliùs nosse deberes. Sed audi causam, quare omnis hæretici appellatio non debet admitti; quia, vt Paulus ait: *Subversus est, qui hæreticus est, & deliquit propio iudicio condemnatus, ad Titum, 3. cap.*

342 Persona verò, contra quam appellasti, est ille, qui non habet superiorem in terris: propter quod de iure ab ipso appellari non potest. Appellasti quoque ad illam Ecclesiam, quam tu in tuis litteris, quas ad diversas partes Ordinis direxisti, pronuntiasti, asseruisti, & denuntiasti esse hęreticam, & per consequens omni potestate iudiciaria destitutam: quarè appellatio tua nullum potuit, nec debuit habere vigorem. Sicut ergo schismatica rebellio, Dathan, & Abiron, Chore, suorumque complicum, per appellationem, excusari non potuit, sic & tua rebellio non est excusabilis, sed plectibilis ignibus sempiternis.

343 Zelus autem tuæ fictæ Fidei ad tuorum exculationem errorum fore falsissimus evidenter declaratur; tùm, quia verę Fidei verus Zelus in causa Fidei non facit fugere, sed pro defensione Fidei expectare: vndè Zelus tuus, qui te ad fugiendum induxit, demonstrat apertè, quòd opinionem tuam Evangelicam esse sententiam minimè reputasti; Tùm, quia Zelus Fidei non quæ-

rit

rit ſuper adinventionem mendosè fundari, ſicut, tu viam tuam ſuper multis mendacijs, & inventionibus falſis ſæpè fundaſſe, probaris : Tùm, quia temeritate aliàs inaudita de Libello per Dominum Papam contra dicta tua, & ſectam tuam edito, te dicis, duodecim collegiſſe errores, inter quos enumeras nonnullas Evangelicas, & Propheticas Sententias, ſicut in illo Libello in pluribus paſsibus demonſtratur apertè.

344 Sed quia tu ad rationes, & allegationes, & ad Authoritates contra tuam inſaniam, per Dominum Papam inductas, non reſpondes, nec reſpondere potes, nec contra ſophiſticarum tuarum rationum reſponſiones replicas, nec replicare attentas; non oportet, quòd nos, qui videmus, ſicut tu videre videris, tibi forè manifeſtè concluſum, contra rationes, & reſponſiones huiuſmodi prętermeceſſariis diſputationibus laborare. Propter quod, nequaquam à nobis petere debuiſti, vt oſtenderemus tibi, an dicta Domini Papæ concordarent cùm Evangelica Veritate, & an dicta tua ab ea in aliquo diſcordarent; hoc enim ſufficienter oſtenſum eſt tibi. Si tamen aliquam rationem pro tua fundata opinione proferres, vel rationum, & Authoritatum contra tuas inſanias inductarum ſolutionem, vel apparentem reſponſionem, parati ſumus, iuxta B. Petri Conſilium, ad ſatisfactionem faciendam tibi, & omni poſcenti nos in cauſa Fidei rationem.

345 Sicut ergo nec Fidei, ita nec Religionis, nec regulæ zelum habuiſſe probaris : Quomodò enim zelaſti pro regula, enormiter veniens contra primaria regulę fundamenta ? Tu namque jugum obedientiæ, ſicut bos indomitus, impudentiſsimè reieciſti; cùm tamen Sanctiſsimus inſtitutor noſtri Ordinis B. Franciſcus dicat *in principio Regulæ* : Fr. Franciſcus promittit obedientiam, & reverentiam Domino Papæ Honorio, ac Succeſſoribus eius, Canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Et *in fine* : Semper ſubditi, & ſubiecti pedibus eiuſdem Sanctę Romanæ Eccleſiæ paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Evangelium Domini noſtri JESU CHRISTI, quod firmiter promiſſimus, obſervemus. Conſtat autem Vniverſitati fidelium, ſæpè dictum Sanctiſſimum in CHRISTO Patrem Dominum Joannem XXII. Canonicè quidem fuiſſe Apoſtolicam Sedem ingreſſum, & illam Romanam Eccleſiam, cui, Domino diſponente, noſcitur ipſe præeſſe. Tu verò infelix, infeliciter contra Regulam, quam profeſſus fueras, ab eius Obedientia receſſiſti, & vocem, Eccleſiaſticam, atque Evangelicam obedienter audire minimè voluiſti.

346 Item, contra votum paupertatis proprietarius fuiſti, & alios plurimos proprietarios feciſti; ſicut enim eorum, qui tui dudum fuerunt complices, concors relatio, iuramento firmata, confirmat, quòd tu pecuniam ad Monachum in camera tua tenes, & pecuniam immediatè manibus fratrum, quos pro tuis mittis negotiis, exhibes, vel interdū exhibere facis, non obſtante, quòd Regula noſtra clamat. *Præcipio firmiter Fratribus vniverſis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per ſe, vel interpoſitam perſonam*: Vndè Franciſcus de Æſculo, tuæ iniquitatis complex, pergens de Cumis verſus Monachum, inventus eſt ſuper ſe immediatè portare octuaginta florenos; ſed quia nequaquam de bono iure fuerunt, prædones eos Divino Judicio rapuerunt, vt expropriationem, quam non ſervabat voluntarius, ſervaret invitus.

347 Contra Caſtitatem quoque cum juvenes, qui per te decepti, tuis erroribus adhęſerunt, ſæpè mittis per mundum, ſine habitu, & ſine ſocio, cū pecunia, & gladio, in argumentum certiſſimum, quòd nihil penitùs curas de Caſtitate eorum. Dicas ergo, inſenſate, numquid non erubeſcis? Nonnè confunderis, dicens : Te pro noſtri Ordinis perfectione, & puritate zelare, qui notoriè contra Obedientiam, contra Paupertatem, contra Caſtitatem, quas in profeſsione voviſti, jugiter cum tuorum ſcelerum complicibus operaris ? &c. *Datis Perpiniani poſt Definitionem Generalis Capituli, Anno Domini* 1331.*

348 Et vt vniverſo Chriſtiano Orbi innoteſceret Fidei puritas, qua ſemper prædictus Ordo in Eccleſię, & Apoſtolicæ Sedis obſequio effulſerat, quantoque odio, & abominatione Prędictos Michaëlis Cæſenatis errores proſequebatur, lecta fuit in prædicto Generali Capitulo, Perpiniani celebrato, præfata Epiſtola, & à toto Capitulo ſummo plauſu approbata, & definita, vt patet ex illis vltimis verbis : *Datum Perpiniani poſt Definitionem Generalis Capituli*. Et vt totius Religionis ſententia omnibus pateſceret, prędceptum fuit, vt prædicta

dicta errorum confutatio in tota religione legeretur.

349 Nec his quievit inexplicabilis Catholicæ Fidei, Religionisq; ardor, sed insuper voluit in Generali Capitulo, vbi præcipui, ac celebriores suarum Provinciarum Ministri, & alumni fuerant congregati, innati sui erga Apostolicam Sedem obsequii indicia præbere, præcipiens, vt omnes Cõstitutiones in quibus Joannes XXII. controversiam de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate definierat, publicè legerentur, quæ quamvis à Michaele Cęsenate, Ocham, & quibusdam aliis, maligno spiritu ductis, impugnatę fuerant, ab vniversa tamen Religione, illic congregata, singulari veneratione, & obedientia susceptæ sunt. Nec humillimo isto obsequio Apostolicæ Cathedræ exhibito, præfatus Ordo contentus fuit, sed aliud singularissimum addidit; siquidem Authoritate Privilegiorum, ab Apostolica Sede præfato Ordini indultorum, non solum in Michaelem Cęsenatem, sed in istius etiam scelerum, & errorum complices processum fieri mãdavit, & gravissimis pœnis intra Religionem, quoad poterat, & illius possibilitas, & Authoritas, sibi ad hoc ab Apostolica Sede delegata, patiebatur, iudicialiter mancipavit, iubens, sententiam eam in tota Religione publicari, vt omnes istius professores, cunctusque Christianus Orbis, quò prędicta Religio diffunditur, intelligerent, quanto odio detestabatur, & execrabatur dictos delinquentes, eorumque errores, quos absque vllo Dei timore evulgarant.

350 Omnia hæc mirificè comprehenduntur circularibus litteris, quas GENERALE CAPITVLVM in tota Religione publicari præcepit, quarum Authographum conservatur *in Manuscriptis Bibliothecæ Vaticanæ, sign. num.* 4008. easque refert ODORICVS RAYNALDUS *ad annum* 331. *num.* 15. ex quibus ea, quę ad rem nostram principaliùs faciunt, transcribemus. *Dilectus in CHRISTO Frater Pastor, dudum Minister in Provincia Provinciæ, in nostra præsentia constitutus proposuit, quòd præfati Michael, Henricus, Franciscus, Guillelmus, & Bonagratia, in Divinæ Maiestatis offensam, & in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quantum in eis est, detrimentum, & in non modicam nostri Ordinis iacturam, tamquam hęresiarchę, seminaverant hæreses, & velut Archi schismatici divisiones procuraverant, & schismata; & sicut crudeles homicidæ, fratricidę, ac matricidæ proscriptiones, captiones, & tormenta, contra prælibatos prælibati Ordinis conspirantes, suis procuraverant fratribus, & Religionem nostram, matrem suam, voluerant evertere.

351 Quòd enim seminant hæreses, patenter apparet ex diversis schedulis, & litteris per præfatum Michaelem personis pluribus, & Communitatibus, ad diversas partes directis, quas vidimus, tenuimus, & legimus, ac legi audivimus, & examinari per quàmplures Sacrę Theologiæ Doctores, & alios in Theologia peritos fecimus. Ex quibus evidentiùs colliguntur errores plurimi, qui nostro, & dictorum Doctorum, seu veriùs Vniversalis Ecclesiæ judicio, hæreticales meritò sunt censendi.

352 *Primus* est, quòd Imperator potest Papam deponere, & depositum declarare. *Secundus* est, quòd Clerus, & Populus Vrbis Romæ potest Papam deponere, & depositum declarare. *Tertius* est, quòd illud aliàs inauditum facinus, quod adversus Sanctissimum Patrem, & Dominum, Dominum Joannem Papam XXII. in Urbe prædicta, per aliquos perditionis, & diffidentię filios, de facto attentatum extitit, de iure, ac legitimè actum fuit. *Quartus* est, quòd Constitutiones per Romanum Pontificem, canonicè intrantem, editæ de consilio Sacri, ac fidelis Collegii Dominorum Cardinalium sunt hæreticæ. *Quintus*, quòd obedire illi, cui Vniversalis Ecclesia obedit, est animam damnare, & se hęreticum confiteri.

353 Ex eorum quoque fructibus, & artibus, ex quibus cognoscuntur falsi Prophetæ, declaratur ipsorum hæresis: quoniam tempore, quo præfatus Petrus de Corbario, dudum sacrilegus Antipapa, pro vero Papa damnabiliter se gerebat, prędicti Michael, Guillelmus, Bonagratia in Civitate Pisana, Petro tunc hæretico manifesto adhæserunt, ipsum pro suę confirmatione pravitatis hæreticæ informarũt, cõsilium, auxilium, & favorem præstantes eidem; in tantum, quòd ipse Michael pro Ministro se gerens, pluribus nostri Ordinis

dinis Fratribus præcepit, quatenùs à sæpê Antipapa dicto Petro reciperent Ecclesiasticas Dignitates: & cum consecrarentur, vel potiùs execrarentur, & dùm pro Clericalibus Dignitatibus, seu veriùs indignitatibus inungerentur, vel potiùs fœdarentur, dicti Michael, Guillelmus, Franciscus, & Bonagratia, cum damnatis hæreticis, & eis, qui à sæpiùs repetito Antipapa Ecclesiasticas Dignitates susceperant, & cum nostri Ordinis Apostatis conversantur, & habitant, consiliantur, & tractant, seu veriùs machinantur, & ad eversionem status Ecclesiastici, & Fidei Orthodoxæ laborant.

354 Quòd autem divisiones procurant, ac schismata, veridica fama, seu potius infamia, vniversis penê Fidelibus declaravit: Nam & ipsi ab Ecclesiastica vnitate, & à nostri Ordinis societate diversi, scissuram, quam temerè inchoarunt, damnabiliter totis viribus ampliare contendunt, ad diversas partes personis Religiosis, & Sæcularibus scriptitantes, & nè Romano Pontifici, vero, & vnico in terris CHRISTI Vicario, vel præfato Generali Ministro pareant, & obediant, vanis, & falsis inductionibus suadentes, Judam Galilęum, qui olim in diebus professionis avertebat populum post se, & nè obedirent Romano Principi suadebat, totis conatibus imitantes. Quòd autem conspirationes, ad Fratrum proscriptionem, captionem, & tormentorum afflictionem faciant, evidentia rei, quæ per eos in Bavaria, & vicinis partibus agitur, manifestat: nam per gentes Ludovici de Bavaria iam fecerunt capi, & torqueri fratrem Conradum de Monacho, quondam Custodem Bavariæ, ipsumque per violentiam, & angustiam tormentorum, negare fidem Sedis Apostolicæ saltim ore compelli.

355 Nos ergo præmissa scelera dissimulare oculis conniventibus non volentes, protestatione superiori iterùm repetita, videlicet Processibus Sanctissimi Patris, & Domini Ioannis, Divina Providentia Papæ XXII. non intendimus, per ipsos Processus in aliquo derogare; sed eos, tamquam justos, & sanctos, intendimus, pro viribus imitari: Sed per istos Processus intendimus, quantum in nobis est, & quantum nobis competere potest, offensam Domini Nostri JESV CHRISTI, & eius in terris Vicarii, Ecclesiæ Sacrosanctæ, & nostri Ordinis legitimis vltionibus vindicare.

356 Quapropter in die definitionis præsentis Capituli Generalis, in domo materialis ante Claustrum pro Tribunali sedentes, omissis quibuslibet, qui poterant, & volebant interesse, Auctoritate Privilegiorum, nostro Ordini à Sede Apostolica indultorum, præfatos, Michaelem, Henricum, Franciscum, Guillelmum, & Bonamgratiam in præmissis erroribus errasse, & hęreses cõtraxisse, velut hæreticorũ fautores, & hęresiarchas, & in prędictis Ecclesiæ Sacrosanctę, & Ordinis nostri divisionibus, & rebellionibus schismatizasse, tãquam schismaticos, & Archischismaticos; in prædictisque conspirationibus proscriptionũ, captionum, & tormentalium afflictionum adversus Prędatos, & alios nostri Ordinis Fratres coniurasse, tamquam crudeles homicidas, fratricidas, & matricidas, finaliter condemnamus, privantes eos nostri Ordinis Privilegiis, gratiis, & beneficiis, consortio, & favore, & eosdem ad perpetuum carcerem iudicantes, & velut tales dignos, & obnoxios præmissis pœnis prosequuti sententia declarantes, &c.*

357 Nec ex infœlici quorumdam Minoritarum lapsu, quis temerè calumniandi Religionem ansam arripiat, & indiscretè id in Franciscanæ Familiæ dedecus verti posse putet; quamquam enim Minorum Ordo hos paucos à Fide, ac sua professioue degeneres habuerit, innumeri tamen in ea Religione Sãctitate, litteris, omnique eruditionis genere, & Ecclesię Zelo in toto Christiano orbe gloriosissimè floruerunt, & florent: qui pro Ecclesia assiduê laborantes, Catholicam Fidem innumeris Populis infidelitatis, ac Paganismi veterno consopitis invexerunt, eosque ad Catholicæ Ecclesię gremium tanto Fidei, & animarum profectu perduxerunt: vt ingentes pro CHRISTO, istiusque Fide labores pertulerint, ipsũque sanguinem, ac animam gloriosé profuderint: alijs insuper splendescit alumnis, qui Apostolica sua prædicatione, & doctrina Catholicisque scriptis, tãquam acutissimis Gedeonis, & D. Pauli gladijs, in hæresũ, extirpationem, non sine ingenti animarum lucro assiduê irruunt, ac tàm in Oriente, quàm in Occidente invehuntur, adeò vt de illis meritò dici possit: *In omnem ter-*

ram

ram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ. Quod adeò compertum est in Ecclesiasticis, Regularibusque historiis, vt supervacaneum sit, in huius veritatis confirmationem Authores producere, cum vniverso Christiano Orbi exploratũ sit, Sũmique Põtifices id apertè testentur in variis Cõstitutionibus, in quibus Omnipotenti Deo ingentes grates Ecclesiæ nomine persolvunt, quòd tàm Sancti Instituti, istiusque professorum Zelo, cura, ac labore, Catholica Fides, & Religio, tàm longè latêque propagata sit. Quęquidem Pontificiæ Constitutiones, irrefragabilia sunt testimonia memorabilium facinorum, quibus pro Catholica Ecclesia indefessè laborantes prædicti Ordinis Alumni, à præcipuo Christianæ Fidei, & Religionis hoste, dæmone, glorioſos reportarunt triumphos.

358 Sicut enim superbi Angeli lapsus, & sequaciũ, nullũ cæteris bonis Angelis dedecus attulit, aut præjudicium; imò à tota Ecclesia singulari plausu celebratur humile obsequium, quo isti Arcanum Incarnati Verbi mysterium, tàm in Cælo, quàm in terra venerati sunt, iuxtà illud: *Adorent eum omnes Angeli eius*; parique laudum præconio à tota Ecclesia commendatur fortitudo, & constantia, qua isti sese adverso agmini opposuere, nolentes, eius elationi assentiti; pari modo dicimus, Michaelis Cæsenatis, istiusque sociorum lapsum, errores, & pervicaciam, non potuisse dedecus afferre reliquo Sãanctissimo, præclarissimoq; Minorum Cętui, qui singulari, ferventissimoque Fidei Zelo pro Apostolica Sede semper constantissimè stetit, prædictis Michaelis, istiusque sequacium erroribus viriliter obsistens, eosque acerrimè impugnans, penitùs extirpare curavit.

359 Et sicut Sanctissimum Apostolorum Collegium nullam Sanctitatis, & Apostolici status perfectionem, decus, & honorem amisit, quòd in eo vnus extiterit Judas, pari modo prædicta Religio, velut & quęvis aliaex approbatis ab Ecclesia, quamvis vnum, vel alterum habuerit, qui tamquam humanæ miseriæ subiectus muneri suo defuerit, seseque immanissimis sceleribus implicuerit: non indè amittere Sãctitatis gloriam, ac nomen, quã iure optimo prometeretur, dicẽdũ est, tùm ob Sãctũ illius Institutũ, & Fundatoris Sãctitatem, tùm ob innumerabiles illius Alumnos omni virtutum genere illustres, tàm Martyres, quàm Confessores, qui omnibus eximia Sanctitate floruere sæculis, & Ecclesiæ decorem singulari sua virtute nobilitarunt.

360 Miserrimè sanè decipiuntur, qui perperam arbitrantur, ob vnius, alteriùsvè lapsum, Religionis splendorem labefactari; proboſque alicuius Ordinis Alumnos, ob aliorum improbos mores, Sanctitatis opinionem, quam sua sibi virtute conciliarunt, amittere. Putandum à nobis non est, religioſos Cœtus in terris, Angelorum Communitate in Cælis, Apostolorũ Collegio, ipsaque Ecclesia sanctiores futuros: hilominús tamen, inter Angelos fuerunt aliqui, qui à Fide defecerunt, nec in Apostolico Collegio defuit, qui, relicto virtutis tramite, in vitiorum baratrum inciderit, nec in Ecclesia, tàm Antiquæ, quàm Novæ Legis desunt huius veritatis exempla, si attentè consideretur, vt ex ipsa Sacra Scriptura, iuxta Sanctorum Patrum mentem manifestissimè apparet. Quod quamvis nobis copiosam præbeat scribendi segetem, nè tamen molesti lectori simus, aliquibus tantummodò Sanctorum Patrum, Sacrorumque Interpretum testimoniis, id confirmare, ac breviter illustrare satagemus.

361 Loquens BARUCH *cap.* 3. de ingenti Israelitici Populi multitudine, sic exclamat. *O Israel, quámmagna est domus Domini, & ingens locus possessionis eius!* Quam quidem pollicitus fuerat Dominus Abrahæ, præclaram istius Obedientiam in heroico illo dilectissimi filij Isaac sacrificio exhibitã, remuneraturus, dicẽs: *Faciamque semen tuũ, sicut pulverem terræ. Gen.* 13. Et *infra cap.* 15. *Suspice Cælum, & numera stellas si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum:* * Id est Populus Christianus (inquit Gloſſa) cuius Pater futurus es in Fide. * Ubi semen Abrahæ, nunc arenæ, nunc stellis comparatur; & tamen iuxta Gloſſam, comparatur arenæ maris, propter carnales, & aridos, & à bonis operibus infœcundos; stellis verò Cæli propter eos, qui velut stellæ virtutibus fulgent: Boni ergo, & mali Ecclesiam componunt.

Ex-

§. II.

Ex Sanctorum Patrum testimoniis luculenter hæc veritas confirmatur.

362 INgeniorum Aquila AVGVSTINVS expendens illud *Aggæi* 2. *Sic Populus iste, & sic gens ista ante faciē meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum: & omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt*; quibus verbis innui videtur, in Populo Dei improbos reperiri, planè fatetur Sanctus post collationem, *cap.* 20. in Dei Populo, cuius Caput à Deo constitutum erat mitissimus Moyses, bonos, malosque inveniri: * Erant, inquit, sub vno Moyse quidam Deum offendentes, quidam Deo placentes. Et omnes (subdit) sub eisdem Sacerdotibus erant in vno, eodemque Tabernaculo, in vno, eodemque Altari Hostias offerebant; & tamen distinguebantur factis, non locis; animo, non Templo; moribus, non Altaribus. *

363 Arcam Noe fuisse Ecclesiæ Typum, constans est apud Sacrarum Litterarum Expositores, & nihilominus munda, immundaque animalia continebat, iuxta illud, quod dicitur *Gen.* 8. de Corvo: *egrediebatur, & non revertebatur*: Hic enim, immundorum animalium, figuram præseferebat, vt ait AVGVSTINVS *in collat. 3. diei, cap. 9.* Vndè infert Sanctus, quòd sicut in Arca Noe animalia munda, & immunda continebantur, sic etiam tenendum est, in Ecclesiæ Græmio non solùm bonos, & Sanctos, sed improbos etiam, & peccatores contineri. * Arca, inquit, exeunte Corvo, non vtique omnibus immundis animalibus caruit, sed in ea fuerunt munda, & immunda vsque ad diluvium, sicut boni, & mali vsque ad finem sæculi. *

364 Id ipsum iterum confirmat idem Sanctus illa verba Psalmi 24. *Domine dilexi decorem domus tuæ*, sic exponens: * *Domus Dei* Ecclesia est; adhuc habet malos, sed decor *Domus Dei* in Sanctis; & è converso, Ecclesia enim ratione malorum nominatur *spelunca latronum*. *

365 Consonat S. HIERONYMVS *cōtra Luciferianos, cap.* 8. de Noe, & Arca sic scribens: * Sicut in illa omnium animalium genera, ita & in hac, hoc est Ecclesia, vniversarum, & gentium, & morum homines sunt, vt ibi pardus, & hędi, lupus, & agni, ita hìc iusti, & peccatores. *

366 Subscribit ORIGENES, vt habetur *in cap. Et hoc diximus* 16. *quæst.* 7. sic loquens: * Nunc autem arbitror, Templum Dei ex lapidibus vivis constructū, esse Ecclesiam CHRISTI. Sunt autem multi in ea, non sicut decet viventes spiritualiter, sed secundùm carnem militantes, qui *domum Orationis*, ex lapidibus vivis constructam, faciunt *speluncam* esse *latronum* actibus suis. *

367 Si ad Novum Testamentum recurrere velimus, gravissima etiam, & solidissima fundamenta inveniemus, ad asserendum, Ecclesiam *Sanctæ* nomen non amittere, quòd in ea boni cum improbis commisceantur. *Matth.* 13. comparat CHRISTVS Cęlorum Regnum, per quod Ecclesia designatur, Sagenæ, dicens: *Simile est Regnum Cælorum Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscū congreganti.* in cuius expositione S. GREGORIUS *Hom.* 38. *in Matth.* * Sancta, inquit, Ecclesia comparatur *Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti*; quia nunc bonos, malòsque cōmuniter, quasi permixtos pisces, Fidei Sagena continet; sed litus Sanctæ Ecclesię, id est finis, indicat *Sagena* quid trahat. *

368 Ipse Sanctus *in eadem Homilia* sese clariùs explicat, dicens: * Boni soli nusquam sunt nisi in Cælo, & mali soli nusquam sunt nisi in inferno; hæc autem vita, quæ inter Cælum, & infernum sita est, sicut in medio subsistit: ita vtrarumque partium Cives communiter recipit, quos tamen Sancta Ecclesia, & nunc indistinctè suscipit, & postmodum in egressione discernet. * Hæc ille, & habentur 23. *quæst.* 4. *Can. Hæc autem vita.*

369 Et *in cap.* 13. *Matth.* vbi CHRISTVS asserit, Ecclesiam similem esse agro, in quo simul cum bono semine zizania suborta inveniuntur, hæc habet idem Gregorius: * Areæ ea ratione Ecclesia legitur comparata; quia quemadmodum in arëa simul cum granis paleæ permiscentur, ita in vniversali Ecclesia mali cum bonis simul continentur. *

370 Hinc Ecclesia *Matth.* 25. Similis dicitur decem virginibus, quarum quinquę erant fatuę, & quinquę prudentes;

tes; siquidem, vt ait idem Sanctus *in huius loci expositione.* * Sæpè in Sacro eloquio Regnum Cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur, quæ quia ex vtroque sexu fidelium colligitur, decem Virginibus similis esse denunciatur. In qua quia mali cum bonis, & reprobi cum electis admixti sunt, rectè similis Virginibus prudentibus & fatuis esse perhibetur.*

371 Id mirificè expendit S. AVGVSTINVS *de Fide ad Petrum, cap.* 4. dicens: * Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Aream Dei esse Ecclesiam Catholicam, & intra eam vsque in finem sæculi frumenti paleas contineri, hoc est, bonis malos Sacramentorũ cõmunione misceri.*

372 Tandèm hanc eamdem sententiam, eleganter confirmat idem Sanctus *lib. de Baptismo*, & habetur *de Cons. dist.* 4. *Can. Est vnitas*, sic scribens: * Ecclesia, quæ latè patet, in Sacramentorum videlicet societate, & communione, amplectitur cum granis etiam paleas. * Vbi Glossa: * Est, inquit, vnitas, quæ latè patet. Sed Ecclesiæ vnitas, quæ est in Fidei, & Charitate, non ita latè patet; sed hæc amplectitur solos bonos, sed secundùm vnitatem Sacramentorum etiam malos.* Hæc Glossa. Si ergo Ecclesia Dei primogenita, & CHRISTI sponsa in qua virtutum summa splendescit, in filiis suis, iuxta Sanctũ mentem Patrum, aliquos malos, peccatores, & Apostatas comprehendit, quin ideò, illius decor, & sanctitas depereat, cum iuxta Fidem *Vnam Sanctam Ecclesiã* confiteri teneamur; similiter quãvis in prædicto Minorum Ordine, sicut & in cæteris aliis vnus, aliusvè improbus inveniatur, ideò nè reliqui boni, ac virtute prædicti dictę Religionis Alumni Sanctitatis opinionem amittent? Ordo ne desinet esse Sanctus, si Sanctas leges habeat, & cultores, qui præclarissimis suis virtutibus eum illustrant, singularique sua Sanctitate, Ecclesiæ decus augent, & honorem? Absit.

373 Non enim existimare, aut aliquo modo nobis suadere debemus, hosce Religiosorum Cętus, Sanctiores esse Ecclesia, cui immediatè præficitur Sanctus Sanctorũ CHRISTVS Dominus, quamque Spiritus Sanctus, sui infusione assiduè emundat, suique roris intima aspersione fœcundat: Si ergo, his non obstantibus, de Fide est, Militantem Ecclesiam non ex solis Sanctis, & iustis, sed ex improbis, etiam peccatoribus, & Fidei desertoribus coalescere, ac congregatam esse, prout nobis tradiderunt Sancti Patres suprâ laudati, aliique plures, quos brevitatis gratia omittimus ipsaque Sacramentorum Baptismi, & Pœnitentiæ institutio supponit, cùm vtrumque istud Sacramentum, ex CHRISTI institutione, & Apostolorum doctrina, omnes etiam Æthnicos, Judæos, Hæreticos, & Apostatas in Ecclesiæ Gremio admittat (dummodò decantatis erroribus, verè contriti accedant) vt Spiritus Sancti gratia sanctificẽtur, quę eis medijs hisce Sacramentis infunditur, quin Catholicorum aliquis ausus sit asserere, Ecclesiã Sanctitatis speciosissimũ nomen, ac splendorẽ propterea amittere: pariter dicendũ videtur, nullũ Religiosorũ Ordinẽ, quãvis in illo vnus, aliusvé improbus inveniatur, amittere Sanctitatis opinionem, quã plures alii eiusdem Religionis filii, probi, iusti, ac Sancti, Sanctissimaque illius Statuta, & Leges ei in sua perfectione conciliarunt. Certum ergo est, Religiosorum Cœtus, quamtumvis sanctitate pręstantissimi, nõ ex solis Sanctis cõponi; esset nãque intolerabilis error persuadere velle, Religiones Sãctiores esse Ecclesia, quã Donatistæ, ex solis Sanctis, & iustis coalescere erroneè contendebant, quin in ea vllum admitterent peccatorum.

374 Quorum errori viriliter obstitere Sanctus CYPRIANUS *lib.* 3. *Epist.* 3. *ad Maximum*, S. AVGVSTINVS *in Ioannem, tract.* 6. & Sanctus HIERONYMVS *in cap.* 1. *ad Ephesios*; ac tandem in CONSTANTIENSI CONCILIO definitum fuit contra Uviclephistas, & Husitas, non solos prædestinatos, sed & reprobos, bonos, & malos esse membra Militantis Ecclesię.

375 In huius veritatis confirmationem Illustrissimus Episcopus MELCHIOR CANUS *in Eruditissimo suo opere, de locis, lib.* 4. *de Ecclesia, cap.* 3. Varios recensens circa hoc errores, hæc habet: * Primus error fuit, inquit, eorum qui non putarunt, illic Ecclesiam habere partem, vbi non est solida vitæ puritas, & integritas, quales olim fuere Cathari, & qui ad horum vesaniam accedebant Donatistę. Hodie sunt, ex Lutheranis Anabaptistæ, qui cum Pelagianis perfectam omninò in hac etiam mortali vita, fidelium esse iustitiam volunt, cum Catharis, & Donatistis nullam in Ecclesia infirmitatem fe-

runt.

runt. Fuere alii, qui solis prædestinatis ad Gloriam locum in Ecclesia concesserunt. Cuius erroris Authores præcipui reperiuntur, Joannes Vvicleph, & Joannes Hus, damnati in Concilio Constantiensi *Sess.* 15. Postremi soles probos ad Ecclesiam pertinere, arbitrati sunt: Improbos autem nullo modo, id quod, post Veteres quosdam, modò asserunt Lutherani, non omnes, sed qui in eis habentur nobilissimi.*

376 Hos errores solita sua eruditione refellit Canus loco citato, & contra istum vltimum, hæc, inter alia, scribit: * Quid? an non Ecclesias in Apocalypsi (*cap.* 2. & 3.) legimus, quarum Angelos, & Ministros, Deus ad pœnitentiam admissi criminis cohortatur? Nonnê Apostolus *ad Galat.* 1. eas etiam Ecclesias vocat, quas ipse idem errore arguit depravatas? Inter Corinthios quoque non vna erat peccati species, sed plurimę, neque levia erant errata, sed flagitia; Et tamen Apostolus eos non solùm Ecclesiam, sed Sanctam CHRISTI societatem, & agnoscit, & prædicat.* Hæc ille.

377 Si ergo in Ecclesia, licet quantalibet polleat Sanctitate, mali, pessimi, & peccatores continentur, vt Docet Apostolus, & cum illo Sancti Patres attestantur; mirum profecto videri non debet, in Religiosorum Ordinibus, quamvis maior illorum pars singulari virtute, & exemplo efflorescat, & illustribus sanctitate Viris eniteat, tot inter Sanctos, proboque alumnos vnum, alterumvè improbum inveniri. Et quidem id in quavis humana Societate inevitabile iudicavit AUGUSTINVS *de Fide ad Petrum*, *cap.* 4. dicens: * Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Aream Dei, esse Ecclesiam Catholicam, & intra eam vsque in finem sęculi frumenti paleas contineri, hoc est bonis malos misceri Sacramentorum communione. * Prout suprà retulimus. *num.* 371.

378 Additque ad rem nostram aptissimè. * Et in omni professione, sive Clericorum, sive Monachorum, sive Laicorum esse bonos simul, & malos.* Id ipsum egregiê confirmat ipse Sanctus, exponens illud *ad Ephes.* 5. *CHRISTVS dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret::: vt exhiberet ipse sibi gloriosã Ecclesiã, non habentẽ maculã aut rugã, aut aliquid huiusmodi*: sic enim scribit *lib. de perfectione Iustitiæ. cap.* 15.* Tũc Ecclesia erit sine macula, & ruga, aut aliquo huiusmodi, quando erit gloriosa. Non enim modò in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permixtione hominum pessimorum, & in tantis opprobriis impiorum dicendum est, eam esse gloriosam.*

379 Quod iterum confirmat *lib.* 2. *Retractationum*, dicens: * Vbicumque autem in libris commemoravi Ecclesiam, *non habentem maculam, aut rugam*, non sic accipiendum est, quasi ea sic sit, sed quæ præparatur, vt sic sit, quando apparebit gloriosa: nunc autem propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum habet vndè quotidie tota dicat: *Dimitte nobis debita nostra.**

380 Idipsum eleganter expressit CASSIANUS *cap.* 18. *col.* 16. his verbis: * Nec perversos, atque execrabiles quosque Sanctorum Virorum numero insertos latitare miremur; quia dum huius sęculi Area conculcamur, atque conterimur, necesse est, etiam paleas, igni perpetuò deputandas, inter electissima frumenta misceri.*

381 Nec minori expressione idipsum docuit S. BASILIVS *in Constitutionibus Monasticis cap.* 2. admittens, aliquos esse in Ordinibus vitiosos, sicut in Apostolis fuit Judas: Vndè monet non ex malis admixtis statum Religionis relinquendum.

382 S. HIERONYMVS, fulgentissimum Ecclesiastici Ordinis lumen, aptissimê ad rem nostram loquitur, supponens, in Ecclesiastico statu malos esse, imò, & pessimos; asserit tamen, non indè Ecclesiastici status Sanctitatem, virtutemque minui; loquens enim contra Helvidium hæreticum, conquerentem de Monialium statu, qui eò miserè devenerat, vt multæ essent tabernariæ: hanc obiectionem concedens, illius difficultatem adauget, asserens, adhuc dato, quòd essent tabernariis peiores, nihil contra Religionis statum hoc argumento convinci. * Ego (inquit) plus dico, esse in iis & adulteras, & quòd magis mireris Clericos esse Caupones, & Monachos impudicos.* At propositum Hæretici argumentum solvit, dicens: * Sed quis non intelligat, nec tabernariam, Virginem; nec adulterum, Monachum; nec Clericum, posse esse Cauponem? Numquid virginitatis est culpa, si simulator virgi-

nitatis in crimine est?*

383 Hinc S. AVGVSTINVS *in Psal. 99. & 132.* attentè perpendens vastissimum Ecclesiæ agrum, prout omnes Ecclesiasticos status complectitur, fatetur, nullum eorum esse, in quo mali non inveniantur, asserit tamen in illo etiam justos inveniri; sic enim scribit: *Reperiri quoque improbos Clericos, improbos Monachos, vt qui laudet bonos, dicat ibi mixtos malos; & qui vituperat malos, videat & ibi bonos. Et iterùm: Nemo vos fallat fratres, si non vultis falli, & vultis amare fratres, scitote, omnem professionem in Ecclesia habere fictos. Non dixi omnem hominem esse fictum, sed omnem professionem habere fictas personas; tàm sunt enim Monachi falsi, quã & Clerici falsi, & fideles falsi sunt Christiani mali, sed & sunt boni.*

384 Hoc autem adeò verum est, vt nec sanctiorem Evangelicæ Legis statum in munem ab hac imperfectione continendi in se aliquos malos, existimarit ingeniorum Apex AVGVSTINVS, judicans, oppositum citra temeritatem dici nõ posse; si enim Apostolicum Collegium ab hac mixtura habendi in se improbos, & malos liberum non extitit, multo minus quævis alia Ecclesiastica Communitas, quamtumvis religiosa, hac immunitate gaudere poterit. Audiamus hæc asserentem AVGVSTINVM *lib. de Baptismo*, & habetur *in cap. Quantus. 23. quæst. 4.* *Quantus arrogantiæ tumor est; quanta humilitatis oblivio, & arrogantiæ quanta jactatio, vt quis audeat, aut facere se posse credat, quòd neque Apostolis cõcesit Dominus, vt zizania, videlicet, à frumento putet se posse discernere.*

385 Idipsum ex sequentibus clariùs innotescet: Primitiva enim Ecclesia, Populusque, qui eam constituebat, tanta perfectione enituit, vt vulgo *Sanctus Populus* vocaretur, prout adnotavit TERTVLLIANVS *lib. 1. ad Vxor. cap. 2. & lib. 2. cap. 1. 2. 3. & 6.* dicens: *In Litteris Apostolicis Christiani vocantur *Sancti*.* Et vt admonuit S. POLYCARPVS, D. Paulus *in exordio Epistolæ, Sanctos* vocat eos, ad quos scribit, *Vocatis Sanctis*. Idem censet S. IGNATIVS *epist. 1.* S. AVGVSTINVS *in Psal. 85.* & communiter Expositores de Christiano Populo explicantes illa D. Pauli verba, 1. *ad Corinth. 3. Templum Dei Sanctum, quod estis Vos.* Et S. AVGVSTINVS *in Psalm. 90.* loquens de Primitivæ Ecclesiæ Fidelibus, asserit, *Vocabatur Populus Sanctorum.*

386 Propter hunc Sanctũ Populũ, quo Ecclesia constituebatur, dixit IOANNES *Apocalyp. 21. Vidi Civitatẽ Sanctam Ierusalem novam descẽdentẽ de Cœlo a Deo, &c.* Quæ verba Sancti Interpretes cõmuniter explicant de Militante Ecclesia, quam S. AVGVSTINVS *in Psal. 90. Concione 2. Montem sanctificatum* appellat; & *lib. 6. contra Fulgentium Donatistam, cap. 18. Purissimam, & immaculatam sponsam, CHRISTI sanguine fundatam, ablutam, & illuminatam.* Quod clariùs docet S. AMBROSIVS, dũ *lib. 3. in Examer.* Ecclesiam, *Sanctitatis Domicilium* appellat; & OPTATVS MILEVITANVS, dum *lib. 2. ad Parmenianum*, hæc habet: *Ecclesia vna est, cuius Sanctitas de Sacramentis colligitur.* Quam expositionem amplectuntur RVFFINVS, S. AVGVSTINVS, & D. PETRVS CHRYSOLOGVS, explicãtes illa Symboli Apostolorum verba: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.*

387 Ex solidissimis hisce Sanctorum Patrum testimoniis manifestè convincitur, Christianum Populum à primævo Religionis exordio, fuisse Sanctitatis Nomenclatura nobilitatum, Ecclesiamque ex eo coalescentem Sanctitatis Titulum, & Acclamationem jure optimo promeruisse, etsi, vt ex D. Hieronymo, S. Augustino, aliisque Sanctis Patribus suprà probavimus, non solùm Sanctos, sed etiam improbos, & pessimos contineat peccatores. Quamvis ergo sub Joanne XXII. aliqui pauci Pseudo Minoritæ extiterint, qui in rebus Fidei lapsi fuerint, non ideò dicendum est, Sacrum Minorum Ordinem ab eximio Sanctitatis culmine defeciisse, sed potius debet singulari acclamatione Sanctus prædicari, cùm nefandos Fraticellorum, Michaelis Cæsenatis, istiusque sequacium errores sanctè fuerit execratus, eosque sancto Zelo, & Apostolico Spiritu confutarit, ac sanctissimè proscripserit.

388 Hùcusque latè egimus de erroribus, qui circa CHRISTI, & Apostolorum Paupertatem, sub Joanne XXII. grassabãtur, eorũque Authoribus, ac vtrorumq; cõdẽnatione, qui, vt suprà diximus,

Joannem

Joannem Pontificem impulerunt, Cõstitutionem expedire; *Cum inter nõnullos*, qua nihilo melior effectus est obstinatus Michaelis animus, prout refert Inquisitor EYMERICUS, Ord. Prędic. 2. *Part. Direct. quæst.* 15. *fol.* 212. his verbis: *Michael de Cæsena contradixit patenter, publicè, & impudenter, cum suis complicibus, mendaciter asserendo, quôd Romanus Pontifex Constitutionem *Cum inter* prædictam, non potuit condidisse. Quo circa præfatus Pontifex coactus fuit aliam statuere Constitutionem, quæ incipit: *Ad Conditorem Canonum*, in qua clarissimè ostendit, se prędictam Constitutionem edere potuisse, quæ habetur *Extra. de Verbor. signif. cap.* 3.*

389 Prædictam Constitutionem *Ad Conditorem* in compendium redigens S. ANTONINVS 4. *Part. Tit.* 12. *cap.* 4. §. 1. hæc habet: *In prima, quę incipit: *Ad Conditorem*, Dominus Joannes declaravit, quòd reservatio facta per Nicolaum IV. Pontificem de bonis mobilibus, & immobilibus Fratrum Minorum præsentibus, & futuris, quantum ad proprietatem, & dominium, sibi, & Romanæ Ecclesiæ, simplici vsu facti dumtaxat fratribus reservato, prædictis fratribus, & multis alijs non profuit, sed obfuit, prout magistra ipsa rerum experientia declaravit, quod probat valdè clarè.

390 Secundò declaravit in eadem, quòd in rebus vsu cõsumptibilibus nõ potest vsus à proprietate, & rei dominio separari; & ideò in talibus non possunt dici simplices vsuarii dicti fratres, nec tale dominium videtur dictus Dominus Nicolaus Papa Romanæ Ecclesiæ reservasse, & hoc probat evidenter.

391 Tertiò declaravit, quòd vsus alicuius rei denudatus à iure vtendi, in creatura rationali non est iustus, nec per consequens convenit perfectionis statui, nec perfectioni adijcit, sed repugnat; quarè concludit, quòd talem vsum denudatum à iure dictus Nicolaus Papa ipsis fratribus non reservavit, quod etiam per rationes inconvincibiles liquidè manifestat.

392 Quartò declaravit, quòd tàm dicti Domini Nicolai Constitutio, quàm etiam quoddam Privilegium dictis fratribus à Domino Martino IV. Prędecessore suo concessum, quantum ad Procuratores, nomine Romanæ Ecclesiæ eis concessos, qui causa dictæ Romanæ Ecclesiæ eos agitabant, plurimum honori Romanæ Ecclesiæ detraxerint; cum sic plerumque contingat dictã Romanã Ecclesiam occasione talium coram Pedaneis Judicibus litigare, in tantùm, quòd præfatis Ecclesiarum Rectoribus fuerit molestum, & grave: grave enim tale quid potest, & debet existere, quòd se Romanæ Ecclesię in judicio opponerent, quæ ipsorum est Magistra, & Caput.

393 Quintò pronunciat, quòd in bonis, quæ auferuntur, vel conservantur, vel alias quomodolibet obvenire poterunt Fratribus, vel Ordini prædictis, exceptis Ecclesiis, vel Oratoriis, Officinis, habitationibus, ac vasis, libris, & vestimẽtis Divinis Officiis dedicatis, vel dedicandis, nullum jus, seu dominium aliquod, occasione dictæ Constitutionis Domini Nicolai, vel cuiuscumque alterius Papæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ acquiratur: sed quoad hoc habeantur dictæ Constitutiones pro non factis.

394 Sextò pronunciat, & definit, nè deinceps pro recipiendis, petendis, exigendis, defendendis, seu administrandis bonis, quæ in posterum dictis Fratribus, vel Ordini conferri, offerri, vel aliàs quomodolibet obvenire contigerit, quisquam à quoquam nominetur, seu constituatur amodò nomine Sanctę Romanæ Ecclesię Procurator.

395 Nec occasione cuiuslibet Privilegii Apostolici, quicumque talium bonorum administrationem, in judicio, vel extrà agendo, defendendo, supplicando, vel alias quomodolibet assumere dictæ Ecclesiæ nomine audeat, nisi de Sedis Apostolicę licentia speciali, decernit irritum, & inane, si secus à quoquam contigerit attentari.* Hactenùs Sanctus.

396 Huic etiam Apostolicæ Constitutioni sese obstinatè opposuit Michael de Cæsena, prout refert NICOLAVS EYMERICVS, *loco suprà citato*, vbi hęc, inter alia, scribit: *Verùm, quia ille Michael, ante dictus, cum quàmpluribus sociis suis, etiam dictæ Constitutioni *Ad Conditorem* detrahebat: & ambas, *Cum inter*. Et, *Ad Conditorem*, pariter condemnabat: Idem Dominus Joannes Papa III. Constitutionem edidit, quæ incipit: *Quia quorundam mentes*: in qua vtramque *Cum inter*, & *Ad Conditorem Canonum*

nonum confirmavit, & errores duos prędictos de propria, & communi fortiùs extirpavit.* Prędicta Constitutio extat *Extra. de Verb. sign. cap. 5. in fine*; eamque referunt Eymericus *ibi*, & S. Antoninus, *loco suprà laudato* §. 3.

397 Verùm Constitutione: *Quia quorundam*, minimè obstante, adhuc in suis erroribus perstiterunt Pontificiæ Authoritatis osores, asserentes, ex prędictis Constitutionibus: *Cum inter*, & *Quia quorundam*, manifestè deduci aliquas hæreses, & errores, quos Dominus Benedictus XXII. dùm esset Cardinalis, diligenter collegit, & luculenter solvit, teste eodem Eymerico *vbi suprà*, & D. PEÑA *in suis Annotationibus ad prædictum librum*, & *quæstionem* 17. *Nicolai Eymerici fol.* 67. hæc scribente: * Postquam Joannes Papa XXII. edidit tertiam Decretalem, quæ incipit: *Quia quorundam*, adversus Fraticellos, eorumque Duces, vt paulò anteà dictum est, illi contra actiùs in Pontificem Romanum insurgentes 18. errores in ea contineri dixerunt.* Et *infrà*, *fol.* 68. *col.* 1. * In hac rerum perturbatione, cęteris impudentius debacchatus est in Romanum Pontificem Guillelmus Ocham, qui quodam libro de Potestate Pontificis *quæst.* 8. non erubuit dicere, circiter 90. errores ad minus Joannem XXII. protulisse.*

398 In cuius confirmatione Eruditus Pater GRAVINA, Sacri Ordinis Prædicatorũ, Primarius Neapolitanæ Academiæ Professor, *in contin. Tom.* 4. 2. *part. de Infallibilit. art.* 7. *in principio*, hæc annotat: * Marsilius Patavinus *in defensorio pacis*, *part.* 2. *cap.* 25. & Guillelmus Ocham *in lib.* intitulato: *Compendium errorum Ioannis XXII.* varios cõminiscuntur errores contra Joannem XXII. odio plusquam Vatiniano perciti, quòd eorum schisma ab eodem Pontifice fuerit eieratum.*

399 His sese tàm execrabilis erroris complicem adiunxit Spalatẽsis, *de Republ. lib. 9. cap. 6. n. 16. & seqq.* qui in eumdem Pontificem arietavit (teste Gravina) dicens: *Gravis etiam fuit concertatio, quę nihil parum turbavit Ecclesiam, circa dominium vestium, & supellectilem Mendicantium Patrum Minorum, quorum Regula respuit quodcumque dominium in communi; quorum controversia ad Sedem Apostolicam delata est, & à Nicolao III. *in Extravag. Exiit. de Verbor. signif.* summam dicti Ordinis paupertatem, exclusa omni prorsus proprietate rerum, non modò in particulari, à singulis, sed etiam in communi, ab vniversis fratribus, esse laudabilem, bonam, & approbandam. Emersêrunt posteà tres Constitutiones Joannis XXII. damnantis, vt hæreticam, eam propositionem: CHRISTUM, & Apostolos non habuisse aliquid, nec etiam in communi.* Hisce ergo tribus Joannis Pontificis Constitutionibus, sese opposuerunt Marsilius Patavinus, Ocham, & Episcopus Spalatensis, hæresiarchę, ob rationes, & fundamenta, quæ referuntur à Gravina *vbi supra*.

400 Et quamvis, vt vniverso Christiano Orbi pateat, quanta cũ æquitate, ac maturitate Pontifex Joannes XXII. in prędictis tribus Constitutionibus processerit, adversus schismaticorũ, & hæreticorum pervicaciam, qui iis, quę in præfatis Constitutionibus continebantur, contumaciter obstiterant, satis, superque esset nosse, eas à Romano Pontifice, loquente ex Cathedra in materia Fidei, emanasse; nihilominùs, vt omnis scrupulus, & suspicio à duriori etiam animo penitùs arceatur; & vt innotescat, prędictas Constitutiones, non soli Authoritati, sed rationi etiam, Authoritatis munimine suffultæ, inniti, fusiori calamo probandum agredimur, quanto cum fundamento, se gesserit Pontifex Joannes, ad easdem Constitutiones promulgandas, erroresque, in eis recensitos, penitus extirpandos. Et vt clariùs procedamus, varia dubia exagitanda censuimus, quorum Conclusiones prædictis erroribus, qui circa CHRISTI, Apostolorum, & Ecclesiæ paupertatem diversis temporibus emersêrunt, directè oppositas proponemus. Sit ergo primum dubium.

§. III.

An licitum sit Ecclesiæ, & Ecclesiasticis, seu Clericis, bona immobilia, possessiones scilicet, prædia, & alia huiusmodi possidere?

401 PRO clariori huius dubii enodatione, supponendum est: circà præsens quæsitum quàmplurimos hæreticos turpiter errasse, vt Paupères de Lugduno, Vvaldenses, Bohemos, & Fraticellos, de quibus suprà, qui dogmatizare attentarunt, Clerico non licere immobilia bona, vt prædia, castra, &c. possidere.

402 Huic hæresi consonat error illius Pseudo Minoritæ, Petri Joannis *super Apocalypsim*, qui inter alios errores quos recenset Inquisitor NICOLAUS EYMERICUS 2. *Part. Directorii, quæst.* 19. hunc statuebat: *Quarta hæresis est, Regulam Fratrum Minorum, per Beatum Franciscum editam, esse verè, & propriè illam Evangelicam, quam CHRISTUS in se ipso servavit, & Apostolis imposuit, & in Evangeliis suis conscribi fecit.*

403 Et *infrà*: *Octava hæresis est, quòd ferè omnes Clerici, & Regulares, possidentes aliquid in communi, videntur minus benè sentire de abrenuntiatione Evangelica huiusmodi in communi.* Contra hos ergo errores.

404 Sit nostra CONCLVSIO: Licitum est Ecclesiæ, & Clero, bona immobilia in tanta abundantia possidere, vt possint Ecclesiæ, & Clerici necessitatibus commodè subvenire. Haud leve huius nostræ Assertionis fundamentum inveniemus in vtroque Testamento. Et incipientes ab Antiquæ Legis Sacerdotibus (qui Novæ Legis Sacerdotes adumbrabant, iuxtâ illud PAVLI: *Omnia in figura contingebant illis.* 1. *ad Cor.* 10.) egregiũ pro nostra Assertione argumentum suppeditant. Sed nec minus luculentũ desumi potest ex Sacerdotibus ante Legem; isti enim leguntur fuisse Primogeniti, qui præ aliis dominium, & hæreditatem habebant, vt patet *ex Genes.* 27. cum Isaac filio suo Jacob dixit: *Esto Dominus fratrum tuorum*, quibus verbis solebat primogenito Benedictio conferri.

405 De Ruben quoque, qui primogenitus fuit, & Sacerdos, constat dominium, & divitias possedisse, iuxtà illud *Gen.* 49. *Rubẽ primogenitus meus, tu fortitudo mea:: primus in donis, maior in imperio*, super fratres (quæ habuisset, nisi ascẽdisset cubile Patris sui Jacob,) de quo dicit S. JOANNES CHRYSOSTOMVS *super Matth. cap.* 1. Sacerdotem fuisse, qui tamen ditissimus fuit.

406 In ipsa naturæ Lege floruit etiam Melchisedech, qui Rex fuit, & Sacerdos. Undè manifestè liquet, in Populo Dei, etiam ante Legem Moysis, Sacerdotibus licitum fuisse, mobilia, & immobilia bona eo tempore possidere, nec divitiarum opulentiam Sacerdotio derogasse. Et hæc de Lege naturę.

407 Iam verò, si Mosaycæ Legis tempus spectemus, non minora occurrent nobis pro nostra Assertione argumenta; siquidem *Levitici* 25. hęc leguntur: *Ædes Levitarum, quæ in vrbibus sunt, semper possunt redimi: si redemptæ non fuerint, in iubileo revertentur ad Dominos, quia domus vrbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel. Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est.*

408 *Levitici* 27. hæc statuuntur: *Homo si voverit domum suam, & sanctificaverit Domino.* (Et *infrà*:) *Quod si agrum possessionis suæ voverit, & consecraverit Domino::: Sinautẽ noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venũdatus, vltrà eum, qui voverat, redimere non poterit: quia cum iubilei dies venerit, sanctificatus erit Domino, & possessio consecrata ad ius pertinet Sacerdotum.* (Et *infrà*:) *Omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.*

409 Eamdem hanc nostram Assertionem præclarè confirmat illud *Num.* 35. *Loquutus est Dominus ad Moysem::: Præcipe filiis Israel, vt dent Levitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum.*

410 *Iosue* etiam 21. habetur: *Dederunt (Levitis) filii Israel de possessionibus suis, iuxta imperium Domini, Civitates, & suburbana earum.* Et ibi etiam dicitur, quòd quælibet Tribus dedit cer-

tas

tas Civitates alia decem, alia quatordecim, alia quatuor, &c. Et *in fine* subiungit: *Itaque Civitates vniversæ Levitarum in medio possessionis filiorum Israel fuerunt quadraginta octo, cum suburbanis suis, singulæ per familias distributæ.*

411 Pro maiori huius veritatis confirmatione, omitti non potest, quod refertur 3. *Regum* 2. vbi SALOMON Sacerdotē Abiathar sic alloquitur: *Vade in Anathoth ad agrum tuum.* Vbi clarè patet, Sacerdotem habuisse agrum. Et Ieremias, Propheta sanctificatus in vtero, ac Sacerdos, emit agrum, soluit pretium, stipulationes, & instrumentum fieri fecit sibi, *Ierem.* 32. Plurima alia Sacræ Scripturæ testimonia adducere possemus, ad rem nostram aptissima, è quibus, & ex his, quæ modò retulimus, manifestè evincitur, Antiquæ Legis Sacerdotio, quo nostrum adumbrabatur, minimè repugnasse prædia, agros, aliaque huiusmodi immobilia bona possidere: vnde nulla ratione negari posse videtur sequens Conclusio, videlicet, Ecclesiastico Novi Testamenti statui licitum esse, immobilia bona possidere

412 Nec in Evangelica Lege desunt efficacissima pro nostra Conclusione argumenta; nullū enim argumentū potest efficacius adhibere ad probandū, licere Ecclesiæ, mobilia bona habere, quàm exemplum ipsius CHRISTI, qui *loculos habebat*, vbi à Fidelibus oblata, ad eius, & suorum vsum, reponebantur, vt dicitur *Ioannis* 12. & 13.

413 Patet etiam nostra Conclusio ex his, quæ Apostolos præstitisse fertur, *Act.* 4. *vbi* hæc habentur. *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebāt pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ad pedes Apostolorū. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* De quo infrà. Et in *cap. Dilectissimi.* 12. *quæst.* 1.

414 Eamdem nostram Assertionem præclarè confirmat, quòd ex Sacris Canonibus, & præcipuè Apostolorum, manifestè patet. Vndè *Cap. Sint manifestæ, eadem causa, & quæst.* hæc leguntur: *Sint manifestę (idest, distinctę) res propriæ Episcopi (si tamē habeat proprias) & manifestę Dominicæ (idest Ecclesiæ) vt Potestatem habeat, de proprijs moriens, sicut voluerit, & quibus voluerit derelinquere: nē sub occasione Ecclesiasticarum rerum, ea, quæ Episcopi esse probantur, intercidant, &c.** Ex quibus verbis apertè liquet, duplex patrimonium in potestate Episcopi dispensandum constitui, proprium scilicet, & Ecclesiæ. Idem habetur *eadem causa, & quæst. Can. Præcipimus.* Quod etiam ex Apostolorum Canonibus apertè colligitur: hæc autem præcepta ab Apostolis non emanassent, si Ecclesię, & Clero licitum non esset mobilia, & immobilia bona possidere: nulla ergo alicuius momentis ratione id denegari posse ividetur.

415 Nec pro nostra Conclusione prætermitetendum, quod ex Sacris OEcumenicis Cōcilijs manifestè cōstat, in quibus idipsū differtè statuitur, vt patet ex CONCILIO AGATH. *in cap. Episcopi, ea causa, & quæst.* ex CONCILIO etiam MARTINI, *in c. Manifesta, ea causa, & quæst.* ex CONCILIO etiam ANTIOCHENO, *in cap. Episcopus*, & ex CONCILIO ROMANO *sub Eugenio IV. ea quæst. 3. cap. Nulli Episcoporum.* Idem habetur ex SYNODO VI. VNIVERSALI, *in cap. Apostolicos, ea causa, quæst.* 2. & *in cap. Non liceat*, & ex CONCILIO LEONIS PAPÆ IV. *in cap. Monemus, ea causa, quæst.* 2. Idem etiam ex CONCILIO VRBANI PAPÆ *in cap. de Laicis. ea causa, & quæst.* Idipsum patet ex pluribus alijs Concilijs, tàm OEcumenicis, quàm Nationalibus, & Provincialibus, quæ in Decretalibus, & Clementinis cōtinentur, à quibus regulæ illæ de rerum Ecclesiasticarum gubernatione, & bonorum mobilium, & immobilium Ecclesiarum conservatione, & dispensatione, neutiquam emanassent, si Ecclesiæ, & Clero licitum non esset, huiusmodi bona possidere.

416 Pro eadem nostra Assertione adnotare max imè oportet, Religiosissimam illam celebris Imperatoris CONSTANTINI pietatem, magnificentissimāque donationem æterna memoria dignā, qua Ecclesiæ tot bona sua elargitus est; & acceptationem, qua S. SYLVESTER, Ecclesiæ nomine, omnia bona ab Imperatore donata admisit. Si enim Ecclesiæ illicitum esset huiusmodi mobilia, & immobilia bona possidere, nequaquam Imperator ille Christianissimus (qui vt testatur S. AMBROSIVS *in Psal.* 14. *magni meriti apud Deum est*) Ecclesiam rebus, honoribus,

&

& multarum terrarum dominatu, tàm magnificè ſtuduiſſet dotare; nec Beatiſsimus Pontifex Sylveſter ea vllatenùs acceptaſſet. Et quòd magis, in hoc argumẽto expendendum occurrit, illiuſque robur augere videtur, eſt, poſt hanc Imperatoris donationem ſtatim habitum fuiſſe celebre illud Concilium, Nicænum I. cuius Sanctiſſimi Patres Imperialem hanc donationem minimè acceptaſſent, ſi Eccleſiæ illicitum eſſet huiuſmodi bona poſsidere, imò eam virilitèr reſpuiſſent.

418 Hûc etiam facit Argumentum deſumptum ex Authoritate Sãctiſsimorum Pontificum, qui in Apoſtolica D. Petri Sede, tot retrò ſæculis Eccleſiæ præfuerũt; hi enim, ſumma Sanctitate, & doctrina florentes, mobilia, & immobilia bona, Eccleſiæ data, acceptarunt, & pro eorum cuſtodia multa ſanxerunt, quod neutiquã feciſſent, prout de eorũ Religione, Pietate, & Sanctitate credendum eſt, ni huiuſmodi bona poſsideri ab Eccleſia, licitũ eſſe intellexiſſent.

419 Illuſtrantur hæc amplius ex iis, quę in diverſis Chriſtiani Orbis partibus alii pręclariſſimi Antiſtites, ſingulari ſanctitate, & doctrina pręditi in propriis ſuis Eccleſiis pręſtiterunt, vt S. AMBROSIVS, S. AVGVSTINVS, S. PROSPER, S. SEVERINVS, S. PAVLINVS, S. HILARIVS, innumeriquc alij, quos brevitatis gratia duximus omittendos. Horum enim plurimos, mobilia, & immobilia bona, poſſeſsiones, ſcilicet, agros, caſtra, aliaque huiuſmodi nõ modò habuiſſe, ſed etiam auxiſſe, exploratum eſt *ex Cap. Expedit.* 12. *quæſt.* 1. vbi hęc, ex S. Proſpero, habentur: * Sanctus Paulinus, vt ipſi meliûs noſtis, ingentia prędia, quæ fuerunt ſua, vendita pauperibus erogavit; ſed cum factus eſſet Epiſcopus, non contempſit Eccleſiæ facultates, ſed fideliſsimè diſpenſavit; quo facto ſatis oſtendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & ſine impedimento perfectionis poſſe Eccleſiæ facultates, quæ ſunt profecto communes, poſſideri.

420 Quid S. Hilarius? Non nê & ipſe omnia bona ſua, aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogavit? Is tamen, cum merito perfectionis ſuæ fieret Eccleſiæ Arelatenſis Epiſcopus, quæ illa tunc habebat Eccleſia non ſolum poſſedit, ſed etiam, acceptis fidelium numeroſis hęreditatibus, ampliavit. Iſti ergo tàm Sancti, tàm perfecti Pontifices factis evidenter clamant, poſſe, & debere fieri, quod fecerunt. Qui vtique homines, tàm ſęcularium, quam divinarum rerum, ſine ambiguitate doctiſſimi, ſi ſcirent, res Eccleſię debere contemni, numquam eas debuerant, qui omnia ſua reliquerant, retinere (vel, vt alii legunt, ſuſcipere.) * Hæc ibi.

421 Nec minoris momenti eſt pro noſtra Aſſertione Argumentum deſumptum ex Authoritate illorũ, qui huiuſmodi bona in Eccleſia poſſeſſe legũtur. Vndè de SS. SIXTO, & LAVRENTIO dicitur Eccleſię theſauros habuiſſe, quos Laurentius, perſecutione graſſante, pauperibus erogavit.

422 Nec ſilentio prętereundũ eſt inſigne illud liberalitatis exemplum, quo devotiſſimi, ac piiſſimi Principes, vt celebris ille Conſtantinus, alijque præſtantiſſimi Imperatores, clariſſimique Hiſpaniarum, Galliæ, Italiæ, Germaniæ, aliarumque ditionum Reges, vt maximam ſuã pietatẽ, & venerationem oſtenderent, innumeras Eccleſias temporalibus bonis ditarunt, eaſque opulentiſſimis poſſeſſionibus, & redditibus locupletarunt, vt in prædictis Eccleſiis divinus Cultus perpetuò conſervaretur, & in dies incrementum acciperet, Sacrique Dei Miniſtri decenter Eccleſiæ ſumptibus alerentur.

423 Hanc noſtram luculenter confirmat Aſſertionem concors Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ Doctorum conſenſus; eam enim tenuerunt S. AMBROSIVS *in Cap. Aurum habet Eccleſia*, 12. *quæſt.* 2. S. HIERONYM. *in Cap. Gloria Epiſcopi, eadem cauſa, & quæſt.* D. GREGORIVS *in Cap. Cum devotiſsima, ipſa quæſt.* 2. & in multis aliis Capitibus eiuſdem *quæſt. & ſeq.* Eamdẽ multi Sũmi Põtifices tradiderunt, vt MELCHIADES, VRBANVS, STEPHANVS, PELAGIVS, PIVS, IOANNES III. EVSEBIVS, SIMPLICIVS, NICOLAVS, SYMMACHVS, & GELASIVS, quorum dicta habentur partim *in quæſt.* 1. *cauſa* 12. & partim *in ſequenti.*

424 Denique idem aſſertum ſingulari ſua eruditione, & doctrina illuſtrarunt Celebriores Scholaſticæ Theologiæ Doctores, vt B. ALBERTVS MAGNUS *in* 4. *Sententiarum*; ALEXANDER DE ALES *in* 3. *ad* 1. *argumentum*; ANGELICVS PRÆCEPTOR *in* 4. *Sententiarum*, & 2. 2. D. BONA-

VENTURA *in* 4. etiam *Sententiarum*, &, vt vno verbo dicam, omnes Reliqui Theologi, eruditionis excellentia conspicui (præter Fratricellos, quibus omnes laudati Patres, Doctores, & Theologi directè adversantur) vno ore asserentes Ecclesiæ, & Clero licitum esse, mobilia, & immobilia bona habere.

425 Sed quoniam hanc Assertionem de Temporalibus Ecclesiæ bonis hæreticorum, & schismaticorum perfidia impetere conatur, vt veritas Sole clariùs eluceat, operæ pretiũ duximus, nubeculas, quibus lucis inimici eam obtenebrare contendunt, penitus dissipare, adversaque argumenta solvere, quibus præcipuè innituntur.

§. IIII.

Opposita argumenta diluuntur.

426 OPponunt ergo 1. Illud est illicitum, quod divina lege prohibetur; Clericis autem prohibitum esse tẽporalia bona possidere, manifestè constat; id enim antiquæ Legis Sacerdotibus præcipuè prohibebatur, vt patet *Numer.* 18. vbi dicit Dominus ad Aaron: *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Israel.* Ergo id etiam prohibitum erit novæ Legis Ecclesiasticis, cum isti antiquę Legis Sacerdotibus succedant.

427 Huic Textui, cui totũ argumenti pondus innititur, cumulatissimè satisfit ex ANGELICI PRECEPTORIS, & ALEXANDRI DE ALES doctrina, qui prædictum textum vna mente sic exponunt, vt non intelligatur, veteris Legis Sacerdotes nullo titulo debere, in Israelitico Populo possessiones habere; cum authoritates inductę manifestè dicant oppositum; sed quod ratione, & titulo distributionis, & divisionis factę per Tribus secundum sortes, nõ debebant habere possessiones, vt partem, aut hæreditatem cum alijs. Similiter cum dicitur, Levitas, & Sacerdotes, præter Sacrificia, & oblationes nihil aliud accepturos, id intelligitur ratione divisionis, tunc factæ per Tribus, & hoc vt dicit D. THOMAS *in* 4. *Senten. dist.* 24. quia dispergendi erant per omnes Tribus, & sic morari debebant inter fratres suos, inter quos & Deum mediabant, sacrificia, Orationes, & alia Deo pro eis offerendo, quod fieri non potuisset, si vnam determinatam partem Terræ accepissent, sicut aliæ Tribus.

428 Quo tamen non obstante, poterant Levitæ alio titulo possessiones habere: vnde ius habebant in hęreditate paterna. Quod vt clarius intelligatur, valdé adnotanda venit doctrina præclarissimi illius Theologi ALEXANDRI DE ALES *in* 3. *Sent.* vbi docet, terrã in veteri testamẽto quatuor modis possideri. Primo, ratione factæ distributionis, seu divisionis secũdum sortes per Tribus, & terra sic possessa debebat per successionem ad posteros hæreditario iure pervenire, & de huiusmodi titulo intelliguntur Authoritates, quæ ab adversariis pro se allegantur *Num.* 18. & aliæ consimiles, dicentes, Levitas nihil debere in terra filiorum Israel possidere, nec habere partem, aut hæreditatem cum aliis, nec aliquid accipere prẹter sacrificia, & oblationes, scilicet ratione dictę divisionis.

429 Secundò, possidebatur terra ratione, & titulo donationis, subsequentis terræ divisionem, & hac ratione, ac titulo possidebant Levitæ Vrbes, & Oppida ad manendum, & suburbia ad pascendum pecora, & iumenta, sicut habetur *Num.* 35.

430 Tertiò, possidebatur terra ratione, & titulo oblationis, factæ Deo, & hoc titulo possidebant Levitæ agros, & terras, quæ vovebantur Deo, & non redimebantur infrà Jubilæum, *Levit. vltim.* vbi dicitur: *Si quis agrum possessionis suæ voverit Domino, & non fuerit redemptus, cum iubilæi venerit dies, sanctificatus Domino erit, & possessio consecrata, & ad ius pertinet Sacerdotum.*

431 Quartò, possidebatur terra ratione, & titulo emptionis, sive adquisitionis, & hoc modo Sacerdotes, & Levitæ poterant, sicut & alii, terram adquirere. Nec tamen propter hoc dicebantur, hæreditatem accepisse inter fratres suos, scilicet in prima divisione terræ per sortes inter Tribus, de quo loquitur Textus Sacer; sicut licet Abraham foderit puteum, & plantaverit vineam in Bersabee terræ Palæstinorum, *Genes.* 21. & emerit agrum, in quo erat spelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis per circuitum; & alias *Actor.* 7. dicat Stephanus, quòd

Deus

Deus non dedit illi hæreditatem, nec paſſum pedis; intelligendum nihilominús eſt *ſecundum Gloſ. Geneſ. vbi ſup.* quôd Deus non dedit ſibi, nec poſteris ſuis ex gratia, ſecundùm promiſsionem ſibi factam, licet eam poſsideret ratione, & titulo emptionis.

432 Sic in propoſito, terræ, quas Sacerdotes, & Levitæ poſsidebant, ſecundo modo, ſcilicet ratione donationis, ſubſequẽtis huiuſmodi diviſionem per ſortem; vel tertio modo, ſcilicet ratione, vel titulo oblationis, voti, ſeu eleemoſynæ; vel quarto modo, ſcilicet titulo emptionis, ac acquiſitionis, non dicebantur poſsidere iure hæreditario; quamvis etiam terræ poſſeſſæ iure ſucceſsionis hæreditariæ, ad poſteros pertinerent. Vndè Hanameel, filius Patrui Jeremiæ, dicebat ipſi Prophetæ *cap.* 32. *Poſside agrum meũ, qui eſt in Anathoth, in terra Benjamin: quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus es, vt poſsideas.*

433 Idipſum dici poteſt, de Evangelicæ Legis, & Novi Teſtamenti Sacerdotibus: eos, ſcilicet, licitè poſſe vno è quatuor iſtis modis poſſeſsiones, terras, dominia, & immobilia bona poſsidere. Primò, ratione paternæ ſucceſsionis hæreditariæ, & ſic illas non poſsident tamquam Clerici vocati in ſortem Domini, ſed in quantum tales perſonæ ſuccedentes iure ſanguinis ſuis Parentibus, ſive propinquis. Secundò ratione, & titulo emptionis, aut acquiſitionis ratione perſonæ propriæ, vt ea, quæ adveniunt Clericis ſolertia ſua, & exercitio laborum ſuorum. Tertiò, ratione, ſeu titulo liberalis donationis, aut obligationis factæ perſonę Clericali, non tamen Eccleſię. Aut modo, ratione, & titulo Eccleſię, & eius nomine, vt ea quę in dotem Eccleſię data ſunt, & ex pietate Fidelium, aut voto ipſi Eccleſię oblata ſunt, aut ipſis Sacerdotibus, nomine Eccleſię; & talia non poſsidentur iure, & titulo proprietatis ab ipſis Eccleſiæ Miniſtris, ſed tantùm ratione, & titulo comendationis; quia temporalia Eccleſiæ ſunt eorum Rectoribus, ac Prælatis, tamquam procuratotibus, & diſpenſatoribus commendata.

434 Hinc D. AUGVSTINUS *ad Bonifacium*, ait: *Si privatim ea, quæ nobis ſufficiunt, poſsidemus, nõ ſunt illa noſtra, ſed Paupertum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vſurpatione damnabili vendicamus.** Et habetur 12. *quæſt.* 1. *Si privatũ.* Vbi *privatum*, ſecundum Alexandrum de Ales, vbi ſuprà vocat, *beneficium Eccleſiaſticum ſeparatum, ſingulari perſonæ commiſſum*, & de talibus, quæ Clerici poſsident hoc quarto modo, ſcilicet nomine Eccleſiæ, non poſſunt hæredibus relinquere, nec aliis, quàm Eccleſiis, quarum nomine habent ea comendata; de his verò, quæ aliquo ex tribus modis, ſuprà dictis, tanquàm propria poſsident, poſſunt hæredibus, aut aliis quibuſcumque relinquere, vt manifeſtê liquet ex Conciliorum, & Canonum Apoſtolorum Authoritatibus, ſuprà relatis.

435 Opponunt 2. Clero licitum non eſt, quod eſt contra CHRISTI Evangelium: eſſe autem contra CHRISTI Evãgelium, Cleros mobilia, & immobilia bona poſsidere, patet ex illo *Math.* 10. *Nolite poſsidere aurum, neque argentum, &c.* Nec dici poteſt, prædictis verbis conſilium, non præceptum contineri; huic enim ſolutioni opponi videtur ipſe textus, dicens: *Et præcipiens eis IESVS, &c.*

436 Reſpondetur primò ex D. AUGVSTINO *lib.* 2. *de Conſenſu Evangeliſtarum, cap.* 30. *Tom.* 4. prædictis verbis, non pręceptum, ſed conceſsionem contineri; conceſsit enim eis, vt poſſent pergere ad Prędicationis officium, ſine pera, & baculo, & aliis huiuſmodi, tamquam habentes poteſtatem neceſſaria vitæ accipiendi ab illis, quibus prædicabant. Vndè ſubdit: *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.* Non autem peccat, ſed ſupererogat, qui ſua portat, ex quibus vivat in prædicationis officio, non accipiens ſumptum ab iis, quibus Evangelium prædicat, ſicut Paulus fecit. Ita etiam D. THOMAS 1. 2. *quæſt.* 108. *art.* 2. *ad* 3. Vndè patet, CHRISTVM Dominum iuxtà D. Thomam, & Auguſtinum in prædictis verbis: *Nolite portare aurum, neque argentum*, voluiſſe ſuis Apoſtolis, & Diſcipulis ſanctum prębere conſilium, quo poſſent pro ſuo libito vti, quoties pro temporis, & perſonarum, quibus prædicabant, opportunitate expedieus iudicarent; neutiquam verò in illis verbis rigoroſum contineri pręceptum.

437 Et meritò quidem; Apoſtoli enim

enim considerari possunt, vel vt Fideles, vel vt Apostoli; si vt Fideles considerantur, rationi non congruit, CHRISTVM eis præceptum imposuisse illis verbis: *Nolite portare aurum, neque argentum*; sic enim ad hoc præceptum omnes Fideles tenerentur, quod gravissimum est inconveniens; quia vt AVGVSTINVS testatur, hoc fuit quædam hæresis eorum, qui *Apostolici* dicebantur, & erroneè docebant, nullum salvari posse, nisi eos, qui nihil possidebant; fuit etiam alia hæresis, quòd nullus salvaretur, nisi discalceatus pergès, iuxta illud *Matth.* 10. *Neque calceamenta*, & vt *Marc.* 6. dicit: *Sed calceatos Sandalijs*, quæ hæreses erant, non quia malum Dominus præceperit; sed quia horum errorum Authores, hęc non observantibus salutis viam præcludebant, existimantes, ea de necessitate salutis esse observanda.

438 Si autem eis, vt Apostolis, id Dominus præceperit, omnes Prælati, qui sunt Apostolorum Successores, ad hoc tenerentur, quod durum videtur, & oppositum latè probavimus in Conclusione, in qua ex Scriptura, & Sanctis Patribus ostendimus, Ecclesiarum Prælatis, à CHRISTO prohibitum non esse, aurum, & argentum possidere, ad Ecclesiæ, & Pauperum necessitatibus subveniendum.

439 Respondetur secundò, prędictum Matthæi Textum, triplici expositione illustrati. Prima sit ANGELICI PRÆCEPTORIS 2.2. *quæst.* 185. *art.* 6. *ad* 2. docentis, relata verba, sic posse mysticè intelligi, vt non possideamus aurum, neque argentum, id est, vt Prędicatores temporali sapientiæ, & eloquentię principaliter non inhiantur, vt exponit S. HIERONYMVS *in cap.* 10. *Matth. tom.* 9.

440 Secunda sit D. AVGVSTINI *de Consensu Evangelist. lib.* 2. *cap.* 30. asserentis, Dominum non præcipiendo, sed magis permittendo, prædicta verba protulisse; permisit enim eis, vt absque auro, & argento, & aliis sumptibus, ad prædicandum irent: sumptus vitæ ab ijs, quibus prædicabant, accepturi. Vndè subdit: *Dignus est operarius cibo suo*, quasi dixisset: *Nolite possidere aurum*, id est, non erit vobis necessarium habere aurum; quia ego vobis indulgeo, vt capiatis necessaria victus, & amictus ab iis, quibus prædicaturi estis. Fuit ergo dispensatio, non præceptio; qua tamen dispensatione Paulus aliquando vti noluit, & aliquando vsus fuit, sicut patet 1. *ad Corinth.* 9.

441 Tertia sit S. JOANNIS CHRYSOSTOMI, sic prædicta verba exponentis, vt quamvis præceptum præseferant, legitimum sensum habeant, quin nostræ Assertioni obsint; siquidem iuxta præfati Sancti doctrinam, sic exponuntur, vt intelligatur, CHRISTVM Dominum Apostolis pręcepisse, nè aurum, & argentum possiderent, quantum ad illam Missionem, qua ad Judæis prædicandum mittebantur.

442 Quod vt clariùs intelligatur, suponendum est, duplicem in Scriptura reperiri Apostolorum Missionem, à CHRISTO Domino eis commendatam; aliam specialem, & limitatam; aliam verò generalem: Prima fuit ad Iudæos, de qua *Matth.* 10. *Hos duodecim misit IESVS, præcipiens eis, & dicens: In viam gentium nè abjeritis, & in Civitates Samaritanorum nè intraveritis, sed potiùs ite ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Alia Missio est, qua missi sunt post Resurrectionem ad vniversum Orbem, iuxta illud: *Euntes ergo docete omnes gentes, &c. Matthæi* 28. *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Lucæ* 16.

443 De vtraque Missione mentionem facit D. THOMAS 1.2. *quæst.* 108. *art.* 2. *ad* 3. vbi, in præfati textus expositione, adducta S. AVGVSTINI interpretatione, subdit: *Alio modo possunt intelligi dicta verba, secundum aliorum Sanctorum expositionem, vt sint quædam Statuta Temporalia, Apostolis data pro illo tempore, quo mittebantur ad prædicandum in Iudęam CHRISTI Passionem, indigebant enim Discipuli, quasi adhuc parvuli, sub CHRISTI cura existentes, accipere aliqua specialia Instituta à CHRISTO, sicut quilibet subditi à suis Prælatis; præcipuè, quia erant paulatim exercitandi, vt temporalium solicitudinem abdicarent, per quod reddebantur idonei ad hoc, quòd Evangelium per Universum Orbem prędicarent.* Hęc ille. Undè CHRISTVS, in prima Apostolorum Missione, speciali, & limitata, qua eos ad Judæis prædicandum misit, sanctis suis documentis, de temporalium rerum abdicatione, quoad solicitudinem, ac curam, eos ad vniversalem, in toto Orbe disposuit, iuxta ANGELICI PRÆCEPTO-

PTORIS Doctrinam.

444 His ergo suppositis, asserimus, prædicta *Matth.* verba: *Nolite possidere aurum*, &c. dato, quòd præceptiva fuerint, intelligenda esse quoad primam specialem Missionem, qua Apostolis præcepit CHRISTVS, vt in Judęam pergerent, Evangelium Judęis prædicaturi; non verò quoad secundam vniversalem Missionem, qua in totum Orbem missi sunt, vt Evangelium omni creaturæ annunciarent. Innititur hęc solutio ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina 2.2. *quæst.* 185. *art.* 7. *ad* 2. prædictum Matth. textum sic elucidantis: *Tertio modo, secundum quod Chrysostomus exponit, vt intelligatur, illa Dominum præcepisse Discipulis, quantum ad illam Missionem, qua mittebantur ad prædicandum Iudæis.* Hæc ille.

445 Vndè regula illa, de non portando auro, data fuit, pro prima Missione, non verò pro secunda, quæ libera fuit, nulla lege limitata. Et quidem ipse CHRISTVS clarè significavit, Apostolos in secunda Missione, illo præcepto non obligari; siquidem in vltima Cœna, recolens primam Missionem, sic eos interrogat: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram. Lucæ* 22. Vbi concessit eis, portare, quæ anteà ipsis prohibuerat.

446 Nec deest gravissimum fundamentum ad statuendum istud inter duas Missiones discrimen; in prima enim, ideò eis prohibuit aurum, & argentum possidere, vt per hoc excitarentur ad confidendum de virtute ipsius, qui eis absque sumptibus provideret, vt ait S. THOMAS *loco suprà citato*; in secunda verò Missione vniversali prædictam prohibitionem abstulit, cuius rationem reddit D. THOMAS *vbi suprà*, dicens: *Quęquidem statuta imminente passione removit, tamquam Discipulis iam per eam sufficienter exercitatis.* Imò oppositum docuisse videtur cum dixit: *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram*, cuius rationem astruit ANGELICVS DOCTOR his verbis: *Jam enim imminebat tempus perfectæ libertatis, vt totaliter suo dimitterentur arbitrio in his, quæ secundum se non pertinent ad necessitatem virtutis.*

447 At Cardinalis TURRECREMATA aliam discriminis rationem assignat *in Canone Expedit.* 12. *quæst.* 1. sic scribens: *Quia apud Judęos, ad quos primò missi sunt, erat consuetudo, quòd suis debebant providere Magistris; & ideò nihil ferre præcepit, cum mitteret eos ad Judæos; ista autem consuetudo non erat apud Gentes, & ideò, cum missi sunt ad Gentes, data est eis licentia portandi sumptus. Undè Paulus, & Barnabas sumptus portabant, qui prædicabant alijs, quàm Iudæis.*

448 Et ita, vt dicit Augustinus *contra Faustum*, convenienter pro temporum diversitate præcepta, vel consilia permissa mutantur. Cum ergo Authoritas illa, præceptivè intellecta, pro loco, & tempore, scilicet, primę Missionis per Judęam, dumtaxat, & non pro omni loco, & tempore intelligatur, patet, quòd vt dicit D. Thomas (*vbi suprà*, 2. 2.) ex illa non obligabantur Apostoli, vel eorum Successores Episcopi, & Prælati Ecclesiæ, vt absque proprijs sumptibus Evangelium annunciarent; nam de Paulo legitur 2. *ad Corinth.* 11. Quòd ab aliis Ecclesiis stipendium accipiebat ad prædicandum Corinthijs; & sic patet, quòd aliquid possidebant, ab aliis sibi missum; & etiam CHRISTVS, vt *suprà cap. Exemplum, ea quæst.* loculos habuit, vbi portabatur pecunia ad sui, & suorum necessitatem supplendam.

449 Successores etiam Apostolorum, cum non succedant eis in prima Missione, quæ fuit ad Judæam tantùm, sed in secunda, quę ad Vniversum Orbem, non tenentur ad illud præceptum, datum Apostolis in prima Missione; stultum enim videtur dicere: (inquit D. Thomas *vbi suprà* 2. 2.) quòd tot Sancti Pontifices, sicut Athanasius, Ambrosius, & Augustinus, illa præcepta transgressi fuissent, si ad ea servanda se crederent obligati. Hæc ille.

450 Tandèm alii sic prædicta verba exponunt, vt per illa CHRISTVS prohibuerit superfluam solicitudinem circà temporalia, & maximè Evangelii prædicationem impedientem, sicut solicitudinem de crastino prohibuit *Matth.* 6. dicens: *Nolite ergo soliciti esse in crastinum*; quia, vt dicit Magister NICOLAUS DE LYRA: *Prædicator verbi Dei debet esse solutus à solicitudine temporali.* Undè EVSEBIVS *in Gloss. super Lucam*, dicit:

cit: *Volens CHRISTVS, eos carere cupidine, & solicitudinibus vitæ, protestatus est hoc.*

451 Opponunt tertiò: *Matth. 6.* prohibetur Apostolis, nè soliciti sint in crastinum: ergo multò magis Ecclesiæ Prælatis, & præcipuè Apostolorum Successoribus, videntur prohibitę provisiones futurorum, ac per consequens, cogitare de possessionibus immobilibus, pro pręsenti & futuris temporibus, habendis.

452 Respondetur, prædictis verbis non prohiberi Clero, Ecclesiæque Prælatis, temporalia bona habere, sed nè propter ea, aut Deo serviatur, aut Justitia deseratur. Hæc solutio, Doctrinæ D. AVGVSTINI innititur, *lib. de Consensu Evang.* hæc scribentis: *Sic præceptum fuit Apostolis, pecuniam non esse ferendam in Zonis, sicut pręceptum fuit in crastinum non cogitandum; planum est autem, præceptum non esse cogitandum de crastino sic, quòd pecunia à Sanctis non servaretur, sed nê propter hoc Deo serviatur, & nè propter temporalia bona, justitia deseratur.*

453 Secundò respondetur cum D.THOMA 2. 2. *quæst.* 55. *art.* 7. *ad* 3. asserente in expositione ejusdem textus: *Nolite solliciti esse in crastinum*: *Quod sicut Augustinus dicit *in lib. de Serm. Domini in monte*: Cum videris aliquem servum Dei providere, nè ista necessaria sibi desint, non judicemus, eum de crastino solicitum esse: nàm & ipse Dominus propter exemplum loculos habere dignatus est: & in Actibus Apostolorum scriptum est, ea, quæ ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum, propter imminentem famem. Non ergo Dominus improbat, siquis humano more ista procuret; sed siquis propter ista non militet Deo.*

454 Objiciunt quartò, illud videtur esse Clericis illicitum, quod Ecclesiastico statui repugnat: habere autem possessiones, & immobilia temporalia bona, Ecclesiastico statui repugnat, vt colligi videtur *ex cap. Clericus*, 12. *quæst.* 1. vbi dicit S.HIERONYMVS *ad Nepotianum*: *Cleros Græcè, Latinè *Sors* appellatur, propter quod Clerici dicuntur; quia de sorte Domini sunt; vel quia ipse Dominus Sors, id est, pars Clericorum est. Qui autem Dominum possidet, nihil extra Deum habere potest. Si autem aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem habeat, non dignatur Dominus fieri pars eius.* Ergo videtur, quòd non solum Episcopi, sed etiam Clerici, debent iis carere.

455 Huic argumento respondetur, ex ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina, 2.2. *quæst.* 185. *art.* 6. *ad* 3. prædictum D. Hieronymi Textum, sic exponentis: *Omnis pars est minor toto; ille ergo cum Deo alias partes habet, cuius studium diminuitur circà ea, quę sunt Dei, dum intendit iis, quę sunt mundi; sic autem non debent, nec Episcopi, nec Clerici, proprium poisidere, vt dùm curant propria, defectum faciant in iis, quę pertinent ad Cultum Divinum.*

456 Vel dic ndum secundò, quòd Clericus, Deum solum in hæreditate habet, qui in eo solo spem suam ponit, & non in pecuniæ thesauris; nihilque nisi Deum habet, qui nihil habet nisi servitio Dei; quia paratus est omnia exponere propter Deum. Sic D.AVGVSTINVS dicit, quôd solus Deus vult amari; sed, vt ipse idem dicit, ille Deum solùm amat, qui nihil amat præter Deum, quod non amet propter Deum.

457 Objiciunt quintò, Clericis illicitum esse videtur, habere dominium sęculare in res temporales; hoc enim CHRISTVS videtur prohibuisse *Lucæ* 22. cum dicit: *Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Idem habetur *Marci* 10. Hûc spectat illud 1. *Petri* 5. *Neque vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

458 Huic argumento respondetur primò, ex adducta *Lucæ* Authoritate, nullatenus inferri, nõ licere Clerico temporale dominium habere; Dominus enim, illa protulit verba, arguendo illos de contentione, & ambitione honoris, qui omnibus est culpabilis, sive Clericis, sive non Clericis, suadens humilitatem, quæ omnibus est commendabilis, vt patet ex textu præcedenti, quia contendebant de majoritate *Lucæ* 20.

459 Respondetur secundò, Dominum, *ibi* solum prohibere dominium, subditorum violentèr oppressivũ, iuxta Origenẽ, vel tyrannicum, quo quis sui, & non subditorum gratia appetit dominari. Vndè

GLOS-

GLOSSA, *super verbum, Dominantur*, dicit: *Potiùs intendit eis dominari, quàm eorum regimini vtilitèr deservire.* Et sic, non ad solos Clericos, sed generalitèr etiam ad Laicos, illa extenditur prohibitio dominandi.

460 Responderi potest tertiò, eam prohibitionem, si solos Clericos respiciat, accipiendam esse pro tempore, & statu Primitivæ Ecclesiæ, non verò generalitèr; quia, iuxta priùs dicta, diversis Ecclesiæ statibus, & temporibus diversa congruit ordinari. Hûc facit illud B. ALBERTI MAGNI ad illa verba *Lucæ* 22. *Vos autem non sic*, hęc scribentis: *Hoc enim in principio Ecclesiæ, fieri non potuit, quæ in humilitate, & charitate fundari debuit; & non in fastu, & dominio regali. Cum verò mali in ea multiplicarentur, tunc oportuit redire ad regalem, & dominalem timorem, vt mali comprimerentur; & hoc est, quòd dicit: Vos autem non sic;* scilicet, Ecclesiæ fundatores; sed *qui major est in vobis* Potestate Spirituali, *fit sicut minor*, qui ad nulla eligitur, *Matth.* 8. *Quicumque humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in Regno Cælorum*, id est, in Ecclesia; quia ille ad fundandam Ecclesiam CHRISTI, magis idoneus est. In primitiva enim Ecclesia parûm curabatur de potestate dominandi, sed omnes ad humilitatis, & charitatis exempla respiciebant.* Eodemque modo respondetur ad illud, quod inducitur 1. *Petri*.

461 Nec obstat, quod communitèr dicitur, cum Ecclesia Constantini donationem acceptavit, auditam fuisse vocem in aëre, dicentem: *Venenum intrasse in Ecclesiam Dei*. Non, inquam, obstat. Primò, quia talem vocem re vera non extitisse, sed à malignis Ecclesiæ hostibus in istius odium confictam, ac nullo prorsus fundamento innixam, compertum est apud celebriores, ac magni nominis Scriptores. Secundò, quia quamvis verum esset hujusmodi vocem fuisse in aëre auditam, non vt Cælestis, sed vt Diabolica, Ecclesiæ profectibus invidendo, putanda est. Non enim videtur credibile, Deum Sanctissimo non revelasse Sylvestro, nè temporalium copiam susciperet, si Ecclesiæ venenosa judicaretur.

462 Constat ergo, Ecclesiæ, & Clero, illicitum non esse, mobilia, & immobilia bona temporalia possidere, prout ex argumentis pro nostra Conclusione, & objectionum solutionibus manifestè patet: nihilominùs tamen pro clariori, ac pleniori præcipuę nostræ Assertionis elucidatione, sequens supereſt dubium discutiendum.

§. V.

QVÆRITVR: AN NEDVM liceat, sed & deceat, Ecclesiam, & Clerum, temporalia bona habere?

463 SIt nostra CONCLVSIO: Non modò licet, verùm & decet, Clericos mobilia, & immobilia bona possidere. Præclarum hujus Assertionis fundamentum nobis suppeditant S. ISIDORVS *lib.* 10. *Etymologiarum*, & D. AMBROSIVS *lib.* 1. *de Officiis*; vterq; enim docet, quòd decens, secundum suam Etymologiam, quendam decorem, & pulchritudinem importat: atqui ad Christiani Populi decus, pulchritudinem, & honorem pertinet, Clerum, Divinis inservientem, qui Populi in Spiritualibus gerit Magisterium, & Ducatum, non esse abjectum, miserum, ac mendicum: decens ergo videtur, Clericos temporalibus bonis potiri, vt iuxta statum, & personarum Dignitatem, possint decenter vivere, & nè cum ingenti status dedecore mendicare cogantur.

464 Secundò, quia valdè indecens esset Domum Dei, Supremi Regis Regũ ornatu non præcellere, & Ministros Divino Cultui dicatos, non vivere ea decentia, quã sui status altitudo exposcit; juxta illud AGGÆI Prophetæ: *Numquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta?* cap. 1. Vndè DAVID indecorũ existimavit, se domos splẽdidas habitare, & Arcam Dei esse sub pellibus, 1. *Paralip.* 17. Ideòque filio suo Salomoni præcepit, vt Templum illud, æterna memoria dignissimum, ędificaret, in cujus constructione, obedientissimus filius immensas divitias insumpsit, vt decens esset Divini Cultus habitatio, & Ministri Divino Cultui Sacrati decenter incederent.

465 Deindè, quia nulla est in toto terrarum Orbe natio, adhuc inter Ætnicos, multòque magis inter Catholicos, quæ temporalia bona ad Ministrorum Templi victum, Cultumque Sacrum dedi-

ca-

care diligenter non curaverit. Quod adeò verum est, vt ab Ecclesiis, & Clero temporalia bona, tàm mobilia, quàm immobilia, possideri, semper sit à tota Ecclesia susceptum, & à doctissimis, & sanctissimis Viris, singulari approbatione admissum; & dubitari nequit, quin Sanctissimi Ecclesiæ Viri, hoc neutiquam præstitissent, si licitum tantùm, & non etiam decens, existimarent, temporalia bona ab Ecclesia, & Clero possideri; cum perfectorum Virorum sit, licitum sibi non reputare, nisi id, quod etiam decens judicarint, teste D. AMBROSIO *lib. de Offic.*

466 Nec huic Assertioni obstant *Cap. Clericus*, 12. *quæst.* 1. *& cap. Duo sunt genera, eadem causa, & quæst.* vbi hęc habentur: *Duo sunt genera Christianorum. Est autem vnum genus, quod mancipatum Divino Officio, & deditum contemplationi, & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, vt sunt Clerici.* Undê videtur, quòd deceat Clericos, qui contemplationi, & orationi diditi fuerint, vt ab omni temporalium strepitu sint alieni. Non, inquam, obstant; respondetur enim, ex citatis verbis non probari, Clericos non decere, temporalia bona habere, sed eos non debere, illa Divino servitio præferre; vt enim suprà dicebamus, stat benè, aliquem multa temporalia habere, & Dominum dici partem hæreditatis ejus, vt patet in Regio Vate, sic cõcinente *Psal.* 15. *Dominus pars hæreditatis meæ*; & tamen aurum, argentum, possessiones, Civitates, & Castra, ab eo possidebãtur. Itaque illa *citati capitis* verba: *Duo sunt genera*, &c. solùm volunt, hominem, contemplationi, & orationi deditum, negotiis sęcularibus non implicati, animumque ab iis separatum habere. Sed hoc non obest, quin bona temporalia, possint ab eo obtineri, & eorum cura, ac administratio exerceri possit, aut per Laicos, vt in multis Monasteriis fit, aut per Clericos, ad hoc specialiter deputatos, vt de Apostolis, *Act.* 6. legitur, quòd *elegerunt septem Diaconos, qui ministrarent mensis.*

467 Cum igitur ex dictis satis pateat, non solùm licitum, sed & decens esse, Clericos temporalia bona obtinere, nunc restat videre.

§. VI.

AN, NON SOLVM LICEAT, SED etiam deceat Ecclesiam bonis temporalibus abundare?

468 HVic difficultati affirmativè respondemus, prout expressê traditur in *cap. Expedit*, 12. *quæst.* 1. Et probatur primò: quia vnaquæque res decenter, & vtiliter dispositа est, si fini, propter quem fuerit instituta, congruam habuerit destinationem, seu proportionem; at finis, ad quem status Ecclesiasticus institutus agnoscitur, est, vt Christianæ Religionis magisterium gerat, ipsum instruendo in his, quæ Fidei sunt, & bonorum. (Undè APOSTOLVS 1. *ad Timoth.* 3. & *ad Titum* 1. *Oportet Episcopum Doctorem esse, & hospitalem esse*: non enim institutus est, vt contemplationi tantùm vacet, sed vt in divinis ministeriis Populo præsideat, superintendat, ipsumq; in operibus bonis verbo doceat, & exemplo. Cum igitur fieri non possit, vt Ecclesia hospitalitatis Officium cum pauperibus exerceat, & communibus Populi necessitatibus subveniat, quin temporalibus bonis abundet: hînc est, non decens solum, sed & necessarium esse, Ecclesiæ Antistites, non modò ea, quæ ad sui status decentiam pertinent, possidere, sed & temporalibus bonis affluere, vt cumulatè possint explere munus, in quo Deus eos præfecit; illos enim Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, prout D. PAVLVS explicuit, hospitalitatem, ac debitam charitatem in egentibus bonorum temporalium exercentes.

469 Probatur secundò Conclusio S. AMBROSII doctrina, quæ habetur *in cap. Non satis*, 86. *dist.* vbi hæc legunt: *Oportet Dei Templa congruis ædificiis, & ornatu sustineri, vt Dei Templum honore cõgruo honoretur.* Sed ad Ecclesię ornatum congruum sustinendum, Cultũque Divinum continuatè promovendum in Ornamentis, Libris, Calicibus, Luminaribus, & aliis hujusmodi, ad ornatum Divini cultus pertinentibus, & ad Ministrorum Ecclesiæ victum, & ad Scholasticos Viros, ac Doctores, ad jura Ecclesiæ tuenda nutriendos, nulli dubium esse poterit, quin ad omnia ista, quæ retulimus, ingens copia tem-

temporalium bonorum, tàm mobilium, quàm immobilium, plusquam necessaria sit Ecclesiæ, eiusque Prælatis: decens ergo est, temporalibus bonis abundare.

470 Probatur tertiò; quia Ecclesiæ, Ecclesiasticisq; Pastoribus, indispensabiliter annexum est hospitalitatis Officium, iuxta illud D. PAVLI: *Oportet Episcopum hospitalem esse, ad Tit.* 1. quod secum affert exercitium operũ charitatis, vt captivos redimere, nudos vestire, famelicos cibare, aliaque id genus exhibere; atqui compertum est, Episcopum absque temporalium bonorum abundantia, prædicta charitatis opera exequi non posse: non ergo tantummodò licet, & decet, verùm &, ob Officii necessitudinem, oportet, Episcopum, & Ecclesiam Temporalibus bonis abundare.

471 Si fortè objicias illud D. PAVLI: *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*, 1. *ad Timoth. 6.* Insuper, quia si aliqua humani corporis pars, plus alimenti, quàm necessarium est, accipiat, vitio, morboque tabescit: ergo pariter in mystico Ecclesiæ corpore, si Ecclesiastici, præcipua illius membra, plus necessario possideant, non erit in Ecclesia virtus, sed vitium, quod nec dici debet, nec permitti. Deindè divitiis, earumque abundantia frequenter gignitur illarum amor, qui animas illaqueat, & à Dei amore penitùs avertit. Tãdem, ex talium bonorum copia, fastus, pompa, superbia, & morum deformatio videtur in Ecclesia suboriri: non ergo decens erit, Ecclesiam temporalibus bonis abundare.

472 His, parum obstãtibus, facilis exhibetur solutio. In primis ad illud PAULI dicimus, nihil esse contra nos; Apostolus enim optimè in hũc sensum exponi potest, quòd habentes, scilicet tàm pro nostris personis, quàm pro illis, quibus ministrare debemus, contenti simus; vt benè adnotavit Card. TVRRECREMATA *vbi suprà*. Ad primã autem rationem respondemus, quòd licet vitium contraheret manus, aut pes, si plus de alimento susciperet, quàm sit opus: ex hoc tamen nullum vitium contrahunt hepar, aliaque membra, quæ habent aliis ministrare: Vndè manifestè infertur, omnibus Ecclesiasticis, & præcipuè Prælatis, quibus Jure Divino incumbit, ex debito Pastoralis Officii, non solum se alere, sed etiam suæ familiæ, Ecclesiæ Ministris, suique Episcopatus Pauperibus alimenta præbere, licitum vtique esse, imò & decens, non modò necessaria habere, quibus se alant, sed etiam divitiis abundare, quibus possint egentibus alimenta porrigere, aliisque Ecclesiæ, eiusque Ministrorum necessitatibus subvenire.

473 Ad alias in oppositum rationes respondetur, nullatenus subsistere, quæ de divitiarum amore, & fastu adstruatur, cum hujusmodi vitium, tàm laicis, quàm Clericis agnoscantur esse communia, & in vtrisque merito sint extirpanda, eo quòd iuxta Apostolum 1. *ad Timoth. 6. Radix omnium malorum* (scilicet tàm culpæ, quàm pœnæ) *est cupiditas* plus habendi, quàm oportet; vt exponit antiquitate, eruditioneque celeberrimus NICOLAUS GORSANVS, Ord. Prædicatorum, *ad dictam locum Pauli.* Dicendum ergo est, quòd quamvis prædicta inconvenientia suboriantur in iis, qui nimis ardenter sunt divitiarum amantes (iuxta illud 1. *ad Timoth. 6. Qui ditari cupiunt, incidunt in laqueum diaboli*; & *Proverb.* 28. *Qui ditari festinat, non erit innocens*) nullatenus tamen suboriuntur, nec suborta noscuntur in iis, qui divitias, temporaliaque bona, vel non amant, vel eis propter Dei amorem, divini cultus augmentum, & proximi vtilitatem, potiuntur, vt communiter solent Ecclesiastici, Ecclesiæque Prælati hujusmodi bona possidere; quemadmodum præstitere in Veteri Testamento Isaac, Iacob, Tobias, David, multique alii Sanctitate præclari, & in Novo Divi Nicolaus, Sixtus, & Gregorius, de quo dixit ANGELVS: *Solitarios plus eatam diligere, quàm Gregorius divitias suas amaret.* Omnes igitur isti temporalibus bonis abundarunt, quin ante Dominum perfectissimi esse desierint.

474 Ex hucusque dictis, cuique legenti liquidò constare poterit, licitum esse, ac decens, Ecclesiam, & Ecclesiasticos, præcipuè Prælatos, non modò temporalia bona possidere, sed etiam eis abundare ad fines, & causas, à nobis suprà relatas, præcipuè hospitalitatem, propriũ, & præcipuũ eorum munus, ratione cujus tenentur communibus necessitatibus subvenire; nihilominùs Joannis XXII. tempestate non defuere Authores, qui, ficta zeli specie, voluerunt, glorioſum illius Pontificatum vexare, temerè evulgantes & erroneè ad-

ſtruere non formidantes duas eſſe Eccleſias, alteram, temporalibus bonis abundantem, alteram, eis carentem, ſummaque paupertate enitescentem; illam, Romanam vocabant; hanc, Evangelicam; & quam CHRISTVS per ſe, ſuoſque Apoſtolos fundavit, non in temporalium bonorum abundantia, ſed in paupertate, omniumque temporaliũ rerum abdicatione, vt videri poteſt apud NICOLAVM EYMERICVM 2. *part. Directorii Inquiſitorum, queſt.* 18. vbi referẽs Begardorum, & Uvaldenſiũ errores, hæc habet *num.* 2. *Quartus error eſt: quòd duę ſunt Eccleſiæ, ſcilicet carnalis, divitiis preſſa, affluens delitiis, ſceleribus maculata, cui Romanum Prę ſulem, alioſque inferiores Prælatos dominari, hęretici iſti fingunt: Alia ſpiritualis, frugalitate munda, virtute decora, paupertate ſuccincta, in qua ipſi ſoli Begardi, eorumque complices, continentur.

475 Quintus error eſt: Quòd venerabiles Eccleſię Sacerdotes ſic ſunt juriſdictionis, & Ordinis authoritate deſerti, vt nec ſententiam ferre, nec Sacramenta conficere, nec ſubjectum Populum inſtruere valeant, vel docere; ſed ſunt privati omni Eccleſiaſtica Poteſtate, niſi ſint de eorum Begardorum perfidia, apud quos ſolos, vt ipſi fingunt, ſicut ſpiritualis vitæ ſanctitas, ſic & Eccleſiaſtica Authoritas, perſeverat.

476 Octavus error fuit, quòd Evangelium CHRISTI in ſolis Begardis hoc tempore eſt completum, quod hactenùs, vt ipſi Begardi ſomniant, obtectum fuerat, imò prorſus extinctum.* Hiſce erroribus ſeſe oppoſuit Sanctiſſimus Pontifex JOANNES XXII. eos, vt hęreticos proſcribens, eorumque Authores condemnans, vt patet ex illius Conſtitutione quę incipit: *Gloriosam Eccleſiam.*

477 Prædictis Begardorum erroribus, eos confirmans, alios addidit Petrus Joannes Hæreſiarcha, Begardorum caput (vt ait EYMERICVS *quæſt.* 15.) qui inter alios errores aſſeverabat, perperam, de Evangelica paupertate ſentire Clericos, & Regulares, qui temporalia bona poſſidebant, prout refert idem Eymericus *vbi ſupra, quæſt.* 19. dicens: *Octava hæreſis eſt (Petri Joannis) quòd ferè omnes Clerici, & Regulares, poſſidentes aliquid in communi, videntur minùs benè ſentire, de abrenuntiatione Evangelica huiuſmodi in communi.* Et *in Poſt. illa ad Matth.* erroneè docuit, CHRISTVM, & Apoſtolos non habuiſſe aliqua in proprio, vel in communi. At duos iſtos errores, ſicut & alios condemnavit JOANNES XXII. in extravagantibus: *Cum inter*, & *Quia quorumdam.*

478 Vndè liquet, prędictorum errorum, hæreſumque Authores in Joannem XXII. conſpiraſſe, eòque temeritatis, & audaciæ deveniſſe, vt evulgarint, eũ in prædictis Conſtitutionibus, *Cum inter*, *Quia quorundam*, & *Ad conditorem*, contra Evangelicam paupertatem, ipſumque Evangelium, ſua definitione determinaſſe; ſicque in hæreſim fuiſſe prolapſum, vt refert S. ANTONINVS 4. *part. tit.* 12. *cap.* 4. *in principio*, dicens: *Circa materiam de paupertate CHRISTI, & Apoſtolorum, tempore Joannis XXII. *anno Domini* 1324. apud quoſdam orta eſt nova opinio falſa Fraticellorum, quam ipſe Joannes Papa, quia contrariã Scripturæ Evangelicæ reprobavit, & determinavit hæreticam. Quidam ex illis obſtinato animo ſuam opinionem retinentes, ad hanc temeritatem, & maximam præſumptionem devenerunt, vt ipſum Papam Joannem hęreticum dixerint, propter talem determinationem, quam dixerunt falſam, & hæreticam: vndè ſeparantes ſe ab vnitate Eccleſiæ, Synagogam Satanæ ſibi fecerunt.*

479 Idipſum clariùs exprimit Inquiſitor NICOLAVS EYMERICVS 4. *part. Directorii, quæſt.* 15. vbi referens Begardorum, Fraticellorumque errorem, ſubdit præcipuum momentum, quo impulſi fuerunt ad tantam calumniam in Pontificem evomendam, ſic ſcribit: *Quartus decimus error eſt; quoniam dicunt, quòd Dominus Papa Joannes XXII. faciendo quamdam Conſtitutionem, quæ incipit: *Quia quorumdam*, in qua dicitur, concedere, ac diſpenſare cum Fratribus Minoribus, quòd poſſint congregare vinum, & bladum in granariis, vel cellariis, pro tempore futuro, ad arbitrium Prælatorum Ordinis ipſorum, fecit contra Evangelicam paupertatem, & per conſequens, vt aiunt, contra Evangelium CHRISTI; & ideò dicunt, quòd factus eſt hæreticus, & quòd ex hoc perdidit Poteſtatem Papalem; ligandi, & ſolvendi, & alia faciendi, ſi in hoc perſeveraverit; & quòd Prælati per eum facti, ex quo dictam Conſtitutionem

fe-

fecit, non habent aliquam Ecclesiasticam Jurisdictionem, seu Potestatem.*

480 Prædictis Hæreticis adhæserunt Marsilius Patavinus, Ocham, & Michaël de Cęsena, qui, cũ hæretici essent renuntiati, non sunt vetitati, temerario ausu calũniari Joannem XXII. in prędictis tribus Constitutionibus errores definisse, vt suprà diximus. Quarè, vt Apostolicam Joannis Doctrinam, illiusque Fidei puritatem, à tàm iniqua calumniantium audacia vindicare possimus, illius defensionem aggrediamur.

CAP. IV.

IOANNES XXII. A SCHISMAticorum, Hæreticorumque impostu-ris, omninó immunis ostenditur.

481 VT clariùs procedamus, aliqua dubia proponemus, ex quorum solutione clarè ostendetur, quanta cum maturitate, & æquitate Joannes XXII. in prædictis Constitutionibus: *Quia quorundam*, & *Inter nonnullos*, processerit. Sit igitur primum.

§. I.

An Ioannes XXII. Constitutione: Quia quorundam, *cum Fratribus Minoribus dispensare potuerit in paupertate, quam secundum Evangelicam S. Francisci Regulam, profitentur, eámque condere Constitutionem?*

482 PRæsentis dubii resolutio ab illa pendet difficultate, in qua quæritur: In quibus possit Pontifex Canones stabilire? Et quamvis eam latè pertractent S. ANTONINUS, & alii plures, tàm Canonistæ, quàm Theologi; nihilominùs vt certum apud omnes dicimus primò: non posse Pontificem condere Canones cõtra ea, quæ in Sacris Litteris cõtinentur, vt patet, *ex Can. Sunt quidam*, 25. *quæst.* 1. & ex D. AUGUSTINO *lib.* 4. *de Trinit.* hæc scribente: *Contra rationem, nemo sobrius; contra Scripturam, nemo Christianus; contra Ecclesiam, nemo pacificus.* Et ratio est, quia inferior non potest sui superioris Decreta mutare, vel contra ea quidquam decernere; Sacra autẽ Scriptura est à Spiritu Sancto digesta, & Sacris Scriptoribus dictata, juxta illud 2. *Petri* 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu Sancto inspirate locuti sunt Sancti Dei homines.* Certum ergo debet esse, non posse Pontificem contra ea, quę in Sacra Scriptura continentur, Canones condere, aut aliquid statuere.

483 Nec obstat, Sacram Scripturam videri suam ab Ecclesia Authoritatem habere, juxta illud D. AVGVSTINI: *Ego non crederem Evangelio, nisi ad hoc Ecclesię me commoveret Authoritas.* Cumque possit Pontifex dispensare in his, quæ Ecclesiæ Authoritate statuuntur; hinc videtur, posse contra ea, quę in Sacra Scriptura decernuntur, Canones stabilire. Non, inquam, obstat; illa enim S. Augustini verba non sunt sic intelligenda, vt Scriptura Sacra suam ab Ecclesia habeat Authoritatem inspirativê; hoc enim falsum est, cum Scriptura Sacra non ab Ecclesia, sed ab ipso Deo sit immediatè inspirata, ac dictata; sed sic intelliguntur, prout communiter Theologi exponunt, vt Sacra Scriptura omnem ab Ecclesia sumat Authoritatem declarativè, declaratione authentica, & definitiva, ac infallibili, cui omnes Fideles obedire, ac parere tenentur, quando ab ipsa definitur in specie, hunc Librum Sacrũ esse, & à Deo revelatum; & hoc juxta communem Theologorum Sententiam verisimum est; ad Ecclesiam enim, Romanumque Pontificem spectat, Sacros Codices à non sacris discernere, Evangelia, scilicet, Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis, esse legitima; Evangelia verò Nicodemi, Nazarẽorum, Bartholomæi, & consimilia contẽnendæ esse Authoritatis. Vndé hic est legitimus, ac verus illorum Augustini verborum sensus: Si ignotum, vel dubium esset, vtrum Evangelium Matthæi, aliusvê Liber ad Sacram Scripturã pertineret, vel non, ipsi non crederem, nisi Ecclesię me moveret Authoritas, qua declararet, hunc Librum Canonicum esse, & Divinum.

484 Secundò dicimus, æquê certum esse, non posse Pontificem Canones condere contra quatuor primorum Conciliorum Decreta. Patet Assertum *ex cap. Canones*, & *cap. Sicut*, 15. *distinct.* Et ratio est; quia quatuor primorum Conciliorum De-

creta sunt in materia Fidei, & præcipuarum Fidei veritatum continent definitionem, vt patet ex *laudatis cap.* vbi, inter alia, hæc habentur: *Inter cætera autem Concilia, quatuor esse scimus Venerabiles Synodos, quę totam principaliter Fidem complectuntur, quasi quatuor Evangelia, vel totidem Paradisi flumina.* Et cum evidens sit, non posse Papam contra Fidem definire, nec per consequens contra Decreta quatuor primorum Conciliorum, quæ Fidei Decreta sunt.

485 Nec vrget dicere, Concilium non dare authoritatem Papæ, sed Papam Concilio, vt patet *ex dist.* 17. *per totam*, & *extra de Elect. & Electi Potestate*, *cap. Significasti*; sicque quatuor illa priora Concilia à Papa authoritatem obtinuisse; cumque tantùm Authoritatis habeat vnus, quantùm alius Pontifex, & Successores, quantùm Prædecessores; hînc videtur dicendum, posse Pontificem ea, quæ in quatuor prioribus Conciliis decreta sunt, revocare, vel contra ea decernere. Non, inquam, id vrget; dupliciter enim intelligi potest, priora quatuor Cõcilia revocari nõ posse. Primò, ex eo, quòd vniversaliter Concilia sunt, & sic falsũ est, revocari non posse; quod enim competit vni, in quantum tale, competit omni tali vniversaliter. Quæ ergo in vno Concilio statuta sunt, vel decreta, potest aliud mutare, vt pluries factum esse, non dubitatur.

486 Secundò, potest intelligi specialiter, in quantum sunt de tali materia Articulorum Fidei, quæ ibi fuerunt declarata, quoad veritatem tenenda, prout notat ibi GLOSSA *in cap. Sicut*, 15. *dist.* & hoc modo verum est, priora quatuor Concilia revocari non posse; non enim potest Pontifex Articulos Fidei, vel Ecclesiæ Sacramenta minuere, vel augere, vel substantialiter mutare; quoad alia verò, quę sunt de jure positivo, dicunt aliqui, cum S. ANTONINO *vbi sup.* Pontificem, etsi possit singula, vt istud, vel illud, tollere, vel mutare, non tamen omnia simul, cum hoc esset Ecclesiæ statum destruere.

487 Tertiò dicimus, Papam posse Canones condere contra determinata per quoscumque Doctores, quantumvis Sanctissimos. Hæc Assertio expresè traditur *in Can. Decretales Epistolæ*, & *Can. sequent.* 20. *distinct.* Et suadetur ratione: quia, cum inferior non possit legem imponere superiori; imò è contra superior inferiori; Pontifex verò quocũque Doctore superior sit; ad definiendum enim aliquid non sufficit scientia sine potestate: hinc manifestè liquet (vt rectè GRATIANVS *distinct.* 20. & JOANNES Papa *in dicta Decretali* expendunt) quòd quamvis aliqui Doctores maiorem scientiam, quàm aliqui Summi Pontifices, habuerint; quia tamen, talem non habuerunt, qualem Summi Pontifices obtinent, Potestatem; ideò in causarum, vel dubiorum definitione merito est Summorum Pontificum authoritas omnibus, & si Sanctissimis Doctoribus, præferenda.

488 Dicimus quartò, Pontificem Canones cõdere cõtra determinata per Prędecessores suos, vel per se-ipsum decreta, posse. Patet Assertio *ex Extravag. de Consanguin. & Affinit. cap. Non debet*; ibi enim hæc habentur: *Non debet reprehensibile judicari, si secundùm varietatem temporum, statuta varientur humana.* Patet etiam *ex Extra. de Senten. Excommunicat. in 6.* vbi dicitur: *Alma Mater Ecclesia nonnulla plerumque ordinat, & consultè, quę postmodum consultiùs, & rationabilius revocat, in meliusvè commutat.*

489 Pro hac nostra Assertione luculenter facit, quod scribit Pontifex JOANNES XXII. *in prædicta Constitutione*; dicens: *Quia nonnumquam quod conjectura profuturum credidit, subsequens experientia nocivum ostendit, non debet reprehensibile judicari, si Canonum Conditor, Canones à se, vel suis Prędecessoribus editos, vel aliqua in eis contenta Canonibus revocare, modificare, vel suspendere statuat, si ea obesse potius viderit, quàm prodesse.*

490 Firmari potest etiam Assertio, ex his, quæ habentur *distinct. 63.* §. *Verum*, vbi optimè notanda sunt, quę ibi dicit GRATIANVS: *Scriptura quoque Divina dicit, quòd Ezechias dissipavit excelsa, & contrivit statuas, & succidit lucos, & fregit serpentem æneum, quem fecit Moyses, videlicet, quia illum serpentem Deus fieri jusserat, nè serpentina morte populus interiret, ideò ipse populus colere, & venerari eum cœperat: & idcircò destruxit iste, quem jubente Deo fecerat ille. Ac per hoc magna Authoritas ista habenda est in Ecclesia, & si nonnulli ex Prædecessoribus, vel Majoribus nostris fe-*

ce:

cerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, & posteà vertuntur in errorem, & superstitionem, sine tarditate aliqua, & cum magna Authoritate à posteris destruantur.* Vide etiam GLOSSAM, ibi *verſ. Deſtruxit*, dicentem: quòd serpens iste fuit temporalis ad sanandum vulnera. Undè, cessante causa, cessare debuit effectus.* Vlteriùs notãda est GLOSSA *litt. D. ver. Deſtruantur*: *Arg. Successores (inquit) debere mutare facta, & instituta Prædecessorum, etiam bona, si viderint esse ea pernicioſa exẽplo 7. *quæſt.* 1. *Videntes* 35. *quæſt.* 1. *cap.* 1. *&* 96. *diſt. Benè, in fine diſt.* 69. *Chorepiſcopi, & Extrà, de Decimis. Suggeſtum.* Vbi est argumentum, quòd privilegium, quod est exemplum mali, removendum est.*

491 Et quamvis tot Authoritatibus nostra non roboraretur Assertio, ratione certè stabiliretur, cum certissimum sit celebre illud Juris axioma: *Par in parem non habet imperium*; cumque juxta Fidei principia, certissimum etiam sit, omnes Sũmos Põtifices, legitimè electos, esse D. Petri Successores, & æqualẽ suis Antecessoribus habere Potestatẽ, imò & parẽ ei, quã D. Petro pro bono Ecclesiæ regimine CHRISTVS largitus est, prout *suprà* probavimus, & in multis Conciliis, Sacrisque Canonibus (quos, quia cuique obvios, omittimus) declaratum est: hinc manifestè deducitur, ea, quæ ab vno Summo Pontifice, in sua Constitutione æquissimis momentis statuta sunt, posse tractu temporis ab illius Successoribus justè revocari; si prædictę Constitutionis causæ cessarint, vel ex illius executione gravia suborta fuerint incommoda, quę, experientia demonstrante prævisa non fuissent tempore, quo primò Constitutio edita fuit; multòque meliùs posse ea, quæ in vnius Pontificis Constitutione continentur, ab alio Pontifice declarari; neque de hoc liceat rationabiliter dubitare, cum Apostolicæ Constitutiones non sint majoris Authoritatis, Divinis, tàm Antiquæ, quàm Evangelicæ Legis, Decretis, in Sacro vtriusque Testamenti textu contentis, quæ licet non revocationis, interpretationis tamen, & authenticæ declarationis adhuc in materia Fidei capacia sunt, vt patet in innumerabilibus Fidei veritatibus, quę in Sacra Scriptura implicitè continebantur, & post Concilii, aut Pontificis extra Concilium diffinitionem, vt Catholicæ veritates, & in Scriptura expressę recipiuntur.

492 Quapropter, quamvis Pontifex Nicolaus IV. in sua Constitutione *Exiit*, mobilium, & immobilium bonorum Fratrum Minorum propri etatem, & dominium Apostolicæ Sedi reservarit, vsu facti dumtaxat Fratribus relicto; nihilominùs tamen agnoscens Ioaenes XXII. eam reservationem prædictis Fratribus, multisque aliis non profuisse, sed obfuisse, pro vt ipsa, rerum magistra, experientia declaravit, vt præclarè probat IOANES XXII. *in Constitutione: Ad Conditorem*, optimè potuit ea, quæ in prędicta Nicolai IV. Constitutione *Exiit*, continentur, revocare, & ea, quę in præfatis Constitutionibus: *Ad conditorem*, & *Cum inter nonnullos*, habentur æquissimè statuere, cum in eis nihil sit contra Fidem, bonosque mores, nec quatuor Concilia priora, vt rectè infert prædictus Pontifex *circa finem Constitutionis*: *Quia quorundam*; dicens: *De contentis in ipsa Constitutione in Symbolo Fidei, vel in Sacra Scriptura, mentio non habetur.* Vel si habeatur, vt de paupertate CHRISTI, & Apostolorum, potiùs ex ipsa Scriptura probatur, quòd ipse Summus Pontifex Joannes determinavit, quàm ejus oppositum. Vndè optimo jure potuit Joannes XXII. in prædicta Constitutione: *Quia quorundam*, dispensare in Nicolai IV. Constitutione, absque vlla nota in materia Fidei, declarans, posse Fratres Minores mobilia bona ad vsum, & victum necessaria habere in communi, cum id nec Scripturę, nec Conciliis adversetur; nec oppositum fuerit ab vllo Pontifice, ac præcipuè à Nicolao IV. definitum, vt infrà probabimus.

§. II.

Quæritur secundò: An paupertas, quæ includit abdicationem temporalium, tàm in proprio, quàm in communi, ad Evangelicam perfectionem pertineat?

493 PRo clariori prędictę Quæstionis intelligentia, supponendum est primò: Begardos, & Fraticellos, inter varios errores, quos temerè disseminabant, pervicaciter tenuisse, Evangelicam perfectionem in omnium tempo-

ra-

ralium bonorum abdicatione consistere, & hanc esse Doctrinam, quam CHRISTVS, & Apostoli docuerunt; taliterque huic errori ipsos adhæsisse, vt oppositum sentire, erroneum judicarent, prout attestatur Inquisitor NICOLAUS EYMERICUS *suprà* laudatus, *quæst.* 15. *num.* 3. sic scribens: *Primus error Begardorum, & Fratricellorum est, quòd Dominus JESVS CHRISTUS, in quantum homo, & ejus Apostoli nihil habuerunt in proprio, nec etiam in communi, qui fuerunt perfecti Pauperes in hoc mundo.

494 Secundus est, qnòd dicunt, hanc esse perfectam Evangelicam paupertatem, videlicet, nihil habere in proprio, nec in communi.

495 Tertius error est, quòd habere aliquid in communi diminuit de perfectione Evangelicæ Paupertatis.

496 Quintus error, & hæresis est, quòd dicere, credere, & asserere contrarium prædictorum, est hæreticum.*

497 His erroribus sese oppositit Apostolicus JOANNIS XXII. Zelus, *in Constitutione Cum inter nonnullos*, declarans, erroneum esse, & hæreticum, tenere, CHRISTVM, & Apostolos nihil habuisse in proprio, nec in cõmuni. At vt innotescat, quã justè, quantaque æquitate id definierit, propositã quæstionem discutiemus.

498 Pro cujus clariori resolutione supponendum est secundò, duplicem esse Paupertatem; alia est secundùm animi præparationem, & hæc dicitur inclinatio mentis ad abdicationem bonorum temporalium, prout sunt impeditiva charitatis; & in hac principaliter consistit humanæ vitæ perfectio, vt *infrà* dicemus; ille enim dicitur esse pauper secundum animi prępparationem, qui sic dispositus invenitur, vt pro nulla re temporali acquirenda, vel retinenda, consentiret in aliquo, quod foret contra Dei, & Proximi charitatem. Alia paupertas est secundum effectum exteriorem, quæ rerum temporalium carentiam importat; & quia temporalia possunt diversis modis haberi, nempè, vel ad vsum tantùm, vel ad dominium tantùm, vel quoad vtrumque simul; ideò paupertas potest dicere carentiam temporalium, vel quoad vsum, vel quoad proprietatem, vel divisim, vel conjunctim, & quantò major carentia temporaliũ, tantò major paupertas secundùm exteriorem effectum accipienda videbitur.

499 Supponendum est tertiò, duplicẽ etiã esse distinguendã perfectionẽ, personalem vnã, & aliam ratione status. Contingit enim aliquem esse perfectum perfectione status, id est, esse in statu perfectionis, & non esse perfectum perfectione personali, & ê converso, vt docet D. THOMAS 2.2. *quæst.* 184. *art.* 4. *in corp.* dicens: *Nihil prohibet, aliquos esse perfectos, qui non sunt in statu perfectionis: & aliquos esse in statu perfectionis, qui tamen non sunt perfecti.* Quod manifestè elucet, status enim Religionis, & Prælationis, præcipuè Episcopalis, est secundùm omnes perfectus, vt docet D. THOMAS *vbi sup. art.* 5. Et tamen apertè constat, multos dari Religiosos, & Prelatos, etiam Episcopos, qui non sunt perfecti perfectione personali, cum sint mali, & in Dei, ac Proximi dilectione deficiant; ê contra verò, plures reperiuntur Laici, qui nec Religiosi fuerunt, nec Prælati, & tamen, estò non habuerint perfectionem status Religiosorum, aut Prælatorum, fuerunt perfecti perfectione personali gratiæ, & virtutum, vt Abraham, David, multique Sancti, in Laicali statu sanctê viventes perfectione virtutum.

500 Notandum vlterius est: Perfectionem personalem in habitibus virtutum, earumque actibus consistere, vt docet PHILOSOPHVS 2. *Æthicor.* dicens: *Virtus est, quæ habentem perficit, & opus ejus bonum reddit.* Et 7. *Physicorum*: *Virtus est dispositio perfecti ad optimum.* Sed quoniam inter virtutes quidam sunt gradus, cum aliquę sint aliis excellentiores, ideò in illis magis consistit perfectio, quæ cęteris pręeminent; cumque inter omnes Charitas principatum obtineat (juxta illud 1. *Corinth.* 12. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*, id est, *Charitatem, majus omnibus donis*, vt explicat GLOSSA; & *cap.* 13. *Major horum est charitas*) ideò summa hominis perfectio consistit in Charitate, ejusque actu, qui est diligere Deum super omnia, & Proximum sicut seipsũ. Vndê APOSTOLVS *ad Colos.* 3. enumeratis virtutib⁹, subdit: *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.* Status autem perfectio est, certus vivendi modus, per quem quis sese obligat ad quædam supererogationis opera, propter perfectionem personalem

lem faciliùs adquirendam, & meliùs conservandam, vel in alios transfundendam.

501 Insuper juxta ANGELICVM DOCTOREM *vbi suprà*, & S. ANTONINVM 4. *par. Summ. tit.* 12. *cap.* 4. §. 12. duplex est perfectionis status: vnus, perfectionis adquirendæ: alius, perfectionis exercendæ. Status perfectionis adquirendę est Religiosorum, qui ratione sui status se obligant ad quędam supererogationis opera agenda, vt perfectionem personalem, vel adquirant faciliùs, vel adquisitam securiùs, meliùsque conservent; non enim oportet, quòd Religiosus, statim sit perfectus, sed quòd tendat ad perfectionem, & propositum ad eam consequendam habeat. Status verò perfectionis exercendæ est Prælatorum status, & ad hoc se obligant, vt perfectionem in alios transfundant, in eos actus hierarchicos exercentes; habent enim, subditos purgare, perficere, & illuminare, vt ait S. DIONYSIUS *de Cœlesti Hierarchia.*

502 Ad notandum supereſt, in Sacra Scriptura duplex reperiri genus perfectionis; vnum, quod comprehendit ea sola, quæ essentialiter pertinent ad perfectionem, vt *Gen. 6. Noe vir justus, atque perfectus.* Et *cap.* 17. dixit Dominus Abrahæ: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Undè dixit AVGUSTINVS *lib. de Libert. Arbitr.* neminem posse salvari, nisi sit perfectus. Ex quibus verbis manifestè apparet, Augustinum non fuisse ibi loquutum de perfectione, quæ in Consiliorum observantia consistit, cum multi salvi facti fuerint, quotidieque absque observantia Consiliorum, paupertatis nempè, continentiæ, & hujusmodi, salventur, vt Abraham, S. Ludovicus, aliique plures, qui in sæculari statu sanctè viventes, virtutibus floruerunt, Æternamque Beatitudinem consequuti sunt.

503 Aliud est perfectionis genus, quod non solum includit essentialia perfectionis, sed etiam ea, quæ ad illam instrumentaliter conducunt, vt *Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da Pauperibus::: & veni, sequere me.* Hoc enim dixit CHRISTVS ei juveni, qui se mãdata servasse, asseverabat. Perfectio ergo, de qua ibi loquitur CHRISTVS, non solum comprehendit præcepta, in quibus, juxta D. TOMAM 2.2. *quæst.* 184. *art.* 4. perfectio essentialiter consistit, sed Consilia etiam, quæ instrumenta ad perfectionem sunt.

504 His ergo suppositis, discutiendum aggredimur: An Paupertas pertineat ad perfectionem essentialem, quæ, vt *suprà* diximus, in virtutibus, istarumque actibus, ac maximè in charitate consistit? Quod sequentibus Assertionibus resolvemus.

505 Sit prima ASSERTIO: Paupertas, secundùm animi præparationem, essentialiter pertinet ad perfectionem. Ratio est: quia virtus, vel virtutis actus essentialiter pertinet ad perfectionem; perfectio enim, vt *suprà* diximus, in virtutibus, istarumque actibus essentialiter consistit; atqui Paupertas secundùm animi præparationem est virtus, si sit habitualis, vel actus virtutis, si sit actualis talis animi pręparatio: Paupertas ergo secundùm animi præparationem, essentialiter pertinet ad perfectionem. Minor constat: quia virtus definitur à PHILOSOPHO 2. *Æthicor. Habitus electivus in medio consistens, determinato árecta ratione*; atqui inclinatio habitualis mentis ad temporalium abdicationem, prout sunt charitatis impeditiva, est habitus electivus, vt de se patet, & est consistens in medio rationis, quia est ad abdicationem temporalium, prout sunt impeditiva vitæ spiritualis, quæ est per charitatem: ergo hujusmodi inclinatio ad abjicienda temporalia, prout sunt impeditiva charitatis, absque dubio virtus est; cumque hujusmodi inclinatio sit paupertas secundum animi præparationem: hinc rectè deducitur, hujusmodi inclinationem ad essentialem perfectionem pertinere.

506 ASSERIMVS secundò: paupertatẽ, per abdicationem omniũ rerum temporalium secundùm effectum exteriorem, ad essentialem perfectionẽ nõ spectare. Probatur primò Authoritate Apostolicę JOANNIS XXII. Constitutionis: *Ad conditorẽ*, vbi dicitur, per temporalium abdicationem viam ad perfectionem disponi; quod autem dispositivè se habet ad aliquam rem, essentialiter non pertinet ad istius perfectionem, cum dispositio non sit de essentia rei, ad quam disponit.

507 Suadetur secundò Authoritate Antiqui Abbatis MOYSIS *in Collationibus Patrum*, apud D. THOMAM 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 3. sic loquentis: *Vigilię, jejunia, meditatio Scripturarum, nuditas, & privatio omnium facultatum

non

non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt: quia non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa pervenitur ad finem.* Et *suprà* præmisit, quòd ad perfectionem Charitatis istis gradibus ascendere nitimur.

508 Verùm, non sola Authoritate, sed etiam firmissima ratione nostra suaderi potest Assertio; illud enim, sine quo essentialis perfectio haberi potest, non pertinet essentialiter ad perfectionem; cum nulla res sine sua essentia possit substinere: atqui perfectio haberi potest sine tali paupertate, & temporalium abdicatione, imò cum multis divitiis, & ingenti mobilium, & immobilium bonorum copia, & affluentia; vt patet in Abraham, Job, Ludovico Francorum, & Ferdinando Hispaniarum Regibus, aliisque innumeris, qui perfectissimi fuerunt, quin hanc paupertatem, & temporalium bonorum abdicationem habuerint: benè igitur stat essentialis perfectio, absque Paupertate quoad effectum exteriorem.

509 Nec obstat illud *Matth.19.* de juvene illo, cui CHRISTVS dixit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da Pauperibus*; qui quidem observaverat præcepta, vt ipse dixit CHRISTO, in quibus consistit perfectio essentialiter, vt dictum est: Et tamen CHRISTVS ei dixit: *Si vis perfectus esse, vende omnia, &c.* loquēs proculdubio de paupertate secundū exteriorē effectū; innuensque, ad perfectionem essentialem nō sufficere solam præceptorum observantiam, sed insuper omnium temporalium abdicationem requiri. Quod etiam Sanctos Patres tradidisse, constat; HIERONYMVS enim *ad Demetriadem*: *Apostolici (inquit) fastigii, perfectęque virtutis est, vendere omnia, & dare pauperibus.* S. AMBROSIVS: *Summa (ait) justitia est, vendere omnia, & dare pauperibus.* Summa autem justitia est perfecta virtus. Tandem D. AVGVSTINVS *contra Faustum*, hæc scribit: *Illi sunt perfecti, qui omnia sua dimittunt, & sequuntur CHRISTUM.* In bonorum ergo temporalium dimissione, & abdicatione consistit essentialis perfectio Paupertatis.

510 Non, inquam, id obstat; huic enim argumento responderi potest primò ex D. THOMA 2.2. *quæst.* 189. *art.* 1. *ad* 1. *Quòd Hieronymus dicit *super Matth.* Mentitus est adolescens, dicens: *Hæc omnia servavi à juventute mea.* Si enim quod positum est in mandatis: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, opere complesset: quomodo postea audiens: *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, tristis recessisset? Sed intelligendum est, eum mentitum esse, quantum ad perfectam observantiam hujus præcepti. Vndè Origenes *super Matthæum*, *hom.2. tom.* 3. dicit, quòd scriptum est in Evangelio secundum Hebræos, quòd cum Dominus dixisset ei: *Vade, & vende omnia quæ habes*, cępit dives scalpere caput suum, & dixit ad eum Dominus: *Quomodo dicis, feci Legem, & Prophetas, cum scriptum sit in Lege: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum?* Et ecce multi fratres tui, filii Abrahæ, amicti sunt stercore, morientes fame, & domus tua plena est multis bonis, & non eggreditur aliquid omnino ex ea ad eos. Itaque Dominus redarguens eum, dicit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende, &c.* Impossibile est enim, implere mandatum, quod dicit: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, & esse divitem, & maximè tantas possessiones habere: quod est intelligendum de perfecta impletione hujus præcepti. Imperfectè autem, & communi modo verum est, eum observasse præcepta. Perfectio enim principaliter in observantia præceptorum Charitatis consistit, vt suprà habitum est.*

511 Respondemus secundò, non officere argumentum, & si verè dixisset juvenis, se mandata servasse, & CHRISTVS subjunxerit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende, & da pauperibus.* Negamus enim, abdicationem temporalium, quam ipsi consuluit CHRISTVS, ad perfectionem essentialem spectare, quod intendit argumentum, sed tantummodò ad instrumentalem, S. ANTONINI Doctrinæ innixi *4. par. Sum. tit.* 12. *cap.* 4. §. 12. optimè ad rem nostram, adnotantis, quòd *cum sit duplex perfectio, scilicet essentialis, quæ consistit in virtutibus, vt dictum est; & accidentalis, quę est quoddam instrumentum accōmodatum ad acquirēdam majorem perfectionem essentialem; quia & ipsa habet gradus, & ad conservandam quamcumque acquisitam; de accidentali loquutus est CHRISTVS: *Si vis perfectus esse, &c.* quam adhuc ille (juvenis scilicet) non habebat.*

Res-

512 Respondemus tertiò, estò cõcedamus argumento, CHRISTUM in eo textu loqui de perfectione essentiali: verùm negamus, eam constituisse in abdicatione temporalium, quam juveni suadere conabatur, dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus*; neutiquam enim in eo perfectionem essentialem admittimus sistere, sed dumtaxat in sequela CHRISTI, ad quam invitat juvenem his verbis, immediatè sequentibus: *Et veni sequere me.* In sequela CHRISTI sitam esse essentialem perfectionem non abnuimus, imò libenter fatemur; qua distinctione adhibita, plenè solutum restat argumentum. Nihilominùs tamen hanc solutionem illustrari posse S. ANTONINI Doctrina, constabit ejus verba legenti, *loco mox laudato*, eumdem textum ita exponentis: *Vel potest sic dici, quòd in illa authoritate CHRISTI aliquid ibi ponitur, vt via, & instrumentum ad perfectionem adquirendam, vel conservandam, illud scilicet: *Vende omnia, & da pauperibus*: aliquid vt id, in quo essentialiter perfectio consistit, scilicet sequela CHRISTI. Undè & Hieronymus *super illud Matth. 19.* quod Petrus fatur: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, dicit: Non sufficit relinquere omnia; sed adjungit quod perfectum est, scilicet sequi CHRISTUM. Et B. Ambrosius, super illud: *Sequere me*, ait: Jubet sequi, non corporis gressu, sed mentis affectu, quod fit per charitatem.* Idipsum tradit D. THOMAS 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 3. *ad* 1.

513 Quartò respondetur, negando absolutè, intelligenda esse ea verba textus, nedum de perfectione essentiali, verùm nec de absoluta perfectione, cum carere mundanis divitiis inter tria pręcipua perfectionis instrumenta non maximum, sed minimũ locũ obtineat. Sed nè mireris, me id dixisse, vel novitatis arguere me velis, audias precor D. THOMAM, idipsum confirmantem 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 7. *ad* 1. vbi exponens eumdem textum: *Si vis perfectus esse, &c.* *Dicendũ (inquit) quòd, sicut dictum est, ex illo verbo Domini non intelligitur, quòd ipsa Paupertas sit perfectio, sed perfectionis instrumentum: &, sicut ostensum est, minimum est inter tria principalia instrumenta perfectionis. Nam votum Cõtinentiæ præeminet voto Paupertatis, & votum Obedientiæ præfertur vtrique.*

514 Hinc ad illud, quòd ex D. HIERONYMO nobis objiciebatur, dicimus, sic intelligendum esse, vt relinquere omnia, sit perfectæ virtutis instrumentalis, instrumentum scilicet perfectæ virtutis, quæ est Charitas. Ad illud D. AMBROSII, asserentis, relinquere omnia esse summam justitiam, asserimus, ibi non esse prædicationem formalem, sed causalem, adeò vt sensus sit, à perfecta justitia, quæ est per charitatem, oriri, & causari relinquere omnia. Tandem nec illud S. AVGVSTINI obstat, cum vtrumque includat, & perfectionem essentialem, & instrumentalem; illam in sequela CHRISTI, quam ibi adjungit; istam in abdicatione omnium propter CHRISTVM, quod non negamus; imò fatemur, hujusmodi abdicationem esse instrumentum aptissimum ad obtinendam essentialem perfectionem, quam in CHRISTI sequela, cum eodem Augustino, & Hieronymo, constituimus. Vndè clarè evincitur nostra Conclusio, qua statuimus, essentialem Evangelicam perfectionem in Paupertate quoad exteriorem temporalium abdicationem, non stare.

515 Imò addimus, hujusmodi abdicationem nec esse instrumentum ad Evangelicam perfectionem necessarium; Josephus enim ab Arimathęa fuit CHRISTI discipulus, sicque, & perfectus perfectione essentiali, & nihilominùs *Matth. 27. dives* appellabatur; deindè Episcoporum status, qui essentialem, & personalem exigit perfectionem, stare potest cum divitiarum possessione, vt *suprà* latè probavimus; tandem, quia si hujusmodi temporalium abdicatio requireretur, vt instrumentum ad essentialem perfectionem necessarium, fieret, Episcopos, imò & Clericos Sæculares propria habere non posse, cujus oppositum constat *ex cap. Malta*, 12. *quæst.* 1. multisque aliis capitibus.

516 Sit tertia CONCLVSIO. Quamvis Paupertas exterior, quæ omnium temporalium bonorum abdicationem includit, Evangelicam perfectionem non contineat, eo quòd ista in CHRISTI sequela consistat, nec sit instrumentum necessarium ad perfectionem, vt modò probavimus, est nihilominùs instrumentum aptissimum ad essentialem Charitatis perfectionem, eo quòd istius impedimenta removeat. Hanc Conclusionem expressè tradit ANGELI-

CUS DOCTOR 2.2. *quæst.* 188. *art.* 7. cujus verba, quia ad rem nostram aptissima, hîc duximus transcribenda: *Respondeo dicendum: quòd, sicut suprà dictum est, perfectio non consistit essentialiter in paupertate, sed in CHRISTI sequela, secundùm illud Hieronymi *super Matthæum*: Quia non sufficit omnia relinquere, addit Petrus quod perfectum est, scilicet: *Sequuti sumus te.* Paupertas autem est sicut instrumentum, vel exercitium perveniendi ad perfectionem.*

517 Et *paulò infrà*: *Est autem privatio omnium facultatuum, sive Paupertas, perfectionis instrumentum, in quantum per remotionem divitiarum tolluntur quædam Charitatis impedimenta, quæ sunt præcipuè tria; Primum est, solicitudo, quam secum divitiæ afferunt. Vndè Dominus dicit *Matth.* 13. *Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum* Dei *audit, & solicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum, suffocat verbum, &c.* Secundum autem est divitiarũ amor, qui ex divitiis possessis augetur: Vndè Hieronymus dicit *super Matthæum*, quòd quia divitiæ habitę difficilè contemnuntur, non dixit Dominus *Matth.* 19. impossibile est, Divitem intrare in Regnum Cęlorum; sed difficile; Tertium autem est inanis gloria, vel elatio, quæ ex divitiis nascitur, secundùm illud *Psal.* 48. *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur.**

518 Superioribus Conclusionibus jam sufficienter statutis, alia supereſt examinanda difficultas, pro luculentiori Joannis XXII. defensione.

§. III.

Quæritur: An habere aliqua bona in communi, aliquid detrahat de Evangelica Perfectione?

519 SIT prima CONCLVSIO: Habere aliqua in communi, nullatenùs minuit Evangelicam perfectionem. Patet Assertio ex prædicta JOANNIS XXII. *Constitutione*, in qua Pontifex allegat Alexandrum IV. qui in condemnatione Libelli, contra Prędicatorum, & Minorũ statum editi, asserit: Fratres Prædicatores, & Minores CHRISTVM pauperẽ imitari, & Evangelicam perfectionem amplexari; sed constat, Fratres Prædicatores habere aliqua in communi, secundùm eorum Regulam, & Constitutiones: Ergo non impedit perfectionem Evangelicam, bona in communi possidere.

520 Sit secunda CONCLUSIO: Nec Religiosam perfectionem diminuit, habere temporalia in communi, quatenus sunt necessaria fini, ad quem est instituta Religio. Pro clariori Conclusionis intelligentia, prænotandum est, varios esse Religiosorum Ordines, quorum diversitas desumitur à variis sanctissimis finibus, ad quos in Dei cultum, & Ecclesiæ bonum collimant; Alii enim sunt, quorum finis est, Fidei prędia prędiari, & Christiani nominis hostes debellare; Alii verò ad hospitalitatis, & charitatis exercitium erga pauperes, & egenos ordinantur; Alii tandem ad vitæ activæ, sicut & alii ad contemplativæ opera diriguntur: & juxta hanc finium diversitatem necessarium esse vti mediis, ad sui conservationem, & suorum finium assecutionem necessariis, qualia sunt temporalia bona: Undè manifestè patescit, Religionem, quæ ad hospitalitatem ordinatur, vt est illa Sancti Antonii, temporalibus bonis indigere, non modò pro victu eorum, qui in ea professi sunt, sed etiam, vt illius Alumni hospites sustentare, & erga eos hospitalitatis, & pietatis officia exercere possint.

521 De militari Religione, quæ ad prædandum dirigitur, quis ambigat, eam temporalibus indigere pro militum, cęterorumque, ad militandum conducentium, sustentatione, nec vllo pacto possent hujusmodi Religiones, finem, in quem collimant, obtinere, si tantam temporalium copiam non haberent, quanta sufficiens esset ad exercendum munus, ad quod illarum Alumni ex vi voti adstringuntur: nihil ergo prædictarum Religionum perfectioni derogat, habere temporalium copiam in communi.

522 Quod & ipsa Ratio manifestè suadet: cũ enim instrumentũ queratur propter finem, quò accommodatius est ad finem, eò meliùs cooperatur; sicut eò melior est Medicina, quò est curandis morbis aptior, & restituendę sanitati commodior: cumque temporalia sint instrumenta necessaria ad præsentem vitam transigendam, & prædictarum Religionum finem assequendum: hînc manifestè infertur, temporalia bona,

quò

quò magis alicujus Religionis fini conducunt, eò esse prædictæ Religionis perfectioni aptiora: si ergo Religionis fini temporalia bona habere incommuni conducat, vt ex prædictis, & aliis manifestum fit, neutiquam hujusmodi Religionis perfectioni derogabit, temporalia bona obtinere.

523 Sit tertia CONCLVSIO: Habere temporalia in communi, prout sunt ad vitam necessaria, nec Religiosam, nec Evangelicam minuit perfectionem. Hęc Assertio affatim roboratur Summorum Pontificum, & Romanę Ecclesiæ Authoritate; siquidem in Constitutione: *Ad conditorem*, & in alia, quę incipit: *Quia quorundam*, luculentissimum nobis exhibetur hujus Assertionis fundamentum, his verbis: *Nec hoc (scilicet, in communi, & quoad proprietatem aliqua habere) derogat, juxta dictum Gregorii IX. prædicti, altissimæ paupertati; qui in Decretali quadam sua (*de Excess. Prælatorum*) dicit expressè, Fratres Prædicatores, & Minores, in altissima Paupertate CHRISTO Pauperi famulari. Et tamen constat, ipsos Fratres Prædicatores habere in communi, etiam quoad proprietatem, aliqua, quod eorum Regulæ, & statui, non repugnat.

524 Hoc etiam Alexander, Prædecessor noster præfatus, in condemnatione Libelli, contra statum Prædicatorum, & Minorum, editi, videtur sensisse; in qua, de dictis Fratribus quæ sequuntur, subjunxit: Cum insuper iidem Fratres omnia propter Deum reliquerint exilia vitę subsidia mendicantes, CHRISTVMque imitentur pauperem, Evangelicam perfectionem amplexando: propter quod evidenter apparet, eos non solùm esse in statu salvandorum, sed etiam perfectorum: & per suę Religionis observantiam, quæ ipsius quidem Evangelicę perfectionis tenet formam, in ęternę retributionis pręmio præcellentem gloriam promereri. Vbi expressè dicit, Fratres Prædicatores CHRISTVM Pauperem imitari, & Evangelicam perfectionem amplexari, & esse in statu perfectorum, & quòd eorum Religionis observantia, Evangelicæ perfectionis tenet formam: & tamen constat, Prædicatores habere posse etiam quoad proprietatem aliqua juxta eorum Regulam in communi.* Hactenùs Pontifex *in prædicta Constitutione*: *Quia quorundam.*

525 Vndè manifestè colligitur, juxtà prędictorum trium Pontificum, GREGORII IX. ALEXANDRI IV. & JOANNIS XXII. mentem, & Authoritatem, nec altissimę Religiosi status paupertati, nec Evangelicæ perfectioni, quæ omnium summa, & maxima est, derogare, temporalia bona in communi possidere.

526 Eamdem Assertionem eleganter confirmat Venerabilis BEDÆ authoritas, in illud *Actorum* 4. *Erant illis omnia communia*, hæc scribentis: *Qui sic vivunt, vt sint eis omnia communia, in domo communi, *Cœnobitæ* vocantur, quorum vita, tantò felicior, quantò statum futuri sæculi perfectiùs imitantur. Vbi communia erunt omnia; quia erit *Deus omnia in omnibus*.*

527 Hûc etiam faciunt CASSIANI verba, *in collationibus Patrum*, sic loquentis: *Habebant Apostoli triplicem vnitatem, quam debent habere Cœnobitæ: Vnitatem affectionis, quia *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*. Vnitatem habitationis, vt patet *Act.* 2 & 4. Vnitatem possessionis, quia erant illis omnia communia. Vita autem Apostolorum fuit perfectissima.*

528 Nec minori muniminè nostram roborat Assertionem S. AVGVSTINI Authoritas, *in Regula* hæc asserentis: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Et idem *in lib. De opere Monachorum*: *Si aliqui vrgeantur ex Evangelio, vt nihil reponant in crastinum, respondeant: Cur ergo Dominus loculos habuit, vbi pecuniam collectam reponeret?* Vbi manifestè docet Augustinus in hoc, quòd CHRISTVS habuit aliqua in communi, ac per consequens id summæ perfectioni Evangelicę non derogare.

529 S. BASILIVS nobis apertissimè favet *in cap. 4. suæ Regulæ*, dicens: *Cõmunionem vitæ perfectissimæ, hanc ego voco, in qua quidem possessionum pulsa est proprietas, omnia autem communia.*

530 Suffragatur etiam S. PROSPER *de Vita contemplativa*, & habetur *Can. Expedit*, 12. *quæst.* 1. his verbis: *Expedit facultates Ecclesiæ possidere, & proprias, perfectionis amore contemni.*

531 At ANGELICVS DOCTOR solita perspicuitate, & magisterio, nostram illustrat Assertionem 2. 2. *q.* 188. *art.* 7. hæc,

inter alia, scribens: *Habere autem de rebus exterioribus in communi, sive mobilibus, sive immobilibus, quantum sufficit ad simplicem victum, perfectionem Religionis non impedit, si consideretur paupertas, ad communem finem Religionum, qui est vacare divinis obsequiis.*

532 Et *infrà*, triplicem distinguit Paupertatem, juxta Religionum differentias; & in omnibus istis agnoscit, habere aliquid in communi, non solùm esse Religiosæ perfectionis impedimentum, sed omninò necessariũ in aliquibus magisquàm in aliis, prout magis proportionatur fini, quem ex sua institutione respiciunt, & ad quem ordinantur: adeò vt in aliquibus esset imperfectio, temporalia bona in cõmuni non habere: vndè sic concludit: *Sic ergo patet, quòd Religio, quæ ordinatur ad actiones corporales activæ vitæ, puta, ad militandum, vel ad hospitalitatem sectandam, imperfecta esset, si communibus careret divitiis.*

533 Nihilominùs de cæteris Religionibus hęc scribit: *Et ideò tribus gradibus Religionum, suprà positis, triplex gradus paupertatis competit. Nam illis Religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones activæ vitæ, competit habere abũdantiam divitiarum communium; illis autem Religionibus, quæ sunt ordinatæ ad contemplandum, magis competit habere possessiones moderatas, nisi simul oporteat tales Religiosos per se, vel per alios hospitalitatem tenere, & pauperibus subvenire; illis autem, quæ ordinantur ad contemplata aliis tradenda, competit vitam habere maximè ab exterioribus solicitudinibus expeditam. Quod quidem fit, dum modica, quæ sunt necessaria vitæ, congruo tempore procurata conservantur, & hæc, Dominus, paupertatis institutor, docuit suo exemplo.*

534 Et *infrà* sic concludit: *Ex quo patet, quòd conservare pecuniam, aut quascumque alias res communes, ad sustentationem Religiosorum Congregationis ejusdem, vel quorumcumque aliorum pauperum, est perfectioni conforme, quam CHRISTVS docuit suo exemplo, sed & Discipuli post Resurectionem, à quibus omnis Religio sumpsit originẽ, prætia prædiorum conservabant, & distribuebant vnicuique, prout opus erat.*

535 Luculentissimis hisce adeò Celebrium Sanctorum testimoniis, nostram Assertionem egregiè confirmantibus, supervacaneum videtur, aliorum inferioris notæ Authorum dicta addere, quos, quia innumeros, omittimus; cum ab Ecclesiæ primordio omnes ferè Religiones, præstantioresque in eis Viri, sanctitate, & doctrina conspicui, verbo, & exemplo perpetuò docuerint, Evangelicę Paupertatis statui, eiusque perfectioni minimè opponi, habere in communi ea temporalia bona, quæ vitæ sustentationi fuerint necessaria. Et quantumvis hæc nostra Conclusio authoritate, non abundè stabilita sit, desunt rationes tamen eam luculenter confirmantes.

536 Primò: quia habere bona in communi adeò abest à Religiosæ, & Evangelicæ perfectionis decremento, vt id potiùs sit Evangelicæ perfectioni conformius, nec Religio, quæ nihil habet in communi, perfectior est ea, quæ profitetur communia habere bona; siquidem Ecclesia numquam fuit sine statu, Evangelicam perfectionem profitente, & CHRISTI, ac Apostolorum sequelam amplexante; præsumptuosum enim, & erroneum videretur, putare, Ecclesiam à perfecta CHRISTI, & Apostolorum sequela toraliter decidisse, vt testatur S. GREGORIUS *ad illa verba Cantic. cor. 1. Pasce hædos tuos juxta Tabernacula Pastorum*, id est, juxta Apostolorum perfectionem, vt ipse exponit; atqui à Constantini, & S. Sylvestri tempore, vsque ad B. Francisci ætatem, nullus fuit in Ecclesia status, qui aliqua bona in communi non haberet, licet omni dominio in proprio renuntiaret: habere ergo aliqua in communi, non modò Religiosi status perfectionem non minuit, sed etiam conformius est Evangelicæ perfectioni, quam tot sæculis in omnibus Ecclesiasticis statibus Ecclesia professa est. Aliàs sequeretur, totam Evangelii perfectionem esse in solo Fratrum Minorum Ordine, quod est error damnatus, vt *suprà* ostendimus: & ab illa totum Ecclesię residuum cecidisse, quod non minùs videtur erroneum.

537 Secundò: quia ex eo vnus status dicitur alio perfectior, vt *suprà* diximus, quòd contineat vivendi modum meliùs importantem ea, quæ promovent ad Dei, & proximi Charitatem, in qua major perfectio consistit: atqui status renuntiantium aliquibus in communi quoad dominium, vt

Ora-

Oratoriis, paramentis, libris, & aliis hujusmodi, non importat vivendi modum magis promoventem ad perfectionem adquirendam, vel conservandam, quam status habentium illa etiam quoad dominum, & proprietatem, supposita in cæteris æqualitate: Religio ergo nõ habẽs bona in communi, non est perfectior Religione, temporalia bona in communi possidente. Minor de se patet; non enim ingerit majorem ad temporalia amorem, sollicitudinem, aut elationem, habere hujusmodi bona quoad vsum, & dominium, quàm habere ea solum quoad vsum, abdicato dominio, & Romanæ Ecclesiæ dimisso; cum enim prędicti Religiosi sint in continuo vsu hujusmodi bonorum, scilicet, domorum, Ecclesiarum, librorum, ornamentorum Ecclesiæ, vasorum, & cæterorum huiusmodi; sintque quasi certi, quòd non possint in eis molestari, non apparet quomodo ex hoc minùs ament talia bona, soliciti sint circà illa, multaque elatione intumescant, quàm si haberent talium temporalium rerum dominium.

538 Et confirmatur: quia in vsu consumptibilium, vt suprà probavimus, necesse est dicere cum Joanne XXII. Fratres Minores non posse, vnum ab alio separare, & si simplex vsus facti à dominio, & proprietate separatus maneret, redderetur illicitus, & perfectioni repugnans.

539 Tertiò suadetur Assertio: quia si habere temporalia bona, quoad dominium; & proprietatem, Religionis statum minùs perfectum constitueret, istiusque Professores minùs perfectos, minûsque de Evangelica perfectione habentes redderet, fieret Summum Pontificem, earum rerum dominium sibi retinendo, prout sibi retinet in Minorum Ordine, minùs perfectum reddi, minùsque de Evangelica perfectione habere, quod sine absurdo dici non potest; cum enim in spiritualibus quis debeat plus se, quàm alios diligere, præsumendum non est, Summum Pontificem voluisse se Evangelica perfectione, in prędicta dominii reservatione, privare, vt Minorum Ordini Paupertatis perfectionem conservaret, absque proprietatis dominio.

540 Vndè, si non habere dominium, sed simplicem vsum facti in rebus temporalibus, diceret Evangelicæ paupertatis perfectionem, à contrario sensu fieret, Ecclesiam in reservatione dominii in rebus tàm mobilibus, quàm immobilibus Fratrum Minorum contrahere imperfectionem, Evangelicaque perfectione carere, quod est manifestum absurdum: Nè ergo ad hæc intolerabilia incommoda deveniamus, firmiter tenendum est, in Religiosa, & Evangelica Paupertate nullam dicere imperfectionem, communia bona possidere.

541 Sit quarta Assertio: Habere dominium in communi in immobilibus bonis, & possessionibus, domibus, & redditibus, non minuit aliquid de perfectione. Probatur Primò: quia perfectionis statum non minuit id, quod ab Ecclesia, vt melius, perfectiusque stabilitur: majorque perfectio est à CHRISTI imitatione, & Evangelica illius perfectione non descíscere, juxta illud CHRISTI *Matth. 16. Quid prodest homini, si vniversum mundum lucretur: animæ verò suæ detrimentum patiatur*; ingens autem detrimentum subiret anima, quæ à CHRISTI sequela, & Evangelica perfectione discederet; atqui Ecclesia, à Spiritu Sancto edocta in his, quæ circà CHRISTI sequelam, & vitæ perfectionem spectant, tanquam meliùs, & vtiliùs, statuit, vt in communi haberentur possessiones, non modò prætia, vt olim in Judæa, sed & prędia, vt dicitur *cap. Futuram*, & *cap. Videntes*, 12. *quæst.* 1. Ergo habere immobilia bona in communi, Evangelicam non minuit perfectionem.

542 Confirmatur, non potest perfectionem minuere id, ob quod aliquis ab Ecclesia laudatur; atqui Constantinus Imperator, à Sanctis Patribus, Sacris Conciliis, totaque Ecclesia magnis commendatur encomiis, quòd dederit licentiam fabricandi per vniversum Orbem Ecclesias, istisque prędia, reditus, immobiliaque bona, pro earum conservatione, & pro Ministrorum Divini Cultus victu, in perpetuũ stabiliendo constituerit, & devoverit: habere ergo dominium in immobilibus bonis, non officit Religiosę & Evangelicæ perfectioni.

543 Secundò, suadetur Assertio. Non potest esse imperfectio id, quod viri, perfectione insignes, & divinis, humanisque litteris eminentissimi, præstiterunt; atqui isti Ecclesiæ nomine possessiones acceptarunt, eisque Ecclesiarum Patrimonia auxerunt: imò S. Gregorius, aliique plures ex suis patrimoniis Ecclesias construxerunt, & monasteria, in quibus, vt maiorem

tem perfectionem assequerentur, vivere elegerunt: ergo asserere, esse Evangelicæ perfectionis decrementum, habere dominia in communi, est manifestum absurdum, & perfectionis viam improbare, quam, vt securissimam inierunt Sanctissimi Romani Pontifices, perfectissimi Episcopi, justissimique Abbates, vt S. Silvester, S. Gregorius, S. Ambrosius. S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Hilarius, S. Benedictus, S. Antonius, S. Martinus S. Ægidius, S. Bernardus, aliique innumeri, qui vt Evangelicam perfectionem melius assequerentur, perfectiúsque CHRISTVM imitarentur, in Ecclesiastica communitate vixerunt, immobilia bona possidentes.

544 Probatur Tertiò: quia secundùm regulã generalẽ D.AVGVSTINI, quando obscuritas est in verbis Evangelicis, præcipuè circà præcepta, vel consilia, ex quibus dubium oritur, recurrendum est ad Sanctorum observantiam, & hoc tenendum est, quod ipsi servaverunt: vitę ergo perfectio intelligenda, & tenenda est, secundùm quod sancti Viri suo exemplo docuerunt; sed omnes Viri sancti, & perfectissimi, à tempore S. Sylvestri, ad tempus vsque B. Francisci, sic vitę perfectionem & verbo docuerunt, & facto, vt bona mobilia, & immobilia habuerint: in communi ergo habere immobilia, non minuit de perfectione Evangelica.

545 Præclarè huc facit S. ANTONINVS *vbi sup.* *Videtur mihi absurdũ dicere, quòd sanctissimi Viri, qui sua propter perfectionem habendã relinquebant in proprio, si vidissent, quòd habere in communi, perfectionis detrimentum esset, in communi cũ aliis bona nõ possedissent, sed sicut se abdicaverunt proprio propter perfectionem, ita abdicassent in communi, quod nullus fecit ante B. Franciscum.* Hæc ille.

546 Sit quinta Assertio: Habere temporalia bona in communi, non minuit status Prælatorum perfectionem: imò prædicto statui, ejusque debitæ perfectioni non leviter derogat, hujusmodi bona non habere. Probatur primò: quia non minuit status perfectionem id, quod statui necessariò annexum est; atqui Prælationis statui necessariò annexa est temporalium bonorum distributio, vt patet ex illo D.PAVLI 1. *ad Timoth.* 3. & *ad Titum* 1. describentis munera Episcopi: *Oportet Episcopum hospitalem esse*; quod quidem hospitalitatis in Pauperes officium nullatenùs exequi, & expleri potest ab Episcopo, quin temporalia bona Pauperibus distribuenda habeat saltim in communi: habere ergo bona in communi, neutiquam minuit status Prælatorum perfectionem.

547 Secundò: Non potest Prælatorum perfectionem minuere, satisfacere muneri, in quo eos constituit CHRISTVS, Evangelicæ perfectionis fons, & origo; atqui vnum è præcipuis officiis, quę D. Petro, istiusque Successoribus CHRISTVS injunxit, dum eum Ecclesiæ Præfectum creavit, fuit pascere oves verbo, exemplo, & temporali subsidio (hæc enim omnia comprehenduntur illis CHRISTI verbis *Ioannis vlt. Pasce oves meas*, prout B.ALBERTVS MAGNVS, S.ANTONINVS, aliique exponunt;) quod quidem munus pascendi oves temporali subsidio, nullatenùs adimplere possunt Prælati, quin habeant temporalia bona, quibus subditorum necessitatibus subvenire queant: ratione ergo status, & officii, necesse est, eos habere temporalia bona, vt necessitatibus eorum officio annexis, satisfaciant; sicque non poterit status perfectionem minuere quod adeo necessarium est, vt status muneri satisfiat, in quo CHRISTVS Prælatos posuit.

548 Probatur tandem ratione, quam eleganter expendit S.ANTONINVS *loco supra laudato*, sic scribens: *Habere illa, pro quibus defendendis Prælatus mortem patiens, meretur in Sanctorum Catalogo adscribi, non diminuit de statu perfectionis: cum non adscribatur in Sanctorum numero quis, nisi propter opera perfectionis; sed Prelatus mortem patiens pro defensione facultatum Ecclesiæ meruit Sanctorum Catalogo adscribi, vt S. Thomas, Cantuariensis Archiepiscopus: Habere ergo bona immobilia, non diminuit de statu perfectionis Prælatorum.*

549 Supposítis ergo his, quæ in præcedentibus Assertionibus probavimus, scilicet, habere bona in communi, nec Evangelicæ, & Religiosæ Paupertatis perfectionem impedire, nec esse à status Prælatorum Ecclesiæ perfectione alienum: præcipua est nunc discutienda Quæstio: An scilicet CHRISTVS, & Apostoli bona in communi habuerint, nedum de facto, sed & jure, id est: an in temporalibus bonis, quę

ad

ad vsum habuerunt, habuerint jus aliquod, & proprietatis dominium, an simplicem vsum facti? Quæstiones istæ sub Ioanne XXII. graviter exagitatę fuerunt, nec defuere qui in illis erraverint. Et quoniam ex facto jus oritur, operæprætium duximus, priùs pertractare Quæstionem facti, & posteà ad alias, quæ ad CHRISTI, & Apostolorum, ac Discipulorum ius, & dominium in temporalibus pertinent, pertransire.

§. IV.

Quæritur: An CHRISTVS, & Apostoli, de facto habuerint aliqua bona in communi?

550 Circa prędens dubium, turpiter errarunt Begardi, & Fratricelli, prout refert Inquisitor EYMERICVS *quæst.* 15. *vbi suprà*, qui illorum errores enarrans, hæc scribit: *Begardorum, & Fratricellorum primus error, & hæresis est, quòd Dominus JESVS CHRISTVS, in quantum fuit homo, & ejus Apostoli, nihil habuerunt in proprio, nec etiam in communi*

551 Et *infrà*: *Quartus error est, quòd Apostoli, sine diminutione perfectionis eorum, & sine peccato, non potuerunt habere aliquid, nec in proprio, nec in communi: taliter, quòd, dicere, credere, & asserere contrarium, sic hæreticum.*

552 Hisce erroribus nè diutiùs grassarentur, viriliter obstitit JOANNES XXII. eos *in Constitutione: Cum inter nonnulos*, proscribēs, vt *suprà* diximus, & *infrà* fusiùs ostendemus. At, vt clariùs pateat, quàm justè eam ediderit, sequentem CONCLVSIONEM statuimus.

553 Sit certa, & indubitata CONCLUSIO: CHRISTVS, & Apostoli, de facto habuerunt bona in communi. Pro vberiori hujus Conclusionis intelligentia, prænotandum censuimus id, quòd ad rem advertit Cardinalis TVRRECREMATA *in Can. exemplum* 12. *q.* 1. eò audaciæ aliquos Fratricellos devenisse, vt ausi fuerint, affirmare, ex Scriptura non constare CRISTVM, & Apostolos, aliquid in communi in loculis habuisse, sed solùm carū retū vsum, quas gratis oblatas, accipiebant: *Aliqui (inquit) Fratricelli, respondentes ad Constitutiones Ioannis XXII. præsumpserūt dicere, quòd nullibi in Sacra Scriptura legitur, quòd CHRISTVS, & Apostoli portaverint pecunias in loculis, pro vsibus necessariorum suorum, & Pauperum: sed Mulieres, aut alii, qui non erant de numero Discipulorum, portabant; fundantes se in Authoritate S. Chrysostomi.*

554 Hoc ergo suppositio, nunc ex Scriptura probādū aggredimur, CHRISTVM, aliqua habuisse in communi. Id præstitit S. ANTONINUS, vbi suprà, in hęc verba: *Quod habuerint bona in communi CHRISTVS, & Apostoli, patet; quia dicitur *Ioann.* 4. quòd discipuli ejus fuerant in Civitatem ad emendum cibos; Emptio autem fit pecunia: Ergo pecuniam habebant. Non in proprio: Ergo in communi.*

555 Secundò: quia, vt probat ipse Sanctus: **Ioannis* 12. & 13. dicitur, quòd Dominus habebat loculos, quos portabat Iudas, id est, sarcellam, seu bursam, vbi in variis locis eius divisæ pecuniæ mittebantur, puta argenteę in vna, & ęneæ in alia, & hujusmodi: sed illud, quod reservabatur in illis loculis, non videtur fuisse alterius, quàm Collegii CHRISTI, & Apostolorum: ergo habebant aliqua in communi.*

556 Tertiò: multò ante S. Antoninum, idipsum præstiterat ANGELICUS DOCTOR 2.2. *quæst.* 188. *art.* 7. vbi *in corpore art.* probat, CHRISTVM suo exēplo nos docuisse conservare ea, quæ ad humanæ vitæ sustentationem necessaria sunt, absque vlla Evangelicæ Paupertatis diminutione; sic enim scribit: *Et hoc Dominus, Paupertatis institutor, docuit suo exemplo. Habebat enim loculos Judæ commissos, in quibus recondebantur ei oblata, vt habetur *Ioann.* 12. Nec obstat, quod Hieronymus dicit *super Matthæū*: Si quis objicere voluerit, quoniam Judas pecuniam in loculis portabat: Respondemus, quòd rem Pauperum in vsus suos convertere, nefas putavit, scilicet solvendo tributum, quia inter illos Pauperes præcipuè erant ejus Discipuli, in quorum necessitates pecuniæ loculorum CHRISTI expendebantur.*

557 Et prosequitur: *Dicitur enim *Ioann.* 4. *Discipuli abierunt in Civitatem, vt cibos emerent.* Et *Ioann.* 13. dicitur, quòd Discipuli putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei IESVS: *Eme*

ea

ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut vt egenis aliquid daret. * Quibus verbis luculētissimis Scripturæ Sacræ testimoniis probat Sanctus, CHRISTVM habuisse loculos, in quibus bona in communi, ad sui, & Apostolorum victum, & sublevandas, tàm Apostolorum, quàm aliorum necessitates, conservabantur.

558 Quartò, eamdem hanc Assertionem certissimam censet Cardinalis TVRREMATA, *loco suprà citato*, sic scribens: *Vndè verissimum est, quòd CHRISTVS loculos quandoque habuit, in quibus portabantur, & reservabantur, quę à Fidelibus dabātur, ad subveniendum necessitatibus CHRISTI, & suorum. Ista Conclusio habetur *Ioann.* 12. dum de Juda, qui Apostolus CHRISTI erat, *qui erat loculos habens*, super quo verbo dicit GLOSSA: *Domini loculorum custos*, & sequitur in littera: *ea quæ mittebantur*, id est, donabantur à Fidelibus, *portabat* ad vsum CHRISTI, & Pauperum.*

559 Quintò, eamdem veritatem eleganter confirmat TEXTVS *in cap. exemplum* 12. *quæst.* 1. vbi ex D. AVGVSTINI Doctrina, hæc habentur: *Exemplum Domini accipe, cōversantis in Terra: quare habuit loculos, cui Angeli ministraverunt?* Vndè Gratianus: *Probatur, inquit, *in hoc cap.* quòd Ecclesia loculos, & possessiones habere potest, & hoc probat exemplo CHRISTI, qui loculos habuit.*

560 Pro pleniori prædictæ veritatis intelligentia, non erit absre, expendere causas, quæ impulerint CHRISTVM ad loculos habēdos; has autem ad quatuor reducere possumus cū Cardinali TVRRECREMATA, & aliis: Primò, CHRISTVS loculos habuisse, dicitur, ad sublevationem pauperum, vt S. HIERONYMVS dicit super illud *Ioann.* 13. *Dominus non peram, inquit, nec virgam, nec æs jubens defferre marsupium ferebat, ad inopum ministerium; hoc ęstimaverunt Discipuli, vt aliquid in opibus daret.*

561 Secundò, dicitur habuisse loculos, vt haberet, vndè emeret necessaria ad vsum suorum, propter imminentem necessitatem, tali de causa habuit, quando transivit per Samariam, sicut legitur *Ioann.* 4. Samaritani enim erant inhospitales Judęis. Vndè dicitur *Lucæ* 9. quòd, cum venit in Jerusalem, Samaritani noluerunt eum recipere; & hac de causa, Discipulis habere permisit loculos. Vndè *Lucæ* 22. dicit: *Quando misi vos sine sacculo, & pera: numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil. Dixit ergo eis. Sed nunc qui habet sacculū, tollat similiter & perā.* Vbi dicit quædam Glossa: *In hoc datur nobis exemplum, vt nonnumquam, causa instante, de nostri rigore propositi intermittere possimus.*

562 Tertiò dicitur, CHRISTVS habuisse loculos, causa condescensus infirmis, dans eis exemplum, vt sibi provideant. Fortè nisi CHRISTVS loculos habuisset, putaret aliquis, peccatum esse, si sibi in posterum necessaria provideret. Vndè Augustinus *de Ser. Domin. in monte*, ait: *Hoc autem loco vehementer cavendum est, nè forte, cum videris, aliquem servum Dei providere, nè ista necessaria desint, vel eis, quorum cura cōmissa est judicemus, eum cōtra præceptum Domini facere, & de crastino esse solicitum; nam Dominus cui ministrabant Angeli, propter exemplum, nè quis postea scandalizaretur, cum aliquem servorum ejus animadvertisset, ista necessaria procurare, loculos habere dignatus est, vt vsibus necessariis quidquid opus fuisset præberetur.*

562 Quartò: loculos habuit CHRISTVS, vt dicit Augustinus *super Ioannem*, & habetur *in cap. Exemplum* 12. *quæst.* 1. quia Ecclesia loculos habitura erat.

564 Ex quibus plenissimè ostenditur, Scripturaq; ac Sāctis manifestè cōvincitur, CHRISTVM loculos habuisse, perindèq; temporalia bona in communi, quæ in loculis asservabantur, vt Discipulorum necessitatibus, & Apostolorum pressuris, vrgente necessitate, commodè posset subveniri.

565 Objicies primò, credendum non est, fecisse CHRISTVM, quod Apostolis prohibuit. Vndè D. HIERONYMVS ait: *Non poterat habere Dominus, quod prohibuerat servis.* At habere bona communia prohibuit Dñs Apostolis *Matth.* 10. dicens: *Nolite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniam in zonis vestris, non peram in via, &c.* Igitur non videtur dicendum, CHRISTVM loculos habuisse de facto.

566 Huic Argumento respondetur pri-

primò, ex ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina, 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 7. *ad* 5. quòd licet Dominus ordinaverit aurum, & argentum non portari ab his, quos ad prædicandum mittebat, nullatenùs tamen prohibuit, ea in communi conservari.

567 Respondemus secundò, cum D. CHRYSOSTOMO, eam prohibitionem, de non possidendo auro, vel argento, non fuisse generalem, seseque ad omne prædicationis tempus extendentem, sed limitatam ad illam Missionem, qua eos ad prædicandum Judæis mittebat; prout refert S. THOMAS *vbi sup. quæst.* 185. *art.* 6. *ad* 2. his verbis: *Tertio modo, secundùm quod Chrysostomus exponit (loquitur de illo Matthæi textu) vt intelligatur, illa Dominum præcepisse Discipulis, quantùm ad illam Missionem, qua mittebantur ad prædicandum Judæis, vt per hoc excitarentur ad confidendum de virtute ipsius, qui eis absque sumptibus provideret: ex quo tamen non obligabantur ipsi, vel Successores eorum, vt absque propriis sumptibus, Evangelium prædicarent.* Hæc ille, de quo diximus *suprà*.

568 Respondemus tertiò, Cardinalis TURRECREMATÆ Doctrinæ innixi, *loco suprà citato*, ad prædicta CHRISTI verba scribentis, quòd: *Licet Dominus, cum Apostolos mitteret ad prædicandum Judæis, præceperit eis, non portare aurum, nec argentum, &c. quia nihil de necessariis defecturum erat eis apud Judæos, quorum mos erat prędicantibus verbum Dei necessaria ministrare; nihilominùs non propter hoc sequitur, quin alio tempore CHRISTUS, & Apostoli loculos habuerint, cum vtrumque in Evangelio habeatur.*

569 Respondemus quartò cum ANGELICO DOCTORE *in cap.* 13. *Ioann.* hoc referendum esse ad singulares Prædicatores, & Apostolos, qui nihil portare debent, quando ad prædicandum mittuntur, non autem ad totum Collegium, quod & pro ipsis Apostolis, & pro egenis aliquid habere oportebat.

570 Objicies secundò, *Matth.* 7. prohibetur Apostolis de crastino cogitare: *Nolite solliciti esse de crastino, &c.* ergo, & prohibitum erat eis loculos habere, æquali enim prohibitione dignum est, de crastino providere, ac loculos habere, & pecunias pro crastino, ac pro futuris necessitatibus reservare.

571 Respondemus primò, prædictum Matthæi locum nostræ Assertioni minimè adversari, quia vt ait AVGVSTINVS, suprà laudatus, *lib. de Oper. Monachorum*: *Cum CHRISUS dixit: *Nolite solliciti esse*, non dedit intelligere, quòd nihil pecuniæ servaretur à Sanctis, sed nê ideò, pro pecunia serviatur, & propter inopiæ timorem Justitia deseratur.*

572 Respondemus secundò cum ANGELICO DOCTORE 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 7. *ad* 2. prædictum textum sic exponente: *Per hoc, quòd dicit Dominus, *Matthæi 6. Nolite solliciti esse in crastinum*, non intelligitur, quòd nihil reservetur in futurum; hoc enim periculosum esse ostendit B. Antonius *in Collationibus Patrum*, dicens, quòd privationem omnium facultatum ita sectantes, vt ex ipsis, nè quidem vnius diei victum sibimet, vnumvè denarium supereſſe paterentur, & alia hujusmodi facientes, ita vidimus repentè deceptos, vt arreptum opus non potuerint congruo exitu terminare.*

573 Respondemus tertiò cum D. AVGVSTINO, qui *Lib.* 3. *de Oper. Monachor. cap.* 23. præfata CHRISTI verba sic exponit: *Si hoc verbum Domini: *Nolite solliciti esse in crastinum*, ita intelligatur, vt nihil in crastinum reponatur, non poterunt ista servare, qui se per multos dies à conspectu hominum separatos includunt, viventes in magna intentione orationum. (Et *posteà* subdit:) An fortè, quò sunt sanctiores, eò sunt volucribus dissimiliores? (Et *infrà*:) Si enim vrgeantur ex Evangelio, vt nihil reponant in crastinum. Respondent: Cur ergo ipse Dominus loculos habuit, vbi pecunias collectas reponeret? Cur tanto ante, fame imminente, frumenta Sanctis Patribus missa sunt? Cur Apostoli indigentię Sanctorum necessaria procurarunt?* Undè manifestè patet, prædictum argumentum, iuxta S. AVGVSTINI, & D. THOMÆ mentem, nihil roboris contra nostram Assertionem habere.

574 Objicies tertiò, illud *Matthæi* 8. *Vulpes foveas habent, & volucres Cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet*, vbi Glossa, quæ est D. HIERONYMI, ait: *Cur me propter lucra vis sequi, cum ita pauper

sim, vt hospitiolum, quod meum sit, non habeam, & tecto vtar non meo?* Si ergo tanta fuit CHRISTI paupertas, vt S. Matthæus enarrat, præsumendum certè non est, CHRISTUM loculos habuisse. Respondemus, negando consequentiam: quia quamvis CHRISTVS hospitiolum non habuerit, indè tamen non infertur, loculos non habuisse: stat enim benè peregrinum carere hospitio proprio, nihilominùs tamen, quòd pecuniam habeat ad providendum de necessariis, vt dictum est de CHRISTO, secundùm D.THOMAM, & D.AVGVSTINUM.

575 Objicies quartò illud *Lucæ* 8. vbi dicitur, pias quasdam mulieres de sua substantia CHRISTO, ejusque Discipulis ministrasse: non ergo opus erat, loculos portare, ad aliquid reservandum. Respondemus ex D. HIERONYMO *in cap.* 13. *Ioannis*, illum Lucæ textum contra nostram Assertionem non militare; quia in CHRISTI societate, seu comitatu, non semper erant pię mulieres, quæ ei, & Discipulis necessaria subministrarēt: vndè necessarium erat, aliquid reservari ad providendum in necessitatibus, vt patuit, quando ivit in Civitatem Samariæ, cum oportuit mittere Discipulos ad emendum cibos, *Ioann.* 4.

576 Objicies quintò, S. JOANNES CHRYSOSTOMUS *ad illud Ioann.* 22. *Loculos habebat Iudas*, hæc habet: *Nullus Discipulorum pecunias afferebat, sed per hoc, quòd dicitur: *Loculos habuit Iudas*, occultè insinuatur, quòd quædam mulieres eum de suis facultatibus nutriebant: *CHRISTVS ergo, & Apostoli, bona in communi non habebant. Respondetur primò, S. Ioannem Chrysostomum absolutè non negare, CHRISTUM loculos habuisse; siquidem D. THOMAS *ad illud Ioannis* 13. inducit ipsum Chrysostomum, asserentem, CHRISTVM loculos habuisse ad inopũ ministerium: *Vt hinc addiscas, quemlibet quantumcumque pauperem, & mundo crucifixum, oportere de pauperibus curam habere.* Hæc ille.

577 Respondetur secundò, in Evangelio manifestè dici, Judam, qui non modò Discipulus erat, sed etiam Apostolus, loculos tulisse. Cum ergo dicit CHRYSOSTOMVS, CHRISTI Discipulos pecuniam non tulisse, intelligendus est, quando missi fuerunt ad prædicandum Iudæis, vt suprà, cum gravissimis Authoribus, asseruimus.

578 Respondemus tertiò ex D. AVGVSTINO *ad Anachoretas*, hoc intelligi debere de pecunia collecta ex possessionibus, vel domorum pensionibus, seu de aliis naturalibus divitiis; hoc tamen non impedit, quin loculos portarent de pecunia data à sanctis mulieribus, & aliis fidelibus ministrata, vt diximus suprà, & colligitur ex Evangelio. Jam ergo probata, Quæstione facti, videlicet, CHRISTVM, & Apostolos, loculos habuisse, alia superest examinanda Quæstio.

§. V.

Quæritur: An CHRISTVS, & Apostoli, in loculis habendis, communibusque bonis reservandis, aliquid contraxerint imperfectionis.

579 QUamquam hujus dubii resolutio satis aperta videatur, cum nemo, qui Catholicè senserit, dubitare valeat, CHRISTVM fuisse primum Evangelicæ perfectionis exemplar, & ad illius imitationem Sanctos Apostolos, in omnibus suis actionibus nos Evangelicam perfectionem docuisse; nihilominùs tamen, non desunt aliquæ rationes, quæ prima facie oppositum suadere videantur, de quibus *infrà*.

580 Sit igitur nostra CONCLUSIO: CHRISTUS, & Apostoli, habendo loculos, & aliqua in communi in eis reservando, nihil imperfectionis egerunt. Hęc Conclusio directè adversatur Fratricellorum errori, sentientium, Apostolos sine perfectionis diminutione, & peccato, non potuisse habere aliquid in proprio, vel in communi, & hæreticum esse, oppositum asserere: huic tamen errori, aliisque similibus, se constantissimè opposuit JOANNES XXII. *in Constitutione: Cũ inter nonnullos*, contrarium definiens, cujus definitionis summa æquitas ex sequentibus liquidò constabit.

581 Primò: Nostræ Assertioni, sicut & Joannis Definitioni, apertè favere videtur TEXTUS *in cap. Exemplum*, 12. *quæst.* 1. ibi enim dicitur: *Exemplum

Do-

Domini accipite, conversantis in terra, quare habuit loculos, &c.* Atqui nemo ambigere potest, CHRISTVM, à primo suæ conceptionis instanti perfectissimum fuisse, & in totius perfectionis culmine extitisse: non ergo potuit in loculis habendis perfectionis exemplum non exhibere.

582 Secundò: quia si expendamus momenta, quibus juxta SS. PP. vt suprà vidimus, CHRISTVS, ejusque Apostoli inducti sunt ad loculos habendos, haud leve inveniemus nostræ Assertionis fundamentum; ex illis enim manifestè apparebit, nihil imperfectionis in CHRISTO, & Apostolis dixisse, loculos, seu temporalia bona in communi habere: Siquidem, juxta Sanctorum Patrum Sententiam, CHRISTVS loculos habuit ad inopum ministerium: cum autem manifestè pateat, hoc esse magnum pietatis, & charitatis opus; hinc dici non potest, CHRISTVM, loculos habendo, aliquid imperfectionis incurrisse, sed potiùs magnæ perfectionis exemplum dedisse. Vndè S. AVGVSTINVS *lib. de Oper. Monachor.* *Dominus (inquit) more misericordiæ suæ, infirmioribus compatiens, cum ei possent Angeli ministrare, loculos habebat, quò mitteretur pecunia, quę conservabatur vtique à bonis Fidelibus, eorum victui necessaria.*

583 Tertiò: quia vna ê prę cipuis rationib^s, quę CHRISTVM impulit loculos habere, fuit, vt emerentur necessaria pro ipsius CHRISTI, suorumque vsu, necessitatis articulo imminente; cũ autem motivũ istud habendi loculos sit virtutis Prudentiæ, & necessariæ Providentiæ opus: hinc neutiquã dici potest, CHRISTO in habendis loculis aliquid imperfectionis, sed perfectionis, & laudis adscribi, vt patet ex GLOSSA, quæ *ad illud Lucæ* 12. *Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus suprafamiliam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* hæc habet: * *Prudens*, id est, in futuro sibi providens.*

584 Quartò: habendi loculos etiam causa fuisse dicitur ad condescendendum infirmis, vt qui sibi necessaria vellent providere, nõ putarẽt, se in hoc malè agere, cum audirent, CHRISTVM, & Apostolos, sibi loculos, vbi ad necessitates subleuandas reponerent, providisse; cumque id sit magnæ CHRISTI Charitatis effectus; quæ quidem virtus, inter Theologicas, & eminentiores perfectior est, juxta illud D. PAVLI: *Major autem horum est charitas*; hinc manifestè habetur, CHRISTVM in habendis loculis, vt infirmis condescenderet, juxta D. AVGVSTINVM *de Sermone Domini in monte*, nihil perfectionis amisisse; sicut nec imperfectionis aliquid contraxit cum *Ioann.* 18. volentibus Iudæis eum lapidare, fugit, quamvis talis actus, aliique consimiles, materialiter competant etiam infirmis, & imperfectis, vt *infrá* fusiùs explicabitur.

585 Quintò: alia causa loculos habendi fuit, juxta S. AVGVSTINVM *in Ioannẽ*, & refertur *in cap. Exemplum*, 12. *quæst.* 1. vt suprâ diximus, quia nempê Ecclesia loculos erat habitura; cumque certissimũ sit, decens non esse, CHRISTVM suæ Ecclesiæ, quam *Canticor.* 4. perfectione plenam nuncupat, imperfectionis exemplum præbiturũ: hinc necessariò infertur, CHRISTVM in loculis habendis nihil imperfectionis contraxisse.

586 Sextò: quia CHRISTVM, & Apostolos loculos habuisse, non est à perfectione alienum, imò cujuscumque status perfectioni valdè consonum; vel enim loquimur de perfectione essẽtiali, quæ est personalis, & in virtutibus, quæ subiectũ perfectum reddunt, consistit, vt suprà ex Sacra Scriptura, Sanctisque Patribus probavimus; vel de perfectione ratione status: inter status verò, perfectior est Episcoporum, qui in Statu, & Dignitate Apostolis succedunt; vel Religiosorum, qui vita, Professione, & Regula, imitantur perfectissimum vivendi modum, quem Sancti Apostoli tenuerunt, vt patet in S. Augustini Regula, sub Sanctis Apostolis constituta. Loculos autẽ habere, nec minuit perfectionem essentialem, & personalem, nec perfectionem Episcopalis status, & Religionis; vt rectê probat Cardinalis CAIETANVS *in* 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 7. sic eruditè scribens: *Habere loculos, nihil minuit de personali perfectione; alioquin Abraham, cui dictum est: *Esto perfectus*; & CHRISTVS, & Apostoli non fuissent perfecti personaliter: nihil etiam minuit de perfectione status Episcopalis: alioquin tot Sancti Episcopi non fuissent perfecti, vt Ambrosius, Augustinus, Gregorius: nihil etiam minuit de perfectione Religionis; alioquin Benedictus, Antonius, Bernardus,

dus, Dominicus, Franciscus, & cæteri Religionum Fundatores Sanctissimi, non fuissent perfecti Religiosi : nihil enim minuit de perfectione habere loculos.* Hactenûs Caietanus. Undè legitimè infertur, loculos habere, seu bona in communi possidere, nec essentialem, nec accidentalem ratione status minuere perfectionem ; cum in perfectioribus statibus, qui in Ecclesia majorem profitentur perfectionem, eamque pluribus Viris singulari sanctitate, & perfectione conspicuis magis illustrarunt, cum vtraque perfectione rectè cohæreat loculos habere, & communia bona possidere: CHRISTVM ergo & Apostolos in loculis habendis nihil imperfectionis habuisse firmiter tenendum est.

587 Septimò : quia si loculos habere imperfectionis esset, & non potiùs perfectionis; sequeretur D. PAVLVM, qui 1. *ad Corinth.* 11. sic eos adhortabatur : *Imitatores mei estote, sicut & ego CHRISTI.* perfectissimum perfectionis CHRISTI imitatorem non fuisse ; nec ipse hanc formam recepisset, nec ad eam alios induxisset, quod est manifestum absurdum. Sequela verò probatur; quia Paulus à Fidelibus oblata suscepit, eaque pro suis, suorumque necessitatibus servavit, laudans, & cõmendans Fratres, qui ea temporalia bona ei è Macedonia miserant, 1. *Corinth.* 11. In Corinthiorum etiam Ecclesiis jussit fieri collectas, vt mitterentur Sanctis, qui erant in Jerusalem, 2. *ad Corinth.* 16. Forma igitur habendi loculos nihil continet imperfectionis, cum & Paulus, & Ecclesiæ Sanctorum, qui erant perfecti in Jerusalem, à Fidelibus oblata receperint, eaque pro suis, & Pauperum CHRISTI necessitatibus servarint.

588 Octavò : quia si loculos habere, temporaliaque bona in communi possidere aliquid diceret imperfectionis, fieret, Sanctum Benedictum, S. Augustinum, S. Basilium, S. Hieronymum, S. Gregorium, & S. Bernardum, quos suæ vitæ Sanctitate, honestissimis moribus, sanctoque Zelo promovendi ad Evangelicam perfectionem Sanctissimis suis Institutis, & Regulis, ad supremum perfectionis apicem devenisse, Sancta attestatur Ecclesia, fieret, inquam, omnes istos Sanctitatis Heroes, quibus à tempore Apostolorum vsque nunc floruit Ecclesia, fuisse de numero infirmorum, & imperfectorum, cum omnes isti loculos, communiaque bona habuisse, liquidò constet: quod quàm ingens absurdum sit, clarè agnoscere poterit quisquis de Ecclesiæ perfectione, & celebrioribus, perfectioribusque illius Sanctis, qui eam tot sæculis condecorarunt, piè, Catholicèque senserit.

589 Nonò : quia soli perfecti, qui relictis omnibus secuti sunt CHRISTVM, cum CHRISTO judicaturi sunt, juxta illud *Mat.* 19. *Dixit Petrus ad IESVM: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te : quid ergo erit nobis ? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in Sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Si ergo habere loculos sit exemplũ tantum imperfectorum, & in eis ab imperfectis, & non perfectis imitandum ; cum tota Ecclesia à CHRISTO usque huc, & ab Apostolis vsque ad Apostolicum, nunc Sedem Petri tenentem, hanc formam habendi loculos, seu bona in communi semper fuerit secuta : indè planè deduceretur, in Ecclesia omnes fuisse imperfectos, nec in perfecta Paupertate CHRISTVM secutos; sicque in Ecclesia nulli essent de ordine judicantium cum CHRISTO, quod erroneum est, & Evangelio dissonum.

590 Nec dicere velis, solos illos perfectos judicaturos, qui nec loculos, nec aliquid temporale in proprio, nec in communi habuerunt. Non enim valet : indè namque sequeretur, quòd cum nullus in Ecclesia fuerit status, qui à Fidelibus oblata, egentium necessitatibus dispensanda, non servarit, præter illos, qui S. Francisci Regulam amplectuntur, soli isti, & nulli alii Sãcti Orbem cũ CHRISTO essent judicaturi. Quod quàm erroneũ, & blasphemia plenũ, vanaque præsumptione insanum sit, planè notum est sapientibus, vt rectè annotavit Cardinalis TURRECREMATA *in cap. Exemplum*, 12. *quæst.* 1. Absit ergo à fidelium mentibus dicere, CHRISTI loculos ad imperfectionem, & imperfectorum, non verò perfectorum, exemplum pertinuisse.

591 Cum ex hucusque dictis perspicuum sit, nihil imperfectionis continere, CHRISTVM, & Apostolos loculos habuisse, vt prędicta Veritas clarior eluceat, sa-

satisfaciendum videtur argumentis in oppositum.

§. VI.

Adversariorum rationibus adhibetur solutio.

592 SVadere sibi videntur, oppositam sententiam sequentes, CHRISTVM, ejusque Apostolos aliquid contraxisse imperfectionis in loculis habendis: Primo; quia quod CHRISTVS egit condescendens infirmis, aliquid minuit perfectionis; CHRISTVS autem in habendis loculis, & communibus bonis reservandis, gessit infirmorum personam, juxta D. AUGUSTINUM, *in lib. de Opere Monach.* & *super illud Psal.* 103. *Producens fœnum jumentis*, hęc scribentem: *Dominus noster JESVS CHRISTVS more suæ misericordiæ infirmioribus compatiens, cum ei possent Angeli ministrare, loculos habere dignatus est.* Secundò, quia Pontifex NICOLAVS IV. *in sua Decretali: Exiit qui seminat. de verb. signif. in 6.* hæc habet: *Infirmorum personam CHRISTVS suscepit in loculis. (Et rursus:)Egit namque CHRISTVS, & docuit perfectionis opera; egit etiam & infirma, sicut interdum in fuga, & in loculis; sed vtrinque, perfectus existens, vt perfectis & imperfectis se viam salutis ostenderet, qui vtrisque salvare venerat.* Ex quibus manifestê videtur deduci, loculos habere, fuisse opus imperfectorum.

593 Huic argumento respondemus, absolutè negantes, in loculis habendis, tùm CHRISTUM, tùm Apostolos aliquid imperfectionis cõtraxisse, imò id, vel per somniũ nefas est cogitare. Hanc solutionẽ multis illustrare non erit difficile. Primum locum tenet S. ANTONINUS, qui 4. *par. Sum. tit.* 12. *cap.* 4. §. 15. aptissimè ad rem nostram scribit: *Notandam esse triplicem infirmitatem ad propositum, scilicet, infirmitatem carnis, infirmitatem scientiæ, & infirmitatem affectionis. Infirmitas carnis est secundùm quòd corpus mortale indiget cibo, & potu, vestimentis, & hujusmodi, & isto modo, omnis homo in hac vita mortali est infirmus, donec corpus istud corruptibile induerit in corruptionem, de qua infirmitate Apostolus* 1. *ad Timot.* 5. ait: *Modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Et *Matthæi* 26. *Spiritus promptus est, caro autem infirma.* Talis infirmitas non est imperfectionis mentis, sed stat cum omnimoda mentis perfectione in præsenti possibili.

594 Hanc CHRISTVS assumpsit, cum defectus corporales accepit, scilicet, famem, sitim, frigus, & hujusmodi; Quia ergo CHRISTVS erat verus Deus, & verus Homo, in quantum Deus, habebãt sibi Angeli ministrare, nec loculis indigebat, sicut nec cibo, nec potu; sed in quantum Homo secundùm carnem erat infirmus, indigens cibo, & alimento, sicut alii homines, & per consequens, indiguit pecunia, & loculis, quibus mediantibus necessaria emerentur.

595 Et de ista infirmitate carnis, quæ stat cum summa perfectione mentis, potest intelligi dictum B. Augustini, & Decretal. *Exiit*; In hoc enim (videlicet in loculis) personam infirmorum gessit, & infirmis condescendit; quia infirmitatem carnis assumpsit, & per consequens necessariis ad vitam eguit, & loculis egere se ostendit. Et certè hęc videtur esse intentio B. Augustini; vult enim dicere, quòd ille, qui Deus erat, & Dominus omnium, poterat, absque quacumque provisione, sibi de necessariis quantumcumque, & quocumque tempore providere, cum ei Angeli ministrarent: tamen, vt eamdem infirmitatem carnis habentibus exemplum daret, quòd non erat contra perfectionem, pro carnis infirmitate supportanda, cibis, & necessariis vti, & loculos habere, ideò in habendo loculos infirmis condescendit; quia, vt dicit Apostolus *ad Hebræos* 2. *Licet esset Deus, decuit per omnia Fratribus similari, & per omnia misericors fieri*: habendo ergo loculos, gessit personam infirmorum, non infirmorum infirmitate status, id est imperfectione, vt isti arguunt, sed infirmorum infirmitate carnis.

596 Secunda infirmitas est scientiæ, de qua ait Apostolus 1. *ad Corinth.* 8. *Conscientia eorum, cum sit infirma, polluitur.* Et *ad Rom.* 15. *Infirmum in fide suscipite*: hæc infirmitas consistit in hoc, quòd aliquis ex ignorantia, vel ex nescientia credit, aliquid malum esse, quod tamen non est, sicut aliqui tunc temporis credebant esse peccatum, comedere immolatum idolis, quod de se non est, nisi cum

fie-

fiebat in venerationem Idoli.

597 Et hac infirmitate laborabant, qui, reservare in crastinum, esse contra præceptum Domini, credebant; & de ista etiam infirmitate potest intelligi illud D. Augustini, & *Decretalis*: *Exiit*, scilicet, quòd Dominus, condescendens, vel cõpatiens infirmis, loculos habere dignatus est; CHRISTVS enim, qui venit curare vulnera nostra, præcipuè mentis, nè aliqui in futurum possent scandalizari, credentes, quòd esset imperfectionis, vel minoris perfectionis, si servos Dei viderent, loculos habere, & de illis in communi vivere, ipse loculos habere voluit, vt esset aliis in exemplum, quòd absque quocumque impedimento, vel diminutione perfectionis loculi communes haberi poterant ad vitæ necessitatem, nõ ad superfluitatem. Et quòd propter tale exemplũ hoc fecerit Dominus, dicit B. Augustinus, & habetur 12. *quæst.* 1. sic: Exemplum Domini accipite conversantis in terra: quare loculos habuit, cui Angeli ministrabant, nisi quia Ecclesia loculos habitura erat? Hoc etiam expressiùs dicit *in libro de Serm. Domini in Monte*.

598 Tertia infirmitas est affectionis; & hæc est duplex, vna, qua quis sic infirmatur secundùm affectum, quòd à Deo avertitur, quæ infirmitas est ad mortem, per culpam mortalem: de qua Apostolus *ad Rom.* 5. *Cum infirmi essemus, CHRISTVS pro nobis mortuus est*. Quia ergo CHRISTVS sciebat, aliquos futuros in Ecclesia, qui obstinata mente dicerent, quòd Viris, perfectionem Evangelicam servantibus, aliquid servare in crastinum, erat contra Dei præceptum; ideò CHRISTVS his infirmis condescendens, vt eos à sua malitia revocaret facto suo, & exemplo, voluit habere loculos, vt jam isti blasphemi contra Ecclesiam loqui non possent, cum viderent, eam loculos habere.

599 Secunda infirmitas affectionis est, qua aliqui non aversi à Deo per culpam mortalem, tamen detenti circa amorem temporalium, impediuntur à sequela CHRISTI, per semitam consiliorum, licet non exeant viam mandatorum, de qua potest intelligi illud *ad Rom.* 15. *Debemus nos, qui firmiores sumus, imbecillitatem infirmorum sustinere*: & in habendo loculos CHRISTVS iis infirmis condescendit, in duobus.

600 Primò; quia, cum CHRISTVS loculos habuerit, non ad superfluitatem, sed ad sui, & aliorum necessitatem egenorum, vt B. Augustinus dicit, exemplum dedit talibus infirmis, nè ad temporalia afficerentur, ad superfluitatem: sed solùm ad necessitatem ea quærerent. Secundò, quia CHRISTVS habuit loculos in communi, non in proprio, vt talibus infirmis condescendat. Ex his quatuor modis expositionis primus videtur mihi magis esse de intentione B. Augustini.* Hæc S. Antoninus.

601 Ex his D. ANTONINI verbis clarissimè evincitur, tàm S. Augustini, quã Nicolai Pontificis IV. mens, & sententia; licet enim vterque asserat, CHRISTVM in loculis habendis infirmorum personam gessisse: indè tamen non infertur, aliquid imperfectionis contraxisse; imò CHRISTVM loculos habuisse, cum summa ejus perfectione benè compati, & componi, nullamque imperfectionis maculam in habendis loculis inveniri: adeò, vt oppositum asserere, sit juxta D. Antoninum, CHRISTO blasphemiam inferre; sic enim concludit Sanctus *loco suprà citato*: *Quocumque autem modo exponatur de prædictis, patet, quòd CHRISTVS non fecit opus imperfectionis in habendo loculos: imò videtur mihi, valdè Blasphemum, dicere, quòd CHRISTVS in aliquo facto suo aliquid imperfectionis egerit, cujus omnis Actio, nostra est instructio.*

602 Pro majori prędictæ solutionis firmitate, magnopere notanda est expositio qua Nicolai IV. Pontificis Decretalem interpretatur Eruditissimus EPISCOPVS ANICIENSIS, qui sub Joanne XXII. Doctrina floruit. Extat autem præfata expositio *inter Manuscripta Bibliothecæ Vaticanæ, sig. num.* 3740. *pag.* 129. Vbi, CHRISTVM loculos habere nihil imperfectionis includere, sic ostendit: *Quod ergo dicitur in illa Decretali: Exiit qui seminat: Quòd CHRISTVS in loculis accepit personam infirmorum, originem habet à Glossa, quę habetur Ioann. 13. quæ dicit sic: Cui Angeli ministrabant loculos habet, in sumptus pauperum, condescẽdendo infirmis.* Et istud potest exponi dupliciter. Vno modo, quòd CHRISTVS cum esset Deus, & Homo, in quantum Deus, major erat Angelis, nec sic indigebat loculis: sed Angeli, vt ministri obsequeban-

bantur: Quantum autem ad naturam humanam, infirmus fuit, & minor Angelis: & sic indiguit cibis, & alimentis, sicut cæteri homines, & pecunia, seu loculis, mediantibus quibus vitæ necessaria emerentur: infirmitas ergo, de qua loquitur Glossa prædicta, non sonat imperfectionem status, sicut alii arguunt, sed notat conditionem humanæ naturæ pro statu mortali. Alio modo exponitur, quòd *infirmos* appellat, non illos, qui loculis Domini vivunt, sed illos, qui scandalizantur, putantes scilicet imperfectionis, vel minoris perfectionis esse, de loculis Domini vivere; talibus enim infirmis condescendens, seu compatiens Dominus, nè fortè scandalizarentur, & minori perfectioni adscriberent, si viderent, servos Dei loculos communes habere, & de illis vivere: ideò loculos habere voluit, vt esset aliis in exemplum; vt legitur 12. *quæst.* 1. *cap. Exemplum.*

603 Undé Augustinus *in* 2. *lib. de Serm. Domini in Monte*: Hoc autem vehementer cavendum est, nè fortè cum viderimus aliquem servum Dei providere, nè ista necessaria desint vel sibi, vel iis, quorum cura sibi commissa est, judicemus, eum de crastino solicitum esse; nam & ipse Dominus, cui Angeli ministrabant, tamen propter exemplum, nequis postea scandalum pateretur, cum aliquem servum ejus, animadvertisset ista necessaria procurare, loculos habere dignatus est, quibus portabatur pecunia, de qua vsibus necessariis, quidquid opus fuisset, præberetur. Sicut Paulus Apostolus de crastino potest videri curasse, cum dicit 1. *ad Corinth.* 16. *De collectis autem, quæ fiunt in Sanctos, sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite*: nec ad vnum diem tantum videtur victus ipse procuratus. Et in his, & hujusmodi Scripturarum locis, satis apparet, Dominum nostrum non improbare: si quis humano more ista procuret; sed si quis propter ista Deo militet, vt in operibus suis, non Regnum Dei, sed istorum inquisitionem intueatur. Et sic patet, quòd Glossa non loquitur de infirmitate, quę sonat imperfectionem status, habentium loculos, sed loquitur de infirmitate illorum, qui possent scandalizari, cum viderent, servos Dei, vel Prælatos loculos habere.* Hactenùs ille.

604 Nec omitti potest quod præclara sua eruditione, solitoque magisterio, annotavit R. P. HERVÆUS DE NATALIS, Ordinis Prædicatorum Magister Generalis, qui hac de re specialem Tractatum instituit, qui extat *inter manuscripta Bibliothecæ Vaticanæ, sig. num.* 3740. *pag.* 182. Intendens itaque probare, loculos habere, nullam, nec minimam dicere imperfectionem, imò id in CHRISTO non modò ejus perfectionem non minuisse, sed etiam summam ejus perfectionem demonstrasse, hæc habet: *Dicendum, quòd quando dicitur, quòd CHRISTVS habuit loculos, propter imperfectos, quòd illa imperfectio, qua scilicet nos dicimur imperfecti in comparatione ad CHRISTVM, non dicit imperfectionem, privativè dictam, scilicet, carentiam perfectionis natę haberi in statu viæ; quia necessitas naturalis habendi talia non potest secundùm cursum communem tolli in statu viæ, nec etiam necessitas procurandi secundùm cursum communem, licet Deus posset miraculosè tollere talem necessitatem: CHRISTVS autem, cui ministrabant Angeli, & per creationem etiam poterat habere talia, non habebat necessitatem faciendi talem provisionem, vel procurationem, & hoc expressè dicit Augustinus super illud verbum: *Nolite solliciti esse in crastinum, Matth. 6.**

605 Et *infrà*: *Idem Augustinus dicit: habebat Dominus loculos, & à Fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primùm Ecclesiasticæ pecuniæ forma instituta est, vt intelligeremus, quòd prȩcepit, non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, vt nihil pecuniæ asservaretur à Sanctis, sed nè Deo propter ista serviatur, & propter inopiæ timorem justitia deseratur. Ecce expressè dicit, quòd quando Dominus conservavit oblata pro suorum necessitatibus, & aliis indigentibus, tunc forma Ecclesiasticæ pecuniæ instituta est; Sed forma Ecclesiasticę pecuniæ instituta à Domino, non diminuit de perfectione vitæ: Ergo nec reservare bona oblata in futurum, pro suorum, & aliorum necessitatibus.*

606 Consonat Episcopus SORANVS, qui illo Joannis XXII. Pontificis sæculo singulari Doctrina florens, expositionem in præfatam Nicolai Constitutionem eruditissimè elaboravit, quę extat

in

in *Manuscript. Biblioth. Vatic.* mox laudato, *pag.* 149. Præfatus ergo Episcopus, explicans verba, quibus Nicolaus asserit, CHRISTUM in loculis habendis infirmorum personam gessisse, censet, CHRISTVM in hoc perfectionis summum attigisse: *Si dicatur (inquit) in eo quòd loculos habuit, infirmorum suscepisse personam, ex hac adjectione non sequitur, sed firmatur, eum, & Apostolos habuisse aliqua in communi. Quamvis si dicatur, eum in hoc monstrasse infirma humanitatis assũptæ, potest dici, quòd quidquid CHRISTVS gessit in carne, & vt homo, non ratione vnionis ad Verbum, sicut quòd fugit, fatigabatur ex itinere, esurivit, & sitivit, quòd fremuit, lachrymatus est, & cætera, talia competebant sibi ratione infirmitatis, & naturalis imperfectionis naturæ; permittebat enim naturæ humanæ, quæ sua sunt, facere, & pati; omnia tamen hæc stabant cum apice summę perfectionis in eo. Itaque sicut fugiendo egit vt infirmus, quia puerili ætati convenit fugere minantem, vt dicit Chrysostomus, in hoc nihilominùs tamen dedit exemplum perfectis, vt cum necessitas persecutionis evenerit, non erubescant, vt dicit idem Chrysostomus, fugere, cum oportet, & quando, habitis aliis circumstantiis, est virtutis: sic etiam quamvis portare loculos sit infirmitatis humanę, & non competeret sibi ratione Deitatis, in hoc tamen exemplum dedit perfectis Ecclesiæ, videlicet Prælatis, vt ad vsus pauperum facultates Ecclesiæ possideant in communi.* Hactenùs ille.

607 Eamdem hanc Constitutionis Nicolai IV. expositionem secutus Cardinalis PETRUS COLUMNA, rectissimè annotavit, CHRISTI, Apostolorumque perfectioni non adversari, nec vllatenùs opponi, loculos habuisse, & bona in communi possedisse, sic scribens: *Constitutio, quæ allegatur in contrarium, *Exiit qui seminat*, manifestè dicit: quòd CHRISTVS habuit loculos, infirmorum infirmitatibus condescendens: sed ex quacumque causa habuerit, habemus intentum, quia habuit loculos. Et fortè dici posset, quòd in hoc, scilicet, in habendo loculos, non imperfectorum, sed perfectorum formam assumpsit; quia perfectionis, & providentiæ fuit, suorum necessitatibus, & egenis providere. Similiter, & quod de fuga dicitur, quòd infirmorum infirmitatibus condescendit, fortè & hoc ipsum posset dici perfectionis, & virtutis esse, suo loco, & tempore, dare locum iræ, non aggredi pericula.*

608 Cardinalis etiam TVRRECREMATÆ Doctrina hęc solutio firmior redditur siquidem explicãs illa verba Decretalis: *Exiit qui seminat*, quibus asseritur, CHRISTVM loculos habendo, infirmorum personam gessisse, respondet: non esse contra, sed magis confirmare propositum, cum ait: *Sic enim humanam naturam assumpsit, quòd in suis operibus perfectus existens, in nostris factus humilis, in propriis permansit excelsus; sic & summæ charitatis dignatione ad actus quosdam, nostræ imperfectioni conformes, inducitur, & à summæ perfectionis rectitudine non curvatur; egit namque CHRISTVS, & docuit perfectionis opera, egit etiam infirma, sicut interdum in fuga patet, & in loculis, sed vtrumque profectò perfectus existens, vt perfectis, & imperfectis se viam salutis ostenderet, qui vtrosque salvaret, qui tandem mori voluit prò vtrisque.* Ex dictis manifestissima liquet solutio ad argumentum, quoniam per hoc, quòd CHRISTVS in habendo loculos inter alias causas dicitur, condescendisse infirmis, non sequitur, quòd aliquid imperfectionis fecerit, vt tot clarissimorum Virorum Sententia & Doctrina satis ostensum est.

609 Solutis jam argumentis desumptis ab Authoritate, tàm Nicolai, quàm D. Augustini *de Oper. Monachor.* & in illud: *Producens fœnum jumentis*, quæ suprà proposuimus; tandem asserimus, minimè nostræ Assertioni opponi Authoritatem D. HIERONYMI *in Epist. ad Nepotian.* dicentis: *Nudam Crucem nudus sequar.* Sed qui habet aliquid non est nudus: igitur loculos habere, vel bona in communi possidere, est contra CHRISTI nuditatem, & paupertatem.

610 Non, inquam, obstat; huic enim argumento plenè satisfacit D. ANTONINVS *vbi suprà*, ex ejusdem D. Hieronymi Doctrina, sic scribens: *Ille nudus CHRISTUM sequitur, & Crucem nudam, qui omnia sua, aut Pauperibus distribuens, aut parentibus relinquens, aut facultatibus Ecclesiæ adjungens, de facultatibus Ecclesiæ, quæ sunt bona communia vivit, & de Altaris oblationibus sustentatur; & talem nudi-

nuditatem ipse servavit: quare habere in communi aliqua, non diminuit de perfectione personali, nec de perfectione status Religiosorum, vel Prælatorum.*

§. VI.

Quæritur: An CHRISTVS, & Apostoli, in loculis, seu bonis, quæ in communi possidebant, Ius, & Dominium habuerint.

611 CVm superiori Assertione satis apertè ostenderimus, CHRISTVM, & Apostolos de facto loculos habuisse, & bona in communi possedisse, quibus viverent, & ad victum necessaria, quando oportunum erat, emerent; probandum modò restat: An CHRISTVS, & Apostoli, in hujusmodi bonis Jus, & Dominium habuerint, & quale illud fuerit?

612 Pro lucidiori præsentis Quæstionis intelligentia, audiamus est S. ANTONINVM, *loco suprà citato*, §. 16. hæc asserentem: *Pro declaratione, sciendum, quòd certum est, quòd CHRISTVS, & Apostoli, bona, quę habuerunt in vsum vitæ humanę, de facto habuerunt; certum est enim, quòd habuerunt indumenta, quibus vestiebantur, & cibos, quibus nutriebantur, Domum etiam quantum ad vsum dormiendi, & quiescendi, nec vnquam de hoc aliquis dubitavit: sed vtrum habuerint in talibus rebus, solum nudum vsum facti, vel jus, & dominium in proprio, vel in communi; de hoc fuit aliquando dubium.*

613 Inquisitor EYMERICVS 2. *part. Directorii, quæst.* 19. referens Petri Joannis errores, asserit, eum inter alios tenuisse etiam *in Postilla in Matth.* *Quòd CHRISTVS, & Apostoli ejus, non habuerunt aliqua in proprio, nec in communi, nec in rebus, quibus vtebantur, habuerunt nisi simplicem vsum facti. (Subdit verò Eymericus: Hæc hæresis condemnatur *in Extravaganti: Cum inter*, & *Quia quorundam.**

614 Ipse Eymericus *quæst.* 18. *num.* 3. loquens de erroribus à Joanne XXII. damnatis, hæc scribit: *Decimus error est, quòd Dominus Noster JESVS CHRISTVS, ejusque Apostoli, in his, quę ipsos habuisse Sacra Scriptura testatur, non habuerint, seu eis non competierit jus, ipsis vtendi, nec illa vendendi, seu donandi, aut ex ipsis aliqua acquirendi. Hi duo Articuli, verè vt hæreticales condemnantur in Extravaganti dicti Domini Joannis Papæ, quæ incipit: *Cum inter nonnullos.*

615 Vndecimus error, & hęresis est, quòd Dñs Noster JESVS CHRISTVS, ejusque Apostoli, in his, quę habuisse leguntur, tantum habuerunt, absque jure aliquo, simplicem vsum facti. Hic articulus tanquam verè Hæreticalis condemnatur *in Extravagant.* dicti Domini Papæ Joannis, quæ incipit: *Quia quorundam*, & *in Extravagant.* ejusdem, quæ incipit: *Quia vir reprobus.**

616 Prædictis tribus Joannis XXII. Constitutionibus nempè: *Cum inter*, *Quia quorundam*, & *Quia vir reprobus*, ab Eymerico memoratis, sese obstinatè opposuerunt Fraticelli, istorumque sequaces, prout refert ipse EYMERICVS 2. *part. quæst.* 17. cujus titulus est: *De objectis Fratricellorum contra Constitutionem Ioannis XXII.* Et *infrà* sic prosequitur: *Decima septima quæstio est, hæreses, & errores, qui per nonnullos adversarios veritatis, opponentes se dictis determinationibus, factis per dictum Dominum Papam Joannem XXII. de proprio, & communi asseruntur mendaciter, atque falsè.*

917 Et *infrà*: *Primo quidem asserũt, pro sui erroris fundamento, quòd Apostoli, & Religiosi, vitam Apostolorum sequentes, non habuerunt, nec habent in rebus vsu consumptibilibus, nec in non consumptibilibus vsu, aliquod jus dominii, vel proprietatis, aut jus vtendi in speciali, vel in communi, sed tantùm simplicem vsum facti, dominio, & proprietate talium rerum penes alium remanente.*

618 Michaël de Cecena, vnus è pręcipuis, qui præfatis Joannis Constitutionibus pervicaciter obstiterunt, eò audacię devenit, vt eamdem Joannis Constitutionẽ hæreticã esse, petulanter contenderit, vt tradit ipse Pontifex *in Constitutione*: *Quia vir reprobus*, referens, quòd ipse Michaël dicit, & Constitutionis verba, quę iste impugnat, quæ sic se habent: *Quòd in talibus rebus, scilicet, quæ vsu consumuntur, vsus juris, vel facti separatus à proprietate rei, seu dominio possit constitui, repugnat juri, & obviat rationi. (Et *infrà*:) In rebus vsu consumptibilibus,

nec jus vtendi, nec vsus facti, separata à proprietate, seu dominio possunt constitui, vel haberi.* Hucusque Constitutionis verba, contra quæ sic insurgit Michaël de Cesena.

619 *Hæc verba Constitutionis prædictę, Sacræ Scripturæ, & Sacris Canonibus, definitionibusque Sanctorum Doctorum, ac etiam Determinationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obviant manifestè.* Hactenùs Cesenas, vt refert Summus Pontifex *in dicta Constitutione: Quia vir reprobus.*

620 Hûc spectat illud S. ANTONINI, *loco suprà laudato*, §. 11. *Ex iis patet error decimi capituli libelli hęretica-lis, quem ediderunt Fraticelli pro suæ hęresis defensione. Dicunt enim, quòd in rebus vsu consumptibilibus potest separari vsus rei à proprietate, & dominio. Inducunt aliquas Authoritates, quæ non probant. Et quia Joannes XXII. in Constitutione sua: Quia*, declaravit contrarium, scilicet, quòd in hujusmodi, vsus rei, vel vsusfructus non potest separari à dominio, & proprietate ipsius rei, vt in pane, vino, & hujusmodi, & pecunia, quæ vtendo distrahitur ab vno in alium: Vndè cui conceditur vnum, & reliquum. Et ideò CHRISTVS cum Apostolis in hujusmodi habendo vsum, habuit & dominium, & proprietatem eorum, in communi tamen: Et quia hoc, inquam, determinavit Pontifex, dicunt, eum hæreticum, quia contra Scripturam; cum tamen Scriptura nihil dicat, quòd habuerit vsum tantùm, & non dominium.*

621 Et vt liquidò constet quantum à veritate aberrarint Michaël de Cesena, istiusque sequaces, & quàm justè in prędictis Constitutionibus processerit Pontifex Joannes, præcipuas hujus rei difficultates discutiendas aggredimur, nempè: An CHRISTVS, & Apostoli habuerint aliquod jus, & dominium in loculis, vel in his, quę possidebant, an tantùm simplicem vsum facti? & an iste separari possit à jure vtendi, & à jure dominii, & proprietatis?

622 At pro clariori harum Quæstionum intellectu, & resolutione, operę-prætium duximus, priùs aliquas quæstiones præliminares proponere: enodatęque terminos, qui in eis involvuntur, cum ab illis maximè pendeat præcipuę quęstionis intelligentia. In his explicandis, vt securiùs procedamus, ducem habebimus D. ANTONINVM, in vtraque Jurisprudentia versatissimum, qui, *loco suprà citato*, §. 6. hæc habet: *Quantum ad primum, circa aliquam rem possunt ista considerari ad præsens, scilicet, vsusfructus, vsus, possessio, proprietas, dominium, & jus. Quodlibet horum sic describitur. Vsusfructus secundùm Juristas est: Ius vtendi, & fruendi rebus alienis, salva eorum substantia. ff. de vsufructu, l. 1. Rebus alienis* dicitur, quia in rebus propriis non dicitur vsusfructus: Vndè si habeo vsumfructum viridarii, & posteà ad me perveniat proprietas, spirat tunc vsusfructus. *Salva rerum substantia* dicitur, quia in rebus, quæ vsu consumuntur, non propriè est vsusfructus, vt pane, vino, & hujusmodi. *Ius vtendi*, dicitur, ad differentiam vtilis dominii, quod quandoque in rebus alienis habetur, sicut Emphyteota, & feudatarius habent vtile dominium, cujus dominium directum pertinet ad Dominum superiorem, à quo res tenetur in Emphyteosim, vel in feudum.

623 Item ponitur *fruendi*, ad differentiam nudi vsus; quia minus est in vsu, quàm in vsufructu, datur exemplum de grege: Si enim vsus alicujus gregis sit tibi relictus in aliquo testamento, tu poteris vti grege ad stercorizandum in agro tuo tantùm. Sed si fuerit relictus vsusfructus ejus, poteris grege vti, non solum ad stercorizandum, sed ad lanam, lac, & fœtus recipiendum, & distrahendum tales fructus, vt volueris; fœtus enim in jumentis, vt in pecudibus computatur in fructu, & de quolibet animali irrationali: secus autem in Ancillis; nam partus Ancillæ non pertinet ad vsufructuarium. Exemplum: Si viridarium fuerit tibi legatum ad vsum, poteris rosas, olera, & alias flores, & fructus sumere, ad vsum tuum, sed alteri non poteris vendere, vel dare: Sed si vsusfructus ejus fuerit relictus, poteris non solum sumere ad vsum tuum, sed ipsos flores, & fructus vendere, & donare alteri, prout volueris; & sic patet, quòd quicumque habet vsumfructum, habet vsum, & non è converso.

624 Vsus autem secundùm Juristas est: *Ius vtendi rebus alienis, salva rerum sub-*

ſubſtantia. Ideò dicitur *rebus alienis*, quia vſus non dicitur in re propria, ſecundùm Juris Doctores. Additur *ſalva ſubſtantia rerum*; quia, ſecundùm eos, vſus, non conſtituitur in rebus, quæ vſu conſumuntur; quia in talibus non poteſt rerum ſubſtantia permanere poſt vſum. Non ponitur *fruendi*, vt diſtinguatur ab vſufructu, ſed quia, quantum mihi videtur, Legis Doctores iſto modo accipiunt vſum, nimis ſtrictè, ſcilicet, pro vſu, pro quo cõpetit ſervitus: ideò recipiẽdo vſum ſecundùm naturã, & magis largê, & ſecundùm Jura Canonica, cum ſecundùm rei veritatem aliquis vtatur re ſua, ſicut aliena, vt vtitur pane cum comedit, & conſumit eum; ideò, ſic accipiendo vſum, mihi videtur, quòd nudus vſus facti, de quo loquuntur Conſtitutiones Joannis XXII. quadrupliciter poteſt excogitari.

625 Primò, poteſt dici nudus vſus facti, propter omnis juris nudationem; Secundò, propter proprietatis excluſionem; Tertiò, propter omnis vtilitatis privationem; Quartò, propter actionis in judicio abdicationem, de quo latiùs infrà.

626 Tertius terminus eſt poſſeſſio, quæ ſic deſcribitur: Poſſeſſio eſt: *Corporalis rei retentio corporis, & animi, juris adminiculo interveniente.* Sic definit HOSTIENSIS *in Sum. Corporalis rei*, dicitur; quia ſecundùm Juriſperitos incorporalia non poſſidentur. *Detentio* dicitur; quia poſſeſſio ſecundùm Jura dicitur, quaſi pedum poſitio. Aliter non adquiritur poſſeſſio niſi corpore, & animo interveniente: Undè ſi alterum deficiat, non eſt poſſeſſio. *Iuris adminiculo* additur; quia quamvis aliquis alicui rei corpore, & animo inſiſtat, tamen, niſi habeat juris adminiculum, non propriè dicitur poſſidere.

627 Quartus terminus eſt Proprietas, quæ ſic definitur ab OSTIENSI: Proprietas eſt: *Dominium rei juſtis modis quæſitum.* Adquiritur autem Dominium jure Gentium, & jure Civili; & jure quidem Gentium, per occupationem, ſicut in iis, quæ non ſunt in bonis alicujus hominis; quia occupanti concedũtur, ſicut Feræ beſtiæ, Aves, & Piſces, quæ in terra, mari, & aëre capiuntur, & in iis, quę communia ſunt, vt in mari, & in littore maris, vt lapillis, & gemmis, quæ ibi ſunt, vt patet *Inſt. De rerum diviſione, per totum*; tamen circa hoc ſunt multæ conſuetudines in diverſis regionibus contra jura. Item in iis, quę ab hoſtibus capiuntur, quod intelligendum eſt in bello juſto, & ſervato jure militari, de quo *diſtinct.* 1. *Ius Militare.* Jure autem Civili adquiritur Dominium multipliciter, ſcilicet præſcriptione, vſucapione, arrogatione, monoeatione, teſtamento, ſucceſſione, & aliis multis modis, jure Civili inductis.

628 Quintum, quod requiritur ſecundùm rem conſiderandum, eſt Dominium: circa quod aliqui Doctores dicunt, idem eſſe dominium, & jus; quia tantùm habet quis de dominio, quantum de jure. Aliquibus autem Doctoribus videtur oppoſitum, & ratio eſt; quia ſecundùm Simplicium, & Ariſtotelem *in prædicamentis*: Relatio dominii eſt relatio ſuppoſitionis, & ideò nullus debet habere dominium in aliquo, niſi ſit ei ſuppoſitus; ſed aliquis poteſt habere jus in aliquo, cui non eſt ſuppoſitus, imô è contra: ſicut Filius habet jus in Patre, ſervus in domino; quia tenentur eis dare alimenta. Similiter Monachus in Monaſterio, ſubditus in Prælato, quia tenentur eis ad Sacramentorum adminiſtrationem: Ergo ſecundùm iſtos jus, & dominium non ſunt idem, ſed jus in plus ſe habet, quàm dominium; quia omne dominium eſt jus, ſed non omne jus eſt dominium: videtur enim addere dominium ad jus quamdam ſuperioritatem, & authoritatem: Vndè ſecundùm hos, ſic definitur, dominium eſt: *Ius vtendi, & poſſidendi, & habendi aliquam rem ſimpliciter pro libito voluntatis; vel ſecundùm aliquem determinatum modum, cum quadam ſuperioritate.*

629 Dicitur in deſcriptione iſta *Ius*; quia ſi aliquis detineret, vel vteretur aliqua re ſine jure, ſicut fur, & prædo, talis non haberet dominium. Dicitur *jus poſſidendi*, quod debet intelligi, jure proprio, non alieno, quia Procurator, OEconomus, & Diſpenſator vtuntur licitê rebus Domini ſui, ſed hoc non faciunt jure proprio, ſed alieno. Dicitur autem *ſimpliciter pro libito voluntatis*, ſimpliciter quantum ad dominium proprium, & perfectum, per quod quis habet jus in re, quantum ad proprietatem ſimpliciter, & quantum ad omnem vſum circa ipſam rem; quia poteſt, eam donare, vendere, & diſtrahere, ſicut placet.

630 Dicitur autem : *Secundùm aliquem determinatum modum*, propter duo: Primò, propter dominia conditionata, vt cum quis est dominus rei, quantum ad proprietatem, & vsum simul; sed tamen non potest vendere, nisi certis personis, vt propinquiori de genere suo, & determinato modo, servando legitimam, secundùm Leges, vel speciales Patriæ Consuetudines. Secundò propter dominium imperfectum; vsufructuarius enim, & vsuarius, licet non habeant perfectum, nec plenum, pro eo quòd non habent jus in proprietate rei, tamen habent dominium verum, sed imperfectum, pro eo quòd verum jus habent in vsu, vel in vsufructu rei, licet non in proprietate ipsius; alioquin non possent de jure suo vendere, vel alienare vsum, vel vsumfructum. Additur in descriptione : *Cum quadam superioritate*, quia, vt dictum est, dominium videtur addere suprà jus quamdam superioritatem, & authoritatem.

631 Sextus, & vltimus terminus declarandus est Jus, & quia dominium addit solum suprà jus superioritatem, sic possumus describere jus, quod est : *Potestas exercendi aliquem actum circa rem licitè.* Vndè si licitè possumus vendere librum, habemus jus in venditione libri; si licitè possum legere, & studere in libro, habeo jus in lectione libri; & sic generaliter concludendo, quantum habeo de potestate licita circa rem, tantum habeo de jure circa ipsam rem, & quod hoc sit verum, sic declaratur : Homo, circa aliquam rem, non habet nisi duplex posse, scilicet posse facti, quo scilicet aliquis potest vti aliqua re de facto, licitè, vel illicitè; & posse juris, quo scilicet potest vti aliqua re licitè; sed posse solius facti, non dicitur posse juris, posse igitur licitè, hoc est posse juris.

932 Secundùm communem acceptationem dicimus, posse facti contra posse juris, dicendo potest iste de facto, qui scilicet potest exercere aliquem actum illicitè. Ille autem dicitur posse de jure, qui potest licitè exercere aliquem actum: patet ergo, quòd jus non dicit aliud, nisi potestatem exercendi licitè actum circa aliquam rem. Et hoc etiam dicit B. Augustinus *in lib. De mendacio*, sic inquiens: *Faciat homo pro temporali salute hominum, quod potest; cum autem ad hoc ventum fuerit, vt tali saluti nisi peccando consulere non possit, jam se existimet non habere, quod faciat, 22. quæst. 2. Can. Faciat.* Undé, & Jurisperiti dicunt : *Illud possumus, quod de jure possumus.** Hactenùs S. Antoninus.

633 Explicatis jam terminis, qui in præsenti difficultate possunt occurrere, progredimur nunc ad præcipuam Quæstionem discutiendam, nempè: An CHRISTVS, & Apostoli habuerint jus, vel dominium in temporalibus bonis, quæ de facto possederunt, an simplicem tantùm vsum facti? At quoniam proposita Quæstio pendet ab aliis prę̃liminaribus mox adducendis, ideò

§. VII.

Quæritur : Vtrum licitus vsus possit á jure vtendi separari?

634 PRo pleniori præsentis Quæstionis notitia prænotãdũ est, quòd cum res in duplici sint differentia; alię enim sunt, quæ vsu non consumuntur, vt domus, equus, & hujusmodi; alię verò, quę vsu consumuntur, vt panis, vinum, & similia : non quæritur hic de his, quæ consumuntur vsu, de his enim *infrá* tractabimus, sed de his, qnę vsu non consumuntur, & de licito istarum vsu procedit Quæstio.

635 DICIMVS primò, nõ potest licitus vsus ab vtendi jure separari. Probatur primô Authoritate IOANNIS XXII. *in Constitutione: Cum inter nonnullos*, vbi Pontifex in his, quæ CHRISTVS, & Apostoli habuerunt, proprietatis vsum ab vtendi jure separabilem non admittit, quin potiùs improbat, vt erroneum, ac hæreticum.

636 Probatur secundò ex illa D. AVGVSTINI doctrina *ad Macedonium*, quæ habetur 14. *quæst.* 4. *Quid dicam?* *Hoc certè alienum non est, quod jure possidetur; hoc autem jure, quod justè; & hoc justê, quod benè.* De primo ergo ad vltimum, quod benè possidetur, justè possidetur.

637 Hûc spectat illud D. ISIDORI *cap. Jus generale, distinct.* 1. *Jus dicitur eo: quód justum.* Undè omnis actus justus est juris; quia jus dictum est eo quòd justum : vsus autem est quidam actus; & si licitus est vsus, est actus justus : omnis ergo vsus licitus, est cum jure vtendi. Istam

Istam rationem tangit JOANNES Papa *in Constitutione*: *Quia quorundam*, dicit: *Approbare videlicet, quòd CHRISTVS, & ejus Apostoli, in his, quę habuisse leguntur, tantum habuerint, absque jure aliquo, simplicem vsum facti: ex quo (si verum esset) sequeretur, vsum CHRISTI fuisse injustum: quod profectò blasphemiam continet, & est Catholicę Fidei inimicum.* Ex quibus manifestè infertur, vsum licitum à jure vtendi separari non posse: alias talis vsus esset justus, & injustus; justus, quia supponitur licitus; injustus, quia vsus separatus à jure vtendi, à D. Augustino, & D. Isidoro injustus dicitur.

638 Probatur tertiò; quia, impossibile est licitum esse vsum sine facultate licitè vtendi, sicut impossibile est, videre, audire, & loqui sine facultate audiendi, videndi, & loquendi; facultas autem licitè vtendi, non potest esse sine jure vtendi; jus enim, vt suprà diximus, sic definitur: *Facultas, seu potestas licitè exercendi aliquem actum*; sed impossibile est, & contradictionem implicat, definitionem esse sine definito: vt quòd sit vivens sentiens, quin sit animal; & animal rationale, quin sit homo: Impossibile igitur est, quòd sit vsus licitus sine jure vtendi.

639 DICIMVS secundò: vsus licitus absolutè, & simpliciter potest à jure in re separari. Quod hac ratione haud leviter suadetur. Qui potest habere licitum alicujus rei vsum, dominio penes alium remanente, habet vsum licitum, sine jure in re simpliciter, & absolutè; quia ex quo dominium remanet penes alium, ille non est simpliciter dominus rei, sed ille, penes quem remanet dominium; sed aliquis potest habere licitum vsum multarum rerum, dominio remanente penes alium, vt patet de illo, qui conduxit domum ad habitandum, vel equum ad equitandum, & hujusmodi; certum est enim, conductorem talium habere licitum vsum domus, vel equi; quia & dominus ei concessit: & nihilominùs dominium domus, vel equi indubiè penes locatorem remanet: Igitur in rebus vsu non consumptibilibus, vsus licitus separabilis est à jure in re, absoluto, & simpliciter.

640 DICIMVS tertiò: vsus licitus non potest separari à jure in re secundùm quid: habēs enim jus in aliquo actu alicujus rei, habet jus in tali re secūdùm quid. Quo supposito, suadetur Assertio; Quia ex quo ille actus licitè exercetur circa illam rem, habet jus in illa saltim quantum ad illum actum. Hoc autem est habere jus non simpliciter, & absolutè, in re, sed secundùm quid; sicut enim, si habeo jus in equo simpliciter, vt quia est meus, habeo jus in equitarione equi simpliciter: & sic de necessitate, si habeo jus in equo secundùm quid, vt quia mihi est commodatus, vel locatus, habeo jus in equitatione equi, quæ est vsus ejus secundū quid: Ergo necessariò talis habet jus secundùm quid in re, qualis est vsus, & consequenter inseparabilis est vsus licitus à jure in re secundùm quid, vel à jure, quo secundùm aliquem actum vtitur illa.

641 DICIMVS quartò: impossibilis est in hujusmodi rebus vsus licitus facti, omni jure denudatus. Probatur: quia impossibile est habere vsum licitū sine jure vtendi in re simpliciter, vel sine jure vtendi in re secundùm quid, vt probatum reliquimus: Ergo impossibile est, Fratres Minores habere in talibus rebus vsum licitum, omni jure denudatum. Et ideò Papa Ioannes deducit in sua Constitutione, talem vsum sic omni jure denudatum Fratribus Minoritis Nicolaum Papam numquam reservasse: rationemque assignat; quia ille vsus, qui perfectioni non adjicit, imò repugnat, est illicitus: vndè benè infert, talem vsum numquam fuisse Fratribus Minoribus ab aliquo Pontifice reservatum.

642 DICIMVS quintò: simplex vsus, quamvis separari non possit ab omni jure saltem vtendi, potest tamen à jure proprietatis, & dominii in dictis rebus, non consumptibilibus vsu, & consequenter eo possunt vti Fratres Minores. Probatur: nam in rebus, in quibus potest aliquis habere vsum salva rei substantia, dominio remanente penes alium, potest homo habere nudum vsum, per proprietatis exclusionem, seu absque dominio in proprietate, & si habeat talem vsum ex concessione Domini, talis vsus erit licitus. Cum igitur Fratres Minores possint habere vsum in rebus, quæ vsu non consumuntur, sicut in domibus, libris, & sic de aliis, salva rerum substantia, dominio illius rei penes Papam, vel alium remanente, ex concessione Domini: indè sequitur, in talibus rebus posse habere, nudum vsum licitum.

§. VIII.

§. VIII.

Quæritur: An in rebus, consumptibilibus vsu, possit licitus vsus à rei proprietate, seu dominio separari?

643 LOquimur de his, quæ statim consumuntur, vt panis, vinum, & hujusmodi, cumque præcipua controversia inter Joannem XXII. & Fratricellos, istorumque sequaces, qui sese opposuerunt Sanctissimis Constitutionibus, in quibus CHRISTI, Apostolorum, Fratrumque Minorum, Paupertatem Pontifex definivit, ad hoc fuerit devoluta: *An in rebus vsu consumptibilibus possit vsus à rei proprietate, vel vtendi jure separari?* Nostri muneris propriissimum duximus, hac in re longiùs diffundi, hancque Assertionem latiori calamo confirmare.

644 Sit igitur certa CONCLUSIO: In rebus, vsu consumptibilibus, inseparabilis est vsus à jure vtendi. Probatur primò; quia JOANNES XXII. *in Constitutione: Ad Conditorem*, hanc nostram Assertionem, non modò sua Authoritate firmavit, sed etiam hac ratione stabilivit: Quòd non sint dicti Fratres Minores nudi vsuarii in rebus, quę vsu consumuntur, evidentiùs declaratur, in quibus dicere, quòd vsus juris, vel facti, à dominio separatus possit constitui, juri repugnat, & obviat rationi. Nec Prædecessoris Nostri (scilicet Nicolai Papæ) prædicta fuisse videtur intentio, Romanæ Ecclesiæ talium bonorum dominium reservare. Quis enim sanę mentis credere poterit, quòd intentio fuerit tanti Patris, vnius ovi, seu casei, vel frusti panis, aut aliorum vsu consumptibilium, quę sepè Fratribus conferuntur, dominium Romanæ Ecclesiæ, & vsum Fratribus retinere?

645 Aut si ejus fuit intentio, quis defendere poterit, quòd non realis fuerit talis intentio dominii, seu verbalis quoque, non vera, sed ficta potiùs sit censenda, adhuc posito, quòd in talibus rebus vsus posset constitui nudus: tamen nullatenus posset dici cum vsus rei consumptibilis vsuarii non differat ab vsu, plenum dominium continentis: quod patet; quia vsus hujus rei totaliter rem consumit. Constat autem vsum plenum dominium habentis minimè fore nudum: ex quo sequitur, quòd eorum vsus nudus minime sit. Dominium autem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reservatum, ex eo potest videri nudum verbale, & Mathematicum, quòd ex illo nullum hactenùs obvenerit commodum, nec speratur, quòd obvenire debeat in futurum; cum nec intentio reservantis fuerit, nec Fratrum ipsorum, quòd in cujusque alterius, quàm ipsorum Fratrum commodum vsum deveniant res prędictę. Constat autem, quòd tale dominium, nec habentem ditiorem facit, nec pauperiorem efficit non habentem. Ex quibus liquet, quòd impudenter, propter retentionem prædictam, præ aliis Mendicantibus sibi vendicant altissimam paupertatem.

646 Hûcusque, ex Joannis XXII. Authoritate, *in Constitutione: Ad conditorem*, probavimus, in rebus vsu consumptibilibus, non posse dari vsum à rei proprietate sejunctum; in cujus veritatis confirmationem, notanda admodum est ratio, qua ad idem probandum vtitur Pontifex *in Constitutione: Quia vir reprobus*, ex diffinitione vsus, sic differens: **Vsus, est jus vtendi rebus alienis, salva rei substantia*, id est, jus percipiendi fructus, seu vtilitatem aliam in totum, vel per partem suo nomine, qui possunt ex re, in qua vsus cõstituitur, provenire. Constat autem, quòd in rebus vsu consumptibilibus, quamdiu earum substantia salva, & integra pro manet, nulla potest vtilitas provenire, vt patet in pane, & vino, ex quibus nullus fructus, vel vtilitas potest colligi, seu haberi, substantia salva rei. Quarè evidenter relinquitur, quòd in rebus talibus, videlicet vsu consumptibilibus, jus vtendi separatum à proprietate, seu dominio nequeat constitui, seu haberi.*

647 Probatur secundò ratione, à D. JOANNE CHRYSOSTOMO reddita, cur ex domo, aliisque rebus, non consumptibilibus vsu, possit accipi lucrum, & non ex pecunia; quia nempè ex illis rebus, salva earum substantia, & dominio apud dominum remanente, potest percipi fructus aliquis, seu vtilitas: neutiquam verò ex mutuata pecunia. Qua D. Chrysostomi ratione vtitur etiam JOANNES XXII. *in prædicta Constitutione: Quia vir reprobus*, ad probandum in rebus consumptibilibus vsu, non posse vsum à proprietate sejun-

gi;

gi; sic enim scribit: *Per hoc B. Joannes Chrysostomus rationem reddit, quare pro pecunia mutuata vsura, sicut merces pro domo, vel re alia, vsu nõ cõsumptibili, locata, licitè recipi nequaquam possit, dicens, quòd in re vsu non consumptibili, vt in domo, vel agro, habens illa, non solum habet proprietatem, seu dominium, sed ex illis, substantia salva rei, ac proprietate ipsius, & dominio, fructus, seu vtilitatem aliam percipit, vt patet in domo, in qua inhabitat, & sic ex ea commodum inhabitationis habet, sibi domus salvo dominio remanente, salva rei substantia, & domo remanente. Ex agro quoque fructus recipit agri, salva rei substantia, & dominio remanente: & ideò, quia locans fructus rei, seu vtilitatem aliquam provenientem ex ea, retento sibi dominio, conductori concedit, nec illa, scilicet fructus, seu vtilitatem domus, vel agri, finita locatione repetit, non est mirum, si pro his prętium recipere possit. Mutuans autẽ pecuniã, ei, in quẽ mutuatę pecunię transfert dominium, non fructum aliquẽ, nec vtilitatẽ aliã confert, quæ ex ea salva rei substantia valeat provenire; & tantumdem, ab eo, cui mutuat, postea recipit: quare vltra illud, quòd mutuat, à recipiente mutuum licitè recipere nequit, vt legitur 88. *dist. Can. Ejiciens.**

648 Hûc præclarè facit ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 1. vbi probat, licitum non esse, sed potiùs injustum, vsuram pro mutuata pecunia accipere, & ratio, qua id probat, est: *Quia venditur id, quod non est;* supponens in pecunia, sicut & in cæteris vsu consumptibilibus, non posse vsum à proprietate separari, benè verò in rebus, quæ vsu non consumuntur. Nè autem majestati, qua id dicit, & eamdem Joannis XXII. Doctrinam tradit, aliquid detrahamus, illius verba transcribemus, quæ sic se habent: *Ad cujus evidentiam sciendum est, quòd quædam res sunt, quarum vsus est ipsarum rerum consumptio; sicut vinum consumimus, eo vtendo ad potum, & triticum consumimus, eo vtendo ad cibum: Vndê in talibus non debet seorsim computari vsus rei à re ipsa, sed cuicumque conceditur vsus, ex hoc ipso conceditur res, & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium.

649 Si quis ergo (prosequitur) seorsum vellet vendere vsum vini, venderet eamdem rem bis, vel venderet id, quod non est. Undè manifestê per injustitiam peccaret. Et simili ratione injustitiam committit, qui mutuat vinum, aut triticum, petens sibi duas recompensationes; vnam quidem restitutionem ęqualis rei; aliam verò prętium vsus, quod vsura dicitur. Quædã verò sunt, quorum vsus non est ipsa rei consumptio, sicut vsus domus est inhabitatio, non autem dissipatio. Et ideò in talibus seorsum potest vtrumque concedi, puta cum aliquis tradit alteri dominium domus, reservato sibi vsu ad aliquod tempus: vel ê converso, cum quis concedit alicui vsum domus, reservato sibi eius dominio. Et propter hoc licitê potest homo accipere prętium pro vsu domus, & præter hoc petere domum accomodatam, sicut patet in conductione, & locatione domus. Pecunia autem, secundùm Philosophum, *in* 5. *Æthic.* & *in* 1. *Politic.* principaliter est inventa ad commutationes faciendas. Et ita proprius, & principalis pecuniæ vsus est ipsius consumptio, sive distractio, secundùm quod in commutationes expenditur. Et propter hoc secundùm se est illicitum pro vsu pecuniæ mutuæ accipere pretium, quod dicitur vsura.*

650 Ex hac ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina, hoc elicitur Argumentum: In rebus vsu consumptibilibus, vt vino, tritico, aliisque similibus, vsus, juxta D. Thomam, non potest à rei proprietate separari; cum juxta eumdem, proprius, & præcipuus pecuniæ vsus, sicut & aliarum rerum vsu consumptibilium, sit ipsarum consumptio: hînc clarè infertur in rebus vsu consumptibilibus vsum à proprietate non distingui; sicque illicitum esse vsum à proprietate separatum.

651 Consonat S. ANTONINVS *vbi supra*, §. 10. sic pro nostra Assertione differens: *In rebus, quarum vsus non est sine proprietatis consumptione, impossibile est, esse jus in vsu, sine jure in proprietate: quia, ex quo consumitur proprietas, vsus non erit licitus, nisi possim, licitè consumere proprietatẽ; sed non possum licitè consumere proprietatem sine potestate licita, seu jure in proprietate: ergo, &c. Sed in rebus vsu consumptibilibus non est vsus sine consumptione proprietatis: ergo in talibus rebus non potest vsus à proprietate, seu dominio separari.

653 Secunda ratio est. Ille qui potest li-

licitè alienare simpliciter aliquam rem pro sua propria vtilitate scienter, habet jus in re simpliciter; sed vtens re, quæ statim vtendo consumitur, sicut panis, & vinum, alienat rem à propria natura, & forma, & propria vtilitate; quia propter nutrimentum; ergo talis, si licitè vtitur, habet jus in re illa simpliciter, & absolutè. (Et consequenter vsus rei in rebus consumptibilibus vsu, inseparabilis manet à jure proprietatis.)

653 Tertiò: ille, qui licitè potest habere omnem vsum, qui haberi potest circa rem, habet jus simpliciter in re, vt dictum est suprà; sed vtens re, quæ per vsum statim consumitur, habet circa illam rem omnem vsum, qui haberi potest circa rem; imò numquam potest haberi aliquis alius vsus circa rem illam, quia res alterius non manet: ergo talis habet jus in re simpliciter.

654 Tandem: ille, qui pro se licitè potest rem distrahere in alium, non solum quantum ad vsum, sed etiam quantum ad proprietatem, habet necessariò jus in re, & in vsu rei. Hoc patet, quia nemo potest transferre pro se, & nomine suo in alium, quod ipse non habet; sed qui vtendo consumit rem, non minus transfert rem, & alienat à quocumque, cujus antea fuerat, quàm qui per venditionem, & donationem transfert in alium; imò magis, quia vendendo, vel donando adhuc manet res in propria forma, post talem autem consumptionem non manet: ergo si talis licitè vtitur pro se, necessariò habet jus in re, non solum in vsu ipsius rei.* Hactenùs Sanctus. Ex tot Sanctorum testimoniis, efficacissimisque rationibus, manifestè patet, dari non posse licitum vsum rei consumptibilis vsu, ab omni vtendi, seu proprietatis, & dominii jure separatum: sicque in hujusmodi rebus non dari simplicem vsum facti, absque omni jure proprietatis, & dominii.

655 Ex quibus clarè infertur, Fratres Minores in hujusmodi rebus, consumptibilibus vsu, non posse habere nudum vsum licitum per proprietatis exclusionem. Et ratio est: quia in rebus, in quibus vsus licitè à dominio in re separari non potest, nequit haberi nudus vsus, per proprietatis exclusionem; atqui, vt ex præcedentibus innotescit, in rebus consumptibilibus vsu, non potest licitus vsus â dominio, seu proprietate in re separari: ergo in hujusmodi rebus non possunt Fratres Minores, vel alii quicumque habere nudum vsum, vel simplicem vsum facti per proprietatis exclusionem.

656 Nec obstat dicere, cum Michaële Cesenate, istiusque sequacibus, quòd si in rebus vsu consumptibilibus, vsus juris, vel facti à proprietate, seu dominio separari nō potest, confunderetur omnis Religio, emittens votum abdicationis proprietatis rerum temporalium, sicque quilibet Religiosus, rebus vsu consumptibilibus vtens, proprietarius censeretur.

657 Non, inquam, obstat; huic enim argumento respondemus, negantes sequelam: quia omnium Religionum præter B. Francisci Professores, ad vivendum sine proprio adstringuntur, & nihilominùs, juxta suas, Regulas habere possunt quoad proprietatem, & dominium in communi res, tàm consumptibiles, quàm non consumptibiles vsu: & licet possint hujusmodi res vsu consumere; vt vinum, bibendo; & panem comedendo; & sic de aliis, per actum tamen consumendi talia non sunt proprietarii censendi, cum eas non vt proprias, sed vt communia consumant, actusque hujusmodi res consumendi nequaquam à communi dominio separentur. Sicut si duo habentes panem communem, illum indivisum comederent, neuter propter hoc panis, quem comederet, proprietarius fieret, nec proprium, sed commune comedisse diceretur.

658 Responderi etiam potest, Religiosum, qui emisit votum Paupertatis, & non habendi aliquid proprium, sed omnia in communi, quamvis non possit habere aliquid proprium ante distributionem rerum in communi, posse aliquid proprium habere, facta distributione à legitimo Prælato, à quo datur vnicuique secundùm quod illi opus fuerit, eumque saltim in illa portione, quæ vnicuique tribuitur, dominium, & proprietatem habere.

659 Nec deest gravissimum fundamentum, ad prædictam solutionem stabiliendam; regulariter enim Religiosi in Paupertatis voto, quo profitentur, habere bona communia, nihilque proprium possidere, imitantur Apostolos, primitivosque fideles, quibus erant omnia communia, nihilque proprium possidebant; istos autem, facta divisione, habuisse aliquid proprium in rebus vsu consumptibilibus à le-

legitima Sacri Textus intelligentia alienum non est; siquidem post bonorum vsu consumptibilium, distributionem, quę inter Apostolos, aliosque credentes fiebat, vt dicitur *Actor.* 2. & 4. quilibet portionis sibi assignatæ, Proprietarius, & Dominus dici poterat, vt expressè videtur supponi *Actor.* 4. cum enim dixisset sacer Textus: *Neque enim quisquam egens erat inter illos*, rationem subjungit: *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.*

660 Asserens ergo Textus, nullum esse egentem, eo quòd vnicuique, prout opus erat, dividebatur, apertè supponit id, quod vnicuique dabatur divisim, cujuslibet esse proprium; dividere enim, nihil aliud est, quàm divisim aliquibus diversas alicujus rei partes dare: cum ergo darentur ab illis, qui dare poterant, scilicet Apostolis, & illis, qui poterant recipere ea, quæ ad vitæ humanæ sustentationem pertinebant; hinc manifestè infertur, quemlibet fuisse dominum ejus portionis, quæ sibi fuerat assignata; aliàs non videretur verum, quod dicitur: *Neque quisquam egens erat*, nisi plus, post divisionem haberent in assignata sibi portione, quam antea.

661 Pro majori hujus veritatis confirmatione adnotare oportet, quod vestimenta inter res vsu consumptibiles computantur; & nihilominùs, quamvis Apostoli omnia haberent in communi, vt ex *Actor.* 4. ostendimus, D. Petrus propria vestimenta possidebat, siquidem *Actor.* 12. legitur, Angelum ei dixisse: *Calceate caligas tuas, & circumda tibi vestimentum tuum, &c.* quibus verbis clarè supponit Angelus caligas, & vestimenta assignata Petro, propria fuisse Petri quoad dominium: Vndè idem videtur dicendum de pecunia, pane, & vino, aliisque rebus vsu consumptibilibus, D. Petro, aliis Apostolis, cęteriisque credentibus divisim pro vitæ sustentatione assignatis, fuisse, nempè eorum proprias, nec votum vivendi sine proprio in contrarium militare, cum non se extendat ad talia, quibus humana vita necessariò eget. Non ergo statui vivendi in communi, nec Religiosæ Paupertati adversatur, aliquid proprium habere, quando de communibus bonis datur vnicuique à Prælato, quod cuique opus fuerit.

662 Hanc veritatem præclarè confirmat D. ANTONINUS *loco supra citato*, §. 10. vbi cum sibi sic objecisset: *Monachus non est capax proprietatis in aliquo casu, vt patet *Ext. de statu Monach. cap. Cum ad Monasterium*; sed Monachus necessariò vtitur rebus vsu consumptibilibus, vt quando comedit, bibit, &c. Ergo in talibus rebus potest licitus vsus separari à dominio, seu proprietate.*

663 Huic Argumento respondet Sanctus concedendo: *Quòd Monachus non est capax proprietatis sic, quòd possit de re disponere pro libito voluntatis, imò tamdiu potest dispensator, videlicet Monasterium, rem ad vsum concessam Monacho revocare, donec vsus sit inchoatus; & ideò non dicitur simpliciter Dominus, vel habere proprietatem.* Et hoc sufficit nè Religiosus Proprietarius dicatur. At loquendo de vsu rerum consumptibilium, dum Monasterium, vel Prælatus eas concedunt Religioso, quantùm ei de vsu concedunt, tantùm ei de proprietate largiuntur, cum in his vsus à proprietate separari non possit. Hoc dicere voluit Sanctus, dum prædictam solutionem sic prosequitur: *Sed in ipso vsu, quia non potest esse sine consumptione proprietatis, ideò quantùm conceditur Monacho de vsu in tali re, tantùm sibi conceditur de proprietate, nec abdicatio talis proprietatis est annexa statui Monachali, de qua dicitur *in illa Decret. Cum ad Monasterium, de statu Monachor.**

664 Nec ex eo Textu *Actor.* 4. infertur, Apostolos, & credentes, divisione facta, non potuisse aliquid proprium habere; præfatus enim Textus solum dicit, quod sequitur: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebant aliquid, suum esse dicebat, sed erāt illis omnia cōmunia.* Quod autem prædictis verbis exprimitur est, credentes à se abdicasse dominium, & proprietatem possessionum, quas habebant, istudque in communitatem transfudisse; non autem videntur se taliter adstrinxisse, vt & de bonis illis communibus eis darentur, quę ad vitæ suæ sustentationem necessaria erant, non possent ea licitè recipere, & vt propria retinere: Imò hoc prædicta

Scriptura satis apertè supponit, dum dicit: *Dividebatur autem cuique, prout cuique opus erat.* Est autem dividere, vt suprâ diximus, alicujus rei diversas partes aliquibus dare, dominiumque, seu proprietatem in ipsos transferre.

665 Sed objicies: in rebus vsu consumptibilibus, non esse separatum vsum à dominio, & proprietate, obviat Sacræ Scripturæ; nam *Matth.* 19. Petrus Domino dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: quæ verba, vt dicit Michaël de Cesena, non possunt sic intelligi, vt Apostoli reliquerint omnia quoad vsum, cum ex Sacra Scriptura constet, eos postea rebus vsu consumptibilibus vsos fuisse: reliquerunt ergo omnia quod dominium, & proprietatem, tàm vsu consumptibilia, quàm non consumptibilia, vt probatur 12. *quæst.* 1. *Can. Dilectissimis*, quia *qui omnia dicit, nihil excludit*; & S. GREGORIVS *super illo verbo: Relictis retibus*, dicit: *Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit, & qui quantumlibet parũ, totũ deseruit.* Dicere ergo, quòd vsus rerum consumptibilium vsu, non possit separari à proprietate, & dominio, Sacræ Scripturæ obviat, & repugnat.

666 Respondetur: quòd si illo verbo: *Ecce nos reliquimus omnia*, per *omnia* generaliter comprehendantur, tàm mobilia, quàm immobilia, tâm ea, quę consumuntur vsu, quàm ea, quæ vsu non consumuntur, non potest exindè concludi, Apostolos ea quoad dominium, & proprietatem reliquisse; quia etiam *Lucæ* 5. de Petro, Jacobo, & Joanne, dicitur: *Subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum*; & tamen post illa verba legitur *Matth.* 4. *Ambulans autem IESVS juxta mare Galilææ, vidit:: Petrum, & Andream:: mittentes rete in mare::& ait illis: Venite post me, & faciã vos fieri piscatores hominũ. At illi cõtinuó relictis retibus, secuti sunt eum.* Ex quibus verbis planè liquet, D. Petrum, postquam dictum fuit *Lucæ* 5. *Relictis omnibus*, adhuc retia habuisse, vt patet ex citatis verbis *Matth.* 4. Quod autem illud *Lucæ.* 5. præcesserit id, quod dicitur *Matth.* 4. expressè tradit S. AVGVSTINVS *lib. de Concordia Evangelist. ad eadem verba.*

667 Insuper post illud *Matth.* 4. *Petrus, & Andræas relictis retibus secuti sunt eum*; legitur *Matt.* 8. *Venit IESVS in domum Petri*: Ergo Petro adhuc remanserat Domus. *Matth.* etiam 26. legitur: *Vnus ex his, qui erant cum IESV* (Petrus scilicet, vt dicitur *Ioann.* 18.) *exemit gladium suum, & percutiens servũ Principis Sacerdotũ, amputavit auriculã ejus. Tunc ait illi IESVS: Converte gladiũ tuũ in locũ suũ*: Gladius ergo ille, Petri erat, vt testatur Dominus, adhuc postquam dictum fuerat *Lucæ* 5. *Relictis omnibus secuti sunt eum*, & *Matthæi* 19. *Ecce nos reliquimus omnia.*

668 *Lucæ* etiam 22. dictum est Petro, aliisque Apostolis: *Qui habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui non habet* (scilicet gladium) *vendat tunicam suam, & emat gladium.* Insuper *Actor.* 12. dixit Angelus Petro: *Præcingere, & calcea te caligas tuas, & circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me.* Quibus verbis manifestè supponitur, Petrum postquam de illo, sicut & de Jacobo, ac Joanne dictum fuit: *Relictis omnibus secuti sunt eum*, habuisse retia & domum, & post illa ipsius Petri verba: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, eum etiam gladium, & vestimenta, vt sua, seu propria possedisse. Undè concluditur ex illis verbis: *Relictis omnibus secuti sunt eum*, neutiquam convinci, Apostolos omne temporalium rerum, quæ ad victum, vel humanę vitæ sustentationem necessariæ fuissent, abdicasse dominium.

669 Pro majori hujus confirmatione notandum, quod de S. Matthæo legitur *Lucæ* 5. quòd nempè cum IESUS ei dixisset: *Sequere me. Relictis omnibus, surgens secutus est eum. Et fecit ei convivium magnum Levi* (id est Matthæus, qui & *Levi* appellabatur) *in domo sua*: vndè patet, quòd quamvis Scriptura dicat, Matthæum relictis omnibus secutum fuisse CHRISTVM, indè non infertur, eum omnia quoad dominium reliquisse, cum statim subdatur, eum in domo sua convivium CHRISTO paravisse, & credendum non sit, illud de alienis bonis fecisse: ergo de proprijs.

670 Hûc præclarè facit illud D. Petri, qui postquam CHRISTVS *Matth.* 19. vni, qui ex Discipulis suis non erat, dixerat: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & ha-*

habebis thesaurum in Cælo: & veni, sequere me. Hæc audiens, hisque commotus dixit CHRISTO: *Ecce nos reliquimus omnia, &c.* Vbi perpendendum est, non dixisse Petrum: vendidimus omnia, pauperibusque dedimus; sed: *Reliquimus omnia.* Quod vt clariùs, perfectiùsque intelligatur, necesse est adnotare, res temporales posse quoad earum curam, affectionemque sine vlla dominii abdicatione relinqui: & in hoc sensu optimè prædicta verba exponuntur. Potest etiam dici illud: *Reliquimus omnia*, intelligendum esse de omnibus temporalibus, præterea, sine quibus hæc vita transigi nequit, vt sunt alimenta, vel pro alimentis necessaria, quibus, verisimile non est, Apostolos renuntiasse, vt prædicta Scripturæ testimonia convincunt.

671 De Jacobo autem, & Joanne, dicitur *Marci* 1. relicto Patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, sequutos fuisse CHRISTVM, duos tamen istos Fratres, certum est, non sic Patrem suum reliquisse, vt ei renuntiarint, nec eum pro Patre postea habuerint, cũ eius filii remanserint. Ex illis ergo verbis: *Reliquimus omnia*, convinci nequit, Apostolos à se omnia temporalia quoad proprietatem, & dominium absque vlla exceptione abdicasse, præcipuè illa, de quibus Scriptura Sacra oppositum affirmat, cum id esset absurdum omnino vitandum, & nullatenùs concedendum.

672 Nec obstat tandèm, illud Argumentum, quod ad probandum in rebus, vsu consumptibilibus, posse dari jus à dominio separatum, sic à Michaële Cesenate, & aliis efformatur. *Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, vt habetur *Levit. vltimo*. Vsus autem decimarum tantùm est Levitarum, vt *num.* 18. Constat autem, quòd illa decimæ sunt de frugibus, & pomis, quæ sunt res vsu consumptibiles: quare, cum dominium decimarum sit Domini, & vsus earum sit Levitarum, sequitur, quòd in rebus vsu consumptibilibus haberi potest vsus à dominio separatus.*

673 Non, inquam, obstat; huic enim argumento respondetur, ex falsis principiis non posse bonam deduci consequentiam; falsum autem est, vsum decimarum tantùm fuisse Levitarum, vt patet ex eodem *cap.* 18. *Numeror.* in contrarium allegato: ibi enim, hæc ait Dominus: *Filiis Levi dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo servivit mihi in Tabernaculo fœderis.* Ex quibus verbis, meridiana luce clarius apparet, Levitas in decimis non solum vsum, sed etiam dominium habuisse.

674 Nec obstat *in eo cap.* dici in vsus Levitarũ, & necessaria Dominum decimas separasse; aliud enim est, rem aliquam alicui in vsum dari; aliud verò est, dari alicui talis rei vsum. Quando vsus alicujus rei vtilis alicui conceditur, tunc vsus tantùm rei, & non dominium intelligitur ei esse datum. Quando verò res datur in vsum, tunc non solum res, sed etiam dominium dicitur esse concessum.

675 Vndè cum in præallegato capite dicitur, dominum in vsus Levitarum, & necessaria decimas separasse, declaratur ad quid, vel propter quid Dominus Levitis decimas fuerit elargitus; cum enim nos de frugibus, & fructibus dupliciter vivamus, vel eos comedendo (ad quod primò, & principaliter videntur concessi, juxta illud *Genes.* 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam, & vniversa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam:*) vel eos vendendo, ad alia vitæ necessaria emenda (nonnumquam enim qui frugibus, & fructibus abundant, non habent alia, quæ ad humanam vitam traducendam requiruntur:) voluit Dominus declarare, posse Levitas, non modò fruges illas comedere, sed etiam sibi ex illis quoad alia vitæ necessaria providere, eas vendendo, vel permutando, prout necessitas, vel oportunitas postularit; ideòque in præallegato textu dicitur, dominum eas Levitis in vsus, & necessaria dedisse.

676 Idem dicendum est de verbis, quibus Dominus in eodem capite sic ad Aaron locutus est: *Vniversa frugum initia, quæ gignit humus, & domino deportantur, cedent in vsus tuos.* Istis enim verbis verum illarum rerum dominium, & non solum vsum à dominio separatum Aaroni concessit Deus, prout in eodem capite haud obscurè indicatur, dicente Domino ad Aaronem: *Omnis oblatio, & sacrificium, & quidquid pro peccato, atque delicto redditur mihi, & cedit in Sancta Sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum.* Et quamvis prædictis verbis satis clarè significetur, Dominum Aaroni, & Levitis non modò earum rerum vsum, sed

etiam dominium, & proprietatem contuliſſe, tamen id ipſum clariùs convincitur, ex illis verbis, quæ Dominus immediatè ſubjungit: *Primitias autem, quas voverunt, & obtulerunt filii Iſrael, dedi tibi, & filiis tuis, & filiabus jure perpetuo.* Undè apertè colligitur, non ſolum in decimis, ſed etiam in prædictis aliis rebus, non tantùm vſum, ſed & proprietatis dominium, vel vſum, ab hæreditario, ac perpetuo proprietatis jure inſeparabilem, Aaroni, & Levitis à Domino fuiſſe conceſſum, vt in citato textu expreſsè affirmari videtur.

§. IX.

Quæritur: An CHRISTVS in temporalibus rebus aliquod jus, & dominium habuerit, & quale illud fuerit?

677 VT præſens Quæſtio clariùs intelligatur, & faciliùs enodetur, prælibandum cenſuimus, quęſtionem hanc procedere poſſe, aut de CHRISTO ſeorſim, aut de CHRISTO, & Apoſtolis ſimul, aut de Apoſtolis tantùm, vt poſt CHRISTI Aſcenſionem. Si de CHRISTO ſeorſim præſens exagitetur controverſia, cum in eo duæ ſint naturæ, divina nempè, & humana, dubitari nequit, quæſtionem non procedere de CHRISTO, ſecundùm naturam divinam; ſiquidem ſecundùm hanc nemo ambigit, ſed nec ambigere poteſt, eum propriiſſimè habere creaturarũ omnium dominium, juxta illud *Pſalm.* 23. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus*; & *Eſther* 13. *Dominus omnium tu es.* Tantummodò ergo reſtat intelligendum dubium de CHRISTO ſecundùm humanam naturam.

678 Prælibandum ſecundò, cum in CHRISTO duæ ſint in vno, eodemque ſuppoſito naturæ, divina ſcilicet, & humana, quædam convenire CHRISTO, ſolùm ratione divinæ naturæ, vt creare, & eſſe infinitum; quædam verò ratione dumtaxat naturæ humanæ (adeò vt ei repugnent ratione divinæ) vt pati, & mori, quædam tandem ratione vtriuſque, licet diverſimodè, vt naſci; ſiquidem CHRISTO competit naſci ratione divinæ naturæ, ab æterno tamen, & ratione humanæ, ſed in tempore. Modo ergo nulli dubium eſt, quin CHRISTUS ratione Deitatis ſit verus omnium corporalium, & ſpiritualium creaturarum Dominus; quia in omnibus illis habet verum, & plenum jus quoad proprietatem, & vſum ratione creationis, & conſervationis, juxta illud *Pſal.* 23. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus.* Et *Pſal.* 47. *Meæ ſunt omnes feræ ſilvarum, jumenta in montibus, & boves.* Et *Iudith* 11. *Deus cælorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me.* An autem omnium, vel ſaltem aliquarum corporalium creaturarum dominium competat CHRISTO ratione humanæ naturæ, ſicut ratione hujus ei ſuo modo congruit, ex Matre in tempore naſci, aliqui dubitarunt: quarè vt in re adeò gravi, à mortalium mentibus omnis error procul pellatur, vtriuſque Teſtamenti teſtimoniis probabimus CHRISTI Regnum, illiuſque in temporalibus rebus dominium, ſimulque oſtendemus, quibus in rebus in ſpecie verum jus, & dominium, non modò infuſum, ſed & adquiſitum habuerit.

679 Prælibare tertiò oportet, verũ temporale dominium eſſe, verum jus proprium habendi, poſſidendi, & vtendi re aliqua ſimpliciter, vel ſecundùm aliquem certum modum. Dicitur autem, dominium eſſe: *Ius aliquod vtendi re, & poſsidendi*; quia ſine jure, non datur verum dominium: aliàs fures, & latrones, qui res alienas poſſident, eiſque pro ſuæ voluntatis libito vtuntur, veri domini eſſent, quod eſt manifeſtè falſum.

680 Nec quodcumque jus tribuit ſemper dominium; quia plus eſt jus, quàm dominium. Omne enim verum temporale dominium eſt aliquod jus: non tamen omne jus eſt dominium; ſiquidem ſervus habet verum jus temporale ſuper dominum ſuum; quia dominus tenetur nutrire, & alere ſervum, ſicut ſervus tenetur ſervire, & obedire domino ſuo: & tamen, licet ſervus habeat jus in domino ſuo, non poteſt propriè dici Dominus; ſimiliter filius habet aliquod jus in Patre, vt diximus ſuprà, attamen non poteſt dici Dominus Patris. His ergo prælibatis,

681 Sit prima CONCLUSIO: CHRISTVM Dominum habuiſſe verum temporalium rerum dominium. Quod luculentiſſimis, tàm Veteris, quàm Novi Teſtamenti locis probatur. De Veteri Teſta-

ſtamento patet ; ſiquidem de CHRISTO Domino dicitur *Iſaiæ* 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ*; & *Micheæ* 5. de eodem dicitur : *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Et *Malachiæ* 3. de eodem dicitur : *Statim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis; & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis.*

682 Nec minora hujus veritatis argumenta in Novo Teſtamento occurrunt; ſiquidem *Ioann.*13. ipſamet Veritas dicit: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis, ſum etenim.* Et *Matth.* 21. dicit Dominus duobus Diſcipulis : *Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite, & adducite mihi : & ſi quis aliquid vobis dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet eos.* Et B. JOANNES *Apocal.* 19. teſtatur dicens : *Habet ſcriptum in Veſtimento, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Eamdem veritatem confeſſi fuerunt Apoſtoli in Symbolo , quod ex præcipuis Fidei veritatibus concinnarunt, dicentes: *Et in IESVM CHRISTVM, Filium ejus vnicum, Dominum Noſtrum.* Idipſum cuncta confitetur Eccleſia *in Symbolo Patrum*, quod in Miſſa cantatur: *Et in IESVM CHRISTVM, Filium ejus vnicum, Dominum noſtrum.*

683 Probato ergo jam CHRISTI in rebus omnibus, ac per cõſequens in temporalibus dominio, examinandum reſtat, quale illud fuerit ? Cui difficultati, hac ſecura, & certa Concluſione reſpondemus.

684 Sit ſecunda CONCLUSIO: CHRISTI in temporalibus Principatum Supremum fuiſſe, ac Regiũ. Id Sacra vtriuſque Teſtamenti Scriptura demonſtrat. Multi enim Prophetæ , CHRISTUM futurum Iſraelitici Populi Regem , ſicque habere illius Regni Dominium , vaticinati ſunt. ISAIAS *cap.* 33. de CHRISTO prophetavit, dicens: *Ecce Dominus legifer noſter, Dominus Iudex noſter , Dominus Rex noſter, ipſe veniet, & ſalvabit nos.* Et per os JEREMIÆ ſic locutus eſt Deus *cap.* 13. *Suſcitabo David germen juſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet judicium, & juſtitiam in terra, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum: Dominus Iuſtus noſter.*

685 CHRISTVS enim , eſt lapis ille abſciſus de monte, ſine manibus, cui Deus Cæli dedit *Regnum , quod in æternum non diſſipabitur*, vt habetur *Daniel* 11. de CHRISTO etiam dicitur *Zachariæ 9. Exulta ſatis filia Sion , Iubila filia Ieruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & ſalvator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum , &c.* REGIVS etiam VATES multis in locis hanc veritatem prædixit, præcipuè *Pſal.* 2. vbi in perſona CHRISTI ſic loquitur: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius , prædicans præceptum ejus* : eumque futurum Regem multis aliis in locis prophetavit: Undè totus ille Pſalmus : *Eructavit cor meum, &c.* de CHRISTO Rege , iſtiuſque Sponſa, ſcilicet Eccleſia, agit, juxta Sanctorum Patrum expoſitionem. Multi inſuper alii Pſalmi de hujuſmodi Rege ſatis clarè loquuntur: ac tandem SALOMON *Canticor.*3. de CHRISTO loquens: *Egredimini*, inquit, *Filiæ Sion , & videte Regem Salomonem.*

686 Pro hoc CHRISTI Regno expreſſiora inveniemus ex Novo Teſtamento petita argumenta , vt videri poteſt *Lucæ* 2. vbi ARCHANGELVS GABRIEL, antequam CHRISTUS conciperetur , dixit: *Dabit ei Dominus Deus ſedem David Patris ejus , & regnabit in domo Iacob in æternum. Lucæ* etiam 2. nato jam CHRISTO , Angelus ad Paſtores ait: *Natus eſt vobis hodie ſalvator , qui eſt CHRISTVS Dominus* , id eſt , Rex , & Dominus ; huic etiam nato tres illi Magi, *Matth.* 2. teſtimonium perhibuerunt, dicentes: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Inſuper *Nathanael* , ille verus Iſraelita , in quo dolus non erat , dixit CHRISTO *Ioan.* 1. *Tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael.*

687 Pilatus quoque CHRISTI Cruci hunc titulum juſſit præfigi: *IESVS Nazarenus, Rex Iudæorum* : quam quidem inſcriptionem , non ſine divino inſtinctu adhibitam fuiſſe manifeſtè innotuit ; ſiquidem inſtantibus Judęis nê Pilatus ſcribi præciperet: *Rex Iudæorum* , ſed quia dixit ſe Regem Judæorum , ipſe eos audire noluit, ſed reſpondit: *Quod ſcripſi, ſcripſi.*

688 Eamdem veritatem expreſiùs con-

confirmat ejusdem veritatis confessio; siquidem CHRISTVS Dominus à Pilato interrogatus, *Ioann.* 18. an esset Rex Judæorum, ei respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ex qua Domini responsione intulit Pilatus: *Ergo Rex es tu?* *IESVS autem respondit: Regnum meum non est hinc*; quasi diceret: Regnum meum à mundo non habeo, sicut nec re vera habebat, imò à Deo, sicut Angelus ejus Genitrici prædixerat, dicens *Lucæ* 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris eius, &c.* hoc etiam B. PETRVS *Actor.* 2. testatur expressè, dicens: *Certissimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & CHRISTVM fecit Deus, hunc IESVM, quem vos crucifixistis.* Hunc textum expendens JOANNES XXII. *in Constitutione: Quia vir reprobus*, eum ad rem nostram aptissimè interpretatur, dicens: *In quibus verbis Petrus satis clarè concludit duo de JESU Domino nostro, videlicet, quòd Regnum suum à Mundo non habuerit, sed à Deo, videlicet in eo quod dixit, quòd JESUM fecit Deus CHRISTUM, id est Regem; per CHRISTVM enim, Regem intelligimus; quia CHRISTUS interpretatur *Vnctus*: & quia Reges inungi consueverunt, per CHRISTVM intelligimus Regem: undè RABBANVS ibi: Manifestè Petrus, ex hoc Psal. Regnum CHRISTI, non terrenum, sed cæleste ostendit esse. Concludit item Petrus, ex verbis prædictis, quòd CHRISTVS in quantum homo subsistens in divino supposito fuerit Dominus, & Rex factus; constat enim, quòd in quantum erat Deus, crucifixus non fuit, sed in quantum homo: & ideò cum Dominus, & Rex fuerit factus, in quantum crucifixus, & crucifixus fuerit, in quantum homo, sequitur, quòd Regnum, & Dominium, tanquam homini, Deus sibi concessit.* Hactenùs ille.

689 Idipsum supponit Angelus, dum CHRISTO jam nato, gaudium magnum Pastoribus annuntians, ait: *Hodie natus est vobis Salvator, qui est CHRISTVS Dominus*, id est, *Rex*, & *Dominus*. Ubi notandum admodum est, ea, quæ de CHRISTO, non dum nato, fuerunt ab Archangelo Gabriele de futuro annuntiata: *Dabit ei Dominus Sedem David Patris ejus, &c.* eadē fuisse cū his, quę ab isto Angelo, nato jā CHRISTO, per verba de præsēti Pastoribus fuerūt pronuntiata: *Hodie natus est vobis Salvator, qui est CHRISTVS Dominus.* In quorum expositione S. AVGVSTINVS *lib. de concord. Evangelist. in princip.* hæc ad rem nostram aptissimè scribit: *Dominus JESVS CHRISTVS vnus verus Deus, & vnus verus Sacerdos est. (Et *paulò infrà*:) Secundùm hominem, quippè CHRISTVS, & Rex, & Sacerdos effectus, cui dedit Deus Sedem David Patris sui, & *Regni ejus non erit finis.**

690 Et quamquam *in Tractatu de Summi Pontificis Potestate in temporalibus*, CHRISTI Regnum, ex Sacra Scriptura, Sanctisque Patribus fusè probemus, nihilominùs prædictos litterales textus, quibus plenissimè probatur, CHRISTVM, vt hominem, non modò vniversale omnium rerum dominium, sed etiam Supremum, ac Regium totius Orbis Principatum habuisse, juxta illud: *Rex Regum, & Dominus Dominantiū*, vtpotè præsentis quæstionis propriissimos, duximus non omittendos.

691 Supposito ergo jam Supremo, ac Regio CHRISTI in temporalibus Dominio, ac Principatu: quæritur modo, quando, & quomodo, tàm Suprema Potestas ei communicata fuerit, & concessa? Pro cujus clariori resolutione adnotare oportunum judicavimus cum S. ANTONINO, *vbi suprà*: quòd dominium habere de aliqua re potest intelligi dupliciter; quia aut infusum, aut acquisitum, sicut dicimus de scientia infusa, vel acquisita circa aliquam Conclusionem. Et iterum dominium potest acquiri in aliqua re dupliciter; quia vel ex facto proprio, sicut miles acquirit ex facto proprio, scilicet sui laboris, dominium in stipendio: vel ex alieno dono, sicut adquirit Pauper dominium in eleemosyna. His præsupositis,

692 Sit tertia CONCLVSIO: CHRISTVS, vt homo, habuit à suæ Conceptionis initio verum in omnibus rebus creatis infusum dominium, non modò quoad proprietatem, verum etiam quoad vsum. Probatur; quia cui competit verum, & perfectum jus habendi aliquam rem, & vtendi jure proprio pro libito voluntatis suę, illi competit verum, & perfectum ea in re dominium, vt suprà probavimus; atqui CHRISTO, quà homini, & Humanitatis suæ ratione, à Conceptionis suæ initio congruit verum, & perfectum

jus

jus vtendi omnibus rebus temporalibus, omnibusque creaturis pro suæ voluntatis libito: ergo habuit verum, & perfectum in omnibus creaturis dominium, cumque istud, tale sit, quando est quoad proprietatem, & vsum, hinc est, CHRISTUM tale habuisse dominium. In majori nulla est difficultas, vt ex suprà dictis patet, nullaque in consequentia, vt attentè consideranti perspicuum fiet.

693 Totum ergo probationis pondus consistit in probando minorem, videlicet CHRISTO ratione Humanitatis suæ competiisse verum jus vtendi omnibus rebus temporalibus. Quod multis, ac luculentissimis Sacrę Scripturæ, Sanctorumque Patrum testimoniis firmabimus. Primas teneat locus ille D. PAVLI *ad Hebræos* 11. *ex Psal.* 8. desumptus, vbi de CHRISTO secundùm Humanitatem, hæc habentur: *Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim, quòd omnia subjecit, nihil dimisit non subjectum ei.* Quamvis hæc Sacrę Scripturæ Authoritas adeò aperta sit pro nostra Assertione, vt nulla indigeat expositione, eam tamen illustrabimus S. AMBROSII interpretatione, qui censet ibi de CHRISTO secundùm humanitatem esse sermonem; siquidem ad hunc textum hęc habet: **Minuisti eum paulominus*, per passibilem naturam: minoratus est enim dum se exinanivit, formam servi accipiendo: Ergo propter infirmitatem carnis, quam Dei sapientia gestare dignata est, & carnis humilitatem, rectè dicitur: *Minuisti eum, &c.* quia mortalis, & passibilis.* Eadem prædicti Sancti Glossa sic prosequitur: **Constituisti eum super opera manum tuarum*: Ecce Potestas CHRISTI ostenditur; vt enim à Divino opere nihil excipitur, ita nec à CHRISTI Potestate.*

694 In ejusdem loci expositione, notandum maximè, quod scribit S. ANTONINVS, *loco suprà laudato*, dicens: *Attende, quòd non simpliciter ait: *Super omnia opera*, sed addidit: *Manum tuarũ*, scilicet super digniora etiam opera; id est homines, & Angelos, quæ per excellentiã dicuntur opera manuum Domini. Et non solùm constitutus *super omnia opera*, vt dignior, sed etiam *omnia subjecisti sub pedibus ejus*, id est potestati ejus, & dominio; posset enim esse superior, & non dominari omnibus. Sed dicit vlteriùs: *Subjecisti omnia*, nihil dimisit non subjectum dominio ejus. Ex qua authoritate habetur, quod loquitur de CHRISTO secundùm naturam humanam, secundùm quam minoratus est paulominus ab Angelis, & loquitur de subjectione non solum minus digni ad digniorem, sed de subjectione quæ est, subditi ad habentem dominium super ipsum.* Ex quo habetur omnia, ac per consequens temporalia, CHRISTI dominio esse subjecta.

695 Secundus Scripturę Sacrę locus, quo minor illa stabilitur, est ille Textus *Matthæi vltimo*, vbi CHRISTVS de seipso sermonem faciens: *Data est* (inquit) *mihi omnis Potestas in cælo, & in terra, &c.* Qui omnia dicit, nihil excludit; ibi autem esse sermonem de CHRISTO secũdùm humanitatem ostendit RABBANI MAVRI GLOSSA ad illa verba sic scribentis: *Data est, non de coęterna Patris Deitate, sed de assumpta humanitate, qua minor est Angelis, in qua etiam gloria, & honore coronatus est.* Nec minoris ponderis est D. THOMÆ Glossa ibi: *Filius quippè Dei Virginis Filio, Deus homini, Deitas carni contulit, quod semper ipse cum Patre possedit.*

696 Idipsum tradit S. REMIGIUS, ad eadem verba, sic loquens: *Et hoc sciendum, quòd antequam Dominus surrexisset, noverant Angeli se subditos homini CHRISTO. Volens ergo CHRISTVS, etiam hominibus notum fieri, quòd sibi data esset omnis potestas in Cœlo, & in Terra: misit prædicatores in mundum vniversum, qui hoc cunctis prædicarent.*

697 Consonat S. ANTONINVS loco suprà citato, his verbis: *Non obstat, quòd CHRISTVS post Resurrectionem dixit sibi datam Potestatem hanc. Non enim tunc primò sibi fuit data, sed à principio Conceptionis, vt dictum est. Sed in Resurrectione fuit data manifestatio talis jam factæ collationis Potestatis. Vndè exponunt Doctores comuniter. B. AVGVSTINVS, & MAGISTER SENTENTIARVM *in* 3. *Data est mihi*, id est manifestata est jam data; dicitur enim aliquando aliquid fieri, quando innotescit factum.*

698 Nec omitti potest, pro ejusdem mi-

minoris probatione; illud D. PAULI *ad Philippenses* 11. *Propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur Cælestiũ, Terrestrium, & infernorum.* In cujus expositione S. AVGVSTINVS: *Quod à conceptione (inquit) acceperat, dicitur ei, & donatur post Resurrectionem, propter manifestationem.*

699 Hûc præclarè facit illud D. AMBROSII: *Quæres: cui donatum, vtrum homini, an Deo? Respondeo, homini donavit nomen, quod est super omne nomen, non Deo.* Additque Sanctus AVGUSTINVS: *Donavit ergo secundùm hominem CHRISTO, secundûm carnem mortuo, resurgenti, & ascendenti, vt in nomine IESV omne genu flectatur Cælestium, Terrestrium, & infernorum*; id est, imperio ejus fateantur subjici Angeli, homines, & dæmones. (Et subdit:) Eo quòd erat filius David, factus est Dominus David.*

700 Nec desunt rationes, quibus nostra magis firmetur Assertio. Primò, quia quod Incarnationis fini non repugnat, potiùs debuit CHRISTO, quàm cuilibet alteri homini communicari; atqui Adæ in statu innocentiæ comunicatum fuit omnium istorum inferiorum dominium, juxta illud *Genes.* 1. *Dominamini piscibus maris, volatilibus Cæli, & bestiis terræ*: ergo tale donum, cum nec imperfectionem dicat, sed potiùs perfectionem, nec Incarnationis fini obsistat, debuit CHRISTO secundûm humanam naturam communicari, ac per consequens temporalium rerum dominium habuit CHRISTUS, vt homo.

701 Confirmatur præcedens Ratio. Illud, quod dignitatem, & perfectionem simpliciter importat, nec impedit Incarnationis finem, vt immortalitas, & similia, & potest alicui puro homini communicari, & de facto communicatum est, multo fortiùs, & rationabiliùs debet CHRISTO, secundûm humanam naturam, ab instanti suæ Conceptionis communicatum fuisse, affirmari: satis namque rationabile videtur, de facto datam fuisse illi naturæ vnitæ Deitati omnem humanam perfectionem naturalem, & gratuitam, sicut & beneficia; atqui jus habendi, & vtendi pro voluntatis libito omnibus rebus inferioribus, verumque dominium, quoad proprietatem, & vsum super omnia temporalia inferiora saltem, collatum fuit primo homini in innocentiæ, & naturæ integræ statu, vt modò diximus ex illo *Genes.* 1. *Dominamini piscibus maris, &c.* adeò vt posset tunc primus homo omnibus rebus temporalibus, tamquam verus earum Dominus, pro suæ voluntatis libito vti: negandum igitur non est, hujusmodi dominium CHRISTO, à suę conceptionis primordio fuisse collatum.

702 Vndè quamvis temporalium rerum dominio vti, & maximè indifferenter, non importet dignitatem, & perfectionem simpliciter, sed sit sicut actus indifferens, qui potest benè, vel malè fieri; habere tamen dominium, & jus vtendi pro voluntatis libito pertinet ad dignitatem, & perfectionem simpliciter; aliàs numquam fuisset homini in perfecto innocentiæ statu communicatum, nec competeret Beatis post Resurrectionem, nec ipsi Deo ratione divinæ naturæ, qui est verissimus rerum omniũ dominus, quoad proprietatẽ & vsũ.

703 Secundò; quia CHRISTO à primò suæ conceptionis instanti, omnium rerum scientia communicata fuit: ergo & potentia dominii omnium rerum debuit ei communicari. Antecedens certum est juxta Sanctos Patres, saltem de his, quæ novit Deus scientia visionis, ex D. THOMA 3. *par. quæst.* 10. *art.* 2. *ad* 2. Consequentia est clara; quòd simile videtur quantum ad CHRISTVM de scientia & potentia respectu horum inferiorum: si ergo ipsi concedimus indubitanter scientiam omnium ab instanti suæ conceptionis, ei à nobis deneganda non est omnium potentia, & jus, ac dominium erga omnia temporalia.

704 Tertiò; quia ille est verus dominus, cujus dominio plures subduntur, ejusque imperio parent; atqui CHRISTO, in quantum homini, subjiciuntur Angeli, homines, & dæmones, juxta illud D. AVGVSTINI *vbi suprà*: *In carne, quam accepit, factus est Dominus Dominorum, & est Dominus Deus, qui est Dominus Cælestium, Terrestrium, & infernorum.* Indubitabilis igitur fit verus CHRISTI Principatus, ac temporalium rerum dominium.

705 Hûc spectat illud *Apocalip.* 19. *Habet in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium.* Siquidem GLOSSA INTER-

TERLINEALIS, sic citata verba exponit: **In vestimento*, id est, in humanitate. *Et Dominus Dominantium*, id est, illorum, qui dominium exercent in subditos.* Et S. ANTONINVS: **In femore*, vt demonstraret, se de vera progenie Patrum Priorum processisse: *Rex Regum*, id est, Sanctorum, qui se, & alios virtutibus regunt, & *Dominus dominantium*.*

706 Objicies primò: Votum Religiosę Paupertatis dicit Perfectionem; ideò enim illud emiserunt Apostoli, & juxta graviſſimos Authores, tunc sese tali voto adstrinxerunt, cum Petrus in persona omnium loquens CHRISTO dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Et plures ex Sacrarum Religionum Fundatoribus, vt Evangelicam perfectionem meliùs acquerentur, primam earum originem à Paupertatis Voto duxerunt: Cum igitur Paupertatis Votum, istiusque perfectio in omnium rerum temporalium, non modò quoad dominium, sed etiam quoad vsum, abdicatione consistat, neutiquam in CHRISTO cohærere potest temporale omnium rerum dominium cum paupertatis perfectione, quam verbo docuit, & exemplo firmavit.

707 Respondemus primò, negando paritatem; quia quamvis in plerisque mortalium, cura, & dominium in temporalibus sit magno impedimento ad perfectionis apicem attingendum, non tamen in omnibus; multi namque fuerunt Sanctiſſimi Viri, quorum perfectioni temporale dominium non obfuit, aut impedimentum aliquod objecit, vt Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, David, Salomon, aliique Sanctiſſimi Reges, & Principes, qui in Veteri Testamẽto summa perfectione enituerunt. Nec defuerunt in Lege Gratiæ alii præstantiſſimi Principes, qui temporale dominium cum perfectionis apice copularunt, vt S. Ludovicus Galliæ, S. Casimirus Polonię, S. Henricus Angliæ, & S. Ferdinandus Hiſpaniæ Rex, qui omnes eximia sua Sanctitate satis ostendunt, posse temporale dominium cum summa perfectione conjungi.

708 Secundò respõdetur, quòd quãvis in cęteris hominibus perfectio cum temporali dominio conjungi nò posset, indè tamẽ perperã inferretur, non posse in CHRISTO tẽporale dominiũ cũ perfectione vniri, siquidẽ dominii, juris, & aliarũ temporalium rerum abdicatio pertinet ad spiritualis vitę perfectionem, tamquam instrumentum, vt diximus, quo tollũtur perfectionis impedimenta, rerum nempè temporalium cura, quatenus hujusmodi jura & dominia, vt plurimum à Deo retrahunt, & incitant ad peccatum. Hoc, inquam, verum est in natura lapsa, quę potest à bono deficere, & in peccatum ruere, vt sunt communiter viatores; at in natura, quę in peccatum labi non potest, sed à primo suæ conceptionis instanti impeccabilis exstat, vt natura humana à Verbo assumpta, sicut & sunt & erunt omnes Beati, talis juris, & dominii temporalium rerum privatio imperfectionem potius argueret, quàm perfectionem: & si supradicti Sanctiſsimi, & Perfectiſſimi Viri in natura labili, & ad peccandum prona, nullam imperfectionis maculam temporali suo dominio contraxerunt, cur id de CHRISTO in summo perfectionis apice, & impeccabili natura constituto (eum scilicet temporali dominio imperfectionis maculam contraxisse) existimandum?

709 Respondemus tertiò, prædictam instantiam falsum assumere, dum dicit, per Paupertatis, & Religionis Votum omni temporalium dominio, ac juri renuntiari, & hujusmodi votum emittentes, sese tali Jure, Dominioque privare. Hoc, inquam, falsum est, cum Paupertatis Votum nullam inducat privationem, vel abdicationem temporalium, quę ad vitæ sustentationem necessaria sunt, nec juris vtendi eis; hoc enim fatuum esset, nulloque Divino, vel humano jure cavetur. Deindè, quia & si paupertatem vovens, sese proprietatis dominio privet quoad dominium proprium, non tamen quoad communitatis dominium, in quo communicat, tamquam pars communitatis, & tali dominio, ac juri per Paupertatis Votum non renuntiat, sicut nec juri vtendi rebus, vsu consumptibilibus, ad vitæ sustentationem necessariis, cum hoc nullam dicat imperfectionem, imò eam diceret oppositum, vtpotè naturali juri repugnans.

710 Prædictam Doctrinam egregiè confirmat S. ANTONINVS *vbi suprà*, §. 17. dicens, temporalium dominium absolutè, simpliciter, & ex sua natura non dicere imperfectionem; alioquin cum Deus habeat omnium rerum dominium, istud diceret imperfectionem in Deo, quod est absurdum, vt inquit Sanctus, qui sic con-

concludit: *Sciendum igitur, quòd CHRISTVS in mundum veniens, Paupertatem assumpsit, non in benè vivendi subsidium; quia non egebat, cum impeccabilis esset; sed solum in imitationis exemplum propter nos, qui nati sumus inordinatè affici ad temporalia, & sollicitari, & elevari in superbia ex eis. Et quia exemplum magis ostenditur in vsu, quàm in dominio, ideò CHRISTVS, quantùm ad vsum Paupertatem perfectioni convenientissimam ostendit, licet quantum ad dominium esset Dominus omnium.*

711 Objicies secundò: dominium CHRISTI in temporalibus est contra Sacram Scripturam, quæ testatur, CHRISTVM fuisse egenum, & pauperem, multis in locis expressè, & præcipuè 2. *Corinth.* 8. *Propter vos egenus factus est, cum esset dives.* Huic argumento respondemus, non posse esse contra Sacram Scripturam id, quod ipsa tot in locis expressè tradit, quot à nobis pro CHRISTI in temporalibus dominio, illiusque Regio Principatu ex vtroque testamento adducti sunt, qui adeò litterales videntur, vt oppositam intelligentiam penitùs excludant; imò Sanctorum Patrum in prædictos textus expositio, adeò vniversali CHRISTI dominio in temporalibus favere videtur, vt illud indubitabile constituat, vt modò latè probavimus, & copiosiùs ostendimus *in Tractatu de Regno CHRISTI, & Ecclesiæ, in lib. de Summi Pontificis Potestate in Temporalibus.* Idque adeò verum est, vt jure optimo dicere valeamus, negare CHRISTI dominium in Temporalibus, esse contra Sacram Scripturam, mendacesque reddere tot Prophetas, Angelum, & Apostolos, imò, & ipsum Dominum, qui tamen Veritas est, & Vita, id apertissimè testantes.

712 Ad illud verò, quod dicitur, temporale CHRISTI dominium esse contra Sacram Scripturam, cum ista multis in locis eum fuisse egenum, & pauperem asserat. Respondemus: CHRISTVM fuisse Pauperem, & Egenum, non quidem propter dominii, sed potiùs ob perceptionis fructuum carentiam, & obventionis rerum, quarum Dominus erat; nudum enim dominium, ab omni commodi rei perceptione separatum in perpetuum, illud habentem divitem non facit, cum sit inutile reputandum: Vndè, habens tale dominium, potest Egenus, & Pauper meritò existimari. Quod patet ad sensum; si enim aliquis Rex non renuntians Regno, ab illo longè discederet, & post lapsum temporis ad illud incognitus rediret, nec se, vt Regem, gereret, nec aliqua dicti Regni emolumenta perciperet, sed in domo Regia subsidia vitæ necessaria ex gratia, vt quivis alius pauper reciperet, talis, inquam, licet Rex esset, & Dominus, posset nihilominùs mendicus, & pauper meritò reputari.

713 Hinc PAVLVS *ad Galat.* 4. ait: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt á servo, cum sit Dominus omnium.* Cum igitur CHRISTVS *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, quoad fructum Regni, & temporaliũ rerũ perceptionem, non nisi in valdè paucis se sponte vt Regem gesserit: hinc meritò dici potuit Pauper, & Egenus, non quidem propter dominii, seu Regni carentiam, sed quia se sui Regni fructibus, & proventibus, non splendidè, sed valde parcè juvabat.

714 Objicies tertiò: Frustranea est potentia, quæ non reducitur ad actum; atqui temporalium dominium quæritur propter vsum: Cum CHRISTVS ergo temporali dominio vsus non sit, imò, vt egenus, vixerit ex oblatis, vt ex Sacro Textu patet, frustra dicitur, hujusmodi dominium ei fuisse, à Deo collatum, cum Deus, & natura nihil faciant frustrà, vt testatur PHILOSOPHVS *lib. de cælo, & mundo.*

715 Huic argumento respondemus; negantes, frustraneam esse potentiam non reductam ad actum, data occasione, & causa eam ad actum non reducendi. Quod multiplici exemplo confirmari potest: non enim frustranea, & inutilis est potentia generativa, si non reducatur ad actum propter Votum Castitatis, quæ est causa à tota Ecclesia approbata, & canonizata.

716 Quis ambigat, Abraham potuisse filium suum immolare, seseque hujusmodi immolationi accinxisse, & ad ejus executionem properasse? Nihilominùs tamen hujusmodi potentiam non fuit ad actum redacta, eò quod ei præceperit Dominus: *Non extẽdas manũ tuã super puerũ, neq; facias illi quidquam.* Sed non indè immolationis meritũ, ac premiũ amisit, cum ei dixerit Deus: *Quia fecisti rem hanc: faciam te in gentem magnam: Multiplicabo semen tuum sicut stellas Cæli, &c.* Nemo ambigit, Deum, sicut Cælum, &

ter-

terram ex nihilo condidit, posse eodem modo, eademque potentia omnes res creatas recidere, & in pristinum nihilum redigere, novosque cælos, & mundos alios aliis perfectiores creare: Numquid ergo, quia hæc hucusque non præstitit, nec aliam novam terram produxit, nec nova Sacramenta instituit, ideò dicendum erit, frustraneam esse prædictam Dei potentiam, quia eam ad actum non redegit? Absit tantus error.

717 Quia ergo CHRISTVS in hunc mundum venit, vt nobis perfectionis exemplum præberet, cum istud maximè ex vsu ostendatur, noluit, tali infuso dominio vti: quin indè inferri valeat, frustraneum fuisse tale dominium, vt ex dictis innotescit; præcipuè cum CHRISTVS jam hujusmodi dominium exercuerit, dominativamque potentiam ad actum reduxerit, cum ei visum fuit oportunum, vt ex variis Scripturę locis suprà probavimus, præsertim *ex Matth.* 21. cum dixit: *Ite in Castellum :: solvite asinum :: & dicite :: Dominus his opus habet.*

718 Objicies quartò: CHRISTUS considerari potest, vel vt Ecclesiæ Caput, vel vt persona singularis; si secundum, vt hîc loquimur, vt persona singularis, non habuit dominium: ergo nullatenùs concedendum. Huic Argumento respondemus ex ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina *3. par. quæst.* 8. *art.* 5. eamdem esse CHRISTI gratiam, in quantum Ecclesiæ Caput, & in quantum persona singularis est, sicque Argumenti distinctionem non subsistere: vndè asserimus, CHRISTVM, non modò vt Ecclesiæ Caput, sed vt personam singularem, habuisse omnium rationalium, & irrationalium dominium.

719 Hinc fit juxta S. ANTONINI Doctrinam, *vbi suprà*, falsissimum esse, quod dicunt Fratricelli, in quodam suo libello, qui incipit: *Vniversis, cap.* 2. CHRISTVM, nempè vt hominem, non habuisse temporalium omnium dominium, nec verum fuisse Regem; sed in quantum Deum, & in quantum hominem habuisse spirituale Ecclesię dominium, non verò temporale; & quia Pontifex Ioannes oppositum definivit, eum, scilicet, etiam vt hominem omnium rerum dominium habuisse, verumque fuisse Regem, quæ verà esse, suprà probavimus, præfato Pontifici hæreseos notam affingunt; quia definivit contra veritatem Scripturæ, dicentis *Ioann.* 19. *Regnum meum non est de hoc mundo*, & Sanctorum Patrum Sententiam, præcipuè Augustini, qui *Serm. de Epiphania*, asserit, CHRISTVM non venisse, vt temporale Regnum perciperet, sed vt Cæleste donaret.

720 Huic enim instantiæ S. ANTONINVS eruditè respondet, CHRISTVM, vt suprà diximus, quamquam dominium habuerit, eo tamen vsum non fuisse; quia non vixit vt Rex, sed vt pauper, vt nobis exemplum præberet, nosque ad vitandos honores, & hujusmodi temporalia, non modo verbis, sed etiam, & præcipuè suis operibus induceret, & sic Regnum suum non fuisse de hoc mundo; quia eo mundano modo vsus non est. At quod re vera fuerit Rex, ipse Pilato ostendit, dum ait: *Tu dicis, quia Rex sum ego.* Et testatur Sacra Scriptura *Zachariæ* 9. *Ecce Rex tuus venit tibi*; & *Psal.* 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* *Ipsi ergo (concludit Sanctus) sunt hæretici, qui pertinaciter impugnant hanc veritatem *in* 2. *cap.* illius pestiferi libelli, & dicûnt, quòd nõ habuit dominium omnium, in quantum homo. Sed ostensum est hoc etiam falsum, quia vtique habuit, & si non sit vsus, quia non vt Dominus, sed vt pauper vixit.*

721 Quæ hucusque diximus, clarè ostendunt, CHRISTVM à primo suæ conceptionis instanti habuisse, ratione suæ naturæ humanæ, plenum omnium creatarum rerum dominium, non solum quoad proprietatem, sed etiam quoad jus omnibus illis vtendi, prout suo libuisset arbitrio; restat tamen sequens dubium examinandum.

§. X.

Quæritur: An CHRISTVS, præter istud dominium, aliud speciale habuerit, & quo titulo istud ad eum pertinuerit?

722 SIt prima CONCLVSIO: CHRISTVS, vt homo, præter omnium creaturarum dominium, sibi in primo suę conceptionis instanti infusum, habuit ratione suę individualis naturæ verum jus, & dominium acquisitum.

723 Pro clariori hujus Conclusionis probatione, præmonendum est, dominum redimentem aliquem de manu hostis acquirere sibi dominium in illo, sicut in servo, & in bonis ejus, sicut in bonis servi. Patet *ex cap. 1. & vltim. de Iudiciis, Can. Ex Antiquis, & Can. Frequens*, 54. *distin. & cap. Cum Redemptor*, 12. *quæst.* 2.

724 Hoc ergo supposito, probatur primò, CHRISTVM habuisse jus acquisitũ ratione redemptionis. Quia non majus jus in aliquẽ, ejusq; bona acquirit, qui eũ à corporis morte redimit, quàm ille, qui eũ à corporis simul, & animæ morte vindicat; atqui CHRISTVM sua passione genus humanum, à corporis, & animæ morte liberasse, perspicuum est *ex* 1. *ad Corinth. 6. Empti enim estis pretio magno, &c.* & *Apocalip.* 5. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo*, pluribusque aliis Scripturę Sacrę locis: ergo CHRISTVS proprio suo facto, titulo Redemptionis acquisivit sibi speciale in totum genus humanum dominium, tamquam in servum, & in temporalia istius bona, tanquam in bona servorum.

725 Probatur secundò, CHRISTVM habuisse speciale in omnes homines dominium ratione, & titulo judiciariæ suæ potestatis. Pro hujus Conclusionis elucidatione duo pręmittẽda sũt. Primò acquirentẽ de cõdigno jus aliquos judicãdi, acquirere dominiũ aliquod super eos; judicandi enim potestas est potestas juris dominii, cũ nulli cõpetat judicare jure proprio, nisi soli domino, juxta *illud* 1. *ad Corin.* 4. *Qui autem judicat me, Dominus est.* Et *ad Rom.* 14. *Tu quis es, qui judicas servum alienum? Suo enim domino stat, aut cadit.* Secundò præmittendum est, meritum de condigno inniti juri, & Iustitię, & non solum liberalitati & gratię donantis, adeò vt quicumque meretur de condigno, merendo acquirat novum jus in pręmio, quod meretur. Ex quibus sic arguitur. Qui acquirit de condigno jus aliquos judicandi, acquirit dominium aliquod super eos; atqui CHRISTVS acquisivit sibi jus judicandi vivos, & mortuos, vt patet ex pluribus Scripturæ locis, & pręcipuè *Actor.* 10. vbi de CHRISTO dicitur: *Hic est, qui constitutus est á Deo Iudex vivorum, & mortuorum*, idemque plura alia Sacræ Scripturę testimonia clamant, vt infrà videbimus: competit igitur CHRISTO vniversale in omnes homines dominium ratione suę judiciarię potestatis.

726 Major est certa, vt nũc probavimus. Minor, quamvis etiam & si certissima, alicui tamen subjicitur difficultati, an nempè CHRISTVS habeat judiciariam potestatem, in quantum Deus, vel in quantum homo, & ratione suæ humanę naturæ? Oritur autem dubitandi ratio ex S. JOANNIS CHRYSOSTOMI Sententia, qui *super Ioannem*, vt refert D. THOMAS 3. *part. quæst.* 59. sentire videtur, judiciariam potestatem non convenire CHRISTO, secundùm quòd est homo, sed solum secundùm quòd est Deus.

727 Nihilominùs tamen tanti Doctoris Authoritatem, vti par est, venerantes, ANGELICI PRÆCEPTORIS Sententiam sequuti, pro secunda CONCLUSIONE statuimus: CHRISTO qua homini, & ratione humunæ naturæ assumptæ, judiciariam competere potestatem. Probatur primò; quia vt docet D. THOMAS, *loco citato, art.* 1. *Ad judicium faciendum tria requiruntur; primò, Potestas subditos coercendi: Undê dicitur *Ecclesiastes* 7. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Secundò Rectitudinis Zelus, vt scilicet aliquis non ex odio, vel livore, sed ex amore Justitiæ judicium proferat, juxta illud *Proverb.* 3. *Quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.* Tertiò, requiritur Sapientia, secundùm quam formatur judicium: Undè dicitur *Eccles.* 10. *Iudex sapiens judicabit Populum suum.* Prima autem duo præexiguntur ad judicium, sed propriè tertium est, secundùm quod accipitur forma judicii, quia ipsa ratio judicii est Lex Sapientiæ, vel Veritas, secundùm quam judicatur.**

728 Ex hac Doctrina infert Sanctus, Dei Filio competere judiciariam in omnes vivos, & mortuos potestatem; quia est Sapientia Patris ab illo procedens; sic enim concludit: *Quia Filius est Sapientia genita, & veritas à Patre procedens, & ipsum perfectê repręsentans, ideò propriè Judiciaria Potęstas attribuitur Filio Dei.**

729 Probatur secundò: quia prædictæ nostræ Assertioni, & ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrinæ mirificè patrocinatur D. AVGVSTINVS *lib. De ve-*

*ra Religione, cap.*31. his verbis: *Hæc est incommutabilis illa veritas, quæ *lex omnium artium* rectè dicitur, & *ars omnipotentis Artificis*; vt autem nos, & omnes animæ rationales, secundùm veritatem de inferioribus rectè judicamus, sic de nobis, quando eidem coheremus sola ipsa Veritas judicat; de ipsa verò, nec Pater, non enim minus est quàm ipse, & ideò, quæ Pater judicat, per ipsum judicat. (Et postea concludit:) *Pater ergo non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.**

730 Tertiò eamdem veritatem præclarè confirmat idem S. AVGVSTINVS *lib. 6. de Trinit. tom.* 3. dicens: *Patri attribuitur æternitas, propter commendationem principii, quod importatur in ratione æternitatis. (Ibidem etiam tradit Augustinus) Filium esse artem Patris.* Ex quibus Doctrinis hæc infert D. THOMAS *art.*1.*ad* 2. *Sic igitur authoritas judicandi attribuitur Patri, in quantum est principium Filii; sed ipsa ratio judicii attribuitur Filio, qui est Ars, & Sapientia Patris, vt scilicet, sicut Pater facit omnia per filium, in quantum est ars ejus, ita etiam judicet omnia per Filium in quantum est sapientia, & veritas ejus.*

731 Et vt innotescat Filium, Sapientiam Patris, prædicta Judiciaria Potestate pollere, non solum ratione Deitatis, sed etiam humanæ naturæ assumptæ, audiamus D. THOMAM *loco suprà laudato*, vbi cum sibi objecisset illud *Danielis* 7. **Antiquus dierum sedit.* Et postea subditur: *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Sed *Antiquus dierum* intelligitur Pater; quia, vt Hilarius dicit, in Patre est æternitas: Ergo Judiciaria Potestas magis est attribuenda Patri, quàm CHRISTO.* Huic objectioni luculentissimè satisfacit Sanctus, vtrique Judiciariam attribuens Potestatem, Patri videlicet, & Filio, sub diversa tamen ratione, vt diximus. Ad textum verò Danielis dicit: *Hoc significatur in Daniele, vbi primò dicitur, quòd *antiquus dierum sedit*, & postea subditur: Quòd *Filius hominis pervenit vsque ad antiquum dierum, & dedit ei Potestatem, & honorem, & Regnum*: Per quod datur intelligi, quòd authoritas judicandi est apud Patrem, à quo Filius accepit Potestatem judicandi.*

732 Quartò: quia *Ioannis* 5. dicitur: *Potestatem dedit ei judicium facere: quia filius hominis est*, in quorum verborum expositione D. THOMAS adducit D. AVGUSTINI Authoritatem, nobis mirificè suffragantem. Angelici Præceptoris verba hæc sunt: *Propter quod Augustinus (*tract. 19. tom. 9.*) Authoritatem prædictam Evangelii, sic dicit esse intelligendam: *Potestatem dedit ei judicium facere: quia filius hominis est*; non quidem propter conditionem naturæ; quia omnes homines hujusmodi potestatem haberent, vt Chrysostomus objicit, sed hoc pertinet ad gloriam Capitis, quam CHRISTUS in humana natura accepit.*

733 Quintò: quia D. THOMAS, *loco suprà adducto, art.*2. *in corpor.* solita dignitate Magistri, sic scribit: *Sciendum tamen, quòd quamvis apud Deum remaneat prima authoritas judicandi, hominibus, tamen committitur à Deo judiciaria potestas respectu eorum, qui eorum jurisdictioni subjiciuntur: Undè dicitur *Deuter.*1. *Quod justum est judicate*; & postea subdit: *Quia Dei judicium est*, cujus, scilicet, authoritate vos judicatis. Dictum est autem suprà, quòd CHRISTUS etiam in natura humana, est Caput totius Ecclesiæ, & quòd sub pedibus ejus Deus omnia subjecit: Undè ad eum pertinet, etiam secundùm naturam humanam, habere judiciariam Potestatem.*

734 Sextò: quia ANGELICVS DOCTOR non solum asserit, CHRISTUM secundùm humanam naturam habuisse Judiciariam Potestatem, sed & id luculentissimis rationibus probat, dicens: *Competit autem CHRISTO hoc modo, secundùm humanam naturam, Judiciaria Potestas, propter tria; Primò quidem propter convenientiam, & affinitatem ipsius ad homines; sicut enim Deus per causas medias, tamquam propinquiores effectibus, operatur, ita judicat per hominem CHRISTVM homines, vt sit suavius Judicium hominibus: Undè Apostolus dicit *ad Hebræos* 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, per similitudinem, absque peccato: Adeamus ergo cum fiducia, ad Thronum gratiæ ejus.*

735 Secundò; quia in finali judicio, vt Augustinus dicit super Joannem, erit re-

surrectio corporum mortuorum, quæ suscitat Deus per filium hominis, sicut per eumdem CHRISTUM suscitat animas, in quantum est Filius Dei. Tertiò; quia vt Augustinus dicit *in lib. de Verbis Domini*, rectum erat, vt judicandi viderent Judicem; judicandi autem erant boni, & mali, restabat, vt in Judicio forma servi & bonis, & malis ostenderetur, & forma Dei solis bonis servaretur.*

736 Ex quibus manifestè liquet, CHRISTO, non solum vt Deo, & ratione divinæ naturæ, sed humanæ etiam, & vt homini, judiciariam congruere Potestatem, prout eleganter confirmat D. AVGUSTINVS *Serm. vlt. tom.* 10. vbi de CHRISTO loquens: *Sedebit, inquit, Judex, qui stetit sub judice; damnabit verò reos, qui falsò factus est reus:* atqui CHRISTVS, vt homo, stetit sub judice, & factus est reus: ergo & vt homo judiciariam habuit Potestatem.

737 Hinc aliud suboritur dubium: An nempè CHRISTVS, ob ipsius merita, an ex sola gratia, habuerit hanc judiciariam Potestatem, sibi à Patre communicatam? Ratio dubitandi est; quia suprema judiciaria Potestas Regiam Dignitatem consequitur, juxta illud *Proverb.* 20. *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo*; atqui CHRISTUS absque vllis meritis Regiam Authoritatem obtinuit; hæc enim ei competit ex hoc, quòd sit Vnigenitus Dei, juxta illud *Lucæ* 1. *Dabit ei Dominus Deus Sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum*: Ergo CHRISTVS, non ex meritis, sed ex gratuito dono, Judiciariam Potestatem obtinuit.

739 Nihilominùs pro tertia CONCLVSIONE statuimus, CHRISTVM ob sua merita de condigno, titulo Justitiæ, Judiciariam Potestatem obtinuisse. Innititur hæc Conclusio ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrinæ, qui *vbi suprà, art.* 3. hæc habet: *Nihil prohibet vnum, & idem deberi alicui ex causis diversis, sicut gloria corporis resurgentis debita fuit, non solum propter congruentiam divinitatis, & propter gloriam animæ, sed etiam ex merito humilitatis Passionis: & similiter dicendum est, quòd Judiciaria Potestas homini CHRISTO competit, & propter Divinam Personam, & propter Capitis Dignitatẽ, & propter plenitudinem gratiæ habitualis: & tamen etiam ex merito eam obtinuit, vt, scilicet, secundùm Dei Justitiam Judex esset, qui pro Dei Justitia pugnavit, & vicit, & injustè judicatus est; vndè dicit *Apocalip.* 3. *Ego vici, & sedi in Throno Patris mei.* In *Throno* autem, intelligitur Judiciaria Potestas, secundùm illud: *Psal.* 9. *Sedes super Thronum qui judicas Iustitiam.**

740 Rationi dubitandi, suprà propositæ, cum eodem D. THOMA respondemus, eâdem rationem procedere de Judiciaria Potestate, secundùm quod CHRISTO debetur ex ipsa vnione ad Verbum; per hoc tamen non excluditur, quin debeatur ei ex merito humilitatis, & passionis, vt docet idem Sanctus ibi *art.* 3. *in corp.* & *ad* 1. & *ad* 3. Quæ hactenus diximus satis apertè convincunt, CHRISTO ob suæ Passionis, & Mortis merita, de rigore Justitiæ Judiciariã competere Potestatem.

741 Quæritur tamen nunc, ad quænam hæc Judiciaria Potestas extendatur? Cui dubitationi hac quarta CONCLUSIONE respondemus: Judiciaria CHRISTI Potestas vniversalis est, omnesque mortales comprehendit, id enim innuere videtur illud *Ioann.* 5. *Pater omne judicium dedit Filio.* Et vt innotescat, CHRISTVM non solum vt Deum, sed etiam vt hominem, & ratione humanæ suæ naturæ, hujusmodi vniversalem potestatem habere, eamque ei de rigore Justitiæ deberi, audi D. THOMAM *ibi art.* 4. asserentem: *Dicendum, quòd, si de CHRISTO loquamur secundùm divinam naturam, manifestum est, quod omne judicium Patris pertinet ad Filium; sicut enim Pater facit omnia verbo suo, ita, & omnia judicat verbo suo. Si verò loquamur de CHRISTO secundùm naturam humanam, sic etiam manifestum est, quod omnes res humanę subduntur ejus judicio.*

742 Et hoc patet, primò quidem, si consideremus habitudinem animæ CHRISTI ad verbum Dei, si enim *Spiritualis judicat omnia*, vt dicitur 1. *ad Corinth.* 2. in quantum mens ejus Verbo Dei inhæret: multo magis Anima CHRISTI, quæ est plena veritate Verbi Dei, super omnia judicium habet. Secundò apparet idem ex merito mortis ejus; quia vt dicitur *ad Rom.* 14. *In hoc CHRISTVS mortuus est, vt vivorum, & mortuorum dominetur.* Et ideò super omnes habet judicium: propter quod & Apostolus ibi subdit, quòd *omnes*

stabimus ante Tribunal CHRISTI; & *Daniel* 7. dicitur, quòd *dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum, & omnes Populi, tribus, & linguæ servient ei.* Tertiò apparet idem ex comparatione rerum humanarum ad finem humanæ salutis; cuicumque enim cõmittitur principale, committitur accessorium: omnes autem res humanæ ordinantur in finem Beatitudinis, quæ est salus æterna, ad quam homines admittuntur, vel etiam repelluntur judicio CHRISTI, vt patet *Matth.* 25. & ideò manifestum est, quòd ad Judiciariam Potestatem CHRISTI pertinent omnes res humanæ.*

742 Cum ex his, quæ tot luculentissimis Sanctorum testimoniis, & rationibus illustravimus, satis appareat, CHRISTO, non solùm vt Deo, sed etiam vt homini, & non modò ex gratia vnionis, sed & passionis suæ merito, de Justitiæ rigore judicandi omnes Potestatem competere: cumque etiam, vt suprà probavimus, certissimum sit, Potestatem Judicandi, esse Potestatem Jure Dominii; cum nulli, nisi soli domino, competat jure proprio judicare, juxta illud *Pauli Roman.* 4. *Tu quis es, qui judicas servum alienum?* Et 1. *ad Corinth.* 14. *Qui autem judicat me, Dominus est*: hinc manifestè infertur, CHRISTO, præter dominium à primo suæ conceptionis instanti infusum, specialiter competere dominium jure, & merito de condigno acquisitum in omnes homines, tàm vivos, quàm mortuos, juxta illud *Actor.* 10. *Hic est, qui constitutus est á Deo Judex vivorum, & mortuorum.*

743 Nec his obstat argumentum illud, quod ab aliquibus efformatur. Nemo id, quod suum est, potest acquirere sibi; siquidem, quod acquisitum est, non restat vlteriùs acquirendum; atqui CHRISTVS, à primo suę conceptionis instanti, habuit jam creaturarum omnium dominium: ergo illud ex proprio facto non potuit acquirere. Non, inquam, obstat; huic enim argumento respondemus, admissis, & concessis præmissis, consequentiã negantes, cujus rationẽ reddimus ex Doctrina D. ANTONINI, 4. *part. tit.* 12. *cap.* 4. §. 18. asserentis: Habere aliquam rem jure dominii, multis modis contingere posse; potest enim quis habere in aliqua re dominium directum, vel vtile: sicut etiam potest habere jus in aliqua re, vel ratione successionis, vel ratione donationis, vel emptionis, vel hujusmodi: Vndè non repugnat in eadem re habere diversa jura, secundùm modos alterius, & alterius rationis. Modo dominium infusum, & dominium acquisitum, non sunt ejusdem rationis, sed alterius, & alterius: & ideò non repugnat, quòd CHRISTVS respectu ejusdem rei habuerit dominium infusum, & dominium acquisitum, & hoc satis patet in simili de scientia infusa, & acquisita in CHRISTO, de quo infrà. Ad illud vero, quod dicitur in argumento, quòd habitum jam non possit acquiri, verum est, non posse de novo acquiri eo modo, quo habitum est, non verò si vno modo sit habitum, & alio titulo acquisitum; benè enim potest quis habere vtile dominium, & acquirere postea directum, & jure donationis habere hæreditatem, & postea jure successionis, & hæreditario eam acquirere, & sic de aliis similibus.*

744 Probato ergo jam, CHRISTVM præter dominium infusum habuisse aliud speciale acquisitum Redemptionis, & judiciariæ potestatis jure.

§. XI.

Quæritur: An CHRISTVS alio titulo habuerit speciale Ius acquisitum?

745 SIt CONCLVSIO: CHRISTVS titulo donationis habuit acquisitum aliquarum rerum dominium. Probatur primò: quia ille, cui datum est aliquid ab intendente in illum transferre illius rei dominium, nihilque sibi de illius rei dominio retinere, si dominii capax sit, statim illius rei dominium acquirit; atqui constat, aliqua fuisse data CHRISTO à legitimis dominis, habentibus legitimam potestatem illa donandi, & intendentibus illarum rerum dominium in illum transferre: Ergo CHRISTVS titulo donationis habuit speciale aliquarum rerum acquisitum dominium.

746 Consequentia legitima est. Major, & si certa, probatur primò: quia dominium, in eo casu, non est dantis, cum ea in re iste nihil sibi retineat, sed eam transferat in illum, cui data supponitur: nec est alicujus alterius, quàm illius, cui datur, cum dans non intendat, eam in alium, quàm in eum, cui dat, transferre; nec talis

res

res vagatur incertà : quia tunc occupanti conceditur : ergo res quoad dominium , illius est , cui est data. Secundò , quia vt res in alterius dominium transferatur nihil aliud videtur requiri, quàm translatio , cum intentione ex parte dantis , & capacitas ex parte recipientis; vbi enim hæc duo concurrunt, dominium transfertur in recipientem; At constat, aliqua fuisse CHRISTO donata à legitimis dominis, habentibus potestatem legitimè illa donandi , vt patet *Matth.2.* vbi dicitur, quòd : *Magi ab Oriente venerũt::obtulerũt ei(CHRISTO) munera, aurum,thus,& myrrham* : nec vlli est dubium , eos illarum rerum dominium in CHRISTVM intendisse transferre ; sic enim loquitur textus. *Providentes adoraverunt eum , & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera , &c.* Intenderunt ergo, transferre in CHRISTVM talium munerum dominium.

747 Quòd autem sit hujusmodi dominii capax , multipliciter probatur. Primò ; quia si CHRISTVS , vt homo , non esset capax recipiendi novum rerum donatarum jus, & dominium ; esset , vel ratione divinę naturę , cui vniebatur Humanitas; vel ratione pleni dominii omnium , jam à primo suæ conceptionis instanti sibi infusi, cum quo forsan stare non posset novum particulare dominium ; vel tandem ratione alicujus paupertatis, & abdicationis dominii. Non propter primum ; quia humana natura Deitati vnita retinuit, juxta S.DAMASCENVM,omnes proprietates, & conditiones humanas , præter defectus innaturales, defectibilesque passiones.

748 Non propter secundum; quia licet vnus , & idem non possit in eadem re plura ejusdem rationis dominia habere, potest tamen plura diversarum rationum dominia,distinctaque jura acquirere , eaque simul retinere , sicut dominium altum, & dominium basum , directum , & vtile; dominium autem CHRISTI humanitati in primo suæ conceptionis instanti infusum, & dominium postea in tempore in rebus collatis acquisitum non est ejusdem rationis, & modi ; sicque CHRISTVS capax est vtriusque. Denique non propter tertium, vt ex dictis planè constat , & ex infrà dicendis clariùs innotescet.

749 Probatur secundò Conclusio, simulque præcedens ratio confirmatur; sicut CHRISTVS , vt Deus , est verus omnium creaturarum dominus , jure tamen, & dominio increato, sic CHRISTVS, vt homo , est verus creaturarum Dominus, jure tamen, & dominio infuso , & creato, vt suprà probavimus , & omnes fatentur; atqui , non obstante increato omnium rerum dominio, res Deo dicatæ , & oblatę, sunt specialiter Dei , eique subjectæ speciali dedicationis, & oblationis jure, juxta *cap. Extra ingredientes Monasteria se, & sua Deo dedicant* : Ergo similiter res CHRISTO homini , & vt tali collatæ, & oblatę , erant CHRISTI duplici jure, nempè jure generalis dominii creati, & à primo suę conceptionis instanti infusi, & jure specialis dominii,sibi collationis , & receptionis tempore acquisiti.

750 Probatur tertio; quia S. ANTONINVS , *loco suprà citato* , §. 19. tres prędictas exceptiones comprehendit, aliasque solvit , vt probet , CHRISTVM in rebus sibi oblatis fuisse dominii capacem, sic scribens: *Si enim CHRISTVS non esset capax talis dominii , aut hoc esset ratione voti emissi : sed hoc dici non potest ; quia adhuc votum non fecerat ; aut ratione Divinitatis vnitæ Humanitati : sed hoc non ; quia humanę naturæ non repugnat , ratione vnionis ad Divinitatem, dominium habere rerum,imò magis convenit; aut quia ante illam oblationem habebat in illis rebus dominium infusum: nec hoc dici potest; quia ostensum est in precedenti Conclusione , posse habere diversa dominia alterius , & alterius rationis ; aut ratione ętatis infantilis : nec hoc dici potest; quia parvulus benè est capax dominii, imò verè est Dominus, licet vsque ad tempus statutum à jure sit sub Tutoribus, & Curatoribus, vt dicit Apostolus ad Galatas 4.* Capax ergo erat illius dominii , & sic patet, quòd habuit in illis rebus dominium acquisitum , ex dono alterius. Et si dicatur, quòd Joseph erat Pater adoptivus CHRISTI , & peculium non Castrense, sed adventitium acquisitum Filio , acquiritur Patri adoptivo , & sic videtur , quòd non CHRISTVS , sed Joseph habuerit dominium earum rerum donatarum : respondeo, quòd Joseph non fuit Pater adoptivus eo modo , quo loquuntur jura de Patre adoptante, & Filio adoptivo.* Hæc ille.

751 Probatur quartò ; quia animæ CHRI-

CHRISTI, â suę creationis initio, fuit à Deo infusa omnium naturalium, & supernaturalium scientia, quo tamen non obstante, CHRISTUS lumine intellectus agentis experimentalem naturalium rerum scientiam acquisivit, vt docet D. THOMAS 3. *part. quæst.* 12. *art.* 2. ex illo *Lucæ* 2. *IESVS proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Ubi D. AMBROSIUS dicit, quòd proficiebat secundùm sapientiam humanam: humana autem sapientia est, quę humano modo acquiritur per lumen intellectus agentis: ergo CHRISTVS, secundùm hanc scientiã profecit, vt ait D. THOMAS: pari ergo ratione cum omnium creaturarum dominio, CHRISTO, ab instanti cõceptionis infuso, potuit, & debuit, stare dominium in rebus, à devotis, & Fidelibus ei collatis, denuò sibi naturali modo, & communi processu temporis acquisitum.

752 Probatur quintò; quia cuicumque acquiritur novum aliquod jus in vsu rei, quæ ipso vsu totaliter consumitur, eidem competit jus, & dominium in proprietate; atqui CHRISTUS, vt homo, in rebus, sibi â Fidelibus collatis, vt in cibo, & potu, sibi à Martha, Zachæo, & cæteris oblatis, acquisivit verum jus consummendi, novumque modum dominii, vtendo illo cibo, aliàs non magis ei licuisset datum, quàm non datum cibum comedere: novum ergo jus, novumque modum dominii in tali proprietate acquisivit.

754 Probatur sextò, incompatibile non esse duplex istud jus, & dominium; nam pacificus, & sapientissimus Salomon Israeliticum Regnum duplici jure obtinuit; alio ex promissione, electioneque divina *Psal.* 88. alio verò ex Patris sui Davidis collatione, & successione 3. *Reg.* 1. Similiter Israelitæ in exitu de Ægypto duplex in Ægyptiorum spoliis jus habuere, saltim quamdiu in Ægypto fuerunt; aliud ex Ægyptiorum accommodatione; aliud ex divina collatione, ratione cujus, qui ea exportarunt, à furti labe redduntur immunes, *Exodi* 12. Pariter ergo incompatibile non est, CHRISTUM in rebus, sibi à devotis collatis; duplex habuisse jus, & dominium; diversæ tamen rationis, aliud sibi à Deo in conceptione infusum, aliud verò postea fidelium collatione, suaque acceptione acquisitum.

754 Ex hucusque dictis infertur, CHRISTVM in rebus, sibi à Fidelibus exhibitis, triplici jure verum habuisse dominium; siquidem fuit verus earum, sicut & omnium creaturarum, Dominus, primò Jure Divino increato, secundò Jure Humano, & creato, sibi in conceptione infuso, tertiò speciali Jure creato devotorum collatione, suaque acceptatione acquisito. Hęc de CHRISTI dominio, nunc de Apostolici Collegii jure, id est non tantùm de jure CHRISTI seorsum, quantùm de illius jure simul cum Apostolis pauca dicamus.

735 Sit secunda CONCLVSIO: CHRISTVS, & Apostoli aliqua habuerunt in speciali quoad proprietatem, & dominium saltim in communi. Probatur primò; quia omnia, quę pauperibus pro animarum salute offeruntur, Jure Divino Deo dicantur, & consecrantur, vt habetur *Levit. vltim.* eaque sunt res Dei, ejusque Mystici Corporis, scilicet Ecclesiæ, vt patet *ex Can. Qui CHRISTI, Can. Nulli liceat, Can. Prædicta,* & *Can. Qui abstulerit,* 12. *quæst.* 2. & planè notatur ab INNOCENTIO, & HOSTIENSI *extr. de causa possessionis, & proprietatis, Cap. Cum super, de elect.* Atqui juxta Apostolum *ad Ephesios* 1. CHRISTVS est Caput Ecclesię, cujus quidem Ecclesię de Jure Divino sunt omnia, vt dicitur *Can.* 1. 12. *quæst.* 7. & 1. *ad Corinth.* 3. *Omnia nostra sunt*; ipsique Apostoli sunt pręcipua Ecclesiæ membra, vtpotê ejus post CHRISTVM fundamenta: ergo omnia, quę CHRISTO, ejusque Discipulis à Fidelibus offerebantur, in ipsius CHRISTI, suique Collegii dominium transierunt.

756 Secundò; quia si Fratribus Minoribus oblata in Papę jus, & dominium transeunt, nè eorum dominium vagum sit, & incertum, vt patet ex NICOLAI IV. Constitutione: *Exiit qui seminat*, sibi, Apostolicęque Sedi earum rerum dominium, & proprietatem reservantis, solo vsu relicto Fratribus, vt oppositi Authores acriter tuentur, potiori jure CHRISTO à Fidelibus oblata debuerunt in CHRISTI, suique Apostolici Collegii dominium transire.

757 Tertiò; quia Apostoli, aliqua vendebant, & emebant, vt multa Sacri Eloquii testimonia expresè affirmant, siquidem *Ioann.* 4. perrexerunt Discipuli in

Civitatem, vt cibos emerent, quos cum adduxissent obtulerunt CHRISTO, dicentes: *Rabbi, manduca.* *Ioannis* etiam 6. CHRISTVS Philippum sic alloquutus est: *Vndè ememus panes, vt manducent hi*, insuper *Ioann.* 13. narratur, quosdam putavisse, quòd dixisset: *Eme quæ sunt nobis necessaria ad diem festum.* Tandem *Actor.* 20. id testatur Paulus illis verbis: *Ea quæ mihi opus erant ministraverunt manus istæ.* Ad litteram enim vendebat ea, quæ manibus operabatur, indêque vivebat.

758 Ex his ergo, quę ex Sacra Scriptura tàm manifestè liquent, hoc eruitur pro nostra Assertione argumentum. Juxta Juris principia; qui habet jus licitè, & nomine proprio, & pro se alienandi totaliter à se aliquam rem, non modò habet vsum illius rei, sed etiam jus in re, vt ex iis, quæ suprà diximus, apertè constat. Insuper nullus potest nomine proprio, & pro se alienare totaliter aliquam rem, nisi habeat jus in illa re quoad proprietatem, & non solùm quoad vsum, vt Jura clamant; atqui per venditionem res in ementem totaliter transfertur, & ab ipso vendente penitùs alienatur: ergo cum Apostoli pro se, & nomine proprio aliqua vendiderint, & aliqua emerint, vt suprà adducti textus clarè testantur, hînc liquidò constat, eos in illis rebus non simplicem vsum, sed jus etiam, & dominium habuisse; atqui hujusmodi jus non habuerunt in proprio, ob paupertatis, & expropriationis votum, ab eis emissum, teste AVGVSTINO, dicente: eos paupertatem vovisse, cum Petrus in omnium persona dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, ita vt postea nihil in proprio retinuerint: ergo inipsis rebus, quas possederunt, perneccssè sequitur, jus, & dominium in communi habuisse.

759 Quartò; quia Apostoli, cum aliquid vendebant, vel rei venditę jus, & dominium in emptorem transferebant, vel non? Si non: ergo emptores nullum in re vendita jus, & dominium acquirebant, sicque decipiebantur, cum crederent, se in illa re empta jus, & dominium habere, quod tamen non habebant: Vndè fieret, Apostolos fuisse deceptores, quod est absurdum nullatenus concedendum. Si autem jus, & dominium in emptorem transferebant, vel illud transferebant Apostoli, dum vendebant, vel aliquis alius eorum nomine, vel Deus? Si Apostoli, habemus intentum, cum enim nemo possit in alium jus, quod non habet, transferre: Si Apostoli jus, & dominium rei venditæ in alium transferebant, illud vtique habebant; atqui non in proprio: ergo in communi.

760 Si autem rei ab Apostolis venditæ jus, & dominium per alium eorum nomine in emptorem transferebatur, rem etiam cõvicimus. Cum enim nemo possit alterius nomine rei alicujus dominium tranferre, nisi ille, cujus nomine fit illa translatio, illius rei jus habeat, & dominium, si aliquis Apostolorum nomine jus, & dominium in emptorem transferebat, sequitur, quòd Apostoli in re illa translata Jus, & dominium habebant.

761 Tandem dici non potest, Deum earum rerum dominium in emptorem transtulisse. Si enim hoc ita esset, tunc Deus in Apostolorum emptionibus, & venditionibus, aliquid speciale fecisset, quod nec experientia demonstrat, nec ratio convincit, nec confirmat authoritas. Nec valet dici, eum, qui eas res Apostolis dedit, cum isti eas vendebant, dominium in emptorem transferre; tûm, quia Apostoli aliqua vendebant, quæ eis data non erant, vt illa, quæ suis manibus operabantur, & fortè illos pisces, quos cęperant *Lucæ* 5. & *Ioan. vltim.* tûm, quia ille, qui Apostolis dabat, dando eas res, intendebat, se omni dominio, quod in eis habebat, penitùs spoliare, illudque in Apostolos totaliter transferre; tandem, quia ille, qui aliquid Apostolis dederat, poterat jam obiisse, cum illud Apostoli vendebant, ac per consequens nihil tunc transferre volebat: Constat ergo, Apostolos in rebus, quas vendebant, nonmodò vsum, sed jus etiam, & dominium obtinuisse. Hac ratione pro nostra Conclusione vtitur S. ANTONINVS *vbi suprà*, §. 21.

762 Quintò: Decimæ, acceptę non pro decima parte determinata, sed pro necessaria, & decenti Ministrorum Ecclesiæ sustentatione, divino, naturalique jure, solis Ecclesiæ Ministris debentur, vt tenet concors Theologorum, & vtriusque Juris Doctorum consensus, & patet *Extra de Decimis* in multis capitulis, in quibus habetur, eas Divino Jure deberi; atqui veri Ministri Primitivæ Ecclesiæ, per CHRISTVM fundatæ, fuerunt CHRISTVS, & Apostoli, ac etiam Discipuli; CHRI-

STVS

STVS quidem vt Summus Pontifex, Apoſtoli vt Epiſcopi, Diſcipuli verò tamquam veri Curati, nulluſque alius fuit verus Eccleſiæ Miniſter, maximè ex quo legalia ceſſarunt, & mortifera fuerunt: ergo eis, tanquam veris, & ſolis Eccleſiæ Miniſtris, divino, naturalique jure debebantur Fidelium Decimæ, & eorum vitæ neceſſaria: atqui ille, cui aliquid debetur naturali, & divino jure, habet verum Jus, & Dominium in eo, quod ſibi debetur: ergo, CHRISTVM, & Apoſtolos verum habuiſſe aliquarum rerum dominium, ſaltim in communi, non mediocriter demonſtratur.

763 Sextò; quia D. AVGVSTINVS, relatus *in cap. Exemplum*, 12. *quæſt.* 1. hæc habet: *Exemplum accipite Domini converſantis in terra, quare habuit loculos, cui Angeli miniſtraverunt, niſi quia Eccleſia ipſius loculos ſuos erat habitura?* Cum ergo exemplar exemplato concordet, ſequitur, quòd ſicut Eccleſia in ſuis loculis aliquo modo jus habet, & dominium, ſic etiam vt certum tenendum eſt, CHRISTVM, & Apoſtolos, qui Eccleſiam conſtituebant, illud in ſuis habuiſſe. Undè GLOSSA *d. cap.* ſic ſcribit: *Ab hîne oſtendit, quòd Eccleſia poteſt habere proprium.**

764 Septimò; quia ipſe D. AVGVSTINVS *lib. de Opere Monach.* & habetur *in Gloſſ.* 1. *ad Corinth.* 9. ad illa verba: *Numquid non habemus poteſtatem manducandi, &c.* ſic ſcribit: *Evangeliſtis, & Miniſtris Dei à Plebibus neceſſaria debentur: & ſiquis eo, quod ſibi debetur, vti non vult, ampliùs Eccleſiæ impendit; ſicut Paulus, qui exigendo ſtipendium debitum, quotidianum victum ſuis laboribus continuè tranſigebat. (Subdit:) Hoc, apparet, non eſſe juſſa illa, ſed permiſſa, vt quiſquis vti vellet, eo vteretur, quod ſibi liceret, & ex domini conſtitutione: ſiquis autem vti nollet, non contra juſſum faceret, ſed de ſuo jure cederet miſericors converſatus in Evangelio, in quo & debitam mercedem nollet accipere.* Atqui ille, qui verum jus non habet, juri ſuo cedere non valet: ergo Apoſtolos verum jus habuiſſe, Divi Auguſtini Doctrina apertè oſtendit. Tùm, quia debita merces, & debita ſtipendia jus, & dominium præſeferunt, & ſonant, reſpectu eorum, quibus ea debentur.

765 Octavò; quia, dicerent mihi adverſarii, vellem, cujus erant illa bona, quæ Paulus, nè quemquam gravaret, labore manuum ſuarum acquirebat 1. *ad Theſſalonicen.* 2. Certum enim eſt, ea non fuiſſe illorum, qui ei pro labore, aut rebus venditis pretium reddebant; ſiquidem reddebant debitum operanti: cum enim, *dignus ſit operarius mercede ſua*, *Lucæ* 10. jus, & dominium mercedis operanti debetur: Perſpicuum ergo fit, Paulum, CHRISTI Apoſtolum, jus, & dominium habuiſſe in ſpeciali, vel ſaltim in communi in rebus labore manuum ſuarum acquiſitis.

766 Nonò; quia *Actor.* 2. & 4. de Apoſtolis, aliiſque credentibus dicitur: eis omnia fuiſſe communia, id autem intelligendum eſſe quoad jus, & dominium, ratio patenter demonſtrat; quia ſicut ibi negatur jus proprium, ſic conceditur, & affirmatur commune. Dicitur enim: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Nec quiquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*: Sicut ergo erant eis non propria, ſic erant eis communia; atqui non erant eis propria quoad jus, & dominiū: ergo quoad jus, & dominiū inficiari non poteſt, eis fuiſſe communia.

767 Decimò; quia huic noſtræ Aſſertioni multi Sacræ Scripturæ Textus favere videntur. Primus, admodum annotandus, eſt ille *Matth.* 17. vbi dicitur: Chriſtum non habentem vndè tributum redderet in Capharnaum, Petro dixiſſe: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius, invenies ſtaterem: illum ſumens da eis* (ſcilicet *Tributarijs*) *pro me, & te.* Ex quo textu hæc formatur ratio: illud, quod competit homini jure politico, & naturali, denegari non debet Viris Apoſtolicis, abſque ſui ſtatus præjudicio, vt patet *extra. C. Exiit*, vbi dicitur, quòd in articulo extremæ neceſſitatis vitæ, ſunt omnia illis Viris Apoſtolicis communia; res vagæ etiam, quæ ſub nullius dominio ſunt, jure naturali, & divino competunt occupantibus, & capiētibus quibuſcumque, ſive bonis, ſive malis, ſive probis, & Sanctis, ſive impiis, dummodo primi capientis ſint: Vndè PHILOSOPHUS 1. *Æthicorum*, *cap.* 6. dicit, quòd prædativa ferarum, avium cæli, piſcium maris, ſit naturalis: *Talis (inquit) acquiſitio, ab ipſa videtur natura*

data hominibus, sicut secundùm primam generationem mox fit, & secundùm perfectam.*

768 In Jure etiam habetur, quod illud, quod sub nullius dominio continetur, occupanti conceditur: vndè pisces, capti in mari, & gemmæ, & thesaurus inventa in profundo maris, jure naturali competunt invenientibus; sed CHRISTVS cœpit piscem, & statierem in mari: ergo ille piscis, & stater fuerunt CHRISTI, & Petri jure naturali: Cur ergo denegandum est eis verum jus, & verum dominium, tàm in proprietate, & vsu.

769 Eidem Conclusioni, haud leviter suffragatur illud *Ioann.* 10. vbi dicitur, JESV juxta fontem cum Samaritana loquente, Discipulos abiisse in Civitatem, vt cibos emerent. Quæramus enim: Quis portaverit pecuniam illam? Cujus hæc fuerit? Cujus tandem fuerint cibi illi ab Apostolis empti? An CHRISTI? An Collegii Discipulorum? An aliena? Si sua, habemus intentum; si aliena, non licuit, nec decebat, eos comedere, nec emere de alieno. Apostoli autem quandoque emebant, sicut hujusmodi aliquando vendebant, *Actor.* 4. Joseph, qui cognominatus est *Barnabas*, ab Apostolis, cum haberet agrum, vendidit eum. Et de Paulo *Actor.* 20. & *ad Thessalonicens.* dicitur, quòd ipse operabatur manibus suis, & de pretio vivebat: emere autem, & vendere, apud omnes sunt actus veri dominii, & nulli alteri competunt jure proprio, & authoritate.

770 Nec juvat, dicere, Apostolos, vt Procuratores, vel Dispensatores tantùm, & non vt dominos, alieno jure vendidisse, & emisse; cum enim hujusmodi procuratio nullibi legatur, nec ex vllo capite constare possit, quis eos, aut quorum Procuratores constituerit, eadem facillitate contemnitur, qua proponitur, præcipuè cum certum sit, Apostolos in suam vtilitatem, & commodum, & non in vtilitatem alicujus Domini, cujus possent dici Procuratores, cibos illos, comedendo regulariter, convertisse.

771 Tandem probatur Assertio; quia his, quibus jure ordinario, & ex officio competit, spiritualia seminare, jure debentur stipendia ad vitam necessaria, adeò vt habeant jus, & potestatem accipiendi necessaria ab eis, quibus spiritualia seminarint; vt patet ex illo Apostoli 1. *ad Corinth. 9. Si spiritualia vobis seminamus, non est magnum, si carnalia vestra metamus, quis enim militat suis stipendiis, &c.* Et ex multis Juribus, vt 13. *quæst.* 1. §. *His ita*, & *Extra de Decimis, cap. Cum contingat*; Atqui CHRISTO, & Apostolis ordinario jure, & ex officio competebat spiritualia seminare, juxta illud *Isaiæ* 61. *Spiritus Domini super me, &c.* Et infrà: *Ad evangelizandum Pauperibus misit me*; & de Apostolis dictum legitur *Matth.* 10. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* & *Marci vlt. Prædicate Evangelium omni creaturæ*; & cum Discipulos misit CHRISTUS ad prædicandum, dixit, *Lucæ* 10. *Edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua.* Cum ergo CHRISTUS, & Apostoli, ex officio habuerint seminare spiritualia, habebant etiam jus in recipiendis vitæ necessariis; sed in eis, quæ debentur alicui de jure, habetur jus, & dominium: ergo CHRISTVS, & Apostoli, in iis rebus, quæ à Fidelium pietate collatæ fuerunt, habuerunt jus, & dominium speciale saltim in communi.

772 Ex dictis plenè constat, CHRISTVM, non modò divisim, sed etiam conjunctim cum Apostolis, aliquibus in rebus, non solùm quoad proprietatem, sed etiam quoad vsum speciale aliquod jus habuisse; Constat etiam, Apostolos simul cum CHRISTO, in his, quę Sacra Scriptura eos habuisse testatur, obtinuisse jus quoad proprietatem in communi, & jus etiam in particulari eis vtendi.

773 Nihilominùs tamen inquirendum à nobis restat: An idem dicendum sit de Apostolis à CHRISTO sejunctis? Pro cujus intelligentia, distinguendum videtur inter tempus, quo Apostoli fuerunt cum Redemptore, dum viveret, & tempus, quod illius mortem subsequutum fuit; Si de primò loquamur, adhuc distinguendum est, & inquirendum: An habuerint aliqua antequam ad prædicandum mitterentur? An tempore Missionis? Et an postquam à prædicatione reversi sunt? Si de secundo sermonem instituamus, de tempore nempè CHRISTI mortem subsequuto, adhuc distinguendum est inter tempus ante Spiritus Sancti Missionem, & tempus hujusmodi Missione posterius. De omnibus hisce temporibus procedere potest dis-

ficultas: An Apostoli temporalia aliqua bona possederint? Quam vt clariùs resolvamus, prædictam temporum distinctionem in præfati dubii decisione prosequemur.

§. XII.

Quæritur: An Apostoli, antequam à CHRISTO ad prædicandum mitterentur, temporalia aliqua bona habuerint.

774 REspondemus affirmativè; quia non legitur, Apostolis in sua electione, & vocatione interdictum fuisse à CHRISTO habere aliqua temporalia bona, præcipuè ad vitæ sustentationem pertinentia; cum enim ad Discipulatum vocati fuere, ex ipsa vocationis forma liquet, eos talem prohibitionem non habuisse, siquidem Petri, & Andreæ vocatio *Matth.* 4. in hunc modum legitur facta: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*, statimque subjungitur: *At illi relictis retibus continuò secuti sunt eum.*

775 De Jacobo autem, & Joanne, nihil aliud dicitur, nisi eos fuisse à CHRISTO vocatos, & statim additur: *Illi autem statim relictis retibus, & Patre secuti sunt eum.* Forma vocationis Matthæi sic se habuit: *Sequere me*, & postea subditur: *Relictis omnibus, surgens, secutus est eum.* Tandem Philippus sic describitur vocatus, *Ioann.* 1. *Sequere me.*

776 Ex quibus, meridiana luce clariùs apparet, si forma vocationis Apostolorum attente consideretur, vel ea, quæ ipsi fecisse leguntur diligenter inspiciantur, & ex eis nullatenus constare, prædictos Apostolos in sua vocatione omnibus suis bonis renuntiasse; imò oppositum apertè colligi; siquidem de Petro, & Andrea non legitur vocationis tempore quidquam reliquisse, nisi retia sua, & tamen *Marci* 1. & *Matth.* 8. post prædicta subditur: *IESVS exiens de Synagoga venit in domum Simonis, & Andreæ cum Iacobo, & Ioanne, vbi Petri Socrum à febri liberavit.* Ex quibus clarè innotescit, Petrum, & Andream post vocationem domum propriam habuisse, quam retinuisse leguntur.

777 De Jacobo, & Joanne non legitur tunc alia reliquisse, nisi retia, & Patrem, quę quidem retia potiùs Patris, qui tunc vivebat, quam ipsorum fuisse videntur. De Philippo non legitur, quod tunc reliquerit aliquid; de Matthęo verò dicitur: *Relictis omnibus secutus est eum*: nihilominùs tamen postea subjungitur, quod *fecit ei*, id est, CHRISTO, *Levi* (id est *Matthæus*) *magnum convivium in domo sua.* Undè manifestum fit, Matthæum domum, propriaque aliqua habuisse, vndê magnum convivium faceret, non obstante, quòd de ipso dicatur: *Relictis omnibus secutus est eum.*

778 Insuper legimus JESVM, cum misit duodecim, quos, & Apostolos vocaverat, aliqua eis interdixisse, videlicet, nè possiderent aurum, neq; argentum, neque ęs in Zonis suis, aliaque nonnulla: cumque exceptio firmet regulam in contrarium in non exceptis: hînc manifestê liquet, hæc omnia eis ante Missionem interdicta non fuisse: aliàs frustra in Missione interdicerentur; vt patet *Matth.* 10. *Marci* 3. & *Lucæ* 9. Eodem modo CHRISTVS Dominus septuaginta Discipulis, dum eos misit, aliqua prohibuit, vt patet *Lucæ* 10. Undè infertur, CHRISTVM Apostolis solùm, dum eos ad prædicandum misit, quidquam secum deferre prohibuisse, non verò priori illo tempore quod à vocatione vsque ad prędicationem interceſſit; sicque Apostolos toto illo tempore, prædicationem antecedente, potuisse aliqua possidere, cum non prohibitum jure, concessum existimetur.

§. XIII.

Quæritur: An idem sit de CHRISTI Discipulis, ac de Apostolis dicendum.

779 REspondetur Conclusione affirmante, CHRISTI Discipulos antequã ad prædicãdum mitterentur, bona tẽporalia obtinuisse; quia non legitur eis prohibitũ habere bona, quæ antea possidebant; de Joseph enim ab Arimathęa dicitur *Ioann.* 19. *Discipulus IESV*; & tamen *Matth.* 27. habetur: *Venit quidam homo dives ab Arimathæa nomine Ioseph, qui & ipse Discipulus erat IESV.* Simon insuper Leprosus erat Discipulus JESU, & tamen *Matth.* 26. refertur, JESVM

in

in Bethania fuisse in ejus domo. De Lazaro, Martha, & Maria Magdalena, quî erant Discipuli JESV, nemo ambigit, multa temporalia bona habuisse, cum de eis legatur *Ioann.* 11. Castrum, dictum *Bethaniam*, fuisse Mariæ Magdalenæ, & Marthæ, & quod in Bethania cœnam magnam CHRISTO fecerunt, in qua *Martha ministrabat; Lazarus verò erat vnus ex discumbentibus cum eo: Maria verò accepta libra vnguenti nardi pistici, pretiosi, vnxit pedes IESV, & extersit capillis suis pedes ejus.*

780 Tandem de Tabitha, quę interpretatur *Dorcas*, quam Petrus à mortuis suscitavit, dicitur *Actor.* 9. fuisse CHRISTI Discipulam, plenamque operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat: omnesque viduas flentes ostendisse Petro tunicas, & vestes, quas faciebat eis Dorcas. Ex quibus patet, Dorcam, non obstante Discipulatu, temporalia bona habuisse, è quibus prædictas eleemosynas faciebat.

781 Ex dictis planè liquet, ex Sacro Textu non constare, Discipulis ante prędicationem à CHRISTO fuisse prohibitum temporalia bona habere; imò oppositum manifestè colligi, ex his, quę ex eodem Sacro Textu modo retulimus. Et quidem non aliam Discipulis, quàm Apostolis Legem à CHRISTO fuisse impositam satis apertè ostendit S. CLEMENS *in* sua *Epistola*, cujus fragmentum refertur *in cap. Dilectissimis*, 12. *quæst.* 1. vbi expressè supponitur, eamdem vivendi normam fuisse Apostolis, ac Discipulis præscriptam; ibi enim habetur: *Communis vita omnibus est necessaria, & maximè iis, qui vitam Apostolorum, & Discipulorum imitari volunt.* Et quod maximè notandum videtur, est, CHRISTVM, dum eos ex Discipulis Apostolos fecit, non videri aliam eis indixisse vitam, quàm prius habuerant, sed tantùm potestatem aliquam eis addidisse. Undè cum eos Apostolos ordinavit *Matth.* 10. legitur dixisse: *Et convocatis duodecim Discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.*

§. XIV.

Quæritur: Quid dicendum sit de Apostolis, & Discipulis ad prædicandum missis?

782 REspondetur Apostolis, & Discipulis, cum ad prędicandum missi fuerunt, aliqua fuisse interdicta; siquidem *Matth.* 10. hęc leguntur: *Hos duodecim misit IESVS, præcipiens eis, & dicens: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Et *Marci* 6. hæc habentur: *Et vocavit duodecim; & cœpit eos mittere binos:: Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantúm; non peram, non panem, neque in Zona æs, sed calceatos sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.*

783 Eodem modo *Lucæ* 9. dicitur: *Misit illos* (scilicet duodecim Apostolos) *prædicare Regnum Dei, & sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* Ex quibus manifestissimè liquet, prohibitionem nihil secum ferendi, factam à CHRISTO suis Apostolis, & Discipulis, fuisse non generalem, & absolutam, sed ad Missionis, & Evangelicæ prędicationis tempus dumtaxat limitatam, cũ in omnibus tribus textibus modò relatis expressè habeatur, eam prohibitionem tantummodò dirigi ad illud tempus peregrinationis, & prædicationis, ad quam eos miserat; etenim si in primo textu dicitur: *Nolite possidere aurum, neque argentum, &c.* vt agnoscatur prohibitionem illam non fuisse generalem, omne tempus comprehendentem, sed ad solum illud, quo peregrinatio illa duraret, sese extendentem, eam limitat dicens: *Non peram in via.* In secundo textu *D. Marci*, quamvis dicatur: *Præcepit eis, ne quid tollerent*; tamen immediatè subjungitur: *In via, nisi virgam tantúm.* Tandem in textu *S. Lucæ*, quamvis videatur generaliter prohiberi sub illis verbis: *Neque virgam, &c.* & generaliter dici: *Nihil tuleritis*; tamen vt innotescat, quo in casu, quove tempore hęc prohibeantur, subditur: *Ni-*

Nihil tuleritis in via. Et si *in ore duorum, vel trium stat omne verbum*, multo securiùs asserere possumus, istud stare in prædictis tribus Divinis Oraculis, ab Spiritu Sancto promanantibus, expressèque significantibus, prohibitionem nihil ferendi, à CHRISTO Domino suis Apostolis, & Discipulis factam, generalem non fuisse, sed specificam, limitatam quidem ad solum illud tempus, quod in ea Apostolica Missione insumpserunt, & nullatenus tempus Missionem antecedens comprehendentem.

784 Deindè, vt docet S. AUGUSTINUS *lib. de Concord. Evangelist.* in prędictis illis verbis, quę pręceptum præseferre videntur: *Nolite possidere aurum, neque argentum :: nihil tuleritis in via*, nullum continetur præceptum, sed solùm fuit potestas Apostolis data recipiendi necessaria ab his, quibus Evangelium prædicabant, quod servare Apostolis licuit, vel etiàm non servare: Aliàs autem Apostolus Paulus, transgressor præcepti hujusmodi extitisset; quia plerumque ab illis, quibus prædicabat, non recipiebat necessaria, sed illa, vel recipiebat ab aliis, vel ea suis manibus acquirebat, vt patet 1. *ad Corinth. 9.* & *ad Philipp. 4.* 1. *ad Thessalonicenses* 1. & *Actor.* 20. vbi dicitur: *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & iis, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.*

785 Et quamvis daremus, in prædictis verbis verum contineri præceptum, illud temporaneum fuisse, vt suprà innuimus, nempè pro solo tẽpore Missionis, qua ad prædicandũ missi fuerunt, dicimus; siquidẽ Dominus Apostolis dixit *Lucæ* 22. *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Deindè septuaginta duobus Discipulis dixit ipse Dominus, cum eos misit ad Prædicationis munus exercendum: *Nolite portare sacculum*, in quo pecunia portari consuevit: *neque peram*, in qua consueverunt alimenta afferri: *neque calceamenta.* Undè colligitur, prędictam prohibitionem, estò præceptiva fuisset, solummodo intelligendam esse, durante tempore Missionis, & non generaliter pro omni temporis differentia, cum certum sit, multos ex Discipulis temporalia bona habuisse, vt ex Sacro Textu probavimus suprà, extra Missionis tempus.

§. XV.

Quæritur: Quid dicendum sit de Apostolis, postquam á prædicatione redierunt.

786 REspondetur: eo tempore Apostolis licitum fuisse, habere aliqua saltem in communi. Primò; quia Apostoli, postquam de Prædicatione reversi fuerunt, panes, & pisces habuerunt, vt liquet in miraculo panum, & piscium, quod factum legitur, postquam illi de Prædicatione venerunt, vt patet *Marci 6.* vbi peracta Prædicatione dicitur: *Et convenientes Apostoli ad IESVM, renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant*, scilicet in Prædicatione: in quo textu, dubitari nequit, sermonem esse de Apostolis, qui finita Missione, CHRISTO Domino ea, quę in illa ipsi perfecerãt, enarrarunt, & in hoc eodẽ textu, post citata verba, refertur miraculũ quinque panũ, & duorũ piscium, & asseritur Apostolos, cũ Dominus eos interrogasset, quid darent turbæ ad manducandum, respondisse: *Euntes emamus ducentis denariis, & dabimus illis manducare.* Vbi supponit textus, Apostolos habuisse sufficientem pecuniam ad emendos cibos, qui tantæ multitudini satis essent: Et quamvis non haberent, nisi ducentos illos denarios, quos Textus refert, grandis erat pro illo tempore pecunia, & numorum summa; sicque eam habebant; atqui non in proprio, vt suprà probavimus: ergo in communi.

787 Secundò; quia *Lucæ 9.* prohibetur Apostolos, à Missione reversos, CHRISTO Domino enuntiasse omnia, quæ in illa Missione fecerant, ipsisque eveneranr: *Et reversi Apostoli, enarraverũt illi quæcumque fecerunt*: & postea in eodẽ capite subditur, prædictum quinque panũ miraculum, & refertur, Apostolos, cum eis Dominus dixisset: *Date vos illis manducare*; sic respondisse: *Non sunt nobis plus quàm quinque panes, & duo pisces: nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas.* Ex quibus verbis exploratum habetur, Apostolos habuisse panem, pisces, & pecuniam, quanta sufficeret ad emendos cibos pro omni illa numerosa turba alenda.

Ter-

788 Tertiò; quia ex Sacra Scriptura perspicuum est, Apostolos, postquam à Prædicatione reversi fuerunt, habuisse pecuniam saltem in communi; siquidem *Ioann.* 4. legitur, quòd JESU sedente super fontem Jacob, *Discipuli ejus abierant in Civitatem, vt cibos emerent*: habebant ergo pecuniam, cum emptio mediante pecunia fiat, *Deut.* 11. Hoc autem post Apostolorum reditum à Prædicatione contigisse, apertum est, cum in prælegato capite JESVS Discipulis dixerit: *Ego misi vos metere, quod non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.*

789 Quartò; quia ex ipsa Scriptura constat, Apostolos, à Prædicatione reversos, plures tunicas, & sacculos, in quibus portabatur pecunia, habuisse; legitur enim *Lucæ* 12. Dominum nostrum JESVM CHRISTVM Apostolis dixisse: *Qui habet sacculũ, tollat similiter & peram, & qui nõ habet, vendat tunicã suã, & emat gladium*: tuncque Apostolos respondisse: *Domine ecce duo gladii hic.* Quibus verbis, & fatentur Apostoli, duos sibi gladios fuisse, & supponit CHRISVS, eos habuisse tunicas, seu vestimenta, quæ vendi possent; at non ea, quibus induebantur, aliàs nudi remanerent: ergo alia. De Petro etiam legitur *Ioann.* 18. gladium habuisse; ibi enim dicitur, eum Passionis tempore gladium eduxisse, & Pontificis servum percussisse, eique Dominum dixisse: *Mitte gladium tuum in vaginam.* Ex quibus textibus manifestè infertur, Apostolos, à Prædicatione reversos, possedisse aliqua (& si non vt propria post paupertatis votum ab eis illis verbis emissum: *Ecce nos reliquimus omnia*, vt suprà diximus) saltim in communi quoad proprietatem, & vsum.

790 Cum jam de CHRISTI Apostolis, & Discipulis egerimus, variasque de illis quæstiones exagitaverimus, an nempè habuerint aliqua bona in communi post vocationem ad Apostolatum, ante missionem ad Prædicationem; An Missionis tempore; An post reditum à prædicatione; Et tandem an toto eo tempore, quo vixerunt cum CHRISTO: supereſt nunc, vt de ipsis post CHRISTI mortem sermonem instituamus. Quapropter,

§. XVI.

Quæritur: An CHRISTI Apostoli, & Discipuli post ejus mortem aliqua temporalia bona possederint in communi.

791 SIt CONCLVSIO: CHRISTI Apostoli, & Discipuli, post ejus Passionem, & Mortem, aliqua habuere in communi, quorum veri domini fuerunt quoad proprietatem, & vsum. Et quidem eos post CHRISTI Passionem, & Ascensionem habuisse aliqua bona immobilia in communi, probatur primò; quia *Actor.* 2. dicitur: *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Et *cap.* 4. hæc habentur: *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia::: Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes, afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.*

792 Nec obstat dicere, in illa multitudine credentium, fuisse turbam credentium, & fuisse Collegium Apostolorum; turbam autem credentium, vt Fratricelli dicebant, defeciſse à perfectione, & de ista in Sacro Textu dici: *Erant illis omnia cõmunia*; Apostolos verò nihil habuisse, nec in proprio, nec in communi, sed fuisse tantumodo illorum bonorum communium dispensatores, ideòque in textu rectè affirmari: *Afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: Dividebatur autem singulis, &c.* Et hujusmodi distinctionem admittendam esse, videtur colligi ex GLOSSA *ibidem*; sic enim habetur: *Discrevit ordinem Doctorum, & Auditorum; nam multitudo credentium spretis rebus, copula charitatis invicem jungebantur; Apostoli verò, virtute fulgentes, CHRISTI Mysteria pandebant.** Et hęc fuit ratio, cui præcipuè innitebantur Fratricelli, ad negandum Apostolos habuisse aliqua bona in communi.

793 Verùm non vrget, Primò; quia textus expresè loquitur tàm de Apostolis, quàm de quibuscumque aliis, tunc denuò in

Ju-

Judęa conversis; sic enim dicit: *Omnes qui credebant, &c.* Omnes ergo tàm Apostoli, quàm cęteri Fideles in Judea conversi, omnia simul possidebant in communi, quod fortè erat propter conversorum paucitatem, & Fidei fervorem: & hic ritus vsque ad Constantini tempus servatus est, vt videre licet *in Decreto* 12. *quæst.* 1. Prædictam autem Authoritatem, non solùm de turba, sed etiam de Apostolis intelligi debere, patet ex his, quæ textus addit, dicens: *Omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia cõmunia*: tantùm ergo de distributione habet illud: *omnia communia*, quantùm illud: *omnes qui credebant*, quod cõtraponitur; at illud: *omnes qui credebant*, distribuit, non solùm pro turbis, sed etiam pro Discipulis; quia omnes pariter credebant: ergo illud *omnia communia* debet intelligi, non solùm de turbis, sed etiam de Discipulis omnibus. Nec prædicta Glossa negat de Discipulis, sed specialiter affirmat de turbis; quia de eis minus videbatur.

794 Secundò; quia vt asserit S. ANTONINUS, *vbi suprà*: *Dicta Hæreticorum responsio non tenet; quia textus dicit: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* (Et sequitur:) *Erant illis omnia communia*; sed illud *illis* necessariò refertur ad illos, qui erant de illa Communitate: ergo cum Apostoli essent de illa Communitate, sequitur, quòd ipsi habebant omnia in communi.* Et *infrà*, ad illud Glossæ, cui oppositi Authores præcipuè innituntur, sic respondet Sanctus: *Glossa illa, suprà allegata, quæ dicit, quòd discrevit ordinem Doctorum, & Auditorum, loquitur de discretione quantùm ad officia, de qua exemplificat; quia scilicet Apostoli docebant cæteros, vt superiores, non de discretione quantùm ad professionem paupertatis; imò in hoc nulla erat discretio, seu distinctio.* Patet ergo, quòd Apostoli post CHRISTI Ascensionem habuerunt aliqua in communi.

765 Tertiò; quia Sanctissimus Pontifex JOANNES XXII. *in Constitutione: Quia vir reprobus, num.* 62. respondens non absimili instantiæ, à Michaële Cesenate objectæ, asserenti, quòd illa communio intelligebatur de Discipulorum turba, inter quos communia erant omnia, quæ habebant, non de Apostolis, qui nihil in temporalibus habebant, nec in proprio, nec in communi, sed simplicem tantùm vsum facti in rebus vsu consumptibilibus, asserit, Michaëlem Cesenatem, dum hæc ratiocinatur, Apostolos à credentium numero evidenter excludere; dicitur enim *Act.* 2. *Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia*: Si ergo omnibus credentibus erant omnia communia, sequitur, si Apostolis non erant communia, quòd credentes non erant; quod est falsum: imò sicut ipsi erant principaliores credentes, sic eis omnia communia principaliter existebant. Undè sicut principalioribus, pecunię agrorum, & domorum venditarum ante pedes Apostolorum ponebantur *Actor.* 4.

796 Secundò probatur Conclusio, & prædicta instantia refutatur ex S. AVGVSTINI Doctrina, qui *in sua Regula* agens de præfata *Actor.* Authoritate, hæc scribit: *Sic enim legitis *in Actibus Apostolorum*, quòd *erant eis omnia communia.** Hinc quærimus ad quos referatur illa particula *eis*; an ad Apostolos; an ad alios. Non vtique ad aliquos alios, cum D. Augustinus nihil præmiserit de quibuscumque aliis, ad quos posset referri: oportet igitur, quod ad Apostolos referatur, prout non mediocriter innuere videtur Sanctus Doctor, dum dicit: *Sic enim legitis in Actibus Apostolorum quòd erant eis omnia communia,* scilicet Apostolis; cum enim non proponatur antecedens aliquod aliud, quàm Apostoli: indè necessariò inducitur, quòd illud relativum *eis*, debet referri ad Apostolos.

797 Tertiò; eamdem nostram Assertionem eleganter illustrat, & præfatam instantiam validissimè oppugnat, fragmentum Epistolæ S. CLEMENTIS, quod refertur *in Cap. Dilectissimis*, 12. *quæst.* 1. ibi enim D. Clemens condiscipulis suis Hierosolymas vnà cum B. Jacobo Hierosolymitano Episcopo incolentibus scribens, hęc tradit: *Apostoli, eorumque Discipuli vnà nobiscum, & vobiscum communem vitam duxerunt. Vndè vt benè nostis: *Erat multitudinis eorum cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum*, aut nostrum, *de his quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed omnia* illis, & nobis *erant communia.** Ex quibus apertissimè constat, Apostolos

illorum bonorum primitivorum Fidelium fuisse consortes, illaque ad eam Communitatem, in qua in communi vivebant, pertinuisse, vt habetur *in cap. Quia tua*, quod est S.GREGORII *eadem quæst.* & *Can. Scimus*, qui est URBANI Papæ.

798 Quartò; quia D. HIERONYMVS egregium nobis exhibet nostræ Assertionis fundamentum; siquidem explicans illa *Actor.* verba, suprà ex *cap.* 4. relata: *Talem (inquit) fuisse Ecclesiam credentium primò in CHRISTVM, qualem nunc Monachi etiam imitantur, & cupiunt, vt nihil cuiquam sit proprium, nullus inter eos dives, nullus Pauper, Patrimonium dividatur, orationi vacetur, & Psalmis, Doctrinæ quoque, & continentiæ insistatur, *Lucas* manifestè refert, cum dicit: *Quotquot erant possessores agrorum, aut domorum, &c.** Quibus verbis clarè demonstrat S. Hieronymus, sicut & S.Clemens, loco suprà laudato, Apostolos, eorumque Discipulos, illa, quæ habebant, Judęis Hierosolymitanis communicasse, & è contra; expresèque vterque supponit, Apostolos, & Discipulos potuisse ante eam communicationem habere aliqua in proprio, & in communi.

799 Quintò; quia Glossa super *cap. Videntes*, 12. *quæst.* 1. dicit, Episcopos tenere locum Apostolorum quoad dignitatem, Sacerdotes quoad Sacrorum dispensationem, Monachos quoad renuntiationem propriorum, & vitam communem; atqui constat, Monachos ita renuntiare propria, vitamque tenere communem, vt in Monasterii rebus, jus, & dominium habeant in communi: ergo & Apostoli per id temporis habebant aliqua in communi.

800 Sextò; quia de D. Augustino legitur in Ecclesia, cum, Presbyterum jam factum, Clericorum, id est Canonicorum Regularium, Monasterium instituisse, & cœpisse vivere secundùm Regulam sub Sanctis Apostolis constitutam; atqui constat, Canonicos Regulares, juxta S. Augustini Regulam viventes, multa bona habere in communi, quorum plenum jus obtinent, & dominium vendendi, distrahendi, & alienandi: ergo & Apostoli, quorum juxta regulam prædicti Canonici instituti sunt, aliqua bona habuerunt in communi, nè dicamus, D.Augustinum Apostolorum Regulam nesciviſse.

801 Septimò; quia D. HIERONYMVS *in cap. Duo sunt*, 12. *quæst.* 1. duo ponit genera Christianorum; primum habentium in proprio, scilicet Laicorum; secundum habentium in communi, nempè Religiosorum; atqui si fuissent aliqui, qui nihil habuissent in proprio, nec in communi, vt oppositi Authores contendunt, tertium Christianorum genus posuisset Hieronymus: Cum ergo istud non posuerit, argumentum est, tale non fuisse. Vndè cum Apostoli ante Hieronymum fuerint, & Christiani extiterint, ad vnum duorum istorum generum pertinere debent; atqui non ad habentium in proprio: ergo ad habentium in communi: Necessè ergo deduci videtur, eos habuisse aliqua in communi, contra prædictam adversariorum exclusionem.

802 Octavò; quia D. BENEDICTI Regulam, ex CHRISTI Evangelio desumptam esse, tradit S.BERNARDUS, sic loquens *in quodam Sermone de D. Benedicto*: *Quod B. Patris nostri, cujus hodie nobis natalis agitur, regula docuit, hoc nobis lectio Evangelii commendat; nec aliud sonuit Veritatis preco, quàm Veritas ipsa perdocuit. Quid enim aliud Doctrina regulæ persuadere conatur, nisi vt contemptis eis, quæ mundi sunt, veritas ametur, ejusque adhęreatur vestigiis, & indè æternæ sperentur pręmia Gloriæ?* Hactenùs S. Bernardus. Atqui Monachi S.Benedicti secundùm eorum Regulam cũ earum rerum, quæ sunt in mundo, contemptu in particulari, sive in speciali, habent earundem rerum proprietatem, & dominium in communi: ergo cùm hæc vivendi forma sumpta sit ex Evangelio, testante S. Bernardo, quam CHRISTUS, & Apostoli verbo, & exemplo docuerunt, dicendum proculdubio est, Apostolos habuisse saltem in communi proprietatem, & dominium earum rerum, quas eos possedisse, Sacra testatur Scriptura. Hac ratione vtitur Eminentissimus Card. TVRRECREMATA *in Decret.* 12. *quæst.* 1. *cap. Exemplum*, *quæst.* 3. eaque simul impugnatur objectio supraadducta.

803 Nonò idipsum probatur, ac confirmatur ex CASSIANI Doctrina, qui *in Collationibus Patrum*: *Talis (inquit) status erat in Ecclesia in omnibus, qualis nunc est in Cœnobitis paucis; sicut enim illi habebant vnitatem affectionis, conversationis, & possessionis, sic & in Monasterio

sterio constituti.* Ex qua Authoritate manifestè infertur, Apostolos, sicut tunc erant de Ecclesia, imò in ea principaliores, sic habuisse triplicem illam vnitatem. Idipsum ratio suadet; quia Prælati non possunt à Communitate excludi, cum sint Ecclesiarum Capita, sicque nec possunt ab Ecclesiæ bonis, istorumque dominio excludi; atqui CHRISTVS, & Apostoli erant illius primæ Communitatis Ecclesiæ Prælati: non igitur à dominio bonorum illius Communitatis excludi poterant.

804 Decimò. *Ioann.* 21. dicitur, Petrum, & quosdam alios Discipulos, post CHRISTI Resurrectionem, ad piscationem suam rediisse, & solum Petrum in terram rete plenum magnis piscibus traxisse. Quæramus nunc: cujus erat jus, & dominiũ illorum piscium, quos Apostoli cœperunt, & postea comederunt, ac fortè partem vendiderunt? Non enim dici posset, aut fingi eos fuisse alicujus alterius, quàm Apostolorum, qui piscati fuerant; quia pisces in mari existentes sub nullius dominio continentur, §. *Et quidem, Instit. de rer. divis.* & *l. 2. ff. de rer. divis.* & *alibi*: & ideò *Philos. 1. Politicor. cap. 6.* vt suprà diximus, asserit prædativa piscium maris, & ferarum, & avium cæli, homini naturali jure competere: Clarum ergo fit, eos pisces fuisse Apostolorum, istosque in eis proprietatis dominiũ saltim in communi habuisse.

805 Undecimò; nam Apostoli post Resurrectionem justè, & sine cujusquam injuria comederunt, & biberunt: ergo in vsu saltim illius cibi, & potus verum habuerunt jus; dicere enim, aliquid esse justum, & non esse ibi jus, seu justitiam, tàm apertam involuit contradictionem, ac dicere aliquid esse sine albedine album; quia, vt Philosophus asserit, effectus formalis non differt à forma: Undè, sicut album ad albedinem, sic justum ad jus, vel justitiam sunt indispensabili vinculo adnexa: Si ergo Apostoli justè comederunt, vt necessariò fatendum est, negari certè non potest, eos jus, & justitiam aliquam in illo cibo habuisse, saltim in vsu. Et si habuerunt in vsu: ergo & in proprietate, cum in hujusmodi rebus, vt suprà probavimus, vsus à proprietate non distinguatur.

806 Duodecimò; quia tàm S. Gregorius, qui Monachus fuit, quàm alii Sanctissimi Religionum Fundatores, ad perfectionis apicem tendentes, Monasteria, & Cœnobia, possessiones in communi habentia, instituerunt: Vel ergo isti Apostolicam perfectionem non servarunt, & CHRISTI, & Apostolorum vitam imitati non fuerunt; vel eis, sicut, & Apostolis, habere bona in communi licitum fuit; atqui constat, eos fuisse veros vitæ CHRISTI, & Apostolorum imitatores, vt testatur ALEXANDER IV. *in Condemnatione Libelli contra statum Prædicatorum, & Minorum*, de illis, hęc inter alia scribens: *Cum insuper iidem Fratres omnia propter Deum reliquerint, exilia vitæ subsidia mendicantes, ipsum CHRISTVM imitentur pauperem, perfectionem Evangelicam amplexando, propter quod evidenter apparet, eos non solùm in statu salvandorum existere, sed etiam perfectorum.* Quod dici etiam potest de B. BASILII, aliorumque Sanctorum Monachorum Regula, quos D. HIERONYMVS, Apostolorum vitam tenuisse affirmat: Ergo, si isti, Apostolorum vitam sequentes, Cœnobia, bona in communi habentia, instituerunt, hinc manifestè deducitur, Apostolos bona in communi habuisse.

807 Tandèm probatur nostra Conclusio Authoritate JOANNIS XXII. contra oppositos Authores sic arguentis: Si CHRISTVS, & Apostoli, in loculis, & rebus, quibus eos vsos Scriptura commemorat, vtendi jus non habuissent, eorum vsus videretur injustus, cum jus vtendi eis non competiisset; atqui hoc nullatenus est dicendum: ergo neque illud. Vndè si justè vsi sunt: ergo & jure; quia quod justè fit, jure fit, *Extr. de verbor. significat. cap. Ius dictum est*, & *Can. Quid dicat*, 14. *quæst.* 1.

808 Quæ hactenùs à nobis dicta sunt manifestè ostendunt, quantùm Sacræ Scripturæ, Sanctis Patribus, Apostolicæque traditioni congruat, & cohæreat, asserere, CHRISTO fuisse speciale aliquod jus acquisitum in his, quæ eum Sacra Scriptura habuisse de bonis temporalibus testatur, & Apostolos post suam ad Apostolatum vocationem, tàm ante CHRISTI mortem, quàm post illius Resurrectionem, excepto tantummodò Missionis tempore, aliqua in speciali habuisse, & in eis jus, & dominium quoad proprietatem saltem in communi obtinuisse, vt latè pro-

bavimus: Vndè apertè constat, quàm justè de Fratricellorum erroribus conqueratur D. ANTONINVS 4. *par.* loquens de his, qui sese Joanni XXII. opposuere acriter, sed meritò redarguens temeritatem eorum, qui rabido, ac canino dente prædictum Pontificem dilaniare, ausi fuerunt, eique hæreseos notam impingere, cum id docuerit, quod in Sacra Scriptura juxta saniorem Sanctorum Patrum, & Sacrorum Expositorum intelligentiam invenitur expressum. Illius verba audiamus: *Ex his patet error *noni capitis* Libelli horum igne temporali, & æternali comburendorum, quia hæretici; vbi dicunt: quòd bona primitivæ Ecclesiæ, de quibus dicitur *Act.* 4. *Erant illis omnia communia*, quod etiam post distributionem erant communia. Et quia vt asserunt, sed falsò, Papa Joannes determinavit, quòd post distributionem erant propria eorum, quibus distribuebantur, dicunt esse hæreticum.*

809 Nè autem tantus error indies accresceret, & vt Fideles in re tunc temporis adeò discussa veritatem probè dignoscerent, Sanctissimus Pontifex JOANNES XXII. præstantioribus, tàm Parisiensis, quàm caterarum Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ Vniversitatum Theologis præcepit, vt controversiam de CHRISTI, & Apostolorum paupertate, quę tunc præcipuè exagitabatur, diligentiùs discuterent, ad libram expenderent, & quod quisque sentiret, scripto traderet. Quod cum ita factum esset, maturoque consilio sępiùs perpendisset Pontifex, quod Evangelio magis consentaneum videbatur, prędictam controversiam duabus decisionibus absolvit.

810 Primò *in Constitutione*: *Cum inter nonnullos* declaravit, pertinaciter asserere, Redemptorem nostrum, JESVM CHRISTVM, ejusque Apostolos, in speciali non habuisse, nec in communi, erroneum, & hæreticum esse censendum.

811 Secundò definivit, pertinaciter asserere, Redemptori Nostro, ejusque Apostolis, in his, quæ ipsos habuisse, Sacra Scriptura testatur, nequaquam jus vtendi, seu consumendi competiisse, nec illa vendendi, aut donandi jus habuisse, aut ex eis alia acquirendi, quæ tamen ipsos de prędmissis feciśe, Scriptura Sacra testatur, seu ipsos potuisse facere expresè supponit; erroneum esse, & hæreticum.

812 Et quamquam prædictę duæ Joannis Pontificis definitiones satis, superque essent, vt quilibet Catholicus agnoscere, quàm consonę sint Sacræ Scripturę juxta Sanctorum Patrum intelligentiam, nihilominùs, quia non desunt aliqui, quorum ea est ingenii tenacitas, vt non tâm authoritati, quàm rationi acquiescant, aliquas afferemus rationes, quibus clarè noscatur, prædictum Pontificem ęquissimis adductum fuisse momentis, vt hæreseos crimine damnaret oppositam Sententiam, istiusque Authores, negantes CHRISTVM, & Apostolos habuisse bona in communi, & jus, ac dominium in iis, quæ ipsos habuisse, facer textus expresè affirmat.

813 Et nè ratio Authoritate destituta videatur, operępretium, me facturum existimo, si pro Censura, qua Joannes XXII. oppositam Sententiam hæreticam declaravit, in medium proferam aliquorum præstantissimorum virorum authoritatẽ, ac Judiciũ, qui eadem tempestate, qua controversia ista exagitabatur, idipsum, quod præfatus Pontifex Joannes XXII. in duabus vltimis decisionibus, nuper allegatis, definivit, vnanimes censuerunt. Primus sit Cardinalis de ARREBLAYO, qui à Joanne XXII. consultus, mentem suam hisce verbis expressit, vt habetur *in Manuscriptis Bibliot. Vatic. sig. num.* 3740.

**Dicta Petri de Arreblayo, Titulo S. Susannæ Presbyteri Cardinalis.*

814 Est quæstio, vtrum asserere pertinaciter, CHRISTVM Salvatorem Nostrum, & ejus Apostolos nihil habuisse, nec in speciali, nec in communi, sit hæreticum censendum? (Et aliquibus de hæretici descriptione interpositis, ad rem nostram, subdit:) Hæreticus est, qui non recipit quatuor Concilia, vel contradicit: ergo multò fortiùs qui contradicit Evangeliis, & Canoni Biblię: sed in multis locis Sacræ Scripturæ reperimus, CHRISTVM habuisse aliquid: ergo qui pertinaciter contradicit, isto modo est censendus hæreticus. Quod autem CHRISTVS habuerit, hoc probatur: Habebat enim loculos, vt *in cap. Exiit, & 12. quæst. 1. cap. Exemplum, & cap. Habebat*, vbi dicitur: quòd in loculis conservabat sibi data, & oblata, vt suorum necessitatibus, & aliorum

rum indigentium subveniret debitis temporibus, & est Augustini; Et etiam hoc probatur *Ioann. 13. cap.* vbi CHRISTVS dicit: *Quod facis, fac citiùs: quidam enim existimabant, quòd diceret, quòd emeret cibos propter Pascha.* Ergo concluditur, quòd pecuniam habebat CHRISTVS, vndè emeret.

815 Item certum est, quòd habuit vestimenta, *Matth. 27. Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem, &c.* Item in Transfiguratione: *Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix, Marci 9.* Item de muliere: *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, Marci 5. & Matth. 9.* Item quando lavit pedes, & posuit vestimenta sua, & post resumpsit *Ioann. 13.* Item pisces, & panes habuit *Matth. 14. cap.* Item Apostoli habuerunt tunicas: *Qui non habet gladium, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Fuit dictum Apostolis per SALVATOREM NOSTRVM *Lucæ 21.* Item & Apostoli emebant, & vendebant: *Vndè ememus panes.*

816 Item Paulus Apostolus propriis manibus laborabat, & vendebat, vt haberet victum, *Extra de sen. Cum Apostolus, & de consec. dist. vlt. cap. Numquam, & 21. quæst. 1. cap. 1.* ibi: *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* (Et *infrà*:) Item videtur, quòd Apostoli saltem in communi haberent, *12. quæst. 1. Dilectissimis* & *cap. Exemplum*, & *cap. Expedit. Erant enim eis omnia communia, Actor. 4.* Patet ergo, quòd Christus habuit aliquando.

817 Nunc arguo: indefinita communis locutionis æquipollet vniversali: vndè valet tantùm dicere: CHRISTUS non habuit aliquid, sicut dicere, CHRISTVS numquam habuit aliquid: sed istud est falsum, quia aliquando habuit aliquid, vt est probatum; quia plus negat negativa, quàm affirmet affirmatio. Et ita dicere, quòd CHRISTUS non habuit aliquid, dicit, Sacram Scripturam dicere falsum. Sed hoc dicere, est hæreticum, & mendosum, vt probatur. Ergo talis pertinaciter sic dicens, est hæreticus.

818 Quòd autem dicere, quòd Sanctum Evangelium, seu Sacra Scriptura falsitatem contineat sit hæreticum, sic probo, &c. (Et multis ea de re cumulatis argumentis, sic prosequitur:) Item si testis aliquid falsum in suo dicat testimonio, totam testimonii fidem partis mendacio decolorat *13. quæst. 9. cap. Pura.* Cum ergo Evangelistæ sint testes Fidei nostræ, si quid esset falsi in dictis eorum, & libris, totum esset testimonium suspectum, & sic dubium; & sic facerent multos dubios in Fide. Sed dubius in Fide censetur hæreticus, *Extra de hærit. cap. 1.* Ergo, &c. Item Evangelium, *Veritas* appellatur, vt *in cap. Cum ex injuncto. Extra de hæret.* & *de Baptis. cap. Majores*, & *cap. Deditum*: & est ratio; quia Spiritu Sancto dictante scriptum, imò ipse Spiritus Sanctus scripsisse dicitur, vt habetur *24. quæst. vlt. cap. Hæresis*, & *cap. penult.* & cum Spiritus effugiat fictum, vel absurdum, hæreticum esset dicere, quòd ipse scripsit, vel scribi fecerit, vel dictaverit aliquid falsum, cum sit *Spiritus Veritatis.* Et ad hoc possent induci jura, *cap. Si ex falsis instrumentis, l. 2. & 3.* & *Extra. de re ill. cap. 1.* & *Extra, de fide instrum. cap. Inter dilectos.*

819 Patet ergo ex prædictis, CHRISTVM habuisse, & ejus Apostolos; & sic habuisse, quòd in rebus, quas habuerunt, jus habebant; nam dicere, quòd CHRISTUS habuerit, & ejus Apostoli vsum facti simplicem, communis modus loquendi sic dicere reprehendit; nam cum volumus dicere, quòd quis faciat injuriam, dicimus hoc fit de facto, ita quòd intelligimus, quòd jure non fiat. Sed dicere, quòd CHRISTUS injuriosè aliquid habuerit, dicit hæreticum, cum ipse sit verum jus, & vera justitia: ergo concluditur, quòd omninò jus habuerint in rebus, quas habuerunt. *Argu. Inst. de rer. divis. in princ. de oblig. quæst. ex di. Nas. §. placuit.*

820 Prætereà, aut dicimus, quòd CHRISTVS, non habuit jus, aut dicimus quòd habuit jus in rebus, quas habuit: Si dicamus, quòd jus habuit, habebimus intentum: Si dicamus, quòd non habuit jus, expresè dicimus contra textum Evangelii, & Bibliæ; quia jam probatum est, CHRISTUM habuisse, & potuisse vēdere, & donare; sed donare non potest nisi habeat jus dominii; quia dare, est accipientis facere; quia si non esset dominus, non transferret jus in alium: ergo, &c. Nemo enim plus juris transfert in alium, quàm ipse habeat *ff. De acquir. rer. dom. l. Traditio.* ergo

ha-

habet jus; quia aliter esset dicere, CHRISTVM fuisse furem, & baratorem, & injuriosum, vt colligitur ex prædictis. Et ideò dico, prout mihi videtur, CHRISTVM, & ejus Apostolos habuisse jus in hoc, quod habuerunt, & contrarium esse hæreticum, & insanum, semper supponendo omnia correctioni Vestræ Sanctitatis, & Sanctæ Sedis Ecclesiæ Romanæ.*

821 Secundum locum teneat Cardinalis S. STEPHANI, qui optimè, eruditèque probat, hæresim esse, negare CHRISTVM, & Apostolos habuisse aliquid proprium, saltem in communi, (prout definit Joannes XXII.) vt habetur *in eodem Vatic. cod. M. S.* suprà laudato, in hæc verba:

**Responsiones Petri Cardinalis S. Stephani in Cœlio Monte.*

822 Evangelium dicit simpliciter, CHRISTVM, & Apostolos loculos habuisse: Ergo non licet alicui aliquid propter quod dictum hujusmodi confundatur, quinimò debet quicumque Fidelis Evangelium defendere, & confirmare, vsque ad mortem, & sanguinem, vt in præallegato *cap. Sicut quidam.* Item quatuor Evangelia sunt inviolabiliter observanda, velut fundata in quadrato lapide Fidei Sanctę, 15. *dist. Sicut Sancti.* Istud autem fundamentum est JESVS CHRISTVS, Dominus Deus Noster, vt *in cap. Fundamenta*, & sic non licet, aliquid addere, vel minuere de Evangelio; sed patet manifestè, quòd iste, qui sic asserit, addit, vel minuit aliquid de Evangelio: ergo *corruptor Evangelii* meritò potest dici, sicut illi Alogii dicuntur fractores, & violatores Evangelii, & verbi B. Joannis Evangelistæ, propter quod *in Canone Hæretici* judicantur, 24. *quæst.* 3. *cap. Quidam*, §. *Alogii.* Sic rectè talis asserens; si sit addens, vel minuens, *fractor* meritò potest dici, & per consequens, sicut dicti Alogii, hæreticus judicari.

823 Item nulla scriptura debet præferri Evangelio, & dictis Apostolorum 9. *dist. Cap. Quis nesciat.* Si enim aliquis dicat, quòd aliqui Sancti scripserunt, quòd CHRISTVS, & Apostoli habuerunt loculos propter imperfectos, hæc scriptura Sanctorum non debet præferri Evangelio, & dictis Apostolorum, imò Evangelium, vt suprà dictum est, servari debet, vsque ad mortem, & sanguinem. Item cum Sacra Scriptura legitur, vel docetur, non secundùm propriam virtutem ingenii debet intelligi, seu secundùm sensum alienum, sed secundùm sensum veritatis, & secundùm veritatem, traditam illis, quibus data fuerat primò ad servandum: sic loquitur *cap. Relatum*, 37. *dist.* Beatus autem Paulus, & alii Apostoli, qui habebant istam Legem à Deo, servaverunt eam secundùm veritatem: ergo secundùm observantiam eorum nos debemus intelligere istam Legem: & qui aliter intelligit, errat; quia secundùm sensum alienum intelligit, & non secundùm observantiam Apostolorum: ipsi autem Apostoli servabant eam, loculos habendo, in communi servando, necessaria emendo, & secundùm quòd opus erat vnicuique distribuendo, vt patet clarè per suprà allegata: ergo asserens aliter eos servasse, patet manifestè, quod negat eos non ita servasse. Iste autem, sic asserens, est hujusmodi: ergo est hęreticus censendus: si enim liceret cuilibet intelligere Legem Evangelicam, & Apostolicam secundùm propriam intelligentiam, seu secundùm proprium sensum, & quod dimitteret observantiam illorum, quibus Lex data fuit, hoc esset subvertere Legem, quod non licet, imò sic faciens hæreticus judicatur, 24. *quæst.* 3. *cap. final. in fine.*

824 Item Lex & Evangelium continent Jus Divinum *in cap. Humanum genus*, super quo Jure Divino, & ejus observantia omnes Fideles debent convenire: & si sit aliquis, qui non conveniat cum Ecclesia in observantia Juris Divini, & Legis Evangelicæ, hæreticus est censendus, 24. *quæst.* 1. *cap. Recta ergo fide*, & *cap. Hæc est Fides.* Ille autem, qui dicit, quòd Apostoli non habuerunt aliquid in communi, non convenit cum Ecclesia, & deviat à Fide; quia Lex Evangelica dicit, quòd habuerunt Apostoli aliquid in communi: quarè patet, quòd talis est hęreticus judicandus. Item plus peccat ille, qui defendit, & sustinet errorem, per alium probatum, quàm ille alius, qui primò dicens, errasset; quia talis defensor est illius erroris, & damnabilior illo est; quia nedum iste secundus errat, imò errorem aliis parat, & illius errorem confirmat; & ideò nedum hæreticus, imò potiùs hæresiarcha censendus est, 24. *quæst.* 3. *cap. Qui aliorum,*

rum, de verb. signif. super quibusdam iste hæreticus : ergo, &c. Iste autem affirmat illum non errare, qui errat, & contra Legem Evangelicam, & contra Ecclesiam, eamdem Legem servantem, istum sic errantem defendit, & ejus errorem confirmat, & sic per consequens in dictis suis innuit, quod Ecclesia errat, in eo quòd tenet, quod Apostoli habuerunt aliquid in communi: ille autem, qui credit, vel asserit, Ecclesiam errare, infidelis est, & hæreticus, 21. *dist. cap. Quamvis* 24. *quæst.* 1. *Loquitur*, & *cap. Non turbatur*, & *cap. Omnibus*. Quare patet, quòd hæreticus est censendus: Ecclesia enim, nec errat, nec errare potest, nec Fides deficere; quia rogavit CHRISTVS, quod non deficeret Fides Petri. In viam autem collationis prædictę, dico sub protestationibus suprà scriptis. *Ego Petrus S. Stephani in Cœlio Monte Presbyter Cardinalis S. R. E. Vice-Cancellarius.**

827 Non modò duo isti Cardinales, dignitate, & eruditione eminentissimi, sed etiam quàm plurimi alii, & Episcopi eruditione præstantissimi, à Joanne XXII. consulti fuerunt, vt in ea controversia de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate judicium suum proferrent, quos inter vnus è præcipuis fuit ANICIENSIS ANTISTES, qui eo tempore singulari doctrina clarissimus Pontifici consulenti sic respondit, vt habetur *in Manuscrip. Vat. Bibl. sign. num.* 3740. *Pag.* 129. *Concludo ergo quantum ad quæstionem ipsam propositam, quod dicere CHRISTUM, & Apostolos numquam aliquid habuisse in proprio, vel in communi, videtur mihi esse hæreticum, cum sit clarè contra textum Sacræ Scripturæ. Dicere autem, quòd in his, quæ habuerunt, non habuerunt nisi solùm vsum facti, & nihil dominii, seu proprietatis, non est adeò clarè hæreticum; quia Scriptura Sacra de hoc non loquitur pro, vel contra. Puto tamen quòd sit falsum, & radix erroris periculosissimi, qui apud aliquos insurrexit, videlicet, quòd Potestas, & Authoritas Ecclesiæ, quam CHRISTVS commisit Petro, & Apostolis, non manet apud Papam, nec apud Prælatos, pro eo quod non sunt Successores eorum, quia vt dicunt non imitantur vitam CHRISTI, & Apostolorum, nihil habendo in proprio, vel in communi.*

826 Et nè in re adeò perspicua diutiùs immoremur, non erit ab instituto nostro alienum hîc addere quid Cardinalis NOVELLVS, postea Pontifex BENEDICTVS XII. immediatus Joannis Successor, per id temporis de Fratricellorum erroribus scripserit, solutionem adhibens quibusdam oppositionibus adversus Constitutiones, de proprio, & communi, à Joanne XXII. editas; vt testatur NICOLAVS EYMERICVS, qui 2. *part. Director. quæst.* 17. *num.* 11. sic scribit: *Post prædictas determinationes factas de proprio, & communi, in Constitutionibus: *Cum inter*, & *Quia quorundam*, quàm plures Pseudo Fratres Minores, à communi vita, & moribus Ordinis deviantes, dixerunt, & falsò asseruerunt, infrà scriptas hæreses, & errores sequi ex dictis Constitutionibus, quas Dominus Benedictus XII. cum esset Cardinalis, recollegit, atque solvit luculenter per modum, qui sequitur.

827 Primò quidem asserunt, pro sui erroris fundamento, quòd Apostoli, & Religiosi, vitam Apostolorum sequentes, non habuerunt, nec habent in rebus vsu consumptibilibus, nec in non consumptibilibus vsu, aliquod jus dominii, vel proprietatis, aut jus vtendi in speciali, vel in communi: sed tantùm simplicem vsum facti, dominio, & proprietate talium rerum penes alium remanente.

828 Ad istud respondet Dominus Benedictus, & dicit, quòd prædictum fundamentum hæreticum esse declaratum est, prout in Decretali: *Cum inter nonnullos* continetur; quia (vt diligenter consideranti apparet) contrariatur Divinæ Scripturæ, Sanctorum Patrum Doctrinæ, & consuetudini totius Ecclesiæ.*

829 In hujus confirmationem operæpretium duximus, silentio non præterire S. ANTONINI judicium, quod optimè expressit, *loco sæpiùs laudato*, §. 27. vbi inquirit: Utrum sit hæreticum asserere, quòd CHRISTVS, & Apostoli nihil habuerint in communi? Sed quia de materia hæresis satis habetur in *Secunda Parte, tit. vlt.* ideò brevissimè hîc expedietur: *Sciendum igitur (inquit) quòd ad hoc, vt quis propriè dicatur hæreticus, quatuor requiruntur; Primum est error in intellectu, ita quòd malè sentiat de veritate: Vndè B. Augustinus dicit, quòd hæreticus

est,

est, qui falsas opiniones gignit, vel sequitur. Licet enim fornicans, vel furans agat contra veritatem, quę dicit *non mœchandum, nec furandum*, non tamen est hæreticus, nisi ęstimaret, & talia esse licita, & pertinaciter. Et ratio est; quia non habet errorem in intellectu, ex quo scit esse mala.

830 Secundum, quod requiritur ad hęresim, est, quòd talis error sit circa ea, quæ pertinent ad Fidem, vel contra veritatem determinationis Ecclesiæ in his, quę pertinent ad Fidem, & bonos mores, & necessaria ad consecutionem vitæ æternę. Si enim esset error in his, quę non sunt necessaria ad salutem, vt quòd Sol sit minor terra, vel alias conclusiones physicas, vel geometricales, non pertinentes ad Fidem, ibi non est hæresis, vel error periculosus saluti. Et quia determinatio dubiorum circa Fidem, vel Sacram Scripturam spectat ad Ecclesiam, & pręcipuè ad Summum Pontificem, vt 24. *quæst.* 1. *Quoties*; ideò in hujusmodi standum est determinationi Ecclesiæ, & Summi Pontificis præcipuè. Et pertinaciter asserens contra hujusmodi determinationem Ecclesiæ constituit hæreticum; sicut sentiens pertinaciter contra Fidem.

831 Tertium, quod requiritur ad hęresim est, quòd sit professus Catholicam veritatem, & si aliquis non esset professus Catholicam veritatem, quæ professio fit in Baptismo, vbi promittit se credere, quę sunt Fidei, vel Patrinus pro eo, si est parvulus, si malè sentiret de his, quæ sunt Fidei, vel Patrinus pro eo, si est parvulus, si malè sentiret de his, quæ sunt Fidei, & pertinaciter, ex quo non est professus talem Fidem Christianam, non diceretur hæreticus, sed Judęus, vel Paganus, qui sunt extra Ecclesiam; & de hujusmodi Ecclesia non judicat vt de hęreticis. Videtur etiam requiri, quod talis professus Fidem aliquid credat circa ea, quæ sunt Fidei Christianæ, pertinens ad Divinitatem, vel Humanitatem CHRISTI: si enim nullam veritatem de CHRISTO confiteretur, magis propriè diceretur *Apostata*, quàm *Hæreticus*; hæreticus tamen etiam diceretur, & vt hæreticus puniretur, & gravius peccaret, quàm si aliqua crederet.

852 Quartum, quod perficit hęresim, est, vt obstinata voluntate, & pertinaci illud eligat, vel sequatur errorem: vndè si aliquis non pertinaci malitia, & obstinata erraret circa ea, quæ sunt Fidei, paratus emendare se, quãdo sibi ostenderetur falsũ esse, quòd verum putat, talis non propriè diceretur hæreticus. Quòd expressè ostendit Augustinus 24. *quæst.* 3. *cap. Dixit Apostolus.* Et idem dicit: Errare potero, hæreticus non ero; quia scilicet pertinax non erat in suis opinionibus, sed paratus corrigere sententiam cum sibi fuisset error demonstratus: Vndè constat, & quotidie inter Doctores magnos etiam circa divina sunt opiniones diversæ, & aliquando contradictoriæ, quarum alteram necesse est esse falsam; tamen nulla reputatur hæretica, donec per Ecclesiam fuerit altera determinata. His igitur quatuor concurrentibus quis censetur hæreticus.

833 Nunc ad quæstionem respondendo. Cum Ecclesia determinaverit per Joãnem XXII. in ista Constitutione: *Quia*, quod CHRISTVS, & Apostoli habuerunt aliqua in communi, & contrarium asserere, judicavit esse hæreticum, ideò post istam determinationem pertinaciter asserere, CHRISTVM & Apostolos nihil habuisse in proprio, nec in communi, sed habuisse solum nudum vsum facti in omnibus rebus in quibus est vsus, qui vsus talis esset illicitus, est hæreticum, & vt hęreticus talis est puniendus. Ante verò istam determinationem tenere illud, etsi esset falsum, non tamen hæreticum, quia non erat declaratum, hoc esse contra Scripturam, quòd solus nudus vsus facti absque aliquo jure, vel dominio esset illicitus. Et per hoc potest excusari Alvarus (Pelagius) qui scripsit librum notabilem de Planctu Ecclesiæ, vbi multum diffusè prosequitur istam materiã tenendo & probando modo suo, sed non efficaci, CHRISTVM, & Apostolos nihil habuisse etiã in cõmuni: videtur enim nondũ contrarium ejus fuisse diterminatum, vndè submittit sententiam suam correctioni Ecclesiæ, & determinationi ipsius Joannis XXII. qui hoc determinavit tempore suo, contrarium scilicet declarando.* Hactenùs Sanctus Antoninus.

§. XVII.

Adversariorum Argumenta diluuntur.

834 QUamquam satis probatæ, & stabilitæ sint Assertiones, oppositæ errori bus, qui sub Joanne XXII. grassabantur, & Ecclesiam pernitiosissimè vexabant, satisque soluta, ac diruta sint aliqua argumenta, eis opposita; nihilominùs pro majori præcipuę Assertionis robore, ac elucidatione duximus non omittenda alia, quibus adversæ Sententię Authores probare contendunt, CHRISTUM, & Apostolos nihil in proprio, nec in communi habuisse, eosque in his rebus, quibus vtebantur, nullum Jus, nec in communi, nec in particulari, sed simplicem tantùm vsum facti obtinuisse.

835 Arguitur primò, ad probandum, CHRISTUM nulla temporalia bona quoad proprietatem, verumque dominium habuisse. *Matth.* 8. dixit CHRISTUS: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet*; sed ille, qui non habet, vbi possit reclinare caput, nihil habere videtur: Ergo nec CHRISTUS.

836 Confirmatur ex D. HIERONYMO, qui super eadem verba, *in Glossa D. Thomæ*, hæc habet: *Quid me propter divitias, & sæculi lucra vis sequi, cum tantę sim paupertatis, quòd nec hospitiolum habeam, & tecto vtar non meo?* Insuper D. JOANNES CHRYSOSTOMUS, super eodem verbo *Lucæ 9.* Paupertatem, quam Dominus nos suo exemplo docuit, hisce verbis demonstrat: *Non erat ei mensa, nec candelabrum, nec quidquam talium.*

837 Respondemus primò, CHRISTVM illis verbis *Matth.* 8. *Vulpes foveas habent, &c.* ad litteram non loqui de *vbi* locali terrenæ possessionis, sed ibi accipere *vbi* pro conscientia cujusdã Scribæ elati, & cupidi, qui dolosè, & fraudulenter dixerat CHRISTO: *Magister sequar te quocumque ieris*, non intendens sequi eum amore Fidei, aut Doctrinę, sed dolosè cupiens, alloquendo eum addiscere facere miracula, sicut CHRISTVS faciebat, & ex hoc cupiebat lucrari pecunias, & favores: & CHRISTUS, respondens illi Scribę, dixit: *Vulpes*, id est, dolositates, & avaritiæ: & *aves cæli*, id est, vanitates, & superbiæ, habent locum in conscientia tua: *Filius autem hominis*, id est CHRISTVS, non potest per gratiam in tali conscientia habitare, nec vbi caput reclinet habere: Non ergo loquitur CHRISTVS ad litteram de *vbi* locali, & terrenę possessionis, sed de *vbi* mentali, & spirituali illius peccatoris.

838 Respondemus secundò prędictæ Authoritati, aliisque consequentibus, oppositæ Sententiæ Authores, in eis peccare per fallaciam consequentis, arguendo ab inferiori ad superius negativè, & à particulari ad vniversale negativè, in quo casu est fallacia consequentis; sicut si dicerem, non est Petrus: ergo non est homo. Eodem ferè modo hîc arguitur: non habuit CHRISTVS *vbi caput suũ* reclinaret: ergo nihil habuit. Prædicta fallacia consequẽtis ab inferiori ad superius negativè liquet; posito enim, quòd non habuit *vbi caput reclinaret*, potuit tamen habere pecuniam, & multa alia mobilia. Huic solutioni assentitur S. ANTONINVS *4. part. sum. tit. 12. cap. 4. §. 26.* vbi exponens eumdem textum, dicit: *Concedimus, quòd Filius hominis, non habuit *vbi caput reclinaret*, id est domum; sed per hoc non tollitur, si non habuit immobilia, quòd habuerit mobilia in communi; licet enim CHRISTVS eo in loco domum non possideret, Nazareth tamen & lectum, & domum pauperculam habere potuit; & quamvis rerum immobilium dominium exercere noluerit, indè colligi nequit, quin rerum vsu consumptibilium dominio vteretur.*

839 Ad D. Hieronymi Authoritatem dicimus, eum ibi nihil aliud negare CHRISTUM habuisse, quàm domum, & tectum: Quòd si ex hoc inferatur: ergo nihil habuit de rerum temporalium vsu, est fallacia consequentis, vt dictum est. Ad illud D. Chrysostomi dicimus, hunc negare solùm, CHRISTUM habuisse domum, & vtensilia, seu supellectilia, domus, scilicet mensam, & candelabrum, & cætera hujusmodi: vndè dicit, *nec aliquid talium*, de aliis autem non negare, imò id arguere, esset fallacia consequentis. Huic solutioni suffragantur, quæ juxta D. THOMÆ, & D. AVGVSTINI Doctrinam respondemus ad eumdem textum, &

D.Hieronymi Gloſſam *num.*574.

840 Arguitur ſecundò, ex illo *Matth.*17.*Vade ad mare, & mitte hamum, &c.* vbi S.HIERONYMUS hæc habet: *Dominus tantę fuit paupertatis, vt vndè daret tributa non haberet. Judas quoque communia in loculis habebat, ſed res pauperum in ſuos vſus convertere nefas duxit, nobis exemplum præbens.* Non ergo CHRISTVS aliquid in proprio, vel in communi habebat.

841 Reſpondemus primò, S.HIERONYMVM *in Gloſſa* aſſerere, CHRISTVM pro tunc non habuiſſe vndè tributum ſolveret, nihilque plus negare, ſicque arguere: ergo nihil habuit abſolutè, eſſe fallaciam conſequentis; quia potuit habere multa alia; tributum enim, & vectigal non ſolvitur niſi de pecunia; CHRISTVS autem, & ſi tunc non habuit pecuniam, habuit tamen veſtes proprias, & potuit habere multa alia ſibi data, quæ ſufficiunt pro noſtra Concluſione firmãda.

842 Reſpondemus ſecundò, etiam ibi commiti fallaciam conſequentis non enim valet, CHRISTVS non habuit tunc, vndè tributum ſolveret: ergo abſolutè non habuit, vel numquam habuit; non, inquam, valet, frequenter enim multi divites pecuniam, vndè tributum ſolvant, actu non habent, qui tamen multis aliis bonis affluunt, & habent poſtea.

843 Iunititur hæc ſolutio S. ANTONINI Doctrinę, qui 4.*par. ſummæ, tit.* 12.*cap.*4. ad illud de Tributo hæc habet: *CHRISTO aliqua offerebanrur ſibi pro ſuis, & Apoſtolorum neceſſitatibus, aliqua vt pauperibus diſtribuenda, ſicut etiam hodie fit in Religioſis, & vtraque portabat Judas in loculis, aliquid de his, quę data erant eis ad vſum eorum, & ſi eſſent, quæ pauperibus eſſent diſtribuenda; ſed non ſequitur, quòd ſi tunc non erat in loculis aliquid in vſus ſuos convertendum, quòd numquam fuiſſet, imò expreſsè patet, quòd alias erant talia; nam cum ierunt in Sicar ad emendum cibos *Ioann.* 4. vtique de loculis receperunt illam pecuniam, & pro vſu CHRISTI, & Diſcipulorum ipſorum. Et ſic etiam quod Petrus dixit *Act.*4. *Argentum, & aurum non eſt mihi*, non ſequitur, quòd ſi tunc ſecum non habebat, quin alias potuiſſet habere in communi; & Mulieres, quę dicuntur miniſtraſſe CHRISTO, & Diſcipulis de facultatibus ſuis, non ſequitur, quòd ſemper hoc fuit, ſed tunc ipſe nec etiam in communi habebat. Sic viventibus in communi aliquando eis deficiunt etiam mobilia pro aliquo tempore: vndè non procurant per diverſos modos, nec etiam Mulieres forte continuè ſecutæ ſunt eum.* Hæc ille.

844 Vndè cum pecuniæ in diſtinctis loculis reponerentur, bene fieri potuit, CHRISTVM tunc in Judæ loculis non habuiſſe aliquid de eis, quæ ſibi pro ſuis, & Diſcipulorum neceſsitatibus data erant, ſed ſolùm de his, quæ erant data ad diſtribuendum cæteris pauperibus; & de ea pecunia noluit accipere ad ſolvendum Tributum pro ſe, & pro Petro, non quin poſſet licitè recipere, ſicut verus Dominus rerum omnium pauperum, ſed in hoc datum fuit nobis exemplum, ſicut dicit GLOSSA D.HIERONYMI, vt res pauperum in noſtros vſus non convertamus.

845 Arguitur tertiò, CHRISTUS, ceu omnis perfectionis exemplar, debuit in ſe ſummam perfectionem habere: cum igitur ſpiritualis vitæ perfectio in tribus, Continentiæ, Paupertatis, & Obedientiæ votis eſſentialiter conſiſtat, debuit vtique CHRISTVS in qualibet harum virtutum ſummum attingere; atqui ſumma paupertas eſt nihil in proprio, nec in communi habere: hanc ergo habuit CHRISTVS. Habuit enim in ſummo gradu continentiam; etenim non habuit Continentiã conjugalẽ, nec vidualem, ſed virginalem. Similiter, ad ſummum Obedientiæ gradum pervenit, *factus eſt* enim *obediens, vſque ad mortem, mortem autem Crucis, ad Philipp.* 2. quæ mors acerbiſſima fuit, & vtiliſſima: ergo debuit Paupertatem in ſupremo gradu obſervare; cumque hæc abdicationem omnium, tàm in proprio, quàm in communi ſecum afferat, hanc debuit ſervare CHRISTVS.

846 Reſpondetur primò, dupliciter ſumi poſſe Paupertatem; Primò, pro carentia, & privatione rerum, & ſic poteſt eſſe virtus informis. Secundò, vt paupertas eſt virtus Charitate formata; non oportuit autem, CHRISTVM ſummè perfectum attingere ſupremum Paupertatis gradum, primo modo ſumptæ, nempè, vt eſt virtus informis; aſſerimus tamen in eo mirificè fulſiſſe ſupremum paupertatis gradum, ſecundo modo conſideratæ, prout ſcilicet eſt virtus Charitate forma-

ta, cum pro nobis ſuprema Charitate pauper fieri voluerit.

847 Innititur hæc ſolutio S. ANTONINI Doctrinæ, qui *loco ſuprà citato*, §. 25. aſſerit, Evangelicam Paupertatem dupliciter accipi poſſe; vno modo quantum ad præparationem animi, & ſic eſt virtus non alia à Charitate, & iſto modo fuit CHRISTVS pauperrimus ſuper omnes, etiam Joanne Baptiſta; alio modo poteſt accipi ſecundùm effectum exteriorem, id eſt carentiam rerum, & ſic non eſt eſſentialiter virtus, ſed inſtrumentum valdè accomodatum ad perfectionem virtutis, & ſic CHRISTVS non fuit pauperior Joanne. *Sed hoc eſt advertendum (inquit Sanctus) quòd bonitas in inſtrumento, non attenditur ſecundùm quantitatem inſtrumenti, ſed ſecundùm proportionem ad finem, ſicut patet in medicina; & ideò non oportet, quòd CHRISTVS ſummam Paupertatem aſſumeret, quantum ad effectum exteriorem, alioquin nec debuiſſet habere victum, & veſtitum, ſed quod haberet Paupertatem magis congruentem fini noſtræ Redemptionis: ipſe enim, quòd pro ſalute hominum venerat, & converſari cum eis habebat: Vndè ſicut ſumpſit abſtinentiam non ſummam, vt Joannes Baptiſta, ſed conformem communi vitæ honeſtę; ita & paupertatem habens mediocrem, ſcilicet, cũ Apoſtolis, in communi mobilia habẽs, qui modus non habet aliquid viſcoſitatis, vt habere immobilia, nec anxietatis plurimum, vt non habere in communi, nec in particulari, modo declarato.*

848 Reſpondetur ſecundò, prędictum argumentum, ſi aliquid probat, probare etiam CHRISTUM nunquam debuiſſe niſi pane, & aqua ſuſtentari; nemo enim eſt, qui neſciat ſuperiorem Paupertatis, & Abſtinentię gradum eſſe, non habere niſi panem, & aquam, eiſque ali, quàm habere panem & vinum, carnes, & piſces comedere: ſi ergo habuit CHRISTUS ſupremum Puapertatis, & Abſtinentiæ gradum, tenere debuit vtique ſupremum earum virtutum gradum in vtendo, ſicut & in poſſidendo ſervare; ſicque non niſi pane, & aqua vti, eiſque veſci, quemadmodum multi Sanctorum Patrum feciſſe leguntur: Vndè infertur, Joannem Baptiſtam, qui non niſi locuſtas, & mel ſylveſtre comedebat, & camelorum pilis induebatur, CHRISTO, panem, & vinum, carnem, & piſces communiter comedente, perfectiorem fuiſſe ſimpliciter perfectione eſſentiali, quę juxta oppoſitæ ſententiæ Authores, in Paupertate eſſentialiter conſiſtit; id autem, ex prędicto argumento inferri, manifeſtè patet ex diverſis Scripturæ Sacræ teſtimoniis; nam *Matth.* 11. dicitur: *Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini.* CHRISTVS, camelorum pilis non indubatur, ſicut Joannes, ſed habuit plures tunicas, vnamque inconſutilem, vt *Joann.* 19. expreſsè traditur.

849 Illuſtrari poteſt hæc ſolutio ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina, qui 3. *part. Quæſt.* 40. *Art.* 2. exponens illud *Matth.* 11. *Venit filius hominis manducans, & bibens*, duplicem reddit rationem, cur CHRISTVS vitam ſummè abſtinentem cum Joanne non duxerit, ſed communẽ cum Apoſtolis, ſic ſcribens: *Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt (*præced. Art.*) congruum erat Incarnationis fini, vt CHRISTVS non ageret ſolitariam vitam, ſed cum hominibus converſaretur: qui autem cum aliquibus converſatur, convenientiſſimum eſt, vt ſe eis in converſatione conformet, ſecundùm illud *Apoſtoli* 1. *ad Corinth.* 9. *Omnibus omnia factus ſum*: & ideò convenientiſſimum fuit, vt CHRISTUS in cibo, & potu communiter ſe ſicut alii haberet. Undè Auguſtinus dicit contra Fauſtum (*lib.* 16. *tom.* 6.) quòd Joannes dictus eſt non manducans, neque bibens; quia illo victu, quo Judęi vtebantur, non vtebatur. Hoc ergo niſi Dominus vteretur, non in ejus comparatione manducans, bibenſque diceretur.*

850 Secundam rationem, cur CHRISTVS ſummã in cibo, potu, & veſtitu, abſtinentiã ſicut Joannes non ſervarit, aſſerit ANGELICVS DOCTOR eſſe: *Quòd Dominus in ſua converſatione exemplum perfectionis dedit in omnibus, quę per ſe pertinent ad ſalutem. Ipſa autem abſtinentia cibi, & potus non per ſe pertinet ad ſalutẽ, ſecundùm illud *ad Rom.* 14. *Non eſt Regnũ Dei eſca, & potus.* Et Auguſtinus dicit *in lib. de quæſt. Evang.* exponens illud *Matth.* 11. *Iuſtificata eſt ſapientia á Filiis ſuis*; quia ſcilicet Sancti Apoſtoli intellexerunt, Regnum Dei non eſſe in eſca, & potu, ſed in æquanimitate tolerandi,

quos nec copia sublevat, nec deprimit egestas. Et *in 3. de Doctr. Christ.* dicit: quòd in omnibus talibus, non vsus rerum, sed libido vtentium in culpa est. Vtraque autem vita est licita, & laudabilis, vt scilicet aliquis à consortio hominum segregatus abstinentiam servet, & vt in societate aliorum positus communi vita vtatur. Et ideò Dominus voluit vtriusque vitæ exemplum dare hominibus. Joannes autem, sicut Chrysostomus dicit *super Matth.* nihil plus ostendit præter vitam, & Justitiam: CHRISTUS autem, & à miraculis testimonium habebat. Dimittens ergo Joannem jejunio fulgere, ipse contraria incessit via, ad mensam intrans Publicanorum, & manducans, & bibens.* Hæc ille *ad* 2.

851 Ad id, quod supponit, & non probat argumentum, videlicet, abdicationem omnium temporalium, tàm in communi, quàm in proprio ad perfectionem per se, & essentialiter pertinere, negamus, absolutè ad perfectionem essentialem spectare, cum ANGELICO DOCTORE 2.2. *quæst.* 148. *Art.* 3. hæc scribente: *Vigiliæ, jejunia, meditatio Scripturarum, nuditas, & privatio omniũ facultatũ, nõ perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt; quia non in ipsis consistit disciplina illius finis, sed per illa pervenitur ad finem. (Et suprà præmisserat:) Ad perfectionem Charitatis istis gradibus ascendere nitimur.* Quod & confirmat Joannes XXII. in sua Constitutione: *Ad Conditorem*, docens, temporalium abdicationem essentialiter non pertinere ad paupertatis perfectionem, cum abdicatio, ad perfectionem disponat, & dispositio, non sit de essentia rei ad quam disponit.

852 Arguitur quartò, ad probandum, Apostolos non habuisse aliqua bona temporalia in communi, quoad proprietatẽ, & dominium. Primò, *Matth.* 10. dicitur: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam:: dignus est enim operarius cibo suo*; atqui omnia ista Apostolis à CHRISTO præcepta fuerunt, vt patet *ex ver.* 5. ejusdem capitis, & *Marci. 6.* vbi dicitur: CHRISTVM præcepisse eis, *ne quid in via tollerent.* (Vndè D. AVGVSTINVS *in Glossa* ad illud, quòd dixit Petrus contracto: *Aurum, & argumentum non est mihi*, ait: Quòd præceptum Domini Petrus servabat; non habens aurum, & argentum: (Ergo si Apostoli aliquid in proprio, vel in communi habuissent contra Domini Præceptum fecissent, mortaliterque peccassent; quod est absurdum nullatenus admittendum, maximè in his, qui Spiritus Domini primitias habuisse leguntur.

853 Secundò, *Matth.* 19. dixit CHRISTVS: *si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus*; sed qui vendit omnia, quæ habet, & dat pauperibus, nihil habet: Ergo Apostoli, nihil habuerunt: Eodem etiam capite Petrus dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*; si omnia reliquerunt Apostoli: nihil ergo apud se retinuerunt de bonis temporalibus: ergo nihil in communi, nec in proprio habuerunt. Tertiò, quia *Lucæ 9.* dicitur: *Omnis ex vobis, qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.* Qui omnibus renuntiat, nihil habet: Ergo, & Apostoli, & Discipuli CHRISTI nihil habuerunt. Tandèm D. JOANNES CHRYSOSTOMVS *in Glossa D. Thomæ Ioann.* 13. *Judas, inquit, loculos habebat: Nullus Discipulorum pecunias afferebat, sed per hoc, quod hîc dicit, occultè insinuat, quòd quædam mulieres eum de suis facultatibus nutriebant: Apostolos ergo concluditur, nihil habuisse de bonis temporalibus, ac per consequens, nec in communi, nec in proprio aliquid possedisse.

854 Huic argumento respondetur primò, absolutè negando in illis verbis: *Nolite possidere aurum, &c.*, includi præceptum, quo temporalia haberi prohibeantur, & in illis aliis: *Ecce nos reliquimus omnia*, contineri votum non habendi temporalia, nec in proprio, nec in communi prout oppositi Authores contendunt, hujusmodi enim votum, & præceptum irrationabile foret, siquidem ab omni ratione alienũ esse videtur, aliquẽ voto, vel præcepto obligari ad carendũ illis, quorũ vsus est in præcepto; atqui temporalium rerum vsus quoad vitæ necessaria naturali jure præcipitur, vt omnes norunt: ergo sese ad nihil vsus, vel juris in talibus habendum obligare ab omni est æquitatis ratione valdè alienum.

855 Quod duplici ratione potest haud inefficaciter demonstrari. Primò; quia jus in hujusmodi rebus, sive quoad vsum, sive

quoad

quoad ipsam substantiam, nihil aliud est, quàm potestas licitè vtendi illis, eorumque vsus sine jure illicitus est, vt suprà diximus; atqui præcipere, quòd homo careat eo, sine quo illicitus est illarum rerum vsus, est præcipere, quòd totaliter careat earum rerum vsu, vel quòd illarum vsus illicitè exerceatur, quorum vtrumque illicitum est, & Domini præcepto adversum: ergo dicere, præcepto Divino caveri, nè aliquis habeat vsum, & jus in his, quibus de jure naturæ vti debet, esset Deum illiciti præcepti authorem facere, præcipientemque contraria his, quæ naturæ jure præcipiuntur, vti scilicet temporalibus ad vitæ sustentationem necessariis.

856 Secundò; quia juxta omne jus in temporalibus rebus ad istarum vsum, tanquam ad finem ordinatur, præcipuè in his quæ necessaria sunt ad vitæ sustentationem, ad quam homo divino præcepto, naturalique jure tenetur: illud ergo præceptum, quo præscriberetur alicui, temporalibus rebus carere, jureque vtendi illis, præciperet carentiam illius sine quo temporalium vsus vel simpliciter, vel saltem æquè benè haberi non potest: nemo autem dubitare potest quin hujusmodi præceptum irrationabile foret, cum ex vna parte præciperet finem, vitę scilicet sustentationem: & ex alia prohiberet media sine quibus talis finis, vel simpliciter, vel saltem æquè benè obtineri nequit. Idem dicendum de voto, siquidem irrationabile esset & illicitum aliquem obligari ad carendum illo sine quo temporalium vsus, præcipuè quoad hoc, quod est in præcepto, simpliciter, vel ad minùs æquè benè haberi non posset. Nec CHRISTVS tale votũ vnquã emisit vt oppositi Authores censent, nec Apostolorum aliquis tale quid vovisse credendus, Quod clariùs innotescet adducta legitima, ac vera solutione, prædictorumque textuum elucidatione, qui nobis objiciuntur.

856 Ad illud ergo *Matth.* 10. *Nolite possidere aurum, &c.* respondemus primò, negando illis verbis quidquam aliud fuisse à CHRISTO Apostolis prohibitum, quàm temporalium rerum superfluitatem, inordinatamque solicitudinem, vt patet ex toto illo capite per Textum, & Glossam: Vndè prædicti textus verba, nec nos vrgent, nec ad propositũ faciunt. (Videantur solutiones, quibus eumdem Textum, expositionibus SS. AVGVSTINI, THOMÆ, & CHRYSOSTOMI abundè illustravimus suprà *num.* 436. *& sequent.*) Hęc solutio confirmari potest D. ANTONINI Doctrina 4. *part. Summæ, tit* 12. *cap.* 4. §. 24. *in fine*, sic prædicta verba exponentis: *Quia præcepit CHRISTVS ex intentione, vel prohibuit illis verbis inordinatum affectum ad terrena, & nimiam curam, & solicitudinem ad ea, quæ haberent, ne impedirentur ab actu prędicationis.*

857 Respondemus secundò, ea verba: *Nolite possidere aurum, &c.* non esse ad litteram, vt sonant, intelligenda. Quod multis suaderi potest, si enim prędicta Authoritas esset ad litteram intelligēda, dicere oporteret, Apostolis, sicut eis ex CHRISTI prędicto, vel ipsorum voto prohibitum fuit aurum, & argentum habere, sic fuisse in voto, & præcepto duas tunicas calceamenta, & virgam in via non portare, quod falsum est, cum CHRISTVS, & Apostoli oppositũ feciśse legantur: Vndè fieret Religiosos, qui Regulam sub Sanctis Apostolis constitutam profitentur, quales sunt qui S. Augustini Regulam sequuntur, cæteroſque Religionum Fundatores, qui suam Regulam ad CHRISTI, Apostolorumque imitationem condiderunt, illorumque alumnos non posse duas tunicas, vel calceamenta, & virgam portare, quod est absurdum omnino non ferendum, & à mente Sanctorum Patrum, & Fundatorum, qui suas Regulas, juxta Apostolicam vivendi formam, ediderunt, penitùs alienum.

858 Si verò dicatur, hæc de virga, pera, duabus tunicis, & calceamentis, non esse in litterali, sed in spirituali, ac mystico sensu intelligenda, vt exposuimus, & mox dicemus, pari ratione dicimus eodem sensu intelligendum illud: *Nolite possidere aurum, neque argentum*, cum omnia illa verba sub vnico sensu, & sine vlla interpositione in Evangelico textu contineantur.

859 Respondemus tertiò, hæc, & similia verba intelligenda esse, quoad præponendum Deum temporalibus rebus secundùm animi præparationem, non autem de temporalium abdicatione, secundùm effectum exteriorem. Pro cujus solutionis elucidatione sciendum est, in Sacro Textu, multa de temporalium abjectione, & parentum, aliorumque carnalium amicorum abdicatione dici, quæ in sensu à nobis explicantur.

plicato, & non vt verba sonant, intelligenda sunt; siquidem *Lucæ* 14. habetur: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*; Erit nè aliquis, qui asserere audeat, id sic accipiendum, vt prædictos, quantum ad naturam, odio prosequamur, qui Divino Præcepto inimicos diligere præcipimur? Absit tantus error. Prædicta ergo verba sic sunt, juxta S. AMBROSIUM, intelligenda vt â Deo parentũ amore nõ desistamus, ita scilicet, quod Dominum carnali parẽtũ amori præponamus. Deindè ad illud *Marci* 10. *Amen dico vobis: nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, &c.* hæc habet THEOPHYLACTVS: *Ea autem dicens, non innuit, vt patres relinquamus, non adjuvantes eos, nec vt ab vxoribus separemur: sed nos instruit præferre honorem Dei sæcularibus.*

858 Respondemus quartò, juxta D. Augustinum in pluribus locis, illud *Matth.* 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, &c.* & illud *Marci* 6. vbi præcepit Dominus Apostolis: *nè quid tollerent in via*, non fuisse præceptum, sed documentum: Vndè oppositum faciendo, mortaliter non peccabant, sicut nec Religiosi suorum Ordinum documenta, monitiones, scilicet, & cæremonialia transgrediendo, lethaliter delinquunt. Et quidem, non fuisse præceptum, patet; quia sub eodem contextu dicitur *Lucæ* 10. *Neminem per viam salutaveritis.* Nimis autem durum dictu videtur, Apostolos, Apostolicosque Viros, ad prædicandum euntes, si aliquem salutarent, mortaliter peccaturos. Præterea hæc dicta fuerunt Apostolis, & Prælatis, quibus succedunt Episcopi, eis enim dicta fuerunt, cum ad prædicandum mittebantur, quòd quidem exercitium Prælatis ex Officio, Religiosis verò, & aliis, ex commissione, vel privilegio competit: Vndè ex hoc desumpta est in Ecclesia Prælatorum forma, & Institutio, vt dicit BEDA. Atqui nullus dicet, Prælatos, ad prædicandum missos, mortaliter peccare, quòd aliqua in communi habeant; id enim esset, Sanctissimos Episcopos, & Ecclesiæ Doctores, vt Augustinum, Ambrosium, Hylarium, & Gregorium damnare, qui Ecclesiæ bona in communi possederunt, & laudabiliter dispensarunt: non igitur fuit præceptum, sed documentum non necessariò observandum.

859 Nec vrget illud *Marci* 6. *Præcepit eis, nè quid in via tollerent, &c.* præceptum enim, in Sacris Litteris, potest dupliciter intelligi; Primò strictè, pro necessaria obligatione, vt *Ioann.* 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis invicem.* Secundò largê, pro ducumento, vel admonitione, vt illud *Marci* 7. *Præcepit eis, vt nemini dicerent*, mutum scilicet, & surdum fuisse sanatum; durum enim est, dicere, illos, si id non servarent, sed aliis panderent, mortaliter peccaturos: Potiùs ergo dicendum est, ibi fuisse documentum, juxta S. Gregorium, ad docendum nos, humanas laudes vitare.

860 Respondemus quintò, illud: *Nolite possidere aurum*, non sic accipiendum esse, quasi Dominus Apostolis simpliciter, & vniversaliter habere quodcumque jus in temporalibus rebus interdixerit; concedimus tamen, id Dominum dixisse, cum eos misit prædicaturos, vt ab omni temporalium cura soluti, ne prædicatio impediretur, scirent, ea eis deberi ab illis, quibus prædicaturi erant: Vndè S. HIERONYMVS super illud verbum: *Dignus est enim operarius mercede sua*, dixit: *Et quia quodammodo nudos, & expeditos ad prædicandum Apostolos miserat, & dura videbatur esse conditio Magistrorum, severitatem præcepti sequenti Sententia temperavit, dicens: *Dignus est operarius cibo suo*, quasi diceret: tantùm accipite, quantùm in victu, & vestitu necessarium vobis est: Vndè Apostolus: *Habentes victum, & vestitum, his contenti simus.* Et alibi: *Communicet is, qui cathechizatur, ei, qui se cathechizat in omnibus bonis*; at quibus Discipuli seminant spiritualia, consortes faciant eos carnalium suorum, non in avaritiam, sed in necessitatem.* D. etiam CHRYSOSTOMUS super illud verbum, asserit: *Deindè, vt non dicant Apostoli: mendicantes ergo nos jubet vivere; & in hoc verecundarentur; monstrat eis, hoc debitum esse, operarios eos vocans, & quod datur *mercedem* appellans.* S. pariter AVGVSTINUS, super illud verbum: *Nolite possidere, &c.* dicit: *Vel aliter: cum diceret Dominus: *Nolite possidere aurum, &c.* &

con-

continuò subjecit: *Dignus est operarius cibo suo*: Undè satis ostendit, cur eos possidere hoc, aut ferre noluerit, non quòd necessaria non sint sustentationi vitæ hujusmodi, sed quia sic eos mittebat, vt eis hoc deberi demonstraret, ab illis, quibus Evangelium credentibus nuntiarent, tamquam stipendia militantibus; Apparet autem hîc non ista præcepisse Dominum, tamquam Evangelistæ vivere aliunde non debeant, quàm eis prębentibus, quibus anuntiant Evangelium; alioquin contra hoc præceptum fecit Paulus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat; sed apparet Potestatem dedisse dominum Apostolis, in qua scirent, ista sibi deberi; cum autem à Domino quid imperatur, nisi fiat, inobedientiæ culpa est; cum autem potestas, licet cuique non vti, & tamquam de suo jure recedere.*

861 Ordinans ergo Dominus eos, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere, illa Apostolis loquebatur, vt omninò securi huic vitæ necessaria, magna, vel adhuc minima non possiderent, nec portarent; ideòque addidit, *nec virgam*, ostendens à Fidelibus suis omnia Evangelii Ministris deberi nulla superflua requirentibus.

862 Nec valet dicere, hoc debitum, de quo Chrysostomus, & Augustinus loquuntur, intelligendum esse de titulo gratitudinis, non verò de juris debito. Non, inquam, valet; quia Chrysostomus asserit, vitæ necessaria esse Apostolis debita, sicut mercedem operariis; Augustinus verò dicit, necessaria debita esse Apostolis, sicut stipendia militantibus: additque, Dominum Apostolis potestatem dedisse, qua scirent ista sibi deberi; hujusmodi autem debitum, non tantùm gratitudinem, sed & jus quoddam importat; Quod expressiùs ostendit infrà AVGVSTINVS, dicens, Apostolum tali potestate non vtentem à suo jure recedere: talis ergo potestas est juris potestas, & non tantùm gratitudinis debitum.

863 Respondemus sextò, iterum negando, quòd Dominus Apostolis aurum, vel argentum, vel his consimilia prohibuerit, vniversaliter interdicendo quodcumque jus in temporalibus, & eorum vsum; Concedimus tamē, dominum id ob aliquas causas fecisse, quæ à Sanctis Patribus traduntur, & à D. ANTONINO, suprà laudato, breviter enumerantur his verbis: *Prima, vt ostenderet alimenta ab eis deberi, quibus prædicabant: & hanc rationem assignat D. Hieronymus. Secunda ad tollendum Apostolis omnem pusillanimitatem, & sollicitudinē superfluam circa temporalia: & hanc ponit B. Gregorius. Tertia, vt totam spem suam in Deo ponerent. Hanc tangit B. Cyrillus. Quarta, vt virtutem Magistri mittentis ostenderet, cum nihil eis defuerit; quam rationem CHRISTVS expressit *Lucæ* 22. *Quando misi vos sine sacculo, & pera, &c.* Quinta est, vt ista non haberent ad superfluitatem, & propter ista prædicarent.*

864 Respondemus septimò, illos textus *Matth.* 10. *Nolite possidere aurum, &c.* & *cap.* 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende, &c.* aliosque consimiles; non esse ad litteram, sed mysticè intelligendos, vt optimè præstitit D. THOMAS 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 6. *ad* 2. Et ratio est; quia ad litteram intelligi nequit id, cujus oppositum in Sacro Textu invenitur expressum; quoties enim è litterali sensu sequitur absurdum, ad mysticum est recurrendum, vt Sacri tenent Expositores, Sacræque nos docent interpretandi regulæ; at si prædicti textus essent ad litteram intelligendi gravissimum sequeretur absurdum, nullatenùs audiendum, Sacram nempè Scripturam sibi ipsi adversari, cum id ipsum, quod negativè habetur in his textibus, in aliis expresè affirmetur, vt ex sequentibus manifestè constare poterit.

865 *Matth.* 10. dicitur: *NOLITE POSSIDERE AVRVM*; ejus tamē oppositū legitur de CHRISTO *Matt.* 2. vbi dicitur, Magos ei Aurum, Thus, & Myrrhā obtulisse, & distinctè asserit GLOSSA: *Nō Mariæ, nec Josepho, sed Puero.* Prosequitur Textus *Matth.* 10. *NEQVE PERAM*; at contrariū habetur *Lucæ* 22. vbi CHRISTVS Apostolos alloquens: *Quando misi* (inquit) *vos sine sacculo, & pera, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil. Dixit ergo eis: sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter & perā.* Pergit Textus: *NEQVE DVAS TVNICAS*; oppositum tamen suo nos docuit exemplo CHRISTVS, cum *Ioann.* 19. plures tunicas habuerit; siquidem milites, qui crucifixerunt eum, diviserunt vestes in quatuor partes, Tunicam autem inconsutilem non diviserunt; Deindè. *NEQVE calceamenta*, dicit Textus; contrarium

verò

verò *Ioann.*1. videtur in eis verbis: *Non sum dignus vt solvã corrigiã calceamenti eius*, scilicet CHRISTI; *Actor.* etiã 12. dixit Angelus Petro: *Præcingere, & calceate caligas tuas*; *Marci*que 6. præcipit Apostolis CHRISTUS portare sandalia in pedibus: Sandalia autem Episcoporum sunt perfecta calceamenta. Et *Ephesior.6.* dicitur de Apostolis: *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* Subdit textus *Matt.*10. *NEQVE VIRGAM*; sed cõtrarium *Marci 6.* videtur expressũ, vbi Dominus præcepit eis: *Ne quid tollerent in via, nisi virgam. NEC PECVNIAM IN ZONIS*; sed contrariũ constat, ex loculis, quos Judas de CHRISTI mandato, vt ejus dispensator, portavit, de quibus fusè loquuti sumus in hac controversia, §.4.& seqq. Tùm, quia *Ioann.* 4. Discipuli abjerant in Civitatem, vt cibos emerent, non nisi de pecunia, quam portabant.

866 Ex quibus evincitur, eam Authoritatem *Matth.* 10. *Nolite possidere aurum, &c.* & similes, non esse grammaticaliter, & litteraliter intelligendas, quòd CHRISTVS interdixerit ibi, habere aliqua temporalia bona, aut jus aliquod habere in temporalibus rebus prohibuerit, de quibus ex Sacro Textu constat, CHRISTVM, & Apostolos habuisse, ac per consequens ex prædicto textu præceptum fuisse Apostolis, nihil habere in proprio, vel in communi, nec id colligi posse ex eis verbis, CHRISTI: *Nolite possidere aurum, &c.* nam vt optimè notat S. ANTONINUS, suprà laudatus, hoc fuit dictum, non solùm Apostolis, sed & septuaginta duobus Discipulis, vt habetur *Lucæ* 10. quando CHRISTUS designavit eos ad prædicandum; sed illis Discipulis septuaginta duobus non fuit hoc præceptum, scilicet, nihil habere, nec in proprio, nec in communi, quod & oppositi Authores non inficiantur: Ergo ex illis verbis concludi nõ potest, Apostolis illud fuisse præceptum.

866 Tùm etiam; quia per illa verba CHRISTVS Apostolis non magis earum rerum dominium, quàm vsum prohibuit, cum ait: *Nolite portare aurum, &c.* adeò vt pro illo tempore non deberent auri, & argẽti vsum habere, alioquin potuissent bonos florenos portare ad vsum suum, vt inquit Sanctus, dominio penes alium remanente, quod ipsi non dicunt, & apparet, ex textu. Pergit S. Antoninus concludens: *Et sic patet Conclusio, quòd ex illis verbis, in quibus se multum fundant, non potest haberi eis factum præceptum, quòd nihil haberent in communi, vel in particulari, sed nè ista temporalia portarent, & quærerent, tamquam incerti, & nimis solliciti, de quo viverent, & superflua tenentes nimis inordinatè ad ea afficerentur. Et secundùm hoc potest dici, fuisse eis, & successoribus præceptum, non simpliciter, ratione portationis, vel habitionis, sed ratione nimiæ sollicitudinis, & amoris.* Denique pro pleniori hujus textus intelligentia, omninò videndę sunt solutiones, quę ex D. AUGVSTINO, D. THOMA, & aliis à nobis datæ sunt *suprà num.436. & seqq.*

867 Ad illud *Matth.19. Si vis perfectus esse, vade, vende, &c.* & *Ecce nos reliquimus omnia*, respondetur, quemcumque Religiosum in qualibet approbata Religione ex suæ professionis voto, omnibus, quæ possidet, renuntiare, & omnia, quæ habet, Pauperibus, Religiosoque suo Collegio dare; quia omne Religiosũ Collegium est verè pauperum, cum nullus eorum aliquid habeat in proprio, & nihilominùs totũ Collegiũ habere potest aliàs multa tẽporalia bona in cõmuni: Vndè Religiosi sũt pauperes, & nullus per se potest habere aliquid proprium, licet omnes simul habeant proprium in communi, & in hoc sensu loquitur Decretalis, asserens: *Ingredientes Monasteria, se, aut sua Deo dicare.*

868 Huic solutioni, favere videtur S. ANTONINVS *vbi suprà* §.26. sic scribens: *Ad illam objectionem: Ecce nos reliquimus omnia, verum est; quia in proprio renuntiaverunt, & reliquerunt omnia.* (Et infrà aliquas Sanctorum authoritates, quæ in oppositum militare videbantur, exponens, sic prosequitur:) Omnes etiam authoritates, quæ dicunt, quòd interdixit eis (scilicet CHRISTVS Apostolis) omnia, vel quòd renutiaverunt omnibus, vel sunt intelligendæ, quantum ad modum hujusmodi, scilicet quòd non habebant in proprio, vel quantum ad curam providendi, & vt amoverent superflua: contempsit enim CHRISTVS, secundùm B. Augustinum, omnia mundi, quia in proprio, nam quę habentur in cõmuni, non dicuntur mũdi, sed Dei: quæ autem in proprio, munda dici possunt; fuerunt Apostoli extremę paupertatis, congruentis tamen Fini; & hoc

est

est habere tantùm in communi, & ad necessitatem, non autem ad superfluitatem mobilia. Illud Hieronymi: *Si vis perfectus esse, nihil habeas præter CHRISTVM*, intelligi potest, videlicet, in proprio; nam Religiosus verus nihil habere dicitur, licet Monasterium suum multa habeat, etiam immobilia; vel intelligitur, quoad affectum inordinatum.* Hæc ille.

869 Ad illud Chrysostomi: *Nullus Discipulorum pecunias afferebat, &c.* dicimus, quòd verũ est, proprias non attulisse; sed illę piæ, & devotæ mulieres, quæ sequebantur CHRISTVM, dabant CHRISTO, & Discipulis suis pecunias, & tunc erant communes totius Collegii, & de his communiter alebantur.

870 Arguitur quintò: Apostoli, juxta S. Remigium, in omnium temporalium rerũ abdicatione fuerunt ad primi hominis dignitatem revocati: atqui primus homo, eiusque posteri, si in originali justitia steriss ent, habuissent rerum vsu consumptibilium vsum sine earundem proprietate, & dominio, vt probare nititur Cęsenas, ex D. Clemente *in cap. Dilectissimis* 12. *quæst.* 1. Talẽ ergo vsum habuerunt Apostoli. Undè dicere, in rebus vsu consumptibilibus non posse vsum à proprietate, & dominio separari, est (inquit Cęsenas) vitam Apostolorum, & Religiosorum, Apostolos in proprietatis omnium rerum abdicatione imitantium, impugnare.

871 Respondetur negando, Primos Parentes in statu innocentiæ in nullo habuisse dominium, sed tantùm simplicem vsum facti (vt perperam aliqui ex oppositis Authoribus arbitrati sunt) saltem post illam benedictionem: *Crescite, & multiplicamini, &c.* hoc enim Sacræ Scripturæ videtur expressè adversari; siquidem *Genes.* 1. legitur Dominum primis Parentibus dixisse: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam.* Alia littera loco ejus, quod suprà dicitur, *& subjicite eam*, habet *& dominamini ei.* Et ipsam sequitur S. AVGVSTINUS *super Genes. ad litt. & in lib. de Civitate Dei, lib.* 14. *cap.* 21. Et sequitur: *Et dominamini piscibus maris, & volatilibus Cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Ex quibus manifestè apparet, primos Parentes post benedictionem prædictam, & terræ, & piscium maris, ac volatilium Cæli, & universorum animantium, quę moventur super terram, dominium in statu innocentiæ habuisse.

872 Quod si ex hac solutione occasionem sumpseris inquirendi: An illud dominium proprium fuerit Adæ, vel commune? Respondemus, hoc dominium, nihil cõmune habuisse cum Eva, Adami consorte; nam si prędictæ benedictionis tempore solus Adam formatus erat, & non Eva, sicut Scripturæ ordo manifestê innuit, cum illa benedictio fuerit Adamo data, extra Paradisum existenti, Eva verò formata fuerit, ipso Adamo in Paradisum translato, vt patet *Genes.* 1. & 2. indè manifestê evincitur, ante Evæ formationem dominium temporalium Adæ collatum, proprium fuisse, & non commune.

873 Confirmatur: nam commune esse non potuit, cum solus pro tempore illo Adam fuerit, & respectu vnius, qui non alios pro eo tempore habuit, nihil potest dici cõmune. Quod quidem expressè videtur innui *Eccles.* 17. vbi dicitur: *Deus creavit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum.* (Et sequitur:) *Dedit ei potestatem eorum, quæ sunt super terram, & posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum, & volatilium.* Ex quibus manifestè liquet, solum Adam dominatum fuisse: vndè sequitur, ipsum solum, per id tempus dominium habuisse; quia juxta D. DIONYSIVM *de Divinis Nomin. cap.* 12. à dominio dicitur: *Dominus, dominans, & dominator.*

874 Undè cum de solo Adam dictum sit, quòd *dominatus est bestiarum, & volatilium*, sequitur, eum solum dominum fuisse. Quod autem Eva tunc formata non esset, constat, cum statim post illa verba: *Et dominatus est bestiarum, & volatilium*, sequatur: *Creavit ex ipso adjutorium simile sibi.* Idipsum sensisse videtur S. DAMASCENUS *lib.* 1. *cap. fin.* vbi loquens de primo Parente, dicit: *Hunc igitur hominem Conditor masculum construxit, statuit, & tribuit ei sui ipsius dominationis gratiam, & in communione ejus prę-ter hanc ipsum fecit: vndè, & animalium nominatorum propheticè, & suorum donorum dominatorem effecit.* Alia littera habet: *Et suorum servorum dominatorem fecit*; & sequitur: *Fecit ex ipso auxiliatricem ipsius.*

875 Arguitur sextò, in Constitutione:

Ad conditorē, hæc habētur: *Si in rebus vſu conſumptibilibus poſſit vſus conſtitui, vel haberi, nequaquam ſimplex, nec à rei ſubſtantia, proprietate, ſeu dominio ſeparatus vſus hujuſmodi poteſt dici: cum per talem vſum, id eſt, vtendi actum, & in ipſo actu, & cum ipſo actu res hujuſmodi conſumatur, ac in ipſius rei exerceatur ſubſtantia, nec ſine ipſius rei cōſumptione eſſe valeat vſus talis. Ex quo patet, quòd vſ° talis, nec ſimplex, nec ſeparatus à dominio dici poſſit.* Ex quibus verbis ſic arguunt oppoſiti Authores, juxta S. AVGVSTINVM *lib. 1. de Doctrina Chriſtiana*, abuſus eſt *illicitus vſus*: ergo ex prædictæ Conſtitutionis verbis, noſtraque ſententia manifeſtè infertur CHRISTVM & Apoſtolos, alioſque ſanctos, quoties actus comedendi, bibendi & induendi exercuerunt, toties hujuſmodi rebus abuſos fuiſſe, quod ſentire, vel dicere, impium eſt, ac blaſphemum.

876 Reſpondetur, CHRISTVM, Apoſtolos, alioſque ſanctos Viros, panem comedendo, & vinum bibendo, abuſos fuiſſe illis rebus in eo ſenſu, quo abuſus in prædicta Conſtitutione ſumitur, pro rei nēpè conſumptione, vt ex ejus ſerie manifeſtè patet. Si dicas, id non valere, videlicet *abuti re*, pro rei conſumptione ſumi, cum neutiquam id ratione, vel authoritate probetur: tûm quia *abuti re*, sēper in mala ſignificatione ſumitur, vt patet *Gen. 34. Eſth. vlt. 1. ad Corin. 6.* pluribuſq; aliis Scripturæ locis.

877 Huic inſtantiæ reſpondemus, illud, quod dicitur, nec ratione, nec authoritate probari, *abuti* pro rei conſumptione ſumi, id falſiſſimum eſſe, vt patet in *lege enim ff. de vſufruc. earum rerū, quæ vſu conſumuntur, L. hoc Senatus §. ſi pecuniæ*, vbi hæc habentur: * Si pecuniæ ſit vſus fructus legatus, vel aliarum rerū, quæ in abuſu conſiſtunt, nec cautio interveniat, videndum, finito vſufructu, an pecunia, quæ data ſit, vel cęteræ res, quę in conſumptione ſunt, condici poſſint.* Undè præſpicuum fit, legislatorem in rebus, quę vſu conſumuntur, promiſcuè vſum fuiſſe verbis, abuſu videlicet, & conſumptione; & *eadem l. §. final.* dicitur: *Quæ in vſu fructu pecunię diximus, vel cęterarum rerum, quæ ſunt in abuſu, eadem & in vſu dicenda ſunt.* Item *ff. de jure-jur. L. ſed & poſſeſſori, §. ſed ſi rerum*, dicitur ſic: *Sed ſi rerum, in quibus vſus fructus propter abuſum (id eſt propter rei conſumptionem) conſtitui non poteſt, &c.* Vbi apertiſſimè abuſum, pro conſumptione recipit legislator.

878 Ex quibus manifeſtè elucet, Legislatores de rebus, quæ vſu conſumuntur propriè loquentes, negare vſum in illis locum habere, & concedere abuſum in eis locum obtinere; quiquidem abuſus, id eſt rei conſumptio; ſi fiat ab eo, cui jus abutendi, id eſt conſumendi, competit, erit licitus, ſi verò ab eo, cui jus non competit, illicitus eſt cenſendus; & quòd abuſus pro conſumptione ponatur congruit etiam rationi, præpoſitio enim ſenſum dictionis, cui per compoſitionem apponitur, augere, vel diminuere conſuevit: Vndè patet quòd rationi congruit, vt per illam propoſitionem *ab* ſenſus dictionis *vſus*, cui per compoſitionem apponitur, augeatur.

879 Inſuper nō rectè dicitur ab adverſariis, quòd abuſus quoties re, non voce dicitur, in malam ſignificationem accipiatur; in legibus enim Imperatorum *abuſus*, cum de rebus vſu conſumptibilibus agitur, in bona parte communiter ſumitur, vt ſuperiùs eſt probatum. In Sacra etiam Scriptura reperimus abuſū in bona ſignificatione accipi. Vndè *Ieremiæ* 18. Propheta, loquens cū Deo, ſic dicit: *Fiant corruentes in conſpectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.* Vbi *abutere*, non pro actu illicito, ſed pro licito debet accipi; cum in Deo abuſus in malam ſignificationem ſumi ea de re non poſſit citra blaſphemiam; tantum autem videtur, dixiſſe Prophetam: *Abutere eis*, ac ſi diceret: *Conſume eos*, ſicque patet, quòd *abuſus* etiam in Sacra Scriptura pro conſumptione ſumitur, & in bonam ſignificationem.

880 Septimò principaliter arguitur: quod eſt per Apoſtolicā Sedem in Fide & moribus ſemel definitum, & approbatum, non fas eſt deinceps contradicere. Hoc probatur *19. diſt. cap. Si Romanorum*, vbi dicitur: *Quod Apoſtolica Sedes probavit, hodie teneatur acceptum.* Et *cap. Si omnes, ead. diſt. & 24. quæſt. 1. cap. Hæc eſt fides.* Quod & ratio confirmat; quia, ſi aliquo tēpore Eccleſia aliquid cōtra Fidem declaraſſet, tunc non fuiſſet ſemper Virgo ſine macula & ruga; nec promiſſio CHRISTI teneret, qua promiſit *Lucæ 22.* Petro, Fidem ejus numquam defecturam: tunc enim Fides aliquo tempore defeciſſet. Sicut ergo ei, quod eſt per Evangelium definiti-

finitum, non est fas contradicere; sic pariter, quod est semel per Apostolicam Sedem circa ea, quę sunt Fidei, definitum, & approbatum, contraire non licet. Sed per Apostolicam Sedem semel fuit definitum, & approbatum, quòd CHRISTVS, & Apotoli nihil habuerunt, nec in propio, nec in communi quantum ad dominium: ergo oppositum asserere nefas esse videtur.

880 Minor probatur *extra. De verb. signif. cap. Exiit, in 6. §. Porrò*, vbi sic dicitur: *Dicimus, quòd abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum, non tàm in speciali, quàm etiam in communi, propter Deum meritoria est, & sancta; quam & CHRISTVS, viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit, quamque primi fundatores Militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfectè vivere, per doctrinę, & vitæ exempla in eos derivarunt.* Quę quidem Decretalis fuit per plures Romanos Pontifices confirmata, & etiam per Concilium Viēnense Generale; ac per consequens per Vniversalem Ecclesiam definitum fuit, quòd CHRISTVS & Apostoli nihil habuerunt, nec in proprio, nec in communi. Ex quo infert Cęsenas, definitum esse, quòd Fratres Minores habent vsum facti omnium rerum, quibus vtuntur, absque omni dominio, & proprietate: Ergo in rebus vsu consumptibilibus potest vsus facti à proprietate, & dominio separari.

881 Respondetur primò, quòd, sicut dicitur in Constitutione: *Ad conditorem*, verba prædicta intellexit conditor illius Canonis *Exiit* de rebus vsu nō consumptibilibus: Vndè negamus, intelligi de rebus vsu consumptibilibus, quod per pręcedentia, & subsequentia non mediocriter evincitur; ante enim proposuerat Pontifex, quæ sequuntur: *Cum in rebus temporalibus sit considerare præcipuum, proprietatem, possessionem, vsumfructum, jus vtendi, & simplicem vsum facti, &c.* (Postea sequitur:) *Condecens fuit, ei professioni, quæ sponte devovit CHRISTVM pauperem, in tanta paupertate sectari, necessariò vsu facti fore contentam.* Cum autem prædicta scilicet, proprietas, vsus fructus, jus vtendi, & vsus facti sumptus propriè, nequeant in rebus vsu consumptibilibus reperiri, sed proprietas tantùm, vt patet ex definitionibus vsus fructus; apparet quòd de rebus vsu consumptibilibus, in quibus præmissa nequeunt reperiri, non intellexit NICOLAUS Conditor Canonis, verba illa.

882 Hoc etiam apparet per ea, quæ in eadem Constitutione postea subsequuntur; sequitur enim: *Quòd prædicti (scilicet Fratres) sint vsu facti contenti, non obviat, quòd civilis providentia in humanis rebus constituit; (videlicet non posse vsum, vel vsum fructum à dominio perpetuo separari) nè dominium semper, abscedente ab eo vsufructu, dominis inutile redderetur.* Quæquidem lex de rebus illis intelligitur, quarum penes vnum vsus rei, & penes alium dominium possit, licet inutile, remanere, quòd nequaquam in rebus vsu consumptibilibus potest esse: cum in illis per vsum, seu abusum vsuarii substantia talis rei esse desinat, & per consequens proprietas etiam inutilis non subsistat, sicut dicitur in Constitutione: *Ad Conditorem*, supradicta. Si autem velit Cæsenas, ipsumque sequentes, quòd Fratres Minores in rebus vsu consumptibilibus habeant simplicem vsum facti, sequeretur, definitionem esse de impossibili cum probatum sit ex Constitutione JOANNIS 22. in rebus vsu consumptibilibus impossibile esse, reperiri vsum juris, vel facti à domino separatum: *Cum hoc (inquit Pontifex) rationi obviet, & juri repugnet.* Et Statutum à quocumque factum in contrarium non teneret, vt docet idem Pontifex in Constitutione: *Quia vir reprobus.*

883 In hujus confirmationem respondemus secundò cum S. ANTONINO *vbi suprà*, §. 23. vbi explicans Constitutionem *Exiit* Papæ Nicolai, asserit: *Cum ergo dicitur, quòd illa Decretali definitur, quòd CHRISTVS, & Apostoli nihil habuerunt quantum ad dominium in proprio, vel in communi, dico: quòd non est verum simpliciter, vel si alicubi diceretur, intelligendum esset quantum ad bona immobilia, non quantum ad mobilia:* & hoc videtur dicere textus *Lucæ 6.* cum dicit: *Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Non enim habebant CHRISTVS, & Apostoli domum, vel agrum, sed benè habuerunt eorum pretia. Quod dicitur ergo in illa Constitutione *Exiit*: (dicimus quòd abdicatio omniū rerū in proprio, vel in communi propter Deum, meritoria est, & sancta, quòd primi Fundatores, &c.) Dico, quòd abdicatio omnium rerum in proprio, vel in communi intelligen-

genda est omnium immobilium : & eodem modo, quod ibi dicitur, hanc expropriationem CHRISTVS docuit verbo, & exemplo firmavit: Dico, quòd intelligitur quantum ad bona immobilia, quæ primitiva Ecclesia habere noluit; quia futuram Ecclesiam in gentibus prævidebat: non autẽ de bonis mobilibus, nec etiam de immobilibus intellexit, quantum ad jus in vsu, sed solùm quantum ad jus & dominium in re simpliciter.

884 Tertiò respondemus, quòd in eandem sententiam ivit PARISIENSIS VNIVERSITAS, in eo tractatu, quem pro Joannis XXII. Authoritate edidit, extat quæ *in M.S. Bibliot. Vatic. sign. n.* 3240. *pag.* 148. sub nomine CARDINALIS VIENNENSIS de studio Parisiensi, denuò in lucẽ editus ab ODORICO RAYNALDO *ad annum* 1323 ibi enim *n.* 55. in favorem nostræ solutionis hęc observanda leguntur: * Ad quartum dicendũ; quòd quãdo dicitur in Decretali, quòd illã paupertatem, quæ est non habere, nec in proprio, nec in communi, CHRISTVS verbo docuit, & exemplo firmavit: dico, quòd intelligendum est de paupertate, quæ est non habere in proprio, nec in communi bona immobilia, quæ CHRISTVS numquam habuit, nec in proprio, nec in communi quantum ad dominium acquisitum, sicut patet suprà in secunda quæstione: sed de bonis mobilibus non est verum; quia CHRISTVS habuit aliqua pauca in communi. Videtur ista ratio ita esse rationabilis de jure, sicut illa, quam faciunt Doctores Juris, & Goffredus *quod lib.* 11. *quæst.* 4. super illo verbo *de extra. cum ad Monasterium*: Abdicatio proprietatis, & custodia castitatis adeò sũt annexa Regulæ Monachali, vt cõtra ea, nec Summus Pontifex possit licẽtiam indulgere. Quod exponitur: *non potest*, id est, *non debet*; quia *non potest* non dicit ibidem impotentiam, sed difficultatem.*

885 Quartò respondetur ad illud, quod tangitur in argumẽto, fuisse ab Ecclesia definitam, & approbatam, paupertatem, & abdicationem omnium rerum, tàm in proprio, quàm in communi juxta Decretalem *Exiit*, quam quidem approbarunt alii Summi Pontifices, Conciliumque Viennense. Non dubium esse, quin ab Ecclesia, & à Summis Pontificibus approbata sit ea paupertas, & abdicatio, tàm in proprio, quàm in communi, modo mox exposito de rebus immobilibus & in sensu, quo à Joanne XXII. Constitutio *Exiit* declarata fuit.

886 Uel aliter dicam, testium omni exceptione majorum sequutus sententiam, neutiquã ab Ecclesia, vt Dogma Fidei fuisse Fidelibus propositã eã paupertatem, quę abdicat omne dominiũ, tàm in proprio, quã in communi, etiam in rebus vsu consumptibilibus, simplici tantùm vsu facti reservato, juxta contẽta in Cõstitutione *Exiit*, prout optimè annotavit Cardinalis NOVELLVS (qui postea fuit Summus Pontifex BENEDICTVS XII. Joannis XXII. immediatus Successor) in suis responsionibus ad nonnulla obiecta contra Constitutiones Joannis XXII. quæ habentur apud NICOLAVM EYMERICVM 2. *part. Direct. quæst.* 17. vbi quintę obiectioni, quòd Decretalis *Exiit* fuisset per vniversalem Ecclesiam approbata, & in Concilio Generali Viennensi confirmata, respondet in hæc verba:* Quod numquam fuit approbata per vniversalem Ecclesiam aliter, nisi vt communes Constitutiones Papales, nec fuit approbata in prædicto Concilio, nec Dominus Clemens V. in Decretali *Exivi de Paradiso*, dixit, quòd dictam Decretalem *Exiit* Concilium Generale approbaverit, vel cõfirmaverit.* Et ad decimam oppositionem respondet sic: *Quod in nullo Concilio Generali Decretalis *Exiit* fuit confirmata, vel approbata, nec hoc poterit ostendi, & maximè cum Cõstitutio *Exivi de Paradiso*, non fuerit facta in Concilio Generali Viẽnensi, sed post Concilium in Avinione, vt habet fidedigna multorum relatio.*

887 Idipsum confirmatur altero omni fidedigno testimonio JOANNIS videlicet XXII. Authoritate, qui in Cõstitutione, *Quia vir reprobus*, ad id, quod obiecerat Michaël de Cæsena, confutando satisfaciens, inquit: *In hoc quod dicit, quòd ista Constitutio *Exiit*, fuit per vniversalem Ecclesiam approbata, dicimus, quòd quantum ad hoc scilicet, quòd Fratres Minores in rebus vsu consumptibilibus habent vsum facti, numquam fuit per vniversalem Ecclesiam approbata: Dicimus etiam, quòd non fuit in Viennensi Concilio cõfirmata, nec hoc poterit per Constitutionem aliquam, vel aliquas apparere, imò nec de Fratrum consilio promulgata.*

888 Nec obstat, quòd Regula S. FRAN-

FRANCISCI à quàmplurimis Summis Pontificibus sit approbata, ac per consequens ab Ecclesia; & cum in ea contineatur ea Paupertas, de qua loquimur, cum omnium abdicatione in proprio, & in communi, indè sequitur eam fuisse ab Ecclesia approbatam. Huic enim objectioni respõdere possumus cũ eodem Cardinali NOVELLO *ad 14. oppositionem*, quæ simili fundamento innitebatur, quod errasset Ecclesia in confirmatione Regulæ Fratrum Minorum: *Non sequitur (inquit) tùm quia ante Constitutionem *Exiit*, status Minorum fuit approbatus; tùm quia Regula eorum non dicit, quòd nihil habeant in proprio, nec in communi; nec dicit, quòd non habeat aliquod jus vtendi; nec dicit, quòd solùm sint contenti simplici vsu facti, ad quæ eos restringit Constitutio *Exiit*, quæ ostensa est quantum ad hoc impossibilis, per Dominum Joannem in suis Constitutionibus; sed dicit Regula prædicta, quòd *vivant sine proprio*, & quòd *nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem*, quæ verba possunt verificari si habeant in communi; nam solummodo prohibet, quòd Fratres habeant proprium, sicut Regulæ Basilii, Augustini, & Benedicti.* Hæc ille. Quibus non erit abs re addere, quæ idem Cardinalis Novellus *ad decimam oppositionem* asserit, nullatenus ad Fidei Dogma spectare, nec tanquam de Fide definitam fuisse Paupertatem, & omnium in proprio, & in communi abdicationem à Papa Nicolao in Constitutione *Exiit*, vt videre est in his, quæ sequuntur, verbis: *Quod autem dicit Dominus Nicolaus de CHRISTI Paupertate, & separatione dominii, &c. non continetur in Scriptura Divina, nec potest concludi ex ea, nec fuit positum sub Articulis Fidei:* Hæc pro nunc sufficiant de hac obiectione, aliis reservatis, pro concordia vtriusque Pontificis, de qua mox dicturi, & præcipuè in impugnatione Ellies sii, Parisiensis Doctoris, contendentis, de Fide definitam fuisse à NICOLAO III. *in Constit. Exiit*, eam Paupertatem, & abdicationem, de qua nunc locuti sumus.

***

CAP. V.

QVERITVR AN NICOLAI III. & Ioannis XXII. Constitutiones ita inter se adversentur, vt eorumdem Pontificum in definiendo Infabilitati officere valeant?

889 QVamquam ex hucusque dictis satis ostensum sit, ac luculentissimis Sacræ Scripturæ eloquiis, Sanctorum Patrum interpretatione fultis abundè probatum, NICOLAUM III. & IOANNEM XXII. *in constitutionibus de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate*, ab ipsis editis, Catholicè sanxisse, nullatenusque errasse, nihilominus, cum non desint tàm antiqui, quàm recentiores aliqui, qui idipsum inficientur, & oppositum propugnare non erubescant, operępretium me facturum arbitror, si de concordi prędictorum Pontificum mente, pręsertim in materia Fidei, accuratiùs denuò pertractaverim, vt illibatus tantorum Pontificum Fidei candor, Sole clarior eluceat, & tenax adversantium oppugnatio, vafricies, & calliditas penitus depellatur, totiquè Orbi manifestissimè eluceat, quàm inter se & Verbo Dei, Sanctisque Patribus præfati Pontifices in prædictis Constitutionibus consonè loquuti fuerint.

890 Relictis igitur antiquioribus Scriptoribus, de vtriusque Pontificis Fide perperam sentientibus, easque de Paupertate Constitutiones, ab vtroque editas, neutiquam in concordiam redigi posse existimantibus, quin vnus, alterve à Fide errasse probetur, de quibus in antecedentibus quęstionibus egimus, novissime hęc scribenti in manus incidit Tractatus Ludovici Elliesii Dupin, Parisiensis Doctoris, *de Antiqua Ecclesiæ Disciplina*, qui *differt. 5. §. 4.* non minus insipienter, quàm irreverenter, in diversos Pontifices invehitur, eorumque indefectibilem in definiendo Fidem, oppugnare conatur, præsertim Nicolai III. & Ioannis XXII. ob eorundem Pontificum Constitutiones, sinistrè intellectas. Sed vt de his, quæ ab hoc Authore produntur, melius possit judicium ferri, ipsum audiamus hæc, inter alia premissa, asserentem.

891 *Ioannes, vt eos (scilicèt Fratricellos eorumque sequaces) proscriberet, Constitutionem, *Cum inter* emisit, in qua fundamentum opinionis Nicolai, velut hæreticum, & erroneum, proscribit, declarans erroneum, & hæreticum esse, pertinaciter asserere, quòd CHRISTVS, ejusque Apostoli, nec in speciali, nec in communi aliqua, nec ipsa vendendi, vel donandi jus habuerint. (Et *infrà*:) Cum verò Fratres Minores à Nicolai III. sententia minimè propter hæc discederent, iterum Ioannes novam edidit Sanctionem *Quia quorumdam*, *anno* 1324. promulgatam, vbi manifestè illam Nicolai III. de spoliatione CHRISTI, & Apostolorum Doctrinam *pestiferam*, *erroneam*, *damnatam doctrinam*, *& hæresim*, *ac blasphemiam Catholicæ Fidei inimicam* pronuntiat; omnes, & singulos, qui eam docuerint verbo, vel scripto, vel in posterum docturi, & defensuri sunt, hæreseos damnat, & tanquam Hæreticos contumaces Romanæque Ecclesiæ rebelles, ab omnibus haberi mandat. (Et *infrà*:) Ex his autem abundè liquet, Romanos Pontifices, etiam solemniter aliquid definientes, errori obnoxios esse: cum enim Nicolaus, & Ioannes contrarium planè definiant, atque huic videatur hæreticum, quod ab illo determinatum est; necesse est alterum eorum, non modo in errore versari, sed & errorem solemniter definivisse.*

892 Et *infrà*, id probare contendit in hunc modum. *Nam primò IOANNES XXII. expropriationem, seu abdicationem dominii in rebus, quę vsu consumuntur impossibilem esse putavit. Cum (inquit) in ipso actu res cosumatur hujusmodi, ac in ipsius rei exerceatur substantia, nec sine ipsius consumptione esse valeat. At Nicolaus eam possibilem esse arbitratur.

893 Secundò IOANNES XXII. hujusmodi abdicationem inutilē esse sanxit, quippè ex qua nihil commodi accederet Romanę Ecclesiæ, nihil incommodi Fratribus Minoribus, qui nec propterea fuerint Pauperiores. At ê contra Nicolaus III. eam sanctam, & meritoriam esse sanxit, in eaque perfectionem Paupertatis consistere definivit, & contrarium sentientes proscripsit.

894 Tertiò IOANNES, Hæreticum, & blasfemum esse, ait, dicere, CHRISTVM, & Apostolos non habuisse proprietatē aliquam rerum, sivè in communi, sivè in particulari. At Nicolaus dicit, CHRISTUM, & Apostolos, verbo, & exemplo hujusmodi abdicationem docuisse.* Hæc ille. Verum quantum à veritatis scopo aberret in his Elliesius, apertè dignoscere poterit, quisquis tres illius propositiones candido, sinceroque animo perpenderit, & attentiùs considerarit; siquidem in eis, Nicolaum III. vel Ioannem XXII. in Fide errasse contendit, quòd in materia Fidei opposita definierint. At si illius fundamentum ad examen revocetur, illud falsissimum esse, liquidò constabit.

895 Quoad primum, demus ei expropriationem, seu abdicationem dominii in rebus vsu consumptibilibus à Ioanne XXII. impossibilē, à Nicolao verò possibilem judicari; quid tamen indè? An hinc argui poterit error in Fide, de his, quæ Fidei materia non sunt? Sanè: An in rebus vsu consumptibilibus vsus à proprietate, & vtendi jure separabilis sit, grave est inter Juris Interpretes disidium, & pro vtraque parte militant non inferioris notæ Authores; quin tamen aliquis cordatus, aut mediocri eruditione præditus eos in Fide errare senserit, quòd vnam, aliamvè ex his, & si cōtrariam oppinionem tenuerint. Cur ergo Sanctissimi Pontifices Nicolaus, & Ioannes in Fide errasse, judicandi sunt, in quo peritissimi vtriusque Iurisprudentię Authores non perhibentur errasse?

896 Undênam hausit Elliesius, dominii abdicationem in rebus vsu consumptibilibus fuisse, tanquam propositionem de Fide tenendam à Nicolao definitam? Habetur nè expressè in aliquo Sacræ Scripturæ Textu? Constatnè, eam fuisse ab Vniversali Ecclesia de Fide definitam? Continetur nè in ea Nicolai Constitutione vt de Fide tenenda, ac de Fide Fidelibus credenda proposita ea Propositio? Absit: Quis id vnquam dixit? Quis somniavit? Probet id Elliesius, exhibeat verba, quibus Fidei definitio facta sit, producat Authores, qui id dixerint, quique id sequuti fuerint; Scriptores evoluat, & nullum profectò inveniet, sic errantem, vt de Fide judicarit definitum, quod de Fide numquam fuit. Error autem in Fide esse nequit, quin sit contra expressam Fidei Veritatem, vt nemo sapientum ignorat. Dummodo ergo ab Elliesio non probetur, eam Propositionem esse in Sacro Textu expressam, vel ab Ecclesia definitam, vt de Fide credendam,

dam, neutiquam ei credendum, quod qui oppositum senserit in Fide errare putandus sit: Vndè quamvis demus Nicolaum sensisse, in rebus vsu consumptibilibus posse esse proprietatis, & dominii abdicationem, & Ioannem oppositum tenuisse, indè tamen argui nequit, aliquem ex eis in Fide errasse, aut ab ea defecisse.

896 Et nè quis existimet authoritate destitutos id dixisse legat Cardinalem BELLARMINVM, Doctrina clarissimum, & valdè de Ecclesia benemeritum, idipsum sentientem; asserit enim, triplicem quæstionem à Ioanne, & Nicolao tractari. Primò an in rebus vsu consumptibilibus possit separari vsus à dominio, in qua dissentientes invenit ambos Pontifices. Advertit tamen, hanc quęstionem ad Fidem non pertinere, vt ipse Ioannes dicit *in Extra. Quia quorundam.* Imò adhuc esse hac de re varias Doctorum Sentētias asserit, *de Romano Pontifice lib. 4. cap. 13.*

897 Idipsum jam ante Bellarminum tradiderat S. ANTONINVS 4. *part. sum. tit. 12. cap. 4.* his verbis: *Ex his patet error decimi Capituli Libelli Hæreticalis, quem ediderunt Fraticelli pro suæ hæresis defensione; dicunt enim, quòd in rebus vsu consumptibilibus potest separari vsus rei à proprietate, & dominio. Inducunt aliquas Authoritates, quæ non probant. Et quia Ioannes XXII. in Constitutione sua: Quia quorundam*, ita declaravit contrarium, & determinavit, scilicèt, quòd in hujusmodi vsus rei, vel vsusfructus non potest separari à dominio, & proprietate ipsius rei, vt in pane, vino, & hujusmodi, & pecunia, quæ vtendo distrahitur ab vno in alium: Vndè cui conceditur vnum, & reliquum: Et ideo CHRISTVS cum Apostolis in hujusmodi habendo vsum, habuit & dominium, & proprietatem eorum, in communi tamen cum Apostolis. Et quia hoc determinavit, dicunt eum Hæreticum, quia contra Scripturam. Cum tamen (inquit Sanctus) Scriptura nihil dicat, quod habuerint vsum tantùm, & non dominium.*

898 Consonat Cardinalis TVRRECREMATA *in Summ. de Eccles. lib. 2. cap. 112. ad 10.* vbi agens de Nicolai III. declaratione *in cap. Exiit*, qua præfatus Pontifex exponens S. Francisci Regulam, quæ cōtinet, quòd Fratres nihil sibi approprient, per suos Antecessores declaratam, asserit hoc observare debere, tàm in proprio, quàm in communi; hancque hujusmodi proprietatis abdicationem meritoriam esse, & sanctam, &c. Agens, inquam, citatus Cardinalis de prędicta Nicolai Declaratione affirmat: *Dominum Ioannem XXII. dictum Domini Nicolai declarare videlicèt, quòd CHRISTVS, & Apostoli, & Fratres Minores, habentes justum vsum, habent jus vtendi, & de bonis collatis Fratribus Minoribus intelligitur Dominus Nicolaus dominium sibi, & Romanę Ecclesiæ recepisse, quoad omnes res illas, in quibus potest separari vsus à dominio, quales non sunt, quæ vsu consumuntur. Tùm etiam, quia (vt Dominus Ioannes XXII. dicit) id non pertinet ad Fidem specialiter, quid, & qualiter Fratres Minores habeant. Istud enim non pertinet ad Fidem. Et in talibus, quæ non sunt de necessitate Fidei, & bonorum morum, generaliter Successor revocare, & mutare potest, quæ statuit Prędecessor, prout visum sibi fuerit expedire, cum in his par in parem habeat imperium.*

899 Suffragatur Cardinalis BRANCATVS DE LAUREA, *de Fide disp. 8. art. 5. §. 10. num. 354.* vbi exponens Decretalem Ioannis XXII. *Quia quorundam* sic concludit: *Ergo dum Ioannes definit, CHRISTUM, & Apostolos aliquid possedisse in communi, & loculos habuisse, & non simplicem vsum facti, sed juris in ea bona habuisse, quia poterant aliis dare, &c. non definit contra dicta à Nicolao, cujus dicendi formulam approbavit. (Et infrà:) Iterumque se declarat contra definitionem prædecessorum (quos inter Nicolaus, de quo præsertim loquitur) in materia Fidei nihil definivisse, quia nullus eorum in hac materia Paupertatis CHRISTI aliquid de Fide decreverat.*

900 Eadem fuit Eminentissimi Cardinalis AGVIRRE mens, & sententia, vt constare poterit ex ejus *tract. 2. Cath. Petri vindicat. disp. 32. sect. 2. num. 12.* vbi triplicem quæstionem inter vtrumque Pontificem fuisse tradit. Prima, an in rebus vsu consumptibilibus possit separari vsus à dominio? *Et hęc, inquit, nulla ratione spectat ad Fidem, & ideo nihil absurdi est, si fateamur, Ioannem XXII. adhęsisse opinioni neganti. Nicolaum verò affirmanti.*

901 Tandem dicat nobis Elliesius,

vbi in Sacra Pagina legit hujusmodi assertionem ad Fidem, vel mores pertinere? *Profectò* (vt verbis Ioannis XXII. vtar) *directè hoc non ad Fidem pertinet, cum de hoc Articulus non sit aliquis, nec sub quo valeat comprehendi, vt patet in Symbolis, in quibus Articuli Fidei continētur.* His celeberrimis eruditioneque conspicuis Authoribus (præter plures alios, illis, dignitate, non tamen doctrina inferiores, quos, quia obvios, duximus ommittendos) poterit suam inscitiam, & errorem agnoscere, ac depellere Ellies̄ius, quoad primam suam propositionem, qua non modo falsò, sed & temerè ausus est adscribere errori, quòd Ioannes in rebus vsu consumptibilibus expropriationem, vel abdicationem dominii non distinxerit à rebus, quæ vsu consumuntur, vel quod id Nicolaus negaverit.

902 Pro vberiori hujus nostræ Assertionis confirmatione, Lectorem remittimus *ad Apologiam pro Nicolai Fide tuenda*, à nobis editam suprà *cap.* 2. & ad ea quę pro vindicanda Ioannis Constitutione tradidimus, suprà *capite* 4. §. 7. & 8. vbi, Sanctorum Patrum mentem sequuti, validissimis rationibus demonstravimus, non posse licitum vsum à jure vtendi separari, præsertim in rebus vsu consumptibilibus à rei proprietate, seu dominio, juxta mentem Sanctissimi Pontificis Ioannis XXII. *in Constitutione, Ad Conditorem*, & *in Const. Quia Vir reprob.* cujus verba tradidimus *ibidem* §. 8.

903 Accedamus jam ad examinandam secundam Ellies̄ii propositionem, in qua vel *Ioannem XXII.* quòd dixerit hujusmodi omnis proprietatis abdicationem inutilem esse, quippè ex qua nihil commodi accederet Romanæ Ecclesiæ, nihil incōmodi Fratribus Minoribus, qui nec propterea fuerint pauperiores; vel Nicolaum III. quòd eam sanctam, & meritoriam sanxerit, & in ea Paupertatis perfectionem consistere, definierit, vnum, inquam, vel alterum ex his Pontificibus contraria definientibus, in Fide errasse, contendit.

904 Verùm nullum prædictorum Pontificum errori obnoxium fuisse, imò nullam esse in his, quæ decreverunt, contrarietatem, haud difficulter demonstrari poterit; si ad id, quod præstantissimi Authores tradidere, attendatur: Hanc difficultatem tetigit jam Cardinalis TURRECREMATA *de Ecclesia, lib.* 2. *cap.* 112. *ad* 10. ipsique visum fuit, nullam Nicolaum inter & Ioannem contradictionem in hoc inveniri, & citra Fidei periculum, ea, quæ in argumento objiciuntur, ab illis Pontificibus fuisse Decreta. Mentem suam his verbis ad rem nostram aptissimis expressit. *Ad decimam objectionem, quæ sumitur ex Declarationibus Ioannis XXII. quæ videtur contrariæ Declarationi factæ per Dominum Nicolaum III. respondetur, quòd in veritate non opponuntur, imò declaratio Ioannis XXII. optimè stat simul cum determinatione Nicolai. (Et *infrà*:) Quod verò de Ioannis verbo inducitur, quòd revocaverit quod Nicolaus determinavit; dicimus, quòd non est verum, sed benè declaravit id, quod Dominus Nicolaus dixerat, videlicèt, quòd Fratres Minores in rebus oblatis eis, nihil juris, & dominii habent, nisi solum simplicem vsumfructum, denudatum ab omni jure, & dominio, atque proprietate, tàm in speciali, quàm in communi, debere intelligi in rebus in quibus vsus potest separari à dominio, & proprietate, sicut sunt res immobiles, & multæ mobiles; non autem in rebus, quæ vsu consumuntur: & declarat, quòd Dominus Nicolaus intelligit, quòd Fratres Minores in rebus, quibus vtuntur, habent jus vtendi. Et certè absque præjudicio Domini Nicolai Dominus Joannes XXII. potuit hoc declarare.

905 Tùm, quia Dominus Nicolaus in sua Constitutione expressè dicit, quòd in dubiis, quæ circa determinata per eum occurrent, habeant dicti Fratres recurrere ad Sedem Apostolicam, per eam declarandis. Tùm etiam, quia Papa declarat Evangelium, sicut est de juramento &c. Sicut ergo Romanus Pontifex absque prejudicio Salvatoris declaravit, quòd præceptum de non jurando non se extendat, vt prohibeat in omni casu jurare, imò damnat Hæreticos, qui dicunt, quòd non licèt omninò jurare, sic potuit magis Dominus Joannes dictum Domini Nicolai declarare, videlicèt, quòd CHRISTVS, & Apostoli, & Fratres Minores, habentes justum vsum, habent jus vtendi, & de bonis collatis Fratribus Minoribus intelligitur Dominus Nicolaus, dominium sibi, & Romanę Ecclesiæ recepisse, quoad omnes res illas, in quibus potest separari

vsus

vsus à dominio, quales non sunt res necessariæ ad vitam, & quæ vsu consumuntur. Tûm etiam, quia vt Dominus Joannes XXII. dicit, id non pertinet ad Fidem specialiter, quid, & qualiter Fratres Minores habeant, &c.*

906 Idipsum sentire videtur Cardinalis BELLARMINUS, suprà laudatus, *de Rom. Pont. lib.* 4. *cap.* 14. sic scribens: *De secunda quæstione Nicolaus sentit, illam Paupertatem esse sanctam, & meritoriam, negat Joannes. Tamen nec Nicolaus hoc definivit, tanquam Articulum Fidei; nec Joannes directè hoc impugnavit; Joannes enim in illa extravaganti. *Ad conditorem Canonum*, solûm intendit, renuntiare dominio earum rerum, quæ donantur Franciscanis; quod Romani Pontificis ea esse asseverat Nicolaus. Renuntiare autem ejusmodi juri potuit Joannes.*

907 Eamdem Sententiam tenet Cardinalis AGVIRRE, loco superiûs laudato, *disp.* 32. *sect.* 2. his verbis: *Secunda quęstio fuit, an Paupertas, quę omne dominium à se removet, solo vsu relicto, sit sancta, & meritoria? Negat Joannes XXII. quoniam in Extravaganti *Ad conditorem Canonum* intendit renuntiare dominio rerum vsu consumptibilium, quæ donantur Franciscanis, consequenter ad illam suam opinionem priorem. Itaque supposito in his rebus non posse dominium separari ab vsu, concedit his dominium clausum in ipso vsu. Nicolaus autem, qui contrariam opinionem defenderat, solum permisit vsum, & negavit dominium. Quarè nec dissidium vtriusque Pontificis spectavit ad Fidem, nec quidquam ea in parte definire ex Cathedra voluerat Nicolaus, sicut nec ab eo se recedere circa aliquid ad Fidem spectans testatus fuit Joannes XXII.*

908 Subscripsit Reverendissimus P. DOMINICVS à S. TRINITATE, eruditione præstantissimus, quondam Ordinis Carmeli Discalceati in Italia Generalis, *lib.* 3. *Bibliot. Theol.* circa quęstionem: An illa Paupertas, quæ omne dominium à se removet, solo vsu retento, sit perfectissima? sic enim scribit: *Licêt Nicolaus affirmativam teneat partem, illam tamen non definivit tamquam rem Fidei, nec etiam Joannes directè illam impugnavit, sed *in Extr. Ad conditorem Canonum*, solummodò intendit, renuntiare dominio earum rerum, quæ donantur Franciscanis, quod Romani Pontificis ea esse asseverat Nicolaus: renuntiare autem ejusmodi juri potuit Joannes.*

909 Nec dissentit NATALIS ALEXANDER *sæcul.* 13. *&* 14. *dissert.* 11. *art.* 1. *n.* 3. ibi enim interpretationem Joannis XXII. secutus asserit: *Nulla est Constitutiones inter Joannis XXII. & Nicolai III. dissensio, quamvis in specie pugnare videantur. Duas enim quæstiones attingunt; prima est de Paupertate CHRISTI, & Apostolorum; altera de jure, & dominio Fratrum Minorum in res ipsis ad vsum concessas. Prima Fidem spectat, altera, Philosophiam Moralem, & Jurisprudentiam.* (Et *infrà num.* 4.) *Quod spectat controversiæ caput alterum de Fratrum Minorum arctissima Paupertate, an simplicem dumtaxat vsum facti, an jus etiam, & dominium habeant his in rebus, quæ vsu consumuntur, non pugnant etiam Nicolai III. & Joannis XXII. Constitutiones: (ob rationes desumptas ex Constitutionibus Joannis XXII. sui prædecessoris Nicolai III. mentem exponentis) quia Nicolaus III. eorum tantûm bonorum dominium Ecclesię Romanę reservavit, quorum simplex vsus facti ad Fratres Minores pertinere potest, quod nequaquam potest in rebus vsu consumptibilibus reperiri, in quibus, nec jus vtendi, nec vsus facti separata à rei proprietate, seu dominio possunt constitui, vel haberi. Et quòd his de rebus non intellexerit Nicolaus, evidenter ostendit, dùm respondet Legi, dicenti: *Non posse vsumfructum à dominio perpetuò separari*, nê dominium dominis, semper abscedente vsu, inutile redderetur. Quę quidem lex de rebus illis intelligitur, quarum penes vnum vsus rei, & penes alium dominium possit, licêt inutile, remanere; quod nequaquam in rebus vsu consumptibilibus potest esse, cum in illis per vsum, vel abusum vsuarii substantia talis rei esse desinat, & perconsequens proprietas etiam inutilis, non subsistat.*

910 Pręterea si simplex vsus absque jure vtendi in hujusmodi rebus haberi pos-

posset, vsus ille justus non esset; vsus autem non justus, perfectionis statui potius derogat, quàm ipsum juvet, ac promoveat; quod autem vsum non justum Fratribus Minoribus reservandum intellexerit Nicolaus, nemo sapientum existimavit. Imò justum vsum intellexisse, ex eo compertum est, quòd in eadem Constitutione adjecit, quòd illarum rerum dumtaxat in se, & Ecclesiam Romanam recipiebat dominium, quarum vsum facti liceret habere Fratribus, seu Ordini antedictis, subjungens, quòd non rerum omnium vsum habere debeant Fratres ipsi. Quantum autem ad vsum facti simplicem absque omni jure vtendi attinet, nulla rerum quoad Fratres differentia est censenda; sic enim vti de facto possunt prohibitis, vt permissis. Vsus itaque facti, de quo loquitur Nicolai III. Constitutio, non alius intelligendus est, quàm qui justus sit, id est, pro quo competat jus vtendi; & hoc exprimit evidenter, cum in eadem ordinatione adjecerit, quod moderatus vsus in expressis priùs rebus ipsis Fratribus est concessus. Ita Decretalem Nicolai III interpretatur Joannes XXII. *in extravag. ad conditorem. Et in extravag. Quia quorundam.* Sed quamvis Joannes XXII. à Nicolao III. dissensisse videatur, neutrum tamen in Fidei dogmate errasse compertum est: siquidem hujusmodi quæstio ad Fidei summam non spectat, sed ad Jurisprudentiam, ac Moralem Philosophiam.* Hactenus ille. De rationibus ex Constitutionibus Joannis XXII. desumptis, quas commemorat, aliisque, quibus licitum vsum à jure vtendi in rebus vsu consumptibilibus separari non posse probatur, vberiùs egimus suprà *cap.* 4. §. 8. per totum, vbi idipsum non modo Joannis XXII. verùm, & S. JOANNIS CHRYSOSTOMI, DIVI THOMÆ, ac Sacri Textus authoritate latè probavimus, quæ non mediocriter huic Sententiæ favere videntur.

911 Audire etiam liceat Eruditissimum DOMINICVM GRAVINA, Primarium Neapolitanæ Vniversitatis Moderatorem, qui 2. *part.* 4. *tom. de Infallibilit. in Decret. Fid. art.* 7. §. 5. vtriusque Pontificis dissidium optimè componit absque vllo Fidei præjudicio. *Quare ad conciliationē horum Pontificum, diligenter advertendum est, quid sub Fide cadat, & quid inter opinabilia. De Fide determinatum est, CHRISTUM, & Apostolos habuisse aliquid in communi. Secundò, CHRISTUM Dominum duplex Paupertatis genus exercuisse, & verbo, & exemplo eandem docuisse. Inter opinabilia relictum est quid, & qualiter PP. Franciscani res habeant; & similiter an in rebus vsu consumptibilibus distinguatur dominium ab vsu. In his autem potest Successor revocare statuta Prædecessoris; sed non revocavit Ioannes, quod Nicolaus dixerat, quod Patres Minores in rebus oblatis non habent nisi solum simplicem vsum facti absque dominio, & proprietate, sed id declaravit debere intelligi, (vt ait Turrecremata) in rebus, vbi potest separari vsus à dominio, & proprietate, vt in rebus immobilibus, & multis mobilibus, quæ vsu consumuntur: Et Nicolaus idem commendat eam Paupertatem excludentem immobilia, & multa mobilia, non eam, quæ excludit jus vtendi, & justum vsum, nec illam, quæ privat jure, & dominio in res vsu consumptibiles, cum sit impossibilis.* Hactenus ille.

912 Tandem non possumus silentio præterire quæ novissimè à magno Fidei Zelatore, eximiæ eruditionis Scriptore, AUGVSTINO REDINCH traduntur *in volumine O Ecumen. Cathedræ Apost. adversus quatuor Cleri Gallicani Propositiones, & Asserta in Conventu Parisiensi anno* 1682. *edita, tract. de Infallibilit. Rom. Pontif. art.* 4. *disquis.* 4. *num.* 135. vbi pari modo cum cæteris, quos tradidimus, Ioannis, & Nicolai Decreta nullatenus in materia Fidei discordare arbitratur, sic scribens: *Liquet illos Summorum Pontificum in speciem discrepantes Canones re ipsa minimè discordare, vel aliquid Divinæ Doctrinæ contrarium ex alterutra parte sancire. Nam in primis Nicolaus IV. non definiendo, sed suam explicando Sententiam solummodo pronuntiavit, Paupertatem, quæ nec in communi, nec in particulari quidquam possidet, esse perfectiorem, ac magis meritoriam, quod Ioannes XXII. directè non impugnavit, sed tantùm renuntiavit juri, quod Pontifex Romanus habere dicebatur in possidendis omnibus Fratrum Minorum bonis.* Verùm, vt huic concertationi finem imponamus, oportunum nobis visum fuit, sequens dubium examinare circa vltimam Ellies propositionem.

§. I.

§. I.

An inter Pontifices Nicolaum, & Ioannem, eorumque de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate Decreta, dissidium aliquatenus in materia Fidei considerari queat.

913 ELliesius Dupin, *vbi supra in 3. puncto* horum Pontificum Decreta de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate, sic inter se dissidentia existimat, vt non dubitet, quin vnus, aliusvè in his in errorem Fidei contrarium lapsus fuerit. Sed cum id nullo fundamento fultus, sed solo calumniandi pruritu in Summos Pontifices temerè invectus asseruerit, nullam prorsus promeretur Fidem; Authori enim non probanti, quis crediderit, præsertim in re tanti momenti calumniāti? At pro illibata vtriusque Pontificis Fide in oppositum stant præstantissimi Authores, Catholicam vtriusque Pontificis mentem exponentes, eorumque Decreta in concordiam redigentes, quin eisdem Pontificibus, etsi in aliquo dissidentibus, quidquam Fidei adversum sensisse possit adscribi.

914 In primis Cardinalis BELLARMINVS id expresse testatur, siquidem triplicem proponit quæstionem. Prima, an in rebus vsu consumptibilibus possit vsus à dominio separari? Secunda, an Paupertas, quę omne â se removet dominium, solo vsu retento, sancta sit, & meritoria? Tertia, an CHRISTVS talem Pauperratem verbo, & exemplo docuerit? Quo supposito ad hanc vltimam respondens hæc, ad rem nostram aptissima, scribit: *De tertia quæstione (quæ omnium gravissima est, & ad Fidem pertinet) non dissentiunt Nicolaus, & Joannes; nam Nicolaus dicit, CHRISTUM aliquando perfectissimam illam Paupertatem verbo, & exemplo docuisse, aliquando autem Pauperratem minus rigidam exemplo demonstrasse, tanquam communem omnium Patrem, & Doctorem. Ioannes autem definit, esse hæreticum asserere, CHRISTVM nihil vnquam hîc in terris habuisse proprii, nec in speciali, nec in communi, quæ duo non pugnāt; nam Nicolaus non negat CHRISTVM aliquando habuisse aliquid proprii, saltim in communi, sed negat semper talem vitam CHRISTUM egisse; Ioannes quoque non negat CHRISTVM aliquando nihil habuisse proprii, nec in speciali, nec in communi, sed negat semper talem vitam CHRISTVM egisse.*

915 Ejusdem Sententiæ fuit Cardinalis BRANCATVS DE LAVREA, vbi *suprà*. Pro cujus intelligentia supponendum est, Ioannem XXII. in Constitutione: *Cum inter nonnullos*, duo de Fide sanxisse: primum, pertinaciter asserere Redemptorem nostrum IESVMCHRISTVM, ejusque Apostolos in speciali non habuisse, nec in communi, erroneum, & hęreticum esse censendum. Secundò, pertinaciter Redemptori nostro, ejusque Apostolis in his, quæ ipsos habuisse Sacra Scriptura testatur, nequaquam jus vtendi seu consumendi competiisse, nec illa vendendi, aut donandi jus habuisse, &c. quę tamen ipsos de præmissis feciisse Scriptura Sacra testatur, erroneum esse, & hæreticum. Quo præmisso videndum restat, an ea, quæ à Nicolao III. dicuntur in Constitutione: *Exiit suprà dicta* §. *Cæterum* (vbi asserit abdicationem proprietatis omnium rerum non tàm in speciali, quàm in communi propter Deum meritoriam esse, & sanctam, quam & CHRISTVS, viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit) adversentur definitionibus Fidei supradictis à Ioanne XXII. editis. Quibus positis respondet dictus Card. Brancatus, nullam in materia Fidei inveniri oppositionem: *Nicolaus IV. (inquit *num.* 350.) ob prædicta verba in nullam hęresim incidit, neque ex Constitutione Ioannis XXII. damnatus remanet, neque ejus Doctrina circa CHRISTI Paupertatē. *Quod probat sic:* Nicolaus in hoc puncto Paupertatis CHRISTI nihil dixit Sacrę Scripturę contrarium, quia docuit, CHRISTUM quo ad se, & pro se nihil proprium possediisse, & sine omni prorsus mundana proprietate potuisse vivere, & ita vixisset, nisi aliquibus infirmis eam vitam imitari impotentibus debuisset compati, & normam vivendi suaviorem ostendere; qua de causa, & loculos in sua societate habere permisit.*

916 Eamdem Sententiam sequutus Eminentissimus Cardin. AGVIRRE *vbi suprà, disp. 32. sect. 2.* nullum invenit in Fide circa hanc vltimam quæstionem inter præfatos Pontifices Nicolaum, & Ioannem dissidium. Qua propter *numero* 12.

sic

sic respondet: *Supereſt itaque ſola III. quæſtio, eaque ad Fidem ſpectans: An CHRISTVS juxta Sacras Litteras docuerit verbo, & exemplo Paupertatem: illam, quæ omne dominium removet ſolo vſu relicto? Circa illam verò nequaquam contrariantur invicem ambo Pontifices; Nicolaus enim diſtinguit, aitque, CHRISTVM Dominum aliquando perfectiſſimam illam Paupertatem verbo, & exemplo docuiſſe; aliquando verò Paupertatem minus rigidam exemplo demonſtraſſe, veluti communem Patrem, & Doctorem. Ioannes verò definit, hæreticum eſſe dicere CHRISTVM nihil vnquam in terris habuiſſe proprii, nec in ſpeciali, nec in communi. Hoc autem nullatenus pugnat cum Doctrina illa Nicolai; hic enim non negavit CHRISTVM aliquando habuiſſe aliquid proprii, ſaltim in communi, ſed ſolùm negat CHRISTVM ſemper egiſſe talem vitam. Ioannes quoque non negat, CHRISTVM aliquando nihil habuiſſe proprii, nec in ſpeciali, nec in communi, ſed ſolùm inficiatur CHRISTVM ſemper egiſſe talem vitam. Patet verò, diligenter conſideranti, nullam eſſe inter Doctrinam vtriuſque contradictionem:* Quomodo autem vniuſcujuſque eorum Doctrina in ea parte ſit vera, & conformis Evangelio, vide apud laudatos Authores.

917 Ex hac trium Cardinalium Doctrina, & Dignitate Eminentiſsimorum liquidò conſtat, nullum fuiſſe Ioannem inter, & Nicolaum in materia Fidei diſcrimen in his, quæ de CHRISTI, & Apoſtolorum Paupertate decreverunt. Examinandum tamen reſtat, adverſus tertiam Elliesii propoſitionem.

§. II.

An abſque aliqua contradictione Decreta ab eiſdem Pontificibus edita poſſint concordari?

918 HVic difficultati affirmativè reſpondentes, aſſerimus non defuiſſe Authores, & quidem præclariſsimos, qui prædictos Pontifices, abſque vllo contradictionis nævo conati ſint concordare. Sicut nec defuere, qui vt ab hac difficultate ſe breviter expedirent, dixerint, Decretalem *Exiit* à Nicolao III. editam, fuiſſe à Ioanne XXII. revocatam, ac per conſequens non obſiſtere ejus Conſtitutioni: Vndè argumentum ſumptum ab illa non concludere. Verùm hoc non obſtare, nec veritate inniti, clarum eſt, docente S. ANTONINO *tom. 4. tit. 12. cap. 4. §. 23.* quòd *Decretalis aliqua poteſt dici revocata dupliciter; vno modo, tanquam falſa, ſicut quando determinatur expreſsè, falſum eſſe, quòd in illa continebatur, & ſic dicunt aliqui, illam Decretalem *Exiit* non eſſe revocatam, per illam aliam ſubſequentem: *Quia nonnumquam* (Ioannis videlicèt XXII.) Alio modo poteſt dici revocata, quia dubia, quia ſcilicèt contenta in illa ſub dubio revocantur; & ſic dicunt, quòd fuit revocata. Quod declaratur ſic: illa Decretalis dicitur revocari, tanquam dubia, circa quam, & contenta in ea, contingit contraria opinari: ſed ſic eſt de illa Decretali *Exiit*, vt patet per Conſtitutionem: *Quia non numquam*: ergo tanquam dubia eſt revocata, & per conſequens ejus Authoritati non videtur neceſſario ſtandum.

919 Sed iſta reſponſio (inquit Sanctus) non evadit difficultatem rationis inductæ; quia ſi Eccleſia definit aliquando in Fide, & moribus aliquid eſſe verum, & poſtea oppoſitum, ergo Eccleſia aliquando erraſſet, quod videtur abſurdum.

920 Et ideò reſpondetur aliter (ait idem Sanctus) videlicèt, quod ſicut patet *Ext. de Baptiſ. & ejus effect. Majores.* Quando occurrit aliquod dubium in Articulis Fidei, vel in Scriptura Sacra, licèt declaratio Magiſtralis poſſit pertinere ad Doctores quoſcumque, tamen declaratio, & determinatio authoritativa, & finalis, cui omnes debent acquieſcere, pertinet ad Dominum Papam; quod clarè fuit oſtenſum *Actor.* 15. vbi orta diſſenſione, vtrum legalia ſervari deberent cum Evangelio, conſuluerunt Petrum, & alios Apoſtolos, qui erant in Hieruſalem; & Petrus, ſicut Princeps Apoſtolorum, decrevit legalia non eſſe ſervanda. (Et *Paulo infrà* ſubdit Sanctus:) Si ergo cum occurrunt dubia circa Scripturam Sacram, vel Articulos Fidei, declaratio, & determinatio ſpectat ad Papam, multo fortiùs cum occurrunt dubia circa intellectum alicuius Conſtitutionis ſuæ, vel Prædeceſſoris ſui, declaratio, & determinatio ſpectat ad ipſum Papam. Modò circa dicta illius Conſtitutionis contingebat dubitare de Paupertate

CHRI-

CHRISTI, aut Apostolorū, & ideo Joannes XXII. & rei veritatem, & verum intellectum illius Constitutionis voluit declarare, & ideo quantum ad hoc non contradicit illi Constitutioni *Exiit*, sed illam declarat. Cum ergo dicitur, quod in illa Decretali definitur, quòd CHRISTUS, & Apostoli nihil habuerint quantum ad dominium in proprio, vel in communi, dico, quod non est verum simpliciter, vel si alicubi diceretur, intelligendum esset, quantum ad bona immobilia, non quantum ad mobilia. Et *infrà* prosequitur Sanctus in concordiam redigens absque vlla contradictione amborum Pontificum Decreta in hæc verba:)

921 Vel potest aliter dici, distinguendo de proprio, & communi; nam proprium potest accipi dupliciter, vno modo prout distinguitur contra commune, & sic abdicatio rerum, etiam mobilium, in proprio, est sancta, & meritoria; alio modo provt distinguitur contra alienum, & sic abdicatio rerum in proprio, videlicèt, quòd quis viveret non de suo, sed de alieno, in quo nullum jus haberet, saltem sicut pars Communitatis, non est meritoria, nec sancta. Similiter abdicatio in communi potest intelligi dupliciter, vno modo, quòd Communitas nihil habeat, quantum ad jus & dominium in rebus mobilibus, vel immobilibus pro vllo tempore, & sic abdicatio in communi non est sancta nec meritoria; alio modo, quòd sic Communitas nihil habeat quātum ad jus, & dominium, quod singuli eorum haberent pro libito voluntatis, ac si haberent in proprio, & non secundùm distributionem Superioris; & sic dico, quòd abdicatio in communi est meritoria, & sancta, quam primi Fundatores servaverunt, vt patet *Actor.* 4. quia singuli non vtebantur bonis illius Communitatis ad votum, sed provt distribuebatur eis à Superioribus. Quod ergo dicitur in dicta Decretali *Exiit*, quod abdicatio in proprio est sancta, & meritoria, videlicêt, provt distinguitur proprium contra commune, non prout distinguitur contra alienum. Et similiter abdicatio in communi est meritoria, provt commune distinguitur contra proprium in particulari, habendo jus, & dominium quilibet de Communitate in rebus. Et ex his patet, quòd quæ fuerunt per Nicolaum circa Paupertatem CHRISTI, & Apostolorum dicta, vel edita in Constitutione *Exiit*, non fuerunt contraria, sed per Ioannem XXII. in sua Constitutione, *Quia quorumdam* fuerint magis explicitè declarata: *Hactenus ille.

922 Secundò: Prædicta Pontificia Decreta sic conciliari posse arbitramur, vt dicatur, abdicationem omnium, tàm in proprio, quàm in communi, de qua Nicolaus Pontifex loquitur, & quam CHRISTVS verbo docuit, & exemplo, intelligendam esse non de CHRISTI præcepto, sed consilio, cum quo optimè stat, potuisse Apostolos non vti tali consilio, & habere bona saltem in communi. Quod quidem non modico nititur fundamento; nam ad arctissimam stabiliendam Paupertatem, de qua loquitur Papa Nicolaus in Constitutione *Exiit* oppositi Authores eo vtuntur Textu *Matth.* 10. quo CHRISTVS videtur præcepisse Apostolis imperativè: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque peram, neque calceamenta, &c.* quibus in verbis non præceptum, sed consilium contineri docet D. AUGVSTINVS, *de consensu Evangel. lib. 2. cap. 30. tom.* 4. Concessit enim eis vt possent pergere ad prædicationis officium sine pera, & baculo, & aliis hujusmodi, tanquam habentes potestatem necessariæ vitæ accipiendi ab illis quibus prædicabāt. Vndè subdit: *Dignus est enim operarius cibo suo.* Non autem peccat, sed supererogat, qui sua portat ex quibus vivat in prædicationis officio, non accipiens sumptum ab his, quibus Evangelium prædicat, sicut Paulus fecit. Idipsum docet D. THOMAS 1. 2. *quæst.* 108. *art.* 2. *ad* 3. Vndè patet, CHRISTUM Dominum, juxta D. Thomam, & Augustinum, in prædictis verbis: *Nolite portare aurum neque argentum*, voluisse suis Apostolis, & Discipulis, sanctum præbere consilium, quo possent pro suo libito vti, quoties pro temporis, & personarum, quibus prædicabant, opportunitate expediens judicarent, neutiquam verò in illis verbis rigorosum contineri præceptum.

923 Qua doctrina suppositā, cum Nicolao Papa fatemur, CHRISTVM verbo, & exemplo docuisse omnimodam Paupertatem strictissimam, cum abdicatione proprietatis omnium rerum, tàm in communi, quàm in speciali, eamque primos

Fundatores Ecclesiæ Apostolos observasse tamquam de consilio; negamus tamen, CHRISTVM eam docuisse de præcepto; cum quo stat bené, Apostolos liberos fuisse ad eam strictissimam Paupertatem servandam, vel ad habendum aliqua in communi ad necessariam vitæ sustentationem, præsertim in his, de quibus Sacra Scriptura testatur habuisse eos, de quo loquitur Constitutio Ioannis XXII. Vndè hac distinctione adhibita, absque vlla contradictione cohærere possunt, ac conciliari Pontificia Decreta in speciem tantummodo dissidentia. Vide plenius *sup. n.* 858. & 59.

924 Tertiò, concordari possunt ambo Pontifices præstantissimi Doctoris VBERTINI DE CASALIS Doctrina: qui à Ioanne XXII. rogatus, vt hac de re judicium ferret, adhibita distinctione respondit, CHRISTVM, & Apostolos in duplici statu posse considerari: *Fuerunt enim vniversales Prælati Ecclesiæ Novi Testamenti, & hoc modo habuerunt, quantum ad authoritatem dispensationis, & distributionis, pro dando Pauperibus, & Ministris Ecclesiæ, sicut de Apostolis scribitur *Act.* 4. Et negare quòd non habuerunt isto modo esset hæreticum, & de hoc non est quæstio: & ista prælationis authoritate dicitur CHRISTVS loculos habuisse. Secundò CHRISTVS, & Apostoli possunt considerari vt speciales Personæ, & singulares, fundamenta perfectionis Religiosæ, & perfecti contemptores mundi, & gloriam mundi calcantes, & CHRISTI consilia de supererogatione perfectionis in se ipsis observantes, & omnibus volentibus esse perfectis exempla lucida tribuentes. Et si isto modo quæratur, vtrum habuerint, distinguendum est de duplici modo habendi, quorum primus est civilis, & mundanus, quem modum Leges Imperiales definiunt, duas ejus partes ostendentes, in hæc verba: Ea in bonis nostris esse dicuntur, in quibus habitis exceptionem, & defensionem, & non habitis repetitionem habemus. Et ita patet, quòd qui habet aliquid civiliter, & mundanè, potest defendere rem suam ab invasore, & repetere à detentore sub Judice Imperiali; & isto modo dici non potest, quòd CHRISTUS, & Apostoli habuerunt res mundanas, cum videatur contra Sacrum Evangelium; nam CHRISTVS, Rex Pacificus, qui Apostolos suos fecit Filios Pacis, separavit eos ab omni mundano litigio, dicens *Matth.* 5. *Et qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, præbe ei & pallium.* Et *Lucæ* 6. *Ab eo, qui aufert tibi vestimentũ, etiam tunicam noli prohibere, & qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.* In quibus verbis CHRISTVS removet à se, quia ipse fecit quod docuit, & à suis Apostolis, quibus hoc imposuit, duas partes judicii civilis, & mundani, scilicèt defensionem habiti, & repetitionem perditi, & iste modus habendi dicitur propriè habere in re proprietatem, & dominium, & CHRISTUS, & ejus Apostoli isto modo non habuerunt. Idcircò B. Petrus pro se, & aliis Apostolis dixit sicut verus Pauper: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Matth.* 19.*

925 Qua Doctrina supposita, Asserimus, optimè posse juxta eam interpretari Decretalem Nicolai III. asserentis, abdicationem proprietatis omnium rerum, tàm in speciali, quàm in communi CHRISTUM, viam perfectionis ostendentem, verbo docuisse, & exemplo firmasse; similiterque ejus Apostolos, cum de ipsis non legatur, pro defensione habiti, & repetitione perditi in judicio contendisse: *Alio modo (inquit ipse Author) possunt haberi res temporales; scilicèt quantum ad jus naturale, & commune Fraternæ Charitatis; & isto modo CHRISTVS, & Apostoli habuerunt bona temporalia Iure naturali, quod ab aliquibus dicitur *Ius Poli*, ad sustentationem naturę repellentes omnia, quæ divitias saperent, vel delitias redolerent, vel mundi pompam nutrirent; & isto modo habuerunt vestes, panes, pisces, sicut dicit APOSTOLUS 1. *ad Timoth. 6. Habẽtes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* Nec aliqua professio, nec aliquod consilium CHRISTI est, quod prohibeat talem modum habendi, scilicèt, quoad necessarium vsum vitæ; & ideo dicere, quòd CHRISTVS, & Apostoli ejus non habuerunt isto modo, esset hęreticum.* Hactenus ille.

926 Vndè sequitur in hunc sensum interpretandam esse Ioannis XXII. Constitutionem: *Cum inter nonnullos*, asserentis, hæreticum esse censendum, affirmare Redemptorem nostrum, & Dominum IESUMCHRISTVM, ejusque Apostolos

in

in speciali non habuisse aliqua, nec in communi; rationemque reddit Pontifex. Cum Sacræ Scripturæ, quę in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicat expresè. Deinceps ipse Pontifex declarat etiam hæreticam Sententiam dicentem, quòd de illis rebus, quas eos habuisse Scriptura testatur, non habebant jus vtendi, vendendi, donandi, aut ex ipsis alia adquirendi, &c. Vndè concluditur, hac Vbertini distinctione adhibita, absque vlla contradictionis nota vtrumque Pontificem, tàm Nicolaum, quàm Ioannem in prædictis Constitutionibus *Exiit. Quia quorumdam, &c.* haud quaquam dissidentes inveniri; nam etsi diversa senserint, non tamen adversa.

927 Quartò concordari possunt ambo Pontifices juxta Doctrinam præstantissimi illius Viri in vtraque Iurisprudentia, Illustrissimi Episcopi ALVARI PELAGII, Minoritæ, qui *de Planc. Eccles. lib. 2. cap. 59.* affert vtriusque Pontificis concordiam, magna Textuum copia exornatam, quam nos breviter perstringemus, non quidem dissonam, sed valdè consonam prędictæ Vbertini de Casalis Sententiæ: quòd quidem vtriusque eruditissimi Viri judicium magni faciendum est, cum clarissimi isti Authores singulari eruditione floruerint eadem Ioannis XXII. tempestate, qua diligentissimè exagitatum fuit: an Fidei definitioni de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate, à præfato Pontifice editę, Nicolai Constitutio *in cap. Exiit. De verborum significatione* opponeretur: Et quamvis non defuerint, qui senserint prædictas Constitutiones inter se adversari, hi tamen eruditissimi Authores censuerunt, illa, quæ in eis decernũtur, nullatenus sibi ipsis contraria esse. Quod vt clariùs innotescat prędicti Illustrissimi Episcopi judicium in medium proferemus.

928 Qui primò hanc Doctrinam, vt certam supponit, videlicèt, *habere aliquid* quantum ad præsentem materiam pertinet, tripliciter accipi. Vno modo quantum ad vsum facti simplicem, & tamen justum, & hoc modo servi, & Religiosi qui servi dicuntur 54. *dist. multos*, & qui pro mortuis reputantur, *cap. de Epis. & Cleri. Deo nobis*, dicuntur habere quantum ad simplicem vsum facti. Et hoc modo *habere* accipitur in Regula B. Frãcisci ab Ecclesia approbata *in cap. Si-qui*, ibi: Habeant vnam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio, qui voluerint habere. *Et in cap. Clerici*, ibi: Ex quo habere poterunt Breviaria. Et *in cap. Fratres, nihil*, ibi: *Habere velitis.* Et isto modo habendi, Religiosi dicuntur *habere*, qui tamen quantum ad proprium, nihil habent, vt in 12. *quæst. 1. Non dicatis, in princip. Et Extra. de officio ordinarii, cap. Quanto.* Et 12. *quæst. 1. cap. Nolo*, ibi: *Nulli licèt in societate nostra habere aliquid proprium.* Et de hoc modo habendi simplici loquitur prædicta Nicolai Decretalis *Exiit*, & Decretalis Clementina, *Exivi de Paradiso*, posita *in titul. de verborum signif.* in quibus dicitur, quòd Fratres Minores secundum Regulam B. Francisci habere possunt vnam tunicam cum caputio, & alteram sine caputio. Et tamen in eisdem dicitur: Quod *Fratres nihil sibi approprient*, vel appropriare sibi nihil possunt, vel in communi etiam; quia hoc expresè in Regula continetur *in cap. Fratres nihil sibi approprient.* Per quod liquidò apparet, quòd *habere* ibi sumitur quantum ad simplicem facti vsum. Et secundùm hunc modum CHRISTUS, & Apostoli habuerunt in communi, & in speciali, & justè, & etiam aliquando loculos, quorum Apostolorum locum, & vitam tenent Monachi quantum ad abdicationem proprietatis, & dominii omnium rerum in speciali, vt notatur 16. *quæst. 1. cap. Ex authoritate*, & 12. *quæst. 1. cap. Videntes in Glossa*: Episcopi tenent locũ Apostolorum quoad Dignitatem, & Fratres quantum ad abdicationem proprietatis, & dominii omnium rerum; tàm in speciali, quàm in communi, vt habetur in dicta Decretali *Exiit*, §. *Porrò.*

929 Alio modo accipitur *habere*, quantum ad Jus administrationis, & dispensationis. Et hoc modo Prælati, sivè Episcopi, qui in locum Apostolorum succedunt, quoad prælationem, & dispensationem rerum Ecclesiæ dicuntur habere, & habent jus administrationis, & dispensationis, ad vtendum rebus Ecclesiasticis, non quòd res Ecclesiæ dicantur eorum esse, quantum ad dominium, & proprietatem, sed solum quantum ad procurationem, & dispensationem, & administrationem, & hoc probatur 12. *quæst. 1. cap. vlt. in tex. & in Glossa, & aliis.* Et ex hoc jure competit eis vendere, & dona-

re in casibus in jure concessis, 12. *quæst.* 2. *sine except.*

930 Tertio modo sumitur *habere*, quantum ad dominium. Et hoc modo habere dominium subdistinguitur. Vno modo dicitur, quis *habere*, scilicèt, quantum ad dominium, quòd est de Jure Divino. Et hoc modo res Deo sivè Ecclesię donatæ, vel oblatæ propter Deum, & decimæ dicuntur haberi, & esse in dominio CHRISTI, & corporis ejus, quod est Ecclesia 12. *quæst.* 2. *cap. Qui CHRISTI*, & *cap. Nulli liceat.* Et de hoc modo habendi expresse AVGVSTINVS *super Ioannem*, loquens de Donatistis dicit: *Veniant ad Catholicam Ecclesiam, & nobiscum habeāt, non solùm terram, sed etiam eum, qui fecit Cœlum, & terram.*

931 In hujusmodi autem Communitate viventes, & iter Paupertatis altissimę arripientes, & perfectionis Evangelicæ, non quęrunt in rebus, quas habent nisi vsum 12. *quæst.* 1. *cap. Clericus. Et cap. Episcopus*; vndè *ad Philipp. vlt. Thessalonicam mihi misistis in vsum.* GLOSSA ibi, quæ est S. AVGSVTINI, dicit: *Præter vsum in rebus nihil quærendum est.* Ex isto etiam Iure Divino Viris iter perfectionis arripientibus prohibetur dicere: *Hoc meum, hoc tuum proprium* 14. *quæst.* 1. *in princ.* De hoc statu perfectionis PETRVS, in persona omnium Apostolorum dixit *Matt.* 19. *Marci* 10. *Lucæ* 18. *Ecce nos reliquimus omnia.* Et CHRISTVS ostendens, ex hoc eos in Regno Cœlorum excellentem gloriam promereri, dixit ibi: *Vos qui secuti estis me, cum sederit Filius Hominis, judicabitis duodecim Tribus Israel.*

932 Ex hoc etiam jure prohibetur Viris, iter perfectionis arripientibus, in judicio contendere, dicente CHRISTO: *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & in judicio tecum contendere, dimitte ei, & pallium*, vt habetur *Matth.* 5. Ex hoc etiam Iure Divino Apostolis, & eorum vitam professis, competiit, & competit, tempore necessitatis emere, & vendere; vndè dicitur *Ioann.* 4. *Discipuli ejus abierant in Civitatem, vt cibos emerent.*

933 Quartò modo dicitur quis *habere* dominium, & proprietatem, de jure scilicèt positivo, de jure scilicét Imperatorum, quod per iniquitatem extitit introductum, scilicêt vt homines dicant: *Hoc meum, hoc tuum proprium*, & in judicio contendant, & de hoc modo habendi jure proprietatis, & dominii loquitur lex *ff. de ver. sig.* Et ex hoc jure habendi datur, & competit in judicio actio, & exceptio *ff. de acqui. rer. dom.* & indè litigia proveniunt: & hujusmodi dominium, & proprietatem abdicare sicut vna persona privata potest, & ad perfectionem pertinet, sic & vnum Collegium singulare hominum, quod obtinet vicem singularis personæ, potest à suo toto Collegio abdicare, & ad culmen perfectionis pertinet. Et de tali abdicatione in communi, & speciali, quod sit meritoria, & sancta, & etiam à CHRISTO Apostolis tradita, loquitur Decretalis prædicta Nicolai III. *Exiit* §. *Porró*, & aliæ Constitutiones à Romanis Pontificibus super Regulam, & statum Fratrum Minorum editę. Quibus prœmissis amborum Pontificum Nicolai, & Joannis Decreta, quæ aliquibus perperam visa sunt inter se contraria, in hunc modum conatur Alvarus in concordiam redigere.

934 *Ex quibus patet (inquit) quod error est dicere simpliciter, & absolutè, sivè indefinitè, quòd CHRISTVS, & Apostoli non habuerunt aliqua in speciali, nec etiam in communi; & sic omnem modum habendi excludere, & per cōsequens includere, quòd ipsi non habuerunt res aliquas; quantum ad vsum facti, nec in speciali, nec in communi. Et quod in quantum Prælati Ecclesię Militantis, & Administratores, sivè Dispensatores non habuerunt Jus vtendi, & donandi eas, prout Sacri Canones dicunt, cum hoc contradicat Sacræ Scripturę, & Sacris Canonibus, & dictę Decretali *Exiit*, dicenti, quòd CHRISTVS loculos habuit. Et consequenter in dicta Constitutione Joannis, *Cum inter nonnullos* dicitur, quòd hoc pertinaciter affirmare, hęreticum sit censendum.

935 Dicere autem cum dicta determinatione Ecclesię, posita *in Decretali Exiit* §. *Porró*, scilicèt, quod abdicatio proprietatis omnium rerum, tàm in speciali, quàm in communi propter Deum, sit meritoria, & sancta, quam & CHRISTVS, viam perfectionis ostendēs, verbo docuit & exēplo firmavit, quamque Apostoli, in quantum fuerunt professores Paupertatis excellæ, & de qua dicitur *Matth.* 19. *Ecce nos reliquimus omnia*, &c. in volentes perfe-

fectè vivere per doctrinæ, ac vitæ ipsorum alveos derivarũt: & quia etiã CHRISTVS interdum loculos habuit, condescendens infirmis, ac per consequens, quòd CHRISTVS, & ejus Apostoli, viam perfectionis ostendentes, non habuerunt proprietates rerum, & dominium in speciali, vel ipsorum Apostolorũ privato Collegio appropriatum, quod est ex Jure Imperatorum, & implicat ad litigandũ, & per iniquitatem introductum, vt dictum est; non est hæreticum, nequæ erroneum, nec hoc dicere videtur dicta Constitutio: *Cum inter nonnullos*; cum dictæ Decretalis *Exiit*, nullam prosus faciat mentionem, nec eam tollit, nec ei in aliquo derogare videtur. Imò, cum idem Sanctissimus Pater, & Dominus Joannes Papa XXII. pronuntiaverit de consilio, & assensu Dominorum Cardinalium Decretalem *Exiit*, salubriter editam, solidam, claram, & lucidam, multaque maturitate digestam, provt in sua Constitutione, quæ incipit *Quorumdam*, expressè continetur, ac etiam, Vienense Concilium *in Cõstitutione* illa, *Exivi de Paradiso*, posita in tit. *de v. sig.* ipsam determinationem factam in illa *Exiit qui seminat*, contradictorio judicio approbaverit in hac parte, nullo modo dicendum, nec credendum, nec quod per verba aliqua generalia posita *in dicta Cõstitutione vltima. Cũ inter.* voluerit subvertere per suos prædecessores, & se ipsum, cum multa maturitate definita. Nec Constitutioni præcedenti, per subsequentem derogatur, nisi in quantum invenitur expressum, & quod non mutatur, quare stare prohibetur, *cap. de Testam. l. Sancimus, &c.* Vide notata *Extra. de Constit. cap. licet.* (*Et infrà* multis in hujus confirmationem traditis concludit in hæc verba:) Ex quibus patere potest cuilibet intelligenti, quod ipse Dominus Papa Joannes per predictam Constitutionem: *Cum inter nonnullos*, non intendit, dictam determinationem, in sæpè dicta Decretali *Exiit* positam in hac parte aliqualiter tollere, vel limitare.*

936 Ex his, quę hucusque cum gravissimo isto Authore diximus, multiplici eruditione firmata, apertissimè lucet, Decreta à Nicolao Pontifice in prædicta Constitutione *Exiit* nullatenus in Fide, nec in moribus adversari Decretis à Ioanne XXII. in prędicta Constitutione: *Quia quorumdam*: Imò vnumquodque ex illis Decretis habere sensum Catholicum, & valdè consonum iis, quæ ab Ecclesia in Sacris suis Canonibus, & Conciliis statuta habentur.

937 Tandem quamvis ex hactenùs dictis satis perspicuè appareat vtriusque Pontificis, & illarum Constitutionum concordia, omitti nihilominus nequit alius vtrumque Pontificem conciliandi modus, quo astruitur Nicolaum III. & Ioannem XXII. in Decretis de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate nullatenus pugnare, imòpotius, vtriusque declarationem, seu definitionem, maximo pacis fœdere cohærere. Pro quo prænotandum est, CHRISTVM verbo, & exemplo duplicem docuisse Paupertatem, diversis temporibus congruentem, qua Ecclesiæ Ministri, Evangeliique præcones CHRISTI, & Apostolorum exemplum sequuturi instruerentur. Primam Apostolos docuit verbo, & exemplo, quando ipsos ad Evangelium prædicandum misit, cum omnimoda omnium rerum abdicatione: alteram permittendo Apostolis aliqua saltem in communi habere, de quibus Sacra Scriptura testatur. Hæc distinctio illustrari potest B. AUGVSTINI TRIVMPHI authoritate, pietate, & Doctrina celeberrimi, qui paulò ante hujus controversię vltimam Decisionem obiit (*anno* scilicèt 1328. sub Pontificatu Ioannis XXII.) Hic igitur *de Potest. Eccles. quæst. 16. art. 1.* hæc, ad rem nostram notanda, reliquit: *Ad primum ergo dicendum, quòd omnis modus vivendi in voluntaria Paupertate, in CHRISTO diversis temporibus exemplariter monstratus est: nam modus vivendi de propriis laboribus monstratus est tempore parentum subjectionis, à pueritia vsque ad triginta annos, in qua ætate parentibus obediens, humiliter, & reverenter laborem corporeum cum his sustinuit, vt dicit Basilius *lib. 3.* Modus verò vivendi Mendicantium de eleemosynis, quę ab aliis inferuntur, monstratus est tempore suæ prædicationis, quo ipse, & Apostoli vivebant de his, quæ ministrabant eis de suis facultatibus mulieres, & aliæ personæ, quæ sequebantur eum, vt scribitur *Lucæ* 8. Modus autem vivendi, quo aliqua mobilia in communi servantur, monstratus est per eum, tempore persecutionis, & passionis, quando tota illa gente Iudaica Pastorem simul, & gregem

per

persequente, congruam regulam tempori dispensavit, permittens Discipulis, vt tollerent, & servarent victui necessaria, dicens *Lucæ* 22. *Nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram.* Sed modus vivendi de possessionibus in communi per CHRISTVM, & Apostolos non fuit demonstratus, propter translationem Ecclesiæ de Iudæis ad Gentiles, vt dicit Melchiades Papa 12. *quæst.* 1. *cap. Futuram.** Vbi apertissimè videtur, juxta piissimum hunc Scriptorem, CHRISTUM diversis temporibus diversos Paupertatis modos suo nos docuisse exemplo, vivendi videlicèt cum omni expropriatione, alioque tempore Apostolos docuisse habere aliqua in communi. Hac ergo Paupertatis distinctione retenta, facillimo negotio conciliari possunt vtriusque Pontificis Decreta, si ad diversa tempora referantur; de prima enim Nicolaum III. de secunda verò Ioannem XXII. fuisse loquutum gravissimi, & Doctrina, ac Dignitate præstantissimi Authores tradidere.

938 In primis Cardinalis S. CYRIACI, cujus judicium ex Manuscriptis Vaticanis laudat ODORICUS RAYNALDVS *ad ann.* 1322. *n.* 66. hęc asserit: *Videntur ista duo se compati posse, scilicèt, CHRISTUM nihil habuisse, & CHRISTUM aliquid habuisse; hoc ad diversa tempora referendo, sed ad idem tempus non videtur.**

939 Deindè hanc eamdem interpretationem amplectitur, eamque fusiori calamo explicat Eminentissimus Cardinalis TVRRECREMATA *lib.* 2. *de Eccles. cap.* 112. *ad* 10. vbi solita eruditione argumento satisfacit, vtriusque Pontificis Decreta, apparenter dissidentia, sic in concordiam redigendo: *Ad objectionem decimam, quæ sumitur ex declarationibus Joannis XXII. quę videtur contraria declarationi factæ per Dominum Nicolaum III. respondetur, quòd in veritate non opponuntur, imò declaratio Ioannis XXII. optimè stat simul cum determinatione Nicolai. Pro quo notandum, quòd diligenter perscrutanti Textum Evangeliorum, cum expositionibus Sanctorum Patrum, & Doctorum Catholicorum, duas Paupertates legimus CHRISTVM ordinasse, congruentes diversis exercitiis perfectorum; vnam videlicèt, & primam, pro illis, qui prædicaturi mittendi erant in Iudęam ad annuntiandum adventum Regis, quæ nihil proprium haberet sub Cœlo, nec in speciali, nec in communi, de qua Dominus, mittens Discipulos ad prædicandum *Matth.* 10. dicit: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram, nec duas tunicas, nec calceamenta, neque virgam, dignus est enim operarius cibo suo.* Hoc autem CHRISTVS præcepit (ait Hieronymus *in Glossa*,) nè causa lucri, & non causa salutis prædicare viderentur. Secunda Paupertas est pro illis, qui fixi erant mansuri in Congregatione, & ista est, nihil habere in proprio, sed in communi; de qua *Act.* 4. sic dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia.* (Et *paulò infrà.*) Ergo CHRISTUS, volens vtramque approbare Paupertatem, aliquandò, tenuit primam, nihil penitus habens, nec in speciali, nec in communi, vivens tantum ex his, quæ devotæ Feminæ, sequentes eum, administrabant ei, & Apostolis, vt habetur *Lucæ* 8. Secundam autem Paupertatem approbavit aliquando verbo, & exemplo. Verbo, *Lucæ XXII.* vbi dicit Apostolis: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerūt: Nihil. Dicit ergo eis: Sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter & peram.* Præterea etiam CHRISTVS exemplo firmavit præfatam Paupertatem, habens loculos, in quibus servabantur ea, quæ ei dabantur ad sui, & eorum necessitates sublevandas, de quibus *Ioannis* 13. (Et *infrà* concludit:) Attento ergo, quòd CHRISTVS has duas Paupertates, & vtrasque Evangelicæ perfectionis, diversis temporibus docuit verbo, & firmavit exemplo, patet, quód declaratio Ioannis XXII. non contradicit declarationi Domini Nicolai III. sed stat benè simul, ad diversa tempora dicta eorum referendo; vno enim tempore CHRISTVS, & Apostoli nihil habuerunt in speciali, nec in communi à mulieribus, quæ CHRISTUM sequebantur, necessaria sumentes, vt dicit Dominus Nicolaus Papa, alio verò tempore habuerunt in communi aliqua, vtpote loculos, sicut Dominus Ioannes Papa XXII.

XXII. testatur.* Hactenus ille.

940 Insuper Cardinalis BELLARMINVS, *supra* laudatus, eamdem sequitur Sententiam de duplici Paupertate; prima, nihil habendi in proprio, nec in communi; secunda, habendi aliquid saltem in communi; & vtramque CHRISTVM diversis temporibus verbo docuisse probat, ibi *col.* 756.

941 Eminentissimus Cardinalis BRANCATVS DE LAVREA, vbi *suprà disp.* 8. *art.* 5. §. 10. *num.* 352. Cardinalem Turrecrematam sequutus, duplicem agnoscit Paupertatem, perfectorum statibus congruentem: *Vna fuit ea, qua vsuri erant illi, qui prædicaturi erant in Iudea; & hi nihil habere poterant, nec in particulari, nec in communi; alia verò Paupertas, quam ordinavit CHRISTVS, est illa, quæ excludit proprium in particulari, & admittit in communi, & hanc approbavit verbo, & exemplo, &c.*

942 Eidem Sententiæ, & Paupertatis divisioni suffragatur Eminentissimus Cardinalis AGVIRRE, loco *suprà* laudato *disp.* 32. *sæc.* 2. *nu.* 12. dicens, CHRISTVM Dominum aliquando perfectissimam illam Paupertatem, de qua Nicolaus loquitur, verbo, & exemplo docuisse; aliquando verò Paupertatem minus rigidam, quæ aliquid saltem in communi permittit exemplo demonstrasse. Alii quàm plurimi Recentiores eamdem hanc distinctionem amplectuntur, eamque aliis omissis novissimè tenet P. M. NATALIS ALEXANDER *sæcul.* 14. *disert.* 11. *art.* 1. Sic scribens: *Alii Nicolaum III. cum Evangelistis conciliarunt, perfectam abdicationem CHRISTVM verbo & exemplo docuisse, & nihilominus loculos, & dominium habuisse respondentes diversis temporibus.*

943 Tandèm, quàm consona fuerit Nicolai III. & Ioannis XXII. mentis, & Sententia in his, quæ de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate decreverunt, apertè constat non modo ex iis, quæ gravissimorum Authorum Doctrina hucusque plenè probavimus, sed etiam ex eo, quod alius majoris exceptionis in Ecclesia testis asseverat, Sanctissimus nempè Pontifex IOANNES XXII. Hic enim *in Constitutione: Quia quorumdam* manifestè ostendit, Nicolai III. Decretum in Constitutione *Exiit*, nec in Fide, nec in Doctrina vllatenus adversari iis, quæ decernuntur in Constitutionibus de CHRISTI Paupertate, ab ipso Ioanne XXII. editis, asserit namque, Nicolaum benè dixisse, & Sacræ Scripturæ non contradixisse. Hæc enim habet: *Non apparet Nicolaum dixisse sustentationem CHRISTI, & Apostolorum ejus in solo, & nudo simplici consistere vsu facti, cum quoad CHRISTVM, & Apostolos nullam præfatus prædecessor noster Nicolaus in sua Declaratione fecerit mentionem: imò sensisse satis videtur expressè, quòd jus aliud à proprietate habuisse potuerunt, cum de sola abdicatione proprietatis, non juris alterius in præfata declaratione, quantum ad ipsos attinet, mentio habeatur. Adhùc idem Nicolaus videtur sensisse, quòd CHRISTVS, & Apostoli etiam quo ad proprietatem habuerint aliquid in communi; cum enim in sua declaratione prædicta verba de abdicatione proprietatis dixisset, respondens objectioni tacitè, quæ sibi de loculis, quos CHRISTVS in Evangelio habuisse legitur, poterat fieri, statim subjūxit: Nec his quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur CHRISTVM loculos habuisse; nam sic ipse CHRISTVS, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectioni condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret, & sic infirmorum personam CHRISTVM asserit in loculis suscepisse. Aliàs impertinens de loculis fuisset objectio, nisi intellexisset, CHRISTVM etiam quoad proprietatem loculos habuisse:* Hæc Ioannes. Ex quibus verbis manifestè patescit, Ioannem XXII. Nicolai Pontificis mentem explicuisse, quin in illius verbis contradictionem aliquam in materia Fidei inveniret.

944 Idipsum confirmat ipse IOANNES XXII. dum justè conquęritur de his qui Nicolai puritatem calumniati sunt putantes esse Fidei materiam, quod non erat; quam calumniam vt penitus repellat, & suæ mentis puritatem, & synceritatem ostendat, *in eadem Constitutione: Quia quorundam* sic in eos invehitur: *Præterea dicant nobis, vbi legant assertiones hujusmodi, quòd ad Fidem, vel mores pertineat, CHRISTVM, & Apostolos non habuisse in his, quæ habuerunt, nisi*

sim-

simplicem vsum facti. Profectò directè hoc non ad Fidem pertinet; cum de hoc Articulus non sit aliquis, nec sub quo valeat comprehendi, vt patet in symbolis, in quibus Articuli Fidei continentur, nec reductivè, quasi hoc Sacra Scriptura contineat, quo negato, tota Scriptura redditur dubia, &c.*

945 Ex quibus verbis, vel leviter inspectis apertissimè constat, quàm Catholica extiterit Nicolai Pontificis mens, quamque consona illius Cõstitutio: *Exiit*, & nullatenus dissona iis, quæ à Joanne XXII. in materia Fidei de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate decreta sunt, vt rectè annotavit Cardinalis BRANCATVS DE LAVREA, vbi *suprà*, scribens: *Ergo dum Joannes definivit: CHRISTVM, & Apostolos aliquid possedisse in communi, & loculos habuisse, non simplicem vsum facti, sed juris in ea bona habuisse, quia poterant aliis dare, & commutare, &c. non definivit contra dicta à Nicolao, cujus dicendi formulam approbat, sed contra eos, qui nihil prorsus CHRISTVM possedisse dixerant, neque quoad se, neque vt infirmis condescenderet, & in hoc non contradixit alicui prædecessori; eos autem, qui damnatam Sententiam pertinaciter tenebant, & asserebant eum malè definisse, quia contra definitionem antecessorum in materia Fidei ac morum, declarat hæreticos. Iterumque se declarat, contra definitionem prædecessorum in materia Fidei, nihil definiisse; quia nullus eorum in hac materia Paupertatis CHRISTI aliquid de Fide decreverat.* Hec ille.

946 Ex hucusque dictis meridiana luce clarius apparet, quantum absit à sana Catholici Scriptoris mente, & à pietate, ac veneratione Summis Pontificibus debita Ellieſius Dupin, qui vbi supra non est veritus dicere: Nicolaum, & Joannem contraria definisse, sicque eorum alterum in Fide erasse: cum id sit Joannis definitioni expressè adversari, & temerè contraire, clarè asserentis, nec Nicolaum, nec vllum Antecessorum in hac materia de CHRISTI Paupertate aliquid definisse, de Fide: si ergo Nicolaus nihil de Fide definivit, vndè hauriri potest in materia Fidei contradictio, etiam dato, quòd Joannes ejus oppositum decrevisset, quomodo potuit Nicolaus definitioni Fidei Joannis in hac Paupertatis materia, opponi ipsomet Joanne attestante, Nicolaum catholicè sensisse? Estnè magis credendum Ellieſio erranti, quàm Summo Pontifici vera asserenti, cæteriſque clarissimis, ac præstantissimis Authoribus, in omni litterarum genere versatissimis, idipsum attestantibus? à quorum nomen clatura abstinemus, cum eorum mentem, ac verba paulò ante abundè produxerimus.

947 Quæ hucusque diximus pro tuenda illibata Joannis XXII. Fide sufficere arbitramur, cum prędicti Pontificis in Fide constantia tot luculentissimis Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum testimoniis superabundè probata, ejusque in Fide immunitas ab omnibus calumniantium telis non minus accuratè, quàm abundè vindicata sit, vt videre est in hac copiosa pro Joanne Apologia tã in prima opugnatione, de animabus justis ante judicium finale gloriam non adepturis, quàm in secunda de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate, in quibus nedum errasse, sed catholicè, vt Ecclesiæ Pastorem decet, sensisse, adeò luculenter comprobatum est, vt meritò censeamus, nulli eruditorum, qui hanc Apologiam viderit, ambigendi locum relinqui. Quamquã autem ex hactenus dictis, & ambobus Pontificibus in concordiam redactis, & tàm in Decretis, quàm in Fide nullatenus dissentientibus (quin in legitimum, sanum, ac Catholicum sensum interpretari queant) sperabamus huic concertationi finem impositum iri, nihilominus Ellieſii væsania nos compellit ad vtrumque Pontificem ab illius impostoris denuò liberandum.

CAP. VI.

VTRVMQVE PONTIFEX Nicolaus, & Ioannes ab Ellieſii calumniis immunis propugnatur.

948 PRO Faciliori hujus concertationis intellectu præmonere oportet ea, quæ jam suprâ diximus, & iterum repetenda judicavimus ex Ellieſio, qui *differt. 5. de Antiqua Ecclesiæ Diciplina* in vtrosque Pontifices, nescio quo spiritu ductus, an-

sam

sam arripuit, eos in Fide calumniandi, & impetendi Infallibilitatis Romani Pontificis privilegium, per tot sæcula Divinis Oraculis, Sacris Conciliis, Sanctis Patribus, totaque approbante Ecclesia definitum, & summo omnium nationum plausu susceptum, ac stabilitum, quod dictus Ellies. labefactare temerè conatus est, cum eosdem Pontifices, solemniter de Fide definientes, in Fide errasse non erubescat asserere. Et nè quis nos id finxisse arbitretur, cum inverosimile videatur Parisiensem Doctorem tàm errabundè impegisse, in hæc adeò manifesta, quæ mediocriter eruditos non transeunt, illius verba hîc duximus repetenda: *Ex his autem (inquit), vt ad propositum nostrum revertamur, abundè liquet, Romanos Pontifices, etiam solemniter aliquid definientes errori obnoxios esse. Cum enim Nicolaus, & Joannes contrarium planè definiant, atque huic videatur hæreticum, quod ab illo determinatum est, necesse est, alterum eorum non modo in errore versari, sed errorem solemniter definivisse.*

949 Quatuor hic tangit Ellies., quæ præteriri absque censura non possunt. Primò, Pōtifices solemniter definientes esse errori obnoxios; quod cum jam, vt intolerabilem hæreticorū errorem lato calamo impugnaverimus, nihil pro nunc superaddendum censemus his, quæ à nobis tradita sunt *tom. 1. per totum de Romani Pontificis Infallibilitate, & non errandi privilegio in rebus Fidei definiendis.*

950 Secundò, Nicolaū, & Joannem contraria definiisse; quod cum falsum, & absque vllo probabilitatis fuco assertum, à nobis in hac dissertatione demonstratum sit, & præstantissimorum Authorum judicio stabilitum, aliquid amplius superaddere non oportet.

951 Duo ergo tantummodo hìc examinanda superfunt. Primò, an verum, falsumvè sit Ioanni hæreticum visum fuisse, quod à Nicolao determinatum est. Secundò, an alterum eorum non modo in errore versari, sed & errorem solemniter definiisse, probetur.

§. I.

Nicolai III. Constitutio Exiit, *de Christi, & Apostolorum Paupertate, ab omni erroris vmbra immunis ostenditur.*

952 DVo præcipuè in ea Constitutione continentur, de quibus ab aliquibus dubitatum fuit, an fuerint errori obnoxia, & definitioni à Ioanne XXII. de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate editæ contraria? Primum, quod in dicta Constitutione *Exiit*, pro expositione Regulæ S. Francisci edita, declararit, eam (quæ, vt cæterę aliarum Religionum Regulæ, statuit nihil habere in proprio) intelligendam esse juxta totius Religionis praxim, & sinceram S. Francisci mentem de non habendo in communi, nec in speciali in aliquo proprietatem. Et quod id sit ab omni erroris nęvo liberum non mediocriter evinci potest. Quis enim quod ab Ecclesia, quæ est Veritatis Columna, Summisque Pontificibus, Infallibilitatis privilegio ore CHRISTI donatis, speciali Spiritus Sancti assistentia eam regentibus, probatum extiterit errori obnoxium audebit vnquam asserere? At sic est, quod S. Francisci Regula, juxta Nicolai III. declarationem de rigorosa Minorum Paupertate, & rerum omnium abdicatione, omnisque proprietatis, tàm in speciali, quàm in communi, fuit à Summis Pontificibus, & ab Ecclesia absque vlla exceptione probata, & confirmata: Ergo nulli dubium, quin Decretum, à Nicolao editum, pro declaratione Regulæ S. Francisci, de abdicatione omnis proprietatis in vniversali ab Alumnis Franciscanæ Religionis observanda ab omni prorsus sit errore immune. In majori nulla est difficultas, pariterque nec in consequentia. Restat tantummodo minor probanda, in qua totum difficultatis pondus sistit, quod non erit difficilè, si Constitutiones Pontificias percurramus pro confirmanda S. Francisci Regula editas.

953 In primis GREGORIVS IX. *in sua Declaratione*, quæ incipit: *Quo elongati sæculo*, *art.* 4. id expressè testatur, dicens: *Præterea, cum in ipsa Regula contineatur expressè, quòd Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum,*

nec rem aliquam, ac ipsi processu temporis contaminari timeant Ordinis Paupertatem, præsertim cum jam dixerint aliqui, proprietatem mobilium pertinere ad totum Ordinem in communi, Nobis fuit humiliter supplicatum, vt in hoc dignaremur animarum providere periculis, & totius Ordinis puritati. Dicimus itaque, quòd neque in communi, nec in speciali debent proprietatem habere, sed vtensilium, & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, eorum vsum habeant.* Quę quidem Pontificis declaratio magni certè ponderis est judicanda, cum præfatus Gregorius vnus fuerit ex his, qui S. Franciscum familiariter tractarunt, & plenius potuit illius mentem penetrare, ac vnus fuerit ê pręcipuis, qui illi adfuerunt, vt ab Apostolica Sede suę Regulæ confirmationem obtineret: prædicta autem Declaratio, adeò clara est, ac aperta, vt quodlibet interpretationis genus penitus excludat, & sui Successoris Nicolai III. declarationem prævenit, & includit.

954 Idipsum censuit INNOCENTIUS IV. *in ejusdem Regulæ declaratione*, quę incipit: *Ordinem vestrum*, ibi enim sic habet: *Dicimus insuper, quòd cũ in ipsa (scilicêt Regula) contineatur expressè quòd Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, nec in communi, neque in speciali debent proprietatem habere. Sed locorum, & domorum, ac vtensilium, ac librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, Ordo vsum habeat, & Fratres, secundùm quod Generalis, vel Provinciales Ministri disponendum duxerint, iis vtantur. (Et *infrà*:) Cum tàm mobilium, quàm immobilium hujusmodi jus, & dominium (illis solis exceptis, in quibus expressè donatores, seu translatores sibi dominium servasse constiterit) nullo medio ad Ecclesiam ipsam spectent, cui domus, & loca prædicta cum Ecclesiis, cæterisque pertinentiis, (quæ omnia in jus, & proprietatem S. Petri suscipimus) omninò, tàm in spiritualibus, quàm temporalibus immediatè subesse noscuntur.*

955 ALEXANDER IV. aliam eiusdem Regulæ haud absimilis tenoris expositionem edidit, quæ invenitur authentica apud BARTHOLOMÆVM PISANVM *in sua Compilatione*, vt refert *Speculum Ordinis Seraphici.* Ad cujus imitationem NICOLAUS III. aliam evulgavit ejusdem Regulæ declarationem in præfata Constitutione *Exiit*, sæpiùs repetita, *art.* 2. pręmissas declarationes supponens, suam in hæc verba condidit: *Dicimus, quòd abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum, tàm in speciali, quàm etiam in communi, propter Deum, meritoria est & sancta. (Et *infrà*:) Cum in rebus temporalibus sit considerare præcipuum, proprietatem, possessionem, vsumfructum, jus vtendi, & simplicem facti vsum, & vltimo tamquam necessario egeat, licèt primis carere possit vita mortalium, nulla prorsus potest esse professio, quæ à se vsum necessariæ sustentationis excludat. Verùm & decens fuit ei professioni, quæ devovit CHRISTUM Pauperem in tanta Paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum vsu fore contentam.* Videantur sequentia, in quibus rerum Fratribus concessarum dominium, Prædecessorum, pręsertim Innocentii IV. exemplo, Apostolicæ Sedi reservavit; videantur, inquam; ibi enim latè se diffundit.

956 Idipsum legimus declaratum à MARTINO IV. *in Decretali Exultantes in Domino, &c.* edita *secundo sui Pontificatus anno*, qui fuit 1286. ibi enim prædictus Pontifex sancit, omnes res Fratrum Minorum, sivê mobiles, sivè immobiles, quibus vti possunt quoad jus, proprietatem, & dominium ad prędictos Fratres nullo modo spectare, sed ad Romanam Ecclesiam pertinere, facultatemque concedit constituendi Syndicos, qui res oblatas in vsus Fratrum necessarias, Ecclesiæ nomine, & authoritate expendant.

957 Idem præstitit NICOLAVS IV. *primo sui Pontificatus anno* qui fuit 1288. 2. *Maii* in Decretali, quæ incipit: *Quia nonnulli, &c.* vbi omnia, & singula, quibus Fratres Minores possent licitè vti, in S. Petri dominium, proprietatemque recepit, nisi dantes id dominii sibi reservarint.

958 BONIFACIUS VIII. Nicolai III. Decretalem approbavit, eamque inseruit *sub tit. de verb. signif. in.* 6. quem ex veris, & authenticis Decretalibus compilari fecit, vt habetur in Decretali: *Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, &c.* quam eidem libro præfigi mandavit.

959 Ipse Pontifex, *primo sui Pon-*

ti-

tificatus anno, qui fuit 1294. Nicolai, aliorumque Prædeceſſorum Decretales confirmavit ſpeciali Indulto, quod incipit: *Inter cæteros Ordines*, & in eo hæc ſanxit: *Præterea Eccleſias, Oratoria, domos, loca, libros, vtenſilia, & alia quælibet mobilia, & immobilia, quorum vſum licitè habere noſcimini, cum cæteris omnibus quocũque modo, vel quavis cauſa pertinentibus ad prædicta, & ad aliquid prædictorum in jus, & proprietatem B. Petri Apoſtoli Authoritate Apoſtolica ſuſcipimus, in perpetuum valitura, illis ex eis dumtaxat exceptis, in quibus evidenter, & expreſsè donatores, ſeu translatores ſibi proprietatem, & dominium conſtiterit reſervaſſe, &c.*

960 In VIENNENSI CONCILIO edita fuit, ac promulgata ſolemnis CLEMENTIS V. declaratio, quę incipit: *Exivi de Paradiſo*. & in ea præfatus Pontifex Nicolai ſui Prædeceſſoris Decretalem elucidat, ſupplet, & confirmat, & in omnibus ipſi ſubſcribit.

961 Denique IOANNES XXII. vtramque, Nicolai nempè, & Clementis declarationem confirmavit *in Extrá: Quorumdam exigit, &c.* his verbis: *Nos poſt Prædeceſſorum noſtrorum, & præſertim ſel. record. Nicolai III. ac pię memor. Clementis V. Romanorum Pontificum, ſuper intellectu, & obſervantia Regulæ Ordinis Fratrum Minorum declarationes, ſalubriter editas, ſolidas quidem, claras, & lucidas, multaque maturitate digeſtas, Deo favente, indubias ipſorum Prædeceſſorum declarationes declarationibus adjungamus, ſicque dies diei eructet verbum, &c.*

962 In CONSTANTIENSI CONCILIO edita fuit Conſtitutio: *Sacroſancta Conſtantienſis Synodus*, quæ in partibus Galliarum quibuſdam Obſervantibus Monaſteriis, hunc Paupertatis ſtatum confirmat, & inter alia, quæ ibi præſcribuntur, hæc habentur: *Inſuper poſsit, & debeat ipſe Vicarius Generalis, & ſui ſucceſſores, Conventus ſibi ſubditos ad ſtatum dictæ ſtrictæ obſervantiæ conſonum, juxta declarationes, & ſtatuta Sedis Apoſtolicæ, & Ordinis reducere, tollendo quaſcumque ſuperfluitates, ſivè ſint in rebus mobilibus, vel immobilibus, quantum fieri poterit bono modo, habito ſemper conſilio majorum, & diſcretorum, ſibi obedientium, eligendo, ſi opus eſt, aliquos Fideles, qui ipſas ſuperfluitates Authoritate hujus Sacri Concilii vendant, commutent, aut aliàs in piis operibus convertant, &c.* Per ſtatuta, & declarationes Apoſtolicas intelligit Concilium declarationes Nicolai, & Clementis, quæ in prædictis Monaſteriis obſervabantur. Hinc ordinatũ, Procuratores, ſeu Syndicos eligi poſſent, qui ſuperfluitates commutarent, aut in pios vſus converterent, nomine tamen, & Authoritate Concilii, non Fratrum, vt qui nullum in res dictas dominium haberent, quo jus, aut Authoritatem qualemcumque, in alios legitima, & valida ſubſtitutione derivarent. Hoc idem Decretum legitur confirmatum à CONCILIO BASILEENSI, dum ſub obedientia Eugenii IV. congregatum perſeverabat; & per Martinum V. *ſui Pontificatus anno* 3. Decretali, quæ incipit: *Romanum Pontificem.*

963 Ipſe MARTINVS V. *anno ſui Pontificatus* 11. qui fuit 1428. *Kalend. Novemb.* Martini IU. Decretalem renovavit, eamque de verbo ad verbum exprimens in ſua Conſtitutione, quę incipit: *Amabiles fructus*, confirmavit, & Extravagantem Ioannis XXII. *Ad conditorem*, facta expreſſa ejus mentione revocavit quantum ad hoc, quòd facultatem inſtituit nominandi Syndicos, qui Apoſtolicę Sedis nomine, & Authoritate eleemoſynas Fratrum expenderent, reaſſumpſitque in Apoſtolicam Sedem omne jus, & dominium rerum, ad Fratrum vſum ſpectantium, quod aliàs præfatus Dominus Ioannes XXII. abdicarat.

964 Ab eodem Pontifice ad Generale totius Franciſcanæ Religionis Capitulum *anno Domini* 1430. Aſſiſsii celebratum, legatus fuit Joannes Cardinalis, vt pro ipſius Ordinis vnione, reformatione, eidem Capitulo pręſideret, cum plenaria poteſtate dirigendi, & diſponendi, ſtatuendi, præcipiendi, mandandi, & quoſcumque tranſgreſſores mulctandi, puniendi, corrigendi, privandi, approbandi, reprobandi, procedendi, judicandi, & exequendi &c. vt in Litteris Pontificiis, quæ incipiunt: *Cum Generale Capitulum*, pleniùs continetur. Hujus Apoſtolicæ conceſſionis vigore in eo Capitulo edita fuere ſtatuta, quę dicta ſunt *Martiniana*, nedum, quia ipſius Authoritate facta, verùm & quia ab

eodem postea confirmata, & modificata, per Constitutionem, quę incipit: *Pervigilis more Pastoris &c. sub dat. Romæ, apud SS. Apost. 6. Kal. Aug. Pontif. anno* 14. Vbi pro prædictorum statutorum confirmatione hæc habentur: *Nos Constitutionum, & Litterarum earundem tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illaque harum seriè approbãtes, & confirmantes, &c. (Et infrà:)* Præmissis nec non Constitutionibus Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque: aliàs tamen Constitutionibus antedictis per præfatum Cardinalem editis in omnibus semper salvis &c.*

965 Quid tandem in præfatis Constitutionibus erga præsentem quæstionem statutum sit, audiamus. *Item quoad votum Paupertatis, id est, vivendi sine proprio, & quòd Fratres nihil sibi approprient, statuimus, & ordinamus, illud inconcussè tenendum quod fel. record. Nicolaus III. declaravit in sua Decretali *Extrà. de verb. signif. Exiit qui seminat lib. 6. §. Porrò*, successivè, & seriatim per ordinẽ vsque *ad §. Verùm quia expressè in Regula continetur.* (Hæc series cõprehendit *art. 2. & 3.* omnia scilicet, quę de Paupertatis statu declaravit, & ordinavit Nicolaus.) Et quòd quilibet Conventus habeat suum Procuratorem secundum declarationem & privilegium Domini Nicolai III. Martini IV. & Sanctissimi Patris & Domini Martini V. &c.* Ita Statuta *cap.* 1.

966 Ab EUGENIO item IU. *in Decretali. Ad perpetuam rei memoriam. Provisionis nostræ debet provenire subsidio vt jus suum cuilibet conservetur, &c.* confirmatæ leguntur Martini V. Litteræ, de quibus suprâ, *anno* 1432. *Idib. Febru. Pontif. Eugenii anno* 2. Per eundem etiam Pontificem editis pluribus aliis Constitutionibus, statuta familię de Observantia approbata, & ampliata feruntur; qui Paupertatem dictam solo rerum vsu contenti profitentur. Successores etiam CALIXTVS III. NICOLAVS V. PIVS II. PAVLVS II. SIXTVS IV. qui subindè *prid. Kalend. Martii anno* 1471. edita Decretali, quę incipit: *Dum vberes fructus* &c. idem præstitisse dicuntur, approbasseque Constitutionem Martini V. & Prędecessorum de instituendo Syndico, qui nomine Ecclesiæ Romanæ administraret oblata in vsus necessarios Fratrum, ibidem. que determinasse, omne jus proprietatem & dominium, in hæc ad Sedem Apostolicam spectare.

967 ALEXANDER VI. prædictas Martini IU. Martini V. Eugenii IV. Sixti IU. Pauli II. Callixti III. Decretales confirmavit in Decretali, quę incipit: *Vberes fructus, quos videtur Ordo, &c.* ibi enim Fratribus Minoribus vsu rerum dumtaxat permisso (quem, vt ait Pontifex, cum puritate Regulæ percipere, & habere possunt) dominium, & proprietatem apud Romanam Ecclesiam remanere decrevit. Idipsum simili Constitutione sanxit IULIVS II. *anno* 1509. LEO X. *primò sui Pontificatus anno*, qui fuit 1514. declaravit, amplas domos, & pretiosa ornamenta Regulari Observantiæ Fratrum non derogare: *Nos igitur attendentes, quòd domorum, & aliarum rerum, tâm pro Divino cultu, quàm pro communi vsu vestro vobis concessarum solum ad vsum, non possessionem cedunt, nec ea sine speciali Sedis Apostolicæ mandato alienare possitis, ac ad eamdem illa omnia, quę de novo nostri Prędecessores fecerunt in proprietatem dictę Sedis recipimus pertinent, & quod ex domorum amplitudine, aut paramentorum multiplicitate, nihil magis vestris commoditatibus corporalibus adijcietis, vestris hac in parte supplicationibus inclinati, Authoritate Apostolica, tenore præsentium, declaramus, & decernimus, vt illarum tantum esse custodes, & non possessores, & propterea absque vestræ professionis macula, aut violatione decentioribus paramentis vti, &c.*

968 Pro majori hujus veritatis munimine, quàmplurima possem adducere Sanctissimi Franciscani Ordinis Statuta, ab illius origine edita, & ab eadem Apostolica Sede confirmata. Sed quid nobis quærendum est vltra tot Romanorum Pontificum Decreta, idipsum vnanimi consensu confirmantia, perpetuamque ejusdem Religionis traditionem stabilientia, quibus tota Franciscana Religio edocta nihil proprietatis, aut dominii solo vsu rerum dempto, sivè in communi, sivè in particulari admisit? Hinc magna TRIDENTINA SYNODVS *sess. 25. de Regular. & Monial. cap. 3.* dum reliquis, tàm Mendicantibus, quàm aliis Religionibus bona immobilia possidere in communi permittit, & de novo concedit, excipit Monasteria

Fran-

Franciſcanorum de obſervantia, & Capuccinorum ; non aliam fortè ob cauſam, niſi quia eorum ſtatus, & Regula poſſeſsionem vllius rei non permittit.

969 Ex dictis perſpicuè demonſtratur Franciſcanæ Regulæ declarationem, qua Nicolaus III. expoſuit, per non habere aliquid proprium, intelligi omnis proprietatis, tàm in ſpetiali, quam in communi abdicationem, non modo S. Franciſci, & Doctiſsimorum Sanctorum, ac Doctrina, & Sanctitate celebriorum ejuſdem Religionis Profeſſorum, ſed etiam Summorum Pontificum Nicolai III. Prędeceſſorum, & Succeſſorum menti conſonam fuiſſe ; cumque prædictum Nicolai Decretum ab Vniverſali Eccleſia in Sacratiſsimis Conciliis VIENNENSI, CONSTANTIENSI, BASILEENSI (dum legitimo) & TRIDENTINO ſingulari plauſu ſuſceptum ſit, hinc apertè concluditur, præfatam Nicolai Declarationem ab omni prorſus erroris ſuſpicione liberam, & immunem eſſe, adverſus manifeſtam Ellieſii deceptionem perperam aliter ſentientis.

§. II.

Alterum Nicolai III. Decretum de ſtrictiſsima CHRISTI Paupertate cum omnium rerum abdicatione, á calumniantium impoſtura vindicatur.

970 SEcundum reſtat examinandum, videlicet : An Nicolai Decretũ de CHRISTI, & Apoſtolorum Paupertate in ea Conſtitutione *Exiit*, aliquatenus erroris argui poſsit ? Dubitandi rationem tradidimus *hoc lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 224. in Apologia pro illibata Nicolai Fide ſtabilienda, vbi hanc ſtatuimus Concluſionem: *Nicolaus Pontifex in materia Fidei irreprehenſibilis omninó eſt judicandus.* Nec oportuniorem in præſenti Diſſertatione ſtatuere arbitramur, quam in re tantæ gravitatis, ſummique ponderis, qualis eſt, Romanos Pontifices in Fidei candore puriſsimos oſtendere, eamdem Aſſertionem, quam loco ſuprà laudato ſub brevibus tradidimus, latiori calamo denuô ; eamque Dei ſtabilire, Verbo, Sanctorumque Patrum menti valdè conſonam oſtendere ; quod in ſequentibus, Divino juvante Numine, pleniſsimê præſtabimus, hac vnica, haud levis momenti ratione innixi.

971 A nullo ſanæ mentis mortalium poteſt erroris vellicari, quod a CHRISTO Domino verbo, & exemplo edoctum conſtiterit, & ab Apoſtolis primis Eccleſiæ Fundatoribus, pro noſtra inſtructione traditum fuerit, eorum exemplo imitandum. At ſtrictiſſimam Paupertatem cum omni proprietatis abdicatione, tàm in ſpeciali, quàm in communi, quam Nicolaus in dicta Conſtitutione decrevit, CHRITVS Dominus verbo docuit, & exemplo firmavit, Sanctiſsimique Apoſtoli, CHRISTI exemplum ſequuti, eam nobis imitandam tradiderunt : omnis ergo impoſturæ erroris immunis cenſenda eſt in eo Decreto Nicolai III Conſtitutio. Major, & conſequentia liquent ; ſupereſt tantummodo probanda minor, in qua totius contro verſiæ vertitur difficultas.

972 Tria ergo probanda aggredimur. Primó, CHRISTVM eam Paupertatem verbo docuiſſe. Secundò, exemplo firmaſſe. Tertiò, idipſum Apoſtolos nos ſuo exemplo docuiſſe. Primum multipliciter ſuadetur. Primò ex illo *Matth.* 10. *Nolite poſsidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris : non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam : dignus eſt enim operarius cibo ſuo.* Vbi etſi aliqui ſentiant, CHRISTVM non pręceptum, ſed conſilium Apoſtolis dediſſe, quod non eſt hujus noſtræ inſpectionis, cum de hoc latè *ſuprá* egerimus, & pro vtraque parte ſtent graviſsimi, ſanctitateque præſtantiſsimi Scriptores, nobis tamen pro nunc ſufficiat, CHRISTUM id, ſivè pręcepro, ſivè cõſilio, verbo docuiſſe, de quo nulli dubium eſſe poteſt. Sed quod ea verba pręceptum importent, ex fine illius capitis manifeſtum videtur. *Et factum eſt* (inquit MATTHÆVS) *cũ conſummaſſet IESVS, præcipiens duodecim Diſcipulis ſuis, &c.* Et *Matth. 6. Dedit illis poteſtatem ſpiritum immundorum, & præcepit eis, nè quid tollerent in via, niſi virgam tantum, non peram, non panem, neque æs in zona, &c.* His in locis ſicut pręcepiſſe dicitur CHRISTVS, pariter ex formula loquendi præcepiſſe dicendus eſt eis verbis : *Nolite poſsidere aurum : Nihil tuleritis in via : Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera. Miſi*, ſupple, ex imperio. Sed quid præcipitur ? Propê neceſſaria amputat, nè curent de craſtino, qui docent

om-

omnia regi à Deo. Omnium rerum abdicationem esse præscriptam docet S. CHRYSOSTOMUS *in cap.* 10. *Matth. hom.* 33. ibidem S. HIERONYMUS, GLOSSA, LYRANUS, ANSELMUS. *Per *aurum*, *& argentum*, inquit, accipit omnes divitias, per *pecuniam in zonis*, & per *peram* accipit omne viaticum, &c. *S. BASILIUS *in Regulis Moralibus, cap.* 28. *reg.* 70. Id etiam expressè S. THOMAS *in Catena*, RUPERTUS, CARTHUSIANUS, & communiter alii. Sed quid ipso Textu clariùs: *Nolite possidere*, inquit, *aurum*, &c. CHRYSOSTOMUS.* Non dixit, non accipiatis vobiscum, sed non possideatis, vt si aliundè sumere possint, recusarent tamen, ac pernitiosam hanc ęgritudinem fugerent, &c.* Vbi GLOSSA: *Duo sunt genera necessariorum, vnum, quo emuntur necessaria: aliud ista necessaria, per pecuniam in zonis, illud vndè emuntur, per peram illud quod emitur.* Quę quidem interpretatio consonat cum illis *Lucæ* verbis: *Neque peram, neque panem.* Et illis Marci: *Non peram, non panem.* Omnia ergo his CHRISTI verbis, per concordantes Evangelistas traditis, videntur à CHRISTO prohibita Apostolis, Evangeliū enūciaturis, vsque ad duas tunicas, & calceamenta, & per *panem*, consueto scripturæ more, alimenta videntur comprehendi.

973 Huic interpretationi favere videtur illud *Lucæ cap.* 9. **Nihil tulleritis in via*, (ecce vniversalem prohibitionem) *neque virgam neque peram, neque panem &c.* & illud *Marci* 6. *& præcepit eis, nequid tollerent in via, nisi virgam tantum non peram, non panem; neque in zona æs &c.* Si tàm strictam habuerunt Apostoli prohibitionem, non possidendi aliquid proprium, nec adhuc ea, quæ ad vitæ sustentationem necessaria erant, cum omnia hæc generali illa prohibitione contineantur, vt modo diximus. Hinc liquidò constat, CHRISTUM verbo docuisse eos ad Evangelicam prædicationem mittendos esse, cum omnium rerum abdicatione, quin eis aliquid proprium habere permitteret, etiam in his, quæ ad vitæ sustentationem necessaria forent.

974 Nihilominus etsi eis prohibeat CHRISTUS aliquid proprium habere, permittit, vt ex alieno vivant; ex aliorum nempè eleemosynis, sibi datis, vel oblatis; vt satis innuit ipse Dominus illis verbis: *Dignus est enim operarius cibo suo*, quibus ostendi videtur vndè necessarium vitæ alimentum, seu victum, & vestitum spectare deberent, ex opere nempè, & Evangelio, non quod Evangelii prædicatio propter hoc fieret; cum id vetitum sit illis verbis: *Gratis accepistis, gratis date*; sed vt monerentur Discipuli eos Divina Providentia alendos esse ex piorum Fidelium eleemosynis, quibus Evangelium erant annuntiaturi, juxta D. CHYSOSTOMVM in ea verba hæc annotantem: *Deindè nè dicas: Et vndè igitur, quæ ad vitam necessaria sunt, consequentur? Non adduxit in medium, quod aliàs eis dixerat: *Inspicite volatilia Cœli.* Nondum enim poterant re ipsa hoc præceptum præstare: sed, quod multo est minus adducit, dicens: *Dignus est enim operarius cibo suo.* Vndè præspicuum est à Discipulis ipsos esse alendos, &c.*

975 Consonat S. HIERONYMUS, dicens: *Et quia quodammodo nudos, & expeditos ad prædicandum Apostolos miserat, & dura videbatur esse conditio Ministrorum, severitatem præcepti sequenti sententia temperavit: *Dignus est operarius cibo suo.* Tantum, inquit, accipite, quantum in victu, & vestitu, vobis necessarium erit.* Hinc ergo CHRISTUS immediatè subjecit. *In quamcumque autem Civitatem, aut Castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis.* Videlicèt apud eos hospitantes, vel vt habetur in missione septuaginta duorum Discipulorum *Lucæ* 10. *In eadem autem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua, &c.* Quibus verbis voluit CHRISTUS, vt Apostoli in Evangelii prædicatione omnem curam, & solicitudinem circa victum, & vestitum penitùs abiicerent, intelligerentque eos tamquam Ministros ad tàm sublime ministerium inanimarum salutem electos, Divino favore alendos, altissima Dei Providentia disponente, vt quamvis nihil proprium secum veherent, eis victus, & vestitus, non deficeret ex alieno, eleemosynis nempè piorum Fidelium, qui media illorum prædicatione ad Christianę Fidei, & Evangelicę veritatis agnitionem erant pervenuti.

Ad

976 Ad hanc omnimodam nuditatem cum omnis proprietatis abdicatione, qua Evangelii Prædicatores, ad Apostolorum exemplum nihil proprium habere debent, spectat, quod expendit S. GREGORIUS NAZIANZENUS *orat.* 42. dicens: *Simili modo, si quis Discipulus ad prædicandum Evangelium mittitur, frugalitati, ac simplicitati studeat, quippè præter id, quod nec æs, nec bacculum, nec duplicem tunicam habent, etiam nudis pedibus iter facere oporteat, vt pulchri pedes Evangelizantium pacem, atque omne bonum appareant.* His in verbis alludit Sanctus ad ea, quæ verbo docuit, ac mandavit CHRISTVS Dominus *Matthæi* 10. *& Lucæ* 9. *&* 10. *Marcique* 6.

977 Nec est silentio prætereunda summa Paupertas, qua electi fuerunt CHRISTI Apostoli, & Discipuli, quamque amplecti debent, qui eos imitari, profitentur. Hanc idem GREGORIVS sequentibus carminibus graphicè describit:

*Legisset inops, cumque præcones sacri
Sermonis, his dat vnicam comitem
Fidem.
Nudis, quibus non esset æs, non calcei,
Non pera, nec opes, maximũ mysterium.
Totius Orbis in manus tradens novi
Nec ferrè baculum, vel levem hos sinens
manu,
Infirmitas, vt dogmatì adstrueret Fidem.
Quid majus audi, postulanti quomodo
Perfectus esse posset Adolescentulo
Virtutis arcem finit haud ipse altera
Vlla re, egenis cuncta, quam si protinus
Dispergat, humeris semper & gestet
Crucem,
Ipsumque, rebus mortuus terrę omnibus,
Sequatur, aveat cum Deo, si subvehi,
&c.*

978 S. BASILIUS *in Moral. Regul.* 70. *cap.* 28. censet CHRISTVM factum Mendicum. Vide eandem Sanctum *orat.* 41. vbi ait, Evangelii Prædicatores, Apostolorum exemplo nihil proprium, sed solum vsum habituros. *Non debet (inquit) cui traditum est munus Evangelii, aliquid plus possidere, quàm quantum naturalis vsus desiderat.* Quod confirmat ex eo, quòd CHRISTVS, Apostolos, cæterosque ipsos in prædicatione imitantes, id verbo docuerit, dicens: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus est enim operarius cibo suo. Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.*

979 Hùc præclarè facit quod EVSEBIVS *de Præparatione Evang. lib.* 3. *cap.* 7. scribit de omnium rerum abdicatione, quam professuri erant Apostoli juxta ea, quæ eos CHRISTVS verbo docuerat. Illius verba audiamus: *Mores quoque eorumdem (scilicet Apostolorum) à cupiditate omnis generis, pecunia alienos quis non obstupescat? qui hoc quoque concesserint ex eo, quòd non fugerint, sed sequuti sint Præceptorem, qui ipsos possidendo auro atque argento deterruerit; legemque fixerit, vt nê vsque ad duas quidem tunicas rem suam augerent, quod quidem vel auditu intollerabile cuipiam videatur ob gravitatem imperii; at illos etiam re ipsa compleviſse, quod dictum est, constat.* Ergo quodam tempore, cum quidam claudus à Petro, & ab aliis, qui circum Petrum erant aliquid postularet (hic porrò vnus erat eorum, qui ob extremam inopiam victum mendicabant) non habens Petrus quid daret, confessus est, ab omni se possessione auri, atque argenti abhorrere, his quidem verbis: *Argentum, & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine IESV CHRISTI surge, & ambula, &c.*

980 S. AMBROSIVS *lib.* 7. *in Lucam ad ea verba: Nolite portare sacculum*, non mediocriter innuit, omnem rerum abdicationem Apostolis fuisse præceptam; sic enim scribit: *Quid sit sacculum non esse portandum, alibi Dominus evidenter expresit; scripsit enim Matthæus, cum ipse dixit ad Discipulos: Nolite possidere aurum, neque argentum, &c.* (Et *infrà*:) Non sic Apostolus Petrus, qui primus Dominicę executor sententię, vt ostenderet, non in vacuum Domini effusà mandata, cum poscereturà paupere, vt ei aliquid pecunię largiretur, ait: *Argentum, atque aurum non habeo.* Ille gloriatur, quòd non habet argentum, neque aurum, &c. Tamẽ non tàm hoc gloriatur, Petrus, quòd argentum, & aurum non habeat, quàm quòd servet mandatum Domini, qui præcepit: *Nolite possidere aurum.* Hoc est dicere: Vides me CHRISTI esse Discipulum, & aurum à me requiris? * Vide eumdem *serm.* 5. *de SS. Petro, & Paulo.*

Pro

981 Pro omnimoda nuditate, & omnium rerum abdicatione, quam voluit CHRISTVS, vt Apostoli cęterique Evangelii Prædicatores tenerēt, notanda admodū occurrit S. HIERONYMI expositio *ad illud Matth.* 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum &c.* sic asserentis: *Consequenter hæc dat præcepta Evangelii Satoribus veritatis, quibus ante dixerat: Gratis accepistis, gratis date.* Si enim sic prædicant, vt pretium non accipiant, superflua est auri, argentique, & nummorum possessio; nam si habuissent aurum, & argentum, videbantur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicare: *Neque æs in sacculis.* Qui divitias detruncat, propèmodum & necessaria vitæ amputat, vt Apostoli Doctores veræ Religionis, qui instruebant omnia Providentia Dei gubernari, se ipsos ostenderent nihil cogitare de crastino, &c. (Et *paulo infrà*:) Et quia quodammodo nudos, & expeditos ad prædicandum Apostolos miserat, & dura videbatur esse conditio Magistrorum, severitatem præcepti sequenti sententia temperavit: *Dignus est operarius cibo suo.* Tantum, inquit, accipite, quantum in victu, & vestitu vobis necessarium est.*

982 Hanc Apostolorum nuditatem, & omnium rerum abdicationem expendit ipse Sanctus *in Epist. ad Ruffinum, paulò post initium*, dicens: *Apostoli de piscatione lacus Genesaret, ad piscationem, hominum transierunt. Qui tunc habentes Patrem, rete, naviculam, sequuti Dominum, protinus, omnia reliquerunt, portantes quotidiè crucem suam, & nè virgam quidem in manu habentes.*

983 Idipsum expressit idem Sanctus *in Epist. ad Ageruchiam* his verbis: *Apostoli toto orbe peregrini, (ac si diceret, nihil proprium in toto orbe possidentes) non virgam in manu, non caligas avere in pedibus; & tamen dicere poterant, nihil habentes, & omnia possidētes, &c. Aurum, & argentum non est nobis: quod autem habemus, hoc tibi damus, in nomine IESV CHRISTI Nazareni surge, & ambula.* Non enim erant divitiarum sarcina prægravati, & ideo stantes cum Elia in foramine petræ, per angustias acus transire poterant, & posteriora Domini contemplari, &c.*

984 Insignis ille Poëta JUVENCVS Presbyter (D. Hieronymo antiquior, & ab eo singulari commēdatione laudatus *lib. de Scriptor. Ecclesiast. in epist. ad magnum Oratorem, & in Comment. ad caput 7. Matthæi*) describens Apostolicā missionem, narransque eximiam illam Paupertatē, nuditatem, & mundanarum rerum abdicationem, quam Apostoli in Evangelii prædicatione professi sunt, hæc ad rem nostram *ad illud Matth. Nolite possidere aurum*, aptissima cecinit *lib. 2. Historiarum Evāg.*

*Non auri, argentivè domet possessio mentem,
Nec vos nummorum subigat scelerata cupido,
Nec geminas vestes, nec plantis tegmina bina,
Virtutis nudæ cupiat servire Minister, &c.
Excludet quicumque ferus vos limine tecti,
Auribus aut duris spernet vitalia verba,
Sivè aversa Dei famulos secedere tectis,
Hospitiisque focos miserè gravata vetabit, &c.*

Idem lib. 3.

*Tùm CHRISTVS fatur: Nunc si perfecta requiris
Prendere præcelsis meritis vestigia vitæ,
Omnia, quæ proprio retines solus dominatu,
Distrahe, & in miseros confer securus egentes.
Tunc Thesaurus erit Cœli tibi conditus arce,
Virtutisque tenax vestigia nostra sequeris.*

985 Nobis egregiè suffragatur D. AVGVSTINVS multis in locis, præcipuè *Epist. 89. ad Hilar. & contra Faust. cap. 77. & lib. 5. cap. 1. & in Ioan. tract. 21. lib. de Mendacio, cap. 22. serm. 13. de Verb. Dom. & contra Adimant. cap. 20. & de Consens. Evang. lib. 2. cap. 30.* vbi expendens Sanctus terrenarum rerum abalienationem, & mundi contemptum, quo Apostoli vivebant, & Evangelium prædicabant, juxta ea, quæ CHRISTVS eos verbo docuerat, alia inter plura, hęc habet: *Hoc ergo ordinans dominus (videlicet ex Evangelio vivere; quod cum ordinasse, dicit Apostolus, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere) illa Apostolis loquebatur, vt securi non possiderent, neque portarent hujus vitæ necessaria, nec magna, nec minima: ideo posuit, nec virgam, ostendens à Fidelibus suis omnia deberi ministris suis*

nulla

nulla superflua requirentibus, &c.*

986 Quod non minus expressè docuit idem Sanctus *lib. de octo quæst. Dulcit. quæst.* 1. *super illud Apostoli: Si quis autem ædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, &c.* In quibus intelligit Paupertatem; in reliquis, vt ligno, stipula, opera divitum, qui mandata servant, non vendunt tamen quæ possident, sed in solicitudine vivunt terrenorum.

987 Subscribit D. IOANNES CHRYSOSTOMUS *hom. 33. in Matth.* Siquidem ad illa verba: *Nolite possidere aurum*; hęc tradit: **Non possideatis aurum, neque argentum*, dixit, *neque pecuniam in zonis vestris, &c.* Non dixit, non accipiatis vobiscum, sed non possideatis; vt si & aliundè sumere possint, recusarent tamen, ac pernitiosam hanc egritudinem fugerent. Quo quidem præcepto multa profectò complectitur commoda. Primò, vt nulla de Discipulis possit esse suspicio: Deindè ab omni seculari cura sic ipsos liberos reddit, vt prædicationi solùm vacare possint: ad hæc immensam suam potentiam ipsis patefecit; quod & postea commemoravit, dicens: *Numquid vobis tunc aliquid defuit, quando vos nudos, & absque calceis misi, &c.**

988 Et *infrà*: *Sed, inquies, cætera quidem non absque ratione certa dicta esse: quid autem, vt *peram* non habeant in viam, nec *duas tunicas*, nec *virgam*, nec *calceos*? quanam de causa eis injunxit? Exactissimè certè sublimioris vitæ fundamenta voluit jacere. Sic & in superioribus nullam de crastino die curam ipsos habere conatur: nam cum ad vniversi terrarum Orbis magisterium ipsos missurus esset, non incurià ad Angelicam, vt ita dixerim, disciplinam ex humana vita traducit, ab omni cura rerum sæcularium liberos reddens, vt vni rei, prædicationi videlicet Evangelii, solummodò vacarent, &c. Nulla enim res tranquillitatem animi magis, gaudiumque solet efficere, quàm si omnem curam, & solicitudinem deposueris, præsertim cum liceat ipsis hujusmodi solicitudine liberis nihil detrimenti accipere, Deo videlicet præsente, atque abundè ipsis omnia suppeditante. Deindè nè dicant: Vndè quæ ad vitam necessaria sunt consequemur? non adducit in medium, quod aliàs eis dixerat: *Inspicite volucres Cœli*; nondum enim poterant rem ipsa hoc præceptum præstare: sed quod multò est minus adducit, dicens: *Dignus est enim operarius cibo suo.* Vndè perspicuum est, à Discipulis ipsos esse alendos, nè aut ipsi adversus eos, quos docebant, quasi omnia præbentes, & nihil vicissim accipientes, insurgerent, aut illi, qui audirent, quasi neglecti, aut spreti decederent: ac nê eos pudeat, qui quasi mendicando vivere ipsos volebat, *Operarios* vocavit: & quod eis dabatur, *mercedem* appellavit, vt rem debitam dari sibi, ostenderet: nam etsi verbis solum Operarii videbantur, res tamen erat non parvi laboris, & beneficia collata non parva. Quarè quod Apostolis dabatur, non gratis offerebatur, sed ad retributionem beneficiorum: *Dignus est enim Operarius cibo suo*; non quia tanti solummodò labores illi Apostolici fuerunt; absit: nequaquam enim hoc cogitandum est: sed propterea istud ita ordinavit, nè Apostoli plus aliquid quærant; & qui ipsis necessaria ministrabant, nulla jactatione liberalitatis tumerent, si debitum persolvebant.* Hactenus Chrysostomus.

989 Hùc egregiè spectat illud S. LEONIS Papæ *Hom. in festo omnium Sanct.* *Beata igitur illa Paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, sed cœlestibus bonis ditescere concupiscit. Cuius nobis magnanimę Paupertatis exemplum primi, post Dominum, Apostoli præbuerunt, qui omnia sua sine differentia relinquentes, ad vocem Cœlestis Magistri à captura piscium, in Piscatores hominum alacri conversione mutati sunt, & multos sui similes Fidei suæ imitatores fecerunt, &c. (Et *paulò infrà*:) Hinc B. Petrus Apostolus, cum ascendens in Templum à claudo eleemosynam posceretur. *Argentum*, inquit, *& aurum non est mecum, quod autem habeo hoc tibi do, &c.* Quid hac Paupertate locupletius? non habet præsidia pecunię, sed habet dona naturę, quem debilem edidit mater ex vtero, sanum fecit Petrus ex verbo; & qui imaginem Cæsaris in nummo non dedit, imaginē CHRISTI in homine reformavit.*

990 Eamdem sententiam sequutus S. GREGORIVS *Hom. 12. in Evang. ad illa verba Lucæ* 10. *Designavit Domi-*

nus, & alios septuaginta duos, &c. Nolite portare sacculum, &c. hęc habet: **Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaveritis.* Prædicatori etenim tanta in Deo debet esse fiducia, vt præsentis vitæ sumptus, quamvis non provideat, tamen sibi hos non deesse certissimè sciat: nê dum mens ejus occupatur ad temporalia, minus aliis provideat æterna.*

991 Consonat S. ANSELMI expositio *ad illa verba Matth.* 10. *Nolite possidere aurum.* *Qui alios ad contemptum sæcularium debent invitare præcepit, vt neque aurum, neque argentum, vel nummos in zonis possideant: qui enim eos videret abscondere nummos, & habere, putaret eos causa lucri prædicare. (Quod vtinam his miserabilibus, ac deflendis temporibus non accideret.) Per *aurum*, & *argentum* accipit omnes divitias; per *pecuniam in zonis*, & per *peram* accipit omne viaticum. Viaticum habet duas partes, vel vndè emantur necessaria, vel ipsa necessaria. Per *pecuniam* accipitur illud viaticum vndè emuntur necessaria.* Hinc apparet quanta nuditate Paupertate, & mundanarum rerum abdicatione voluerit CHRISTVS, Apostolos suos vivere, cum Apostolis adhuc ad victum, & vestitum necessaria habere, & secũ ferrè non permisserit, vt abiecta temporalium cura æternis vnicè incumberent, & inhiarent; totamque suam spem in vna Dei Providentia defigerent, quæ in necessariis non deficit, præcipuè Dei Ministris illius obsequio totaliter mancipatis.

992 Quæ hucusque diximus clariùs illustrantur ANGELICI PRÆCEPTORIS interpretatione, qui *in illud Matth.* 10. *Nolite possidere aurum*, hujus præcepti hanc pręclaram rationem subjungit: *Quia omnis pecunia, vel est de auro, vel de argento, vel ære, ideo prohibet, né possideant *aurum* nec *argentum*. Vndè dicebat Petrus: *Argentum, & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. Act.* 3. Et quarè hoc Deus pręcepit? Vna ratio est; quia Dominus mittebat Pauperes ad prædicandum; ideo posset aliquis credere, quod non prædicarent, nisi propter quęstum. Vt igitur ista suspicio amoveatur, ideo pręcepit, nihil portare. Item ad tollendam solicitudinem, quia si essent circa hoc nimis soliciti impediretur Verbum Dei. Item prohibet divitias, quæ subveniunt in necessitate: & quia possent dicere, non feremus aurum, non argentum, sed peram possumus, vbi portabimus ova, & panem, quę sunt necessaria ad victum; & istud prohibet: *Non peram in via.* Et quarè hoc prohibuit? dicit Chrysostomus: vt ostenderet virtutem suam; quia sine his poterat eos mittere: Vndê *Lucæ* 22. *Quando misi vos sine sacculo, & pera: numquid aliquid defuit vobis, &c.* Fecit, vt ostenderet virtutem suam, &c.* Hæc Sanctus Doctor.

993 Secundus præcipuus locus, in quo CHRISTVS, nedum Apostolos, sed & cæteros, ad Apostolorum imitationem, Evangelium prædicaturos, omnem proprietatis abdicationem verbo docuit, est ille *Matth.* 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da Pauperibus.* In cujus expositione lectu dignissimi sunt majoris fidei, notæ, & Doctrinæ Sancti, & Expositores, quos subjungimus. S. GREGORIVS NYSSENVS *lib. de Beatit. orat.* 1. *in fine*, censet, CHRISTVM Dominum verbo docere, Apostolos, omnesque alios, qui eos in Apostolica sua vita, & prædicatione imitari cupiunt, veram Paupertatem, cum terrenarum rerum abdicatione, si Evangelicam perfectionem consequi velint; sic enim scribit: *Nec tamen alteram, frater, Paupertatis rationem reiicias, quę cœlestium divitiarum conciliatrix est: *Vade*, inquit, *vende omnes tuas facultates, & da Pauperibus, & veni, & sequere me, & habebis thesaurũ in Cœlis.* Etenim ejusmodi Paupertas non videtur mihi discrepare ab ea egestate, quæ beata judicatur: *Ecce omnibus, quæcũque habebamus, relictis, secuti sumus te*, inquit Discipulus ad Dominum; *quid igitur erit nobis?* Et quod est responsum? *Beati Pauperes spiritu; quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.* Vis scire, quis Pauper spiritu sit? Qui corporalem opulentiam animæ divitiis permutat, qui propter spiritum egenus est, qui terrenas, divitias, velut quoddam onus excussit, & abjecit. (Et *infrà*:) Qui Pauperi impertitus fuerit, in partem ejus, qui propter nos Pauper fuit, se ipsum constituet. Egenus fuit Dominus, nê tu quidem metuas egestatem. Verûm Regnum obtinebit omnis creaturæ, qui propter nos egenus fuit. Ergo si cum eo, qui egenus fuit

vnà

vnâ Pauper eris, cum regnante quoque vnà regnabis.*

994 S. HIERONYMUS *epist. ad Iulianum*, illum invitans ad mundi renuntiationem exēplo CHRISTI, docentis *Matth.* 19. *Vade, inquit, *Vende* non partem substantię, sed vniversa, quæ possides: *& da*, non amicis, non consanguineis, non propinquis, non vxori, non liberis; plus aliquid addam. Nihil tibi ex omnibus metu inopię reservans, nê cum Anania damneris, & Saphira; sed da cuncta *Pauperibus*, vt dominum mundi possessionem habeas: Et vt verus Levita de terrena hæreditate possideas, & hortor, si vis esse perfectus, si Apostolicę Dignitatis culmen cupis, si sublata Cruce, CHRISTVM sequi. (Et *infra*:) Extruis monasteria, & multus à te Sanctorum numerus sustentatur. Sed melius, si ipse Sanctus inter Sanctos vniversos, &c. Apostoli gloriantur, quod omnia dimiserint, & sequuti sint Salvatorem.*

995 Ipse Sanctus, *adversus Vigilantium hæreticum*, eumdem hunc *Matth.* locum expendens, hæc habet: *Quod autem asseris, eos meliùs facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum Pauperibus dividunt, quàm illos, qui possessionibus venundatis, semel omnia largiuntur; non à me eis, sed à domino respondebitur: *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus, & veni, sequere me.* Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis, Patrem, naviculam, & rete dimittit. Iste, quem tu laudas, secundus, & tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodo sciamus, prima secundis, & tertiis præferenda.* Idem *in Epitaphio Fabiolæ* eam laudat, quod non solum omnia distribuere, sed etiam pro CHRISTO Paupere mendicare desiderarit. Plura alia in hanc rem aptissima possent ex eodem Sancto adduci, brevitatis tamen gratia selectiora transcribemus.

996 *In epist. ad Heliodorum, cap.* 6. *Forsitan, inquit, dicturus es: Quid ergo? Quicumque in Civitate sunt, Christiani non sunt? Non est tibi eadem causa, quæ cæteris. Dominum ausculta dicentem: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia tua, & da Pauperibus, & veni, & sequere me.* Tu autem perfectum te forê pollicitus es; nam cum derelicta militia te castrasti propter Regnum Cœlorum, quid aliud, quàm perfectam sequutus es vitam? Perfectus autem servus CHRISTI, nihil præter CHRISTUM habet, aut si quid pręter CHRISTVM habet, perfectus non est; & si perfectus non est, cum se perfectum forè Deo pollicitus sit, ante Deum mentitus est: *Os autem, quod mentitur occidit animam* (*Sapient.* 1.) Igitur, vt concludam, si perfectus es; cur bona paterna desideras? Dominum fefellisti, si perfectus non es. Divinis Evangelium vocibus consonat: *Nemo potest duobus Dominis servire*: Et audet quisquam, mendacem CHRISTVM facere, *Mammonæ*, & *Domino* serviendo? Vociferatur ille sæpè: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et ego onustus auro, arbitror me CHRISTVM sequi? Qui dicit, se in CHRISTVM credere, debet quomodo ille ambulavit ipse ambulare. Quod si nihil habes, vt te responsurum scio, cur tam benè paratus ad bella, non militas?*

997 Insuper *in cap.* 19. *Matth. ad ea verba: si vis perfectus &c.* hæc tradit: *In potestate nostra est, vtrum velimus esse perfecti: tamen quicumque perfectus esse voluerit, debet vendere quę habet, & non ex parte vendere, sicut Ananias fecit, & Saphira, sed totum vendere, & cum vendiderit dare omnia Pauperibus, & sic sibi præparare thesaurum in Regno Cœlorum. Et hoc ad perfectionem non sufficit, nisi post contemptas divitias, Salvatorem sequatur, id est, relictis malis, faciat bona. Faciliùs enim sacculus contemnitur, quàm voluptas. Multi divitias relinquentes, Dominum non sequuntur; sequitur autem Dominum, qui imitator ejus est, & per vestigia illius graditur. (Et *infra*:) Grandis fiducia. Petrus Piscator erat, dives non fuerat, cibos manu & arte quęrebat, & tamen loquitur confidenter: *reliquimus omnia.* Et quia non sufficit totum relinquere, jungit, quod perfectum est: *Et sequuti sumus te*: fecimus, quod jussisti. *Quid igitur nobis dabis præmii? IESVS autem dixit illis: Amen dico vobis: quòd vos, qui sequuti estis me, &c.* Non dixit, qui reliquistis omnia, hoc enim Crates fecit Philosophus, & multi alii divitias contempserunt: *sed, qui sequuti estis me*, quod propriê Apostolorum est, atque cre-

dentium.* Ex his, quæ S. Hieronymus asserit, apertè colligitur, ad Evangelicam, & Apostolicam perfectionem duo requiri. Primum & præcipuum est CHRISTI sequela, quæ in illius imitatione consistit. Secundum est, eum, qui multis temporalibus bonis abundarit, vendere omnia, quæ habet, eaque Pauperibus erogare, eum verò, qui pauca habuerit, relinquere omnia, quemadmodum Apostoli præstiterunt: vndè CHRISTVS illis verbis, *Vende omnia*, omnimodam abdicationem suadet; qui enim aliquid vendit, vel erogat, proculdubio, rei venditę, & erogatæ dominium penitus transfert; sicque CHRISTUS, dum ad perfectionem exigit, omnia vendere, manifestè ostendit, ad perfectam Paupertatem requiri proprietatis omnium rerum, quas quis habuerit, abdicationem.

998 Idipsum confirmat ipse HIERONYMVS *ad Demetriadem*: siquidem *epist* 8. *de servanda virginitate cap* 7. sic loquitur: *Apostolici fastigii est, perfectæque virtutis, vendere omnia, & Pauperibus distribuere, & sic levem, atque expeditum, cum CHRISTO ad Cœlestia subvolare. Nobis, imò tibi, diligens credita est dispensatio, quamquam in hoc omni ętati, omnique personæ libertas arbitrii relicta sit: *Si vis*, inquit, *perfectus esse*. Non cogo, non impero, sed propono palmam, ostendo prędmia, tuum est eligere, si volueris in agone, atque certamine coronari. Et consideremus, quàm sapienter sapientia sit locuta. *Vende quæ habes*. Cui ista præcipiuntur? Nempè illi, cui dictū est: *Si vis perfectus esse*, non partem bonorum tuorum, vende, sed omnia. *Ergo juxta D. HIERONYMI mentem, CHRISTVS ad Evangelicam perfectionem exigit omnia vendere, sicque penitus abdicare.

999 Pro majori hujus veritatis elucidatione legatur ipse HIERONYMUS *epist.* 150. *ad Heluidiam*, vbi mirificè disserit de omnimoda abdicatione, quam Evangelica perfectio & Paupertas exposcit. *Interrogas, inquit, quomodo quis perfectus esse possit, & quomodo vivere debeat vidua, quę sine liberis derelicta est. Hoc idem in Evangelio legis Doctor interrogat: *Magister quid faciens vitam æternam possidebo?* Cui respondit Dominus: *Mandata nosti. Dicit ille: quæ? IESVS autem dixit: Non homicidium facies, non adulterium, non furtum, &c. & diliges proximum, vt te ipsum.* Et illo dicēte: *Hæc omnia feci*; Dominus intulit: *Vnum tibi deest: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da Pauperibus, & veni sequere me.* Itaque, & ego tibi Domini nostri respondebo sermonibus: Si vis esse perfecta, & tollere crucem tuam, & sequi Dominum Salvatorem, & imitari Petrum, dicentem: *Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.* Vade, & vende omnia quę habes, & da Pauperibus, & sequere Salvatorem. Nō dixit da filiis, da fratribus, da propinquis, quos etiam si haberes jure iis Dominus præferretur: sed da Pauperibus, imò da CHRISTO, qui in Pauperibus pascitur, qui cum dives esset, pro nobis Pauper factus est.

1000 Dicunt Apostoli se omnia, quæ sua fuerant, dimisisse, & mercedem pro hac virtute audacter exposcunt; quibus respondit Dominus: *Omnis, qui reliquerit domū, aut fratres, aut sorores::: propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* O quanta beatitudo, pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia, & habere Dominum debitorem. (Et *infra*:) Et si vis esse perfecta, non tibi jugum necessitatis imponit (*Matth.* 10.) sed potestati tuæ liberum concedit arbitrium. Vis esse perfecta, & in primò stare fastigio dignitatis? fac, quod fecerunt Apostoli: vende omnia quæ habes, & sequere Salvatorem, & nudam solamque crucem, nuda sequaris, & sola. Non vis esse perfecta, sed secundum vis tenere gradum virtutis, dimitte omnia, quæcumque habes, da filiis, da propinquis; nemo te reprehendit, si inferiora secteris, dummodo illam scias tibi jure prælatam, quæ elegerit prima.*

1001 Tandèm *epist.* 26. *in consolatione ad Pammachium, super obitu Paulinæ vxoris* hæc habet: *Parva dimisimus, & grandia possidemus; centuplicato fœnore CHRISTI promissa reddūtur. In tali Isaac quondam agro severat, qui paratus ad mortem ante Evangelium Evangelicam portavit Crucem. *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, &c. Si vis perfectus esse*, semper grandia in audientium ponuntur arbitrio, & ideo virginitatem Apostolus non

im-

imperat, quia Dominus disputans de Eunuchis, qui se castrassent propter Regnum Cœlorum, ad extremum intulit: *Qui potest capere capiat; non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Si vis perfectus esse*: non tibi imponitur necessitas, vt voluntas præmium consequatur. *Si vis ergo esse perfectus*, & desideras esse, quod Prophetæ, quod Apostoli, quod CHRISTUS est, vende, non partem substantiæ, nè timor penuriæ infidelitatis occasio sit, & cum Anania, & Saphira pereas; sed vniversa quæ possides: Cumque vendideris, da Pauperibus, non locupletibus, non superbis, da quo necessitas sustentetur, non quo augeantur opes.*

1002 D. Hieronymo consonat S. AVGVSTINVS, eorum errorem improbans, qui asserunt divites, quantumvis Evangelicam legem observent, non salvari, ni divitiis penitus renuntient, easque Pauperibus erogent juxta illa CHRISTI verba, loco *supra* laudato. Et quamvis Sanctus hujusmodi abdicationem majoris perfectionis esse existimet, censet tamen, divites, & si opulentissimos, posse, si Divinam Legem observent, salutem consequi, æternaque beatitudine frui. In hanc rem scripsit *epist.* 89. *ad Hilarium* his verbis: *Audi jam pauca de divitibus, quod in epistola tua sequitur inquirendum. Hoc enim posuisti, quosdam dicere, divitem manentem in divitiis suis Regnum non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit: nec ei prodesse, si fortè ex ipsis divitiis mandata fecerit, &c. Magister bonus mandata legis ab ista excellentiori perfectione distinxit, ibi enim dixit: *Si vis venire ad vitam, serva mandata.* Hìc autem: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes.* Cur ergo negamus, divites, quamvis ab illa perfectione absint, venire tamen ad vitam, si mandata servaverint, & dederint, vt detur illis, & dimiserint, vt dimittatur illis, &c. (Multisque traditis pro impugnatione illius erroris, *infrà* subjungit.) Proindè isti desinant contra Scripturas loqui, & in suis exhortationibus ad majora sic excitent, vt minora non damnent.*

1003 Tandèm concludit: *Ego, qui hæc scribo, perfectionem de qua Dominus loquutus est, quando ait diviti adolescenti: *Vade, vende omnia quæ habes, & da Pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo, & veni sequere me*: vehementer adamavi, & non meis viribus, sed gratia ipsius adjuvante, sic feci. Neque enim quia dives non fui, ideo minus mihi imputabitur; nam neque ipsi Apostoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui & illud, quod habet, & quod optat habere dimittit. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem novi ego, quàm quisquam alius homo: sed magis Deus, quàm ego, & ad hoc propositum, quantis possum viribus, alios exhortor, & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est; sic tamen vt præcipuè sana doctrina teneatur, nec eos, qui ista non faciunt, vana contumacia jud dicemus.*

1004 Ipse Sanctus *de Bono Coni. cap.* 8. *Bonum, inquit, erat, quod faciebant, qui de substantia sua CHRISTO, ac Discipulis suis necessaria ministrabant; sed melius, qui omnem substantiam suam dimiserunt, vt expeditiores eumdè sequerentur: *Si melius, ergo perfectius, ac proindè ad perfectionem spectat omnem substantiam dimittere, & expeditiùs CHRISTVM sequi; quod vtique convenit his, qui omnia terrena abdicare, & nihil omninò possidere, aut sibi retinere, nec in communi, nec in speciali contendunt, vt meliùs CHRISTVM imitentur, ipsumque Pauperem sequantur.

1005 Hæc, quæ cum D. AVGVSTINO diximus ad refutandum errorem sentientium, non posse salvari divites, quin omnia sua vendiderint, & Pauperibus erogaverint juxta illud CHRISTI. *Vade, vende quæ habes, &c.* præclarè confirmat S. IOANNES CHRYSOSTOMVS, sentiens cum Augustino, prædicta CHRISTI verba non continere præceptum, sed consilium, quod relinquitur arbitrio illius, qui hac via voluerit majoris perfectionis statum amplecti. Illius verba audiamus *in illud Pauli ad Romanos: Salutate Priscam, & Aquilam.* *Cum dicit: *Si vis perfectus esse*, consulendo, & admonendo dicit. Non est autem idem consulere, & legem ponere: nam, qui legem statuit, modis omnibus fieri vult, quod præcipit: qui verò consulit, adhortatur, sententiæ, & arbitrio auditoris permittit, vt ex dictis, quod voluerit eligat, sicque faciendorum domi-

nus

nus auditur relinquitur, propterea non simpliciter dixit: *Vade, vende facultates tuas.* Sed vt discas, quod in arbitrio audientium res sitæ sint.*

1006 Hùc egregiè facit illud S. IOANNIS DAMASCENI *in Histor. Barlaam & Ioſaphat, cap. 19.* *Ioſaphat itaque ad eum ait: Istud ipsum, nempè omnia pro nihilo putare, atque vsque adeò asperum virę genus suscipere, quemadmodum superius dixisti, verum nè institutum est, ab Apostolorum Doctrina manans, an recens mentis vestrę solertia excogitatum, tanquam, scilicet, hoc vt melius, ac prętantius vobis amplexandum duxeritis? Senex autem ait: Non recens inductam legem tibi affero; absit istud; verùm antiquitus nobis traditam. Dixit enim Dominus ad divitem quendam, qui ex ipso percontabatur, quidnam sibi faciendum esset, vt vitam ęternam consequeretur; jactabatque se cuncta, quæ in lege scripta erant, servasse: *Vnum tibi deest: Vade, vende omnia quæ habes, & da Pauperibus, &c.* At ille his auditis mœstitia affectus est; erat enim admodum dives; cum igitur IESUS eum mœrore affectum vidisset, dixit: *Quàm difficilè hi, qui pecunias habent, intrabunt in Regnum Dei! Facilius enim est, camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in Regnum Dei.* Hoc igitur mandato audito Sancti omnes ita studuerunt, vt ab hujusmodi difficultate se abstraherent, ac per largitionem erga Pauperes, dispersis omnibus facultatibus, sempiterniśque divitiis sibi ipsis reconditis, crucem sustulerunt, CHRISTUMque sequuti sunt.*

1007 Ex prædictis Sanctorum Patrum, gravissimorumque Authorum expositionibus rectè concluditur, CHRISTVM locis mox adductis *Matth. 19. Si vis perfectus esse*, aliisque similibus, verbo docuisse, & vt Evangelicum consilium præbuisse ad Evangelicam perfectionem valdè pertinere, ac conducere, vendere omnia, quod idem est, ac omnia relinquere, vel abdicare ob CHRISTI sequelam: quæ est eadem illa Doctrina, quam tradidit NICOLAUS III. *in prædicta Constitutione Exiit*, ac per consequens ab omni prorsus errore immunis, cujus oppositum nullo fundamento nititur, estque à veritate omninò alienum.

1008 Tertius locus, in quo CHRISTVS verbo docuit Paupertatem cum omnium abdicatione, est ille *Matth. 5. Beati Pauperes spiritu: quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum*: his enim verbis perfectam Paupertatem à CHRISTO Domino commendari, & verbo tradi, docent Sancti Patres, *infra* adducendi. S. BERNARDVS *serm. 2. in Cœna Domini post initium*, ad illa verba sic loquitur: *Nobilis itaque titulus voluntariæ Paupertatis, quam CHRISTVS docuit verbo: *Beati*, inquiens, *Pauperes spiritu, &c.* consecravit exemplo, nec enim habuit propriam domum, in qua caput reclinaret, & in qua cum Discipulis Pascha manducaret; nec proprium habuit vndè tributum solveret, &c.*

1009 Idem Sanctus *in festo Omnium Sanct. serm. 1.* *Diligenter, inquit, attende, quod Dominus non simpliciter Pauperes nominat propter plebeios Pauperes, necessitate miserabili, non laudabili voluntate; spero equidem profuturam his apud Divinæ Bonitatis Misericordiam hanc ipsam afflictionis suæ miseriam: scio tamen Dominum hoc in loco, non de hujusmodi fuisse locutum, sed de his, qui possunt dicere cum Propheta: *Voluntariè sacrificabo tibi* (*Psalm. 53.*) Attamen nec voluntaria quidem Paupertas omnis laudem habet apud Deum; nam & Philosophi omnia reliquisse leguntur, vt expediti mundialibus curis studio veritatis possent vacare liberiùs, & nolebant censu abundare terreno, vt abundarent magis in sensu suo. Hos discernit, quod dictum est, *Spiritu*, id est, spirituali voluntate. *Beati* verò *Pauperes spiritu*, id est, spirituali intentione desiderio spirituali propter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem: *Quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.* Verumtamen quid sibi vult, quod eadem promissio facta Pauperibus, & Martyribus, nisi, quia verè Martyrii genus Paupertas voluntaria est? *Beatus Vir*, (ait Propheta) *qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ.**

1010 S. CHROMATIVS, Aquilejēsis Antistes (qui vt testatur D. HIERONYMVS *in præfat. ad lib. Paralip.* Sanctissimus fuit, ac Doctissimus) *Hom. de octo Beatit. in cap. 5. Matth.* prędicta verba *Beati Pauperes spiritu*, de strictissima Paupertate, prout omnium abdicatio-

tionem includit, interpretatus est: sic enim scribit: *Hos vtique Pauperes significat esse beatos, qui contemptis mundi diuitiis, spretaque sæculi facultate, vt Deo fierent diuites, mundi Pauperes esse voluerunt. Hi tales Pauperes quidem sęculo esse videntur, sed Deo diuites sunt; egentes sęculo, sed CHRISTO locupletes: cujus beatę Paupertatis exemplum nobis primi in se Apostoli præbuerunt, qui, contempta omni facultate, statim sequuti Domini vocem, ipsius esse discipuli meruerunt: Hos tales Pauperes etiam Apostolorum temporibus invenimus, qui primi credentes vniversis rebus suis, possessionibusque distractis, sub hac devota Paupertate divitias quæsierunt: vndè & Apostolus in tali Paupertate divitias inesse cœlestes ostendit, dicens: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* (Et *infrà*:) De hujusmodi Pauperibus in prędsenti loco Dominus loquitur, de quibus, & David multis locis testatur, dicendo: *Edent Pauperes, & saturabuntur, & vivet cor eorum in sæculum sæculi.* Et iterum: *Iudicabit Pauperes Populi, & salvos faciet filios Pauperum. Iste Pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum.* Talium ergo Pauperum Dominus docet, esse Regnum Cœlorum, qui se causa Religionis, ac Fidei sæculo pauperaverunt; vt locupletem Sanctum Spiritum possiderent; vel certè, beatos Pauperes dicit, qui nulla superbia Diaboli inflantur, nulla ambitione sæculi extolluntur, sed humilitatem spiritus, cum Fidei devotione custodiunt.*

1011 TERTVLLIANVS *lib. 4. adversus Marcion. cap. 14.* per Pauperes spiritu, de quibus CHRISTVS in Evangelio loquitur, intelligit illos, qui nihil habēt proprium, sed ex eleemosynis emendicantes vivunt: **Beati*, inquit, mendici (sic enim exigit interpretatio vocabuli quod est in Grœco) *quoniam illorum est Regnum Cœlorum.* Iam hoc ipsum, quod à benedictionibus cępit, Creatoris est, qui vniversa, prout edidit nulla alia voce quā benedictionis dedicavit. *Eructavit enim*, inquit *cor meum sermonem optimum.* Hic erit sermo optimus, benedictionis scilicet, qui & novi quoque Testamenti initiator agnoscitur de veteri exemplo. Quid ergo mirum est, si ab affectibus Creatoris ingressus est per hujusmodi dictionem, semper mendicos, & Pauperes, & humiles, & viduas, & pupillos vsque diligentis, consolantis, asserentis, vindicantis, vt hanc CHRISTI quasi privatam benignitatem, rivulum credas de fontibus Salvatoris.*

1012 Nec omitti potest S. AMBROSIUS expositio ad eadem verba: *Lucæ 6.* asserētis, in eis loqui CHRISTVM de Paupertate, cum omnium rerum contemptu, & abdicatione: **Beati* (inquit Dominus) *Pauperes spiritu; quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.* Primam benedictionem hanc vterque Evangelista posuit, ordine enim prima est, & parens quædam, generatioque virtutum, quia qui contempserit sæcularia, merebitur sempiterna. Nec potest quisquam meritum Regni Cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus, emergendi non habet facultatem.*

1013 Et *infrà*: *Non omnes beati Pauperes: Paupertas enim media est: possunt & boni esse, & mali Pauperes: nisi fortè ille intelligendus Pauper beatus, quem Propheta describit dicens: *Quia melior est Pauper justus, quam dives mendax*: Beatus Pauper, qui *clamavit, & Dominus exaudivit eum.* Pauper à crimine, Pauper à vitiis, Pauper in quo mundi Princeps nihil invenit. Pauper, illius æmulus Pauperis, qui cum dives esset, propter nos Pauper factus est: Vndè plenè Matthæus aperuit, dicens: *Beati Pauperes spiritu.* Pauper enim spiritu non inflatur, non extollitur mente carnis suæ, quid enim mihi prodest carere sęcularibus, nisi fuero mitis, atque mansuetus?*

1014 Consonat S. LEO *serm. in fest. Omnium Sanct. ad illa verba Matth. 5.* sic loquens: *De quibus Pauperibus veritas loqueretur, fortè esset ambiguum si dicens: *Beati Pauperes*, nihil adderet de intelligenda Pauperum qualitate, & sufficere videretur ad promerendum Regnum Cœlorum, ea sola inopia, quàm multi sub gravi, & dura necessitate patiuntur. Sed cum dicit: *Beati Pauperes spiritu*, ostendit eis Regnum Cœlorum tribuendum, quos humilitas commendat animorum, magis quàm indigentia facultatum. Dubitari autem non potest, quod humilitatis istius bonum faciliùs Pauperes, quàm divites assequantur: dum & illis in tenuitate amica est mansuetudo, &

illis

istis in divitiis familiaris elatio. (Et *infrà* ad nostrum propositum dicit:) Beata illa Paupertas, quę rerum corporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, sed cœlestibus bonis ditescere concupiscit. Hujus nobis magnanimæ Paupertatis exemplum primum post Dominum Apostoli præbuerunt, qui omnia sua sine differentia relinquentes, ad vocem cœlestis magistri à captura piscium in Piscatores hominum alacri conversione mutati sunt, & multos sui similes Fidei suæ imitatione fecerunt, quando illis primitiis Ecclesiæ: *Vnum cor omnium, & anima vna erat credentium*, qui vniversis suis rebus, possessionibusque distractis, per devotissimam Paupertatem, bonis ditabantur æternis, & ex Apostolica prædicatione gaudebant nihil habere de mundo, & omnia possidere cum CHRISTO.*

1015 HAYMO, Alberstatensis Episcopus, præclara eruditione, & antiquitate celebris, vtpotè ALCUINI Discipulus, *in expositione Evangelii De martyribus, ad ea verba: Beati Pauperes spiritu*, multa, & quidem præclara tradit de excellentia Paupertatis, de qua loquitur CHRISTUS *Matth.* 5. eamque maximè extollit, & tanquam omnium virtutum, de quibus in hoc Evangelio, radicem, & in ea præcipuè omnium terrenarum rerum abdicationem agnoscit, singularemque tradit Paupertatis spiritus divisionem, sic scribens: *Et quæ virtus talem inter reliquas beatitudines tenere debet principatum, nisi spontanea Paupertas? Ex ipsa enim cæterę virtutes exordium quoddam, & originem sumunt. Sicut denique ex vna radice arboris multi rami, & folia prodeunt, sic ex spontanea Paupertate multę virtutes generantur: qui enim spontaneam amat Paupertatem, erit misericors per largitatem, & non tenax per avaritiam erit consequenter; & mitis, quia divitias non quærit per jactantiam, quia Paupertatem diligit cum humilitate; erit & pacificus quia non erit occasio rixandi, vbi non est voluntas adquirendi. Habebit etiam & cordis munditiam, quia sicut illi, qui divitias diligunt turbulenti sunt animo, ita, qui spontaneam Paupertatem amant, *soliciti sunt quæ Dei sunt, quomodo placeant Deo.*

1016 Sed illud diligenter considerandum: quia illa Paupertas laudabilis, quæ aut habere non cupit, aut si fortè habet, propter Deum distribuenda relinquit: vndè Matthæus Evangelista vt hanc Paupertatem, ad beatitudinem pertinere ostendat, cum additamento ait: *Beati Pauperes spiritu; quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.* Alii enim sunt Pauperes spiritu, & rebus; alii nec rebus, nec spiritu; alii rebus, & non spiritu; alii spiritu, & non rebus. Rebus sunt Pauperes, & non spiritu, qui nihil habentes, multa habere concupiscunt. Spiritu sunt Pauperes, & non rebus, illi, qui secundum Apostolum, *tanquam nihil habentes, & omnia possidentes* sunt, quales fuerunt Abraham, Jacob, & David, qui Regali solio sublimatus erat, & Pauperem se ostendit spiritu, dicens: *Ego autem mendicus sum, & Pauper. Psal.* 39. & iterum: *Egens sum, & in laboribus à juventute mea. Psal.* 87. Nec rebus, nec spiritu sunt Pauperes, divites superbi, qui facultatibus locupletati, nihilominus mente sunt turgidi, de quibus dicitur *in Psal.* 72. *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt divitias.* Rebus & spiritu sunt Pauperes, (de quibus hîc loquimur) perfecti Monachi, qui propter Deum omnia relinquentes, nec corporis proprii potestatem in suo arbitrio relinquunt, & ideò quantò hi propter Deum sunt Pauperiores, tantò in futura gloria erunt ditiores, juxta promissionem Domini dicentis: *Omnis, qui reliquerit domum, agros, patrem, & matrem, fratres, & sorores, vxorem, & filios propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.**

1017 S. LAURENTIUS JVSTINIANUS *de Ligno Vitæ par. de Pauper. cap.* 1. in spiritus Paupertate generalem comprehendi rerum abdicationem optimè novit, multa de Paupertatis excellentia tradens his verbis: *Non misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia corporalibus: propterea necessarium est, cupientibus ad perfectionem quietis pertingere, vt hanc Paupertatis virtutem teneant, & ipsam pro fundamento collocent. Facilè namque proficere poterunt, si hanc temporalium possessionem non habuerint. Nam Paupertas spiritus est, cum spirituali intentione voluntaria abdicatio temporalium. Est etiam quædam manuductrix, in via quæ ducit ad Cœlum, vnctio athletica, & exercitatio magna, & mira-*

bi-

bilis. Est quoque portus tranquillitatis, nutrix confidentiæ, quietis fundamentum, orationis adjutorium, peregrinationis exhortatio, perfectionis porta, sine qua nemo coram Deo in spiritu diû perdurare poterit. *Hæc ille.

1018 GVILLELMVS ALVERNVS, Antiquus Author, qui *anno* 1230. floruit, de spiritus Paupertate altè discurrit; siquidem juxta illius mentem, sicut Deus ex nihilo condidit mundum, sic etiam dici potest, Christianam perfectionem in Paupertatis nihilo fundari, idest, in nihil habendo, sed omnia terrena ob CHRISTI amorem deserendo. Illum audiamus *lib. de moribus cap. 9.* hæc scribentem: *Paupertas, seu quęcumque alia privatio, occasio est etiam possessionum, & rerum verissimè existentium. Et si fortè esse non possit causa efficiens, & per se, quemadmodum privatio, & defectus cibi in stomacho occasio est famis, causa verò efficiens est appetitus gustabilis. Dicimus igitur, quòd illud nihilum, & vacuum Paupertatis fundamentum est, & firmamentum virorum perfectorum. Quemadmodum enim avari, & cupidi firmamentum, & fundamentum suum habent divitias, sic viri sanctitate perfecti Paupertatem istam; & hoc est, quod legitur *Proverb.* 10. *Substantia divitis, urbs fortitudinis ejus.* Et *Iob* 26. *Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum. Aquilonem* vocans Ecclesiam de gentibus, quoniam ad *Aquilonem* maximè erant gentes eo tempore convertendæ; eamdem vocans & *terram*, cui benedixit Dominus. *Aquilonem* super hoc fundabat vacuum; & hanc terram appendebat super hoc nihilum, quando fundamentum Christianæ Religionis ponebat, dicens *Matth.* 5. *Beati Pauperes spiritu: quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* Expressiùs autem in Evangelio *Matth.* 6. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Et *Lucæ* 6. *Beati Pauperes, quia vestrum est Regnum Dei.* Et *Lucæ* 10. *Nolite portare sacculum, neque peram.* Non aliter in eis fundaturus Ecclesiam, hoc est in Apostolis, nisi priùs eos ad istud nihilum deduxisset, & ipsos in eo stabilisset, atque firmasset. Denique hoc nihilum fundamentum est omnis Religionis, professionis, & Ordinis: Vndè nullus Religionem aliquam intrat, nisi in isto nihilo primò fundatus fuerit, ac firmatus, nisi ad illud voto se adstrinxerit, & in illo se perpetuò permansurum promiserit. Divites enim Religionem intrantes, quasi cameli gibbosi per foramen acus intrant, & ideò gibbositatem sæculorum, & marsupiorum temporalium bonorum priùs deponunt, alioquin non intrant: *Ego sum* (dicit Paupertas) *mater Religionis, & nutrix, & custos.**

1019 DIONYSIVS CARTHUSIANVS, singulari pietate, & Sacrarum Litterarum eruditione conspicuus, *ad cap. 5. Matth. art. 9.* censet, CHRISTVM in Pauperibus spiritu, de quibus loquitur ibi, exigere abalienationem, & perfectam universalem rerum omnium abdicationem, nedum quoad effectum, sed & quoad affectum, hosque vocat *beatos*, non solum in spe, sed etiam in re: *Beati sunt*, inquit, jam in spe, imò & *beati* in re, loquendo de beatitudine viæ, *Pauperes*, id est, temporalibus bonis carentes, *spiritu*, id est cum affectu cordis, ita quòd divitias non appetunt, sed contemnunt, & in Paupertate sua lętantur, nihil proprium possidentes, dicentes cum Paulo *ad Philip. 3. Omnia arbitror ut stercora, ut CHRISTVM lucri faciam.* Hæc est Paupertas Evangelica, quam consulit CHRISTVS *Lucæ* 14. dicendo: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.* Hæc est Paupertas illa ditissima, de qua Apostolus loquitur 2. *ad Corinth.* 8. *Altissima Paupertas eorum, abundavit in divitias simplicitatis eorum.* Hæc quoque est Paupertas potentissima, de qua Petrus claudo nato, *Act. 3. Argentum*, ait, *& aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do, &c.* Hęc Paupertas contemnit omnia exteriora, honores, atque divitias, quantum possibile est, quatenus summo enti, in quo omnia bona, omnia pulchra, ac desiderabilia superplenissimè continentur, absoluta tota, & libera mente adhæreat homo, qui tantò minus Deo conjungitur, quantò ampliùs transituris implicatur, & per diversa distrahitur. O amanda, venerandà, & amplectenda Paupertas, cujus se CHRISTVS dedit exemplum, propter nos Pauper factus, cum esset dives!*

1020 Nec vllatenus silentio prætereundus est B. ALBERTVS MAGNVS, qui de Paupertate spiritus, cum omnium

rerum expropriatione, & abdicatione, eo loco locutum fuisse CHRISTVM præclarè interpretatus est, exponens illud *Matth.5. Beati Pauperes spiritu*, vbi distinguit spiritum æquivocè accipi posse: *Si enim accipiatur dictus à spiratione corporei spiritus, tunc spiritum habere dicuntur audaces, protervi, & superbi, & arrogantes, quæ omnia ex tumore corporis proveniunt; & de talibus dicimus, quòd habent spiritum in naribus: sicut etiam ARISTOTELES 3. Ethic.* inducens Homerum, dicit, quòd fortes efflabat spiritus per nares, & ebullivit sanguis. *Iac.2.* juxta expositionem littera, dicitur: *Quiescite ab homine, cujus spiritus est in naribus ejus.* Et *Isai.25. Spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem.* Sed si spiritus accipiatur non sic ab aspiratione, sed à ratione ejus, qui est spiritus, tunc spiritus est dator vitę, & principium, & causa vitæ, & hoc modo Spiritus Sanctus est principium primum, & verum, & dator vitæ, & causa, sicut dicitur *Ioannis 6. Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam.* Et *2. ad Corinth. 3. Spiritus vivificat.* Et *Ezech. 37. Et ingressus est in ea spiritus, & vixerunt.* Et *Ezech. 1. Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Sic ergo accepto spiritu, cum dicitur: *Beati Pauperes spiritu*, potest construi, cùm re nominativi in habitudine simul triplicis causæ, efficientis scilicet, & formalis, & finalis: sicut & omne efficiens per suam formam est efficiens. & forma est finis; quia sic dicitur *in 2. Physic.* quod tres causæ in vnam rem coincidunt. Si ergo sic construatur, tunc sensus est: *Beati Pauperes*, quos spiritus facit Pauperes, & est forma Paupertatis eorum, & finis. Cum autem Pauper sit insufficiens sibi, tunc erit sensus: *Beati* se videntes ex omnibus interioribus, & exterioribus, sibi insufficientes, non necessitate, sed spiritu hoc faciente, quorum istam insufficientiam, non informat stultitia, aut vanitas, sed spiritus per charitatem, nec faciunt, vel patiuntur Paupertatem, nisi propter spiritum, qui finis est omnis boni, & hæc videtur esse expositio HIERONYMI. *Iacob. 2. Nonne Deus elegit Pauperes in hoc mundo, divites in Fide, & cohæredes Regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Isti enim Pauperes nihil petunt in mundo, vndè sufficiant, nec recognoscunt in se ipsis, vndè ad aliquid sufficiant altum, vel vindicando, vel inferendo, vel aliquo modo se sufficientes exhibendo, semper dicentes cum *Apostolo 2. ad Corinth. 3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Isti igitur sunt *Beati Pauperes spiritu*; & patet ex prędictis, quòd status altissimus est beatitudo ista, quæ consistit in abdicatione omnium rerum, sivè sint interiora, sivè exteriora, ex quibus aliquis vanè se putat sufficere sibi.* Hactenus ille.

1021 Nec incongruè hùc adduci potest; ad omnium rerum abdicationem, quam secum affert Paupertas, luculenter probandam illud *Lucæ* 14. de volente ædificare turrim, qui priusquam fundamenta jaciat, debet secum inquirere, an expensę necessariæ suppetant. *Nè posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consumare?* In secunda insuper ejusdem capitis Parabola docetur, ei Regi, qui contra alium voluerit occurrere bello, ineundam, & expendendam virium, facultatumque rationem, & diligenter considerandam: *Si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se.* Et tandèm concludit Dominus: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

1022 In quem locum optimè ait CORNELIUS A LAPIDE, hæc vltima verba significare scopum, mentem, vsumque Parabolæ: *Quasi dicat sic, qui non renuntiat opibus, & parentibus, ac voluptati, ac libertati suæ, non potest meus esse discipulus, vt, scilicet, sequatur vitam, & perfectionem Evangelicam Paupertatis, & prædicationis, quam ego profiteor, hoc est, non potest sequi consilia Evangelica, vt sit meus discipulus, vti sunt Apostoli.*

1023 In prædictis autem verbis sermonem esse de Apostolis, eoque supererogationis discipulatu, qui relicto mundo, ad perfectionem cum CHRISTO pergens, à verà Paupertate, rerumque abdicatione incipiebat, illa subsequentis Parabolæ verba ostendunt: *Bonum est sal; si autem sal evanuerit, in quo condietur?*

Ne-

Neque in terram, neque in sterquilinium vtilè est, sed foras mittetur. Salem enim evanescere, idem est, ac leviter cæptum perfectionis cursum relinquere, & deserere, ac ab incepta via retrocedere, seu vt superiùs habetur: *Cæpit ædificare, & non potuit consummare.* Illud sanè manifestum est, *salis* nomine in Evangelio designari Apostolos, & Discipulos, qui ad perfectionem sectandam vocati sunt.

1024 Eamdem salis Parabolam proposuit CHRISTVS *Marci 9.* cum inter ipsos de primatu contenderetur, & *Matth.* 5. eos salem terræ vocavit: *Vos estis sal terræ.* Vbi D. HIERONYMVS: **Sal*, inquit, appellantur Apostoli; quia per ipsos vniversum hominum genus eruditur.* Idipsum S. CHROMATIVS *hom.*15.*in Matthæum*, S. ANSELMVS, REMIGIVS, HILARIVS, & communiter cæteri, qui omnes in eo concordant, diversisque rationibus metaphoræ investigare conantur rationem: isque Ecclesiæ sensus est, quæ hoc Evangelium Doctoribus appropriat, quales tùnc soli fuerunt Apostoli, & alii CHRISTO adhærentes, vt *Matth.* 10. & *Lucæ 9.* compertum est: Vndè cum tûnc *salis* nomine soli Apostoli, CHRISTIque Discipuli intelligi potuerint, hinc manifestè deducitur, hæc ad eos pertinere, ac proindè inter Discipulatus onera hanc omnium temporalium rerum abdicationem præmissis verbis præscribi.

1025 Hujus etiam sententiæ fuisse videtur D. AVGVSTINVS vt constat, ex ipsius *epist.*38.*ad Lætum*, vbi totum hunc discursum ad Discipulos, perfectionis viam sequentes, mundumque fugientes, elegantissimè refert. Et *epist.* 89. vtrique Discipulorum generi prędicta applicat verba, sic scribens: *Profectò renuntiat etiam divitiis suis, si quas habet, aut sic vt eas omninò non diligens, totas distribuat indigentibus, & supe fluis exoneretur sarcinis; aut sic vt plus diligens CHRISTVM, spem ab eis transferat in ipsum; atque ita vtatur illis, vt facilè tribuens, & communicans thesaurizet in Cœlo.*

1026 Eruditissimus Magister NICOLAUS GORRANUS, eamdem sequutus sententiam, in hunc modum, locum hunc exponit: *Differt autem secundum Glossam renuntiare omnibus, & relinquere omnia; quia renuntiare omnibus, convenit eis, qui licitè mundanis vtuntur; relinquere verò omnia perfectorum est, vt Apostolorum, & suorum sequacium. Et dicit *omnibus*, vt innuat, quòd integra debet esse renuntiatio, scilicet, quoad sua, quoad suos, & quoad se. Quod dictum est Abrahæ *Genes.*12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, &c.* Vndè quidam dixit:

CHRISTE *tuos, tua, te gratis accepimus*
à te
Ergo meos, mea, me meritò nunc exigis á
me.

Bonum est sal; quasi diceret: Ille, qui vult meus esse discipulus, debet omnibus abrenuntiare, nè per amorem temporalium evanescat; quia tunc nihil valeret, si per amorem temporalium evanesceret; sicut sal bonum est in se antequam evanescat, sed si evanuerit, omninò nihil valet.*

1027 Ex his perspicuè colligitur, inter reliquas sequelæ CHRISTI, & Apostolorum Regulas præscribi hanc omnium rerum abdicationem, seu renuntiationem, sine qua nullus potest esse ejus discipulus ipso dicente: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Eam igitur sequelam intendit Salvator, quæ sub consilio tantum est, & non sub præcepto, vt quæ ad perfectionem tendit. Et quidem per renuntiationem, id abdicationis genus significari, non erit probatu difficilé, si ad magnæ eruditionis Authores recurramus. In primis apud CICERONEM legitur in verbo: *Hospitium renuntiare*; id est, *dimittere, abdicare, relinquere.* QVINTILIANVS *lib.*10.*cap.*7. *Mea quidem sententia civilibus officiis renuntiavit.* Id est illa abdicavit. Ita etiam vsus fert apud legum Interpretes: *Renuntiatio (inquit Cardinalis RVB. *de censib. in 6.*) est juris proprii legitima refutatio.* Et in hac sententia habetur *lex Iubemus*, *C. ad Sen. Vellei.* & innumeris aliis vtriusque juris locis. Imò *Lucæ 9.* hujus significationis est. *Sequar te Domine: sed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi sunt.* Concordat & verbi Græci, quod in vtroque loco ponitur, significatio, quod *renuntiare*, nuntium mittere, segregare, significat. VERSIO SYRIACA sic habet: *Ita quisquis ex vobis non relinquit omnem possessionem suam, non potest mihi esse discipulus.*

Vbi *relinquit* pro *renuntiat* ponitur. Similis locus est 4. *Esdræ* 14. *Renuntia jam corruptelæ. Et dimitte abs te mortales cogitationes, & proiice abs te pondera humana.* Vbi: *Renuntia corruptelæ* idem est ac, *pro eam relinque.*

1028 Ex hactenus dictis liquidò constat, CHRISTUM Dominum juxta SS. Patrum mentem, & Sacrorum Interpretum, omigena Divinarum Litterarum eruditione illustrium, verbo docuisse strictissimam Paupertatem, cum omnium rerum abdicatione, eamque ad Evangelicam perfectionem pertinere, vt cuilibet eorum expositiones legenti innotescere poterit. Verùm vt de hoc perfectissimæ Paupertatis genere vberiùs tractemus, circa secundum punctum suprà propositum restat nùnc inquirendum.

§. IV.

An CHRISTVS eam Paupertatem cum omnium rerum abdicatione nedum verbo docuerit, sed suo etiam exemplo firmarit.

1029 COnclusionem affirmativam statuimus, quæ non dubium quin Divinis Oraculis, Sanctorumque Patrum testimoniis redditur perspicua reddi queat. In primis enim D. AVGVSTINUS *ad illud Psal. 68. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Per *substantiam* intelligit *divitias*; asseritque, CHRISTVM ad summam Paupertatem devenisse: *Ergo Paupertatem suam (ait) volens Dominus nobis commendare, fortasse dixerit: *Non est substantia*: ad summam enim Paupertatem pervenit, quando formam servi induit.*

1030 Illud etiam *Psalm. 69. Ego autem egenus sum, & Pauper.* Exponit S. HILARIVS de summa CHRISTI egestate, quam, vt nos ditaret, passus est. *Neque Regis (inquit) dignitati, neque Regni, summæ Paupertatis, atque inopiæ professio congruit: sed ejus vox est, qui vt nos ditesceremus, Pauperem se præstitit, cui nè ad supremam quidem cœnam nisi quæsita, & aliena domus fuerit, &c.*

1031 Verùm nedum in veteri testamento adumbratam, vt modo probavimus, sed etiam in Evangelica Lege pleniùs fuisse exemplo CHRISTI firmatam, ex multis locis manifestissimè elucet; præsertim ex illo *Matth.* 8. vbi CHRISTVS tantæ dicitur fuisse Paupertatis, vt non haberet, vbi caput suum reclinaret. In cujus expositione audire libeat TERTVLLIANVM *lib. de Idololatria, cap.* 18. hæc scribentem: *Ille Dominus in humilitate, & ignobilitate incessit domicilio incertus, nam Filius, inquit, hominis non habet, vbi caput suum collocet; vestitu incultus; neque enim dixisset: Ecce, qui teneris vestiuntur in domibus Regum sunt. Vultu denique, & aspectu inglorius, sicut Isaias pronuntiaverat. Sic potestatem quoque nullam nê in suos quidem exercuit, quibus sordido ministerio functus est. Sic Regem se denique fieri, conscius sui Regni, refugit, plenissimè dedit formam suis dirigendo omni fastigio, & suggestu, tàm potestatis, quàm dignitatis. Quis enim magis his vsus fuisset, quàm Dei Filius? Quales, & quanti eum fasces producerent; qualis purpura de humeris ejus floreret; quale aurum, de capite radiaret, nisi gloriam sæculi alienam, & sibi, & suis iudicasset? Igitur quæ noluit rejecit, quæ rejecit damnavit, quę damnavit in pompam diaboli deputavit. Non enim damnasset, nisi non sua: alterius autem esse non possunt, nisi diaboli, quæ Dei non sunt.*

1032 Eamdem ferè expositionem tradit BEDA *ad prædicta verba: Vulpes foveas habent, &c.* dicens: *Quid me propter divitias, & sæculi lucra cupis sequi, cum tantæ sim Paupertatis, vt nè hospitium quidem habeam, & non meo vtar tecto?* Eum consule *super Evangelia Matth.* 10. *Marci 6. Lucæ* 8. *& 9. & 1. ad Corinth. 9. & 2. ad Corinth. 6. & 8. & alibi.*

1033 Ad vberiorem prędicti Textus intelligentiam annotandum est, *in præfato Matthæi cap. vers.* 19. enarrari Scribam (id est Legisperitum, sivè Docto em) accedentem ad CHRISTVM ei dixisse: *Magister sequar te quocumque ieris.* Viderat hic Legisperitus, CHRISTVM parare abitum, vt transfretaret, motusque ejus prædicatione, miraculis, & applaudentis Populi concursu, ei adhærere, & associari cupiebat; vndè ait: *Sequar te*, veluti Discipulus Magistrum, vti faciunt Apostoli, cæterique tui sequaces: quasi diceret: velut Discipulus, me tibi tradam,

in

in disciplinam, vt à te velut Summo Sapientiæ Magistro erudiar, former, & ad omnem sapientiam, honorem, & gloriam dirigar. Detegit in Scriba latens avaritiæ vlcus Sapientię Magister, CHRISTVS, eique respondet: *Vulpes foveas habent, &c.* quasi dicat: Tu cupis me sequi, quia vides me Populo esse gratum ob sanitates, & beneficia quæ ei confero: Vndè speras, te in mei sequela posse rem tuam augere, & multa bona coacervare. Quasi ego ex Evangelio me, meosque locupletem. Sed erras; quia ego, velut perfectionis Magister, Pauper sum, & Pauperratis studiosus, talesque volo, meos esse Discipulos, vt expediti à cura rerum temporalium, toti vacent mihi, & Deo, & prędicationi, in qua satagant, verbo, & exemplo omnes ad cœlestia traducere.

1034 Quapropter respondens CHRISTVS ejus intentioni, dixit: *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos; Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet*: Ac si diceret: vilia, inutilia, noxia animalia, vti sunt vulpes, & aves, habent suos nidos: at Filius hominis, id est, Ego, natus ex Virgine, & factus Homo, nihil habeo proprium, neque pulvinar quidem, aut lectum, vel scamnum, in quo fessum caput, corpusque reclinem. Me ergo ditiores sunt vulpes, & aves, ac plus comoditatis habent, quàm habeam ego. Putas me commodè, lauteque vivere? falleris: nam ego nè quidem tantum habeo proprii quantum aves, & vulpes, quæ parvas, & pauperrimas habent domos, ad quiescendum, suosque catulos, vel pullos educandum. Auditis hisce verbis à CHRISTO dictis scriba siluit, ac spe sua frustratus, ab oculis CHRISTI se subduxit, vt tacitè innuit *hic* Matthæus. Simili modo CHRISTUS Filiis Zebedæi, per matrem primas Sedes in Regno suo petentibus, respondit, propinavitque suę Calicē passionis, & Martyrii. *Potestis*, inquit, *bibere Calicem, quem ego bibiturus sum? Matth.* 20. Ita S. HILARIVS, THEOPHYLACTVS, & EVTHYMIVS.

1035 Pręclarè S. HIERONYMVS *hic*: *Quid me propter divitias, & seculi lucra vis sequi, cum nec hospitiolum quidem habeam?* Idem Sanctus *epist.* 1. *ad Heliodor.* eum ad suam in Syria eremū invitans, hac CHRISTI sententia stimulat. **Filius hominis* (ait) *non habet, vbi caput suum reclinet*, & tu amplas porticus, & ingentia tectorum spatia metiris? Hæreditatem spectans sęculi, CHRISTI cohæres esse non poteris. (Et *paulò ante.*) Cur timido animo Christianus es? respice à Petro relictum retè; respice surgentem de thelonio Publicanum, statim Apostolum, &c. Servus CHRISTI nihil præter CHRISTVM habet.*

1036 Consonat S. AVGVSTINVS *de verbis Domini*, dicens: *Elatus, & dolosus non me sequeris.* Et *de quæst. Evangelic. quæst.* 5. *Intelligitur, inquit, hic miraculis motus, CHRISTVM ob jactantiam sequi voluisse, quam significant aves; & discipuli obsequium finxisse; quæ fictio vulpis nomine significata est.* Et GLOSSA INTERLINEALIS. *Elatio, ait, nidum fecit cor tuum.*

1037 Hùc facit GLOSSA ORDINARIA, prædictum locum de Summa CHRISTI Paupertate, & rerum omnium abdicatione litteraliter exponens: *Intendit enim (inquit) CHRISTVS ostendere se pauperrimum, & abjectum; & ideo frustra sequeretur eum, vt intenderet lucrum.* Vndè S. CHRYSOSTOMVS *hom.* 28. *in cap.* 8. *Matth.* dicit: *Respondet Dominus ad mentem ejus (id est ad ejus intentionem) quasi dicat: Quid me sequeris propter pecunias, qui vides, neque tectum mihi esse, neque diversorium, quantum avibus?* Quod autem sequeretur eum propter spem lucri, & divitias acquirendi, patet ex hoc, sicut dicit S. Chrysostomus, quòd non respondit: Sequar te Pauperem; hoc enim fortè Dominus concessisset.

1038 S. BONAVENTURA *in cap. 9. Lucæ*, exponens illa CHRISTI verba: *Vulpes foveas habent: Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*, hæc scribit: *In quo miram ostendit inopiam, quasi diceret, se nolle habere comitem, qui terrena diligat: Vndè infrà. Qui non renuntiat omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus*, hoc est imitator perfectus.*

1039 CHRISTIANVS DRVTHMARVS *in ejusdem loci expositione ad illa verba: Vulpes foveas habent, &c.* hæc tradit: *Ac si dicat: Quid me vis sequi lucri causa, cum tantæ Paupertatis sim, vt quod bestiæ parvæ, & volucres Cœli habent, in proprio caream? Videlicet nec lectum

ctum faciam nisi in aliorum mansionibus hospitando; victu, & vestitu contentus sim.*

1040 Pro maxima CHRISTI Paupertate egregiè etiam facit illud *Matth.* 17. de tributo, quod CHRISTVS Cæsari solvit, nè scandalizarentur, qui illud Cæsaris nomine exigebant; loquens enim Dominus cum S. Petro, ei dixit: *Vt autem non scandalizentur, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.* Ex quibus verbis manifestè liquet, quanta esset CHRISTI Paupertas, cum nihil haberet, quo tributum solveret, adeo, vt opus fuerit Divina sua Omnipotentia vti, & miraculum patrare, vt haberet, quo tributum redderet. S. Hieronymus, quamvis allegoricè prædictum locum interpretetur, statim tamen eum de summa CHRISTI Paupertate litteraliter exponit, dicens: *Sed & simpliciter intellectum ædificat auditorem, dum tantę Dominus fuerit Paupertatis vt vndè tributa pro se, & Apostolo redderet, non habuerit. Quod si quis objicere voluerit: Et quomodo Iudas in loculis portabat pecuniam? Respondemus, rem Pauperum in vsus suos convertere nefas putavit: nobisque idem tribuit exemplum.* *In eamdem incidit sententiam NICOLAVS DE LYRA *in Glossa.* Ex quo patet, quòd CHRISTVS erat ita Pauper, quod non habebat, vndè posset solvere tributum.

1041 Suffragatur ORIGENES, qui *tract. 4. in Matth.* hęc ad rem nostram aptissimè scribit: *Hoc autem numisma, in domo IESV non erat, in mari autem erat. (Et *infrà*) Qui ergo habet quæ sunt Cæsaris, Cæsari reddat, vt post hac valeat reddere Deo, quę sunt Dei. Quoniam IESVS non habebat imaginem Cæsaris; (Principes enim sæculi hujus nihil habebant in eo) propterea non ex proprio, sed ex convenienti loco maris imaginem Cæsaris accepit, eam vt det Regibus terræ pro se, & discipulo suo, vt nec arbitrentur, qui didragma accipiebant, esse eum debitorem Regum terræ, reddit enim debitam, non suscipiens eam neque possidens, neque adquirens, neque faciens eam tibi possessionem, vt nesciverit aliquando imago Cæsaris apud invisibilem Deum.* Hæc ille. Intellexisse hic Origenem, per *imaginem Cæsaris, numisma census* patet: alludit enim ad illud *Lucæ* 20. *Ostendite denarium, cujus habet imaginem, & inscriptionem. Respondentes, dixerunt ei: Cæsaris. Et ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Huc etiam facit illud S. AMBROSII *in Lucam cap.* 20. *Si ergo non habuit imaginem Cæsaris (Petrus scilicet) cur dedit censum? non de suo dedit, sed reddidit mundo, quod erat mundi.*

1042 Nec pro hac summa CHRISTI Paupertate, omitti debet locus ille *Matth.* 21. vbi describit Evangelista triumphalem CHRISTI ingressum in Hierusalem, quando singulari plausu susceptus fuit, cõclamantibus pueris, *Hosanna Filio Dauid: benedictus, qui venit in nomine Domini*, non sine ingenti Principum Sacerdotum livore. *Et relictis illis* (ait Textus) *abiit foras extra Civitatem in Bethaniam: ibique mansit* (videlicet illa nocte) *manè autem facto revertens in Civitatem, esuriit.* Inter alia, quæ CHRISTVM induxerunt, vt è Civitate exiret, fuit illius Paupertas, & quod nullus eum hospitio reciperet, nec quisquam eum invitaverit; idcircò necesse ei fuit ad Lazari, & sororum ejus domum, hospitandi gratia divertere. Hujus sententiæ sunt Patres, quos *infra* laudabimus, sed priùs duximus tradenda, quæ *Marci* 11. dicuntur, vbi clariùs hæc insinuantur: *Et introivit Ierosolymam in Templum, & in Bethaniã: & Circumspectis omnibus*, (prospiciens scilicet, quod à nemine invitabatur) *cum iam vespera esset hora*, (tempus nempè Cœnæ, & quietis) *exiit in Bethaniam cum duodecim*, vt ibi hospitaretur.

1043 GLOSSA INTERLINEALIS *in Marcum* hunc sensum habet. **Exiit in Bethaniam*, vt qui in Vrbe nõ inveniebat, in agro parvuló apud Lazarum, & sorores ejus haberet hospitium.* Item ad illud: *Circumspectis omnibus*: *Siquis inquit, eum hospitio susciperet.* GLOSSA ORDINARIA, ad eadem verba: *Quia nullus recepit eum in domum suam.* S. HIERONYMVS *in Matthæum ad ea verba: relictis illis*: *Reliquit, inquit, incredulos, & Vrbem egressus contradicentium, ivit in Bethaniam. (Et *infrà*:) Hoc quoque intelligendum est, quòd tantæ fuerit Paupertatis, & nulli ita adulatus

sit,

sit, vt in Vrbe maxima nullum hospitem, nullam invenerit mansionem, sed in agro parvo apud Lazarum, sororesque ejus habitaret.* Eumdem sensum, ac verba mutuavit BEDA, tâm *in Marcum*, quàm *in Matthæum*.

1044 Eadem ferè habentur apud S. ANSELMUM *in Matthæum*: *Et nota, quòd CHRISTVS nulli vnquam adulatus, nullum invenit Hospitem in Vrbe, sed apud Lazarum, sororesque ejus receptus est hospitio in quodam oppido.* Eamdem sequutus sententiam LYRANVS, inquit: *Licet fuisset honorificè receptus à communi Populo, & prædicasset per totam diem vsque ad vesperam, nullus tamen invitavit eum ad hospitium in domum suam: & ideò cum Discipulis rediit in Bethaniam, vbi manebant Martha, Maria, Lazarus, &c.*

1045 Insuper ipse CHRISTUS *Lucæ* 8. nos suo exemplo docuit summam, qua vivebat, Paupertatem, quin aliquid vndè viveret proprium haberet; siquidem cum Civitates, & Castella prædicans circuibat, non ex propriis, sed velut mendicus Pauper ex aliorum eleemosynis sustentabatur, juxta illud: *Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalenæ, de qua septem demonia exierant. Et Ioanna vxor Chusæ, procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Vbi GLOSSA ORDINARIA: *Antiquus (ait) mos erat Judæorum, nec ducebatur in culpam, vt Mulieres sua substantia pascerent, & vestirent Doctores.* Hùc etiam facit illud APOSTOLI: *Numquid non habemus potestatem, mulierem sororem circumducendi, sicut cæteri Apostoli?* Sed quia hoc in Gentibus poterat scandalum facere, Paulus se memorat abstinuisse 1. *ad Corinth. 9. Sed non vsi fuimus hac potestate.* Et meritò Domino ministrabant carnalia, cujus metebant spiritualia. *Dignus est enim operarius mercede sua.*

1046 Cardinalis CAJETANVS *ad illa verba Lucæ* 8. *Ioanna vxor Chusæ, procuratoris Herodis*; hęc habet: *Non sine mysterio Evangelista etiam conjugatam mulierem describit, sequentem JESVM, non quòd invito viro hoc faceret (quoniam JESVS nõ venit ad dirimendum conjugia, qui venit ad implendam legem) sed vt devotionem mulieris, simul & viri hoc concedentis, ad aliorum exemplum scriberet.* Et *infrà, ad illa verba: Et Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis*; Glossam sequutus, dicit: *Morem fuisse apud Hebræos, vt honestę mulierès sequerentur spirituales Doctores, qui discurrebant prędicando, & ministrarent eis de facultatibus suis; & propterea, antiquum sectantes morem mulieres istæ sequebantur JESVM. De facultatibus suis.* Hinc apparet, quòd non erant Pauperes; imò si quæ Pauperes quandoque comites erant (vt Salomę mater filiorum Zebedęi) quæ non ad hoc ibant, vt ministrarent de suis facultatibus, sed solùm vt audirent Verbum Dei vivebant, vt verisimilè est, sumptibus istarum divitum.*

1047 Quod eleganter confirmat CORNELIVS à LAPIDE *ad illa verba: mulieres ministrabant ei de facultatibus suis*; hęc annotans: *Erant enim & gratæ CHRISTO liberatori suo, eique devotæ, ejus prædicationem, & Fidem promovere, ac propagare satagebant. Sic olim Romæ S. Plautilla, S. Flavia Domitilla, S. Lucina, S. Priscilla, S. Pudentiana, S. Praxedes, aliæque nobiles, & opulentæ matronæ aluerunt S. Petrum S. Paulum, S. Clementem, S. Pium, S. Cajum, S. Marcellum, aliosque Romanos Pontifices, cum suis Presbyteris, & Diaconis. Et Susanna.* Illustris fuit matrona, hęc à CHRISTO curata, ideoque CHRISTI Discipula, & nutritia. Hebraicè *Susanna* significat *Lilium*, propter odoriferum cęlestis vitæ candorem, ait Interlinealis, & propter aureum æternæ dilectionis ardorem ait Beda.*

1048 Nobis etiam hac in re luculenter favet S. EPIPHANIVS *contra hæreses, lib. 2. tom. 1. hæres. 61.* vbi loquens de nuditate, Paupertate, & omnium rerum abdicatione, quam CHRISTVS, & Apostoli nobis suo exemplo commendatam reliquerunt, & de diversis personarum statibus, qui in Ecclesia inveniuntur, hæc scribit: *Habet (scilicet Ecclesia) qui renuntiaverunt mundo, & non inflantur contra eos, qui adhùc in mundo sunt: sed gaudentes talibus, velut etiam Apostoli, qui & ipsi nihil possidebant. Et ipse Salvator, omnium Dominus, cum in carne esset,*

set, nihil in terra possedit, sed non rejecit mulieres ipsi, & Discipulis eius ministrantes, dicit enim: *Quæ sequutæ fuerunt ipsum a Galilæa ministrantes ipsi, & Discipulis ejus de propriis bonis*: alioqui quomodo complebitur id quod scriptum est, &c.*

1048 Hùc spectat illud ANGELICI PRÆCEPTORIS *in cap. 27. Matth. ad illa verba. Sequutæ erant eum* (scilicet CHRISTVM) *a Galilæa, ministrantes ei*; annotantis, quod ipse, cui Angeli ministrabant, permisit, vt ei ministraretur à mulieribus. Et subdit: *In hoc dedit documentum Apostolis sequentibus, quòd reciperent temporalia ab his, quibus ministrarent spiritualia; & hæc erat consuetudo antiqua, quòd Doctores recipiebant necessaria à bonis, quos docebant. Sed Paulus, quia gentibus prædicabat, inter quos non erat hęc consuetudo, nè videretur, quòd pro pecunia prædicaret, recipere nolebat.*

1049 In eodem sensu expendit THEODORETUS *illud Pauli 1. ad Corinth. 9.* de sorore muliere circumducenda: *Quidam, inquit, ita sunt interpretati, quòd quemadmodum Dominum sequebantur fideles mulieres, necessarium alimentum Discipulis suppeditantes, ita etiam aliquos ex Apostolis sequebantur aliquę ardentiorem Fidem ostendentes, & ab eorum doctrina pendentes, & Divinam prædicationem adjuvantes.*

1050 Idipsum priùs docuerat TERTVLLIANVS *adversus Marcion. lib. 4. cap. 19.* dicens: *Quòd divites CHRISTO mulieres adhærebant, quæ & de facultatibus suis ministrabant ei, inter quas & vxor Regii Procuratoris, de prophetia est. Has enim vocabat per Isaiam: Mulieres opulentæ surgite, & audite vocem meam*; vt discipulas primò, de hinc vt operarias & ministras ostenderet: *Filiæ in spe audite sermones meos, dies anni mementote cum labore in spe*: *cum labore* enim, quo sequebantur, & ob spem ministrabant, &c.*

1051 Nec minori expressione in eumdem scopum collimat illud S. CYPRIANI *de Singularitate Clericorum*: *Video planè sic apud vos calcari avaritiã, sicut Apostoli cuncta dimiserunt, video. Video crapulam, & ebrietatem sic vestris conviviis abesse, sicut Apostoli nihil habentes frequenter coacti sunt esurire.* (Et *infrà*:) Sic Apostolos mulierum comitatus decebat, non vt perderent, sed vt discerent reverentiam, & propter humanitatis exhibendum ministerium sequebantur, sicut in Evangelio de Domino, & de ipsis pariter memoratur: *Et factum est*, inquit, *post hæc, & ipse iter faciebat per Civitates, & Castella, Evangelizans Regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres, quæ erãt curatæ á spiritibus immundis, & infirmitatibus. Maria, quæ vocabatur Magdalenæ, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Vide etiam eum *de Disciplina, & cultu Virgin. cap. 5.*

1052 Eamdem sententiam amplexus fuit D. AVGVSTINVS *de Opere Monachor. cap. 4.* probans, Paulum suis manibus laborasse, adducto illius testimonio 1. *ad Corinth. 9.* de quo egimus suprà: sic enim scribit: *Probat se Apostolum esse, dicens: Nonnè CHRISTVM IESVM, Dominum nostrum vidi? Nonnè opus meum vos estis in Domino?* Quo probato ostendit, sibi licere, quod cæteris Apostolis, id est, vt non operaretur manibus suis, sed ex Evangelio vivat, sicut Dominus constituit eis; quod in consequentibus apertissimè demonstravit; ad hoc enim, & fideles mulieres habentes terrenam substantiam ibant cum eis, & ministrabant eis de substantia sua, vt nullius indigerent horum, quæ ad necessaria vitæ hujus pertinent. Quod B. Paulus, licere quidem sibi demonstrat, sicut & cęteri Apostoli faciebant, sed ea potestate se vti noluisse postea commemorat.* Et reprobata eorum interpretatione, qui pro muliere vxorem verterent, perperamque intelligerent, subdit *cap. 5.* *Quod quisquis putat non potuisse ab Apostolis fieri, cùm eis sanctę conversationis mulieres circuirent quàcumque Evangelium prędicabant, vt eis de sua substantia ministrarent necessaria, Evangelium audiant, & cognoscant, quemadmodum hoc ipsius Domini exemplo faciebãt. Dominus enim noster, more misericordię suæ infirmioribus compatiens, cum ei possent Angeli ministrare, & loculos habebat, quò mitteretur pecunia, & mulieres voluit, vt se ad præparanda, & ministranda necessaria sequerentur; ostendens, quòd Evangelistis, & Ministris Dei, tanquam militibus,

&

& Plebibus Dei, tamquam Provincialibus deberetur, vt si quis, eo, quòd sibi deberetur, &c. (Et *infra*:) In Evãgelio enim scriptum est deinceps : *Et ipse iter faciebat per Civitates, & Castella prædicans, & evangelizans Regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ ab infirmitatibus, & ministrabant eis de facultatibus suis.**

1053 Ex prefatis Sanctorum Patrum, gravissimorumque Authorum expositionibus manifestè liquet, CHRISTVM non solum verbo, sed etiam exemplo docuisse strictissimam, maximamque Paupertatem, cum omnium rerum abdicatione ; cum eum saltem prædicationis tempore, nihil proprium habuisse, sed ex alieno, videlicet, ex piorum Fidelium Eleemosynis, cum suis Apostolis vixisse, mendicitatisque exemplum Evãgelicis Prædicatoribus imitandum tradidisse ; ex prædictis locis, eorumque expositionibus apertissimè deprehendatur.

1054 Tandèm CHRISTVM nos suo exemplo docuisse extremam Paupertatem, & mendicitatem, testatur APOSTOLVS 2. *ad Corinth.* 8. *Scitis enim gratiam Domini nostri IESV CHRISTI, quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives, vt illius inopia vos divites essetis.* Superiùs Corinthios ad eleemosynas faciendas excitarat, allegans Macedonium liberalitatem ; hîc verò eis in exemplum proponit CHRISTI charitatem. Dicit ergo : *Scitis enim*, quasi diceret : ita monui vos eleemosynas elargiri, & hoc facere debetis exemplo CHRISTI ; quoniam *propter nos egenus factus est.* Ubi noster NICOLAUS GORRANUS eruditè annotat: *In carnis assumptione *Psal.* 108. *Egenus, & Pauper ego sum.* In sua conversatione *Zach.* 9. *Ecce Rex tuus venit tibi justus, & salvator, ipse Pauper, & ascendens super asinam, & super pullum, filium asinæ.* In sua passione *Thren.* 3. *Recordare Paupertatis meæ:: Cum esset dives.* Non dicit *fuisset*; quia Paupertatem assumpsit, & divitias non amisit : vndè Augustinus *Intus dives, foris Pauper, latens Deus in divitiis, apparens homo in Paupertate.* Vndè *Psal.* 48. *Simul in vnum dives, & Pauper. Vt illius inopia vos divites essetis.* S. Augustinus : omnes divites facti sunt, in Pauperem CHRISTVM credentes. Nemo ergo se contemnat Pauper in cella, dives in conscientia securior dormit in terra, quàm dives in auro, & purpura. Non ergo paveſcas, cum tua mendicitate ad illum accedere, qui indutus est nostra Paupertate ; vbi se depauperavit, nos ditavit : vndè Ambrosius: CHRISTI inopia ditat, sanat fimbria, fames satiat, mors vivificat, sepultura resuscitat.* Hactenus Gorranus in expositione hujus textus.

1055 Vndè, CHRISTVM summam Paupertatem multipliciter approbasse, ac suasisse, suoque nos exemplo docuisse liquidò constat. Primò, de matre Paupere nascendo *Lucæ* 2. Secundò, Paupertatis signa in nativitate monstrando *Lucæ* 2. *Hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* Tertiò, in Paupertate inter homines conversando *Matth.* 8. *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Quartò, Pauperes Discipulos eligendo *Iacob.* 2. *Nonnè Deus elegit Pauperes?* Quintò, Pauperes spiritu beatificando *Matth.* 5. *Beati Pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.* Sextò, Paupertatem consulendo *Matth.* 19. *Si vis perfectus esse, vade vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus.* Septimò, Pauperibus libenter prædicando *Lucæ* 4. *Evangelizare Pauperibus misit me, & sanare contritos corde.* Quæ quidem loca de maxima CHRISTI Paupertate intelligenda esse, suprà monstravimus.

1056 At in hoc textu summam, ac extremam Paupertatem ab Apostolo, CHRISTI exemplo commendari, expressiùs docet CORNELIUS A LAPIDE *ad ea verba : Scitis enim gratiam Domini nostri IESV CHRISTI, &c.* sic prædictũ textum elucidando: *Novo argumento, CHRISTI scilicet exemplo, ad eleemosynam incitat, quasi dicat : *CHRISTVS, Rex Regum propter vos egenus factus est*, cum natus in stabulo ; quia *non erat ei locus in diversorio*, pro throno regali, habuit præsepium ; pro culcitris, fœnum ; pro igne, halitum bovis, & asini ; pro peristromatis, aranearum telas ; pro odoramentis, excrementa boum ; pro purpura, viles panniculos ; pro equitatu bovem, & asinum ; pro Procerum turba, Joseph, & Mariam. Sic & tota deinceps vita egenus

fuit. Undê patet, CHRISTVM non tantùm Pauperem fuisse, sed & verè mendicasse, fuisseque mendicum.

1057 Nec pro hac maxima Paupertate, ac indigentia, quam CHRISTVS nos suo exemplo docuit, desunt magni nominis Authores, sanctitate, & doctrina conspicui, qui eam confirment. S. REMIGIVS *ad illum Pauli locum*, eadem verba expendens: **Egenus*, inquit, *factus est, & Pauper* in tantum, vt non haberet, quod habent vulpes, &c.* THEODORETVS *ibidem*. *Respicite enim ad vniversorum effectorem, & Dominum, Vnigenitum Dei Filium, qui causa nostrę salutis extremam Paupertatem suscepit, quæ ex Paupertate oriuntur nobis divitias procurans.*

1058 Idipsum expressè sentire videtur D. THOMAS, sic scribens: *Et dicit *egenus*, quod plus est, quam Pauper. Nam *egenus* dicitur ille, qui non solùm parum habet, sed qui indiget, seu eget; Pauper verò ille, qui parum habet. Ad significandum ergo majorem Paupertatem dicitur: *Egenus factus est*, scilicet in temporalibus *Lucæ. 9. Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.**

1059 PRIMASIVS *in eumdem locum* hæc habet: **Scitis enim gratiam Domini nostri IESV CHRISTI*; non enim ignoratis, illum propter vos Pauperum factum, qui vniversorũ erat factor, & Dominus, vt ejus gratia bonis cęlestibus ditaremini. Si ergo ille propter vos omnia sua contempsit, quantò magis vos propter vos dare debetis parva, non vestra, imò sua ei restituere? ipsi enim datur, quidquid ejus causa porrigitur.*

1060 Cardinalis CAIETANVS: **Egenus factus est*, inquit, vsque adeò, vt vulpes foveas habeãt, & volucres Cœli nidos; *Filius autem hominis nõ habuerit, vbi reclinaret caput suum*, cum esset dives, vtpote Dominus omnium divitiarum mundi, noluit JESVS vti dominio, quod habebat super omnes divitias, sed assumpsit statum Pauperum.*

1061 Ex prædicto ergo D. Pauli textu, ficut & ex aliis hucusque relatis, perspicuum fit, juxta graviſſimorum, sanctiſſimorumque Authorum expositiones, CHRISTVM non solùm verbo, sed etiam exemplo suo docuisse extremam Paupertatem, egestatem, ac mendicitatem, cum rerum omnium abdicatione, quam Nicolaus III. commemorat *in sua Constitutione Exiit*, quamque declarat *in explicatione Regulæ S. Francisci*, asserens, & decernens, ad illius strictissimam observantiam omnes ejus Religionis alumnos, juxta Sanctissimi Fundatoris mentem, ad CHRISTI imitationem teneri, tamquam à tanto Fundatore filiis suis commendatam, & rigorosè observari præceptam; sicque hanc Nicolai Declarationem, tot Sanctorum Patrum testimoniis innixam, ab omni erroris nævo, ac vmbra liberam inueniri, proindeque apertè erraſſe Elliesium Dupin oppositum affirmare perperam conantem, loco supra adducto.

§. V.

An nedúm CHRISTVS, sed & illius etiam Apostoli omnium rerum abdicationem, strictissimamque Paupertatem, quam Nicolaus III. in sua Constitutione Exiit *commemorat, suo nos exemplo docuerint?*

1062 PRo clariori, ac faciliori hujus difficultatis resolutione, præmittere opportet, Nicolaum tria in ea Constitutione declarasse. Primò, S. Francisci Regulam de Evangelica Paupertate, juxta illius mentem de omnium rerum abdicatione esse intelligendam, non habendo aliquid proprium, non modo in speciali, sed nec etiam in communi; hancque observandam esse ab illius Religionis alumnis, juxta Sanctissimi Fundatoris mentem, & totius Religionis praxim. Secundò, CHRISTVM eam Paupertatem verbo docuisse, & exemplo. Tertiò, primos militantis Ecclesiæ Fundatores, scilicet Apostolos eam, prout à CHRISTO hauserant, exemplo suo posteris observãdam reliquisse. De primo, & secundo nihil hucusque dictis superest addendum. Undê modò solum probandum restat, an tertium, quod Nicolaus docet, aliquo Authoritatis, veritatisque fundamento nitatur.

1063 Huic difficultati respondentes, asserimus, AFFIRMATIVAM ASSERTIONEM haud levibus momentis reperiri innixam, juxta Sanctorum Patrum mentem, ac sensum. Pro hac sententia

mag-

magnopere facit illud *Matth.19.* vbi Petrus à CHRISTO vocatus, eumque sequutus, omnium nomine omnibus renuntiasse testatur, dicens: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Nec dubium, quin Petrus ad CHRISTI mentem fuerit loquutus, alludens ad præcedentia verba, quibus Juveni à Domino dictum fuerat: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes: & habebis thesaurum in Cœlo: & veni, sequere me.* Sicut ergo tunc indespensabiliter dici debet, Petrum, & cæteros sequutos fuisse CHRISTVM, pari modo asserendum est, omnia reliquisse; nam hoc ad perfectam CHRISTI sequelam noscitur spectare.

1064 Quod eleganter confirmat S. JOANNES CHRYSOSTOMVS *Hom.14. in Mathæum* his verbis: *Perpendè verò & Fidem, & obedientiam vocatorum; siquidem in medio ipsius operis constituti (scitis autem, quàm avida res sit piscatio) nihil distulerunt, nihil omninò cunctati sunt, sed cum illum audissent jubentem, non dixerunt, revertamur domum, loquamur propinquis, sed cuncta illicò relinquentes, fecerunt, quod Elisæus quoque sub Elia legitur implesse, &c.*

1065 Adstipulatur S. ANSELMVS *in Matth. cap.4.* *Parum habebant, sed illud parum reliquerunt, quo innuitur, quòd plus affectus, quàm census quæritur derelictio. (Et *paulò ante*:) Sed hęc vocatio fuit vltima, quam refert Matthæus, & tunc dereliquerunt & res, & vxores, & Patres. Itaque numquam amplius redierunt ad propria.*

1066 Prędarè BEDA: *Forsitan dicet aliquis: quid vterque dimisit piscator, qui penè nihil habuit? Sed pensare debemus; quia multum reliquit, qui desideria habendi recusavit.*

1067 Eidem sententiæ suffragatur S. GREGORIUS *Hom.5. in Evang.* hæc scribens: *Sed fortasse aliquis tacitis sibi cogitationibus dicat: ad vocem Domini vterque iste piscator, quid, aut quantum dimisit, qui penè nihil habuit? sed hac in re, fratres charissimi, affectum potiùs pensare debemus, quàm censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit; multum reliquit, qui quamtumlibet parum, totum deseruit.* (Et *infrà*:) Multum ergo Petrus, & Andreas dimisit, quando vterque etiam desideria habendi dereliquit: multum dimisit, qui cum re possessa concupiscentiæ etiam renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt.*

1068 Opitulatur etiam S. HILARIVS; siquidem de Apostolis agens, prædictum locum sic exponit: *Eis igitur artem, & patriam relinquentibus, & domum, docemur CHRISTVM sequuturi, & sæcularis vitæ solicitudine, & paternæ domus consuetudine non teneri.*

1069 In eamdem sententiam collimat S. LEO Papa, *hom. in festo Omnium Sanctor.* *Beata igitur illa Paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, sed cęlestibus bonis ditescere concupiscit. Hujus nobis magnanimæ Paupertatis exemplum primi post Dominum Apostoli præbuerunt, qui omnia sua sine differentia relinquentes, ad vocem Cęlestris Magistri, à captura piscium in piscatores hominum alacri conversione mutati sunt.*

1070 Pro majori prædicti asserti illustratione nequit silentio præteriri S. Matthæi conversio, quæ sic describitur *apud ipsum cap.9. Et cum transiret indè IESVS, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum.* Et *Marci* 2. etiam dicitur de eadem conversione: *Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi, sedentem ad Telonium, & ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum.* Idipsum *Lucæ* 5. habetur, magis ad nostram faciens sententiam: *Et post hæc exiit (IESVS) & vidit Publicanum, nomine Levi, sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus, surgens, secutus est eum.* In cujus expositione ex Sacris Interpretibus aliqua animadversione digna videntur. Ostensa enim misericordia CHRISTI, Matthæum vocatis, hic subditur sapiętia Matthæi, CHRISTO obedientis, circà cujus conversionem notāda veniūt ea verba: *Relictis omnibus*, scilicet, suis, & alienis, vt notat Eruditissimus Magister NICOLAVS GORRANUS. Sivè negotiis, vt intelligit CAIETANVS. GLOSSA ORDINARIA hic: *Reliquit propria, qui priùs rapiebat aliena, nec solùm lucra reliquit vectigalium, sed & periculum contempsit, quòd potestat*

rat venire à Principibus sæculi: quia rationes vectigalium reliquit incompositas. Et quia in nullo prorsus hujus vitæ respectum, vel cogitationem sibi reservavit, Dominicorum talentorum fidelis dispensator esse meruit.*

1071 S. BASILIVS *in quæst. Moral. diffusiùs explicatis in responsione ad quæst.* 8. hęc habet: *Initium autem ab alienatione externorum sumit, velut possessionum, vanægloriæ, consuetudinis vitę, effectus ergà inutilia, quemadmodum etiam Sancti Discipuli Domini ostenderunt nobis. Iacobus quidem, & Ioannes, relicto patre suo Zebedæo, & ipso navigio, quod omnium vitæ sumptum suppeditabat; Matthæus autem ab ipsa Publicanorum mensa exurgens, & Dominum sequens, non solùm lucella officii Publicanorum relinquens, sed etiam pericula contemnens, quæ imminebant ipsi, & cognatis ejus, ex potestate, quòd imperfectas vectigalis rariones relinqueret, &c.*

1072 S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *hom. 31. in Matth.* *Vidisti, inquit, virtutem vocantis: disce nunc vocati obedientiam; non enim repugnavit, nec ambigendo, secum dixit: Putasnè Publicanum, peccatoremvè me rectè, atque absque fraude vocaverit, &c? sed confestim ita obtemperavit, vt nec domum quidem ad communicandum rem cum suis profectus sit; verùm sicut piscatores priùs retibus cum navigio, atque Patre relictis, sic ille publico officio, & quæstu relicto, sequebatur; sic præparatum animum, atque præmeditatum ostendens; sic ab omni sæculari negotio se ipsum abrumpens, &c.*

1073 Consonat S. AMBROSIVS *in Luc. cap.* 5. hæc scribēs: *Itaque ille priùs avara de mercibus, dura de laboribus, periculisque Nautarum emolumenta conuerrens, verbo vocatus, propria dereliquit, qui rapiebat aliena.*

1074 S. BEDA prædicta verba: *Relictis omnibus*, sic exponit: *Intelligens Matthæus, quid sit, veraciter CHRISTVM sequi, relictis omnibus sequitur; sequi enim, imitari est, ideoque vt Pauperem CHRISTVM, non tàm gressu, quàm affectu consectari potuisset, reliquit propria, qui rapere solebat aliena; perfectamque nobis abrenuntiationis sæculi formam tribuens, non solùm lucra reliquit vectigalium, sed & periculum contempsit, quod evenire posset à Principibus sæculi; quia vectigalium rationes imperfectas, atque incompositas reliquerit.*

1075 THEOPHYLACTUS *in Marcum*, de Matthæo loquens, hæc tradit: *Sedebat enim in telonio, vt consuetudinis est, aut aliquos impetens, aut verba vendens, aut aliquid hujusmodi faciens, quibus in suis mansionibus teloniarii vtuntur, qui de hoc statu sic sublevatus est, vt relinquens omnia, CHRISTVM sequeretur.*

1076 Insuper Apostolos exemplo suo docuisse omnimodam omnium rerum abdicationem, ac si nihil de mundo haberent, apertè ostendit illud D. PAVLI 2. *ad Corinth. 6. In omnibus exhibeamus nos metipsos, sicut Dei ministros.* (Et *infrà*:) *Sicut egentes, multos autem locupletantes; tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Vbi de Apostolis sermonem esse, communis est Patrum interpretatio. GLOSSA *super illa verba*: *Omnia possidentes*; hæc habet: *Qui terrenas divitias abjicientes, cœlestes per Fidem tenent, quasi nihil habentes, & omnia possidentes.*

1077 S. CHRYSOSTOMVS *in* 2. *ad Corinth. homil.* 12. super præmissis hæc habet: *Quidam autem hoc loco de spiritualibus opibus verba haberi dicunt. Ego autem de his quoque, quæ ad carnem attinent, Paulum loqui affirmem; nam & hi novo quidem modo pręditi erant, vt quibus piorum omnium ædes paterent. Atque hoc perspicuum fecit ex eo, quòd deinceps ait: Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Et qui fieri potest, inquies? Imò quî contrarium fieri potest? Nam qui multa possidet, & retinet, nihil habet; qui autem nihil habet, omnia possidet. (Et *infrà*:) Quod si miraris, quonam modo fiat, vt qui rebus omnibus careat, cuncta habeat? Hunc ipsum Paulum in medium adducamus, qui orbi terrarum pro Potestate imperabat, cuique non in ipsorum tantùm pecunias, sed in oculos quoque ipsos arbitrium erat. (Et *infrà*:) Quænam ergo ea omnia erant, quę Paulus possidebat, cum diceret: *Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes?* Mundana, & spiritualia. Qui enim hoc adeptus erat, vt eum Vrbes velut Angelum acciperent; pro eo effosos oculos tradere, pro eo cervices suas exponere paratiessent; an non ille omnia eorum bona pos-

possidebat ? Quod si spiritualia quoque perspicere libet, videbis eum in his quoque maximè copiosum, ac locupletem.*

1078 Ejusdem sententiæ videtur fuisse S. AMBROSIVS *ad ea verba*, quæ ille sic legit: *Vt Pauperes, multos autem ditantes*, hęc scribens: *Quantum ad præsentem vitam pertinet, Pauperes videbantur (Apostoli,) sed spirituales divitias credentibus largiebantur; egeni in terris, in Cœlis divites (vt *nihil habentes, omnia autem possidentes.*)Hoc fuit in Apostolis glorioſum, vt sine sollicitudine, & nomine possidendi, non solũ ea, quę in possessionibus erant, sed & ipsos eorum dominos possiderent. Omnia enim, necesse erat, ante eorum poni pedes, causa virtutum, sicut legitur *in Actibus Apostolorum.**

1079 S. ANSELMVS *super epistol. Pauli*, prædicta verba sic interpretatus est: **Sicut egentes*, seu Pauperes, seu inopes, &c. Et dicit: *Tamquam*, non ad excludendam veram, sed necessariam Paupertatem; significatur enim, quòd non occupamur Paupertate, sed assumimus statum Paupertatis, quòd similes nos facimus illis, qui ex necessitate sunt Pauperes. *Multos autem locupletantes*, ad litteram est sermo de divitiis spiritualibus. *Tamquam nihil habentes*, hoc plus est, quàm *tamquam* Pauperes, assimilamur voluntariè illis, qui nihil habent, vt potè qui omnia reliquimus, & sequimur CHRISTVM.*

1080 THEODORETVS sic præfatum Textum elucidando ait: *Cum dixisset: *Vt mendici*, non subjunxit, necessariis autem abundantes; sed *multos autem locupletantes*; ab omnibus enim pecuniam colligens, mittebat ad Pauperes, & qui nihil habebat, cujusvis pię domus erat dominus.*

1081 THEOPHYLACTVS *in eumdem D. Pauli locum*: **Tamquam mendici, multos autem ditantes*, opibus spiritualibus multos locupletes reddebat, divitiis externis non destituebatur; etenim omnium ædes sibi apertas habens, opulentissimus erat; quippè qui aliis impertiri posset, eosque alere perindè ac Sanctos in Ierusalem. Indicat autem hoc per sequentia: *Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes*; qui enim nulli rerum temporalium ad victum, & amictum pertinentium affixus est, quæ omnium sunt habet: *Si fieri posset*, inquit, *oculos vestros effossos mihi dedissetis.* Quomodo ergo hujusmodi pecuniis peperciſſent erga Paulum?*

1082 Prædictis Patribus, & Expositoribus apertè subscribit ANGELICUS DOCTOR *ibidem*, citatum D. Pauli Textum sic dilucidans: *Sinistrum autem in hoc est, quòd homo sit ita Pauper, quòd oporteat, eum ab aliis mendicare; & ideò dicit, quòd in his temporibus sumus multos locupletantes, &c. Secundum est in compa ratione ad se ipsos, & secundum prosperum, in divitis est, multa possidere; Sinist rum autem, vt nihil penitus habeat: & quantum ad hoc dicit, quòd in exterioribus sunt, *tamquam nihil habentes*, scilicet in temporalibus; quia omnia dimiserunt propter CHRISTVM. *Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus.* Sed in spiritualibus *omnia possidentes*, scilicet per interiorem magnitudinem cordis; & hoc ideo est, quia ipsi vivebant, non sibi, sed CHRISTO, & ideò omnia, quæ sunt CHRISTI, reputabant vt sua.*

1083 S. RHEMIGIUS, Rhemensis Antistes, *ad ea verba*: *Quasi egentes*: *Videba ntur, inquit, divitiis istius sæculi (*Egentes*) sed abundabant divitiis spiritualibus in prędicatione, & miraculis, ex quibus locupletabant alios.* Aliam subjungit interpretationem, conformem prędecedentibus, intelligens, Paulum locupletasse alios in temporalibus; quia eleemosynas mittebat ad Sanctos in Ierusalem, collectas à Discipulis: *Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes*: * Vel *tamquam nihil habebant*, inquit, quia non habebant prędia, non aurum, non argentum, non servos, aut ancillas; & tamen omnia possidebãt ista in possessoribus eorum, quos sibi per prędicationis arma, & virtutem miraculorum subjugaverant. In possessoribus etenim *omnia possidebant* possessorum, &c. Possumus etiam dicere: quia in hoc sæculo Apostoli, *quasi nihil habentes* erant, sed in Capite suo CHRISTO *omnia possidebant.** Illud etiam: *Aporiamur, sed non destituimur*, quod habetur *eadem epistola, cap.* 4. Exponit idem Sanctus: **Aporiamur*, id est, convitiamur, & improperia sustinemus; vel, quod melius est, quasi Pauperes abjicimur; *Sed non destituimur*, id est, non derelinquimur à Deo, sed positis in Paupertate, & inopia adest nobis Pastor Deus. *Aporos*

Grę-

Græco vocabulo Latinè dicitur *Pauper*; indè *Aporiare* propriè significat, *Pauperem* abjicere. *

1084 THEOPHYLACTUS sic legit: **Indigentes sed non planè destituti*, hoc est, ad penuriam, & egestatem incidentes; verùm tamen recti consistentes in desperationem non devoluimur, neque vincimur, cæterum in Deo invenimus opes, atque vincimus.*

1085 D. THOMAS *ad illa verba: Aporiamur, sed non destituimur*, eamdē sententiam sequutus, sic ea expendit *lect.* 3. **Aporos* Græcè, Latinè dicitur *Pauper*; quasi dicat, adeò Pauperes sumus, vt necessaria desint.* Ex his Sanctorum Patrum expositionibus manifestè colligitur summa Paupertas, nuditas, & temporalium rerum abdicatio, quam Apostoli CHRISTVM imitantes, suo nos docuerunt exemplo, tamquam nihil habentes, egentes, & vti veri mendici, non ex proprio, sed ex aliorum eleemosynis viventes, quod non mediocriter indicat summam eorum egestatem; quam insuper luculenter confirmat APOSTOLVS 1. *ad Corinth.* 4 dicens: *Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus.* Et 2. *ad Corinth.* 11. *In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, &c.*

1086 Prædicta egregiè corroborat illud S. EPHREM *de Monachis, ac Turturæ*: *Non enim possibile est, Deo servire, & Mammonæ*, inquit Dominus, & ipsi quidem Apostoli, cum interrogassent Magistrum suum, dicentes: *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te*, non amplius ipso relicto abierunt in mundum, neque conversi sunt retrorsum, videlicet, ad sæculi divitias, &c.*

1087 Hùc spectat illud S. BASILII *in Moralib. Regul.* 70. *cap.* 28. *Non debet, cui traditum est munus Evangelii, aliquid plus possidere, quàm quantum naturalis vsus desiderat.*

1088 PASCHASIVS RATHBERTVS *in illa verba Matth.* 19. *Ecce nos reliquimus omnia*: *Non cogitat, inquit, parum, quod reliquit ipse, & cæteris; sed omnia reliquit, qui se ipsum, & omnia, quę concupiscì possunt in sæculo, perfectè pro CHRISTI amore deseruit. Nec dubium, quòd Apostoli, & Apostolorum sequaces, licet parum habuerint, plus omnibus reliquerunt; quia perfectiùs omnia, quæ concupiscì possunt, calcarunt, qui non solum vitia vniversa, verùm & se ipsos pariter cum mundo contempserunt.*

1089 CHRISTIANUS DRUTHMARVS *in Matth. cap.* 43. eadem illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, sic rectè, ac breviter exponit: *Hoc est, sic reliquimus*, vt tu habes derelicta, qui non vis quidquam in hoc sæculo possidere.* Floruit hic Author *anno* 850.

1090 Hùc præclarè facit, quod legitur apud S. VINCENTIVM FERRARIVM Apostolico spiritu per totam ferè Europam eximium præconem, eadem verba exponentem *tom.* 1. *Novissimæ editionis Valentinæ hujus anni* 1693. *serm.* 10. *de Domin.* 2. *Adventus, num.* 5. vbi hæc habet: *Et hoc modo hic venit responsio cuidam quęstioni datę mihi per quemdam Christianum, scilicet an cum CHRISTO in aëre, cum venit ad judicium, Sancti stabunt? Et dico quòd sic. Omnes, qui tenuerunt vitam Apostolicalem. Et vita Apostolicalis est, dimittere omnia temporalia habita, & habenda, vt habetur Matth.* 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Et erit magna dignitas ista, quòd Reges, & Comites stabunt infra terram, & qui tenuerunt vitam Apostolicam altiùs, in aëre cum CHRISTO judicantes erunt, & in hac dignitate erunt omnes Religiosi, qui servaverunt Regulam, & alii, qui dimiserunt sua, & sequuti sunt CHRISTVM, audiendo prędicationes per mundum, vt habetur ibidem: *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel.**

1091 Ab eodem Sancto alia traditur ejusdem Textus expositio; expendens enim tres Paupertatis gradus *serm.* 2. *ex epist. Domin. infraoct. Nativ. Christ. ad illa verba Lucæ* 2. *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur, num.* 10. asserit: *Secundum signum est voluntarię Paupertatis. Si dicatur, quid est Paupertas voluntaria? Ego dicam. Nota hîc tres gradus Paupertatis voluntariæ. Primus est ex principio. Secundus ex fine. Tertius ex medio. Primus gradus in principio,*

pio, est, quando homo dimittit divitias voluntarias habitas, & habendas, & amore CHRISTI vult vivere in Paupertate. Iste gradus est major & istum habuerunt Apostoli Sancti, dicentes: *Ecce nos reliquimus omnia, Matth. 19.* Non dicit: *Omnia dereliquerunt nos*; sed: *nos reliquimus omnia.* Si non habebant omnia, quomodo reliquerunt omnia? Responsio. Reliquerunt omnia, quæ habebant, & etiam omnia illa, quæ poterant habere, & voluntatem habendi.*

§. VI.

Quid de Paupertate cum universali omnium abdicatione aliqui Sancti, gravissimique Authores censuerint.

1092 S. HIERONYMUS *epist. ad Iulianum*, hac Paupertate ad perfectionem, & Apostolicæ Dignitatis apicem deveniri tradit: **Vade*, inquit, *& vende*, non partem substantiæ, sed *universa, quæ possides.* (Et *infrà*:) Et, vt verus Levita, nihil de terrena hæreditate possideas, & hortor, si vis esse perfectus, si Apostolicæ Dignitatis culmen cupis, si sublata Cruce, CHRISTVM sequi, &c.* Et *in Epist. ad Pammachium*, de eadem Paupertatis specie sic loquitur: **si vis* ergo *perfectus esse*, & desideras esse, quod Prophetæ, quod Apostoli, quod CHRITVS, *vende*, non partem substantiæ, sed *universa, quæ possides*, & cum vendideris, *da Pauperibus.** Cum autem omnia vendere, & dare, sit, nihil sibi proprium retinere, nec in speciali, nec in communi, hinc fit juxta D. Hieronymum, hanc Paupertatis speciem ad Evangelicam perfectionem spectare, quam CHRISTVS, Apostoli, & etiam Prophetæ verbo, & exemplo nos docuerunt.

1093 Sanctus AVGVSTINVS eamdem sententiam sequutus, *de Bono Conjugali, cap. 8.* *Bonum, inquit, erat, quod faciebant, qui de substantia sua CHRISTO, ac Discipulis suis necessaria ministrabant; sed melius, qui omnem substantiam suam dimiserunt, vt expeditiores eumdem sequerentur.*

1094 ANGELICUS DOCTOR *opusc. 17. cap. 15.* docet ad Evangelicæ perfectionis fastigium pervenire, qui propter CHRISTUM vniversaliter omnia abdicarit: *Manifestum est autem, inquit, nec alicui Christiano debet venire in dubium, quòd CHRISTUS summam perfectionem docebat: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus, & veni, & sequere me.* In quo est perfectionis summa, vt Hieronymus dicit. (Et *infrà*:) Est ea igitur summa Paupertatis perfectio, vt ad exemplum CHRISTI aliqui homines possessionibus careant.*

1095 Et *cap. 14. ejusdem opusculi contra Guillelmum à Sanctoamore*, præmittens contrariæ sententiæ rationes: *Nunc restat, inquit, considerandum, quomodo homines à Religione retrahere conantur, Religionis perfectioni derogando, maximè eorum, qui communes possessiones non habent. (Vt per id temporis erant Religio Franciscana, Dominicana, & aliæ Mendicantes. Adductis ergo, rationibus in contrarium, subjungit *in fine.*) Ex his igitur derogare nituntur perfectioni, possessiones non habentium in communi.*

1096 *Cap.* autem 15. de eadem Paupertate cum omnium abdicatione, sic scribit: *Hæc autem Paupertas ad perfectionem pertinet, quam Dominus & verbo docuit, & exemplo monstravit. Pertinet igitur, ad perfectionem Christianæ vitæ terrenis possessionibus omninò carere.* Et *infrà* idem SANCTVS DOCTOR Ad rigorem Evangelicæ perfectionis pertinere, inquit, quod aliquis careat omni terrena possessione. Inferiùs autē exemplo Apostolorum probat, Evangelicæ vitæ observantiam esse communibus possessionibus carere, aliaque id genus, de quibus infrà vlteriùs acturi sumus.

1097 Pro hac vniversali omnium rerum abdicatione mirificè discurrit S. BONAVENTURA *opus. de Paupertate CHRISTI quæst. 1. art. 2. in fine*, vbi sic concludit: *Si quis ergo impugnat rerum temporalium vniversalem abrenuntiationem, impugnat CHRISTVM Pauperem, Crucifixum; impugnat Evangelicum consilium; impugnat cętum Apostolorum, dicentium: *Ecce nos reliquimus omnia*; impugnat Spiritum Sanctum, qui hoc inspirat.* Et *in Apologia Pauperum* damnat erroris, & blasphemiæ oppositam opinionem, quam Guillelmus à Sanctoamore tuebatur.

Ip-

1098 Ipse S. BONAVENTVRA *in laudato opusculo, de Paupertate CHRISTI contra Guillelmum à Sanctoamore*, contendentem, renuntiare omnibus, tàm in privato, quàm in communi, ad perfectionem minimè pertinere; imò Paupertati, & Evangelicę perfectioni derogare, propositæ difficultati respondet: abrenuntiare omnibus, tàm in privato, quàm in communi, esse privatæ perfectionis, tamquam Evangelicæ perfectionis consilium, & principium fundamentale. Quod multis probat ibi.

1099 Et *infrà*, sic concludit: *Est igitur perfectionis Christianæ pro CHRISTO nihil in mundo possidere, nec in communi, nec in proprio. Idem Dominus expressissimè consulit. Idem exemplo in semetipso ostendit. Idem Spiritus Sanctus in Sanctis hoc multipliciter persuasit.*

1100 Idipsum docuit ALEXANDER ALENSIS 4. *part. quæst.* 30. *Memb.* 2. *art.* 2. *in responsione ad oppositæ sententiæ argumenta*, dicens: *Ex his appareret evidenter, quòd omninò omnibus universaliter abrenuntiare pro CHRISTO culpandum non est, sed potius laudandum, tamquam culmen perfectionis Evangelicę: Vndè rationes, exempla, authoritates, concedendæ sunt ad istam partem, ad quam sufficientissimè adstruendam vna sola Authoritas ex ore CHRISTI, consulens *dimittere omnia*, esset sufficientissima. (Et *paulò infrà*:) Igitur quoniam Divina Authoritas sic expressè dicit, omnia dimittenda ei, qui vult ad perfectionem conscendere Evangelicam, manifestum est, quòd verum istud, ita certitudinaliter debet teneri, quòd ei non possit sine periculo Fidei obviari.*

1101 HENRICUS DE GANDAVO, magni nominis, & doctrinę Scriptor, *quodlib.* 7. *quæst.* 29. *in resolutione*: *Re vera, inquit, nihil vniversaliter habere, nisi ad vsum, & ab omni dominio possessorum, & possidendorum se expedire per omnimodam abdicationem, multum de illa solicitudine subtrahit, quæ consistit in possidendo mobilia tantùm, aut cum illis etiam immobilia. Igitur si aspiciamus ad abdicationem, & solicitudinem, quæ nata est, esse in temporalia possidendo, dicendum est, quòd multo perfectior est status nihil habentium, nec in proprio, nec in communi, quàm, aliquid habentium; & magis sunt quoad hoc isti expediti ad convertendum totum amorem suum in Deum, quàm alii. Propter quod Nicolaus Papa *in expositione Regulæ prædictæ* dicit, quòd abdicatio proprietatis omnium rerum, tàm in speciali, quàm in communi propter Deum, meritoria est, & sancta, quam & CHRISTVS, viam perfectionis, ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit.* Prosequitur vlterius Henricus, transcribens reliqua ipsius Decretalis, quę ad rem faciunt, & mox subdit: *Ecce, quæ dicit, & proculdubio verum dicit, Regulam talem quoad hujusmodi abdicationem meritoriam, & perfectam, & non solùm meritoriam, sed eò magis meritoriam, quò scilicet per ipsam professores ipsius magis à temporalibus propter Deum elongantur, &c.* (Et *infrà*, ve ba sunt Nicolai:) *Et ex hoc in rei veritate magis perfectam, imò simpliciter perfectam, quantum est de perfectione Regulæ ex parte contentorum in illa.* Hęc Henricus.

1102 B. AVGVSTINVS TRIVMPHVS, singulari pietate, & doctrina clarissimus, *de Potest. Eccles. quæs.* 105. *art.* 1. ita differit: *In Paupertate voluntaria propter CHRISTVM assumpta, in qua consistit perfectionis status, quatuor modi inveniuntur secundum Hieronymum; Primus modus fuit Apostolorum, & aliorum Fidelium in primitiva Ecclesia, qui vendebant possessiones, & de pretio ipsarum providebatur vnicuique, sicut opus erat; Secundus modus fuit, & est quorumdam Monachorum, qui habentes possessiones in communi, de fructibus, & proventibus ipsarum providentur omnibus necessaria vitę: Nullus namque debet eligere talem Paupertatem, in qua subtrahat sibi possibilitatem providendi in necessariis; Tertius modus fuit, & est adhùc, quorumdam Religiosorum, qui mundum spernentes, de labore manuum suarum, victum, & vestitum, & alia necessaria eis subministrant, quomodo Apostolus vsus est quandoque, nè offendiculum daret Evangelio.*

1103 Quartus modus est quorumdam Religiosorum Mendicantium, qui spiritualibus vacantes, & doctrinam Evangelicam prędicantes, de his, quæ à personis fidelibus offeruntur, in voluntaria Paupertate vivunt. Quamvis ergo omnes isti modi vivendi in voluntaria Paupertate sint

boni,

boni, & meritorii: iste tamen quartus perfectior, & securior esse dicitur, propter quatuor. Primò: quia sollicitudinem temporalium minus habet annexam, quam alii modi. Secundò: quia ad spiritualium contemplationem majorem dispositionem habet conjunctam. Tertiò: quia in recompensatione eorum, quæ recipiunt, majora bona subministrant. Quartò: quia ad imitationē modi vivendi CHRISTI, & Apostolorum majorem conformitatem habet. Scribitur enim *Luc.*8. quòd *mulieres multæ sequebantur CHRISTVM, ministrantes sibi de facultatibus suis.**

1104 Idipsum eleganter confirmat, quod adnotavit ORIGENES *hom.*16 *in Genes.* vbi observat magnum discrimen inter Dei, & Pharaonis Sacerdotes: illis enim datum erat terrenas possessiones habere; at qui, vt CHRISTI Discipuli, vivere desiderant, & Evangelicam perfectionem, istiusque consilia imitari, nihil proprium habere debent, sed omnium rerum abdicationem amplecti. Illius verba audiamus: * Vis scire, quid interfit inter Sacerdotes Dei, & Sacerdotes Pharaonis. Pharao terras concedit Sacerdotibus suis; Dominus autem Sacerdotibus suis partem non concedit in terra, sed dicit eis: *Ego sum pars vestra. Numer.* 18. (*Et paulò infrà*:) Ille enim est, qui vult, Sacerdotes suos habere possessiones terrarum, & exercere agri, non animi culturam, ruri, & non legi operam dare; CHRISTVS autem, Dominus noster, Sacerdotibus suis quid præcepit audiamus: *Qui non abrenuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Lucæ* 14. Contremisco hęc dicens, &c. Negat CHRISTVS suum esse Discipulum, quem viderit aliquid possidentem, & *eum qui non renuntiat omnibus, quæ possidet.* Et quid agimus? Quomodo hæc, aut ipsi legimus, aut populis exponimus, qui non solùm non renuntiamus his, quæ possidemus, sed, & acquirere volumus, quæ numquam habuimus, antequam veniremus ad CHRISTVM? Numquid, non quia nos redarguit conscientia, tegere, & non proferre quę scripta sunt possumus? Nolo dupli citatis criminis fieri reus.

1105 Confiteor hęc palam, Populo audiente. Confiteor, hęc scripta esse, etiam si nondum implesse me novi. Sed ex hoc saltem commoniti festinemus implere; festinemus transire à Sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad Sacerdotes Domini, quibus in terra pars non est, quibus portio Dominus est. Talis enim erat ille, qui dicebat: *Tanquam egentes, multos autem locupletantes::: vt nihil habentes, & omnia possidentes* (1. *ad Corinth.*6.) Paulus hic est, qui in talibus gloriatur. Uis audire, quid etiam, Petrus de se ipso pronuntiet? Audite eum cum Joanne pariter profitentem, & dicentem: *Aurum, & argentum non habeo, sed quod habeo, hoc tibi do: In nomine IESV CHRISTI surge, & ambula.* Vides Sacerdotum CHRISTI divitias, vides non habentes quanta, & qualia largiuntur, istas opes largiri non potest terrena possessio.*

§. VII.

Quale Sancti, aliique Sanctitatis opinione florentes ad imitationem CHRISTI, & Apostolorum, de Paupertate cum omnis proprietatis abdicatione vniversali, nobis reliquerint exemplum?

1106 CVm omnes Viros sanctitate illustres, qui se se in eo strictissimè paupertatis genere exercuerunt, in mediū producere penè sit impossibile, principaliora tantū, ac nobiliora aliquorū exēpla libabimus. Præclarum nobis hujusmodi Paupertatis specimen exhibet ELIAS 3. *Reg.*17. de quo Sanctus AVGVSTINVS *in quodam sermone:* *Numquid, inquit, Deus deseruerat servum suum Eliam? Nonnè illi, cui deerant homines, ministrabant aves? Ostendit ergo Deus quia vndè voluit, & quando voluit pascere servos suos, potuit; & tamen, vt posset cū religiosa vidua pascere, fecit eum egere.*

1107 Illustre etiam hujus veritatis exemplum nobis perhibent Sancti JOANNIS EVANGELISTÆ DISCIPULI, de quibus *in ejus Legenda* dicitur: vendentes omnia, quæ habere potuerunt, dedisse egenis; posteaque subditum, tentatos fuisse, quod se in vno pallio viderunt egentes, servos autem suos divites, atque fulgentes, prout scribit S. BONAVENTVRA *opusc. de Pauper. CHRISTI, contra Magist. Guillelmum.* Hûc etiam facit illud quod refert S. CHRYSOSTOMVS

de Laudibus Pauli 1. *ad Corinth.* 4. *Paulus pecunias non possedit; nam & ipse hoc testatur: *Vsque ad hanc*, inquit, *horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cedimur, & instabiles sumus*; & quid dico pecuniam, cum ille quidem necessarium sæpè non haberet cibum, nec quo circumdaretur indumentum? (Et prosequitur:) Discipulorũ, quàm plurimi Pauperes, imperiti, ac totius eruditionis extranei in fame, & egestate viventes, ignobiles, &c.* Vndè sequitur, Discipulos Pauli cum maxima rerum egestate, ac indigentia, abdicationeque omnis proprietatis vixisse.

1108 Summam etiam Paupertatem, quam CHRISTVS in Evangelio docuit, nobis exemplo commendavit Apostolus BARNABAS. Cum enim CHRISTUM Dominum docentem audisset, vt quicumque numquam deficientem in Cœlis thesaurum invenire vellet, venderet quæ possideret, faceretque sibi sacculos, qui nõ veterascunt, Barnabas nihil moratus pretiosissima cuncta à parentibus sibi relicta vendidit, & egentibus distribuit. Vnico tantûm agro in alimentum sibi reservato. Postquam verò à morte, & Resurrectione Domini vberiori Spiritus Sancti gratia afflatus fuisset, illum etiam agrum vendidit, pretiumque ad pedes Discipulorum deposuit; ac exemplo suo omnes ad eamdem virtutem allexit; vt ex METAPHRASTE scribit Cardinalis BARONIUS *tom.* 1. *anno Domini* 34. & SVRIVS *die* 11. *Iunii.*

1109 Post Sanctissimos Apostolos ad eorum imitationem, egregium hujus Evangelicæ Paupertatis, & perfectionis exemplum nobis reliquerunt primævi illi Sancti, qui Ægypti æremum incoluerunt, vt S. ANTONIVS Abbas, de quo D. ATHANASIUS *in ejus vita* hæc enarrat. *Post mortem parentum *annorum* circiter 18. seu 20. sorore admodum parvula derelictus, & domus, & sororis honestam curam gerebat. Necdùm verò sex fluxerunt menses, quibus ad Ecclesiam, vt solebat, accurrens, recordabatur quomodo & Apostoli, omnibus spretis, sequuti fuissent Salvatorem, vt legitur *in Actibus Apostolorum*, facultatibus suis venditis, pretia ad pedes eorum detulissent, egentibus partienda, quævè, aut quanta spes iisdem reposita esset in Cœlis. Talia secum voluens, intravit Ecclesiam, & accidit, vt tùnc legeretur Evangelium, in quo Dominus dicit ad divitem: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua quæcumque habes, & da Pauperibus, & veni, & sequere me, & habebis thesaurum in Cœlo.*

1110 Quò audito, quasi divinitùs hujusmodi ante memoriam concepisset, & veluti propter se hæc essent ê Scriptura recitata, ad se Dominicum traxit imperium, statimque regressus, possessiones, quas habebat, vendidit; erant autem ei trecentæ palmæ vberes, & valdè opimę, quas vicinis largitus est, nè in aliqno, aut sibi, aut sorori molestia gigneretur. Cætera verò, quæ in mobilibus possidebat, vniversa vendidit, & aggregato non exiguo pretio, indigentibus dedit, paucis tamen ob sororem reservatis, quæ & sexu, & ętate videbatur infirmior. Rursus autem Ecclesiam ingressus, cum audisset Dominum in Evangelio, dicentem *Matth. 6. Nolite cogitare de crastino*, reliquam quoque portionem Pauperibus distribuit, neque se versari passus est domi: sed sorore fidelibus, ac notis Virginibus commendata, vt earum nutriretur exemplo, ipse jam omnibus sæculi vinculis liber, asperum, atque arduum arripuit institutum.*

1111 In strictissimæ hujus Paupertatis, & indigentiæ commendationem egregiè facit illud D. HIERONYMI de Paupertate, & aspero Pauli eremitę vestitu: quoties enim de illo verba faciebat, toties in hanc vocem erupisse narratur: * Si Dominus mihi optionem daret, multò magis eligerem tunicam Pauli (quàm ipse ex palmæ foliis sibi contexuerat) cum suis meritis, quàm Regum purpuram cum suis pœnis.* Vt colligitur ex eodem in vita Pauli.

1112 Memorabile etiam est illud summæ Paupertatis, ac rerum omnium abdicationis exemplum, quod nobis dedit S. HILARION, cui tametsi pœnè nihil esset, cum tamen nihil appeteret, nihil deerat. In secretiori Siciliæ angulo successivis temporibus ligna colligebat, quibus venditis vitam sustentaret, ac demum mereretur audire: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Detestabatur illos, qui infidelitatem quamdam præ se ferre videbantur, victui providentes in futurum: quasi quidquam deesse

pos-

possit Deo servientibus, cum nequam sæculo servientibus non desit. Spiritum Domino redditurus, jam octogenarius, ad Helichium, Discipulum suum, scribit, in hęc verba: *Divitiarum mearum hęres estò. Hæ autem sunt, Evangelium, tunica saccea, cuculla, & palliolum.* MARVLLUS *lib.* 1. *cap.* 8. ex D. HIERONYMO.

1113 THEODORETVS, Cyrensis Episcopus, Apostolicam Paupertatem amplexus fuit, vt haud leviter colligitur *ex ipsius epistola ad Leonem Papam*, ad quem hæc scripsisse fertur: * Quod autem, cum tot annos fuerim Episcopus, non domum possederim, non agrum, non obolum, non sepulchrum; sed spontè electam amplexus sim Paupertatem, & quæ nobis à parentibus obvenerunt post illorum mortem statim distribuerim, norunt omnes, qui in Oriente habitant.*

1114 Memoratu dignum, quod de summa Paupertate, omniumque rerum abdicatione, quam S. PAVLINVS enixè optabat, & Discipulos suos, vt eam imitarentur, vehementer hortabatur, refert S. MARTINUS, testè SEVERO SVLPITIO *in vita S. Martini* his verbis: *Sermo Martini non alius apud nos fuit, quàm mundi hujus illecebras, & sæculi onera relinquenda; vt Dominum IESVM liberi, expeditique sequeremur: præstantissimũque nobis præsentium temporum illustris Viri Paulini exemplum ingerebat, qui summis opibus abiectis, CHRISTVM sequutus, solus pęnè his temporibus Evangelica præcepta complesset. Illum nobis sequendum, illum clamabat imitandum, beatumque esse præsens sæculum, tantæ fidei, virtutisque documento, cum secundum Sententiam Domini, dives, & possidẽs multa, vendendo omnia, & dando Pauperibus, quod erat facto impossibile, possibile fecisset exemplo.*

1115 S. GREGORIUS Turonensis, *de Glor. Confes. cap.* 107. de eodem S. Paulino Nolano hæc notanda narrat: *Sed cum primùm aures ejus Evangeliorum lectio penetravit, in qua Dominus adolescentẽ pro divitiis, arguit, dicens: *Vade, & vende omnia, quæ habes, &c. Matth.* 19. Statim, venditis omnibus, quæ habebat, Pauperibus erogavit. Exoneratus à cunctis cupiditatibus Magistrum liber sequitur, per hæc se putans Paradisi divitiis locupletari, si videretur nihil de transitoriis possidere. Cui Majestas Divina tribuit, vt quod in possibile dixerat per Evangelium, hic possibiliter adimplere mereretur per actum.*

1116 Simile de Sancto MARTINO Paupertatis exemplum memoriæ prodidit DINAMIVS PATRITIVS *in ejus vita cap.* 3. * Porrò, inquit, etiam omnium facultatum suarum copiam deserens, Lirinense Monasterium petiit, vbi sempiternas divitias justus inveniret, Evangelica sequutus præcepta, sciens se perfectum fieri non posse, nisi venderet omnia sua, & à cunctis opibus alienum se faceret. In ea autem Congregatione, cum omnes perfecta Charitate diligeret, ipse itidem ab omnibus amabatur.*

1117 Hùc valdè spectat, quod de S. Babone commemorat THEODORICVS S. Trudonis Abbas, *in ejus vita cap.* 7. sic scribens: *Babo facta solemniter donatione, omnes possessiones suas ad loca Sanctorum contradere: peculiare, quod nullum, vel rarum, ex priori erogatione remanserat, in vsus Pauperum iterum contradere, nihil sibi ex omnibus reservare, sibi metipsi abrenũtiare, & Crucem CHRISTI lętis humeris portare. Laudent alii Pompejos, Metellos, & Marios: triumphali largitione auram popularem venantes: mihi videtur Pauper pro CHRISTO Babo plus laudandus, qui omnem gloriam suam habens ab intus, in triumphato sæculo præcones habuit Sanctorum Ecclesias, & mendicantium catervulas. Quid enim virtute mirabilius? Quid hac constantia robustius? Virum nobilis familiæ, & Senatorum genus, tàm obfirmato animo pompam sæculi, ac divitias, in quibus totus educatus fuerat, calcasse, vt tùm demum se æstimaret verè divitem, cum pro CHRISTO assumpsisset spontaneam Paupertatem. Alii pecunias mittant, & de superfluis suis ęra in Evangelicam corbonam proiiciant, testê veritate. (*Matth.* 12.) Nemo plus misit, quàm qui de omnibus nihil sibi retinuit.*

1118 De Sancto ROMVALDO idem THEODORICVS hæc ad rem nostram *in ejus vita cap.* 2. scribit: *Hic denique sceptro Regni potiturus erat, generis insignia, delitiarum commoda, Prælatus culmina lubrica æstimavit; & vt de bonis caducis, & transitoriis, fortunęque fallaci subiectis, ad immarcessibiles divitias men-

te aspiraret, voluntatia Paupertate Sacratissimus Dei servus, carnem propriam domans, mentem sinceram, & solidam creatori suo cum omni devotione dedicavit, vt in persona ejus impleretur, quod dictum est: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. &c.**

1119 De S. MALACHIA aliud imitatu dignum refert exemplum S. BERNARDVS *in illius Vita, cap.* 24. *A die primo conversionis suæ, vsque ad extremum vitæ sine proprio vixit, non servos, non ancillas, non villas, non vicuculos, non denique quidquam reddituum Ecclesiasticorum, sæculariumvê, vel in ipso habuit Episcopatu. Mensæ Episcopali nihil prorsus constitutum, vel assignatum, vndê Episcopus viveret: nec enim vel domum propriam habuit.*

1120 De JOANNE, Patriarcha Alexandrino, ejusque Paupertate cum omnium abdicatione hoc salutare nobis perhibetur exemplum; is enim, qui Pauperes dominos suos appellabat, non est hic silentio involuendus: *Cum enim ex hac vita migraret, haud parum lętatus fuisse, dicitur, dum gratias Deo ageret, quòd morienti sibi nihil supereset præter vnum nummum, quem statim indigenti dari prę-cepit. Annuum quippé illi Patriarchatus vectigal annuę in egenos eleemosynæ erãt, nihil sibi reservanti præter CHRISTUM. Neque enim quidquam aliud suum esse, ajebat, asserens, ideo Sacerdotibus, neque possessionem, neque partem, neque hæreditatem inter reliquas tribus datam; quoniam pars, & hæreditas, & possessio eorum est Dominus. Vê ergo vobis (ait* AMOS Propheta) *qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita Populorum, ingredientes pompaticè domum Israel.** IOANNES DIACONVS *in vita S. Gregorii Magni lib.* 2. *cap.* 60. BERNARDINUS ROSIGN. *de Actibus Virt. lib.* 1. *cap.* 20.

1121 Nec erit à nostro instituto alienum, in mediũ prodere illud eximię Paupertatis exemplar, Sanctum videlicet ALEXIUM nobis imitandum reliquit; cum enim esset nobilis Romanus, sub Honorio Principe, clã Patre Euphemiano, in Syriam abiens, in tãtum adamavit Paupertatem, vt gauderet se à servis Patris, qui ad querendum eum missi fuerant, non agnitum fuisse, & eleemosyna donatum. Ex his, quæ emendicabat in diem vivens, quidquid supererat, aliis impertiebat, nihil solicitus in crastinum. Talis vitę tenore cum septem decim annos in Syria peregisset, tandem proditus Romam rediit, & majoris etiam in Paupertate constantiæ exemplum domi, quàm foris dedit. In paternis enim ędibus pro mendico susceptus, nec vlli cognitus, nec ipse se prodens, totidem peregit annos. Mortuus postremò indicavit, quòd vivens celaverat. Relicto brevi Chirographo, quo quis esset, quidvè egisset descriptum continebatur, vt tùm demum se manifestum faciendo, cum pro temporali inopia divitias esset recepturus sempiternas, & Patri, adhûc orbitatem suam lugenti, causam præberet consolationis, & nobis materiam imitationis. METAPHRASTES *in ejus vita, apud* SVRIVM *tom.* 4. S. BONAVENTVRA, *opusculo, de Pauper. CHRISTI.*

1122 Inclytam summę, strictissimæque Evangelicæ Paupertatis normam S. MECHTILDIS, Regis Scotiæ filia, ejusque frater Regni hęres posteris exhibuerunt, testè THOMA CANTIPRATANO, Prædic. Ordinis Alumno B. ALBERTI MAGNI discipulo, ac Lusentino Episcopo: *Memorium, inquit, Illustrissimæ Virginis Mechtildis, quæ nostro tempore obdormisse probatur. Hæc filia Regis Scotiæ, vt probabili relatione didicimus, quatuor fratres habuit; vnum Ducem, qui relicta vxore pro CHRISTO Pauperrimus exulavit; item alium Comitem, qui vitam Eremiticam duxit; Item Archiepiscopum, qui relicto regimine Ordinem Cistertiensem intravit; Quartus fuit Alexander Junior frater, annorum sexdecim, quem cum Pater Rex regnare cogeret, Mechtildis, soror ejus, Virgo viginti tantum annorum dixit ei: Alexander, frater charissime, quid nunc ages? Fratres tui, majores natu, mundum, terramque deseruerunt, vt Cœlum acquirerent: Regnum spreverunt mortale, vt regna perpetua possiderent. Tibi ergo soli regnum relictum est; pro quo es, & cęlestem gloriam, & animam perditurus. Nec mora Alexander resolutus in fletus: Heu, ait, soror, quid cõsulis facere? Ego paratus sum, quidquid jusseris adimplere. Quo audito, gavisa soror, accepit fratrem, & mutato habitu, ad remotiora traduxit, vbi cum, & mul-*

ge-

gere vaccas, & lac, ac coagulum coadunare, & caseos optimos facere docuit.

1123 Indè venerunt in Gallias ad Phonii claustrum, Ordinis Cistertiensis, vbi soror locavit fratrem pro mulsore vaccarum, & probatus inventus est in optimis caseis faciendis. Hinc Monasterii fratrem conversum factum soror alloquitur, dicens: Multum, charissime frater, apud Dominum meritum acquirimus, quòd terram, parentesque dimisimus, sed in hoc speciali ssimam remunerationem habebimus, si vsque ad tempus futurum, quo nos invicem in Cœlo ad consolationem perpetuam videamus, ad præsens nos, vt nullus nostrum alterum amplius videat, ab invicem sequestremus. Hoc audito, flevit frater, gravius istud ducens omnibus, quæ dimisit; & licet invitus, imperat animo, & à sorore totaliter separatur. Illa autem ad novem milliaria in villam, quæ dicitur *Lapion*, ibidem mansura, secessit, domunculamque parvulam habens, quasi aucarum tugurium, solùm manuum labore vivebat; domum eleemosynamvè alicujus accipere nec cogi poterat, nec rogari. Cum cæteris Pauperibus in Augusto spicas colligere recusabat, sed extrema cum porcis, quæ evaserant decipientium manus, rarissimè colligebat. Vix aliud substratum habebat membris: & caput jacens humeris æquatum; cibum, & potum incumbens callosis genibus capiebat. Hoc idê & in prolixissimis orationibus faciebat. In precibus multoties ita à sensibus abstracta erat, vt nec coruscationes adverteret, nec tonitrua audiret.* Hæc CANTIPRATANVS.

1124 Nec minus memorandum illud Paupertatis, & maximæ omnium abdicationis pro CHRISTO specimen, quod posteritati præbuit S. PAVLVS, Virdunensis Episcopus, de quo SVRIVS *in Vitis Sanctorum*, seu potius ejus compilator FRANCISCUS HARÆVS, hæc tradit: *B. Paulus, Virdunensis Ecclesiæ Præsul in Gallia Belgica, parentibus ortus est non infima dignitate. Porrò verò in ipsis annis teneris Artium Liberalium studiis adhibitus est, & brevi tempore eos habuit progressus, vt humanioribus disciplinis sic satis instructus videretur: in Templis quidem, & Monasteriis iis, quæ ad Divinum Cultum pertinent, intentus sedulò, benignê verò opem ferens miseris, & pressis inopia adeò, vt nihil sibi præter ea, quæ sunt ad victum, cultumque corporis necessaria, retinens, facultates suas omnes in egenos, morbidos, nudos, aliisque calamitatibus obnoxios conferret; nihil de crastino sollicitus, vacansque interim jejuniis ipse, & precibus. Quibus omnibus, velut calcaria ejus ferventis voluntati se adhibentibus, inusitatæ peregrinationis sibi ipsi laborem indixit, oblitusque generis antiqua stemmata, relictisque charissimis parentibus, tandem ad eremum Vosagi pervenit, eamque ingreditur. Habitant in ea solitudine multi Anachoretæ, distinctis cellulis, in arctissimo silentio, atque horum quidem vivendi consuetudinem Paulus modis omnibus amplecti voluit; sed, quoniam non est in hominis potestate vita eius, longê aliter evenit, atque ille putarat, hoc est, vt potiùs futurus quandoque Pontifex, & Pastor, Divina id agente Providentia, ad Cœnobium perveniret.* Quo in Monasterio, Hospitii causa adventans, Monasticum induit habitum, &, vt verus CHRISTI servus, illi Sanctorum Congregationi adjungitur, & cum ipsius virtutum fama longè, latèque increbuisset, Dagoberti Regis nepos, cujus hoc Monasterium erat jure hereditario, instituit, vt ad Virdunensem Ecclesiam meritis clarus promoveretur, quam mirificè rexit, in eaque virtutibus, & miraculis conspicuus æternam gloriam promeruit.

1125 Præclaram quoque abdicandi omnia propter CHRISTVM nobis suppeditat formam S. BENEDICTVS, vt testatur S. BONAVENTVRA *opusc. de Pauper.* CHRISTI, suprà laudato, his verbis: *Item ad hoc est exemplum de B. Benedicto, de quo legitur *in* 2. *Dialogorum, cap.* 1. quòd per triennium fuit in specu, nihil omninò operans, sed Romanus quidam Monachus sibi panem ministrabat; & constat, quòd Benedictus in hoc non peccabat.*

1126 Notandum admodum quod refert EVAGRIVS apud NICEPHORVM *lib.* 11. *cap.* 43. dicens: *Ex fratribus quidam vnicum Evangelii librum in bonis suis habuit, quo & ipso vendito, pretium ejus ad esurientium alimenta dedit, memoria digno verbo illa addito: *Propter illud oraculum librum vendidi, quòd dicit: Vende omnia quæ habes, & da Pauperibus.**

1127 CYRILLVS, Eremita de S.

SA-

SABA *in ejus Vita cap.* 12. hęc prodidit.* Cum nescirent ergo Parentes quid agerent, cessarunt filij constantiæ, & tamdem vel inviti concesserunt quidem vt abiret: eum autem vehementer rogarunt, vt suę pecuniæ acciperet aliquid ad parādum viaticum, quo opus habet peregrinatio, atque illi quidem prompto, & alacri animo Sabæ præbebant viginti aureos: ipse vix tribus acceptis, eisque, quod rogarunt parentes, nè eos despiceret, solvit Alexandriā vnà cum Ioanne. Quod autem propter parentes, eos tres aureos acceperit, non est procul quærenda probatio; cum enim jam venisset in Monasterium, eos ferens, dat in manus Theoctisto, ipse nihil volens habere proprium, & alioqui, nè malignus hinc acciperet occasionem suggerendi ei cogitationem avaritię.*

1128 GREGORIVS ALEXANDRINVS, eximiæ Paupertatis exemplar nobis imitandum proponit in S. IOANNE CHRYSOSTOMO *in ejus vita* hęc scribens: *Excurso non ita multo post tempore, ipsius beata Mater finem vitæ accepit, & relictis ei divitiis permultis, in auro, vestè pretiosa, prædiis, mancipiis, jumentis, aliisque id genus pecudibus, ac perquàm multis facultatibus; sanè quidē aurum in Pauperes, & indigentes incunctāter dilargitus est. Quod autem nulla insigni nota erat percussum in Ecclesias dispartivit, ac finitima Monasteria, proximè adjacentia Civitati, ad exornandas pretiosas reliquias: servos, & ancillas, ad vnum omnes servitutis vinculo emancipatos asseruit libertati. His tamdem exolutus vinculis negotiorum superfluam mentem vrgentium, quidquid resederat è suis facultatibus, in vsum Civitatis distribuit, vt vacuus maximè esset ab omni intemperie, & molestia exactorum publici tributi.*

1129 Nec minorem promeretur memoriam egregium illud Apostolicæ Paupertatis signum, quod nobis exhibuit S. IOANNES DAMASCENVS, prout testatur IOANNES, Patriarcha Ierosolymitanus, *in ejus vita cap.* 16. *Cum duæ ipsi Dominicæ Sententiæ propositæ essent, altera, quæ hoc statueret, vt facultates suas venderet, ac Pauperibus distribueret; altera, vt domos, & agros aliaque omnia Domini causa relinqueret, ita se comparavit, vt nec in priori temporis aliquid sibi tenendum putaret, nè fortasse ea res, ipsi moram afferret: nec item in secundò, nè si facultates suas temerè reliqueret, inter eos, qui sanguine ipsi conjuncti erant, lites, atque confictiones orirentur; aliis nimirum aliud quoddam hęreditatis capessendæ jus proferentibus. Verùm inter vtrumque graditur, atque confestim bonis suis in Pauperes, captivos, servos suos (quos etiam libertate donaverat) & cognatos distributis, atque Divinis Templis consecratis, quemadmodum ex Matris suę vtero nudus exierat, sic etiam, necessariis indumentis exceptis, nudus è mundo excessit, ac Ierosolymam profectus, cum in venerandis locis adorationis munere, vt par erat, perfunctus fuisset, tamquam servus, Divina sibi flagrans, in solitudinem contendit, atque ad Divini Viri Sabę Lauram se confert, comitem ac socium, non itineris dumtaxat, sed instituti etiam Cosmam habens.*

1130 THEODORUS STVDITES *in orat. funeb. S. Platonis, cap. 9.* hęc Apostolicæ Paupertatis memoranda prodit: *Cum omnia, & paternam etiam domum, vendidisset, Pauperibusque pecuniam distribuisset, ac servos ipsos libertate donasset, & duabus sororibus, pauca quædam reliquisset, exiit é loco, in quo erat, eo proposito, quo Abraham olim exierat (*Gen. 12.*) talem ad perfectam veramque in patrem benevolentiam ostendendam se præstabat, vt cum paterna quidem omnia officia in potestate haberet, animum ipsum à terrenarum rerum amore sic alienum servaret, vt non oboli quidem vnius esset dominus.*

1131 Nec silentio prætereundus præclarissimus ille Evangelicæ Paupertatis imitator S. SERAPION, de quo D. HIERONYMUS *in Vitis Patrum, lib.* 1. *in Vita S. Ioannis Eleemosynarii, cap.* 31. sic scribit: *Omnibus ergo rectis moribus iste Sanctus (Ioannes) adornatus, nec hoc carebat: valdé enim diligebat, eloqui de actibus Sanctorum Patrum, & eorum, qui eleemosynæ cultores fuerunt: vndè cum vna dierum recitaret de vita Sancti Serapionis, qui vocabatur *Sydonius*, & inveniret eum (vt fertur) amictum suum dedisse egeno, & iterum paululum processisse illinc, & frigus patienti obviasse, & illi tunicam præbuisse; & quia nudus sedebat tenens Sanctum Evangelium, & interrogatus à quodam: Quis te expoliavit Abba-*

de:

demonstrans Sanctum Evangelium ait: Iste. Et alio tempore hoc ipsum Evangelium vendidisse, & dedisse eleemosynam, & discipulo suo dicente: Abba, Evangelium vbi est? & illo dicente ad eum: Crede fili, quia dixit mihi: *Vende quæ habes, & da Pauperibus*, ipsum vendidi, & dedi eis, vt in die judicii habeamus fiduciam abundantiorem apud Deum; & quia aliàs iterum vidua mulier petiisset ab eodem S. Serapione eleemosynam, quoniam esuriebat filius ejus, & non habente eo aliquid omninò, traddidit se ei, vt venderet eum ad mimos Græcos, quos & Christianos fecit in paucis diebus.*

1132 Eamdem Apostolicam Paupertatem amplexa fuit, nobisque suo exemplo imitandam reliquit S. MELANIA, de qua MARTYROLOGIUM ROMANUM *die* 31. *Decembris* hęc habet: *Eodem die (inquit) S. Melaniæ junioris, quæ cum Viro suo Piniano Roma abscedens, & Ierosolymam proficiscens, ibi inter fœminas Deo sacras, bis inter Monachos Religiosam vitam exercuit, & ambo sancto fine quieverunt.* De hac Melania Juniori, vt notat BARONIVS, agunt hac die Græci. Res ejus gestas, ex Antiquis monumẽtis decerptas edidit METAPHRASTES; descripsit LIPPOMANUS *tom.* 5. de qua etiam PALLADIVS *cap.* 33. S. AUGVSTINUS *epist.* 224. 225. & 227. & S. HIERONYMUS *epist.* 79. Inter ejus acta nobilius illud celeberrimum non prętermittimus, quòd Volusianum Patrem, Romanorum nobilissimum, quem vt ad CHRISTUM converteret S. Augustinus tantopere laboravit (vt ad eum, & ab eo scriptę *epistolæ* 1. 2. 3. & 4. indicant,) illum inquam disertissimum Virum, & à Christiana lege alienissimum, tamdem ipsa Melania CHRISTO subegit, vt ejus Acta testantur.

1133 De eadem S. Melania mirandum ad modum summæ Paupertatis, ac omnium rerum abdicationis exemplum scribit PALLADIVS, *cap.* 119. dicens: *Vigesimo ergo suæ ętatis anno mundo renuntiat; & primum quidem omnia sua serica superhumeralia tegumenta dedit Altaribus, reliqua autem serica indumenta cum conscidisset, res diversas fecit Ecclesiasticas; argentum autem, & aurum, cum credidisset cuidam Paulo Presbytero Monacho, id per mare misit ad Orientem; atque Ægypto quidem, & Thebaidi decies mille nummos; Antiochiæ autem, & ejus partibus nummos decies mille; Palestinæ nummos decies mille distribuit. Ecclesiis autem, quæ sunt in Occidente, & Monasteriis, & Xenodochiis, & omnibus egentibus per se ipsam suppeditavit his quadruplo plura. Liberavit autem servorum, qui voluerunt, seu maluerunt manere cum fratre ejus. Omnes autem possessiones, quas habuit in Hispania, & in Gallia, & in aliis Civitatibus, cum vendidisset eas, ad tres vsque nummos distribuit: Quæ autem habebat in Sicilia, Campania, & Africa, sibi reliquit, vt suppeditare posset Monasteriis, & egenis. Hæc est sapientia in primis Religiosæ, & quę mentem senilem susceperat de pecunię materia, Melaniæ Junioris.* Hæc ille.

1134 SIMEON METAPHRASTES de eadem Sancta MELANIA, ejusque viro Paniano hæc enarrat: *Cum autem prędari sua cępissent, vt volebant, dispensare; non longo ab hinc tempore magnas illas suas pecunias in Pauperes exhausẽrũt; neque enim vllus alius excepto Imperatore de divitiis cum eis contendisset: tàm magna vis pecunię, & propè incredibilis ex agris eorum quotannis redibat, auri, vt ajunt, duodecim millia; illi autem hoc vniversum distribuebant Pauperibus, atque illos ipsos agros postea vendiderunt: Hoc verò est argumentum eorum divitiarum; eorum enim domum, quæ erat adeò splendida, & magnifica, nullus Romanorum potuit justo pretio emere.* (Et *infrà*:) *Melania autem non solum, quod ad se attinebat, libenter faciebat: sed etiam maritum faciebat participem sui instituti.*

1135 Insigne Evangelicæ Paupertatis, summęque omnium abdicationis exemplum nobis suppeditat S. EPHREM, testẽ eodem METAPHRASTE, qui *in ejus vita* hæc litteris consignavit: *Ephrem numquam fuit crumena, non virga, non pera, neque aurum, neque argentum, sed nec in terra vllam habuit possessionem: bonum enim Regem audivi, inquit, in suis Evangeliis præcipientem: nihil in terra possideritis, quo circa nec affectione quidem tale quid habuit.*

1136 Nec modicum strictissimæ Paupertatis, & Apostolicæ abrenuntiationis documentum nobis exhibuit S. CYPRIANVS, de quo PONTIVS DIACONUS

in

in ejus Vita hæc, inter alia, affirmat: * Deindè, quod majus est, cum de lectione Divina, quædam jam non pro conditione nativitatis, sed pro fidei festinatione didicisset, statim rapuit quod invenit pro merendo Domino profuturum: distractis rebus suis ad indigentiam multorum Pauperum sustentandam tota prædia pretio dispensans, duo bona simul junxit, vt & ambitionem sæculi sperneret, qua pernitiosius nihil est, & misericordiam, quam Deus etiam sacrificiis prætulit, quam nec ille, qui legis mandata servasse dixerat, fecit, impleret, & prępropera velocitate pietatis pęnè ante cępit perfectus esse, quàm disceret.*

1137 Similè quid habemus de D. AVGVSTINO, de quo POSSIDIVS, Calamensis Antistes, *in ejus vita, cap.* 2. hæc litterariis monumentis consecravit: *Mox (post Baptismum) ex intimis cordis medullis ad Deum conversus, spem omnem, quam habebat in sæculo dereliquit, jam non vxorem, non filios carnis, non divitias, non honores sęculi quærens, sed soli Deo cum suis servire statuit, in illo, & ex illo pusillo grege esse studens, quem Dominus alloquitur, dicens: *Nolite timere pusillus grex; quoniam complacuit Patri vestro dare vobis Regnum: Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam: facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesauros non deficientes in Cœlis, &c.* Et illud, quod dicit Dominus idem Vir Sanctus facere cupiens: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlis, & veni sequere me,* &c. (Et *cap.* 5. idem Author:) Factus ergo Presbyter (ait) Monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei servis vivere cępit, secundum modum, & regulam sub Sanctis Apostolis constitutam.* Tantamque vsque ad vltimum vitæ extremum Paupertatem observavit, vt idem Author, *cap.* 31. hæc notanda dixerit: *Testamentum nullum fecit, quia vndè faceret Pauper CHRISTI non habuit.*

1138 Nec pro hac eadem Evangelicæ Paupertatis imitatione duximus omittendũ, quod de S. GREGORIO Papa commemoratur à S. GREGORIO TVRONENSI *Hist. Franc. lib.* 1. *cap.* 1. his verbis: *Gregorius de Senatoribus primis ab adolescentia devotus Deo, in rebus propriis sex in Sicilia Monasteria congregavit, septimum intra Vrbis Romæ muros instituit, quibus tantam delegavit terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum prębendum sufficeret; reliqua vendidit, cum omni præsidio domus, ac Pauperibus erogavit; & qui antè serico contentus, ac gemmis micantibus solitus erat per Vrbem procedere trabeatus, nunc vili contentus vestitu ad Altaris Dominici ministerium consecratur, septimusque Levita ad adjutorium Papę adscisitur.*

1139 De eodem S. GREGORIO hæc notanda describit IOANNES DIACONVS *in illius Vita, lib.* 1. *cap.* 6. *Septimum intra Romanæ Vrbis mœnia sub honore Sancti Andreæ Apostoli juxta Basilicam Sanctorum Ioannis, & Pauli ad Clivum Scauri Monasterium in proprio domate fabricavit, in quo relictis sericis, auro, gemmisque radiantibus togis, simulque supellectilibus reliquis in vsum Pauperum erogatis, ex hujus mundi naufragio nudus evasit, diuque desideratum Monachicum capiens indumentum, primò sub Hilarionis, deindè sub Maximiani, Venerabilium Patrum, regimine, multis sibi sociatis Fratribus Regulari tramite militavit.*

1140 Non absimile legimus de S. ADHELARDO apud PASCASIVM RATHBERTVM *in illius Vita*: *Exutus (inquit) his omnibus, & Sanctificatus, Deo agens gratias, factus est Discipulus Salvatoris; legerat enim: *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet*, adhùc, & semetipsum, *non potest meus esse Discipulus.* (*Lucæ* 14.) Et ideò deposuit aselli onera, vt facilius arctam, & strictam viam mandatorum Dei curreret. Quibus depositis Corbeję, imò CHRISTI ibidem expetiit fontem.*

1141 Memorandum sanè, singulareque Divinæ Providentiæ signum, toti Orbi innotuit in illius Sanctissimi Patris FRANCISCI instituto, in arctissima Paupertate cum omnium abdicatione, Evangelicę, & Apostolicæ nuditatis imitatrice fundato, quam quidem Paupertatem Sanctissimus Pater nobis priùs suo exemplo monstravit, vt testatur ECCLESIA *in* 4. *Lectione festi hujus Sancti*, dicens: *Qui quadam die Pauperem pro CHRISTI amore flagitantem pecuniam, cum preter consuetudinem repulisset, repentè eo facto commotus, largè ei misericordiam impertivit: & ex eo die Deo promisit se nemini

vn-

vnquam, poscenti eleemosynam negaturum. Cum verò post, in gravem morbum incidisset, ex eo aliquando confirmatus, cœpit ardentiùs colere officia Charitatis; Qua in exercitatione tantum profecit, vt Evangelicæ perfectionis cupidus, quidquid haberet, Pauperibus largiretur. Quod ferens iniquiùs Pater, cum ad Assisinatem Episcopum duxit, vt coram illo bonis cederet paternis: Qui rejectis etiam vestibus, patri concessit omnia, illud subjungens: sibi in posterum majorem facultatem forè dicendi: *Pater noster, qui es in Cœlis.* Cum autem illud ex Evangelio audisset: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*, sibi eam regulam servandam proposuit. Itaque detractis calceis, & vnica contentus tunica, cum duodecim socios adhibuisset, Ordinē Minorum instituit. Quare Romam venit *Anno salutis* 1209. vt sui Ordinis Regula ab Apostolica Sede confirmaretur. Quem cum accedentem ad se Summus Pontifex Innocentius III. rejecisset, quòd in somnis postea sibi ille, quem repulerat, collabentem Lateranensem Basilicam sustinere visus esset, conquisitum accersiri jussit, benignèque accipiens, omnem ejus institutorum rationem confirmavit.* Hactenus ROMANVM BREVIARIVM de summa S. FRANCISCI Paupertate, in qua suum institutum fundare fategit, tantaque fuit, vt suis Alumnis nullatenus permiserit aliquid proprium, nec etiam in communi possessiones habere, sed tantummodo Apostolorum more, CHRISTIque imitatione, ex Fidelium pietate eleemosyniſque vivere dantes Orbi summæ Paupertatis, ac mēdicitatis exemplum.

1142 De eodem etiam optimus testis est S. BONAVENTVRA, præclarissimus Ecclesiæ Doctor, ejusdemque instituti Alumnus, *in opusc. supralaudato de Paupertate CHRISTI, art.* 2. vbi inter cætera Paupertatis exempla, adducens illud SS. Patriarchæ DOMINICI: *Qui in morte sua (inquit S. Bonaventura) imprecatus est omnibus Fratribus maledictionem, qui in Ordinem suum possessiones conarentur inducere: Ergo volebat quòd de eleemosynis viverent, juxta quòd ipse vixit. Item ad hoc est exemplum de B. Francisco, qui non solum mendicavit, & mendicare consuluit, sed etiam mendicationem suam miraculis confirmavit, sicut patuit in nautis, quos ciborum suorum reliquiis saciavit, & saciatos liberavit: Et per Regulam, quam à Summo Pontifice approbatam confirmari fecit, in qua dicit: quòd Fratres in Paupertate, & humilitate, Deo famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter.*

1143 Idem Sanctus *in Vita S. Francisci, cap.* 7. hæc, ad rem nostram admodum notanda, scribit: *Inter cætera Charismatum dona, quæ à largo datore Franciscus obtinuit, prærogativa quadam speciali promeruit in divitias simplicitatis excrescere, per altissimæ Paupertatis amorem. Nam Filio Dei Vit Sanctus familiarem attendens, & jam quasi toto Orbe repulsam, charitate sic studuit desponsare perpetua, quòd non solùm pro ea patrem, matremque reliquit, verùm etiam quæ habere potuit, vniversa dispersit: nemo tàm auri quàm ipse cupidus Paupertatis, nec thesauri custodiendi solicitior vllus, quàm iste hujus Evangelicæ Margaritæ, in hoc præcipuè suus offendebatur aspectus, si quicquam videret in Fratribus, quod Paupertati non per omnia consonaret. Revera ipse à principio Religionis vsque ad mortem tunica, chordula, & femoralibus, dives, & contentus fuit: CHRISTI IESV Paupertatem, & Matris frequenter cum lachrymis revocabat ad mentem: Indê hanc virtutem asserens esse Reginam; quia in Rege Regum, & in Regina Matre ipsius tàm præstans effulsit. Nam & Fratribus in conclavi quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet CHRISTO, quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat: Paupertatem noveritis, Fratres, spiritualem viam esse salutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectioniſque radicem, cujus est fructus multiplex, sed occultus.*

1144 Apostolicus præco, Valentinusque Apostolus S. VINCENTIVS FERRARIVS de strictissima hac S. FRANCISCI Paupertate, omnia propter CHRISTVM relinquentis, altissime disserit *in sermone de S. FRANCISCO*, vbi notat quatuor in prædicto Sancto claritatis radios inveniri, quibus possumus illuminari: *Primus, inquit, est Paupertas Apostolica. (Et *paulò infrà*:) Dico primò: quòd B. Franciscus dedit huic mundo radium Paupertatis Apostolicæ, quæ in hoc consistit, vt homo omnia relinquat, vt in Evangelio Discipuli dixerunt: *Ecce nos reliquimus*

*omnia, & secuti sumus te.** Alia multa in commendationem hujusmodi Paupertatis Sanctissimi Patriarchę subjungit, quæ brevitatis causa omittimus, & apud ipsum videri possunt *ibi, & alibi.*

1145 Nec possunt hîc silentio præteriri, quæ de summa hac Apostolica D. FRANCISCI Paupertate, ejusque Evangelicæ nuditatis, & abdicationis sequela narrantur à S. ANTONINO *3. part. Histor. tit. 24.* his verbis: *Hic Beatissimus Pater primò lucrativis negotiationum deputatus negotiis, demùm à Spiritu Sancto nonnullis revelationibus, & quibusdam interioribus manuductionibus fractus, & quasi quadam vi ignea liquefactus, & indè multarum tribulationum functionibus malleatus fuit, in virum perfectum finaliter transformatus. Nam primò per duos annos honestum habitum, & Eremiticum ferens, portando baculum in manibus, accinctus corrigia, calceatis incedens pedibus per Civitatem Assisii mendicando, nunc latebat in eremis, nunc Ecclesiarum reparationibus insistebat devotus. Incępit vitam istam *Anno Domini* 1206. *Pōtificatus Innocentii III. anno 3. Anno verò* 1209. dū Missam in Ecclesia Sāctę Marię de Portiuncula devotus audiret, & legeretur Evangelium id, quod CHRISTVS dixit Apostolis: *Nolite portare aurum, neque argentum, neque peram, neque calceamenta*, &c. illicó calceamenta deposuit, peram & pecuniam abdicavit, rejectisque baculo, & corrigia, una contentus tunicula, funem sumpsit, & sic ad servandam vitam Evangelicam se totis viribus recollegit. Quo tempore secundum opinionem veriorem in lapide isto fundamentali Ordo Fratrum Minorum initium, & fundamentum accepit.

1146 Cumque sic à mundo abstractus, à multis reputatus insanus, per duos annos in maxima Paupertate, & austeritate, & patientia soli Domino deservisset, vir quidam venerabilis de nobilioribus, prudentioribus, & ditioribus Civitatis Assisii, *Bernardus* nomine, cujus consilio tota Civitas illa regebatur, prudenter considerans in B. Francisco tantum mundi contemptum, Divino instinctu ipsum ad sę cum cęnandum, & dormiendum devotè invitavit, vt ejus sanctitatem, vel fatuitatem melius explorare valeret. Et cum post cęnam lectos, quos pro se, & B. Francisco præparari fecerat, ambo intrassent, Dominus Bernardus fortiter stertendo finxit se profundissimè dormire; tunc S. Franciscus, & mente, & vultu in Deum intendens, elevatis manibus, totus ignitus cum indicibilibus lachrymis, & devota morositate continuè hæc verba replicabat: *Deus meus, & omnia: Deus meus, & omnia:* quod cum fulgore lampadis intra cameram ardentis Bernardus videret, surgens manè totus devotione succensus, dicit S. Francisco: Frater Francisce, ego disposui penitùs mundum relinquere, & te sequi, ac facere quæcumque mandaveris mihi. Cui Sanctus exhilaratus respondit: Domine Bernarde, istud est adeò arduum, quod à Domino est consilium requirendum: & ideò pergamus ad Templum, & ibi dicetur nobis, quid nos oporteat facere. Et cum ibi fuisset audita Missa, prævia oratione, Sacerdotem illum, qui celebrarat, devotè rogat, vt Missale aperiat. Quod cum facto signo Crucis implesset, illud occurrit primò: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus.* Et secundò aperienti occurrit illud: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* In tertia libri apertione occurrit id: *Nihil tuleritis in via.* His auditis dixit B. Franciscus: Ecce consilium Domini, vade perfice, quæ audisti. Statim Dominus Bernardus omnia, quæ habebat, magni valoris existentia vendidit, & comitante S. Francisco in platea S. Gregorii Pauperibus erogavit; & eodem anno, scilicet 1211. habitum Religionis, & vitam Apostolicam accepit.* Hæc S. Antoninus.

§. VIII.

Rationibus suadetur omnis proprietatis, tam in speciali, quam in communi abdicationem, ad Apostolicam, & Evangelicam perfectionem spectare.

1147 PRobandam hanc assumimus Conclusionem, hunc Paupertatis statum, nèdum aliquid imperfectionis continere, imò esse valdè meritorium, & sanctum, & ad Evangelicam, Apostolicamque perfectionem spectare.

1148 In primis enim. Non ex proprio, sed ex eleemosynis vivere in summa Paupertate, & mendicitate, nec lege naturæ,

nec

nec scripta, nec gratiæ vetitum invenitur: sed quod non est vetitum, per obedientiam injunctum, maximè si sit arduum, difficilê, & onerosum, laudabile est ac meritorium: talis ergo Paupertas extrema, quæ mendicitatem secum affert, absque aliquo proprio, vel in speciali, vel in communi, nihil vitii continet, sed potius meritoria dicenda est, & perfectionis opus.

1148 Secundò; quia contemptus sui, actus virtutis, ac perfectionis esse, à nemine eruditorum non censetur; quantò igitur major contemptus, majorem secum affert perfectionem: at qui pro CHRISTO voluntariè talem Paupertatem assumit, vt mendicare non erubescat, nulli dubium est, quin maximè in sui abjectionem, & contemptum faciat: igitur perfectionis opus talis Paupertas erit.

1149 Vlterius exemplo vitæ CHRISTI, & Apostolorum suadetur. Primò ex illo APOSTOLI 2. *ad Corinth.* 8. *Qui propter nos egenus factus est, cum dives esset*: vbi GLOSSA inter alia dicit: *Nemo igitur se contemnat, Pauper in cella, dives in conscientia.* Et vt ab exordio introitus ejus in mundum incipiamus; Pauperculam elegit matrem; pauperiorem patriam eligens, fit pecuniis egens: & hæc tibi exponat præsepê, vt legitur in quodam Synodali sermone Ephesini Concilii. Et *infrà* subdit: *Respicê paupertimum habitaculum ejus, qui ditat cœlum. Vndè prę sepè sedenti super Cherubin? Vide pannis obsitum eum, qui pelagus arena junxit: vndè deorsum Paupertatem, divitias ejus sursum considera.* Si autem non propter se, sed propter nos egenus factus est secundum Apostolum: Numquid, non poterat matrem, multas possessiones habentem eligere, atque in domo propria nasci, si nihil ad perfectionẽ Christianæ vitæ pertineret, terrenas possessiones, non habere, quin nò propria domo carere?

1150 Tertiò probatur, nam CHRISTVS, nêdum in infantia, sed etiam in perfecta etate summam, & strictissimam Paupertatem suo nobis exemplo demonstravit: ipse enim *Matth.* 8. dicit: *Filius Hominis non habet, vbi caput reclinet*: quasi dicat, vt exponit S. HIERONYMVS: *Quid me propter divitias, & sęculi lucra cupis sequi, cum tantæ sim Paupertatis, vt nè hospitiolum quidem habeam, & tecto vtar non meo?* Et S. CHRYSOSTOMVS, idem exponens, dicit: *Aspice qualiter Paupertatem, quam dominus docuerat, per opera demonstravit: non erat ei mensa, non candelabrum, nec quidquam aliud talium.* vt suprà diximus. An aliquis ambigit eam summam Paupertatem, quam CHRISTVS verbo docuit, & exemplo monstravit, quin ad Evangelicam perfectionem pertineat? pertinet igitur ad perfectionem Christianæ vitæ terrenis possessionibus omninò carere.

1151 Quartò probatur ex CHRISTI fine vita, quę exemplũ summæ perfectionis nobis dedit communibus possessionibus carere. Inter cætera enim, quę CHRISTVS in mortali vita, vel fecit, vel passus est, precipuè Christianis imitandum proponitur venerandæ Crucis exemplum: vndè & ipse Dominus dicebat *Matth.* 16. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me*: vndè & Apostolus, quasi simul cum CHRISTO Crucifixus in sola CHRISTI Cruce gloriam habẽs, dicebat: *Ego stigmata Domini IESV in corpore meo porto*, exemplum Christi diligẽter sequutus. Inter alia verò Crucis insignia apparet omnimoda Paupertas in qua, exterioribus rebus privatus est vsque ad corporis nuditatem: vndè ex persona ejus *Psal.* 8. dicitur: *Diviserunt sibi vestimẽta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Hanc Crucis nuditatem per voluntariam Paupertatem homines sequuntur, & præcipuê qui omnium abdicationem profitentur, & qui ex vi regulæ, vel sui instituti possessionum reditibus carent.

1152 Vndè id optimè D. HIERONYMVS *ad Paul. in Presbyt.* docuit, dicens: *Tu audita sententia Salvatoris: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus, & veni sequere me*: verba vertis in opera, & nudam Crucem nudus sequens, expeditior, & levior ascendis scalam Iacob. (Et post pauca subdit.) Nihil enim est grande tristi, & livida facie, vel simulare, vel ostentare jejunia, possessionum reditibus abundare, & vile jactare palliolum.* Sic igitur patet, inimicos esse Crucis CHRISTI prædictos adversarios Paupertatis, qui terrena sapientes terrenas possessiones ad perfectionem Christianam pertinere arbitrantur, per quarum abjectionem fiat minor perfectio.

1154 His igitur circa exemplum vitæ CHRISTI consideratis, tàm in ejus ortu, quàm in ejus progressu, quàm etiam in ipso Crucis occasu, eamdē CHRISTVM Paupertatē docuisse verbo probatur, præsertim *Matth.*5. vbi dicit: *Beati Pauperes spiritu* vbi S. HIERONYMVS: *Qui scilicet propter Spiritum Sanctum voluntate sunt Pauperes.* Qualis autem Pauper spiritu sit, ostendit S. BASILIUS, dicens: *Beatus Pauper, quasi CHRISTI Discipulus, qui pro nobis Paupertatem sustinuit. Nam ipse Dominus quodlibet opus implevit, quod ad beatitudinem ducit, se præbens exemplar discentibus: nusquam autem Dominus legitur possessiones habuisse.* Non igitur Beatitudinis detrimentum habet Paupertas eorum, qui possessionibus carere volunt propter CHRISTVM (vt perperam aliqui existimarunt), sed magis Beatitudinis augmentum, & perfectionis Evangelicæ.

1155 Deindè Dominus, electis duodecim Apostolis, ad prædicandum eos mittens, concessa eis miraculorum potestate, inter cętera vitæ documenta primò inducit Paupertatis doctrinam, dicens *Matth.* 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Quod exponens EVSEBIVS CÆSARIENSIS, dicit: *Prohibebat eis auri, & argenti possessionem, præcognitione futurorum. Contemplabatur enim, quòd qui sanandi erant per eos, & ab incurabilibus passionibus liberandi, vellent eis cedere, in omnibus bonis suis.* (Et post aliqua subdit:) *Putabat oportere cōductos arrha Regni Dei terrena despicere: vt nec aurum, nec argentum, nec possessiones, nec quidquam eorum, quæ mortales appretiantur condignum existiment, datis sibi cęlestibus opibus: necnon cum milites eos faceret Regni Dei, monebat eos colere Paupertatem: nullus enim militans Deo implicat se hujus vitæ negotiis, vt placeat Deo.*

1156 Et sic S. HIERONYMVS dicit *sup. Matth.* *Qui divitias detruncaverat (scilicet in verbis præmissis) propè modum etiam vitę necessaria amputat.* Vt Apostoli, Doctores veræ Religionis, qui instituebant omnia Dei Providentia gubernari, se ipsos ostenderent nihil cogitare de crastino. Vndè S. CHRYSOSTOMVS dicit *sup. Matth.* Hoc præcepto docet eos suam virtutem: *Qualis ergo esse debeat, qui evangelizat Regnum Dei, præceptis Evangelicis designatur; hoc est, vt subsidii secularis adminicula non requirat, fideique totus inhærens putet, quominùs ista requirat, magis posse suppetere.* Vt S. AMBROSIVS dicit *sup. Luc.* Manifestum est autem, quod si Apostoli possessiones suscepissent, non minus, sed multò magis suspecti fuissent, quod propter quęstum prędicarent, quàm si aurum, vel argentum possiderent: multò etiam majori sollicitudine, circa agrorum culturam occuparentur, multòque majus esset sęculare adminiculum ex agris, vel vineis possessis, quàm si bona mobilia habeantur. Manifestum est igitur secundum expositiones præmissas, Apostolis interdictum fuisse, nè agros, vel vineas, vel alia hujusmodi bona immobilia possiderent.

1157 Tandèm ad majorem hujus illustrationem, ac confirmationem maximè notandum venit hìc, triplicem inveniri modum extremæ Paupertatis abdicationis, & mendicitatis. Primus, quando quis ex necessitate naturæ invenitur in statu indigentię, vel necessitatis, vt cum quis id facere cogitur, nè dum, quia Pauper, verùm & quia infirmitatem, vel debilitatem habet, vel vtrumque. Hic autem modus miserabilis est, & tolerabilis, & per patientiam fit meritorius, & laudabilis: sicut legitur de Lazaro *Lucæ* 16. qui erat mendicus, jacebatque ad januam divitis, vlceribus plenus, & postea subditur; *quia mortuus est mendicus, & deportatus ab Angelis in sinum Abrahæ*: de divite autem dicitur, quòd *sepultus est in inferno.* Vndè fit, quòd divitiæ fuerunt diviti occasio perditionis, Paupertas verò extrema in Lazaro occasio salutis ętęrnæ juxta illud S. GREGORII, dicentis: *Mala, quæ hic premunt, ad Deum nos ire compellunt.*

1158 Alter Paupertatis modus, ortum duxit ex vitiositate culpæ, vt cum quis pro otio fovendo, vel lucro cumulando ostiatim ire vult pro majori libertate captanda, nulli subdi, per omniaque divagari vult. Hic Paupertatis modus præ cæteris vituperabilis est; de quo aptissimè S. AMBROSIVS *lib.* 2. *de Offic. cap.* 16. hos Pauperes describens, dicit: *Petitionis causa veniunt validi nullam causam nisi vagandi habentes, & volunt subsidia evacua-*

re Pauperum, exinanire sumptum, nec exiguo contenti majora quærunt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, & natalium simulatione licitantes incrementa quæstuum; licet autem in omnibus meritò debeat reprehendi, reprehendendum est tamen potissimê in eis, qui habent speciem pietatis, & sanctitatis.* De his loqui videtur S. AUGUSTINUS *lib. de Oper. Monach. cap.* 25. *Nullo modo decet, vt in ea vita, vbi Senatores fiũt laborioſi, ibi fiant opifices otioſi, & quo veniunt relictis divitiis ſuis, qui fuerant prædiorum Domini, illic fiant ruſtici delicati. (Et *infrà, cap.* 28.) Callidiſſimus, inquit, hoſtis tàm multos hypocritas ſub habitu Monachorum vſquequaque diſperſit circumeuntes Provincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes; alii membra Martyrum, ſi tamen Martyrum, venditant; alii fimbrias, & phylacteria ſua magnificant; alii parentes ſuos, vel conſanguineos, illa, vel illa Regione, ſe audiſſe vivere, & ad eos pergere mentiuntur; & omnes petunt, & omnes exiguut aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis.*

1159 In eos etiam invehitur idem Sanctus, qui hunc egeſtatis, & mendicitatis modum laudare, ac approbare contendunt: Vndê de talibus, inquit, *cap.* 22. *Qui tamquam conſervatricem Evangelii prædicantes erant pigritiam, tamquam prævaricatricem accuſantes miſericordiam. Vtinam iſti, qui vacare volunt manibus, omninò vacarent & linguis; neque enim tàm multos ad imitationem invitarent, ſi eis etiam non tàm pigra, verùm etiam mura proponerent. Nunc autem contra Apoſtolum CHRISTI recitant Evangelium CHRISTI; ita enim mirabilia ſunt opera pigrorum, vt impedire velint Evangelium.*

1160 Vltimus, & præcipuus Paupertatis voluntariæ modus, & ad rem noſtram faciens eſt ex ſupererogatione juſtitiæ, videlicet pro CHRISTO imitando, cum quis Paupertatis ſtatum aſſumere vult, vel pro evangelizando, vel vtroque modo CHRISTVM imitando, quantum ad contemptum ſui, affectum proximi, & cultum Dei; in his enim tribus potiſſimê debemus CHRISTVM imitari. Id facit, qui voluntariê Pauperem vitam degit, nihil penitùs proprium habendo, nec etiam in communi, voluntariê quidem mendicando pro nomine CHRISTI, vt ſe ipſum vilificet, & humiliet, & proximum ſuum ædificet, & provocet ad pietatem, & vacet Deo libera mente, depoſita omni ſæculi ſolicitudine.

1161 De his præclarè loquitur S. AVGVSTINVS *lib. 5. hom.* 18. *tom.* 10. *in quodam ſerm. Quadrageſ.* *In iſto, inquit, tempore, vt noverimus quantum commendat Deus opera miſericordiæ, ipſos Sanctos ſuos egere fecit, vt cum fuerint facti amici Dei, de mammona iniquitatis recipiant & ipſi amicos ſuos in æterna Tabernacula, id eſt, vt cum ſervi Dei pii dum jugiter Deo vacant, aliquoties indigent, illi, qui habent mundi divitias, eleemoſynas largiuntur, vt quomodo illos participes faciunt in terrena ſubſtantia, ſic cum illis partem habere mereantur in vita æterna.* Vndè manifeſtê liquet, talem Paupertatem, ac mendicitatem meritoriam, & ſanctam eſſe, quæ aſſumitur pro CHRISTO imitando.

1162 Pari modo laudabilis, & meritoria cenſeri debet eorum Paupertas extrema, cum omnium abdicatione, quæ fit pro CHRISTO evangelizando hæc enim vim præbet Evangelio, ratione ejus, quod prædicatur; quia cum prædicamus mundi contemptum, nulli dubium eſſe poteſt, quin validius ſuaderi exemplo, ac verbo queat, quàm ſolo verbo: Vndè quando quis pro CHRISTO imitando, & evangelizando Paupertatem ſectatur, nihil proprium habendo, ſed ex piorum Fidelium eleemoſynis vivendo, vel mendicando, non modo aliquid illicitum facit, vel leviſſimam culpam incurrit, verûm & opus perfectæ virtutis meritorium, & ſanctum exercet, perfectamque juſtitiam implet.

1163 Imprimis enim, ſi maximê debita eſt ſuſtentatio Pauperi, CHRISTUM imitanti, non minus, imò magis debetur Pauperi CHRISTVM evangelizanti: inſuper debetur Pauperi grato debitum pro gratia humiliter accipienti, ac humiliter poſtulanti, qui cum liber ſit ex omnibus, facit ſe omnium pro CHRISTO ſervum. Idque nos docere videtur S. AVGVSTINVS *in Pſal.* 113. ſuper illud: *producens fœnum jumentis:* *Producens, inquit, *fœnum*, id eſt, temporalia, *Iumentis*, id eſt, prædicatoribus, vt de Evangelio vivant, vt qui Evangelium

anun-

anuntiant. Et *herbam*, id est, temporalia servituti hominum, id est, prædicatoribus servis hominum pro CHRISTO: vndè Apostolus: *Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci* (1. *ad Corinth.9.*) quæ servitus est ex charitate, quæ facit humiles, qui pro CHRISTO servi hominum fiunt, vtilitati fratrum attendentes. Hęc sunt *Iumenta*, quibus debetur *herba*, & merces; quia serviunt: de quibus dicitur (1. *ad Corinth.9.*) *Non alligabis os bovis triturantis*: Et: *Dignus est operarius mercede sua.* (*Lucæ* 10.) Debentur enim Prędicatoribus temporalia; quia largiuntur spiritualia: Vndè Apostolus, (1. *ad Corinth.9.*) *Si seminavimus vobis spiritualia, non magnum est si vestra carnalia metamus.* Pro quibus dicitur: *Beatus qui præoccupat vocem petituri*; id est, *qui intelligit super egenum, & Pauperē. Omni petenti* ergo, quicumque sit, da, (*Luc.6.*) agnoscens in eo cui des, sed multo magis, da servo Dei, militi CHRISTI, etiam non petenti.*

1164 Ex his igitur manifestissimè liquet, quòd in CHRISTI Prędicatore, Evangelium enuntiante, qui pauperem vitam egerit, non ex propriis, sed ex piis eleemosynis, seu mendicando vixerit, aliquid vitii, vel culpæ vllatenus reperiri nequit, quin potiùs perfectionis Evāgelicę nobilis æmulatio. Et si quis hunc Paupertatis modum in servis CHRISTI tentaverit improbare, nèdum Pauperum CHRISTI ordinem impugnare videtur, verùm etiam Summos Pōtifices, & Ecclesiam, quæ tot retroactis sæculis vsque nunc perpetuò hunc vivendi morem approbavit, ac laudavit Sanctorum cętum Dominici, Francisci, aliorumque, qui ad imitationem CHRISTI, & Apostolorum, (vt in superioribus vidimus) in strictissima Paupertate, cum omnium abdicatione, proprietatis etiam in communi vixisse, Sacrosque Ordines Pauperum evangelizantium, mendicantiumque instituisse, leguntur.

§. IX.

Quam consentaneum sit Angelici Præceptoris, Seraphicique Doctoris judicium, ac de opposita sententia Censura ergà Paupertatem cum omni proprietatis abdicatione, ostenditur.

1165 EX Prolatis hucusque rationibus compertum habetur, CHRISTI vitæ, & præclarissimo, quod tàm ab incunabilis, quàm in progressu, ac tandem in conspicua Crucis Cathedra nudus obiens, mortalibus reliquit, exemplo, valdè cōformem esse summam cū omnium abdicatione Paupertatem, & etiam omninò parem Doctrinæ Apostolorum, & documentis quibus eorum spiritum imbuit Dominus, vt futuros Fideles suo edocerent exemplo ipsam sequi, eamdemque arctam ad Cœlum viam terere, scilicet, vt cum strictissima indigentia ad CHRISTI, & Apostolorum imitationem, nihil possiderent, omnia temporalia despectui haberent, vniversam in Dei Providentia fiduciam collocantes, ac in piorum eleemosynis spem ponentes, quorum subsidio juvandos certò crederent, nec eis necessaria defutura esse, de qua abdicatione Paulus, *tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Qua propter consequenter deducitur, quam alienum à Christiana, & Catholica Doctrina sit, hanc Paupertatis normam calumniari, quæ sic perfectioni Evangelicæ, & Apostolicæ congruit, à CHRISTO edoctæ Apostolis, & ab his, tamquam primis Ecclesiæ fundamentis in cæteros Fideles exemplo, & imitatione derivatę propaga tæque, quod non obscurè, sed clarissima, qua fem per fulget Doctrinę luce, Angel. Academiarum Sol D. THOMAS docet *opus.* 17. ita scribens.

1166 *Est autem vlterius considerandum, qualiter præcepta Domini præmissa fuerunt ab Apostolis observata; quia, vt Augustinus dicit *in lib. contra Mend.* Divinę Scripturæ, non solùm præcepta Dei retinent, sed etiam vitam, moresque justorum: vt si fortè occultum est quemadmodum accipiendum sit quod præcipitur, in factis justorum intelligatur. Quia autem nihil temporalium possiderent, aut etiam in via deferrent, ante tempus passionis, apertè ostenditur ex hoc, quod legitur *Lucæ* 22. vbi Dominus Discipulis dixit: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, num quid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil*; sed quia ibi subditur. *Dixit ergo eis: Sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter, & peram*: posset alicui videri, quòd Dominus totaliter propria præcepta relaxaverit, sed hanc relaxationem quantum ad personas Apostolorum, ad solum tempus imminentis persecutionis esse referendam, apparet ex verbis

BE-

BEDÆ, qui dicit : Mortis verò instante periculo, & tota simul gente pastorem pariter, gregemque persequente, congruam tempori regulam decernit, permitteus, vt tollant victui, necessaria, donec sopita insania persecutorum, tempus evangelizandi redeat. (Et subdit:) Vbi nobis quoque dat exemplum ex justa nonnumquam causa instante, quiddam de nostri propositi rigore posse sine culpa intermitti. Ex quo etiam apparet, (ait D. Thomas) ad rigorem Evangelicæ disciplinę pertinere, quòd aliquis careat omni terrena possessione.

1167 Quid autem super hoc Apostoli post Passionem servaverint, & servandum tradiderint, apertè in Actibus Apostolorum docetur; legitur enim *Act.* 4. quòd: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Et nè aliquis dicat, eos habuisse possessiones communes, puta agros, vel vineas, vel aliquid hujusmodi, hoc per sequentia excluditur. Sequitur enim: *Quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes, afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Ex quo patet, hanc esse Evangelicę vitæ observantiam, vt ea, quæ ad necessitatem vitæ pertinent, possideantur communiter, possessionibus omninò à possessoribus abdicatis.*

1168 Et *infrà*: *Ex his ergo videtur, quòd melius sit possessiones in communi habere, quàm alia mobilia ad victum pertinentia; & quod in Primitiva Ecclesia prædia vendebantur, non quia hoc esset melius; sed quia prævidebant Apostoli, quòd apud Iudæos Ecclesia duratura non erat, partim propter infidelitatem, partim propter excidium, quod eis imminebat.

1169 Sed siquis rectè consideret hæc, præmissis non contrariantur; Ecclesia enim in sui primordio in omnibus suis membris talis fuit, qualis postmodum fuisse apud perfectos quoscumque invenitur; sicut enim natura, sic & gratia debuit à perfectis initium assumere; & ideò Apostoli secundum illum statum Fidelium vitam ordinaverunt perfectioni congruentem: Vndè dicit Hieronymus *in lib. de Illustrib. Viris*: Apparet talem primam CHRISTO credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur, & cupiunt, vt nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives; nullus Pauper; patrimonia egentibus dividātur; orationi vacetur, & Psalmis, doctrinę quoque, & continentiæ. Hic autem modus vivendi, perfectioni congruus fuit apud primos credentes, non solùm in Iudęa sub Apostolis, sed etiam apud Ægyptum sub Marco Evangelista, vt ibidem Hieronymus dicit. Et sicut *in 2. lib. Ecclesiast. Histor.* narratur.

1170 Processu verò temporis multi in Ecclesiam erant intraturi, qui ab hac perfectione defecerent, quod non erat futurum ante Iudæorum excidium, sed Ecclesia apud Gētes multiplicata. Quod postquam contigit, vtilè judicaverunt Ecclesiarum Prælati, vt prædia, & agri Ecclesiis conferrentur, non propter perfectiores quosque, sed propter infirmiores, qui ad primorum Fidelium perfectionem attingere non valerent; fuerunt tamen & aliqui postmodum primæ perfectionis æmuli, qui in congregationibus viventes, his caruerunt, sicut plurima Monachorum Collegia in Ægypto. (Et *infrà*:) Manifestum est igitur, ad cumulum perfectionis pertinere, quòd aliqui possessiones non habeant, nec proprias, nec communes.

1171 Adhùc potest hoc evidenter ostendi, si ratio consiliorum ad Evangelicam perfectionem pertinentium consideretur; ad hoc enim introducuntur, vt homines à curis mundi expediti liberiùs Deo vacent: Vndè Apostolus proposito consilio de Virginitate servanda, dicit: *Qui sine vxore est sollicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi; quomodo placeat vxori, & divisus est.* Ex quo patet tantò aliqua magis ad consiliorum perfectionem pertinere, quantò magis hominem à sollicitudine mundi absolvunt. Manifestum est autem, quòd divitiarum, & possessionum cura impedit animum à rebus Divinis: dicitur enim *Matth. 13. Qui seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & sollicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocant verbum, & sine fructu efficitur.* Quod exponens Hieronymus dicit: Blandæ sunt divitiæ, lubrica est earum possessio, dum hûc, illùc circumferuntur; & instabili gradu, vel habentes deserunt, vel non habentes reficiunt. Hoc etiam evidenter ostenditur *Lucæ* 14. vbi vnus de his, qui sunt vocati ad cęnam se ex-

excusavit, dicens: *Villam emi, & necesse habeo ire, & videre illam.* Et sicut Gregorius dicit: Quid per villam nisi terrena substantia designatur? Exit ergo videre villam, qui sola exteriora cogitat. In fine autem Parabolæ subditur: *Pauperes, & debiles introduc hùc*: quod exponens Ambrosius dicit, quod rariùs delinquit cui deest illecebra peccandi; & citiùs ad Deum convertitur, qui non habet in mundo, vndé delectetur. Sic igitur patet quod possessiones, & quascumque divitias omninò non habere, magis ad Evangelicam pertineat perfectionem.* Hactenus D. Thomas.

1172 Idipsum præclarè confirmat S. BONAVENTVRA *opusc. de Paupert. CHRISTI, art.* 1. dicens inter alia: *Est igitur perfectionis Christianę pro CHRISTO nihil in mundo possidere, nec in communi, nec in proprio. (Hujus autem rationem reddens, inquit:) Nam hujusmodi arduissimam Paupertatem, sicut ostensum est, persuadet natura, scriptura, & gratia. Persuadet Dominus IESVS CHRISTVS instruendo, conservando, inspirando. Quis enim spiritus, nisi Dei, facit hominem contemnere præsentia, & amare cęlestia? nam hoc non facit spiritus diaboli, nec mundanus, nec proprius, cum semper inclinet ad bonum privatum. Facit igitur Spiritus Sanctus. Et hinc est, quòd Spiritu Sancto dictante, istum modum vivendi Summus Pontifex approbavit, sicut dicit Decretalis de Excess. Prælat. Nimis prava*: quod Ordinem, & Regulam Fratrum Prædicatorum, & Minorum Sedes Apostolica nosceitur approbasse: Vndè huic contrarium nulli prorsus licet sentire: Quarè tales videntur stultè agere, periculis se exponere, & Deum tentare.*

1173 Et *infrà* vlteriùs confirmat validissima ratione, & authoritate, sic concludens: *Ex hoc apparet evidenter, quòd omninò omnibus abrenuntiare vniversaliter pro CHRISTO culpandum non est, sed potiùs laudandum, tamquam culmen Evangelicę perfectionis: Vndè rationes, exempla, & Authoritates (quas suprà ex Scriptura, & Sanctis pro hac conclusione adduxerat) concedendæ sunt ad istam partem, ad quam sufficientissimè adstruendam vna sola Authoritas expressa ex ore CHRISTI, consulentis dimittere omnia, esset sufficientissima, etiam si multa glossarum, Expositorum, & Sanctorum dicta viderentur esse contraria*: Ait enim Augustinus *ad Paulinum de videndo Deo*: sic. Attende quæ credis, & in eis ipsis, quibus non visis accomodas fidem, ipsa testium pondera discernenda sunt; nec enim mihi sic credis, quemadmodum Ambrosio, aut si ambobus nobis æqua lance putas esse credendum, numquid vllo modo Evangelio comparabis? Profectò, si rectè in judicando sapis, longé nos infrà vides ab illa Authoritate distare, & me quidem longiùs, sed vtrique nostrum quamtumlibet credas, vtrumque illi excellentię nequaquam comparas. Igitur quoniam Divina Authoritas sic expressè dicit, omnia dimittenda ei, qui ad perfectionem conscendere cupit Evangelicam, manifestum est, quòd verum certitudinaliter debet teneri, quod ei non possit sine periculo Fidei obviari.*

1174 Quàm consona huic S. Doctori sit mens ANGELICI PRÆCEPTORIS, liquidò constabit legenti ea, quę diximus ex eodem S. Præceptore, præsertim ea, quæ dicit adversus eos, qui calumniari ausi sunt hanc sententiam de strictissima Paupertate cum omnium abdicatione perfectioni adversam, ad perfectionem Evangelicam non spectare, aliaque id genus similia, quibus relatis, in argumentis adversæ partis concludit S. Doctor: *Ex his igitur derogare nituntur perfectioni possessiones non habentium in communi.* Et immediatè post sequitur *c.* 15. *in cujus Epigraphe* erroris arguit oppositam sententiam, dicens: *Confutatio erroris præmissi*, immediatèque subdit, & incipit, cap. dicens: *Oportet autem attendere, quod prædicti Paupertatis impugnatores, Doctrinæ CHRISTI, necnon, & Vitæ ipsius non modicum adversantur, qui in omnibus Paupertatem, & servandam verbo docuit, & exemplo monstravit. (Et *paulo infrà*:) Confundantur igitur Paupertatis detractores, cujus gloria in ipsis CHRISTI cunabulis præclarè refulget. (Et *infrà* multis in prædicti erroris confutationem adductis subinfert:) Manifestum est igitur secundum expositiones præmissas, Apostolis interdictum fuisse, nè agros, vel vineas, vel alia hujusmodi bona immobilia possiderent. Quis autem dicat, nisi Hęreticus, primam Discipulorum instructionem à CHRISTO perfectioni Evangelicæ derogare? Mentiuntur ergo in Doctrina Fidei dicentes; minoris esse perfectionis eos, qui*

com-

communibus possessionibus carent.*

1175 Tandem sequutus S. AVGVSTINUM, qui *in lib. de verb. Domini.* dicit, exponens illud *Matth. minimus vocabitur in Regno Cœlorum*: *Minimi CHRISTI sunt illi, qui omnia sua dimiserunt, & secuti sunt eum, & quidquid habuerunt pauperibus distribuerunt, vt Deo sine seculari compede expediti servirent, & ab oneribus mundi liberatos, velut pennatos, sursum humeros tollerent. Hi sunt minimi; quia humiles. Appende minimos istos, & grave pondus invenies. Nullus autem sani capitis dicet (prosequitur D. THOMAS:) ad mundi onera non pertinere, communium possessionum curam: Pertinet igitur ad perfectionis pondus, vt etiam ab hujusmodi compedibus expediti homines serviant Deo.*

1176 Denique cõcludit idẽ SANCTVS DOCTOR: * Sic igitur patet, vanã esse doctrinam, imò pestiferam, & Christianę doctrinę contrariam, illorum, qui dicunt, quòd possessionibus communibus carere propter CHRISTVM, ad perfectionem non pertineat, de quibus *super illud Psal. Convertantur & erubescant valdè velociter*, dicit Glossa: Non est hic, vbi potius iniqui vident eos, qui omnia relinquunt, & suis irrisionibus infirmos CARISTI nomine erubescere faciunt. Ad eos etiam pertinere videtur, quod alibi in Psalmis dicitur: *Consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est.* Vbi dicit Glossa: *Inopis*, cujuslibet, qui est membrum CHRISTI. Et hoc ideo fecistis; quoniam Dominus est spes ejus. Vndè ergo magis reverendus erat, indè magis contemnitur. Quid enim aliud isti faciunt, nisi quod contemnere nituntur eos, qui Christianæ Paupertatis consilium perfectè sectantur? Et hoc ideo; quia non in terrenis possessionibus, sed in Deo spem habent.*

1177 Et *in responsione ad argumenta opposita* sic concludit: *Hęc igitur sunt, quę ad presens scribenda occurrunt contra erroneam, & pestiferam doctrinam avertentium homines à Religionis ingressu.* (Qui quidem profitebantur abdicare omnia propter CHRISTVM, carereque bonis in communi absque omni proprietate, ad perfectionẽ nõ pertinere; asserentes insuper ad Apostolicam, Evangelicamque perfectionem minimè spectare)

1178 Cum igitur hucusque luculentissimis Sacræ Scripturæ, Sanctorum que testimoniis affatim probaverimus, omnis proprietatis abdicationem, tàm in speciali, quàm in communi pro CHRISTO amplexam (quam Nicolaus in sua Constitutione tradidit) meritoriam esse, ac Sanctam, vtpotè eam, quę Paupertatis virtutem, Evãgelicamque perfectionem attingit, quamque CHRISTVS verbo docuit, & exemplo, Apostolicum etiam Collegiũ firmavit, celebrioresque Ecclesiæ Doctores, & Sancti, tot sæculis ab Apostolorum temporibus vsque nunc decursis per totum Christianum Orbem opere, verbo, ac scripto stabilierunt, ac multiplici exemplo docuerunt, vt tot præclarissimis testimoniis plenissimè modo ostendimus; hinc apertissimè convincitur error, & deceptio Doctoris Elliesii Dupin, qui non tam indagandæ veritatis studio (vt Parisiensem, Catholicumque decebat Doctorẽ) sed potiùs mordaci lingua, calumniandique animo, veritus non fuit, prędictum NICOLAVM insectari, eique erroris notã impingere *in Constitutione Exiit*, de CHRISTI, & Apostolorũ Paupertate, edita; cum ei sufficere debuisset, etsi alia non supereſſent, eam tot summorum Pontificum calculo, vniversęque Ecclesiæ in suis OEcumenicis Conciliis, quæ retulimus, approbatione, & confirmatione ostensam fuisse ab omni excogitabili labe, & erroris vmbra, omnino alienam, & immunem; ejusque Doctrinam in comperto sit juxta Angelicum Doctorem culmen Evangelicæ perfectionis attingere, eamque impugnare esse stultee agere, periculis se exponere juxta S. Bonaventuram, CHRISTVM impugnare, impugnare Evangelium, impugnareque cętum Apostolorum, impugnareque Spiritum Sanctum, qui talem Doctrinam Apostolis inspiravit. Videat quæso qua fronte, qua temeritate erroris insimulare ausus sit Elliesius eam Nicolai definitionẽ à CHRISTO, ab Apostolis, ab Ecclesia, & à tot Sacris Doctoribus, vt Evangelicam perfectionis regulam per tot retro sæcula continua traditione propagatam.

* * * * * * * * *
* * * * * * *
* * * *

CAP. VII.

CANDOR FIDEI, ET VITÆ Sanctitas Gregorii VII. Pontificis à Schismaticorum, Hæreticorumque impostoris, abundè vindicatur.

1179 INfensissimum Hæreticorum odium, insanaque rabies fulgentissimos sanctitatis splendores, quibus Summi Pontifices omni semper tempore enituerunt, ardentissimumque, ac verè Apostolicum Sancti Pontificis Gregorii VII. Zelum patienter ferre non valens, in varias calumnias erupit, quas insolens eorum audacia verbo, & scripto evulgavit, vt rectè annotavit JODOCUS COCCIUS *par.* 1. *Thesaur. Cathol. lib.* 7. *de Hierarchia Eccles. art.* 16. Ubi de Gregorio VII. agens, hæc scripsit: *Joannes Carion, Sebastianus Francus, Centuriatores Magdeburgenses, & cæteri Historiographi Lutherani mirum in modum in hunc Gregorium VII. debacchantur, nec dignum censent, qui Summus Pontifex appelletur.* Ipsum etiam, vt Hæreticum, Necromanticuum, seditiosum, Simoniacum, & non solùm omnium Pontificum, sed & ferè omnium hominum pessimum reprehendunt Magdeburgenses *cent.* 10. *cap.* 10. & idcircò eum non Gregorium, vt vocabatur in Pontificatu, nec Hildebrandum, vt dicebatur antequam ad Apostolicæ Sedis Apicem fastigiaretur, sed *Hellebrant*, quod Germanicè *inferni titionem* significat, procaciter appellant. Theodorus Bibliander *in Chronico* vult, prædictum Gregorium esse ipsum Gog, Principem Magog, omnesque alii hujus temporis Hæretici nullum Pontificem magis, quam istum insectantur. Alia id genus blatterasse constat Calvinum *in Scholiis*, *ad Epist. Paul.* in eundem Gregorium temerè insultantem.

1180 Patienter ferri non potest effrenata temeritas, qua adeò petulanter audent Hæretici os suum in Cælum ponere, & de Christianę Fidei, & Religionis Patre, ac de vno ex præcipuis Catholicę Ecclesiæ propugnaculis, vt ex dicendis in hac dissertatione apertissimè innotescet, ęquè ignominiosè, ac falsò loqui, nullo alio fundamẽto innixi, quàm vnius schismatici testimonio, Bennonis scilicet, Pseudo Cardinalis, vt rectè admonuit Doctrina clarissimus Cardinalis BELLARMINVS *lib.* 4. *cap.* 14. *fol.* 749. dicens: *Cum tamen & ipse Tilmanus, & Centuriatores nullum proferant testem prętęr vnum, qui fuit hostis juratus Gregorii VII. Omnia enim probant vnius Bennonis Cardinalis testimonio, qui illo tempore vixit, & vitam Gregorii VII. scriptam reliquit.* At quã indignus sit prædictus Schismaticus Cardinalis, cui Fides in his, quę asserit, adhibeatur, rectè expendit ipse Bellarminus, verosimilius existimans, prędictum Bennonis Card. nomen suppositũ esse, potiùsq; videri alicujus Lutherani, qui sibi illud arripuit, vt sub velato Cardinalis nomine de Pontifice ne farcè loqueretur: *Ego autem (inquit) hujus Bennonis librum legens, & impudentissimorum mendaciorum pleniissimum inveniens, alterum è duobus mihi persuasi, aut re vera nihil tale eo tempore scripsisse Bennonem, sed aliquem Lutheranum esse hujus libri Authorem, qui eum sub Bennonis titulo ediderit; aut certè Bennonem illum non tàm scripsisse vitam Gregorii VII. quam sub ejus nomine voluisse depingere ideam pessimi Pontificis.*

1181 Multæ sunt calumniarum nubes, quibus fulgentissimum Sanctissimi Pontificis Gregorii VII. splendorem obnubilare, præclarumque illius nomen falsò commaculare Hęretici conantur, quas suo ordine dissipabimus, ejusque famam solaribus radiis splendidiorem ostendere conabimur.

§. I.

Prima Hæreticorum in Gregorium VII. calumnia propulsatur.

1182 IN Sanctissimum istum Pontificem Hæreticorum calumnia prima est, eum per vim militarem, ac per Simoniacam labem in Põtificatum intrusum fuisse, nullo Cardinalium subscribente, & sine vllo Cleri, & Populi consensu, vt habetur ex his, quæ scripsit Cardinalis Benno, teste BELLARMINO, quæ fusius videri possunt apud Binium *tom.* 10. *Concilior. in princ.*

Huic

1183 Huic calumniæ adversatur majoris exceptionis, ac venerandæ Authoritatis Scriptor S. ANSELMVS, Lucensis Episcopus, Author coævus; siquidem *in Epistola*, quam scripsit *Gutberto*, tunc Antipapæ, & schismatis Capiti, qui *Clemens III.* nominabatur, hæc habet, præfati Gregorii Pontificis electionem commendans: * Vt ergo de B. Gregorio, Patre Nostro, dicam, quod de Cornelio scripsit B. Cyprianus; factus est Episcopus de Dei, & CHRISTI ejus judicio, de Clericorum penè omnium, & vt verius dicam, omninò omnium testimonio, de plebis, quæ tunc aderat suffragio, de Sacerdotum antiquorum, & bonorum Virorum Collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri Locus, id est, cum Locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret, &c.* Hanc Epistolam refert ABBAS URSPERGENSIS *in Chron.* qui subjungit, istum Anselmum fuisse Virum Doctissimum, & Sanctissimum, adeò vt vivus, & mortuus miraculis claruerit.

1184 Verùm ad præfatam calumniam falsò adstruentem prędicti Grægorii electionem non fuisse de Cleri, & Populi cõsensu, clariùs propulsandã magnopere faciũt electionis Acta, quæ extant in Vaticano Archivo Apostolico de rebus gestis Gregorii VII. quibus manifestè convincitur oppositum, Gregorii nempè electionem fuisse summo totius Cleri, & Populi plausu, & acclamatione celebratam, quamvis eo prę humilitate, maximè reluctante. * Defuncto (inquiunt) Alexandro Papa, & in Lateranensi Ecclesia honorificè tumulato, dum Hildebrandus Archidiaconus esset in ejus exequiis occupatus, repente factus est in ipsa Ecclesia maximus Cleri, & Populi Romani concursus, clamantium, & dicentium: Hildebrandum Archidiaconum B. Petrus elegit. Quo audito idem Archidiaconus nimis expavit, & quasi extra se raptus cucurrit ad Pulpitum, cupiens Populum ipsum frequentem sedare, & à sua intentione recedere, & retrahere: Sed prędictus Hugo Candidus Cardinalis, vbi omnium vota in Archidiaconum convenisse indubitanter cognovit, citius præcurrit, & Populum ipsum in hunc modum allocutus est, dicens: Ecce, charissimi fratres, scitis, & indubitanter cognoscitis, quòd à diebus B. Leonis Papæ hic Archidiaconus tamquam Vir prudens, atque probatus hanc Sacrosanctam Romanam Ecclesiam plurimùm exaltavit, & Civitatẽ ipsam ab imminentibus periculis liberavit. Vnde quia idoneorem ad Ecclesiæ regimen invenire nequimus, nos Episcopi Cardinales vnanimiter ipsum nobis, & vobis in Pastorem, & Episcopum animarum nostrarum eligimus. Et continuò vniversitate Populi, & Cleri acclamante: Dominum Gregorium Papam S. Petrus elegit: indutus rubea chlamyde (sicut est mos) & Papali Mitra insignitus, invitus, & merens in B. Petri Cathedram fuit intronizatus.* Hæc ibi.

1185 Nec alicujus momẽti sunt, quæ Pseudo-Cardinalis Benno scripsit, dicens: * Alexandro Papa juxta vespertinã horã defuncto, eodem die contra Canones, à Laicis electus est (Gregorius) sed Cardinales non subscripserunt in electione ejus; sub Anathemate enim Canones præcipiunt, neminem eligi in Sedem Romani Pontificis ante diem tertium post sepulturam ipsius prædecessoris.* Non, inquam, subsistunt, quantum enim à veritatis scopo aberraverit, ac mentitus fuerit Benno, manifestè evincitur ex ipsiusmet Gregorii litteris *lib. 1. epist. 3.* quæ est ad Guibertum, Ravennatensem Antistitẽ, de sua electione sic loquentis: * Non dubitamus famam Litteras nostras antevolasse, & tàm vobis, quàm multis aliis Domini Nostri Alexandri Papæ obitum nuntiasse. Quod autem mihi valdè gemendum est, mors ejus super me cęcidit, & omnia viscera mea concutiens, penitus conturbavit, nam in morte ejus primò quidem Romanus Populus contra morem, ita quievit, & in manu nostra consilii fręna dimisit, vt evidenter appareret ex Dei misericordia hoc proveniisse: vnde accepto consilio, hoc statuimus, vt post triduanum jejunium, post Litanias, & multorum Orationem, Eleemosynis conditam, Divino fulti Auxilio statueremus, quod de electione Romani Pontificis videretur melius. Sed subitò cum prædictus Dominus Noster Papa in Ecclesia Salvatoris sepulturæ traderetur, ortus est magnus tumultus Populi, & fremitus, & in me quasi vesani insurrexerunt, nihil dicendi, nihil consulendi facultatis, aut spacii relinquentes, violentis manibus me in locum Apostolici Regiminis, cui longè impar sum, rapuerunt. Ita rectè ego cum Pro-

pheta (*Psalm.* 86.) possum dicere: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* Denique: *Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* (*Psalm.* 54.) Sed quia multis, & magnis curis fatigatus, satis dictare nequeo, miserias meas enumerare supersedeo.*

1186 Quàm autem falsò, & iniquè dixerit Benno, Cardinales electionis Decreto non subscripsisse, manifestè evincitur ex ipso Decreto, à nobis infrà adducendo; & quamvis istud deesset, sufficiebat expressus omnium Cardinalium Electorum, nemine eorũ reclamante, vel dissentiente cõsensus, quem indè evidenter probare possemus, quòd nullus repertus fuerit, qui tunc à Gregorio discesserit, vel schisma fecerit; longè enim post hęc, aliaque de causa conflatum est schisma. Si ergo in illius electione, nullum schisma factum est, oportuit vtique Cardinales consensisse. Quòd si consenserunt, eos etiam subscripsisse oportuit; si enim subscribere denegassent, non consensisse diceretur.

1187 Sed vt falsa Bennonis impostura clariùs evincatur, operæpretium duximus trãscribere electionis Decretum, quod eodem die, quo Gregorius Pontifex creatus est, publicari jussum fuit, miro Cleri, Populique Romani consensu, extatque *in Regest. epist. ipsius Gregorii in exordio* his verbis: *Regnante Domino nostro IESU CHRISTO, anno Clementissimæ Incarnationis, ejus millesimo septuagesimo tertio, Indictione, & Luna vndecima, 10. Kal. Maii, Feria 2. die sepulturæ Domini Alexandri bonæ mem. II. Papæ*, nè Sedes Apostolica diù lugeat, proprio destituta Pastore, congregati in Basilica B. Petri ad Vincula nos Sanctæ Romanæ Catholicæ Apostolicę Ecclesię Cardinales, Clerici, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Præsbyteri, præsẽtibus Venerabilibus Episcopis, & Abbatibus, Clericis, & Monachis, consentiẽtibus plurimis turbis vtriusque sexus, diversique Ordinis acclamantibus, Eligimus nobis in Pastorem, & Summum Pontificem, Virum Religiosum, geminæ scientiæ prudentia pollentem, æquitatis, & justitię pręstantissimum amatorem, in adversis fortem, in prosperis temperatum, & juxta Apostoli dictum (1. *ad Timoth.* 3.) bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium, castum, hospitalem, domum suam benè regentem, in gremio hujus Matris Ecclesiæ à pueritia satis nobiliter educatum, & doctum, atque pro vitę meritò in Archidiaconatus honorem vsque hodie sublimatum, Hildebrandum, videlicet, Archidiaconum, quem amodò vsque in sempiternum, & esse, & dici Gregorium Papam, & Apostolicum, volumus, & approbamus. Placet vobis? Placet. Vultis eum? Volumus. Laudatis eum? Laudamus. *Act. Romæ 10. Kal. Maii Indict. 11.**

1188 Huic nostrę sententiæ clarissimè sufftagatur HARTMANNUS SCHEDEL *Ætate 6. fol. 192. pag. 2.* hiscê brevissimis verbis: *Gregorius ejus nominis VII. Papa post Alexandrum Pontifex factus. Vix dum ejus Pontificis exequiæ solemniter ex more erant celebratæ, cum Clerus, & Populus ad funeris pompam congregati, Hildebrandum Archidiaconum acclamarunt à B. Petro in Pontificem esse electum; ad hosque clamores exciti Cardinalis, conclave ingressi, eumdem canonicè delegerunt. Quem Gregorium VII. placuit appellari.**

1189 Nec officit, quòd velit Benno, infirmandam esse Gregorii electionem, quòd non expectato triduo secundum Canones, electus fuerit; quia, vt rectè ait BARONIUS, quamvis ante triduum ex antiquorum Canonum præscripto Pontifex minimè eligendus foisset, & par esset jejuniis, precibus, eleemosynis (quod ipse Gregorius faciendum indixerat) Dei clementiam pręvenire, & exorare, vt quem dignum sciret Pastorem, Christiano gregi pręficeret; tamen cum Decretum à Nicolao Papa, Alexandri prædecessore, de Romani Pontificis electione promulgatum *cap. In nomine. distinct. 23.* quo eligendi Pontificis certa norma præscribitur, nihil penitus, de expectando triduo caviſſet, nihil est, quod de non expectato triduo objici potuisset. Sed & cum in eadem sententia, & post triduum, & post annum, & annos perseverasse noscantur, qui fuerunt legitimi Gregorii Electores; nec vlla fuerit ab eo facta discessio, nisi paucorum, post annos septem, cum ab Henrico Rege contra Gregorium electus est Guibertus Archiepiscopus Ravennas, quid de triduo non expectato objici jure potuit?

1190 Ex dictis manifestè concluditur,

tur, Gregorii electionem habuisse quidquid Canonica electio requirit, vt legitima existat; siquidem vt modo probavimus, facta fuit de communi Collegii Cardinalium Cleri, Populique consensu, pro vt illorum temporum mos exigebat.

1191 Nec tantummodò hujusmodi consensu commendata fuit prædicta electio, sed & vniversalem totius Christiani, & Catholici Populi acceptationē, & plausum promeruit, nedum quando Gregorius creatus fuit Pontifex, sed etiam postea totos illos septem annos, quibus Ecclesiæ navim fœliciter rexit, & vt legitimus Pontifex ab omnibus nullo reluctāte susceptus est. Et quāvis ab Henrico Rege, istiusque sequacibus inductus fuerit Schismaticus Antipapa Guibertus, nihilominus pro Gregorio semper steterūt quam plurima Christiani Orbis Regna, celebriorēsque Catholici, vt rectè annotavit ABRAHAM BZOVIVS *de Rom. Pontif. cap. 2. num. 16.* scribens: *Cęterum Oves CHRISTI alienum non sustinuerunt, sed Gregorium coluerunt. Et in primis quidem S. Anselmus, Lucensis Episcopus, Vir litteris apprimè eruditus, ingenio acutissimus, facundia pręcipuus, ac in Dei timore, & sancta conversatione celeberrimus, miraculis in vita, & post mortem clarus, & Deus dedit Cardinalis calamum pro Gregorio VII. adversus Guibertum prævaricatorem strinxerunt. Robertus Guiscardus, insignis Dux, arma in Henricum, & Antipapam sumpsit. Præter supradictos Cardinales Guillelmus Hirsaugiensis, & Hugo Cluniacensis Abbates, S. Anselmus Cantuariensis Antistes, Marianus Scotus, & Lambertus Scafnaburgensis sui temporis gravissimi Historici Gregorium VII. laudarunt. Bernardus Corbeiensis Monachus, Paulus Bentriedensis, & Georgus Richepergensis Antistes, pro eodem Apologeticos, quos Avēntinus *lib. 1. Annal. Bojorum*, se legisse fatetur, scripserunt, & sedibus suis pulsi in exilium abire, quàm Guiberto obedire maluerunt: idemque supplicium Giselbertus & Diemon Sanctissimi Archimādritæ subierunt. * Idipsum censet NICOLAUS SANDERUS *de Visib. Monarch. Eccles. lib. 7. num. 737.* qui addit: *Quid de Anglia, Italia, Polonia, Hispania, Gallia, Gręcia, Dania, Saxonia, cæterisque Orbis Christiani Regionibus dicam, quas Gregorio semper paruisse, & gravissimæ Historiæ contestantur, & nos ex ipsius rebus gestis paulò postea declarabimus? *

§. II.

In oppositum obiecta.

1192 NEc prędictis obstat argumentum Bennonis, cæterorumque Henrici sequacium, contendētium Gregorii electionem nullam fuisse, quòd in illa servata non fuerit norma ab Apostolica Sede præscripta, quæ per Nicolaū II. Hēnico Regi, istiusque Successoribus jus eligendi Pontifices concesserat; vt constat ex Decreti verbis *cap. In nomine Domini 23. dist.* pro vt etiam Adrianus I. prędictum eligendi Jus Carolo Magno tribuerat, vt patet *ex cap. Adrianus 63. distinct.* quo quidem eligendi Jure vsi fuerunt prædicti Caroli Successores: Vndè Imperatores tot sæculis Jus eligendi Summos Pontifices ex Apostolicæ Sedis concessione pręscripserant. Id autem in Gregorii VII. electione observatum non fuisse certissimum est; siquidem immediatè post Prædecessoris sui mortem, Cleri assensu, Populique acclamatione à Cardinalibus electus fuit, non expectato Henrici Romanorum Regis consensu, vt certum est apud omnes. Gregorii ergo electio nulla est existimanda; cum electio, cui præscripta eligendi forma deficit, ipso Jure reddatur nulla.

1193 Hoc argumentum vnum est ê præcipuis, quibus oppositi Authores probare conantur, Gregorium VII. in S. Petri Sedem intrusum, pro vt arbitrabantur Pseudo Synodi Patres, qui se se niti gloriabantur Nicolai II. Decreto, quo statutū esset, Romanum Pontificem absque Regis electione legitimè creari non posse; idque ipsum Decretum ab Henrici factionariis circumferebatur quasi plenum & absolutum Jus eligendi Romanum Pontificem Henrico, ejusque Successoribus tribuisset.

1194 Vt huic argumento plenius satisfaciamus, operæpretium duximus, aliqua prælibare; & imprimis supponimus negari non posse Imperatores, & Reges multis Pontificum electionibus interfuisse, vt communis est Authorum consensus. Discutiēdum tamen restat, quanam forma, & modo eis interfuerint; an videlicet solùm

de

de facto,an verò de Jure? si de Jure, an Jure Regio,vel Imperiali, an ex speciali Apostolicæ Sædis concessione? Si ex Apostolica concessione, adhùc superest inquirendum,an de illa constet, an non, præcipuè de Adriani I.& Nicolai II. concessione? Et dato quod de illis constiterit, quæritur an revocatæ fuerint, an in suo vigore persisterent? Has,aliasque difficultates,quæ in hac re occurrere possunt præliabndas censemus, vt præcipuam quæstionem oportuniùs resolvamus.

1195 Supponimus secundò, tamquam certum, multos Imperatores, & Reges de facto Ecclesiasticis electionibus, præcipuè Summorum Pontificum, interfuisse, mandantes, & super eis decernentes. In Orientalibus enim scissuris Imperatores, & Reges, eorumque Nuntii, & Oratores Supremæ Ecclesiasticę electioni se intromiserunt.& manus apposuerunt,eligentes,vel electionem confirmantes, taliter, vt quidquam de electione Romani Pontificis non deliberaretur, vel concluderetur, quin prius ab Imperatoribus Romanis approbatũ foret, alioquin subsecuta electio, vt nulla haberetur. Sic electi fuere multi Pontifices, præcipuè Pelagius II. qui cum injussu Justini Imperatoris ad Pontificatum assumptus esset *anno* 577.(vt scribunt PLATINA,& CARRIERE *in ejus vita*, BARONIUS, SPONDANUS, & alii *ad dictum annum*) Gregorium Diaconum, qui ei postea in Pontificatu successit, ad se super ea re purgandum Constantinopolim misit: qui quidem Pelagius cum in calamitosa tempestate incidisset Gregorium prædictum in consilium & auxilium adhibuit. Vndè licet Clerus,& Populus elegisset,Imperatorum tamen approbatio,& Authoritas requirebatur, prout evenisse legitur in Leone IX. Victore II. & Nicolao etiam II. Sed secundum Platinam in vita Pelagii talis Imperatorum comprobatio in Pelagii, & Gregorii electione omissa fuit.

1196 Et quamquam multa sint exempla quibus evidenter ostenditur Imperatores, & Reges in præcipuis Ecclesiasticis electionibus etiam Summorum Pontificũ, Jus eligendi quondam sibi violenter adrogasse, vt pervium erit Ecclesiasticas Historias evoluenti; aliqua tantummodo referemus,vt clarius innotescat quantum passa fuerit illis temporibus Ecclesia, quamque oppressa in Canonicis electionibus Ecclesiastica libertas Constantius, Constantini Magni filius, Eusebium Nicomediensem, in Constantinopolitanum Episcopum elegit, in cujus locum electus fuerat Paulus ex vna parte suffragiorum, & Macedonius ex altera, quibus ejectis prędictum Eusebium elegit, vt refert SOCRATES *lib.2. cap.5.*

1197 Nicephorus Phocas, in Oriente Imperator, Jus conferendi Episcopatus, Archiepiscopatus, & Sacerdotia sibi sumpsit;quo tempore Ottho I. in Occidente hoc Jure vti cępit, Authore ZONARA *tom. 3. anno Domini 961.* plura PETRVS GREGORIVS TOLOSANVS,*de Elect. cap.5.sub.num.* 13. vbi ponit Capitulationes Ioannis XII. cum Henrico I. & Ottone,ejus filio; quibus non obstantibus Imperatores investituram Episcopatuum sibi asciverunt, & inolevit jam mos, vt Episcopi eligerentur ab Imperatoribus, & Regibus,annuloque,& Baculo Pastorali investirentur,testê GVILLELMO TYRIO *lib. 1.Belli Sacri, cap.* 13. idque ipsum quàmplures Authores testantur. Similiter non desunt antiquitatis exempla Imperatorum, Jus sibi vsurpantium in Sacris Pontificum electionibus, vt videre est in Henrico VII. qui Constantium sequutus, Jure jurãdo adstrinxit Romanos, nè, ipso inconsulto, Romanum eligerent Pontificem, eam prętendens rationem, quod pessimo cuique aditus ad Pontificatum propter munera, & largitiones parebat, quæ irreligiosissimos Electores corrumpere solebant: Imò Imperatores Græci de facto destinabant Romanum Pontificem. Sic Justinianus Imperator, Vigilio Pontifici exilium indixit, licet eum postea restituetit. Justinianus II.Imperator alia via re assumere procuravit consuetudinem confirmandi electionem Romani Pontificis,quæ remissa erat à piissimo parente Constantino III. vt scilicet non crearetur Pontifex absque Exarchi assensu: Vndê factum fuit, vt multi muneribus, aliisque viis, Exarcho mediante, ad hujusmodi dignitatem pervenire conarentur, quippè qui militaribus copiis suffultus alium,quam sibi charum,ac probatum eligi non pateretur: ex quo sæpè schismata sunt exorta,vt testatur FRANCISCVS LONGVS *in suo Breviar. Chronolog. in vita Cononis Papæ, Anno 686.*

1198 Constans etiam Imperator manda-

davit Exarcho, vt cogeret Martinum I. jurare in Hæresim Monothelitarum, quod cum efficere nollet, Constantinopolim captivũ duci præcepit. Exarchus Ravennæ pecunia corruptus Paschalem I. Pontificem creari curavit ex GAMBARA *in Repet. Extra. Iulii II. num.* 142. Henricus IV. vim intulit Paschali II. De aliis innumeris exemplis videri possunt Authores, præsertim PLATINA, qui complura refert exempla Pontificum, qui Imperatorum, & Regum Italiæ jussu creati fuerunt, vt patet de Silverio, jubente Theodato, Gothorum Rege; de Vigilio, jubente Belisario; de electione etiam Bonifacii I. *anno* 423. patet tempore Honorii Imperatoris: cum enim Bonifacius in Basilica Julii eligeretur, & eodem tempore in Basilica Constantini Eulalius, orta est in Ecclesia discordia, de qua certus factus Honorius Cæsar ambos expulit, & post septimum mensem revocavit Bonifacium, testê PLATINA *in vita ejusdem Bonifacii.*

1199 Idipsum prorsus antea acciderat in Papatus contentione inter Damasum I. & Vrsicinum Antipapam: Valêtiniani enim Imperatoris Rescripto Damasi electio cõfirmata fuerat. Et de *anno* 498. à Theodorico, Gothorum Rege, dirempta fuit controversia inter Symmachum, & Laurentium, vt tradit PLATINA *in vita Symmachi, anno* 649. Martini I. electio confirmata fuit ab Imperatore; sed cum eius hæresi assentiri noluerit, post multa opprobria Constantinopolim advectus, tandem Chersonam in exilium missus fuit. Cum autem interea, eo vivente, Theodoro Calliopa Exarcho de Imperatoris mandato, instante, alius Pontifex Romæ creatus esset, restitit diû Senatus, & Clerus Romanus, asserens contra jus, fasque esse vt, Martino vivente, alius in ejus locum subrogaretur. Verûm nè cogeretur Romana Ecclesia subire periculum, vt nisi ipse Clerus eligeret, daretur invitis ab Imperatore Romanus Pontifex, qui ejusdem cum ipso esset hæresis propugnator, eam duram conditionem acceperunt inviti, & Eugenium I. virtute, fama, & Charitate in Pauperes clarum, elegerunt; ita tamen, vt vivente Martino, quasi ejus Vicarius Ecclesiam regeret, vt colligitur ex ejusdem MARTINI *epist.* 18. & refert FRANCISCVS LONGVS *in Breviar. Chronolog. anno* 662.

1200 Et *Anno* 897. quo tẽpore magnopere oppressa erat Ecclesiastica libertas circa hanc electionem, sub Stephano VII. & tempore Justiniani sequuta electione per Clerum & Populum, nulla ratione Pontificalia administrare, neque se pro Pontifice vlla in re electus gerere poterat, nec electio perfecta dicebatur, nisi priùs electionis ratio scripta ad Imperatorem Orientalem Constantinopolim, ab eodem electio per suos Apocrisiarios, sivè Responsales, missa esset, à quo examinata, & approbata confirmaretur, & ipse Imperator Litteris suis parentibus electo Pontifici licentiam concederet, vt ab Episcopis finitimis benedici, ordinari, & consecrari posset in Episcopum Romanum; cujus consecrationis munus primùm spectabat ad Episcopum Hostiensem. Sic Vitalianus Papa electus *anno* 657. juxta consuetudinem prædictam, ordinationem suam per suos Responsales cum Synodica epistola ad piissimos Principes significasse legitur, *Cap. Agatho* 21. §. *Item Vitalianus.* 63. *dist.*

1201 Hoc Jus confirmandi Romani Pontificis electionem vsurpatum creditur ab Imperatoribus, vt ipsi certiores fierent de novi Pontificis creatione; quippê cujus maxima tunc erat Authoritas, nè Imperatoribus, in Oriente morantibus, maximè ab Italia absentibus, si aliquis minus Imperatori gratus Pontifex crearetur, Roma, & tota Italia, eo Authore, ab Orientalis Imperii devotione deficeret; pro vt Justinianus Imperator falsò suspicatus est tentasse Silverium. Hac enim ratione fiebat, vt is potissimum in Romanum Pontificem deligeretur, qui Imperatori, à quo confirmandus erat, gratus, & amicus crederetur, quemque ille confideret nihil in Italia novi moliturum, vt testatur PANVINIVS *ad Platinam in vita Pelagii* 2.

1202 Secundò supponendum, Imperatores, & Reges in multis Summorum Pontificum electionibus habuisse Jus, & Authoritatem ex speciali Apostolicę Sedis concessione: Vndê Jus eligendi, non tàm fuit Juris vsurpatio, & violentia Ecclesiasticæ libertati illata, vt exempla hucusque adducta suadent, quàm legitimum Jus ab Apostolica Sede concessum. Sic censent aliqui Authores, qui probare contendunt, Imperatores, & Reges legitima Authoritate facultatem habuisse in Pontifi-

cum

cum electionibus; quod suadere conantur ex eo, quòd Stephanus Papa statuerit, vt cum instituendus esset Pontifex, conuenientibus Episcopis, & vniverso Clero eligeretur, præsente Senatu, & Populo, qui ordinandus esset, & sic ab omnibus electus, præsentibus Legatis Imperialibus consecraretur; vt habetur *in cap. Quia Sancta. 63. dist.* Et hujus rationem assignat GLOSSA: *Vt nullus Hęreticorum, & Schismaticorum electioni contraveniret, pro quibus sæpè Ecclesia periclitabatur. Et vt ipsi Principes tamquam filii devotissimi consentirent in electum, quem sibi viderent, in Patrem eligi, sicut de Ambrosio fecit Valentinianus.* Eamdem causam assignat, Gratianus ibi dicens: *Repræsentabatur ergo electio Pōtificum Catholicorum Principibus vt eorum Authoritate roborata nullus Hęreticorum, vel Schismaticorum auderet contraire. Et vt ipsi Principes tamquam devotissimi filii in eum consentirent, quem sibi in Patrem eligi viderent, vt ei in omnibus suffragatores existerent, sicut Valentinianus B. Ambrosio legitur dixisse: Noli timere; quia Deus qui te eligit, semper te adjuvabit, & ego adiutor & defensor tuus, vt meum ordinem decet, semper existam.*

1203 Pariter Adrianus, hujus nominis primus, in Lateranensi Synodo *anno 773.* Celebrata eadem hanc Potestatem eligendi Pontificem, & Apostolicam Sedem Ordinandi, Dignitatesque Patriarchatus, & Episcopatus conferendi Carolo Magno, Pipini filio, dedit, decernens Archiepiscopos, & Episcopos ab ipso Rege investituram accipere, & nisi à Rege laudarentur, & investirentur, à nemine consecrarit: qui verò contra hoc Decretum ageret, Anathema esset, & nisi recipisceret, bona ejus publicarentur, vt ait PANVINIVS *lib. 3.* idque habetur apud GRATIANVM *in cap. Adrianus 22. dist. 63.* Hanc tamen facultatem nec ipse Carolus, nec ejus Successores vsurpasse videntur, imò neque Ecclesiæ libertati officere Jus sibi ab Adriano Apostolica Authoritate delegatum.

1204 Leo etiam VIII. ad Adriani I. exemplum eamdem facultatē dedit Othoni I. Germanorum Regi, istiusque Successoribus, confirmavitque Jus ab Adriano III. ademptum; hic autem Otho declaravit, hoc Jus ad Clerum, Populumque spectare; sicut ipse Leo fuerat electus *anno 963.* & ab ipso Othone confirmatus. Sed mutata Sententia cum Romani deposuerunt, & in ejus locum Benedictum creaverunt. Quare indignatus Otho coegit, Romanos Leonem in Sede reponere; decrevitque, vt tota Potestas Cleri, Populique Romani in electione Romani Pontificis in Imperatorem transferretur, ex PLATINA *in vita ejusdem Leonis VIII.* & *cap. in Synodo, 63. dist.*

1205 Tandem Symmachus Papa in vltimo vitæ agone constitutus Basilium Patritium, qui Odoacris Regis vices gerebat, rogavit, vt Successoris electioni interesset: vndè Basilius statim, Symmacho adhùc vivente, Constitutionem edidit, quòd sine ejus consultatione Romani Pontificis electio fieri non deberet. His ergo suppositis.

1206 Præcipuo argumento, & exemplis ipsum confirmantibus, quæ suppositione secunda retulimus, ex quibus ostendi videtur, multos Imperatores, & Reges aliquos Pontifices elegisse, & eligi præcepisse, respondemus, ea omnia de facto, non propria sed vsurpata jurisdictione evenisse, non verò Jure aliquo nec Divino, nec Canonico; non quidem Divino; licet enim CHRISTVS eligendi Pontificis Potestatem hominibus dederit; nullus tamen Laicus, sivè simplex sæcularis, sivè Princeps, Rex, aut Monarcha Jure Divino habuit talem eligendi Pontificis Potestatem; vt docent communiter Authores, præsertim Cardinalis TVRRECREMATA *in cap. 1. dist. 63.* & CAJETANUS *tom. 1. Opuscul. tract. 1. cap. 13. & tract. 2. part. 2. cap. 22.* Cardinalis BELLARMINVS *lib. 1. de Cleric. cap. 7.* GRAVINA *tom. 3. part. 2. lib. 4. controvers. 4. dub. 3.* BARBOSA *lib. 1. de Iure Eccles. cap. 1. num. 54.* & *in cap. Adrianus 2. & cap. In Synodo dist. 63.* SUAREZ *disp. 10. de Fide, sect. 4. & contra Reg. Angl. lib. 3. cap. 29. num. 7.* S. ANTONINUS *3. part. tit. 21. cap. 2. §. 6. & 10.* BZOVIVS *de Rom. Pontif. cap. 2.* BONACINA *de Elect. Pontif. controvers. 1. quæst. 1. num. 10.* BARONIVS *ad annum 774. num. 10.* & *ad annum 884. num. 22.* AZOR *part. 2. lib. 4. cap. 2. quæst. 3.*

1207 Id ipsum multis rationibus suadetur. Primò, quia nullibi in Sacra Scriptura habetur, CHRISTVM hanc eligendi Pontificis Potestatem Laicis etiam Prin-

ci-

cipibus, concessisse, & licet hæc Potestas data sit à CHRISTO Ecclesiæ, indè tamen non sequitur, eam datam esse à Laicis exercendam; Iure enim Divino, Populi sunt oves *Ioan. vltim. Actor.* 21. 2. *Petri* 5. Naturalis autem ratio dictat ovium non esse regere, sed regi, custoditi, & pasci: Pontificis verò electio ad quoddam, & quidem magnum Ecclesiæ regimen spectat, & quæ meritò commendanda non est, nisi his, qui ad Ecclesiæ regimen sunt assumpti: ergo ad solos istos, & non ad Laicos etiam Principes Jure Divino spectabit; sicut enim in Regnis electivis Regis electio ad Supremos Imperii Principes spectat: sic pari modo Summi Pontificis electio pertinere debet ad Supremos Ecclesiæ Principes, quales sunt Episcopi, & Cardinales, juxta illud: *Constitues eos Principes super omnem terram*; quod de Apostolis, eorumque Successoribus, Episcopis, & Cardinalibus juxta varia eorum in Ecclesiæ regimine munera intelligitur, vt quamplurimi Authores exponunt, & præcipuè TVRRECREMATA *de Ecclesia*, & alii, suo loco adducendi.

1208 Secundò; quia CHRISTVS dixit *Ioan.* 20. *Sicut misit me Pater, sic ego mitto vos.* Quibus verbis innuit, suæ intentionis esse, vt Apostoli sic gubernarent Ecclesiam, vt eum imitarentur; Apostolos autem & deindè septuaginta duos Discipulos elegit ipse CHRISTVS absque vllo Laicorum suffragio; & in hoc Magistrum suum imitati sunt Apostoli, præcipuè Petrus, & ejus Successores, ad omnes mundi partes præficientes Episcopos, nullo Populorum, vel Principum requisito consensu: de quo videri potest ABRAHAM BZOVIUS *de Pontif. Rom. cap.* 2. Sic etiam teste RUFFINO *lib.* 10. *cap.* 9. S. Athanasius, nihil de hoc cogitantibus Indis, eorum Episcopum ordinavit S. Frumentium; & NYSSENUS *in Vita S. Gregorii Thaumaturgi* refert, eum fuisse datum Episcopum Apameæ, dum illa Civitas adhùc detinebatur Gentilitatis errore, & solùm septemdecim Fideles habebat. EPIPHANIVS quoque *in Epist. ad Ioan. Ierosol.* scribit, se Presbyterum ordinasse Paulinianum, S. Hieronymi fratrem, & eum misisse, vt Sacerdotali munere fungeretur in Monasterio, cũ nihil de ea re ad Monachos scripsisset: quapropter, cum Populi, & Laici etiam Principes non habeant Jus Divinum, vt sibi Episcopos eligant, multò minus habebunt ad Summum Episcoporum, Papam videlicet eligendum.

1209 Tertiò; quia eligendi Pontificis formam præscribere, illiusque Electores, locum, tempus, & modum determinare, cum hæc vna sit, ac suprema omnium Ecclesiasticarũ electionum, ad illum spectare debet, qui toti Ecclesiæ præest, Romanum videlicet Pontificem, cui vni à Deo commissa est suprema Fidelium, omniumque Ecclesiarum directio, præcipuè in his, quæ Spiritualia concernunt, & ad Spirituale Ecclesiæ regimen spectant; vt optimè probant S. ANTONINVS *part.* 3. *tit.* 21. §. 10. Cardinalis CAJETANUS *tom* 1. *Opusculorum*, *tract.* 1. *cap.* 13. & *tract.* 2. *part.* 2. *cap.* 22. PANORMITANVS *cap. licet. num.* 1. SILVESTER *ver. Electio*, *num.* 3. AZOR *part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *quæst.* 2. SUAREZ *disp.* 10. *de Fide*, *sect.* 4. *num.* 11. & *lib.* 3. *cap.* 13. *contr. Reg. Angl. num.* 13. GRAVINA *tom.* 3. *part.* 2. *lib.* 4. *controvers.* 4. *dub.* 3. §. *Confutatio*, CASTELLINVS *de Elect. cap.* 10. *num.* 2. BARBOSA *ad cap. In nomine Dom.* 23. *dist. num.* 5. & *cap. Licet. de Elect. num.* 11. FRANCVS *cap. Vbi periculum*, *num.* 4. *de Elect. in* 6. SCORTIA *Theor.* 135. Cum ergo electio Papæ ad totius Ecclesiæ bonum spectet, sitque Juris Spiritualis, ad illum dumtaxat spectare debet Electores nominare, cui competit totam Ecclesiam in Spiritualibus regere, Romanum videlicet Pontificem, ac per consequens illis tantummodo Jus eligendi in Pontificiis Electionibus competere poterit, quibus dumtaxat Apostolica Sedes Petri delegaverit.

1210 Quod autem Jus eligendi Pontificem Sæcularibus Principibus Ecclesiastico Jure delegatum non sit, præclarè constat, cum id Canonico Jure prohibeatur. Sic *in Laodiceno Concilio cap.* 13. & 61. definitum fuit, Laicis permittendum non esse, eorum, qui sunt Altaris ministerio applicandi, electionem facere; supra quem Canonem videndi ZONARAS, BALSAMON. Et ex eodem Concilio habetur hoc Decretum *cap. Non est*, *dist.* 63. Extat etiam Rescriptum Stephani Papæ ad Archiepiscopum Ravennatensem, & habetur *in Cap. Nosse*, *dist.* 23. his verbis: * Sacerdotum est electio, & fi-

delis Populi consensus adhibendus est; quia docendus est Populus, non sequendus. Nam in Fidei, & Doctrinæ examine, quo, vtrum quis sit idoneus, discutitur, doceri, non docere debet Laica Potestas.* Et simile Decretum fuit in VII. SYNODO, quæ fuit NICÆNA II. & in VIII. SYNODO, & in CONCILIO MARTINI PAPÆ, & alibi sapè, & habetur *cap.*1.2.3.4.5.6.7. *&* 8. *dist.* 63. & cum modò, ex pluribus Constitutionibus Pontificum, electio Papæ ad solos Cardinales pertineat, inde constat, quòd non ad Laicam Potestatem. Cujus egregiam reddit rationem Stephanus Papa vbi supra; quia vbi agitur de investiganda Fide, Doctrina, & Idoneitate eligendi ad Ecclesiasticas Dignitates, Populi, & Laicorum munus est, non docere, sed doceri.

1211 Insuper firmius stabilitur Jure Canonico omninò vetitum fuisse, nê Laica Potestas etiam Principum in Ecclesiasticis electionibus sua Potestate abuteretur; quia in Jure Canonico expressum habetur, nullam reddi Ecclesiasticam electionem per Sęcularis Potestatis abusum, vel influxum factam; cum id sit contra naturalem Ecclesiasticæ electionis libertatem, si Sęcularis Potestas illi se immisceat; & Ecclesiæ omnimodam libertatem providendi sibi de Ministris, & Prælatis non relinquat. Quapropter *cap. Quisquis*, 43. *de Elect.* ita decernitur: *Quisquis electioni de se factæ per Sæcularis Potestatis abusum, consentire præsumpserit, contra Canonicam libertatem, & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec sine dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem. Qui verò electionem hujusmodi, quam ipso Jure irritam esse censemus, præsumpserint celebrare, ab officiis, & beneficiis pęnitus suspędantur per triennium, eligendi tunc Potestate privati.*

1212 Pro clariori hujus textus expositione sciendum est, CARDINALEM OSTIENSEM sensisse, sermonem esse de sola ad Episcopatum electione; PANORMITANUM verò *in dict. cap. num.* 3. ex Innocentio, quem sequuntur alii, arbitratum, sermonem esse de electione ad quamcumque dignitatem, sed quoniam illud Caput desumptum est ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & sequitur immediatè *ad cap. Quia propter*; in vtroque Capite de eadem electione Decretum fuisse præsumendum est, & cum *in cap. Quia propter*; quod *ex cap.*24. dicti Concilii desumitur, sit sermo de sola electione Prælatorum, probabilius dicitur cum communi Doctorum, quod de eadem, est sermo etiam *in cap. Quisquis*, quod est dicti Concilii *cap.*25.

1213 Quo supposito, videndum modò superest, quid per Sęcularis Potestatis abusum vetitum sit *in cap. Quisquis* in Ecclesiasticis Prelatorum electionibus? Et in primis quid senserit GLOSSA audiamus, quæ *verb. Abusum*, inquit: *Abusum hunc esse, si Princeps Laicus, vel Potestas interfit electioni.* * Innocentius: * Quando Clerici in electionibus Prelatorum Laicos interesse fecerint *cap. Sacrosancta*, & *cap. Massana. de elect.* vel Principes Laicos super personis eligendis requirunt Clerici, vt consensum præstent. *Cap. Cum terra, & cap. Cum sicut, de Elect.* Alii dicunt, abusum esse, si Laicus interfit Electioni, vel aliquod munus in ea exercet, SUAREZ *de Censur. disp.* 31. *sect.*3.*num.*14. GIBALINVS *in Synopsi Censurar. ver. Electio*, *num.* 8. Sed BONACINA *de Censuris*, *disp.* 3. *quæst.* 4. *pag.* 5. *num.* 2. asserit, abusum esse, quando Electores eligunt cum assistentia, aut Authoritate Laicorum. Dicendum propriè est, abusum esse, prout si Sæcularis, & præcipuè Princeps, interfit electioni, tamquam elector, & dans suffragium cum Clericis Electoribus. *Cap. Massana, de Elect.* Secundò, si Clerici Electores petunt consensum Laici super persona eligenda. *Cap. Cum terra, eod. tit.* Vndê abusus Sęcularis Potestatis est, si Laicus aliquod munus Spirituale exercet circa electionem, vt si ibi interfit tamquam gerens aliquam jurisdictionem in Clericos Electores; Laicis enim non competit aliqua jurisdictio in Ecclesiasticos, ex CONCILIO LATERANENSI III. *cap.* 19. & BVLLA COENÆ. Et tandem si Laicus quocumque modo se ingerat electioni, est abusus Potestatis quamtumvis Principis *cap. Nullus*, 63. *dist.*

1214 Quæ quidem electio per abusum Potestatis est in Jure Canonico sub gravissimis pœnis, & sub nullitatis Decreto vetita; adeò, vt postulantes, aut eligentes aliquem per impressionem Laicorum sint privati ipso facto pro ea vice facul-

ta-

tare eligendi, & hujusmodi electio est ipso Jure nulla. BARBOSA *ad cap. Bonæ 23. de elect. num. 3. ex Cosm. in Pragmat. Sanct. tit. de elect. vers. præsumant. Et 16. quæst. 7. per multa cap.* ita interdictum est recipere Ecclesias de manu Laicorum; singulariter verò *cap. Si quis Clericus.* 16. PASCHALIS Papa II. hujusmodi excommunicat, dicens: *Siquis Clericus, Abbas, vel Monachus per Laicos Ecclesias obtinuerit, secundum Sanctorum Apostolorum Canones, excommunicationi subjaceat.** COMITOLVS *in Respons. Moral. lib. 1. quæst. 68.* AZOR *part. 2. lib. 6. cap. quæst. 28.* BARBOSA *ad cap. Quisquis 43. de elect. num. 2.* Vndè siquis à Laicis dignitatem obtinet, irritam esse impetrationem, & nullam, docet PANORMITANUS *in dict. cap. Quisquis*, quem sequitur AZOR *par. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 28.*

1215 Ex dictis convincitur, quòd cum tot Canonici Juris Decretis prohibitum sit Laicis, in Ecclesiasticis electionibus, Laica sua Authoritate abuti, & quemlibet influxum, sivè consensus, sivè præcepti in illas præbere determinantes personam, vel jurisdictione aliqua in ordine ad Ecclesiasticam electionem vtentes; Jure optimo in Ecclesia à Laica Potestate pęnitus alienum, & vltra hujusmodi jurisdictionis limites, semper existimatum est, eos inferiorum adhùc Prælatorum electionibus interesse, adeò vt semper nulla, & irrita habita sit quælibet Ecclesiastici Prælati electio, Laica cujusvis, quantumvis Principis Potestate, aut consensu facta. Potiori ergo Jure à Sacris Canonibus, & Conciliis inhibitus erit quilibet Potestatis, & jurisdictionis Laici Principis influxus in Supremam Ecclesiasticam electionem, qualis est Romani Pontificis: Vndè verosimile non est, Principem aliquem Laicum vllius Romani Pontificis electioni de Jure, sed dumtaxat de facto interfuisse; cum id Ecclesiasticæ libertati, Divino, naturalique Juri, Sacris Conciliis, & Canonibus, supra relatis, pęnitus adversetur.

§. III.

Quid Iuris in Romanorum Pontificum electionibus adquisitum Laicis Principibus sit ex memoratis Adriani I. & Leonis VIII. concessionibus.

1216 HVic difficultati, in qua oppositæ Sententiæ vis præcipuè innititur, respondetur, absolutè negando, Principes, & Imperatores habuisse Jus aliquod ab Apostolica Sede, sivè ab Adriano, sivè Leone legitimè concessum, ad Romanos Pontifices eligendos, eorumque electiones infirmandas, vel confirmandas. Quod multiplici ratione ostenditur.

1217 In primis enim dicimus, hanc concessionẽ, vt fertur, Carolo Magno ab Adriano I. factã, nullo veritatis fundamento innitj; sed potiùs esse à Sigiberto Schismatico inventã, & à nullo ex illius temporis Scriptoribus, qui Caroli Magni res gestas magna diligẽtia in lucem edidere, assertam; vt pręclarè tradit Cardinalis BARONIVS, qui Jure optimo in Sigebertum, hujus fictitiæ concessionis Authorem, hiscè verbis invehitur *ad annum* 774. *num.* 10. *Antequam autem vlterius progrediamur, conveniendus est nobis Sigebertus, atque de re magni momenti ab eo ratio exposcenda. Iste quidem, cum totis viribus foveret partes Henrici Imperatoris Schismatici, in gratiam ipsius finxit, quod ille vanè prætendebat, jam fuisse concessum à Romano Pontifice Adriano Carolo Magno Imperatori, quod ipse tradit *in sua Chronographia anno* IIII. Nam videns, quòd ista per veteres ejus temporis Historicos probari minimè possent, quid fecit? in gratiam Schismatici Imperatoris vindicantis sibi Ecclesiarum investituras, dolo malo sua Chronographia anno gesta superiori poluit ista. (Postea rediens Carolus, Papiam cępit, iterumque Romam rediit, Synodum constituit cum Adriano Papa, aliisque centum quinquaginta tribus Religiosis Episcopis, & Abbatibus, in qua Adrianus Papa cum vniversali Synodo dedit ei Jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem, dignitatem quoque Patriciatus, insuper Archiepiscopos, & Episcopos per singulas Provincias ab eo investituram accipere definivit, & vt nisi à Rege laudetur, & investiatur, Episco-

copus, à nemine consecretur; omnes huic Decreto rebelles Anathematizavit, & ni si resipiscerent, bona eorum publicari.) Hęc Sigebertus, qui ista scribebat *anno Redemptoris* 1112. *post annos* videlicet 338. ab hoc tempore, nullo alio Authore consscio, favens ipsi Henrico Imperatori Schismatico, vt ex ejus scriptis quisque facilè videre potest, in cujus gratiam ejusmodi adornasse impostruram aperta luce quidem quisque veritatis syncerus inspector intelliget.*

1218 Quod rem tantam nullus noverit, vel scripserit Antiquorum, sed post numeratos *annos* 300. vnus dumtaxat Sigebertus sciverit, aut Litteris prodiderit, optimè probat idem BARONIVS; etenim ex omnibus rerum Francorum Scriptoribus, qui ipsum tempore præcesserunt, nullus pęnitus reperitur, qui rem momenti tanti de Carolo asseruerit: nam qui vitam scripserunt ejusdem Caroli Magni, necnon & qui per annos singulos res ab eo gestas quàm diligentissimè digesserunt, de his nihil pęnitus, cum alioqui iidem Scriptores nec minimum prætermiserint Conventum publicè habitum, quem scriptis non reddiderint *suo* quemlibet *anno*. Quonam igitur tantum mendacium introducit Authore, cum potiùs contrarium omnes affirment?

1219 Quod post captum Ticinum Carolus non venerit Romam, nec cum Adriano celebrata fuerit ibi Synodus memorata, disertè probat idem BARONIVS ibi *n.* 11. Et *num.* 12. pergit confutando impostruram Sigiberti, dicens: *Sed quid in his immoramur, cum Eginhardus, qui Caroli Magni lateri inhærebat, & vitam ejus scripsit, omnem de his aufert dubitationem, dùm expressè affirmat ipsum Carolum non nisi quater Romam se contulisse. Quod si verum esset, quod turpiter nimis Sigebertus mentitur, non quater, sed quinquies Romam venisse Carolum, dicendum esset contra Eginhardum, & omnes, qui res gestas Caroli prosecuti sunt::: Vbi ergo quintus à Sigeberto confictus, nusquam sertus ab alio aliquo, vel excogitatus Caroli Magni in Vrbem adventus? Vt alterum de duobus necesse sit, vel Eginhardum, & alios omnes hujus temporis Authores, & cæteros omnes, quotquot fuerunt, esse mentitos, vel his omnibus adversantem Sigebertum post trecentos, & amplius annos ista scribentem, & contraria profitentem, atque impossibilia asserentem, turpiter admodum dolo malo ista finxisse, & pro animi arbitrio in Henrici gratiam composuisse, vt saltem aliquis, quamvis commentitius extaret titulus, quo adversus Romanum Pōtificem Imperator Schismaticus Jure agere videri posset.* Hactenus Baronius.

1220 Eamdem Sententiam tenet nobilis Hispanus D. Emmanuel Gonzalez, Salmaticensis Cathedræ moderator *in 1. Decretal. tit. 6. de electione, & electi potest, cap. licet 6. num.* 12. vbi hæc habet. *Mutato Imperio sunt qui affirmēt, Adrianū Papam infestatum à Desiderio, Longobardorum Rege, advocasse Carolum Magnum, illique concessisse Jus eligendi Pontificem, quod post Ludovicus ejus filius renuntiavit, vt habetur *in cap. Adrianus, cap. Ego 63. dist.* Sed hujus fabellæ Author est Sigebertus, Historicus Schismaticus, qui Henrici Imperatoris partes propugnans, fabulam commentus est Synodi Romanæ centum quinquaginta trium Episcoporum, in qua Adrianus Papa Carolum Magnum summo decoravit privilegio, non modò confirmandi Pontificis electionem, sed quod hactenus fuerat inauditum, sola, & propria Authoritate eligendi pro libito. Post Sigebertum Gratianus nimia credendi facilitate adductus, commentitii illius Concilii Decretum suæ Canonum Collectioni inseruit, quę res multos incautos, ipsumque Onuphrium decepit.*

1221 Reverendissimus P. PETRVS PASSERINVS, de SEXTVLA, Ord. Prędicat. Vicarius Generalis, *de Elect. Summi Pontificis quæst.* 5. *n.* 19. fictitiam pariter reputat dictam concessionem, sic scribens: *Sed quantum ad istam concessionem, cum nec Sigebertus Schismaticus sit fide dignus, & ea Synodus centum quinquaginta trium Episcoporum numquam ab Adriano celebrata fuerit, & Eginhardus comes, & Scriptor vitæ Caroli nullibi quintæ hujus profectionis Caroli Magni in Vrbem, aut ejus Juris in electione Pontificis mentionem fecerit, & Carolus, vt habetur *Capitular. lib.* 1. *cap.* 84. *apud* BZOVIVM *in Pontif. Romano, cap.* 2. lege lata electionem Episcoporum liberam esse decreverit, & Adriano vita functo, in electione Leonis III. Stephani V. Paschalis I. Eugenii II. Valentini I. Sergii II. nullus Imperato-

to-

torum quidquam sibi Juris præsumpserit, meritò falsa censetur & ficta, ad favorem Schismaticorum à Sigeberto inventa, pro vt falsam & fictitiam esse existimaverunt alii Authores.*

1222 NATALIS ALEXANDER *sæcul.8. Histor. Ecclesiast. cap.1. art.9.* agens de Adriano I. ejusque asserto privilegio Carolo Magno concesso, vt habetur ex Gratiano *dist.63.* *Hanc(inquit)cõcessionem fictitiam esse probat Anastasii Bibliothecarii, Eginhardi, & Antiquorum Authorum, qui res gestas Caroli Magni scriptis commendarunt, silentium. Secundò, duplicis adventus Caroli Magni Romam intra eumdem annum narratio, repugnat testimoniis Authorum Carolo Synchronorum::::: Neque Carolus, nec ejus filii fictitio illo Jure in Romani Pontificis electione vmquam sunt vsi. Adrianus etiam *in Epist. ad Carolum Magnum data anno* 787. indicat desiderium Christianissimi illius Regis, vt Episcopi Ravennatis electio non fieret absque missorum suorum interventu. Cui respondet Adrianus: id numquam factum, sed morem istum observatum etiam temporibus Pipini Regis, vt Decreto Cleri, atque plebis ad Sedem Apostolicam perlato, proprium Antistitem sibi consecrandum Ravennates peterent. Multò minus ergo concessisset Carolo Jus eligendi Romanum Pontificem.*

1223 IVLIVS LABORIVS, Protonotarius Apostolicus *Variar. Elucubrat. tom.1. tit.4. cap. 4. num.25.* *Non desunt, asserit, qui dicant, falsum esse, hanc Authoritatem ab Adriano Carolo Magno traditam fuisse, & Gratianum id retulisse, cum id recepisset à Sigeberto *in Chronico anno* 773. Sigebertum verò in hac re suspectum esse, cum Scriptores illius temporis nihil tale enarrent, vt Eginhardus, Cancellarius Caroli Magni, in ipsius vita, & Anastasius Bibliothecarius in vita Adriani I. eo quòd ipse Sigebertus, quamvis Monachus fuerit, potiùs Imperatorum, quam Pontificum fautor. Imò contrarium videtur, cum potiùs Carolus statuerit, quòd electio absque Sęcularium interventu fieret, vt dicimus, & patet *ex lib. Capitular. ipsius Caroli, & Ludovici, cap.* 84. *in cap. Sacrorum, dist.63.*

1224 Eruditione Ecclesiastica eximius hujus temporis Scriptor P. CHRISTIANVS LVPVS *in Synopsi Concilior. tom. 3. Proœmi.* quærit. *An similem nominandi facultatem ab Adriano I. Pontifice, vel Leone III. habuerit Carolus Magnus?* Cui difficultati sic respondet: *In laudatis ad S. Amulum Litteris affirmare videtur, jam dictus VVenilo, (cujus verba refert.) At certum est errare; etenim illud nullibi extat authenticum, cujus sensum, ac compendium ex Sigeberto Gemblacensi, aut alio id genus Scriptore in suas distinctiones transtulit Gratianus Monachus.*

1225 Et *Tom. 4. fol. 162. in Schol. ad Can. 1. Concil. Rom. sub Nicolao* 1. hæc habet: *Quod Carolo Magno per Adrianum 1. concessa nominandi Pontificis facultas sit manifesta fabula, pluribus id suprà ostensum. Et quomodo si nominandi Pontificis Jus habuisset ab Adriano I. Carolus, solam Papalis Consecrationis relationem, data Sardinia, atque Sicilia Ludovicus Pius impetrasset? Marsilium Patavinum, & Radulphum de Columna, fabulosę concessionis patronos, *in Opere de translatione Imperii, cap.* 8. & 293. adeò pressit istud edictum, vt profiteantur Carolum ista sua Potestate numquam fuisse vsum.*

1226 Eidem Sententiæ suffragatur P. FRANCISCUS LONGUS A CORIOLANO *in Breviar. Chronolog. Pontif. & Concilior.* siquidem *ad annum* 774. hęc scribit: *Hic detegenda, & confutanda detestabilis fraus, & impostura Sigeberti in fine suę Chronologiæ *anno* 1111. qui in gratiam Schismatici Imperatoris Henrici, vindicantis sibi Ecclesiarum investituras, confinxit, Carolum post receptam Papiam, Romam reversum, habitoque Concilio centum quinquaginta trium Episcoporum, ab Adriano Papa, & Vniversali Concilio accepisse Jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem, & investiendi Archiepiscopos, & Episcopos per singulas Provincias. Atque hæc scribebat Sigebertus post *annos* 338. Cum nullus planè alius reperiatur eorum, qui ante eum scripserunt res Francorum, qui vel levem ejus rei, vel Synodi mentionem fecerit: Nec Eginhardus, qui lateri Caroli inhærens res ejus scribebat, vel verbum de hoc Jure Carolo collato fecerit. Creditum id à posterioribus fuit, nullo adhibito diligentiori examine, & Ecclesiastici tractatores non hæc refellere ab Adriano Caro-

lo

lo concessa, sed fuisse postea revocata ostendere laborarunt. Ex iis vnus Gratianus, nimis credulus, eamdem Sigeberti impostturam improvidè nimis in suum librum Decretorum ad verbum transtulit, *dist. 63. cap. Adrianus Papa*, quasi aliquod fimissimum Pontificum, vel Synodi OEcumenicæ Decretum. Par impostura ab eodem Gratiano ibidem mox apponitur, his verbis: In Synodo congregata Romæ in Ecclesia S. Salvatoris, ad exemplum B. Adriani, Apostolicæ Sedis Antistitis, qui domino Carolo, victoriosissimo Regi Francorum, & Longobardorum, Patritiatus dignitatem, & ordinationem Apostolicæ Sedis, & investituram Episcoporum concessit: ego quoque Leo Episcopus servus servorum Dei, &c. Quibus eadem se concedere Othoni, quę Adrianus Carolo concesserat, assertus ille Pontifex profitetur.*

1127 Cardinalis BELLARMINVS idem censet de fictitia Adriani concessione *in Apologia pro responsione sua ad librum Iacobi Magni, Britanniæ Regis*, contendentis *pag.* 26. Ius creandi Romanos Pontifices certum, ac inviolatum apud Imperatores mansisse, ex eo, quòd, vt ipse ait, Adrianus Papa in Concilio centum quinquaginta trium Episcoporum, Abbatumque, decreverit, vt Carolo Magno Imperatori Jus esset, ac Potestas eligendi Papam, & ordinandi Apostolicam Sedem, dignitatemque Patritiatus ei concesserit, & insuper Archiepiscopos, & Episcopos per singulas Provincias ab eo investituram accipere definiverit; & quicumque contra hoc Decretum ageret, Anathematis vinculo eum innodaverit, & nisi resipisceret, bona ejus publicari præceperit. Hęc ille.

1128 Quæ omnia solita suę eruditionis eminentia optimè refellit BELLARMINVS *Cap. 6. suæ Apologiæ* pro responsione sua ad Iacobum Regem, asserens: *Si hæc omnia vera sint, sequi multa contraria his, quæ Rex probare conatur. Nam si Pontifex concedit Imperatori Ius eligendi, & investiendi Episcopos, non igitur Imperator ex se Caput est Ecclesiæ in ditione sua, ac per hoc neque Rex est Caput, vel Supremus Gubernator Ecclesię in Regno suo, cum Episcopos eligere, vel investire non possit sine privilegio Romani Pontificis. Deinde, si Pontifex donat Carolum dignitate Patritiatus Romani, quæ erat dignitas Temporalis, & Imperatoriæ proxima: ergo Pontifex Ius magnum in Imperio Temporali habebat; quippè qui ipsos etiam Reges ornare, & augere poterat dignitatibus ad Imperium pertinentibus. Præterea, si Pontifex jubet eos, qui contra Decretum ipsius agerent, non solùm Anathematis vinculo alligari, sed etiam bona ipsorum Temporalia publicari, Ius igitur Pontifex habet, non Spirituale solùm, sed etiam Temporale in eos, qui Decretis ipsius obtemperare nolint.*

1129 Sed ad rem nostram redeuntes quid de Adriani historia senserit audiamus ibi enim *Pag.* 59. hæc contra Regem scribit. *Addo secundò, historiam illam confictam videri, non veram: nam Sigebertus, qui primus illam litteris mandavit, trecentis circiter annis posterior fuit Carolo, atque Adriano. Ii verò, qui cum Carolo vixerunt, & res ejus gestas accuratissimè conscripserunt, vt Eginhardus, & Annalium Francorum Author, nullam hujus Privilegii mentionem fecerunt. Deindè quo pacto verum esse potest, dedisse Adrianum Privilegium aliquod Carolo Magno Imperatori, cum tempore Adriani Carolus Imperator non esset? Adrianus enim obiit *anno salutis* 795. Carolus autem Imperare cæpit *anno Domini* 800. vt Eginhardus, & alii tradunt. Præterea. Si Carolus Magnus Pontifices Romanos creandi Ius habebat, cur nullum omninò creavit, neque ipse, neque multi ex Successoribus ejus? Nam Anastasius Bibliothecarius scripsit accuratè vitam, & creationes duodecim Pontificum, qui sibi invicem post Adriani primi Pontificatum successerunt, & nusquam Caroli, vel Successorum ejus meminit, sed à solo Clero, & Populo electos, & creatos fuisse tradit. Porrò Guillelmus item Bibliothecarius, qui Anastasio successit, scripsit vitam Adriani II. à Clero pariter, & Populo solum electi, & cum fortè Legati Imperatoris tùm Romæ adessent, & quererentur, se ad electionem Pontificis invitatos non fuisse, responsum eis fuisse scribit Guillelmus, id ea ratione factum esse, nè Legatos Principum in electione Romanorum Pontificum expectandi mos inoleseeret; qua ratione accepta, inquit Guillelmus, Legati omnē suæ mentis indignationem medullitus sedavere, & ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt.*

Hæc

1230 Hæc certè apertissima demonstratio, vel nullum ejusmodi privilegium datum fuisse Carolo, vel certè ab illo admissum non fuisse, manifestissimum reddit. Quod etiam indè confirmatur, quòd & Carolus *in Capitulari suo, lib. 1. cap. 84.* & habetur etiam apud Gratianum *dist. 63. cap. Sacrorum*, decernit, liberas esse debere electiones Cleri, & Populi: & Adrianus II. *in Concilio Generali 8. Can. 22.* prohibet omninò Principibus, nè se electionibus Episcoporum admisceant; & habetur hoc Decretum etiam apud Gratianum *dist. 63. Can. 2.* & tamen neque Carolus, neque Adrianus II. mentionem vllam faciunt Privilegii concessi ab Adriano I. quam mentionem omninò facere debuissent, vel vt ei Privilegio Carolus renuntiare se diceret, vel vt illud abrogari novo Decreto Adrianus in Generali Synodo declararet.* Hactenus ille.

1231 Nec silentio prætereundus est horum temporum Scriptor eruditione præclarus ANDREAS VICTORELLVS *in Notis ad Alphonsum Ciaconium de Vitis Pontificũ, in Adriano I.* vbi de eodem Privilegio ab aliquibus asserto, hæc scribit: *Synodus fictitia, de qua Sigebertus Schismaticus, nusquam visa, in veris S.R.E. monumentis non extat, de illa nulla mentio in illis, neque in Anastasio Bibliothecario vetusto, diligentique Scriptore. Lyncei Card. Baronii oculi Vaticanam omnem, aliasque nonnullas insignes Bibliothecas perlustrarunt, & nullum commentitiæ Synodi vestigium perspicere potuerunt; quam obrem commentitiam illam Eruditissimus Sedis Apostolicæ Bibliothecarius judicavit, expunxit, rejecit, confutavit (*in Annal. ad an. 774. num. 10. & 964. num. 22.*) Idem fecit Lynceus, & ipse Doctissimus, & optimus Cardinalis Bellarminus jam senex *in sua ad Regem Angliæ responsione*; quorum Sententiam magnus nostri ævi Theologus Franciscus Suarez veram existimavit *lib. 3. cap. 29. Defens. Fidei.* Cum quibus alii militãt, Nicolaus Alemanus, perspicax Vaticanæ Bibliothecæ vsque ad mortem custos, eam non celebratam, non extantem (Goldastum, Mornæumque malè sentientes refellens.) commentitam, vmbratilemque meritò nuncupavit.*

1232 IACOBVS GRETHSERVS, Societ. Iesu *in defens. Controvers. Cardinal. Bellarm. tom. 2. lib. 4. cap. 13. num. 6.* de prædicta Adriani I. sanctione, nè aliquis crearetur Episcopus Romanus, nisi quem Carolus Magnus, & ejus Successores sciverint, & jusserint (*Cap. Adrianus distinct. 63.*) sic loquitur: *Hoc Decretum esse commentitium diximus, & probavimus ex Baronio *in Apologia pro Gregorio VII.** In ea verò Apologia (*fol. 253.*) relata Synodo, quæ ab Adriano Papa centum quinquaginta triũ Episcoporum fertur celebrata, Caroloque in ipsa concessam Potestatem Pontificem eligendi, & ordinandi Apostolicam Sedem, in margine hæc annotat Grethserus: *Nihil de hac Synodo hoc *anno* 774. celebrata in legitimis, & genuinis Ecclesiasticis monumentis occurrit. Totum hoc commentitium refellit Baronius *anno* 774. (Et *infrà*:) Gratianus in errorem inductus est à Sigeberto, cujus verba verbatim scripsit. Sigebertus hanc fictitiam Synodum refert *ad annum* 773. Cur Onuphrius *ad annum* 785? In vita Adriani nihil hac de re habet Anastasius; nec crediderim aliquid hujus haberi in ejus Historia, quam ante aliquot annos vidi manuscriptam. Haud enim fugisset res tanti ponderis Baronium.* Vide eumdem Grethserum *in Notis ad Panuin. de Variet. Elect. Roman. Pontif. in Gregorio VII.*

1233 Illustrissimus Episcopus HENRICVS SPONDANVS *anno* 774. *num. 3.* fictitium pariter reputat, quod ab aliquibus asseritur de Adriani I. concessione in favorem Caroli Magni. *Nullo, inquit, pœnitus Antiquioris Ævi Authore conscio, nè ipsis quidem qui vitam Caroli, vel qui per annos singulos res ab eo gestas, omnesque habitos Conventus quàm diligentissimè scriptis tradiderunt; jure creditur hanc impostaram eo tempore adornatam esse in gratiam Henrici Imperatoris Schismatici, cujus & partes totis viribus Sigebertus fovebat. (Et *infrà*:) Accidit tamen, vt nullo de impostura habito diligentiori examine, creditum fuerit, verum esse, quod ab eo (Sigeberto) fuisset quàm mendacissimè affirmatum. Vt non ad hæc refellenda se converterint pii Ecclesiastici Tractatores, sed laborarint, vt ostenderent ista ab Adriano concessa Carolo, fuisse postea revocata, ex quorum numero fuit Gratianus, qui, nimis credulus, eamdem Sigeberti impostaram totidem verbis scripsit *63. dist. cap. Adrianus* 22. & *cap. seq.**

In-

1234 Insuper SEVERINVS BINIVS *in Conciliorum Notis. tom. 6. col. 1799. in fine*, hæc addit: **Ad eumdem annum CHRISTI* 774. quidam Scriptores ab ætate Adriani, atque Caroli valdè remoti, referunt, Synodum Romæ in Patriarchio Lateranensi habitam à Pontifice, & centum quinquaginta tribus Episcopis, atque Abbatibus, cum capto Desiderio Rege, subactisque Longobardis, Carolus Rex iterum eodem illo anno (si fas est credere) Romam venisset. Baronius in Annalibus aliique post eum, validissimis rationibus commentitiam evincunt, & velut stropham à Sigiberto, Gemblacensi Monacho, aliisque Henricianarum partium fautoribus confictam meritò respuunt. Gratianus *dist. 63. cap. 22.* verba Sigeberti, citata dumtaxat Ecclesiastica Historia imprudens descripsit, aliaque nonnulla ejusdem commatis adscripsit ab eisdem telchinibus fabricata, multisque incautioribus, atque in primis Theodorico Niemio, similibusque Pontificiæ Sedis hostibus, quibus se conferto agmine Goldastus, reliquique Novatores adjunxerunt, lucum fecit.*

1235 P. DANIEL PAPEBROCHIVS *in Catalogo Pontificum, in Adriano I. num. 6.* *Porrò, inquit, ex eo quòd absque vllo intervallo temporis mortuo Adriano suffectus statim Leo sit, evidenter concludes, falsissimum esse Sigeberti assertum *ad annum* 773. ex eodemque, vel simili fonte cum Sigeberto Gratianum, relatum in Decretum *dist. 63. cap. Adrianus*; eisdem ferè verbis, scilicet, quòd Adrianus cum vniversa Synodo tradiderunt Carolo Jus, & Potestatem eligendi Summum Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem, &c. apparet cujus furfuris ea sint; quem qui plenius voluerit excussum videre, Natalem Alexandrum legat *in Adriano sæc. 8. pag. 51.**

1236 Noviſſimè Eminentiſſimus Scriptor Cardinalis AGVIRRE *in Cathedra S. Petri vendicata. tract. 2. sect. 3.* ad argumentum Vigorii plura contra infallibilem Apostolicę Sedis Authoritatem è sordida Hæreticorum lacuna opponere conantis, & præsertim de Adriano asserentis, istum Carolo Magno Jus ad eligendum Romanum Pontificem, & ad investituras Episcopis conferendas, teste Sigeberto *in Chronico*, concessisse; sic respondet *num. 23.* *Præter plura alia, quæ latiùs suo loco proferemus, placet nunc solum breviter respondere cum Baronio *ad annum* 774. Grethsero *in Apologia* pro illo contra Goldastum, Sponda no *ad annum prædictum, num. 4.* Duallio *vbi sup. quæst. 4.* & aliis Scriptoribus Galliæ, Decretum illud Adriani I. Papæ, esse commentum Sigeberti Schismatici, sequentis partes Henrici IV dicti Imperatoris Germaniæ, postea disseminatum à Calvinistis, & Centuriatoribus. Quod planè demonstravit vir clarissimus Petrus Pithœus, Antiquitatis Gallicæ studiosissimus, ex ipsis Capitularibus Caroli Magni, quæ notis illustravit, *lib. 1. cap. 8.**

1237 Tandem huic nostræ Sententiæ subscribunt IACOBVS GRETHSERVS *in Apologia pro Baronio cap. 1. & 2.* MARTHA *de Iurisdictione, part. 1. cap. 31.* QVINTANADVEÑAS *lib. 1. Ecclesiast. cap. 1.* ZENEDVS *ad Decret. Collect. 64.* CARRIERE *in Digest. Fidei tom. 2. tit. de Elect. Pontif. fol. 1107.* MORINVS *in Lucubrat. de Orig. & Progres. Temporal. Iurisdict. Rom. Pontif.* P. IOANNES CABASSVTIVS *in Not. Concilior. in Lugdunens. Concil. fol. 613.* IOANNES HORATIVS SCOGLIVS *ad annum* 774. ABRAHAM BZOVIVS *eod. an. & de Pontif. Rom. cap. 2. fol. 18.* GRAVINA *tom. 3. part. 2. lib. 4. controvers. 4. dub. 3. ad. 3. pag. 231.* BARBOSA *lib. 1. de Iure Eccles. cap. 1. num. 54. & in cap. Adrianus 63. dist.* SERAFINVS FREITAS *de Iusto Imperio Lusitano Asiatico cap. 6. num. 100. & 101.* SOLORZANVS *de Iure Indiar. lib. 2. cap. 22. num. 39.* BONACINA *de Elect. Pontif. quæst. 1. pag. 1. prop. vn. num. 9.* noviſſimè LVDOVICVS THOMASINVS *de Antiq. & Nova Eccles. Discipl. part. 2. lib. 2. cap. 25.* vbi disertè fabulam hanc explodit.

1238 Contra hucusque dicta militat non levis ponderis argumentum, quamvis enim juxta laudatos Authores insubsistens sit, nulloque firmo fundamento innitatur Adriani Pontificis concessio Carolo Magno facta, vt posset iste de Pontificum electione disponere, Apostolicamque Sedem ordinare, ob rationes, quas hucusque retulimus; nihilominus magnum oppositæ opinioni fundamentum suppeditat, eamque haud leviter confirmare videtur

tur LEONIS VIII. Authoritas, qui ad imitationem Adriani Pontificis in Caroli Magni favorem, hujusmodi Privilegium Othoni Imperatori concessit vt patet *ex cap. In Synodo 93. distinct.* vbi hæc leguntur: *In Synodo Congregata Romæ in Ecclesia S. Salvatoris. Ad exemplum B. Adriani Apostolicæ Sedis Antistitis, qui Domino Carolo, victoriosissimo Regi Francorum, & Longobardorum, Patritiatus dignitatem, & ordinationem Apostolicæ Sedis, & investituram concessit: Ego quoque Leo Episcopus, servus servorum Dei, cum toto Clero, & Romano Populo constituimus, & confirmamus, & roboramus, & per nostram Apostolicam Authoritatem concedimus, atque largimur Domino Othoni, Regi Teuthonicorum, ejusque Successoribus hujus Regni Italię, in perpetuum facultatem eligendi Successorem, atque Summæ Sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiscopos, & Episcopos, vt ipsi ab eo investituram accipiant, & consecrationem, vndè debent: exceptis his, quos Imperator Pontificibus, & Archiepiscopis concessit, vt nemo Princeps cujusque dignitatis, vel religiositatis eligendi, vel Patritium, vel Pontificem Summæ Sedis Apostolicæ, vel quemcumque Episcopum ordinandi habeat facultatem absque consensu ipsius Imperatoris. Quod tamen fiat absque omni pecunia; & vt sit Patritius, & Rex. Quod si à Clero, & Populo quis eligatur Episcopus, nisi à supradicto Rege laudetur, & investiatur, non consecretur. Siquis contra hanc regulam, & Apostolicam Authoritatem aliquid molietur, hunc Excommunicationi subjacere decernimus, & nisi resipuerit, irrevocabili exilio puniri, vel vltimis suppliciis affici.* Hæc videre poteris apud GRATIANVM *63. dist. cap.* 23. inconsideratè nimis ista tractantem, cum sit hęc Constitutio Synodi sub Leone Pseudo Pontifice celebratæ, nulliusque roboris, vel momenti ad tantam facultatem à Jure exorbitantem, & à veritate Historiæ alienam Imperatori concedendam.

1239 Vndè argumento respondentes, negamus omninò facti Historiam, talemque concessionem in favorem Othonis, & ejus Successorum factam; asserimusque eam perperam à Gratiano in Decreto exhibitam vt veram, cum tot habeat falsitatis, vel suppositiciæ exceptiones, quot verba. Nè autem videamus ex propria mente locuti, proponendum duximus quid de hac Constitutione graviſſimi Authores senserint. In primis Cardinalis BARONIVS Summę in Ecclesiastica Historia eruditionis *ad annum 964. n. 22.* ad prædicti Decreti calcem hęc habet: *Quam quidē Constitutionem, etsi verè fieri contigit, nullius esse roboris constat, quòd à non legitimo Papa sit promulgata. Cæterum hanc ipsam adscititiam esse, & imposturam, multis argumentis probatum est superiori tomo; vbi egimus de falsa concessione composita à Sigeberto Adriani Papę nomine facta Carolo Magno, de qua hic mentio habetur, ostendimusque, quòd sicut falsa est illa, quę hîc citatur, ita & falsa est ista, quæ illam citat.*

1240 Provoco te, Lector, ad ea, quę ibi sunt dicta (*tom. 9. annalium ad annum* 774.) Quæ si non sufficiant, addimus, alia adhùc esse quibus eadem Constitutio arguatur manifestæ falsitatis. Atque in primis, si (vt superius dictum est) Otho à Ioanne Papa (quod omnes testantur) consecratus est Imperator, quid opus fuit, vt hic à Leone eidem concedatur, vt sit Patritius atque Rex? An non cum Imperio, & dignitas Patritiatus concessa fuit, & magis est dici Rex, quàm Imperator? Prętetea, quòd illic in fine legitur, vt vltimo afficiatur supplicio, siquis ejus Constitutionis inveniatur esse transgressor, quam illud abhorret à Romanorum Pontificum Constitutionibus, vt violatoribus pęna mortis etiam irrogetur? vt ex his planè impostura noscatur, sed ab insipiente fictore ineptè composita. Sed cujus roboris (etiam si vera esset Leonis ipsius hæc Constitutio) esse potuit, quę ab eo edita est, qui nec est dignus, qui Pontifex nominetur, sed (vt pluribus superius dictum est) intrusus, & occupator sit potiùs nominandus?* Hactenus ille.

1241 Quodnam autem de hac Constitutione judicium tulerit *tom. 9.* suprà laudato *ad annum* 774. audiamus; ibi enim *num.* 15. hæc habet: *Sed quid est, quod in asserto Decreto dicitur concessas esse Carolo Magno investituras ab Adriano, cum nec ipsum quidem nomen *investituræ* temporibus Caroli esset in vsu? Legant, & scrutentur Authores omnes, qui Caroli temporibus aliquid scripserunt, si alicubi penes eorum aliquem invenerint nomen*

investituræ, vel vsum ejus per annuli collationem (vt tradunt) & baculi. Verùm & quod dicitur, id à Leone factum in Concilio habito in Ecclesia Salvatoris, penes quem, rogo, mentio, ejusmodi Concilium à Leone VIII. dicto Pontifice, factum VII. vt quid hujusmodi sit ab eo concessum Othoni? Sed & repugãnt his omnibus praxis, & leges aliorum post Carolum Successorum Imperatorum, vt quid dici possit fuisse ab Adriano concessum eidem Carolo Magno de electione Romani Pontificis. Nam audi quę in electione Adriani II. Papæ legantur, (*dist. 6. cap. 29.*) Cum Adrianus II. ad Romanum Pontificatum ab Ecclesia Dei Genitricis Dominę nostrę, quę dicitur *Ad præsepe* traheretur ad Patriarchium Lateranense, certatim à Clero, & Proceribus, & plebe deportatus est. Quod audientes missi Ludovici Imperatoris molestè tulertũ, indignati, scilicet, quod dùm præsentes essent, non fuerint invitati, nec optatæ à se futurę Præsulis electioni interesse meruerunt. Qui accepta ratione, quod non causa contemptus Augusti, sed futuri temporis prospectu omissum hoc fuerit (nè videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Præsulum expectandi mos, per hujusmodi fomitem inolesceret) omnem indignationem medullitus sedaverunt, & ad salutandum electum etiam sibi humiliter accesserunt. (Hæc ibi.)

1242 At quomodo, rogo te (prosequitur BARONIVS) se injustam causam fovere cognoscentes, quieverunt, si pro eis vigebat adeò amplum Privilegium à tanto Pontifice Regi tanto, Carolo Magno cõcessum? Nam si illud verè datum fuisset, eos pręterire minimè potuisset, vel ipsum Imperatorem Ludovicum, qui (vt eadem habent regesta Adriani II.) adversus Legatos talia præsumentes indignatus est, Romanos verò laudavit: quæ enim ibi leguntur sunt ista: Audiens hoc Ludovicus Imperator Christianissimus, mox Imperialem scribens Epistolam, cunctos Romanos qui dignum tanto peregissent officio Præsulẽ collaudavit. Sed in edita à se pro Juribus Romanæ Ecclesiæ conservandis Constitutione ista, inter alia, habet: (*63. dist. cap. 30. 31. & 32.*) Quando Divina vocatione hujus Sanctissimæ Sedis Pontifex de hoc mundo migraverit, nullus ex Regno nostro, aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo, sub nostra Potestate constitutus licentiam habeat contra Romanos aut publicè, aut privatim veniendi aut electionem faciendi &c.* Quę quidem per extensum videri possunt *apud Gratianum*, loco mox laudato.

1243. Tandem sic concludit BARONIVS: *Sed de his jam satis. Puto quidem te veritatis amantem Lectorem, jam omninò de impostura Sigeberti, de qua agimus, persuassum, re tam perspicuè tot demonstrationibus patefacta, adeò vt non putem inveniri posse aliquem, nisi similem illi Schismaticum, vel Hæreticum, qui tantę tamque dilucidæ, omnique ex parte constanti obniti audeat veritati.* Hactenus Baronius.

1244 Prædictam Leonis concessionem eisdem ferè verbis ac Baronius, tanquam fictitiam refutat FRANCISCVS LONGVS A CORIOLANO. Subscribunt SEVERINVS BINIUS *in Notis ad Conciliab. Roman. sub Othone anno 964. tom. 9. Concilior.* NATALIS ALEXANDER *sæcul. 9. & 10. cap. 1. art. 21. in fine*, & BARBOSA & alii.

1245 Et nè miteris, amice Lector, tantam fraudem sub nomine Leonis VIII. fuisse confictam, eique à Sigeberto, Gratianoque prafatam Constitutionem adscriptam, evidentiùs hoc constare poterit ex manifesta alterius ejusdem Leonis nomine editæ Constitutionis falsitate, qua ipse Pontifex profitetur restituere Othoni Imperatori quæcumque ipsum Romanum Occidentale Imperium possedisset, atque Romanæ Ecclesiæ donasset. Inventum haud dubium eorumdem, qui tempore Schismaticorum Imperatorum favebant eisdem Schismaticis Imperatoribus. *Sed Deo gratias (inquit BARONIVS *ad an. 964. num. 24.*) quod impostor insulsus, ineptus, stolidus, talis extiterit, qui adeò affectata mendacia vestire nescivit, sed opprobrio sempiterno nudata deridenda reliquit.* Quam Constitutionem hic inserere nobis in animo erat, nisi id præstitisset idem Cardinalis *ex Crantzio in Metrop. Saxon. lib. 4. cap. 10.* quam loco suprálaudato per extensum memoriæ prodidit; & in calce adnotanda reliquit: *Hæc autem ejusmodi esse reperiuntur, vt verè dici possit, plures errores continere, quàm verba, pręter styli diversitatem, quo temporibus his Romana Ecclesia

sia vti consuevit, de quo parum, aut nihil est, vt negotium faciamus, cum ad falsitatem patentem arguendam alia quàm plurima afferenda sint majoris momenti.* Quæ quidem nedum solita eruditione ibi pertractat, sed & evidenter convincit *num. 26. & seqq.*

§. IV.

Quæritur an Henrico IV. Regi Romanorum, ejusque Successoribus, per Nicolaum Pontificem II. in electione Pontificia aliquid juris concessum fuerit?

1246 QUamquam hucusque latè probaverimus, Imperatores nullum habere, nec habuisse Jus de Romanorum Pontificum electione disponendi, virtute concessionis ab Adriano I. & Leone VIII. factæ, ob exceptiones, ac in veritate insubsistentiam, quas prædictæ Constitutiones patiuntur, juxta fide dignissimos Authores, suprà laudatos, & rationes, id manifestissimè convincentes; nihilominus pro luculentiori prædicti asserti confirmatione adhùc superest alia examinanda difficultas; an nempè Nicolaus II. in Constitutione, quæ incipit: *In nomine Domini*, in Lateranensi Concilio edita *anno* 1059. Regi Henrico Imperatori electo Jus Romanos Pontifices eligendi, & de Apostolica Sede disponendi concesserit, nec nê? Circa hanc difficultatem, Henrici sequaces, ejusque contra Gregorium VII. factionarii censebant, plenum, & absolutum eligendi Romani Pontificis Jus Henrico, istiusque Successoribus per Nicolaum II. esse tributum; pro vt refert NATALIS ALEXANDER *sæcul.* 11. & 12. *dissert* 2. *art.* 12. Verũ, pro clariori hujus quæstionis resolutione, transcribendã in primis duximus præfatã Nicolai Constitutionẽ, quę habetur apud GRATIANUM 23. *dist.* & apud BINIVM *tom. 9. Concil. in Concil. Rom. sub Nicolao* 2. *anno* 1059. In eo enim Concilio de Romani Pontificis electione edita est hæc Constitutio, qua ad referendam gratiam Henrico Regi, cujus ope proximè præcedenti Schismati finis impositus fuerat, redditaque Romanę Ecclesiæ pace Pontifex constitutus, Decretum est, vt Pontificem, quem Clerus primùm suis suffragiis elegisset, Imperator favore suo approbaret. Siu verò per bella, aut seditiones id Clero facere non liceret, tunc ipse Clerus refunderet liberam electionem in Imperatorem, & quem ipse vellet, non suo sed Cleri nomine eligeret, electumque, contra Schismaticos Sedis invasores defenderet. Hujus autem Decreti tenor sic se habet.

**In nomine Domini nostri, & Salvatoris IESV CHRISTI.*

1247 *Anno ab Incarnatione ejusdem* 1059. *mense Aprili Indict.* 12. propositis Sacrosanctis Evangeliis, Prę̃sidente quoque Reverendissimo, ac Beatissimo Nicolao, Apostolico Papa, in Basilica Lateranensis Patriarchii, quę cognominatur *Constantiniana*, considentibus etiam Reverendissimis Episcopis, Abbatibus, Presbyteris, Diaconis, idem Venerabilis Pontifex Authoritate Apostolica decernens de electione Summi Pontificis inquit: Novit Beatitudo vestra, dilectissimi Fratres Coepiscopi, inferiora quoque membra CHRISTI non latuit, defuncto pię memoriæ Domino Stephano, Prædecessore nostro, hæc Apostolica Sedes, cui, Authore Deo, deservio, quæ adversa pertulerit, quot denique per Simoniacæ hęreseos trapezitas repetitis malleis, crebrisque tunsionibus subjacuerit: adeò, vt columna Dei viventis jam jam pę̃nè videretur concussa nutare, & sagena Summi Piscatoris procellis intumescentibus cogeretur in naufragii profunda demergi. Vndè, si placet fraternitati vestræ, debemus, auxiliante Deo, futuris casibus prudenter occurrere, & Ecclesiastico statui, nê recidiva, quod absit, mala prævaleant, precavere.

1248 Quapropter instructi Prædecessorum nostrorum, aliorumque Sanctorum Patrum Authoritate, decernimus, atque statuimus, vt obeunte hujus Romanæ universalis Ecclesiæ Pontifice, in primis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de electione tractantes, mox CHRISTI Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus, & Populus ad consensum novæ electionis accedat, nimirum præcaventes, nè venalitatis morbus aliqua occasione subrepat. Et ideò Religiosissimi viri præduces sint in promovenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces. Certus verò, atque legitimus electionis ordo perpenditur, si perspectis diversorum Pa-

trum regulis, sive gestis, etiam illa B. Leonis Prædecessoris nostri Sententia recolatur: Nulla, inquit, ratio sinit, vt inter Episcopos habeatur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Comprovincialibus Episcopis, cum Metropolitani Judicio Consecrati, quia verò Sedes Apostolica cunctis, in Orbe terrarum præfertur Ecclesiis, atque ideò suprà se Metropolitanum habere non potest, Cardinales Episcopi proculdubio Metropolitani vice fungun tur, qui, videlicet, electum Episcopum ad Apostolici culminis Apicem provehant.

1249 Eligatur autem de ipsius Ecclesię gremio, si reperitur idoneus, vel, si de ipsa non invenitur, ex alia sumatur, *salvo debito honore, & reverentia dilecti filii nostri Henrici*, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, speratur, sicut jam sibi concessimus, & Successoribus illius, qui ab Apostolica Sede personaliter hoc Jus impetraverint. Quod si pravorum, atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, vt pura, sincera, atque gratuita fieri in Vrbe non possit electio, Cardinales Episcopi, cum Religiosis Clericis, Catholicisque Laicis, licet paucis, Jus Potestatis obtineant, eligere Apostolicæ Sedis Pontificem, vbi congruè viderint (aliter, *congruentiùs judicarint.*) Planè postquã electio fuerit facta, si bellica tempestas, vel qualiscumque hominum conatus malignitatis studio restiterit, vt his, qui electus est, in Apostolica Sede juxta consuetudinem Authorizari (aliter *inthronizari*) non valeat, electus tamen sicut verus Papa obtineat Authoritatem regendi Romanam Ecclesiam, & disponendi omnes facultates illius, quod Beatus Gregorius ante suam Consecrationem fecisse cognoscimus.

1250 Quòd, siquis contra hoc nostrum Decretum, Synodali Sententia promulgatum, per seditionem, vel præsumptionem, quolibet ingenio (aliter, *aut quod libet ingenium*) electus, aut etiam ordinatus, seu inthronizatus fuerit, Authoritate Divina, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli perpetuo Anathemate cum suis Authoribus, fautoribus, à limine Sanctæ Dei Ecclesiæ separatus, abjiciatur sicut Antichristus, invasor, & destructor totius Christianitatis. Nec aliqua super hoc audientia aliquando ei reservetur, sed ab omni Ecclesiastico gradu, in quocumque fuerat prius sine retractatione deponatur, cui quisquis adhæserit, vel qualemcumque, tanquam Pontifici reverentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præsumpserit, pari Sententia sit mancipatus.

1251 Quisquis autem hujus nostræ Decretalis Sententiæ temerator extiterit, & Romanam Ecclesiam sua præsumptione confundere, & conturbare contra hoc statutum tentaverit, perpetuo Anathemate, atque Excommunicatione damnetur, & cum impiis, qui non resurgent in judicio, reputetur. Omnipotentis scilicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti contra se iram sentiat, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, quorum Ecclesiam præsumit confundere, in hac vita, & in futura furorem sentiat: *Fiat habitatio ejus deserta, & in Tabernaculis ejus non sit, qui in habitet: Fiant filii ejus orphani, & vxor ejus vidua: Commotus commoveatur ipse, & filii ejus, & mendicent, & eiciantur de habitationibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus: Orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa sint ei contraria,* & omnium Sanctorum quiescentia merita illum confundant, & in hac vita super eum apertam vindictam ostendant. Observatores autem hujus nostri Decreti Omnipotentis Dei gratia protegat, & Authoritas Beatorum Apostolorum vinculis absoluat. *Nicolaus, Episcopus Sanctæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, huic Decreto à nobis promulgato subscripsi. Bonifacius Albanensis subscripsi. Hũbertus, Sanctæ Ecclesiæ Sylvæ Candidæ subscripsi. Petrus Ostiensis subscripsi.** Et cęteri Episcopi *num. 76.* cum Presbyteris & Diaconis subscripserunt. His ergo suppositis.

1252 Respondemus primò, absolutè negando, virtute hujus Decreti concessum fuisse per Nicolaum Pontificem Henrico, ejusque Successoribus Jus absolutè eligendi Romanum Pontificem, & Imperatores ejusdem Decreti virtute, Jus vnquam circa personam eligendam acquisiviſſe. Primò; quia quamvis prædictum Decretum â Gratiano, & aliis referatur, de ejus tamen legalitate legitimè non constat; imò manifestè liquet, præfatum Decretum vitiatum, & adulteratum esse à Schismaticis, Apostolicæ Sedis inimicis, qui Jus eligendi Roma-

manos Pontifices Imperiali Juri arrogare, & attribuere voluerunt, adeò leviſſimo, & infirmo fundamento innixi, quale eſt præfatum ſuppoſititium Decretum. Pro majori hujus veritatis, & noſtræ aſſertionis munimine, quid melioris notæ Authores hac de re ſenſerint, videamus.

1253 S. ANSELMVS, Lucenſis Epiſcopus, de Imperatore Henrico conqueſtus, quòd prędicto Privilegio peperam innixus, Gregorium VII. legitimum Pontificem, & vt talem ab vniverſa Eccleſia ſuſceptum, ob quaſdam ſuas querimonias in præfatum Pontificem, qui in enormia illius ſcelera æquiſſimè proceſſerat, Papatu depoluerit, & Guibertum Antipapam crearit, vel, vt melius dicam, intruſerit, vt injuriam, quam ſibi à legitimo Pontifice irrogatam eſſe falsò exiſtimabat, vlciſceretur, in prædictum Decretum mirificè diſcurrit, probans illud indigniſſimum eſſe, cui fides adhibeatur, & vt virtute illius poſſit Imperator ad Pontificis creationem procedere, cum à Schiſmaticis, Henrici ſequacibus, corruptum ſit, ac adulteratum, vt ex prælaudati Sancti Antiſtitis verbis, lectu digniſſimis, innoteſcit, ſiquidem hæc, inter alia, ſcribit: *Præterea Prędictus VVibertus, aut ſui, vt ſuæ parti favorem adſcriberent, quædam in eodem Decreto addendo, quædam mutando, ita illud reddiderunt à ſe diſſidens, vt, aut pauca aut nulla exemplaria ſibi concordantia valeant inveniri.*

1254 Cum igitur prædictum Decretum, juxta Sanctiſſimum hunc Authorem, illis temporibus ſcribentẽ, adeò ſit à Schiſmaticis vitiatum, vt illius exemplaria pęnitus diſſona, ac diſcordia inveniantur; hinc manifeſtè deprehenditur, non eſſe legitimum Textum, vt eo probari poſſit, Imperatorem Henricum, iſtiuſque Succeſſores, habere, vel habuiſſe Jus liberè eligendi Pontifices; maximè cũ hujuſmodi prætenſum Jus ſit ab omni Jure exorbitans exigẽte omnimodam Electorũ Eccleſiaſticorum libertatem; & Jure Canonico expreſsè vetitũ ſit non modò Sæcularibus Principibus, ſed cuilibet etiam Laicæ Poteſtati habere influxum, aut Jus eligendi in Eccleſiaſticis electionibus, vt ſuprà probavimus; multoque minus in Pontificum creatione, quæ eſt Suprema omnium Eccleſiaſtici ſtatus electionum.

1255 Idipſum eiſdem ferè verbis ſentire videtur Cardinalis DEVS DEDIT *in libello* quem *contra invaſores Simoniacos*, atque *Schiſmaticos* paulò poſt edidit, cum ejuſdem Guiberti Schiſma vigeret; ſiquidem hæc ſcribit: *Præterea prędictus Guibertus, aut ſui, vt ſuæ parti favorem adſcriberent, quædam in eodem Decreto addendo, quædam mutando, ita illud reddiderũt à ſe diſſidens, vt aut pauca aut nulla exemplaria ſibi concordantia valeant inveniri. Quale autem Decretum eſt, quod à ſe ita diſcrepare videtur, vt quid in eo potiſſimum credi debeat ignoretur?* (Et *infrà*:) *Excommunicatio autem, quæ in præfato Decreto terribiliter profertur, à Guiberto, aut à ſuis fautoribus indita ſolummodo creditur; quoniam in Antiquioribus hujus Decreti exemplaribus longè aliter habetur; & hæc quidem ſuper eos veniet, qui eam in ſui favorem ibidem indidere, & ſuper eos, qui eam timendam dicere præſumunt. Super illos quidem vt incidant in foveam, quam fodere, & vt apprehendat eos captio, quam occultavere, &c.*

1256 Pro ejuſdem veritatis confirmatione egregiè facit quod Cardinalis BARONIVS, relato prædicto Nicolai Decreto, ſcribit dicens: *Hactenus Nicolai Conſtitutio, labefacta tamen, vt dicetur, dolo malo Schiſmaticorum, de qua quod in primis dicendum occurrit eſt illud, quòd tãm ſalubrè ad Schiſmata vitanda remedium, cõverſum eſt, nequitia Principum, ad deteriora, quàm vnquam fuerint, Schiſmata excitanda: nam eam corrumpentes Schiſmatici, indè Reges & Imperatores anſam arripuere confirmandi Pontifices, & ſic creatos à Romano Clero non ſuſciperent, tunc quem vellent in Romanam Sedem intruderent. Ita quidem poſt hæc peſtilentiſsimus Cadalous, ita funeſtiſsimus Guibertus, & alii hoc ipſo ſæculo creati ſunt PſeudoPontifices. Quod enim revera hujuſmodi germanum Nicolai Papæ Decretum nullo pacto Imperatori favereæ vt intrudendi Pontifices eidem tribuerit facultatem, idem, qui ſuprà, nefandiſsimus Guibertus Antipapa Decretum ipſum corrupit, aliqua addendo & minuendo. Quod teſtatur Deus dedit, Presbyter Cardinalis, tit. SS. Apoſtolorum in Eudoxia, in libello quem contra invaſores Simoniacos, atque Schiſmaticos paulò poſt edidit, cum ejuſdem Guiberti Schiſma vigeret.* (Et infrà:)

Ex

Ex quibus intelliges, Lector, ejusmodi à Gratiano editum Nicolai Decretum haud esse integrum, purumque, prout ab eodem Pontifice in Synodo est constitutum, sed à Schismaticis labefactatum, atque additione corruptum.* Idem censet BINIVS *tom. 9. Concilior. in not. ad Concil. Rom. sub Nicolao II. anno* 1059. Pari modo SPONDANVS *ad eumdem annum, num. 6.* agens de Decreto Nicolai, edito in Concilio Romano non esse integrum testatur, in hęc verba: *Vt videre est in ipsa Constitutione, quę extat 23. *dist. cap. In nomine Domini.* Et in Ivone Carnotensi *part. 5. cap.* 80. relato à Gratiano in suum Decretorum librum, quamvis haud integra, puraque, prout in Synodo est constituta, sed à Schismaticis labefactata, & additione corrupta. Quod enim ea nullo pacto Imperatori faveret, vt intrudendi Pontifices ei tribueret facultatem, paulò post hęc infandissimus Guibertus Antipapa, eam in favorem Henrici depravavit, vt testatur Deusdedit, Presbyter Cardinalis.*

1257 Idipsum CHRISTIANVS LVPVS confirmat *tom. 5. in Not. Concilior. in Brixiensi Concilial. fol.* 670. dicens: *Henricus Rex, Nicolai tempore erat adhûc puer, & Guibertus Parmensis Clericus agebat ejus Cancellarium. Hic Decretum corrupit, (Nicolai scilicet) & ita transformavit, vt non solum Regii consensus, sed plenę nominationis Jus Henrico adscriberet, atque hac pessima arte effecit in Basiliensi Conventu nominari in Papam, ac intrudi Cadaloum Parmensem Episcopum, in vacantem Cathedram defuncti Nicolai; nam & Guibertus erat homo Parmensis. Meliora per S. Annonem Colonienscm Archiepiscopum edoctus Henricus, hæc attentata correxit. Nihilominus ob inflictam sibi à Gregorio VII. degradationem actus in rabiem, rediit ad eumdem rabidum sensum, atque istum eumdem, jam Ravennæ Archiepiscopum, Guibertum, in hoc Brixiensi Conventiculo nominavit, atque violenter in Papatum intrusit, quod ipsum in Cassinensis Monasterii Chronico testatur Leo Hostiensis Episcopus.*

1258 Et *Infrà fol.* 675. *Pròinde Guibertus Cancellarius tunc corrupit Nicolai Decretum. Ita ipsum transformavit, vt Romano Imperatori, ac etiam Patritio permitteret Romani Pontificis nominationem: Et hinc meliora edoctus S. Anno, & per ipsum instructi Regina mater, ac omnes Proceres statim discesserunt à factę nominationis attentato, deseruerunt Cadaloum, & eligi permiserunt Alexandrum II.*

1259 Respondemus secundò, adhùc dato, & non concesso, quòd Jus eligendi Romanum Pontificem Adrianus Papa Carolo Magno, Leo VIII. Othoni, & Nicolaus II. Henrico Regi, istiusque Successoribus concessisset, indè tamen nullatenus inferri Imperatores, prædictosque Reges habuisse Jus eligendi propria Authoritate, vel Regaliæ Jure, sed solùm Apostolicę Sedis delegatione, quod in prædictæ Sedis præjudiciũ non vergeret, sicut nec in illud cedit Cardinales hoc eligendi Jure gaudere. Nec indè aliqua Imperatorum aut Regum in Pontificem superioritas deducitur; siquidem nec Imperator potest Jus supra Romanum Pontificem habere, nec Papa illud concedere; nam cũ Pontifex sit Jure Divino Supremum totius Ecclesiæ Caput, juxta communem Conciliorum Patrũ, & ipsius Ecclesiæ cõsensum, non potest esse facultas constituendi alium Pontifici superiorem, quin communi huic sensui ac Juri adversetur, & quin statim suboriatur duorum Supremorum Capitum in eodem Mystico Ecclesię corpore mõstrositas, quod abhorrent aures, à nemineque sanæ mentis admitti potest.

1260 Præclarum nobis ad hanc solutionem exhibetur fundamentum à Cardinali BELLARMINO *in Apolog. pro respons. sua ad lib. Iacobi magnæ Britan. Regis, cap. 6. fol.* 60. sic scribente: *Addo postremò, nihil præjudicari summę Summi Pontificis Authoritati, etiam si verum esset Pontifices aliquando ab Imperatoribus fuisse creatos: tùm quia id Imperatores non ex proprio Jure, sed ex Privilegio Pontificis Maximi fecissent; tùm quia Electores Authoritatem aliquam exercent in personam designandam, cui Pontificatus dignitas conferenda est, nullam exercere possunt in Pontificem electum; alioqui etiam Electores Imperatoris Jus haberent in Imperatorem electum, cum re vera nullum ipsi habeant in Imperatorem, & magnum in eos habeat Imperator: quemadmodum & Sacrę Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quamvis Electores Pontificis sint, tamen vbi electus est, non subjicitur ille Cardinalibus, sed Cardinales ipsi, vt Pasto-*

ri-

ri,& Principi subjiciuntur.*

1261 Vndè quamvis admittamus, aliqua Privilegia fuisse Sæcularibus Principibus,tàm per Adrianum, quàm Nicolaum, Leonem, & alios,concessa ordinandi Apostolicam Sedem, hęc tamen non fuerunt absoluta,sed valdè limitata,& ob vrgentissimas causas, & ad fœliciorem Pontificiæ electionis eventum, vt videri potest in ipso Nicolai Decreto in illis verbis, quibus Concilii Patres, sic alloquitur: *Novit beatitudo vestra,dilectissimi Fratres Coepiscopi, inferiora quoque membra Christi non latuit, defuncto piæ memoriæ Domino Stephano Prędecessore nostro, hæc Apostolica Sedes, cui Authore Deo deservio, quot adversa pertulerit, quot denique per Simoniacæ hæreseos trapezitas repetitis malleis, crebrisque tunsionibus subjacuerit,adeò, vt columna Dei viventis jam jam videretur concussa nutare, & sagena Summi Piscatoris procellis intumescentibus cogeretur in naufragii profunda demergi. Vndè,si placet fraternitati vestrę, debemus auxiliante Deo, futuris casibus prudenter occurrere, & Ecclesiastico statui, nè recidiva, quod absit, mala prævaleant, præcavere. Quapropter instructi Prædecessorum nostrorum, aliorumque Sanctorum Patrum Authoritate, decernimus,atque statuimus, &c.* Hinc apertè colligitur eam Constitutionem, cęteraſque,ad eamdem rem spectantes editas fuisse,non tàm ad dandam Principibus facultatem interveniendi in Pontificiis electionibus,vel influxum habendi,quàm necessitate cogente,ad evitanda scandala, & majora mala, ad sedandos tumultus, dirimendas contentiones,& vt seditiosorum hominum violentia Imperatorum Authoritate coërceretur,vt patet de Joāne XII. *anno* 955.& nè vllus Hæreticorum, aut Schismaticorum electionem impediret; pro quibus sæpè Ecclesia Dei periclitata est, vt videre est apud GRATIANVM *63.dist.num.3.post cap.Vota.§.Principibus.* Multa enim permittuntur ad evitanda scandala, quæ aliàs non permitterētur. *Cap. Nihil.de præscrip.*

1262 Præterea ea Privilegia concessa leguntur Principibus ex mera liberalitate, & causa remunerationis ob accepta beneficia, vt constat de Adriano I. ergà Carolum Magnum, cui dictum Jus concessit de *anno* 773.eò,quòd dictus Carolus ad petitionem Adriani ad defendendas res Ecclesiasticas,Ecclesię hostem Desiderium cępit, & sic à Longobardorum seditione ipsam Sedem Apostolicam liberavit, & Vrbem ampliſſima ditione donavit, ac se Romanæ Ecclesię defensorem spopondit, his verbis: *Ego Carolus Imperator coram Deo, & B.Petro Apostolo spondeo me protectorem,ac defensorem fore hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus vtilitatibus, quatenus Divino fultus fuero adjutorio, prout scivero,poteroque.*

1263 Insuper secundum aliquos fuit concessum permissivè, non tamen idcircò electio non valebat,si Imperator dissentiebat. Vndè *in cap. Cum terra. de Elect.* dicitur: *Quo facto non prohibemus, quin Regis requiratur assensus, sed propter hoc ipsam electionem nolumus impediri.* Sic etiam quando Populus non vocabatur, non propterea cassabatur electio. GLOSSA *in cap.1.62.dist.*

1264 Respondemus tertiò,quòd quamvis admittamus Sęcularibus Principibus ob prædictas causas concessū fuisse aliquodJus in Pontificis electionibus, negamus tamen hujusmodi concessiones subsistere, eò quòd ob alias justissimas etiam causas revocatæ sint,tàm circà Imperatorum, quàm Populorum consensum. Populus enim in primis à Summi Pontificis, aliorumque Pręlatorum electione exclusus omninò est, ita vt in nullis Ecclesiasticis electionibus intervenire, aut interesse debeat; cujus exclusionis ea fuit occasio, vt narrat PANVINIVS *ad Platinam, in vita Innocentii II.* quòd quidam Romani, seditionibus potentiam quærentes, Senatores Romę creaverunt, qui Rempublicam Romanam, & omnia ad eam pertinentia gubernarent; quibus restitit Summus Pontifex habito Concilio apud Lateranum, in quo Populus fuit Anathemate notatus, quod suo Pontifici rebellis extitisset, & tunc primùm à Pontificiis Comitiis exclusus est omninò. Et sub eodem Innocentio in Concilio Romano, *cap.* 28. concessa est facultas Clericis, ac Religiosis simul personis suos Prælatos eligēdi,vt *in cap.Obeuntibus* 35.63. *dist.*

1265 Facta autem seorsum separatione Clericorum, & Religiosorum, Canonicis, & Clericis permissa est suorum Episcoporum electio, vt patet *in cap.Cum terra* 14.*cap.Cum Ecclesia.* 31.*cap. Constitutis* 47.*cap. in Genesi* 55.cum similibus *de Elect.*

Elect. Religiosis verò suorum Abbatum, & Prælatorum *cap. fin. 16. quæst. 7. cap. Abbas* 8. *cap.* 2. 3. & 4. 18. *quæst.* 2. ita colligi potest *ex tit. de Elect. in lib. Decret. Greg.* 6. & *Clementin.* De hujusmodi exclusione Laicorũ ab Ecclesiastica electione patet etiam, *cap. Quisquis, cap. Massana, cap. Sacrosancta, de Elect. cap. Nobis de Iure Patron.* & præsertim *in cap. Osius*, ex cujus Textu omnes repetentes deducũt, electionem ad clamorem Populi factam non valere, nec subsistere, quod etiam probatur *ex cap.* 1. & 2. 62. *dist. cap. Miramur* 61. *dist. cap. Non est permittendum* 6. *cap. Non licet* 8. *cap. Nosse* 63. *distinct. cap. Si ego.* 8. *quæst.* 1. *cap. Si deinceps* 16. *quæst.* 7. *cap. Licet* 15. *cum seq.* 18. *quæst.* 1. *cap. Is qui opes*, juncta GLOSSA, *ver. In Iudicio* 17. *quæst.* 4. *cap. Vnusquisque* 20. *quæst.* 4. *cap. Innotuit* 20. §. *Multa, cap. Quædam* 24. *cap. Quod sicut* 28. *cap. Tuæ Fraternitati, de Prabend.*

1266 Idipsum confirmant SYNODVS NICÆNA *cap.* 4. LAODICENSIS *cap.* 12. PARISIENSIS 1. *Can.* 8. BRACHARENSIS 2. *Can.* 1. & alii congesti ab JVONE *p.* 5. *Decreti*, ANTONIO AVGVSTINO *in Epitome lib.* 4. *tit.* 4. Illustrant plures congesti à BARBOSA *in cap. Osius.* Quibus addẽdi Illustrissimus ACVÑA, & JOANNES DARTIS *in dict.* 63. *dist.* BARBOSA *de Potest. Episcop. lib.* 1. *cap.* 3. LANDMETERIVS *lib.* 1. *de Veteri Cler. cap.* 26. BELLARMINVS *tom.* 1. *tit. de Clericis, lib.* 1. *cap.* 7. AMBIANAS *ad Tertullian. cap.* 29. *observ.* 2. COQVÆVS *in Mornæũ, fol.* 313. *tom.* 1. BOETHIVS EPO *tom.* 1. *quæst. heroic. tit. de Regalib. quæst.* 89. PETRVS GREGORIVS, *de elect. cap.* 5. PAMELIVS *ad D. Cyprianum epist.* 68. CORIOLANUS *in Breviar. Chronolog. an.* 71. SANDERVS *de Visib. Monarch. cap.* 8. FRANCISCVS HALLIERIVS *de Sacris Elect.* MENARDVS *ad D. Gregor. fol.* 302. HERODIUS *lib.* 1. *Pandect. tit.* 4. *c.* 19. TVRRIANVS *in Notis Parvis ad lib. Constit. Clement. cap.* 2. VAZQVEZ. *tom* 3. *in* 3. *part. disp.* 244. *cap.* 5. DIANA *par.* 10. *tract.* 1. *resolut.* 3. MICHAEL ROVSELLIVS *lib.* 2. *Histor. Pontif. Iurisdict. cap.* 1. DARTIS *de Benef. sect.* 6. *fol.* 37. PETAVIVS *de Hierarch. lib.* 1. *cap.* 18. CHOPINVS *de Sacr. Politic. lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 4. NOTATOR CAPITVLARIVM CAROLI *ver. Episcopus.* FERRARIVS *de Veteri acclamandi ritu lib.* 2. *cap.* 3. MANCINVS *lib.* 1. *de Tripl. Iur. cap.* 30. COCCHIER *in face Histor. Centur.* 2. *cap.* 11. CELLOTIVS *de Hierarch. observat.* 4. *cap.* 17. *per tot.* BALVCIVS *in Notis ad Concil. Monspelien. fol.* 33.

1267 In prælaudatis Textibus Authores, qui illos elucidant, sentiunt, prædictam prohibitionem fuisse optimo iure factam ob multas rationes, quibus moti fuere Sardicensis Concilii Patres, vt statuerent Populi acclamationes in Ecclesiasticis, præcipuê Episcoporum electionibus, non esse attendendas. Prima, & præcipua desumitur ex illis verbis Textus *in cap. Osius. Præmio, & mercede corrupti.* Ideo enim acclamationibus Populi judicium deferendum non est, quia facile, magnaque cum levitate movetur, pretio, & præmio corrumpitur juxta illud HORATII *lib.* 1. *epist.* 19.

**Non ego ventosæ plebis suffragia venor.*
*Impensis Cœnarum, & tritæ munere vestis.**

Vbi notavit LAMBINUS. Quare TERTULIANVS *in Apolog. cap.* 39. pungit Æthnicos, quia pecuniâ, Populi suffragia Sacerdotes emebant, vt eos ad Sacerdotium eligerent, & Christianos è contrario laudat, dum de his ait: *Præsident probati quique Seniores, non pretio, sed testimonio adepti.* Tùm, quia lenitate, & acclamationibus facilè ad electionem faciendam potest Populus moveri & corrumpi, juxta GLOSSAM *in Cap. Osius, ver. Populi de Elect. cap. Si ergo* 8. *quæs.* 1. Judicium enim vulgi inconstans, & varium; variæ voces Populi non sunt audiendæ *l. Decurionum, Cod. de Pœnis, l. ad bestias, ff. de cod. cap. Vnusquisque* 22. *quæst.* 4. Et Populus primò CHRISTVM acclamavit, dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini; Matth.* 21. & *Lucæ* 19. & paucos post dies, sive horas. *Tolle, tolle, crucifige eum. Marc.* 15. Idem videtur de Paulo Apostolo Actor. 14.

1268 Tertiò, Jure optimo ab Ecclesiasticis electionibus excluditur Populus, quia in Spiritualibus nullo modo se debet ingerere, cum omnibus Laicis sit interdicta de rebus Ecclesiasticis disponendi, vel statuendi facultas. *Cap. Non placuit, cap. Laicis, cum seq. cap. Siquis Principum* 16 *quæst.*

quæst. 7. cap. Benè quidem 96. dist. etiam si in favorem Ecclesiæ aliquid agant, statuendo, idque propter defectum potestatis *Cap. Ecclesia S. Mariæ, de Constitut. Rota, in Romana Domus, ad Sanctum Augustinum 19. Ianuar. 1611. coram Coccino in princ.*

1269 Quoad secundam partem, quòd nempè Jus, si aliquod aliquando fuerit vt sit Principibus Laicis ab Apostolica Sede concessum, vel ab ipsis de facto vsurpatum, justis de causis reperiatur à Summis Pontificibus prohibitum, patet 1. quia Summi Pontifices indecens judicarunt Laicos Principes in eorum electionibus se immiscere, cum eligere sit Ius spirituale, cujus Laici sunt incapaces. *Cap. Bonæ, cap. Denique, cap. Cum ad verum 96. dist. cap. Vult, de Reb. Eccles. non alien. cap. Sacrosancta, de Elect.* & præsertim; quia abutebantur Potestate sibi concessa, nimium sibi tribuentes, ex regula *cap. Privilegium 11. quæst. 3.* vbi: *Privilegium omninò meretur amittere, qui permissa sibi abutitur Potestate.* *Cap. Statorum de Privileg. cap. Contingit 2. de Sent. Excom. l. Qui sine.* Vbi GLOSSA *de Negot. Gest.* THVSCVS *litt. P. conclus. 754.* Tũ etiam ad submovendum metum, quem Principes incutere possent, & nè per impressionem eorũ libertas electionis minueretur, *L. Si privatus. ff. qui & a quibus manumissi liberi, &c.* Horũ enim acclamatio libertatẽ tollit; & dùm eorum accedit consensus, nulla potest fieri electio, *cap. Vbi, §. Cæterum, de Elect. in sexto.* Experientia edocente, quantum corruptionis, & vanitatis in his personis esset, per has, & consimiles causas idcircò æquissimè sublatę sunt eorum voces, *cap. 2. de Elect.*

1270 In hanc rem lectu valdè dignum est illud S. GREGORII, qui agnoscens Imperatores contra Sacros Canones, Divinumque Ius sibi in Ecclesiasticis, & Pontificiis electionibus jurisdictionem abrogare, de hoc justè conqueritur *in Psal. 5. Pœnit. ad illa verba: Tota die exprobrabant mihi inimici mei*, sic scribens: *Nulla ratio finit, vt inter Reges habeatur, qui destruit potius, quam regat Imperium; qui turpissimi lucri cupiditate illectus, Sponsam CHRISTI captivam cupit abducere, & passionis Dominicæ Sacramentum, ausu temerario contendit evacuare, Ecclesiam quippè, quam suo Sanguine redemptam Salvator noster voluit esse liberam, hanc ipse Potestatis Regiæ jura transcendens, facere conatur ancillam; quam melius foret sibi dominam suam esse cognoscere. In tantùm autem sux temeritatem ostendit vęsaniæ, vt Caput omnium Ecclesiarum, Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in domina gentium terrenæ Ius Potestatis vsurpet.*

1271 Insuper *in Cap. Nullus Laicorum 63. dist.* prohibetur, vt Laicus, quamvis magnus Princeps, se in electionis negotio intromittat: Vndè Adrianus III. prohibuit, nè in creandis Pontificibus Imperatoris cõsensus expectaretur, vt PLATINA *in ejus vita.* Benedictus etiam 2. *anno 684.* obtinuit ab Imperatore, petente Senatu, Clero, & Populo, vt vsurpatæ jurisdictioni cederet, vt videlicet electus Pontifex, nulla expectata Imperatoris confirmatione, consecraretur, vt mos erat antiquus, vt habetur ex CORIOLANO *in Breviar. Chronolog. in vita ejusdem, fol.* 202. Nicolaus itidem I. prohibuit Lothario Cæsari, nè eligeret Episcopos, sed hoc Sedi Apostolicæ relinqueret liberum, vt habetur *in Cap. Porrò 63. dist.* Sed hanc intentionem Nicolai, quam tentaverat, sed non perfecerat, confirmavit Adrianus III. Et Alexander II. *anno 1063.* statuit per Laicos nullo modo Clericum, vel Presbyterum, obtinere Ecclesiam, nec gratis, nec pretio, vt *in cap. per Laicos 16. quæst. 7.*

1272 S. GREGORIVS VII. statim ac electus Pontifex est, in Synodo Romæ congregata decrevit, nè Clerici à Sæcularibus Principibus Beneficiorum Ecclesiasticorum investituras acciperent; admonuitque Henricum IV. nè Episcopatus, & Beneficia vsurparet; quod, quia contempsit, pravitate crescente, Pontifex coacto Concilio *anno Domini 1076.* Imperatorem excommunicavit; & per aliud Concilium Imperio privavit, teste PLATINA *in ejus vita.*

1273 VICTOR III. Gregorii Successor, partes ejus defendere aggressus, ideo veneno interiit ex Imperialibus, vt testatur PLATINA *in ejus vita.* VRBANVS II. qui successit Victori *anno 1088.* in Placentino Concilio *anno 1094.* confirmavit eadem Decreta Gregorii VII. contra dictum Henricum, & Clementem II. Antipapam. Idem fecit PASCHALIS II. cum Henrico V. cum quo pactus est, vt investituras Episcopatuum, & reliquarum Ecclesiarum

relaxaret Summo Pontifici, quod fuit *anno* 1107. sed postea cum Imperator fraudulenter Pontificem cepisset, & ab eo investituras extorsisset, relaxatus ideo Pontifex omnia promissa annullavit, Imperatorem Anathemate percussit, hæresimque esse declaravit, accipere Ecclesiarum Investituras à Laicis, vt videre est apud PETRVM GREGORIVM *in tit. de Elect. cap.* 5. *n.* 14. & alios.

1274 A CLEMENTE etiam III. *anno* 1188. electionem factam per Laicos vetitam esse, probat TEXTVS *in cap. Cum in vobis, de Iure Patron.* S. etiam GREGORIVS TVRONENSIS *lib.* 4. *cap.* 6. refert, quòd in Galliis LEONTIVS XIII. Burdegalensis Episcopus, Concilio Episcoporum apud Santonas Vrbem habito, Emerium Episcopum Santonensem gradu movit, quòd is contra Parisiensis Synodi Constitutiones non est suffragiis Cleri, & Populi electus, sed à Clotario Rege Episcopatum obtinuisset; quod & testatur FRANCISGUS LONGUS *in Breviar. Chronolog. fol.* 178. Pari modò SYMMACHI Pontificis tempore, EPISCOPI ORIENTALES improbarunt electionem factam ab Imperatore Anastasio in persona Timothæi ad Sedem Constantinopolitanam. Et sub HORMISDA *anno* 514. ad Sedem evecto, electionem ab eodem Anastasio factam de Dioscoro ad Sedem Alexandrinam, teste ANASTASIO BIBLIOTHECARIO, & GRATIANO *in cap. Sane* 16. *quæst.* 7.

1275 Ex hucusque dictis manifestè colligitur, quàm justis adducti fuerint momentis Summi Pontifices ad inhibendum Laicis Principibus, nè de facto, nè vè de Jure sese Ecclesiasticorũ Prælatorum electionibus ingererent. Nam etsi ob aliquod Privilegium eis ab Apostolica Sede concessum cõtenderent, aliquod Juris genus in hujusmodi electionibus habere': Nihilominus cum experientia satis ostenderit prędictorũ Privilegiorum abusum in magnum vergere Apostolicæ Sedis præjudicium, vsurpantibus Sæcularibus Principibus Authoritatem, quæ eis concessa non erat, sub prætextu Privilegii ab eorum Consultoribus, ergá Apostolicam Sedem parum affectis, siniſtrè intellecti; ad præcavenda hujusmodi damna, Pontificiæ Authoritati adeò noxia, Summi Pontifices ob prædictas causas, aliasque plures dicta prætensa Privilegia, vel vt melius dicam, jurisdictionis eis in prædictis Privilegiis non concessæ vsurpationem, meritò censuerunt abrogandam.

1276 Et vt clariùs appareat quanto cũ fundamento id præstiterint, expendere oportet illud, de quo loquimur, Nicolai II. Privilegium; & cum primo Romani Concilii Canone, ab ipso Põtifice condito, conferre, quo decernitur Pontificis electionem à solis Cardinalibus Episcopis sub nullitatis Decreto faciendam. Hæc sunt Canonis verba: *Primò namque inspectore Deo statutum est, vt electio Romani Pontificis in Potestate Cardinalium Episcoporum sit, ita vt siquis Apostolicę Sedis, sine præmissa concordi, & Canonica electione, ac deinde sequentium Ordinum Religiosorum, Clericorum, & Laicorum consensu inthronizatur, is non Papa, vel Apostolicus, sed Apostaticus habeatur.*

1277 Secundum Decretum ab eodem NICOLAO Pontifice de Summi Pontificis electione editum exprimitur *in cap. In nomine Domini*, in quo ad evitanda schismata, & vt Imperatoris potentià meliùs conciliaretur in Pontificis electionibus Ecclesiæ pax, & pręcaverentur adeò gravia incommoda, quæ in sui Prędecessoris electione Ecclesia passa fuerat, aliisque intollerabilibus damnis occurreretur, conceditur Henrico, quod istius majoribus alii Pontifices concesserant: *Eligant autem, inquit Nicolaus, de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur, salvo debito honore, & reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, speratur, sicut jam ei concessimus, & Successoribus illius, qui ab Apostolica Sede personaliter hoc Jus impetraverint.*

1278 Ex dictis Decretis deducitur primò, omne Jus, quod in Pontificia electione habere poterant Henricus, cæterique Imperatores, fuisse ab Apostolica Sede concessum; sicque justis intervenientibus causis, quales sunt suprà relatæ, aliæque plures, potuisse prędictum Decretum, & concessionem in Henrici, cæterorumque Principum favorem factam, revocari; Ecclesiæ enim, illiusque Summis Præsulibus deneganda non est facultas, qua omnes Sæculares Orbis Principes communiter gaudent, sanciendi ne mpè leges, & concedendi Privilegia, eaque justa interveniente

cau-

causa revocandi, illius enim est derogare, cujus est condere: & quod adeò frequens est apud Supremos Principes, omnesque Reges, denegandum non est Supremo Ecclesię Principi, Summoque Pontifici, quem Deus super Reges, & Regna cõstitnit *Ieremiæ* 1.

1279 Secundò deducitur, quòd quamvis Pontifex prædicto Regi Henrico, ejusque Successoribus, facultatem concesserit Pontificiis electionibus interessendi, illos tamen minimè fecit absolutos talium electionum arbitros, nec eis Potestatem dedit, vt contra Canonum statuta ad ipsorum libitũ peragerentur. Et cum vnus ex pręcipuis Canonibus, quos ipse Nicolaus condidit, sit ille, quem suprà retulimus, in quo statuitur, vt ad Summi Pontificis electionem Sacrum Cardinalium Episcoporum, & Presbyterorum Collegium, ad quos electio de Jure pertinet, concurrat; prædictus Imperator Henricus, se se Sanctissimo huic Decreto directè opponens, contra omne Jus & fas præcepit, vt sine vlla Sacri Cardinalium Collegii assistentia Guibertus Antipapa eligeretur, non electionis tempore, Sedeque vacante, vt Sacri Canones præscribunt, sed Sede plena, legitimoque existente Pontifice, legitimè electo, & vt tali ab ipso Imperatore Henrico, vniversalique Ecclesia per septem annos pacificè suscepto, quousque prædictus Henricus præfatum Antipapam creans, Ecclesiæ pacem turbavit. Videamus ergo quo jure, qua Authoritate id fecisse constiterit? Est nè aliqua Authoritas in Ecclesia, aut inveniri potest aliqua facultas non modo Sæculari, verùm nec Ecclesiastico Principi, imò & Concilio data, novum eligendi Pontificem, Sede plena, viventeque adhùc, qui Pontificium Thronum legitimè tenet? Hinc manifestè evincitur Imperatorem Henricum, non alicujus Privilegii virtute, sed apertissima Privilegii vsurpatione, fecisse congregari Concilium ad Ecclesiæ pacem turbandam, & Guibertum Antipapam contra Gregorium Pontificem, qui Apostolicam Sedem sanctè, & legitimè tenebat, eligendum. Hæ igitur, aliæque similes jurisdictionis in Pontificia electione vsurpationes Romanos Pontifices justissime impulerunt, vt prædicta prætensa Privilegia abrogarent, cum non ad Ecclesiæ ædificationem, sed potius destructionem deservirent, ob jurisdictionis non cocessæ vsurpationem.

1280 In hanc rem admodum lectu dignum est, quod scribit S. ANSELMVS, Lucensis Episcopus, *lib. 2. contra Guibertum Antipapam*, dicens: *Quod si admittendum est, vt ratione factum dicatur, objicimus ad hoc confutandum, præfatum Regem, & Optimates ejus se ea Constitutione indignos fecisse. Primò, quia postea præfatum Nicolaum Colonienſem Archiepiscopum pro suis excessibus corripuisse graviter tulerunt, eumque hujus gratia, quantum in se erat, à Papatu deposuerunt, & nomen ejusdem in Canone consecrationis nominari vetuerunt; ideoque Decretum ejus de Jure irritum esse debebit, quod cum à toto Orbe Papa haberetur, juxta eorumdem Sententiam, eisdem Papa non fuit, quasi non ex Dei, sed ex eorum tantùm penderet voluntate, quempiam, esse, vel non esse. Romanus enim Pontifex, vt sapientes norunt, non modo deponi, sed etiam nullo Christiano Jure à quolibet potest judicari. Denique, quia cum in eodem Decreto cautum esset, vt Romę Pontificis electio à Romano Clero, & Populo ageretur, & postea Regi notificaretur, ipsi præfatum Decretum violantes elegerunt, quod eis non licebat, priùs Cadaloum Parmensem, postea Guibertum Ravennatem induentes eos Apostolicis insignibus, vocantes Apostolicos, Apostatas Antichristi prædecessores. *Hęc ille.

1281 Pro prædictorum Privilegiorum revocatione notandum valdè est, quod dicit GRATIANVS *in cap. Quia Sancta Romana 63. dist. §. Verum*, hæc inter alia scribens: *Ac per hoc magna Authoritas ista est habenda in Ecclesia, vt si nonnulli ex Prædecessoribus, ac majoribus nostris fecerunt aliqua, quę illo tempore potuerunt esse sine culpa, & postea vertuntur in errorem, & superstitionem, sine tarditate aliqua, & cum magna Authoritate à posteris destruantur.* Quod clariùs expressit GLOSSA *ibi* in hęc verba: *Dictum est suprà *in Cap. Quia*, quod Constitutio facta fuit quondam, quod Imperatores deberent interesse electioni Papę, & Episcoporum, vt suprà patet in multis capitibus. Nunc verò dicit Gratianus *in hoc* §, quod postea statutum fuit contrarium propter tres rationes. Prima ratio est, quia Imperatores abutebantur Privilegio suo, quia non solùm consentire volebant, sed electionibus se ingerebant.

Secunda ratio fuit, quia inhęresim labebantur, & sæpè Ecclesiam impugnabant. Et quod Apostolici potuerunt in contrarium statuere, & destruere Constitutiones, quas Antecessores fecerunt, probat exemplo Ezechiæ, qui serpentem æneum, quem fecerat Moyses pro liberatione Populi, destruxit, cum Populus illum coleret, sicut Deum. Tertia ratio est, quia Imperatores suis Privilegiis renuntiaverunt, & postea electiones Apostolicorum celebratæ sunt, præsentibus, & inconsultis Legatis Imperatoris, quod probat sequens caput: **Cum Adrianus.*

1282 Nec omitti potest, quod eruditissimus Cardinalis TVRRECREMATA, Gratiani, & Glossæ Sententiam sequutus, expendit, & probat, hanc quæstionem sic proponens: *Pro pleniori intellectu hujus capitis quæritur: vtrum Imperatores debeant interesse electionibus Romanorum Pontificum.* Cui difficultati satisfacit quatuor conclusionibus, ad nostram rem aptissimis. Et nê ipsius eruditioni aliquid detrahere videamur operæpretium duximus, easdem transcribere. Prima est: *Quòd numquam Imperatoribus, aut Sæcularibus Principibus fuit Jure proprio licitum disponere, aut ordinare, non modò Apostolicam Sedem, sed nec quantamcumque Ecclesiasticam dignitatem. Patet conclusio ratione. Ad nullum enim inferioris gradus pertinet propria Authoritate, aut Jure disponere, aut ordinare de eo, qui est superioris gradus & dignitatis; hoc est manifestum: Sed Imperator, & Principes Seculares, quantæcumque sint dignitatis, semper sunt inferioris gradus, & dignitatis, quàm sint in Sacerdotio constituti, vt *in cap. Quis dubitet.* & *cap. Duo sunt. 96. dist.* ergo conclusio est vera. Hanc conclusionem veram confitetur Imperator Valentinianus, *in cap. Valentinianus sup. dict. cap.* vbi, cum Episcopi rogarent eum pro ejus sapientia, & bonitate, vt ipse eligeret Episcopum Mediolanensem; respondit dicens: Super nos est; Glossa ibi: id est: ad nos non spectat electio. Sic Rex Theodoricus respondit *dist. 17. §. Hinc.*

1283 Secunda conclusio: Quotiescumque Imperatores licitè interfuerunt electionibus Romanorum Pontificum, eligendo, aut confirmando, hoc fecerunt ex Privilegio eis ab Ecclesia concesso. Patet conclusio, tûm ex præcedenti, tûm *ex §. præsenti*, & *ex capitibus superioribus. Adrianus.* & *cap. In Synodo ea dist.* Tertia conclusio: Sicut dare potuit ex causa hujusmodi Privilegia Imperatoribus, & Regibus, ita potuit revocare. Ista conclusio probatur hîc *in §. isto*, vbi exemplo illius, quod factum est in veteri lege, probat, quòd Ecclesia potest revocare priùs statuta, ex quo in detrimentum incipiunt vergere, & ocasionem mali parere.

1284 Quarta conclûsio est, quòd licitum fuit, privare Imperatores hoc Privilegio. Patet conclusio multipliciter. Prima ratio; quia ista Privilegia ex causa & ex necessitate fuerunt indulta Imperatoribus, vt suprà *cap. Quia sancta*: ergo cessante, licitum fuit, quòd cessarent & ipsa Privilegia. Patet consequentia 1. *quæst. 7. Quod pro medio.* Secunda ratio est; quia abutebantur hujusmodi Privilegiis, vt *in hoc §.* ostendit Gratianus: quia quandoque Imperatores, modum suum ignorantes, non in numero consentientium, sed primi distribuentium, imò æstimătium esse voluerunt, frequenter in Hęreticorum perfidiam lapsi, &c. Et ideo Privilegia illa perdere meruerûnt, vt 11. *quæst. 3. cap. Ipse. & cap. Privilegium.* Tertia ratio; quia ipsi propria voluntate eisdem Privilegiis abrenuntiaverunt, vt *infrà. cap. Ego tibi Domino.* Et hanc rationem assignat etiam Magister *in vltima parte hujus §.** Et omissa tertia hac solutione quamvis aliquantùm diffusa.

1285 Præcipuo argumento respondemus quartò. Prędicta Privilegia, quamvis legitima fuerint, & Imperatoribus ab Apostolica Sede concessa, nihil nobis obstare posse, eo quòd prædicti Imperatores, & Reges, qui existimabant se habere hoc Jus eligendi, vel interessendi, aut de Summi Pontificis electione disponendi, præfatis Privilegiis spontè renuntiaverint; aut, quia agnoverunt ea secura non esse, aut non legitimè concessa, quatenus id, quod ipsi contendebant, concessionis limites transilibat; aut, quia revocata erant, vel ob alia nobis ignota motiva. Vndê ea Privilegia libertati Ecclesiasticarum electionum, & maxime Pontificiæ, obstare non possunt. Vna ex præcipuis prædictæ renuntiationis causis, & minimè inferior est, Reges, & Imperatores probê agnovisse Imperium Religioni cedere *cap. Ecclesia de*

Con-

Constitut. & Temporalem Potestatem subdi Spirituali, vt pluribus probamus *lib.* 1. *de Potest. Temporal. Romani Pontif.* quod optimè docet D. THOMAS 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 3. *ad tertium.* Ibi: *Sicut corpus animæ, sic Potestas Temporalis Spirituali subditur; nec est vsurpatum judicium, si Spiritualis Prælatus se intromittat de Temporalibus: & Sacerdos Apostolicus se habet ad Reges, sicut Architectus civilis ad alios Artifices in Civitate.* D. Thomam sequuntur communiter Authores, præsertim Cardinalis BELLARMINVS *in suo libello de Pot st. Pontif. adverst. Guillel. Barclay.* ALBERTVS PIGHIVS *de Eccles. Hierarch. cap.* 14. & 15. ALEXANDER DE ALES 2. *part. quæst.* 158. *num.* 3. *art.* 1. & 3. HVGO DE S. VICTORE *lib.* 2. *de Sacram. part.* 2. *cap.* 4. Cardinalis TVRRECREMATA *de Ecclesia lib.* 2. *cap.* 103.

1286 Nec desunt hujusmodi renunciationis exempla; CONSTANTINVS enim IV. cognomento POGONATVS, in Benedicti II. manibus electionis Jus Clero, Populoque remisit, & vt electus Pontifex nulla expectata Imperatoris confirmatione consecraretur. Ex CORIOLANO *in Breviar. Chronolog. ad ann.* 684. VALENTINIANVS, etiam Imperator, rogatus, vt Mediolanensem Episcopum eligeret, ad Clerum, & Populum talem electionem spectare decrevit; vt habetur *in cap. Valentinianus* 63. *dist.* licet de schismate inter Damasum I. & Vrsicinum Antipapam, ad tollendam seditionem cognoverit. De Carolo Magno, & Ludovico, ejus filio legitur, quod Paschali I. renuntiaverit, ac statuerit, vt in posterum consecrarentur Pontifices absque impedimento & conditione, licet voluerit, quòd post consecrationem mitterentur ad eum Legati, qui amicitiam, & charitatem inter ipsum & Summum Pontificem sociarent, vt *in cap. Ego Ludovicus* 63. *dist.* PLATINA, & VOLATERANVS *in vita Paschalis.* LOTHARIVS item, Ludovici filius, hoc pactum cum Leone IV. confirmavit, *cap. Inter nos* 31. 63. *dist.* D. ANTONINVS 2. *part. Histor. tit.* 16. *cap.* 1. §. 2. HENRICVS I. pater Othonis, & ipse OTHO, renuntiarunt idem Jus in manibus Ioannis XII. vt videre est *in cap. Constitutio*, & *in cap. Tibi Domino* 63. *dist.* & apud PETRVM GREGORIVM *de Elect. cap.* 5. *n.* 9. & 13.

§. V.

A secunda Bennonis calumnia vindicatur Gregorius.

1287 SEcunda calumnia, qua Pseudo Cardinalis Benno Gregorium Pontificē insectabatur, teste BELLARMINO *vbi suprà*, est Henricum IV. insontem fuisse ab illo Excommunicatum; quod & Magdeburgenses non verentur impudenter asserere *Centur.* 11. *cap.* 6. *col.* 264. At quantum ab omni veritatis specie aliena sit hæc calumniandi libertas, ac audacia, non erit probatu difficilè, si Scriptores Authoritate, dignitate, & antiquitate præstantissimos cōsulamus, nefanda illius Imperatoris scelera, ac flagitia narrantes, qui æquissima produnt momenta, quibus Anathema in Henricum à Gregorio inflictum, justissimum demonstratur; & nê actum agere videamur, Lectorem remittimus ad ea, quæ tradimus *de Potest. Temp. lib.* 3. *cap.* 5. vbi de æquitate, & justitia depositionis Henrici IV. per Gregorium VII. abundè agimus, atque Sanctorum, ac in Historia Ecclesiastica Scriptorum præstantissimorum Authoritate fulti, quibus ad majorem illustrationem, aliqua duximus non levis momenti superaddenda.

1288 In primis VRSPERGENSIS ABBAS, cujus testimonium nec ipsi quidem adversarii recusare possunt, eo quòd eum omnibus ejus temporis Historicis longê anteponant, *ad annum* 1088. hæc de Henrico tradit: *Henricus Rex adolescentiæ vsus libertate, Saxoniam solam ex omni Romano Imperio cœpit incolere, Principes despicere, nobiles opprimere, inferiores sustollere, venatui, lusibus, cæterisque hujusmodi exercitiis plusquam justitiis faciendis (vt incusatus est) operam dare; filias illustrium quibuslibet obscurè natis conjugare, privata præsidia (nimium potentibus Regni non satis fidens) instituere. His discordiæ seminariis contigit Regi quàm plurimos insidiatores, tàm vitæ quam Regni sui crescere.* Huic addere possumus AVENTINVM, qui & plurimum arridet Protestantibus, quorum partes non leviter fovet. Is enim *lib.* 5. *Annal. Boior.* hæc scribit: *Henricum stupris amoribus, impudicitiæ, & adulterij flagrasse infamia, nec amici quidem negant.*

GVI-

1289 GVILLELMVS TYRIVS METROPOLITA *lib.1.cap.13. de Bello Sacro*; hęc scribit: *Henricus Teuthonicus Rex, & idem Romanorum Imperator à D.Gregorio Papa VII. passus fuerat quęstionem, & controversiam non modicam, super annulo Episcoporum defunctorum, & baculo. Inoleverat enim consuetudo (presertim in Imperio) quòd defungentibus Ecclesiarum Prælatis, annulus, & virga Pastoralis ad dominum Imperatorem dirigebatur: Vndè postmodum vnumquemlibet de familiaribus, & Capellanis investiens ad Ecclesiam vacantem dirigebat, vt ibi Pastoris fungeretur officio, non expectata Cleri electione. Quod Dominus Papa contra omnem fieri honestatem considerans, & jura in eo facto conculcari Ecclesiastica per pendens, semel, secundò, ac tertiò eumdem Imperatorem commonuit, vt à tàm detestabili desisteret præsumptione, quem præceptis salutaribus commonitum cum revocare non posset, vinculo Anathematis innodavit. Quod factum nimis indignè ferens Imperator, cœpit Ecclesiam Romanam persequi, & Domino Papæ Guibertum, Ravennatem Archiepiscopum, virum litteratum, & locupletem nimis suscitavit adversarium; qui de viribus Imperatoris pręsumens, & de multitudine divitiarum confisus, excluso violenter prędicto venerabili viro, Sedem invasit Apostolicam, ita delyrus, & ab intellectus sinceritate deficiens, vt ipse esse crederet, quod falsò dicebatur.*

1290 DODECHINVS, Mariani Scoti continuator: *Henricum, inquit, hominem perversum justo judicio ab Ecclesia ejectum, constat manifestè; vendidit enim omnia spiritualia.* Idem Author *anno* 1090. & 1093. multa horrenda prorsus Henrici scelera refert. S. quoque ANSELMUS CANTVARIENIS, Author Coævus *in epist.* quæ præcedit librum de azimo, *ad Valrhamum* Henricum IV. *Neronis, Domitiani, & Diocletiani Successorem* appellat. Quàm plurima insuper Henrici scelera produntur á LAMBERTO SCAFNABURGENSI, ABBATE VRSPERGENSI *in Chron.* ALBERTO CRANTZIO *lib. 5. Metrop.* & alis, quibus Magdeburgenses multum fidei tribuere solent; quibus addere possumus Calvinum, non dissimilia asserentem, *lib.4.inst.cap.* 11. §. 13. *Imperator, inquit, Henricus, ejus nominis quartus, homo levis, & temerarius, nullius consilii, magnæ audaciæ, & vitæ dissolutæ, Episcopatus totius Germaniæ habebat in aula sua partim venales, partim predæ expositos.*

1291 NICOLAVS SANDERVS, ap primè eruditus, & Catholicos inter Authores magno fidei, & Religionis zelo prędituS, *de Monarch. Eccles. lib.7. fol.444. num.773.* Henrici scelera in compendium redigens: *Qualem hunc, inquit, fuisse putabimus, quem Principes Germaniæ, & optimi quique Episcopi apud Sedem Apostolicam constantissimè accusarunt? quem omnes Historici reprehendunt? à quo vniversi Saxones defecerunt? quem non solum Gregorius VII. verùm plures Romani Pontifices, cùm Antecessores, tùm Successores Gregorii, etiam in Synodis Episcoporum toties, tanto cum vitæ periculo, excommunicarunt? quem mater ipsius Agnes, Romam confugiens, deseruit? in quem vxor palam in Synodo testificata fuit? à quo filius Conradus, & is bonus, ac modestus adolescens, vehementer abhorruit? in quem postremò alter filius Henricus, vt postea constabit, arma sumpsit? & quem vniversi Principes solio Imperii cedere coëgerunt? Et tamen hic est ille Henricus, quem Protestantes maximi faciunt, & cujus calumnias in Papam Gregorium intentatas pro Evangeliis habent.*

1292 Prędicta egregiè confirmat quod tradit PLATINA *in Vita Victoris Papæ*, sic scribens: *Victor Pontifex creatus, statim Gregorii partes susceptit; hanc obrem crediderim eum Henricum Regem hostem habuisse, cujus fraude (vt MARTINVS scribit) veneno in Calicem injecto, dùm sacrificat, necatur.* Idem testatur MARTINVS POLONVS, *qui in Pontificatu Victoris*: *Victor tertius, ait, sedit anno vno, mensibus quatuor, diebus septem.* Hic propio nomine Desiderius vocatus, Abbas Casinensis fuit, qui veneno in Calice immixto dicitur extinctus.*

1293 Nec prętermittenda sunt hìc, quę de eodē Imperatore prodidit CRANTZIVS *in Metropoli. lib.5.cap.* 21. dicens: *Henricus IV. cum jam alteram sibi junxisset vxorem, filium suum Conradum ad vxoris fertur invitasse complexum. Cum hor-*

horreret infandum crimen bonus juvenis, Henricus dixisse fertur, se patrem illius non esse, & ideo thorum suum non esse illi tantopere refugiendum. Hinc juvenis in Italiam concedens, ductu Matildis ad Urbanum Pontificem venit, qui detestatus scelera Regis, renovavit Excommunicationem in ipsum.* Eadem habet DODECHINVS *in Appen. ad Marian. Scot. anno* 1093. Hùc etiam mihi videtur ABBAS VRSPERGENSIS respexisse *in Chronic.* cum laudata Conradi castitate, ait, illum reveritum esse illud legale preceptum: *Turpitudinem Patris tui non revelabis.*

1294 Verùm quamquam Henricus adeò pessimus, proprioque suo, & communi Regni bono pernitiosus extiterit, non defuerunt suorum criminum socii, qui ab eo steterint; adeò potens est ambitio, & adulatio. Vnus horum fuit Valtramus, Magdeburgensis Episcopus, qui cum Henrico Regi præcipuè faveret, missis Litteris ad Ludovicũ Comitem, ei suadere conatus est, vt se dicto Regi subderet, ejusque partes tueretur. Quibus in Litteris, tamquam pro defensione ordinationis Dei, re autem vera favendo Regi laborans, beatæ memoriæ Gregorio Papæ, & piæ recordationis Rodulpho Regi, & aliis Principibus, qui jam in somno pacis requieverant, obloquendo detrectare non finit, dicens, eos, quasi non fuerint sic, periisse; affirmans eis malum principium fuisse, quos finem pessimum contigisset habuisse. Quarum Litterarum tenor, hic est:

**Valtramus, Dei gratia, id, quod est, Ludovico serenissimo Principi cum instantia orationum semetipsum, ad omnia devotissimum.*

1295 OMni Regno utilis est concordia, desiderabilis est justitia: hæc enim virtus mater est probitatis, & conservatio totius honestatis; qui autem intestina grassando dissensione ad humani sanguinis alios irritat effusionem, profectò vir sanguinum est, ac illius particeps, qui nostrum sanguinem sitiens, semper circuit quærẽs quem devoret. Tu igitur, glorioſissimè Princeps, attendens quomodo Deus pacis est, & non dissentionis, quod ex te est, pacem cum omnibus habeas. *Deus Charitas est*, diabolus odium. Tota Lex, & Prophetæ in dilectione pendẽt. Qui autem odit fratrem suum, homicida est, nec habet partem in CHRISTI Regno, & Dei. Hoc ipsa veritas, hoc Discipulus ille veritatis protestatur, qui de pectore dominico Evangelii profundiùs potatus veritatem, fluminis impetu lætificat Civitatem Dei. Sed & ille vas electionis, qui vsque ad tertium Cœlum raptus non secundum hominem, sed per revelationem IESV CHRISTI Evangelium suum didicit, *Omnis*, inquit, *anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est Potestas nisi a Deo; qui autem resistit Potestati, Dei ordinationi resistit.* Sicut amici nostri inter mulierculas, & simplex vulgus somniant Regiæ Potestati subdi non oportere: falsum esse ergo, quòd omnem animam Potestati subdi oporteat. Sed numquid veritas mendacii arguenda est? An experimentum quęramus ejus, qui in Apostolo loquebatur CHRISTVS? An æmulemur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? Fortiorem se confidit, qui Dei ordinationi resistit: quoniam non est Potestas nisi à Deo. Sed quid ait Propheta? *Confundantur omnes, qui pugnant adversus te Domine: & peribunt viri, qui resistunt tibi.*

1296 Rodulphus, Hildebrandus, Eggebertus, & innumeri Principes Dei ordinationi in Henrico Imperatore restiterunt, & ecce, quasi non fuerint, perierunt, quia profectò necesse est, malum fuisse principium, quorum finis pessimus subsecutus est. Nunc ergo quoniam, qui ex adverso sunt, suis adversum nos eminus digladiantur ratiocinationibus, vestro judicio vbi Jus, vel etiam in vestro judicio conseramus, domicilio tantum non suo vsurario, sed CHRISTI & Antiquorum Patrum vtamur testimonio. Ac nè fortè recusetur lex hujus esto certaminis, vel me in Populorum transire Sententiam, vel ex nostro triumpho vos Domino nostro Imperatori lucrifaciamus. Attendatur vt illud: *Si quis aliter evangelizat præter quod evangelizatum est vobis, Anathema sit.* Hoc Anathema non de prophanę novitatis vsuario, sed de tertio intonuit Cœlo. De istis autem, qui ignorantes Dei justitiam, & quærentes suam statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti fiducialiter dixerim: *Maledicetur illi, & tu benedices: Qui insurgunt in me confundantur; servus autem*

tem

tem tuus lætabitur; quoniam (vt ais Domine) *sine me nihil potestis facere : nec damnas justum, cum judicabitur illi. Tu quis es, qui judicas alienum servum? suo Domino stat, aut cadit*, &c.*

1297 Has sanè Litteras prædictus Comes Ludovicus suscipiens, vocato ad se venerabili viro Stephano, Alberstadensi Episcopo, tradidit legendas, rogavitque eum, quatenus his diligenti examinatione perspectis, juxta rationem veritatis congrua obviaret responsione, linguam blasphemantis, os quoque iniqua proferentis contra justitiam, Authoritate Sancti Spiritus, & testimonio Scripturarum obstrueret, nè amplius contra Ecclesiam Dei latratus proferret insanos, & fureret. Venerabilis autem Episcopus secundum petitionem Comitis, susceptis Litteris, ac diligenti examinatione perspectis, vt scribit DODECHINVS *in Append. ad Marian. Scot. ad annum* 1090. vocato Notario, epistolam dictavit, in qua primum præscriptum Valtramum Episcopum, Hæreticum, Simoniacum redarguit, Regemque etiam Henricum Hæreticum, & Excommunicatum, ideoque nec Regem dicendum comprobavit, Episcopatus pro pecunia, pro gladio, pro adulterio, pro Sodomitica immunditia vendentem declaravit. Sed ipsius jam epistolæ Textus exponatur, vt illius venerabilis viri fervor in tenore justitiæ agnoscatur.

**Comes Ludovicus Domino Valtramo, quidquid tali vocabulo dignum est.*

1298 SIcut bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, ita malus homo de malo thesauro profert malum. Vndè tibi tanta arrogantia, vt me ad indignationem tàm injuriosis injuriis provocares? Etenim Dominos, & patres meos qui me in via justitiæ confortant, viros sanguinum, similes Sathanæ obliquè appellas, & monita salutis, qui suggerunt, inter mulierculas, & simplex vulgus somniare dicis. Numquid Deus indiget tuo judicio, vt pro illo loquaris dolos? Docuit iniquitas os tuum, & imitaris linguam blasphemātium, ita vt rectè de te dicat Propheta : *Noluit intelligere, vt benè ageret; iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Quamvis ergo quantum perversus, tantum perversa locutus sis, nos tamen ori nostro custodiam ponere decrevimus, & siluimus, *cum consisteret peccator adversum nos.* Sed excitat nos sermo Divinus, dicens : *Responde stulto secundum stultitiam suam, nè sibi sapiens videatur.* Numquid enim fatuitas personabit, & sapientia obmutescet? Numquid loquetur mendacium, & veritas silebit? Numquid tenebræ operient terram, & Dominus non orietur? Imò *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Qua cōsideratione concaluit cor nostrum, & in meditatione nostra exarsit ignis. Loquimur igitur, & clamamus, vulpesque parvulas, quæ vineas Domini demoliuntur, quamtum possumus arcemus, timentes Prophetiam illam exprobrantem : *Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis muram pro Domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini.* Audiant, non tu, qui aures habes, & non audis; qui oculos habes, & non vides, qui lumen, quod in te est, tenebras fecisti : audiant, inquam, omnes cordati, qui aures audiendi habent, quàm altè, aut non intelligas, aut intelligere dissimules, neque quid loquaris, de quibus affirmes.

1299 Ad subiectionem Domini Henrici, quem Imperatorem dicunt, nos invitas, & in quantum intelligere datur, vt per omnia subditi simus, quasi Apostolico argumento necessitatem imponis, dicens: *Omnis anima Potestatibus superioribus subdita sit; non est enim Potestas nisi à Deo : Qui ergo Potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Quam Apostoli Sententiam te malè intelligere, pejùs interpretari, dicimus. Si enim omnis Potestas à Deo est, vt tu intelligis, quid est, quod de quibusdam dicit Dominus per Prophetam : *Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi eos?* Si omnis Potestas à Deo est, & tu intelligis, quid est, quod dicit Dominus : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projce abs te?* Quid enim est Potestas, nisi oculus? Certè Augustinus *in expositione Apostolicæ Sententiæ: Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*: Quod si Potestas (inquit) aliquid jubeat, quod contra Deum sit, hîc contemne Potestatem, timendo Potestatem alioquin. Numquid iniquitas apud Dominum? Numquid CHRISTVS peccati minister est? Absit. Quid ergo dicemus? Numquid ab Apostolo

lo diversa Sententia Prophetiæ evulgatur? Augustinus, minimè. Diversas tibias inflat spiritus vnus. Itaque audiamus Apostolum concordantem, ac se ipsum explicantem, & inimicum vltoremque suum destruentem. *Non est*, inquit; *Potestas nisi á Deo*. Quid sequitur? *Qui ergo*, inquis, *Potestati resistit*: & reliqua. Absit. Non hoc sequitur. Sed quid sequitur? *Quæ autem á Deo sunt, ordinata sunt*. Nempè hoc est, quod quærimus. O lingua dolosa! O cor machinans malum! Spiritus vadens, & non rediens! Cur mentitus es Spiritui Sancto? Arguat te conscientia tua. Ecce fugit impius nemine persequente. Cur, vt decipere, supprimere veritatem voluisti? Cur medullam, cur animam hujus Sententiæ furatus es? Nam si hęc verba de medio Sententiæ Apostolicæ tollantur, contra sibi inconveniēs, & exanimis jacebit. Impletur sermo Divinus: *Qui parat proximo suo foveam incidet in eam*. Certè nec culpam furti, nec pœnam evadere poteris. Quid infelix, quid judici venturo, cum à servis negotiatoribus lucrum requiret, responsurus es, qui dominicę pecunię fraudator, in medium produceris? Quare non judicium, & laqueum proditoris timuisti, nè similem reatum similis vindicta sequeretur? Prævidens per Spiritum Sanctum Apostolus te, tuique similes Hęreticos in Ecclesia emersuros, *qui bonum malum, malum bonum dicerent, qui tenebras lucem, & lucem tenebras ponerent*, qui de Sententiis veritatis occasionem inducendi erroris caperent, cum præmisisset: *Non est potestas nisi á Deo*: vt conjecturam reprobi intellectus amputaret: *Quæ autem sunt*, inquit, *á Deo, ordinata sunt*. Da igitur Potestatem ordinatam, & non resistemus, imò dabimus illicò manus.

1300 Miror autem, si in te vel gutta sanguinis est, qui non erubescis Dominum Henricum, Regem dicere, vel ordinem habere. An ordo tibi videtur, Jus dare sceleri, fas, nefasque, Divina, & humana confundere? An ordo videtur tibi, in corpus suum peccare, videlicet (proh pudor! proh nefas!) vxorem propriam, scelere omnibus sęculis mundi inaudito, lupanar facere? An ordo tibi videtur, cum Dominus dicat: *Defendite viduam*, viduas judicii æquitatem postulantes, nefanda contaminatione prostituere? Hæc, qui ordinata, qui sana dixerit, hunc insani capitis esse, insanus jurat Orestes. Vsque ad hęc miserrima tempora natura secretum amavit; sed traditus in reprobum sensum Rex vester, naturę involucrum detexit, qui omnem pudorem ponit in propatulo. Vt autem illa, quæ sine numero sunt, taceamus, videlicet concremationes Ecclesiarum, depredationes, homicidia, incendia, truncationes, & his similia, quæ ille potest, nos enumerare non possumus, ea, quæ maximè Ecclesiam Dei gravant, loquamur.

1301 Audi ergo vera, non fucata; audi fortia, non faceta. Omnis, qui spirituales dignitates vendit, Hæreticus est. Dominus autem Henricus, quem Regem dicunt, Episcopatus, & Abbatias vendit: etenim Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem, & plures alias pro pecunia; Ratisponensem, Augustensem, Straßburgensem pro gladio; Abbatiam Fuldensem pro adulterio, Monasteriensem Episcopatum (quod dicere, & audire, nefas est) pro Sodomitica immunditia vendidit. Quæ si impudenter negare volueris, testê Cœlo, testè terra, omnes etiam à furno redeuntes scioli concludent: Ergo Dominus Henricus Hæreticus est. Pro quibus nefandis malis ab Apostolica Sede Excommunicatus, nec Regnum, nec Potestatem aliquam super nos, qui Catholici sumus, poterit obtinere.

1302 Sanè, quia fratrum nos odiis fatigas, intellige, nulli nos odium de affectione, sed de pietate intendere. Absit, vt dicamus, Henricus inter fratres, aut Christianos reputetur, qui, toties corripientem Ecclesiam non audiens, sicut Ethnicus, & Publicanus habetur, cujus odium pro magno sacrificio Deo offerimus, dicentes cum Psalmista: *Nonne, qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfectó odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi*. Cujus odii dignitatem veritas commendans, ait: *Si quis non odit patrem, & matrem, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*. Non ergo de odio justé reprehendimur, qui animam nostram, cum à via Dei exorbitamus, qui patrem, & matrem, & affectum, qui nobis in via Dei obstat, odiisse præcipimur. Inde est, quôd omni studio, omni conatu laboramus, vt hostes Ecclesiæ, nos quoque vt adversarios caveamus, & non quia nostri, sed quia Dei inimici sunt, odio habeamus.

1303 Porrò, quod de pace cum omnibus hominibus habenda persuades, meminisse debes, quia præmisit Apostolus. *Si fieri potest.* Fieri autem non potest, vt cum his, qui Deo contrarii sunt, pacem habeamus. Quis autem nesciat, Dominum Salvatorem, non solum pacem commendare, cum dicit: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*: Sed etiam ipsam pacem existere, sicut ait Apostolus: *Ipsa est pax nostra, qui fecit vtraque vnum?* Quid ergo ait pax nostra commendans pacem? *Nolite*, inquit, *arbitrari, quia veni mittere pacem in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium.* Quid est hoc? Quare pax gladium? Quare pax bellum indicit? Nimirum vt destruatur pax diaboli: habet enim & diabolus pacem suam; de qua Dominus dicit: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet.* O quàm patenter per vos satellites suos atrium suum hoc tempore diabolus custodit, qui scuto fallitatis, & galea perfidiæ protecti nulla veritatis jacula, nulla Fidei spicula admittitis. Potest tamen Dominus noster, vtpote fortior armatus superveniens, fortem vestrum vincere, & arma, in quibus confidit, auferre. Non ergo rectè culpamur, si pacem illam omni bello crudeliorem detestamur, quam ipsa Veritas, super Ierusalem flendo, reprobat, dicens: *Et quidem in hac die, quæ ad pacem tibi.* Et quam Psalmus: *Super iniquos zelavi, pacem peccatorum videns.*

1304 Quòd verò Papam Gregorium Regem Rodulphum, Marchionem Eggebertum pessimi interitus damnas, & Dominum tuum, quia illis superstes est, bonificas; liquet profectò, ab omni spirituali te consideratione manere vacuum. Nonnè beatius est benè mori, quàm malè vivere? *Beati enim, qui persecutionem patiũtur propter justitiam.* Jam & Neronem, quia Apostolis Petro, & Paulo, jam & Herodem, quia Iacobo Apostolo; jam & Pilatum, quia Domino IESV CHRISTO supervixerint, beatos æstimas. Qua opinione quid insanius, aut infelicius dici potest? Qua propter & ab hac blasphemia linguam magniloquã compesce, nisi fortè in numero illorum te constituis, qui in fine, justorum videntes gloriam, seram & infructuosam agentes pœnitentiam, præ angustia spiritus gementes, dicent: *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii: Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est: Ergo erravimus à via veritatis, & Sol Iustitiæ non luxit nobis.* Quid nobis profuit superbia? Et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia velut vmbra. Quę nos verba in memoria adamantina scribentes, omnem similitudinem extollentem se adversus veritatem Dei contemnimus: & gloriantes in tribulationibus, calumniari, proscribi, & exterminari, denique occidi possumus, flecti, vel vinci, non possumus: Et cũ magno tripudio illud, quod tu puer adolescens, juvenis frequentatus, nondum corde senex concepisti, de patribus nostris exultamus, *qui contemnentes jussa Principum meruerunt præmia æterna.* Porrò Sententias tuas diligenti curiositate trutinantes, quasi spiritualia spiritualibus comparare volumus, &c.* Hactenus ille.

1305 Ex hucusque dictis manifestè concludit ur, quàm justis adductus momentis Gregorius Pontifex Anathema intorserit in Henricum, non insontem, sed potiùs inter sceleratos Reges sceleratissimum, ob nefandissima illius crimina, toti Orbi notissima, quæ à laudatis Authoribus, fide dignissimis, dignitate, & doctrina præstantissimis, in publico Orbis theatro palam, & publicè ad perpetuam tantorum scelerum memoriam in lucem prodita sunt, vt nulla possent talis Principis, Ecclesiæ hostis, ac persequutoris nefandissimi, oblivione celari facinora, quin potiûs tanti Pontificis justissimum Anathema in eum inflictum, ejusque è Regno depulsio ab omnibus, vt æquissima laudari, ac prędicari mereatur.

§. VI.

Tertia à Schismaticis, Gregorio VII. impacta calumnia, manifestè depellitur.

1306 ACcusabant tertiò prædicti Schismatici Gregorium, tamquam Fidei desertorem, qui Catholicam, & Apostolicam de Corpore, & Sanguine Domini Fidem in quęstionem posuerit, quod Berengarii antiquus fuisset Discipulus, testè ABBATE VRSPERGENSI

in

in Chron. De eadem calumnia à Bennone Pseudo-Cardinali accusatũ tradit BARONIUS *ad annum* 1079. *num.* 4. De eadem meminit Cardinalis BELLARMINUS, *de Rom. Pontif. lib.* 4. *cap.* 13. *col.* 750. *litt. D.* *Tertiò (inquit) scribit Benno, Gregorium Papam Hæreticum Berẽgarianum fuisse, hoc est, non certò credidisse, in Eucharistia adesse verum CHRISTI Corpus.*

1307 Verùm quàm propria improbitatis, & infensissimi odii, quo Gregorium VII. ejusque in Fide puritatem, Schismatici infectabantur, fuerit hujusmodi calumnia, & quam valdè aliena à veritate, & opinione, qua tamquam summè Catholicus, & mirificè ferventissimo honoris Dei, Ecclesiæ zelo accensus, & venerationis erga Sanctissimum Eucharistię Sacramentũ, ac veræ, & realis existentię Corporis CHRISTI in speciebus consecratis semper ab vniversali Ecclesia habitus est, infrà evidẽter probaturi sumus, non quidem suspectæ fidei Authoribus, Hæreticis, vel Schismaticis; sed valdè Catholicis, & omnigena Ecclesiastica eruditione, ac doctrina conspicuis, necnon & communi Sanctæ Ecclesię consensu, vt ex modò dicendis perspicuum fiet.

1308 Et quoniam dùm præfatę calumnię meminimus, Eminentissimos Cardinales BARONIUM, & BELLARMINUM laudavimus, cum hi Ecclesiastica eruditione præstantissimi sint rationi consonũ videtur, vt quid ipsi hac de re senserint audiamus. In primis Baronius *loco suprà citato num.* 6. hæc habet: *Extra Synodum verò foris existens schola Pharisęorum, Conventus malignantium, Cardinales juxta illud Evangelium *Lucæ* 11. *Qui non colligit mecum dispergit*, monstrosas calumnias in Gregorium commenti sunt, adeò vt sui magnitudine, & deformitate, nec adversariis ipsis fuerint persuasę. Audi eorum antesignanum Bennonem, illa scriptis proclamãtem & delirantem. (Quibus relatis sic prosequitur.) Hæc Benno Schismaticus, & alia plura id genus excogitans, scriptisque mandans, quo existimari potuisset justè depositus Gregorius jam Pontifex tot annorum, in Moguntino Conciliabulo contra eumdem Gregorium celebrato, (ex VRSPERGENSI *in chron. ad anno* 1080.) in quo ipse Gregorius impiè depositus ab impiis fuit, damnatus asseritur, quod esse falsò diceretur antiquus Discipulus Berengarii. Quid si ipsa Acta Concilii (*Romani* 1079.) non extarent superiùs recitata, quibus Berengarii error damnatur, & Berengarius ipse eumdem damnare compellitur? Quid insuper impius (Benno) præmissa jejunia ante Concilium damnat, cum id moris antiqui fuerit, & ritus Ecclesiastici, vt Concilia præcedente jejunio inchoarentur? Et quàm proficuè? Cum in eo veternosus serpens Berengarius, spectantibus, & audientibus omnibus, virus evomuerit hæreticę pravitatis, confessusque est Catholicam Fidem. Quàm repugnent ista, vt asseratur Gregorius particeps Berengarii, & per eum ipse Berengarius inductus sit ad Catholicam Fidem.*

1309 Deindè Cardinalis BELLARMINUS, suprà laudatus: *Certè, inquit, nihil minus de hoc Pontifice dici potest, (ipsum scilicet Berengarium secutum.) Nam, vt omittam, quod *Sanctus* ab omnibus Scriptoribus appellatur; quòd Leoni, & Nicolao II. qui Berengarium damnarunt, semper communicavit; quod nullus probatus Author, ac nê Sigebertus quidem, qui parum ei favit, tale aliquid asserere ausus est, &c.*

1310 Audiare libeat etiam nobilissimum Scriptorẽ NICOLAVM SANDERVM *de Visib. Monarchia Eccles. lib.* 7. *ad annum* 1073. hęc scribẽtem: *Fides Gregorii VII. de Corporis, & Sanguinis Domini veritate in Eucharistia, multis modis toti Ecclesiæ probata fuit. Primùm, quia communicavit cum Leone Papa IX. dùm ad Vrbem Romam eum deduceret, vt *ex Sigeberto* jam antea docuimus. Leo autem is erat, qui primus Hæresim Berengarii condemnavit. (Et mox:) Preterea Scafnaburgensis testatur, eumdem Gregorium, & Missas celebrasse, & Sacra confecisse, & Corpus Dominicum manu pręgerentem ipsum velut Judicem suum agnovisse, tùm adversario suo Imperatori Henrico eam conditionem detulisse, vt non alio Judice quàm Dominici Corporis sumptione purgari eum exoptaret. (Et infrà.) quod si Episcopos illos in Hęresi Berengariana Gregorio imponenda impudenter mentitos fuisse constat (vt certè jam constat,) idem omninò de reliquis etiam criminibus in eum confictis judicãdum est. Sin posset fieri, vt Gregorius VII. cum Berengario sen-*

fisset, statim id efficeretur, vt omnia hæc crimina in eum caderent, qui non Catholicæ Fidei vir, sed ex Protestantium hujus temporis Antecessoribus extitisset; verùm hoc adeò falsum est, vt Victor, Vrbanus, & Paschalis II. (quos certum est insignes Catholicos Præsules fuisse,) honorarint memoriam Gregorii VII. ejusque Sententiam in Henricum latam confirmarint.*

1311 Nec ad hanc, cæteraque calumnias, quas inveterata Hæreticorũ, & Schismaticorum malitia in Fidei Pontificis Gregorii puritatem excogitavit, improbandas, & à toto Christiano Orbe elimimandas, prætermittendũ, quod scribit Illustrissimus Eduensis Episcopus LVDOVICVS DONIVS *tom* 1. *Flor. Hist. Cardinal. in vita Hildebrandi Cardinalis num.* 45. dicens: *Quod autem pertinet ad impactas, atque impositas huic Pontifici calumnias, innumerę ille fuerunt, eæque atrociſſimę, ac spurcissimę, confictæ vt plurimum in gratiam Henrici Regis Germanię, quo cum graves gessit inimicitias, ob libertatem Ecclesiasticam, quæ ab ejus tyrannide mitè premebatur, recuperandam, inventæque primũ ab Hugone illo Condido, seu Blancho, qui ob varia scelera ab ipso Gregorio omni gradu, & officio Sacerdotali dejectus, atque privatus, nihil nisi minas, & vltionem in eum spirans, detulit secum ad Vormatiense Conciliabulum, inibique declamavit scenicis figmentis consimilem tragędiam adversus eumdem Gregorium, scilicet vndê oriundus, quàm malè ab ineunte ętate conversatus, quàm prępostero ordine Sedem Apostolicam occupaverit, quævê ante Pontificatum, quæ post eum adeptum flagitia commiserit. Sed hæc adeò horrenda dictu, atque ab omni vmbra veritatis aliena, vt præ illorum gravitate, ac enormitate, nê apud ipsos quidem Gregorii juratos hostes, fidem invenerint: siquidem Gregorium & in Monachatu Cluniaci suscepto, & postea Romę in Subdiaconatus, Archidiaconatus, ac demum Summi Pontificatus administratione, dignam vbique Apostolico viro vitam duxisse, sincerrimis fidelissimorum Scriptorum testimoniis liquet, imò & miraculis coruscasse constat.*

1312 Earum certè calumniarum collectionẽ habes in Decreto illo procacissimo, quo ab Henrico Rege, & Schismaticis quibusdam Episcopis, apud Brixiam Bavarorum Gregorius per summum nefas fuit â Pontificatu depositus, in quo dicitur, (inter alia nefanda, quæ consultò omittimus,) Catholicam, & Apostolicam de Corpore & Sanguine Domini Doctrinam in quęstionem revocans, vetus Hereticí Berengarii Discipulus, divinationum, ac somniorum cultor, pythonico spiritu laborans, & idcircò â vera Fide exorbitans, atque canonicè deponendus; quæ fusiùs explicata reperiuntur in libello Bennonis Pseudo Cardinalis, qui cum Antipapæ Guiberti adversus legitimum Pontificem Gregorium partes pertinacissimè sectatus esset, ac Ecclesiam perturbare conatus, consilia sua ex voto minimè succedere vidisset, nihil habuit antiquius, quàm vt ejusdem Innocentissimi Pontificis nomen, ac famam dente canino roderet, atque laceraret, & quod Hugo ille Blancus Apostata viva voce vomuerat, scripto redigeret; ac Sanctissimi viri vitam putidissimis refertam, concinnatamque mendaciis vulgaret; quam ideo nostri Sæculi Novatores, quibus in Romanos Pontifices palam, privatimque debacchari volupe, ac solemne est, typis identidem admoverunt, quamque cum legisset Cardinalis Bellarminus, & commentis pernitiosissimis, atque impudentissimis scatentem inveniſſet, verè dixit; illam vel ab aliquo Lutheri aſſecla sub nomine Bennonis in lucem editam, cum ipse nihil vmquam tale scripserit, vel Bennonem non tàm Gregorii res gestas posteris mandare, quàm pessimi Pontificis ideam sub persona ejusdem Gregorii delineare voluisse, exemplo Xenophontis in Cyropædia, in qua non tàm quid egerit Cyrus narravit, quam quid optimus quisque Princeps agere debeat docuit; vel aliàs, & brevius, aut Bennonis opus esse, aut diaboli, qui Græco idiomate à calumnia, vocabuli originem, ac notationem trahit, vt ait D. Joannes (*cap.* 8.) *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax est, & pater ejus.*

1313 Ex ipsius autem Bennonis lacunis impuriſſimis, & fœda convitiorum, ac contumeliarum colluvie, quibus Gregorii Papæ hujus, famam aspergere, & obnubilare conatus est, necnon Sigeberti, & Abbatis Vrspergensis veneno Schismatis inquinatorum, ac proindê suspectis operibus hausere Centuriatores Magdeburgenses, schola Pharisayca, & Cõcilium impiorum, Bibliander, Tylmanus, Goldastus, Reynerus, Plessæus, aliique recentiores

Hæ-

Hæretici, qui quamvis omnes Romanos Pontifices odio pluſquam Vatiniano proſecuti ſint, in hunc tamen præ aliis maledicentiæ ſuæ ſpicula contorſerunt; *acuerunt*, nempè, *vt gladium linguas, intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittarēt immaculatum* (*Pſalm.* 13.) *& quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt, venenum aſpidum ſub labiis eorum* (*Pſal.* 139) Sed quò pluribus ab his impetitus eſt jaculis, eò fortior, & clarior ejus virtus enituit, quæ tamquam Sol fulgentiſſimus omnes accuſationum hujuſmodi nebulas nullo negotio diſpulit, atque diſcuſſit; & velut Olympus quidam, aut Civitas ſuprà montis cacumina poſita, ob ejus meriti eminentiam, converſationiſque ſublimitatem omnibus iſtis obiectis nubibus ſuperior viſa eſt, aut denique tamquam rupes in medio mari fixa, fluctus, & ſpumas, vanè ſibi illiſas, conſtanter ſprevit, & quodammodo irritit. Imò fuit hæc non poſtrema illius laus, vt bonis, & fidelibus extitit chariſſimus, ita malis potiſſimum, ac impiis ingratum fuiſſe, & odioſum. Quod à D. Hieronymo de S. Auguſtino dictum, in hunc facilè transferre poſſumus: Macte virtute, inquit, in Orbe celebraris, Catholici te conditorem antiquæ Fidei rurſum venerantur, atque ſuſpiciunt, & quod ſignum majoris gloriæ eſt, omnes Hæretici deteſtantur, vt quem gladiis nequeunt, voto interficiant.* Hactenus ille.

1314 Ad ejuſdem Aſſertionis confirmationem magnoperè facit ſumma illa veneratio, & devotio, qua Summus hic Pōtifex Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, realemque CHRISTI in Sacramento præſentiam ſemper proſequebatur; cujus frequentem ſumptionem tamquam firmiſſimum ſcutum ad animam in gratiæ puritate conſervandam, & validiſſimum telum, ac arma ad Tartareos hoſtes debellandos, iſtorumque impetus infringendos, Mathildi Principi ſuaſit. Præclarum hujus veritatis nobis exhibet teſtimonium graviſſima illa Epiſtola, quam prædictæ Principi ſcripſit, extatque apud BINIVM *tom.* 10. *Concilior. lib.* 1. *Epiſtolar. Gregor. Epiſt.* 47. At vt meliùs agnoſcatur prædictæ conſcribendæ epiſtolæ ſcopus, præmonendum eſt, Gregorium VII. diuturnum, ac penè perpetuum habuiſſe cum Henrico IV. Germaniæ Rege certamen, ac diſſidium; vt Eccleſiam in libertatem aſſereret. Simonia cum inveſtituris conjuncta fuit præcipua ratio, quæ Sanctiſſimi Pontificis zelum adverſus Henricum excitavit: legationibus fruſtra conventum, admonitum, increpitum, à Communione primùm removit, deindè Regno privavit, ſubditis Sacramento fidelitatis abſolutis, miſſaque ad Rodulphum, Sueviæ Ducem, quem Saxones Regem elegerant, corona, Gregorii ſeveritas dictum Henricum, vt alterum Pharaonem induratum commovit, qui ad nefarium ſchiſma deflexit, coactis enim Vltrajectenſi, & Moguntino Conciliabulis multis calumniis in Sanctum Pontificem adornatis, ipſius depoſitionem de Sententia conjuratorum Epiſcoporum decrevit, quam in Brixienſi Sathanæ Conventiculo executus eſt, Guiberto, Ravennate quondam Epiſcopo, Antipapa creato. In tàm deplorabili eventu, ac infenſiſſima Henrici perſequutione Romanam Eccleſiam, & Gregorium VII. viriliter, & conſtanti animo, ac potentia juverunt Principes, religioſiſſimæque fœminæ, Agnes Auguſta Regis Henrici mater, Beatrix Godefridi Lotharingiæ, & Thuſciæ Ducis vxor, quæ defuncto marito Thuſciæ Ducatum non minori prudentia, & integritate, quàm pietate moderabatur, & Mathildis Comitiſſa, ejus filia, quæ conſiliis, opibus, copiis, Eccleſiæ cauſam contra Schiſmaticos defendit, ac Liguriam, Thuſciamque Provincias Romanæ Eccleſiæ donavit, Henrico Rege conſobrino ſuo poſt habito, *anno* 1077. Quæ donatio Henrici invidiam, & odium in Pontificem incendit magis. (*Ex Leone Oſtienſi lib.* 3. *cap.* 48. & DOMNIZONE PRESBYTERO *in vita Mathildis*, quam carmine edidit.)

1315 Mathildis Gregorium VII. Chriſtianæ perfectionis Magiſtrum ſibi delegerat, qui eam Anſelmo, Lucenſi Epiſcopo, viro Santiſſimo, dirigendam commendavit; vt vitæ Anſelmi coëvus Author commemorat. Plures ad illam epiſtolas dedit Gregorius; quas inter, obſervatione ſingulari digna eſt 47. *lib.* 1. quę ipſi duo armorum genera contra mundi Principes ſubminiſtrat, frequentem ſcilicet communionem, & pietatem erga Virginem Deiparam. Sanctiſſimi Pontificis verba præclaras, & omninò ſequendas Chriſtianæ pietatis, ac ſinceræ Religionis Regulas exponentis duximus hîc ad vniverſalem inſtructionem proponenda.

Gre-

**Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilectæ in Christo filiæ Mathildi salutem, & Apost. Bened.*

1316 QVanta sit mihi cura, quãtaque incessanter de te, tuaque salute solicitudo, ipse solus qui cordis arcana rimatur intelligit, & multò melius me ipso cognoscit. Tu tamen si pensare non negligis, vt reor, animadvertis, quia pro tantis tui curã me oportet habere, pro quantis te charitatis studio detinui, nê illos desereres, vt tuæ solius animæ saluti provideres: *Charitas* enim (vt sæpè dixi, & dicam sequens cœlestem tubam) *non quæ sua sunt quærit* (1. *Corinth.* 13.) Sed quia inter cætera, quæ tibi contra mundi Principem arma, Deo favente, cõtuli, quod potissimum est, vt Corpus Dominicum frequenter acciperes, indicavi, & vt certæ fiduciæ Matris Domini te omninò committeres præcepi. Quid indè B. Ambrosius, videlicet de sumẽdo Corpore Domini senserit, his in Litteris intimavi; ait enim *in lib.* 4. *de Sacram.* inter cætera: Si mortem Domini annuntiamus, annuntiamus remissionem peccatorum. Si quotiescumque effunditur Sanguis Domini, in remissionem peccatorum fundituꝛ, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata remittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.

1317 Item ipse Ambrosius *in lib.* 5. *de Sacram.* Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumas, quemadmodom Græci in Oriẽte consuevere facere? Accipe quotidiè, quod quotidiê tibi prosit: sic vive, vt quotidiè merearis accipere. Qui non meretur quotidiè accipere, non meretur post annum accipere; quomodo Iob Sanctus pro filiis suis offerebat quotidiè sacrificiũ, nè fortè aliquid, vel in corde, vel in sermone peccassent. Ergo tu audis quod quotiescumque offertur Sacrificium mors Domini, Resurrectio Domini significetur, & remissio peccatorum, & panem istum vitę quotidiê non assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est Cœleste, & Venerabile Sacramentum. Item Gregorius Papa *in lib.* 4. *Dialog.* Debemus itaque præsens sæculum, vel quia jam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum Sacrificia, quotidianas Carnis ejus, & Sanguinis Hostias immolare; hæc namque singulariter victima abęterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem Vnigeniti per Mysterium reparat. Quod licet *surgens á mortuis jam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur*, tamen in se ipso immortaliter, atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc Mysterio Sacræ oblationis immolatur; ejus quippê ibi Corpus sumitur, ejus Caro in Populi salute partitur, ejus Sanguis non jam in manus Infidelium, sed in ora Fidelium funditur. Hinc ergo pẽsemus, quale sit pro nobis hoc Sacrificium, quod pro absolutione nostra Passionem Vnigeniti Filii semper imitatur. Quis enim Fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri; in illo JESV CHRISTI Mysterio Angelorum Choros adesse? summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi? vnum quid ex visibilibus, atque invisibilibus fieri?

1318 Item Joannes Chrysostomus Patriarcha ad Neophytos: Videte, quemadmodum sponsam sibi CHRISTVS conjunxit; videte, quo vos cibo satietatis enutrit. Ipse nobis cibi substantia est, atque nutrimentum. Nam sicut mulier affectionis natura cogente, genitum alere sui lactis fœcunditate festinat, sic & CHRISTVS, quos ipse regenerat, suo Sanguine semper enutrit. Etenim, vt idem Joannes scribit ad Theodorum Monachum, lubricum genus est natura mortalis; citò quidem labitur, sed non serò reparatur, & vt facilè cadit, ita velociter surgit.

1319 Debemus, ò filia, ad hoc singulare confugere Sacramentum, singulare appetere medicamentum. Hæc ideo, Chariſſima B. Petri filia, scribere procuravi, vt fides, ac fiducia in accipiendo Corpus Domini major tibi accrescat. Talem quidem thesaurum, taliaque dona non aurum, non lapides pretiosos amore Patris tui, cælorum videlicet Principis, à me tua requirit anima, licet ab aliis Sacerdotibus longé meliora pro meritis accipere possis. De Matre verò Domini, cui te principaliter commisi, & committo, & numquam committere, quousque illam videamus, vt cupimus, omittam, quid tibi dicam? Quam cœlum, & terra, laudare, licet vt meretur, nequeant, non cessant? Hoc tamẽ proculdubio

bio teneas; quia quantò altior, & melior, & sanctior est omni matre, tantò clemẽtior, & dulcior circa conversos peccatores, & peccatrices. Pone itaque finem in voluntate peccandi, & prostrata coram illa ex corde contrito, & humiliato lacrymas effunde. Invenies illam indubitanter, promittο, promptiorem carnali matre, ac mitiorem in tui dilectione. *Dat. Romæ, 14. Kal. Martii indict. 12.**

1320 Ex prædictæ Epistolæ contextu planè evincitur, quàm directè oppositа fuerit Sanctissimi Pontificis mens, & Sententia Berengarianæ Hęresi, cum eam solidissimis Sãctorum Patrum testimoniis adeò luculenter oppugnet, realemque CHRISTI in Sãctissimo Eucharistiæ Sacramento præsentiam adeò firmiter stabiliat, ac tandem ad frequentem Eucharistiæ sumptionem, tamquam vnicam nostrarum animarum medelam, ad perseverandum in gratia, & expellendum peccata, quæ cæli, & salutis ęternæ viam occludunt, tàm salubriter hortetur.

1321 At, quod clarius, validiusque ostendit, quàm longè à Berengarii Hęresi steterit Gregorius, tam ante, quàm postquam ad Apostolicum Apicem evectus fuerit, est, eum fuisse firmissimum propugnaculum, tutidissimumque murum, qui se se Berengario, istiusque Hęresi validissimè opposuit, & in eam majori conatu, Apostolicoque Zelo est invectus. Hinc autem Gregorium Berengariano errori neutiquam adhęsisse, manifestè probatur. Quãvis enim S. Gregorius Thaumaturgus erroris Sabellii accusatus fuerit, nihilominus S. Basilius eũ defendit, in Catholico sensu exponens verba, ob quæ hujusmodi erroris ab adversariis insimulatur. At vndê eficatius argumentum desumit, est, eum in Sabellii errores viriliter insurrexisse: tantum abfuisse addens *lib. de Spirit. Sanct. cap.* 29. vt S. Gregorius Sabellii errorem foverit, vt potiùs ipse re vera apud suos errorem Sabellii extinxerit.

1322 Eusebius Artemonem, & Theodotum Hęreticos convicturus falsitatis, qua S. Papam Victorem pro se in medium producere conabantur, hoc vtitur argumento; quod nempè, si prædictus Pontifex eodem, quo illi tenerętur errore, neutiquam illos illorumque errores damnasset: *Quod si Victor, inquit Eusebius, eadem cum illis sentire visus fuisset, sicut detestabilis illorum docet calumnia, quo pacto, aut qua ratione adductus Theodotum hujus erroris inventorem ab Ecclesia rejicere, in animum induxit?*

1323 Cęlestinus I. Nestorianæ Hæresis accusatur à Laurentio Valla *in opere de falsa donatione Constantini*; sed à Cardinali BELLARMINO, AGUIRRE, & aliis, hac præcipuê ratione à tàm enormi calumnia vindicatur, quòd ipse fuerit, qui præcipuè illam Hæresim condemnavit, vt patet ex S. PROSPERO *in Chron. ad annum* 431. & ex Actis CONCILII EPHESINI, vt optimè notat P. THEOPHILVS RAYNAVDVS *in Hoplotheca contra ictum calumniæ, cap.* 5. *sect.* 2. ita scribens: *Sed hæc est tàm pinguis ignorantia, & adeò bruta asinitas, vt vix refellenda videatur; cum enim Sole clarius sit, Cęlestini Papæ Authoritate maximè, ac vigilantia, Nestorium in Concilio Ephesino, cui pro Cęlestino S. Cyrillus Alexandrinus præerat Vicarius, damnatum, profligatumque esse, qua fronte impudens blattero (Valla) calumniam Nestorianismi affingit Cęlestino?* Idem censent alii gravissimi Authores, vt certum statuentes, ex eo quòd aliquis aliquam Hæresim impugnet, aut condemnet, indè ineluctabiliter probari, eum hujusmodi Hęresi nullatenus adhæsisse.

1324 Sanctum verò Gregorium Papam fuisse vnum ê primis, & præcipuis, qui Berengarii hæresim impugnare, detestari convincere, ac tandem condemnare est aggressus meridiana luce clarius apparet, vt ex infràdicendis manifestê constabit: Vndê concluditur, execrabilẽ esse calumniam, ac impostoram, velle tàm Sancti Pontificis Fidem, & opinionem, vel levi adhuc Berengarianæ Hæresis suspicione obtenebrare, cum vnus fuerit ex his, qui prædictam Hæresim in ipsis incunabulis suffocare, ac penitùs extirpare acriùs conati sunt.

1325 Id præclarè testatur BARONIVS *ad annum* 1055. *num.* 23. vbi de Cardinali Hildebrando loquens, hæc scribit: *Sed quæ sunt reliqua Hildebrandi legationis in Galliis prosequamur; præcipuè autem ejus invigilavit sedulitas, vt Berengarium, rursus Hęresim, quam fuerat detestatus, defendentem, & propalantem, in Concilio Episcoporum conventum, vel Hæresim rursus damnare cogeret, vel Synodali cum Sententia Anathematis con-*

dem

demnaret. Quam obrem, nè subterfugiendi ampliùs locus esset, domi suæ eum conveniendum putavit, nempè Turonis, sicque Concilium Turonense Apostolica indixit Authoritate, in quo ipse Berengarius redargutus, & correctus (vt videbatur) detestatus errorem, Fidem Catholicam est professus.*

1328 Idipsum tradit BELLARMINVS supràlaudatus, *lib.* 4. *cap.* 13. his verbis: *Hic ipse Gregorius in Concilio Turonensi, tamquam Legatus Summi Pontificis præsidens, eumdem Berengarium confutavit.*

1327 AUTHOR VITÆ GREGORII apud BINIUM *tom.* 10. *Concilior.* de Cardinali Hildebrando loquens, inter alia ejus memoranda gesta, hæc scribit: *Berengarium etiam, Andegavensis Ecclesiæ Archidiaconum, in Concilio Turonensi ad Hæreseos suæ iteratam abjurationem, & Catholicæ Fidei professionem adegit: tantùm abest, vt quod calumniatur Benno Berengarianam Hæresim defenderit, aut sectatus fuerit.*

1328 Episcopus HENRICVS SPONDANVS eisdem ferè verbis, ac Baronius, refert Hildebrādum in Galliis sedulò invigilasse, vt Berengarium suam Hæresim, diversis in Conciliis damnatam palam defendentem, vel in meliorem sensum reduceret, vel iterum Synodali Sententia damnaret. Quamobrem, nè subterfugiendi locus illi esset, domi suæ eum conveniendum putavit, Turonisque Concilium Apostolica indixit Authoritate, vt Berengarius errorem detestaretur, quod & fecit, Fidemque Catholicam propria manu subscripsit. Sed simulans impius pœnitentiam, vbi discessit Hildebrandus rursum cœpit infaustam Hæresim propugnare, vt opus fuerit, eum denuò sub Victoris Successore, Nicolao Papa convenire.

1336 Verùm vt id clariùs pateat, & Apostolicus Hildebrandi Zelus, dùm Pontificium Legatum ageret, apertè innotescat, quę de Turonēsi Concilio scribit BINIVS *ad annum.* 1055. *tom.* 9. hîc transcribenda censuimus: *Concilium, inquit, Turonense per Hildebrandum Subdiaconum, & Apostolicæ Sedis Legatum indictum, quo Berengarius, abjurata Hęresi, Fidem Catholicam est professus *anno Domini* 1055. tempore Victoris Papę. II.*

1330 Quod autem eo *anno* 1055. celebratum fuerit Turonis Concilium, cui Legati Pontificis Victoris II. interfuerint, eique pręfuerit Hildebrandus Legatus à latere ad Simoniacam, & Berengarianam Hęresim evertēdas in Gallias missus; quodque in ea Synodo Berengarius errorem suum ejuraverit, subscriptione data, & Sacramento firmata, & à Legato Hildebrando susceptus sit, testatur LANFRANCVS *lib. de Corpore, & Sanguine Domini cap.* 4. sic scribens: *Denique in Concilio Turonensi, cui ipsius Victoris interfuere Legati, data est tibi optio defendendi partem tuam (cum Berengario loquens) quam cum defendendam suscipere non audere, confessus coram omnibus communem Ecclesiæ Fidem, jurasti te ab illa hora ita crediturum, sicut in Romano Concilio te jurasse, est superius comprehensum.*

1331 De eadem Turonensi Synodo GVITMVNDVS *lib.* 3. hęc tradit: *Ecclesia in ipsa domo quondam Romani Imperatoris domum obtinet Salvatoris. Indè enim ipse per B. Leonem Papam hæc Berengariana figmenta mox suo exordio damnavit, deindè per hunc ipsum, qui nunc præest, Dominum Gregorium Papam, tunc Archidiaconum (vel potiùs Subdiaconum, vt notat Baronius) ejusdem Romanæ Sedis, in Concilio Turonensi convicit, ipsumque Berengarium (vt videbatur) correctum, ac proprię manus Sacramento satisfacientem, clementer suscepit.*

1332 De hoc etiam Concilio mentionem facit EVSEBIVS BRVNO, Andegavensis Antistes, *in Epistola ad Berengarium*, illudque medium inter alia duo collocat, vnum Turonicum, alterum Andegavense, jussu Fulconis Andegavensis Comitis habitum, in quibus pariter Berengariana Hęresis explosa est: *Nos, inquit, totius Ecclesiæ scandalum jure meritòque exhorrescimus, cū salubriter, & cum quiete pacis Christianæ contenti vivere possimus verborum CHRISTI simplici compendio, & sufficienti Sanctæ Fidei firmitate, quantum nos sentimus, & multos nobis satis superiores viros sentire cognoscimus. Hoc cōsilio querimonia, quę in pręsentia Domini Geraldi, tunc Legati apud Turonē, emersit, sedata est. Hoc consilio eodem tumultus, qui in audientia Domini Hildebrandi in eadem Civitate efferbuit, sopitus est. Hac veridica confessione, exactioni Prin-*

ci-

cipis hujus noſtri in Capella, cujus in veſtra Epiſtola mentionem feciſtis, ſatisfactum eſt, & rediviva peſtis, quæ, neſcio quorum improbitate exagitata, caput extulerat, Domini Biſontinenſis Archiepiſcopi, & eruditorum, qui adfuerunt, Authoritate calcata eſt.*

1333 Idem tradit ANONYMVS, quidam Chriſtianus, de hac Turonenſi Synodo ſcribens. *Victor quoque Papa, & in Sede, & in Authoritate Succeſſor Sancti Leonis Papæ, miſſo Legato in Gallias venerabili Hildebrando tunc Archidiacono, ſed noſtri temporis Apoſtolico, Generalem Synodum Turonis congregavit, in qua ipſe Berengarius acceptа optione defendendi ſe, cum ſe penitus defendere non poſſet, ſub jurejurando propriâ Hęreſim Anathematizavit, & communem Sanctæ Eccleſiæ Fidem, de veritate Corporis, & Sanguinis Domini, ſe deinceps ſervaturum ſub eodem juramento promiſit, licet poſtea ad eamdem Hæreſim redierit.*

1334 Ex prædictis Authorũ teſtimoniis, aliiſque plurimis colligitur ardẽtiſſimus Zelus, quem prætulit Gregorius Pontifex, cum ageret Victoris II. Papæ Legatum in Turonenſi Concilio; cum jam tùm Berengarianæ Hæreſi ſe ſe Eccleſiæ nomine Apoſtolica Authoritate oppoſuerit, Hæreſiarcham erroris convincens, illiuſque Hæreſim damnans; hic autem præfatæ Hæreſis exterminandæ ardor clariùs illuxit, cum ad Apoſtolicæ Sedis Apicem fuit evectus; ſtatim namque, ac Pontifex creatus, Romæ varia congregavit Concilia ad penitus extirpandam Berengarii, eorumque, qui illius Hæreſim ſectabantur, pervicaciam, quæ Chriſtianum Populum adeò graviter offendebat; *anno* enim *Domini* 1075. Gregorio VII. Sedis Apoſtolicę præſidente, *Idibus Ianuarii* Concilium Pictavis celebratum eſt, præſide Guirando, Epiſcopo Engoliſmenſi, Sedis Apoſtolicæ Legato, in quo Fides Catholica de veritate Corporis, & Sanguinis CHRISTI in Euchariſtia confirmata eſt, & Berengarius novo Anathemate confixus, vt CHRONICON MALLEACENSE commemorat: *Pictavis, inquit, fuit Concilium, quod tenuit Guirandus Legatus, de Corpore, & Sanguine Domini, in quo Berengarius ::: fermè interemptus eſt.*

1335 *Anno Domini* 1078. idem Gregorius in Feſto Omnium Sanctorum Concilium habuit, vt Berengarianam cauſam, quam olim in Concilio Turonenſi judicaverat, dùm Legatum Apoſtolicum in Galliis ageret, omninò finiret. In eo Berengarium ſynodaliter conventum, vt ab Hæreſi reſipiſceret, inducias, ad proximè futuram Synodum obtinuiſſe BERTOLDUS CONSTANTIENSIS teſtatur. Fidei profeſſionem interim edidit ſubdolis verbis conceptam, qua Patribus cum ſatis non feciſſet, amplius rei examen ad Synodum *anni ſequentis* dilatum eſt.

1336 Fidei profeſſio à Berengario in 1. illa Gregorii VII. Romana Synodo edita, ſic habet: *Profiteor Panem Altaris per conſecrationem eſſe verum Corpus CHRISTI, quod natum eſt de Virgine, quod paſſum eſt in Cruce, quod ſedet ad dexteram Patris; & Vinum Altaris, poſtquam conſecratum eſt, eſſe verum Sanguinem, qui manavit de latere CHRISTI, & ſic ore pronuntio, ita me in corde habere confirmo, ſic me adiuvet Deus & hęc Sacra.* Fidei formulam *ex veteri cod. M. S. Berengarii*, refert doctiſſimus P. MABILLONIUS *tom.* 11. *Veterum Analectorum, pag.* 487.

1337 Inſuper *anno* 1079. *menſe Februario*, *Indictione* 2. aliud celebravit ipſe Gregorius Concilium, in quo S. Bruno, qui poſt modum fuit Signinus Antiſtes, & S. VVolphemus Brunnilerenſis Abbas in Berengarium diſputarunt. Extat S. VVolphemi Epiſtola ad Maginhardum Abbatem contra Berengarii Hęreſim ſcripta, quam refert CONRADVS Monachus *in ejus vita* apud SVRIUM *die* 22. *Aprilis*. De prædicta Synodo, ejuſque Actis conſtat *in Regeſt. Gregor. VII.* & *in Chronico Virdunenſi* HVGONIS FLAVIACENSIS, vbi hęc leguntur: *Omnibus igitur in Eccleſia Salvatoris Congregatis, habitus eſt Sermo de Corpore, & Sanguine Domini Noſtri JESV CHRISTI, multis hęc, non nullis illa priùs ſentientibus. Maxima ſiquidem pars, Panem, & Vinum per Sacræ Orationis verba, & Sacerdotis Conſecrationem, Spiritu Sancto inviſibiliter operante, converti ſubſtantialiter in Corpus Dominicum, de Virgine natum, quod & in Cruce pependit, & in Sanguinem, qui de ejus latere militis effuſus eſt lancea, aſſerebat. Atque Authoritatibus Orthodoxorum Sanctorum Pa-

trum, tàm Græcorum, quàm Latinorum, modis omnibus defendebat. Quidam verò cæcitate nimia, & longa perculsi, figuram tantùm substantiale illud Corpus, in dextera Patris sedens, esse, seque, & alios decipientes, quibusdam cavillationibus conabantur adstruere. Verùm vbi cœpit res agi, priùs etiam, quàm tertia die ventum fuerit in Synodo, defecit contra veritatem niti pars altera: nempè Sancti Spiritus ignis emolumenta palearum consumens, & fulgore suo falsam lucem diverberando obtenebrans, noctis caliginem vertit in lucem. Denique Berengarius, hujus erroris Magister, post longo tempore dogmatizatam impietatem, errasse se coram Concilio frequenti confessus, veniamque postulans, & orans, ex Apostolica clementia meruit.*

1338 Fides autem Catholica, quam Berengarius eo in Concilio professus est, his conceptis verbis continetur: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, Panem, & Vinum, quæ ponuntur in Altari, per Mysterium Sacræ Orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram, & propriam, ac vivificatricem Carnem, & Sanguinem Domini Nostri JESV CHRISTI, & post consecrationem esse verum CHRISTI Corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum, in Cruce pepēdit, & quod sedet ad dexteram Patris: & verum Sanguinem CHRISTI, qui de latere ejus effusus est, vt non tantùm per signum, & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ, & veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intellexistis. Sic credo, nec contra hanc Fidem vlterius docebo, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Hæc constant ex BERTOLDO CONSTANTIENSI, illius ævi Authore, qui subdit: Summum Pontificem Gregorium præcepisse Berengario, Authoritate Dei Omnipotentis, & Sanctorū Apostolorum Petri, & Pauli, vt de Corpore, & Sāguine Domini numquā vlterius cum aliquo disputare, vel aliquem docere præsumeret, excepta causa reducendi ad Fidem hanc eos, qui per ejus Doctrinam ab ea recesserant. Eadem habentur apud LANFRANCVM *lib. de Corpore, & Sanguine Domini cap.* 11. eademque Berengarii Confessio describitur.

1339 Author ANONYMVS, coævus, & Christianus, de duabus Romanis Synodis adversus Berengarianam Hæresim congregatis mentionem facit, hæc inter alia scribens: *Quapropter Reverendissimus Papa Gregorius VII. Successor Alexandri, iterum eidem Berengario audientiam in duabus Synodis Generalibus Romæ concessit; sed cum ipse sectam suam Catholicæ Fidei contrariam denegare non posset, iterum sub juramento eamdem abdicare, & Fidem Catholicam profiteri, delegit, sicut in superioribus Conciliis fecit.* (Tùm de Conciliis omnibus à se commemoratis subdit:) Tot igitur Conciliis Berengarianam Hæresim damnatam percepimus, tùm ex Fidelium relatione virorum, qui eisdem Conciliis interfuerunt; tùm ex Regestis Romanorum Pontificum; tùm ex scriptis Religiosorum virorum, qui fidelissimè de his scripserunt; nam eadem Cōcilia nostris temporibus, infrà quadraginta annos celebrata reperiuntur, quot anni ab exordio Pontificatus Sancti Leonis Papæ, vsque ad præsentem annum computantur, qui est *ab Incarnatione Domini* 1088. Vndè & adhuc multi vivunt, qui eisdem Conciliis interfuerunt. Vltimæ quoque Generali Synodo sub Gregorio Papa VII. *anno Dominicæ Incarnationis* 1079. ipsi interfuimus, & vidimus, quando Berengarius in media Synodo constitit, & Hæresim de Corpore Domini coram omnibus propriæ manus Sacramento abdicavit, sub præsentia Gregorii Papæ, Henrici Patriarchæ Aquilejensis, & Reverendissimorum Episcoporum Petri Albanensis, B. Anselmi Lucensis, Landulphi de Pisa, Reginherii de Florentia, Hugonis Diensis, Altmanii Pataviensis, & reliquorum centum quinquaginta Episcoporum, & Abbatum, & innumerabilium Clericorum.*

1340 An verò Berengarius post vltimam Romanam Synodum ad vomitum redierit? Non desunt, qui eum aliquandiù rediisse sentiant; alii tamen oppositum arbitrantur: sed vtcumque sit, eum pœnitentem, & Catholicum obiisse multa probant; in primis enim ejus pœnitentiam testatur VVILLELMVS MALMESBVRIENSIS *lib. 3. de Gest. Reg. Anglorum*, dicens: *Porrò, licet Berengarius, primum calorem juventutis, aliquarum Hæresum defensione infamaverit, ævo austeriore ita*

resipuit, vt sine retractatione, à quibusdam habeatur Sanctus, innumeris bonis, maximè autem humilitate, & eleemosynis approbatus, largarum possessionum dispertiendo Dominus, non abscondendo, & adorando famulus: fœmineæ venustatis adeò parcus, vt nullam conspectui suo pateretur admitti, nê formam videretur delibasse oculo, quam non pruriebat animo. Non aspernari Pauperem, non adulari divitem, secundum naturam vivere, habens victum, & vestitum juxta Apostolum, his contentus esset.*

1341 Insuper de Berengarii pœnitentia fidem faciunt VETERES MEMBRANÆ LAVREACENSES his verbis: *Tunc Berengarius, Roma discedens, Turonis venit, ibique in Insula, quæ *S. Cosmæ* dicitur, sæculi pompis abrenuntians, ferè per viginti & octo annos Domino militavit; aliique plures Canonici S. Martini, S. Spiritu, necnon salutari ejus admonitione instructi, mutatis vestibus se se ad Insulam contulerunt.* Id etiam probatur testimonio CLARII, Floriacensis Monachi, *in Chronico S. Petri*, quod Monasterium est apud Senonas, *ad annum* 1088. hæc scribentis: *Berengarius Turonensis Magister, & admirabilis Philosophus, amator Pauperum efflоruit. Hic composuit orationem illam, quæ sic incipit: *Iustè Iudex IESV CHRISTE*: post hæc Fidelis, & verê Catholicus, vitam finivit.* Chronicon autem suum scripsit Clarius *ineunte sæculo* 12. paulò post obitum Berengarii. Id genus multa videri possunt apud Gallos Authores in confirmationem finalis ipsius pœnitentiæ: & vtinã hujus sęculi ejus erroris sequaces, qui Berengarium sequuntur errantem, sequerentur pœnitentem.

1342 Vndè si aliquem errorem fuisse ab aliquo explosum, vel condemnatum, est manifestum indicium, & argumentum, non inefficaciter suadens, eum, qui hujusmodi errorem impugnat, neutiquam ei adhæsisse, vt ex Sancto BASILIO, aliisque probavimus, cum Pontifex Gregorius, dùm Cardinalis Legatus esset, se se Berengario opposuerit, eumque tàm acriter impugnarit, adeòque convicerit, vt hic illius suasionibus, & argumentis adductus suam Hæresim abjurarit, eamque fuerit detestatus; ipseque Gregorius, tùm Legatus in Turonensi Concilio, tùm jam Pontifex in variis Romanis Synodis, eam condemnaverit; provt suprà manifestè demonstravimus; hinc apertissimè infertur, non solùm Pontificis Gregorii mentẽ, & Sententiam fuisse, Berengarii Hæresi penitus adversam, quin ad opositũ excogitandum vllius sit momẽti vestigiũ, vel fundamentum adhuc leviss imum, & apparens; sed potius in tanto Pontifice Apostolicum enituisse zelum defendendi Ecclesiam puram, & ab omni errore liberam, eamque conservandi in Catholicæ Fidei puritate; cum eum, qui illis temporibus in Ecclesiam acriùs inuthebatur, ad istius gremium reduxerit, publicè profitentem Catholicam Fidem, quam Romana Ecclesia tenet, adeòque sanctissimis, & efficacissimis Gregorii exhortationibus instructus, & edoctus evasit Berengarius, vt quantumvis major illorum temporum Hæresiarca, post suorum tamen errorum abjurationem, quam coram Sancto Gregorio fecit, non solùm toto reliquo suæ vitæ tempore pœnitens vixerit, sed etiam, juxta aliquos, adeò sanctis virtutibus floruerit, vt non solùm tamquam verus Catholicus, sed etiam sanctitatis opinione è vita migrarit.

§. VII.

A quarta Necromantiæ impostura liber ostenditur Gregorius.

1343 PRæter calumnias, quas hucvsque reijecimus, aliam etiam excogitavit ipsius Pseudo Cardinalis Bennonis improbitas. Schismaticus iste Gregorii adolescentiam carpit; & quamvis eum Monasticam vitam agere cæpisse non neget, adolescentem tamen Magicam artem didicisse, affirmat à Laurentio Archiepiscopo Amalphitano, quem *maleficorum Principem* vocat, vt qui Magiam publicè profiteretur, & Augurum divinationem calleret. De hac obiectione NICOLAVS SANDERVS *de Visib. Monar. lib. 7. ad annum* 1073. *in Gregorio VII.* hæc habet: *Obiiciebant illi præterea iidem Episcopi (Schismatici) quod esset divinationum, & somniorum cultor, & Necromanticus; quod vtique non aliundê factum est (ait Sanderus) quàm quòd gratiam Dei, qua Gregorius miracula operabatur, diabolo (vt quondam Iudæi fecerant) in Spiritum Sanctum peccantes, adscribebant.*

1344 At pro Gregorii tuitione, ejusque à tàm nefaria calumnia immunitate, sic respondet LAMBERTVS SCAFNABVRGENSIS: *Signa, & prodigia, quæ per orationes Gregorii Papæ frequentiùs fiebant, & Zelus ejus ferventissimus pro Deo, & Ecclesiasticis legibus, satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant.* VINCENTIVS etiam BELLOVACENSIS *in Spec. Histor. lib. 25. cap. 44. ex Guillelmi Historici verbis* refert: *Hildebrandū dono Prophetiæ præditum fuisse; tùm, quia intimas Hugonis Cluniacensis Abbatis cogitationes vidit; tùm, quia pestem prædixit; tùm, quia revelatum est ei, quòd Simoniacus quidam Episcopus ad hunc versum, *Gloria Patri, & Filio*; non posset voce tenus adjicere hæc verba, *& Spiritui Sancto*, quod etiam rei exitus comprobavit.*

1345 Pro Gregorio etiam adversus præfatam calumniam stat Cardinalis BARONIUS, existimans summæ memorati Pontificis laudi cedere, quod adolescens nactus sit Magistrum ipsum Laurentium Archiepiscopum Amalphitanum, quem non Maleficorum, sed Sanctorum ejus temporis Principem extitisse, assertione Petri Damiani irrefragabilis testis, vtpote integerrimi, in S. Odilonis vita, luce clarius demonstrat *ad annum* 1048. *num.* 4. *&* 5. adeò vt ex tàm enormi mendacio non amplius in reliquis audiendus, sed exsufflandus, proculque abjiciendus, sit insanus Benno, qui stultè nimis, quæ scripta sunt à Philostrato de Thyaneo, eadem totidem fermè verbis adscribat ipsi Laurentio. Ex quibus omnibus ea cuncta, quæ de Magicis excantationibus stylo mendaci fingendo conscripsit, penitus evanescunt, vt non sit opus singulis respondere, cum Sanctum fuisse, quem Magum appellat, tanti viri testimonio probaverimus.

1346 *Sed præter Laurentium (prosequitur BARONIVS *an.* 1073. *n.* 19.) habuisse quoque Magistrum Joannem Gratianum Archipresbyterum, postea Papam Gregorium VI. nuncupatum, eum esse secutum in Germaniam abeuntem, eaque occasione apud Cluniacenses permansisse, nos superiùs diximus suo loco, cum de his actū est. Quæ autem ab eo sint gesta, cum revocatus est Romam, ordinatus Subdiaconus, & postea Archidiaconus, ibidem superiùs suis locis abundè declarata, eademque integra, sincera, dignaque in omnibus Apostolico viro sunt cognita, vt ex diversorum scriptis, in primis verò ex Epistolis Petri Damiani infelix Benno in omnibus mendacissimus arguatur.*

1347 Baronio subscribit Illustrissimus LVDOVICVS DONIVS, Eduensis Episcopus, *in Flor. Histor. Sacri Colegii Cardinal.* de Hildebrando eisdem ferè verbis ac Baronius, eamdem calumniam repellens *num.* 2. Idipsum alii præstantissimi viri præstiterunt, quos missos facimus, cum nulla sit necessitas Authorum pondere ad refellendam calumniam, quæ nullo penitus fundamento fulcitur, sed sola calumniantis procacitate, & malignitate innititur.

CAP. VIII.

AB OMNI PRORSVS SIMONIÆ labe immunis demonstratur Gregorius.

1348 AD aliam similem impostūram progrediamur, quam fingere, Sanctissimoque huic Pontifici adscribere in Brixiensi Cōcilio Schismatici Cardinales veriti non fuerunt, teste MARIANO SCOTO *in Chronic. ad annum* 1073. asserente apud Brixiam Noricam certos Episcopos mandato Regis Henrici IV. conveniētes accusasse Gregorium VII. primò velut Simoniacum; sed ab hac impostura haud difficilè erit Sāctissimum Pontificem liberare, si attentè legerimus Scriptores omnes fidedignos pro ejus innocentia stantes. In primis enim JOANNES TRITHEMIVS *in Chronic.* *In Synodo, ait, apud Brixiam Noricorum habita S. Pontificem inauditis criminibus accusarunt.* Et alibi, de hujusmodi Synodo agens: *Ad hoc, inquit, Concilium malignantium VVilhelmus Abbas, Hirsaugiensis vocatus, ire contempsit: quippè qui Vicarium CHRISTI Sanctum, & innocentēnoverat.*

1349 Deindè LAMBERTVS SCAFNABVRGENSIS *in Histor. Rerum Germanicarum*, hæc tradit: *Hildebrandi constantia, & invictus adversus avaritiam animus, omnia excludebat argumenta humanæ fallaciæ.* Verùm quamvis prædicti Authores solùm in genere loquantur,

non

non deerunt alii eruditissimi, gravissimique Scriptores, quorum testimoniis Simoniaci calumnia à tàm Sancto Pontifice penitus depellatur.

1350 Nullum est efficacius argumentum ad ostendendum aliquem esse ab aliqua Hęresi immunem, quàm eam fuisse ab illo impugnatam, & viriliter detestatam, ac explosam, vt jam suprà probavimus in eodem Gregorio VII. quoad Berengarii Hęresim. Id autem ipsum in Simoniacorum Hæresi contigisse liquido constat; Gregorius enim Pontifex vnus fuit è pręcipuis, qui in prędictam Hæresim acriùs invecti fuerunt, eamque proscripserunt, vt certissimum est, & Sanctissimis illius Decretis infrà probabitur; majoresque labores, quos Sanctissimus iste Pontifex infracto animo subiit, fuerunt ob extirpandam, & à toto Christiano Orbe eliminandam publicam, & Simoniacam Ecclesiarum, Ecclesiasticarumque dignitatum venditionem, vt jam suprà retulimus, & mox clariùs ostendemus.

1351 At in hanc rem silentio non prętereundum duximus singulare illud portentum, quod ipsi Gregorio, dùm Apostolicus esset Victoris II. Legatus, accidit; agnoscens enim Sanctissimus Pontifex Victor intolerabiles, & nullatenus ferendos Simoniæ, aliorumque vitiorum abusus, qui in Galliis irrepserant, Legatum suum à Latere Cardinalem Hildebrandum constituit, eumque in Gallias misit, quod perspectam haberet præclaram illius Sanctitatem, Apostolicumque in extirpandis vitiis fervorem, vt testatur Illustrissimus Eduensis Episcopus DONIVS *in Flor. Histor. Cardinal.* jam laudatus vbi de Victore II. agens *fol.* 38. hæc habet: *Qui haud multo post eumdem Hildebrandum suum à latere Legatum misit in Gallias, vbi cùm alia ab eo emendata, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertinebant, tùm præcipuè Simoniacos omnes abusus sustulit, quoad potuit.

1352 Cumque sex Episcopos horum criminum manifestè reos damnasset, quemadmodum ante fecerat Florentiæ, alium quoque culpam suam impudenter inficiantem, atque confiteri detrectantem, quem testibus coarguere non poterat, cœlesti miraculo, & arte convicit; etenim in conspectu multorum: Agedum, inquit, quando te insontem hujus criminis jactas, ad noxam expiandam pronuntia: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Tum Episcopus ratus se eo dicto gravioris periculi judicium omne declinaturum, *Patris* quidem, *& Filii*, nomen disertè, ac expeditè pronuntiavit, vocem verò hanc *Spiritui Sancto* quamquam sæpè conatus, nullo vmquam modo proferre valuit. Meritoque ait B. Petrus Damiani (*opusc. 19. cap. 6.*) Spiritum Sanctum dùm emit, amisit, vt qui exclusus erat ab anima, procul etiam esset consequentet à lingua; creditum namque est, quia in nundinatione Sacrorum lædituR Spiritus Sanctus, ejus culpæ participem, illius Sacrum nomen pronuntiare nequisse, juxta illud *Psal. 49. Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? &c.* Idque eo evidentiùs cunctis innotuit, quod idem Episcopus, Divino cernens se convictum judicio, crimen confessus est, ac depositio Episcopatu, mox Spiritum quoque Sanctum ore libero articulatè, ac sine vlla balbutie, ac cunctatione pronuntiavit. Quæ narratio fidem habet indubitatam, tùm ex relatione Damiani viri Sanctissimi, qui eam ab ore ipsius Hildebrandi tunc S. R. E. Subdiaconi, & Sanctæ Sedis Apocrisiarii se accepisse testatur; tùm ex libris Dialogorum Magni illius Desiderii Abbatis Casinensis, quos eodem fermè tempore scripsit; quique ex Presbytero Cardinali S. Ceciliæ, deinceps Summum Pontificatum adeptus, *Victor* III. dictus est. Item ex relatione S. Hugonis Abbatis Cluniacensis, qui rei gestæ interfuit, & aliis Authoribus à Cardinali Baronio relatis *ad annum* 1055.*

1353 Idipsum præclarè confirmant ea, quæ collecta habentur à NICOLAO, Cardinali Aragonio, *in collectione de Antiquioribus Romanor. Pontific. gestis*, quæ extat in Bibliotheca Vaticana; ibi enim hæc leguntur: *Eodem tempore, cum Simoniaca Hæresis totam Italiam, & Burgundiam occupasset, idem Pontifex (Victor II.) misit á latere suo eumdem Archidiaconum (Subdiaconum) Hildebrandum ad Vltramontanas partes, cum quibusdam Episcopis. Dùm autem ad Lugdunensem Provinciam perveniisset, in ea Synodum celebravit, in qua per ipsum Archidiaconum Deus maximum dignatus est operare miraculum. Præsidentibus

enim

enim in ea Synodo Archiepiscopis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis, Archiepiscopus vir quidam litteratus, & eloquens, accusatus est de crimine Simoniæ, qui sequenti nocte omnes suos accusatores pecunia corrupit, & sibi amicos fecit. Mane autem facto, rediens ad Synodum, audacter dixit: Vbi sunt, qui me accusant? Exeat in publicum quicumque me voluerit damnare.

1354 Tùm obmutescentibus cunctis, prædictus Archidiaconus, tamquam vir disertus, & sapiens, convertens se ad illum dixit: Credis nê ò Archiepiscope, Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio vnam esse Substantiam Deitatis? Quo respondente: Credo; addit Archidiaconus, Dic: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Tunc ille, *Gloria Patri, & Filio*, expeditè dicebat; sed Spiritum Sanctum nullatenus proferre poterat, quem cum frequenter inchoaret, & nihil proficeret, videns se per Divinum judicium omninò confusum, procidit ad pedes Archidiaconi, & confessus est proprio ore, se Simoniacum esse. Postquam verò à Sacerdotali, & Episcopali officio depositus est, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* liberè, & clara voce decantavit. Quod factum Simoniacos in tantùm perterruit, quòd præter alios Prælatos Ecclesiarum viginti septem, Episcopi quadragintaquinque Simoniacos se esse confessi sunt, & suis honoribus, absque vlla alia accusatione, renuntiaverunt. Celebrata Synodo, & aliis rebus ritè ordinatis, & compositis, Legati ad Vrbem redierunt.* Hactenus ille.

1355 At, quod nostram Assertionem, luculentiùs corroborat, sunt plura Decreta, quæ ad Simoniacam Hæresim extirpandam edidit Sanctissimus Pontifex Gregorius, vt videre est in primo Concilio, ab ipso coacto Romæ, cujus Acta Synodalia, etsi perierint, vel lateant, hinc indè ex antiquis monumentis sunt exquirenda. Primum igitur hujus Synodi Decretum habemus *in litteris* laudati Pontificis *ad Othonem, Episcopum Constantiensem* in hæc verba: *Hæc necessaria tibi scribenda forè arbitrati sumus. Nos, juxta Authoritatem Sanctorum Patrum in Synodo dedisse Sententiam, vt hi, qui per Simoniacam Hæresim, hoc est interventu pretii, ad aliquem Sacrorum Ordinum gradum, & officium promoti sunt, nullum in Sancta Ecclesia vlterius ministrandi locum habeant. Illi quoque, qui Ecclesias datione pecuniæ obtinent, eas perdant, nec deinceps vendere, vel emere alicui liceat.*

1356 Eadem Decreta laudat, & enumerat ANONYMVS GREGORII APOLOGVS qui *cap.* 5. sic prosequitur: *Horum illud erat primum, vt Clerici aliquem Sacrorum Ordinum gradum, & officium pretio adepti, nullatenus deinceps in Ecclesia ministrent. Secundum, vt Ecclesiam pretio acquisitam nullus retineat. Nec alicui deinceps Ecclesiam emere, vel vendere liceat.*

1357 Duplex fuit hujus Decreti Canon, prior adversus Sacri Ordinis, posterior adversus Ecclesiasticorum Beneficiorum, atque officiorum Simoniam. Quod per Sacros Ordines Summus Pontifex intelligat, nedùm majores, sed & minores, liquet ex insigni apud HVGONEM, Abbatem Flaviniacensem Oratione, qua Ecclesiasticorum Ordinum venditionem, ac emptionem in omni Imperio grassari lamentabatur apud Episcoporum suorum Synodum Henricus III. Imperator, qui Patrem suum Conradum Salicum veretur, ea de causa damnatum ad gehennas fuisse; hinc pestem cum fame, & barbaro Paganorum Hungarorum gladio grassari affirmat, & concludit: *Quicumque vestrum hac se macula pollutum agnoverit, oportet, vt à Sacro ministerio arceatur; omnes enim gradus Ecclesiastici à Maximo Pontifice, vsque ad Ostiarium opprimuntur per vestræ damnationis præmium, & in cunctis spiritualibus grassatur latrocinium.* Omnium precibus commendavit Patris sui animam, & hoc promulgavit Edictum: *Vt nullus gradus, vel ministerium Ecclesiasticum pretio acquiratur, & siquis attentarit, omni honore mulctetur. Sicut Deus coronam Imperii mihi gratis dedit, ita ego, quod ad Religionem pertinet, gratis impendam. Volo vt & vos similiter faciatis.* Hoc Sanctissimum Principis Edictum, quo omni circa ipsum Simoniæ valedicit optimus Princeps, eidemque circa Sacras Ordinationes longè potiori jure valedici vult ab Episcopis, ab Ostiariatu, ipsaque Clericali tonsura vsque ad Pontificatum, Canonibus, & pœnis postea confirmarunt LEO IX. VICTOR II. STEPHANUS X. NICOLAVS, & ALEXANDER II.

&

& hic omninò etiam confirmat noster GREGORIVS.

1358 MARIANVS SCOTVS *ad annum* 1074. ejusdem Gregorii Decretum adducit, dicens: *Hildebrandus, qui *Gregorius Papa*, decrevit, vt sub Sententia S. Petri cum Simone damnaretur, non solùm emptor, sed venditor cujuscumque consecrationis officii Ecclesiastici, id est, Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, Præposituræ Ecclesiæ, vel decimationis, sed & socios transgressionis; Dominus enim dixit: *Gratis accepistis, gratis date.* Vndè & de sua Synodo Legati Papæ ad Henricũ Regem, id est, duo Episcopi, noluerunt esse in Pascha cum Rege in Civitate Bamberga, nec cibum, vel societatem Hermanni ejus Civitatis Episcopi habere, qui Episcopatum comparavit.*

1359 At vt agnoscatur quàm ardentissimè Sanctissimus Pontifex in detestabile Simoniæ vitium inveheretur, quod tunc temporis in Galliis maximè grassabatur, & vt clariùs appareat Apostolica solicitudo, qua omnimodæ extirpationi illius, invigilabat, silentio prætereundæ non sunt duæ illius epistolæ, quibus, tamquam fulminibus Simoniæ labem impetere, eamque penitus exterminare conatur. Prima est 35. *lib.* 1. *ad Rodericum, Cabilonensem Episcopum*, qua in Philippum Francorum Regem Ecclesiarum venditorem, & destructorem invehitur, quem ab eo moneri vult, vt Episcopos canonicè eligi permittat; & sic se habet.

**Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Roderico Cabilonensi Episcopo salutem, & Apostolicam benedictionem.*

1360 INter cæteros nostri hujus temporis Principes, qui Ecclesiam Dei perversa cupiditate venundando dissipaverunt, & matrem suam, cui ex dominico præcepto honorem, & reverentiam debuerant, ancillari subjectione penitus conculcarunt, Philippum, Regem Francorum, Gallicanas Ecclesias in tantum oppressisse, certa relatione didicimus, vt ad summum tàm detestandi hujus facinoris cumulum perveniisse videatur. Quam rem de Regno illo tantò profectò tulimus molestius, quantò & prudentia, & religione, & viribus noscitur fuisse potentius, & erga Romanam Ecclesiam multò devotius. Et nos quidem tàm generalis nostræ cura solicitudinis, quàm ipsarum destructio Ecclesiarum vehementer accenderet, vt in tàm audaces Sanctæ Religionis excessus severiùs animadvertere deberemus; sed quoniam anteactis diebus per familiarem suum cubicularium, videlicet Albericum, ad nostri Censuram judicii, & vitam corrigere, & Ecclesias ordinari firmiter nobis respondit, rigorem Canonicum interim exercere distulimus.

1361 Hujus ergo promissionis Fidem in Matisconensi Ecclesia, Pastoris regimine diù desolata, & ad nihilum penè redacta, in primis volumus experiri, vt scilicet Augustodunensem Archidiaconum vnanimi Cleri, & Populi consensu, ipsius etiam, vt audivimus, Regis assensu electum, Episcopatus dono gratis, vt decet, concesso, Ecclesiæ præfici patiatur. Quod si facere noluerit, indubitanter noverit, Nos hanc Ecclesiæ ruinam nequaquam diutiùs toleraturos, & ex Authoritate Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli duram inobedientiæ contumaciam Canonica austeritate coërcituros. Nam, aut Rex ipse repudiato turpi Simoniacæ Hæresis mercimonio, idoneas ad sacrum regimen personas promoveri permittet, aut Franci pro certo, nisi Fidem Christianam abjicere maluerint, generalis Anathematis mucrone percussi, illi vlterius obtemperare recusabunt.

1362 Hæc ideo, frater charissime, vigilantiæ tuæ intimare curavimus, quatenus ea prædicto Regi insinuare, & exhortando, & rogando, modis omnibus inculcare studeas, vt & præfatam Matisconensem, aliasque Ecclesias canonicè concedat ordinari. Tibi ergo maximè hæc idcircò injunximus; quia prudentiam tuam magnam esse, & regia familiaritate vti cognovimus. Si qua autem, quæ dicenda erant à nobis, prætermissa sunt, hæc ingenii tui acumen injungat. Itaque in hac persecutione labora, vt & Dei gratiam, & Nostram benevolentiam promerearis. *Dat. Piperni* 11. *Non. Decemb. Indict.* 12.*

1363 Aliam etiam hìc transcribere libet epistolam ejusdem Pontificis quæ est, 36. *lib.* 1. *ad Humbertum, Lugdunensem Episcopum*, cui præcipit, vt ab ipso vel ejus Suffraganeis electus Matisconensis, etiam contra Regis voluntatem, ordinetur, & si renuerit ordinari, cogatur: *Gregorius*

*rius Episcopus, servus servorum Dei, Humberto, Lugdunensi Archiepiscopo, salutem, & Apostolicam benedictionem.**

1364 Clamor Matisconensium Clericorum pervenit ad Nos, Ecclesiam suam jam multo tempore Pastore viduatam, detrimentum non modicum sustinere. Dicunt enim, Regem Francorum, electionem *suo consensu factam velle impedire*; undè, quia ipse in præsenti anno, per quemdam militem suum nomine Albertum, Romam venientem, se consilio nostro, omninò acquiescere promisit, studuimus confratri nostro Roderico, Cabilonensi Episcopo, nostras dirigere Epistolas, vt ipse, nostra functus legatione, præfatum Regem conveniat, quatenus ipse oblatæ nobis memor promissionis suæ, electionem Matisconensium, non solùm non impediat, sed eum, quem debet, assensum præbeat. Qui si in duritia sua permanens, neque necessitati hujus Ecclesiæ compati, neque exhortationi nostræ parere voluerit; præcipimus Apostolica Authoritate, vt fraternitas tua, neque pro odio, neque gratia alicujus, dimittat, quin electum ab eis Augustodunensem Landricum Archidiaconum Episcopum, seu per te, seu per suffraganeos tuos ordinare studeat; si tamen Authoritas Sanctorum Patrum probatur sibi non obviare. Si verò ipse hunc ordinem suscipere renuerit, & inflexibilem se exhibuerit, volumus vt cum Episcopo suo vim sibi inferas, eumque ad recipiendum Episcopalem Ordinem, vigilanti, studio atque Pastorali rigore constringas. Quòd si fraternitas tua in hac causa negligens fuerit, proculdubio tu motum Apostolicæ Sedis incurres, & ipse si ad nos venerit, Deo consentiente, à nobis ordinabitur. *Data Piperni* 11. *non. Decemb. Indictione* 12.*

1365 Pro majori horum illustratione, & vt cunctis pateat Sanctissimi Pontificis fervor, quo ad exitiosum Simoniacæ Ecclesiarum emptionis, & venditionis vitium penitus extirpandum æstuabat, operæpretium duximus legendam proponere aliam illius Epistolam, qua in præfatam Simoniæ labem sic invehitur.

* * * *
* * * * * * * *
* * * *

**Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto in CHRISTO fratri Othoni, Constantiensi Episcopo, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

1366 INstantia Nuntiorum tuorum, festinâter redire volentium, non permisit nos fraternitati tuæ; quę in Romana Synodo constituta, sunt, seriatim intimare. Hæc tamen necessaria tibi scribenda fore arbitrati sumus: Nos juxta Authoritatem Sanctorum Patrum in eadem Synodo Sententiam dedisse, vt hi, qui per Simoniacam Hæresim, hoc est interventu pretij ad aliquem Sacrorum Ordinum gradum, & officium promoti sunt, nullum in Sancta Ecclesia vlterius ministrandi locum habeant; illi quoque, qui Ecclesias datione pecuniæ obtinent, omninò eas perdant, nec deinceps vendere, vel emere alicui liceat.

1367 Sed nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, Missas celebrare, aut secũdum inferiores Ordines ministrare Altari debeant: statuimus etiam, vt si ipsi contemptores fuerint nostrarum, imò Sanctorum Patrum Constitutionum, Populus vllo modo eorum officia recipiat, vt qui pro amore Dei, & officii dignitate, non corriguntur, verecundia sæculi, & objurgatione Populi resipiscant. Studeat ergo. Fraternitas tua, sic se in his nobis cooperatricem exhibere, sic crimina ista de Ecclesiis tuis evellere, quatenus boni Pastoris meritũ apud Dominum valeas obtinere, vt Romana Ecclesia de te, sicut de charissimo fratre, & studioso cooperatore, debeat gaudere: *Hactenus Gregorius.

1368 Duas partes continet hæc Decretalis. Prima invehitur in Simoniacos, qui pretio, emptione, vel venditione, ac pecuniæ interventu Ordinationes, vel Ecclesias obtinuisse noscuntur: secunda dirigitur ad inhibitionem, & pœnas contra concubinarios, vel vxoratos Clericos, vt ab Ecclesia, Divinorumque Officiorum celebratione separentur, nec Populus ipsorum Missas audire, aut cum illis communicare queat. Huic Decreto se se incõtinentes Cleri pervicaciter opposuere, vt refert LAMBERTVS, dicens: *Adversus hoc Decretum protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum, hominem planè Hæreticum, & vesani dogmatis esse Gregorium,

cla-

clamitans, & oblitus Sermonis Domini, quo ait: *Non omnes capiunt verbum hoc*, violenta exactione homines cogeret vivere ritu Angelorum. *Cum igitur Simoniacorum, incontinentiumque vesania tanti Pontificis ardentissimum Zelum in vtroque hoc Decreto iniquè calumniata sit, operæpretium me facturum arbitror, si de vtroque disseram, & vtriusque æquitatem ostendam: Vndè quoad primam Decreti partem.

§. I.

Quæritur, quænam sit justitia & æquitas Decreti, vel Canonis Gregorii Papæ in Concilio Romano, adversus Simoniaca labe infecto?

1369 REspondetur, Gregorium VII. in ea prima Decreti parte optimo Jure in Simoniacos cavisse primò, nè Clerici aliquem Sacrorũ Ordinũ gradum, & officium per pretium adepti, vllatenus deinceps in Ecclesia ministrent. Secundò vt Ecclesiam, pretio acquisitam nullatenus retineant, nec alicui deinceps Ecclesiæ Jura vendere, vel emere liceat. Quæ duo a nobis probanda supersunt.

1370 Et quidem primum non erit probatu difficile, si ad ea, quæ in Chalcedonensi Concilio statuta sunt, mentis oculos convertamus; in eo enim Concilio, (quod vnum est è quatuor præcipuis quæ Sanctissimus Gregorius Pontifex sicut Sacta Evangelia quatuor suscipere se, ac venerari fatetur, Nicęnum scilicet, adversus Arium; Constantinopolitanum, in Eunomii, & Macedonii errorem; Ephesinum, in Nestorii impietatem; Chalcedonense, in Eutychetis, Dioscorique pravitates indictum.) In hoc, inquam, Concilio (quod tempore quidem, non verò dignitate vltimum Sancti Patres Leoni Augusto vsque ad sanguinem vindicandum esse mandarunt, vt LIBERATVS *in libro suo* testatur) hæc scripta leguntur *cap.* 2. *Si quis Episcopus per pecunias fecerit ordinationem, & sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecunias Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, aut quemlibet ex his, qui numerantur in Clero, aut promoverit per pecunias Dispensatorem, aut Defensorem, vel quemque, qui subiectus est regulæ, pro sui turpissimi lucri commodo, is cui hoc attentanti probatum fuerit, proprii gradus periculo subjacebit. Et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus à dignitate, vel solicitudine, quam pecuniis quæsivit. Siquis verò mediator tàm turpibus, & nefandis datis, vel acceptis extiterit, & ipse, si quidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat, si verô Laicus, aut Monachus, anathematizetur.*

1371 Et notandum quàm cautè istud caput omnes Simoniacorum astutias excludat; cum quolibet modo per pecuniam promotos absque omni spe recuperationis deponat. Solent enim Simoniaci diversis modis, sed vno reatu Sacras Dignitates mercari, nempé nunc ipsi, nunc pro ipsis eorum amici pretium pro Sacra Dignitate, vel ante ordinationem suam dederunt, & in ipsa dant, & postmodum se daturos promittunt: & hoc nunc Electoribus eorum, nunc eorum Ordinatoribus, vel demum quibuslibet eorum fautoribus. Quicumque ergo aliquo horum modorum quemlibet promoverit, vel se ipsum ita promotum esse cognoverit, indubitanter à superiori capite degradari jubetur, cum per pecuniam, vel alium promovisse, vel ipse promotus esse non dubitetur.

1372 Sed nec hoc sine consideratione prætereundum videtur, quod idem caput duo negotiatorum genera damnavit; vnum quidem eorum, qui ad Diaconatum, vel Presbyteratum, vel ad aliquem hujusmodi gradum per pecuniam ordinantur; alterum eorum, qui ad dispensationis ministerium, vel ad aliquod hujusmodi Clericale officium per pecuniam promoventur, qualis est Vicedominatus, Præpositura, Decania, Archipresbyteratus, & his similia. Sic ergo & noster Apostolicus Gregorius duo negotiatorum genera, & omnes negotiantium versutias in primo ejus statuto comprehendit, in quo Clericos aliquem Sacrorum Ordinum gradum, & officium quoquo modo per pecuniam adeptos deponit, quod tamẽ statutũ superiori capite mitius liquidò probatur, cum spiritualium officiorum venditores, & tàm nefariæ negotiationis mediatores debita vltione non damnet, quos tamen prædictum caput, cum ipsis emptoribus degradandos, & anathe-

matizandos esse decrevit.

1373 Quod amplius vrgeri potest: nam si mediator degradari, vel anathematizari meritò jubetur, quid de illo censes, qui per eamdem negotiationem indignè promovetur? Hoc vtique quod Sanctissimus Papa Gregorius Magnus, imò per illum Spiritus Sanctus, de hujusmodi negotiatoribus indubitanter decrevit, qui in ejusdem Apostolici Auriculam sub columbina specie quælibet decernenda dictare consuevit. Nempè scriptum est *in Decretis suis, cap.*131. (*lib.9.epist.*34.) *Quicumque ergo Ecclesiasticum Officium prętii studet donatione mercari, dùm non officium, sed nomen attendit, Sacerdos non esse, sed inaniter tantummodo dici concupiscit. (Et *paulò infrà*:) Cum liqueat hanc Hæresim ante omnes radice pestifera subrepsisse, atque in ipsa sua origine Apostolica detestatione esse damnatam, cur non cavetur? Cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem vertitur, qui ad hoc, vt fiat Hæreticus, promovetur?* Quid ergo mirum, si noster Apostolicus Gregorius VII. eos tantùm ab Ecclesiasticis ministeriis separavit, quos Sanctissimus Gregorius Magnus ab Ecclesia separatos esse cum reliquis Hæreticis deputavit?

1374 Jam verò secundum illud nostri Gregorii statutum, quod Ecclesias emptoribus earum adimi præcipit, facillimo negotio probari potest; id enim ipsum in prælegato Chalcedonensis Cõcilii capite non obscurè videtur comprehendi; siquidem Ecclesiasticarum rerum Dispensatori per pecuniam promoto dispensandi officium jubetur auferri; quilibet enim Presbyter dispensator debet existere, non prædicationis tantùm, sed etiam rerum Ecclesiæ sibi commissæ, quas Sancti Patres, non solùm Presbyteri, sed quorumlibet ægentium necessitati dispensandas esse censuerunt.

1375 Deindè *in eodem cap.* cuilibet Clerico omnis Ecclesiastica solicitudo per pretium acquisita jubetur adimi; procurare autem ipsam Ecclesiam cum Sacerdotali diligentia, Clericalis, & Ecclesiastica solicitudo indubitanter esse videtur: Igitur & *in eodem capitulo* Ecclesiæ solicitudo per pecuniam vsurpata jubetur auferri. Vndè Beatissimus Papa GREGORIVS scribens *ad Clementem Byzacenum* de quodam Presbytero decernit ita: Vt si idem Presbyter quamdam Ecclesiam obtinuisset per pecuniam, non solùm eadem Ecclesia privaretur, sed etiam Presbyterii honore spoliaretur. Sic quoque in antiquis Provinciarum Conciliis, Moguntinensi videlicet, Remensi, sive Turonensi statutum legitur, vt Presbyter Ecclesiam pretio adeptus, & Presbyterio, & Ecclesia privetur. LEO etiam Papa ejus nominis IX. in prima sua Romana Synodo Simoniacam Hæresim penitus damnavit, emptiones, & venditiones Altarium sub Anathemate prohibuit, quod Anathema illi non evaserunt, quicumque deinceps tàm nefariam negotiationem exercere præsumpserunt. Ex quibus liquidò evincitur, quàm clementer Septimus noster Gregorius tantùm emptas Ecclesias emptoribus earum ademerit, quos censurà Sanctorum Patrum, & Ecclesia, & Presbyterio, imò & Christiano nomine, & communione privandos esse, non ignoravit.

1376 Sed quid immoramur, vt prædicta Sanctissimi Pontificis Gregorii adversus Simoniacos statuta ex Synodicis Sanctorum Patrum Sententiis processisse demonstremus; cum nulli dubium sit, quin ex Sacræ Scripturæ fonte hausisse originem facili negotio probari possit? Nam in eadem Sacra Scriptura omnes personæ tàm nefarii mercimonii damnatæ leguntur, videlicet venditores, & spiritualium officiorum emptores, atque hujus negotii mediatores. Ipse enim Dominus pariter ementes, & vendentes de Templo suo ejecit, & Cathedras vendentium columbas jam tùm ipse subvertit: quod Sanctus GREGORIVS ille Theologus *homil.* 22. exponit ita: *Cathedra ergo vendentium columbas evertitur, quando hi, qui spiritualem gratiam vendunt, & ante humanos oculos, & ante Dei oculos Sacerdotio privantur. Et meritò: nam ipsa veritas præcipit in Evangelio: *Gratis accepistis, gratis date.* (*Matth.*10.) Quod cum tales non attendant, etiam à Deo se ipsos alienant, qui in eodem Evangelio dicit: *Qui est ex Deo, verba Dei audit, ideo vos non auditis, quia ex Deo non estis.* (*Matth.*5.)*

1377 Insuper Princeps Apostolorum Petrus, imò per illum ipse CHRISTVS, omnibus in Ecclesia Præsulibus hæc servanda præcepit: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spon-*

spontaneè secundùm Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè. (1. *Pet.* 5.) Contra hoc præceptum illi agunt, quicumque hoc spirituale officium pro sæculari lucro subiectis suis turpiter impendunt. De quibus idem Apostolus in sua posteriori epistola testatur: *Secuti sunt viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit: correptionem verò habuit suæ vesaniæ: subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ insipientiam.* Quod Venerabilis Presbyter BEDA *in tractatu super eamdem epist.* elucidat ita: *Nonnulli Catholicorum in tantùm mercedem amant iniquitatis, vt etiam docti ab indoctis, à Laicis Clerici meritò lacerentur, qui jure comparantur Prophetæ, qui verbis asinæ, contra naturam loquentis, corripitur, nec tamen à proposito pravi itineris retardatur. Iste videlicet Balaã idem esse asseritur, qui & Beatum Job in lib. superfluè & arrogantèr docuisse, legitur qui & Eliu, id est, *Divinus*, ab officio divinandi est cognominatus. Sic enim testatur S. HIERONYMVS *in lib. de Hebraic. quæstion.* Hic ergo, cum esset Propheta, à Balaac, Rege Moabitarum, ad maledicendum filiis Israel conductus, illis quidem in Verbo Domini pro pretio studuit maledicere, sed pravitatem suam Domino verante ad effectum nõ perduxit, nec mercedem iniquitatis accepit: qui tamen adeò à Deo reprobabilis denotatur, vt asina ejus sapientiam, imò vesaniam ejus, & insipientiam corripuisse, & eum à gladio ejus resistentis Angeli eripuisse legatur, quam ipse Angelus non morituram fore testatus est, etiam si ipsum reprobum Propheram debita morte mulctasset.* Si ergo Balaã tantùm amãdo mercedem iniquitatis, adeò legitur reprobabilis, quantò magis ille inter reprobos est computandus, qui cum Balaam de iniquissima venditione spiritualis officii pretium studiosissimè requirit, nec cessat, donec ambitionem suam ad effectum perducat?

1378 Deinde S. HIERONYMVS *in Matth. c.* 8. illum Scribam, qui dixit Jesu: *Magister sequar te quocũque jeris*, ideò repudiatum a Domino testatur; quia more Simonis Magi eũ sequi voluerit, vt ex operũ miraculis lucrũ assequeretur: Vndê & ipsi à Domino respõdetur: *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet:* ac si diceret: cur propter lucra, & divitias vis me sequi, cum tantę sim Paupertatis, vt nec proprium habeam hospitium, cum vulpes etiam, & volucres proprias habeant mansiones? Si ergo ille qui spirituale officium pro lucro tantùm exercere voluit, ab ipso Domino jure reprobatur, quanto magis ille, qui & hujusmodi officium penitus aliis vendidisse detegitur?

1379 Vlterius spiritualium officiorum emptores cum suo Principe Simone Mago *in Actibus Apostolorum* damnati leguntur; ibi enim noster ille Simon, Apostolorum Princeps alium Simonem Apostatarum Principẽ æterna damnatione mulctavit, sic decernens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam existimasti donum Dei pecunia possideri, non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age de hac malitia tua, & roga Dominum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. Respondens autem Simon, dixit: Precamini & vos pro me ad Dominũ, vt nihil veniat super me horum, quæ dixistis.* (*Actor* 8.) In quo textu magnopere notandum occurrit, ipsum Hæresiarcham Simonem Magum pro sola nefaria cogitione à Simone, Apostolorum Principe damnatum; quem videlicet spirituale officium mercari solummodo cogitasse, nullatenus autem tàm nefariam negotiationem legimus impleſſe: Vndê liquidò constat, quam rationabiliter illi damnentur, qui & tàm inhianter, vt Simon Magus, spiritualia officia mercari concupiscunt, & insuper desideratam negotiationem perficiunt: qui & eadem sceleratê acquisita scelatius vti, imò abuti non verentur: Vndê non parum ipsum Simonem Magum in culpa præcedere videntur. Ille enim emptionem, quam male concupierat, nullatenus ad effectum perduxit, qui pro solo nefario appetitu damnatus, per ipsos Apostolos apud Dominum efficere studuit, vt damnatorias eorum Sententias subterfugeret, non vt officium criminosè appetitum, criminosiùs obtineret.

1380 Sed cur idem Hæresiarcha spirituale officium mercari appetiisset, nisi emptum deindê nefandiùs vendere vellet? Non enim frustra de eo scriptum esse videtur,

quod stupidius de signis, & virtutibus admiretur, quæ vt ipse posset facere per pecuniam suam voluit efficere, videlicet, vt juxta S. HIERONYMI Assertionem, temporale lucrum ex miraculis assequeretur. Non solùm igitur emptores, sed & venditores spiritualium officiorum, sectatores præfati Hæresiarchæ denotantur: Vndè & cum eodem æternæ damnationis vinculo astricti non dubitãtur, attestante GELASIO Papa *in Decretis suis*, c. 24. *Quos verò constiterit indignos meritis sacram mercatos esse dignitatem, convictos oportet arceri non sine periculo tale facinus patrantes; quia dantem pariter, & accipientem damnatio Simonis, quam sacra lectio testatur, involuit.*

1381 Idem etiam Sanctissimus Pontifex GELASIVS, generalem hanc Sententiam pertractans, de singulorum graduum ordinationibus, subintulit, inter quos etiam Ostiarios, Notarios, sive Defensores numeravit, qui nec per manus impositionem ordinantur, nec ipsi manus alicui imponere permittuntur: Vndè & illum in Decretis S. Alexandri, Simoniacum vocari non dubium est, qui pœnitenti ad reconciliationem pro pretio apud Episcopum juvat. Vndè colligitur, non solùm illos reputari inter Simoniacos, qui per pretium ad manus impositionem perveniunt, sed & illos, qui & alia Clericorum officia per pecuniam acquirunt. Omnia autem in hujusmodi officiis operatur vnus, atque idem Spiritus, cujus donum non gratis, sed per pretium date, & accipere non Catholicum, sed indubitanter est Simoniacum.

1382 Tandem quid de hujus nefandissimæ negotiationis mediatoribus sentiendum sit, audiamus APOSTOLVM, damnantem eos, qui tàm pernitiosa moliuntur: *Digni enim sunt morte, nè dum qui nefanda faciunt, verùm & qui facientibus consentiunt.* REGIUS etiam VATES *Psal.* 49. *Si videbas*, inquit, *furem, currebas cum eo.* Et illud ibidem: *Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* In eodem itidem Psalmo terribilis Sententia de hujusmodi assentatore profertur, videlicet, quod à Domino arguendus, nec per aliquem à manu Domini deinceps eripiendus: Vndè nè miretis si spiritualis officii mercator, sub nomine furis designetur, cum ab ipsa veritate in Evangelio ita nominetur. Qui enim aliundè intrat nisi per ostium non Pastor ovium, sed fur, & latro nuncupatur à Domino, *Ioannis* 10. nempè nullus in Ecclesia Præsul per ostium, hoc est per ipsum Dominum ad Pastoralem Curam intravit, qui per avaritiam, id est, per idolorum servitutem ad hoc officium pervenit. Nõ est ergo alienum à sano intellectu, hujusmodi mercatorem, sive mercenarium, sub nomine furis infamari, cujus furtivam irreptionem non expavit imitari.

1383 Hujus autem criminosissimi mercimonii mediatores non negligenter attendant Giezi Elisei puerum, qui ex Domini sui parte, eo quidem nesciente, munera sponte oblata suscepit à Naaman Syro, qui jam à lepra mundatus erat ab Eliseo Propheta. Idem quippè Giezi, licet inter Eliseum, & Naaman medius nefariè lucraretur, neutrum tamen secum sceleris fecit hujusmodi obnoxium; nam & ille spontaneam oblationem sortis eleganter respuit, quam iste, non quasi ex debito mentis, sed ex benigno affectu mentis liberaliter obtulit, verùm quamquam Giezi neutrum horum in crimine secum attraxerit, sed se solùm inter hos medium simplici crimine obligaverit, ipse tamen, & omnes posteri, pro eadem culpa non modò leguntur severissimè puniti, sed & lepram, à qua mundatus est Naaman, quasi hæreditariam in sempiternum sortiti.

1384 Quapropter Simoniacæ negotiationis mediatores diligenter perpendant, quàm districtè, imò quàm districtissimè sint damnandi, qui non solùm se ipsos, sed & illos, quorum mediatores sunt, sub æterna damnatione secum posuerunt. Satis ergo, vt opinor, exploratum est, quã summopere prædictas nostri Apostolici Pontificis sanctiones, adversus Simoniacam pestem exterminandam editas, venerari, & observare debeamus, quæ non solùm ex Synodicis, & authenticis Sanctorum Patrum Sententiis promanasse noscuntur, verùm & ex Propheticis, Evangelicis, & Apostolicis loculentissimis testimoniis processisse, indubitanter probavimus, ipsa videlicet veritas eadem, & per se ipsam, & per suos Fideles proculdubio promulgavit, quæ, & sub Fideli testatione nobis dicit *IOANNIS* 8. *Amen, Amen dico vobis: Si quis sermonem meum servaverit, non videbit mortem in æternum.* Et *IOANNIS* 14. *Si quis diligit me, Sermo-*

monem meum servabit. Qui ergo mandata ejus non servat ipsam veritatem non amat; *qui autem non diligit* (1. *Ioannis* 3.) *manet in morte*; qui verò Divina Præcepta contemnit, nullatenus mortem subterfugere valebit.

§. II.

Simoniæ crimen á Sacris Conciliis gravissimis pœnis mulctatur.

1385 QVamquam hactenus, & Authoritate, & ratione satis ostenderimus maximam æquitatem, qua S. Gregorius prædicta contra Simoniacam luem Decreta edidit; nihilominus, quia in Simoniacæ pestis sectariis pervicacia tanta fuit, vt eum calumnati sint ob præfata Decreta, pro quibus summis laudũ præconiis merebatur extolli; idipsum ampliùs stabilire conabimur, vt clarior eluceat æquitas, qua prædicta adversus Simoniacos Decreta sancienda studuit. Quod evidenter demonstrabitur ex gravissimis pœnis, quibus Ecclesia tàm immane scelus perpetuò damnavit, nec solus Gregorius, sed plures etiam illius Antecessores, & Successores sceleratum illud Simoniæ flagitium insectati sunt in Sacris Conciliis, quæ jam subjungimus.

1386 In primis enim *in Canonibus Apostolorum ex Epitome Adriani I. anno* 773. hæc habentur *Can.* 30. *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, per pecuniam ordinatus, cum ordinatore suo deponatur, & excommunicetur, vt Simon Magus à Petro.*

1387 In CONCILIO ILLIBERITANO *sub Marcello I. anno* 305. *Canone* 48. *Emendari placuit, vt hi, qui baptizantur (vt fieri solebat) nũmos in concham non mittant, nê Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur.*

1388 In CONCILIO NICÆNO, GENERALI I. *sub Silvestro Papa I. anno* 325. *Editionis Arabicæ Can.* 49. *Nullus audeat ordinare Episcopum, aut Sacerdotem, aut Diaconum pro quavis re data, sive ante Ordinationem, sive post; & qui secus fecerit, deponatur.*

1389 Quid autem circa hoc ipsum statuerit CHALCEDONENSE CONCILIVM, GENERALE IV. *sub Leone I. anno* 451. videre est *in Can.* 2. *Siquis Episcoporum, accepta pecunia, Ordinationem fecerit, &c. Quicumque ergo hæc meditatus fuerit, si convictus fuerit, ipse quidem subeat gradus sui periculum, & qui sic ordinatus fuerit, nullum habeat fructum ex hujusmodi mercimonio, & creatione probrosa, sed sit alienus, & dignitatis, & sollicitudinis ejus, quam per pecunias acquisivit, sed & ille, qui instans tàm turpibus, & illicitis intercessor apparuit; siquidem Clericus fuerit, de proprio decidat gradu, si verò Laicus, sive Monachus fuerit, Anathema sit.*

1390 In CONCILIO AVRELIANENSI II. *sub Sylverio anno* 536. *Can.* 4. *Siquis Sacerdotium per pecuniæ nundinum execrabili ambitione quæsierit, abiiciatur vt reprobus.*

1391 In CONCILIO TVRONENSI II. *sub Ioanne III. anno* 570. *Can.* 28. *Nullus Episcoporum de Ordinationibus Clericorum præmia præsumat exigere; quia non solùm sacrilegum, sed & Hæreticum est.*

1392 In CONCILIO TOLETANO VI. *sub Honorio I. anno* 638. *Can.* 4. *Quicumque Simonis imitator, Simoniacæ quoque Hæresis extiterit Author, vt Ecclesiasticorum gradus non dignitate morum obtineat, sed munerum impensione conquirat, talis inventus, Sacrorum Ordinum apices penitus adipisci nullo modo permittatur, sed si adeptus fuerit, communione privetur, cum Ordinatoribus suis propriorum bonorum amissione damnetur.*

1393 In TOLETANO VIII. *sub Martino I. anno* 653. *Can.* 3. *Quicumque deinceps propter accipiendam Sacerdotii dignitatem, quodlibet præmium fuerit detectus obtulisse, Anathema sit, &c. Qui hunc Ordinem munerum fuerit acceptione lucratus, & suscepto honoris gradu privetur, & in Monasterio sub perenni pœnitentia redigatur: illi verò, qui pro hac causa munerum acceptores extiterint, si Clerici fuerint, honoris amissione mulctentur, si Laici, Anathemate perpetuo condemnentur.*

1394 In TOLETANO XI. *sub Adeodato anno* 675. *Can.* 9. *Cum quisque Pontificale culmen ante Domini Altare percepturus accesserit, Sacramenti exactione adstringatur, quod pro conferenda sibi consecratione honoris nulli personæ cujus-

juslibet premii collatione, vel aliquādo dediſſet, vel aliquando in futurum dare procuret, quos autem deinceps poſt prælationem per præmium ordinatos fuiſſe patuerit, duorum annorum ſpacio, exilio relegati, Excommunicatione coërceantur.*

1395 In CONCILIO apud Palatium *Vernis, ſub Stephano III. anno 756. Can.* 1. ſtatuitur, vt nullus per pecunias ad honorem, vel gradum Eccleſiæ accedere debeat, quæ Hæreſis Simoniaca eſſe videtur.

1396 In NICÆNO II. VNIVERSALI VII. *ſub Adriano I. anno 787. Can.* 5. *Eos, qui per auri dationem ſe fuiſſe in Eccleſia conſtitutos gloriantur, & in hac maligna conſuetudine, quæ alienat à Deo, & omni Sacerdotio, ſperant, &c. Primò quidem vltimum proprii Ordinis gradum ſumere; ſi autem perſeveraverint, inflicta quoque pœna corrigi, decernimus. Siquis autem in ordinatione hoc quandoque feciſſe viſus fuerit, fiat vt vult *Canon Apoſtol.* 30. & *Chalcedon.* 2.

1397 In CABILONENSI II. *ſub Leone III. anno* 813. *Can.* 43. *Sunt in quibuſdam locis Scoti, qui ſe dicunt Epiſcopos eſſe, & multos negligentes abſque licentia Dominorum ſuorum, ſive Magiſtrorum Presbyteros, & Diaconos ordinant, quorum Ordinationem, quia plerumque in Simoniacam incidit Hæreſim, & multis erroribus ſubjacet, modis omnibus irritam fieri debere omnes vno conſenſu decrevimus.*

1398 In PARISIENSI VI. *ſub Gregorio IV. anno* 829. *Can.* 11. *Providendū ac ſummopere cavendum eſt, vt hi, per quos Religio Chriſtiana conſtare, & cæteri ab offenſione debent ſalvari, tales poſthabita Simoniaca peſte eligantur, quales & Apoſtolicus Sermo, & Canonicus Ordo, & B. Gregorii Paſtoralis Regula docet, ſcilicet, vt nullius terrenæ rei gratia, niſi Dei ſolius, eligantur.*

1399 In MELDENSI *ſub Sergio II. anno* 845. *Can.* 8. *Quandocumque, Deo diſpenſante, quilibet Epiſcopus ad Dominum migraverit, ſubmota funditus peſte Simoniacę Hęreſeos, ſine dilatione juxta Authoritatem Canonicam, Sedes vacans Epiſcopum regulariter deſignatum, & gratia S. Spiritus Conſecratum accipiat.*

1400 Et *Can.* 43. ejuſdem Concilii *Cavendum, & per virtutem CHRISTI Sanguinis interdicendum & Epiſcopis, & Regibus, & omnibus ſublimioribus Poteſtatibus, atque cunctis fautoribus, & Electoribus quorumcumque, atque conſenſoribus, ſeu ordinatoribus in gradu Eccleſiaſtico, vt nemo per Simoniacam Hæreſim regiminis locum obtineat, quacumque factione, calliditate, promiſſione, ſeu commoditate, aut datione per ſe, aut per miſſam perſonam.*

1401 In MAGUNTINO *ſub Leone IV. anno* 847. *Can.* 14. *Quicumque Presbyter, per pretium Eccleſiam fuerit adeptus, omninò deponatur.*

1402 In NANNETENSI *ſub Formoſo Papa anno* 895. *Can.* 7. *Nullus, quocumque munere, aut favore corruptus, Clericum alterius Parochiæ latenter, & furtivè ad Ordinationem ſubintroducere præſumat, quod ſi fecerit, is, qui ordinatus eſt, donum Spiritus Sancti, quod furari conatus eſt, amittat, & qui mediator extiterit, ſi Clericus eſt, proprio gradu decidat, ſi Laicus, aut Monachus, anathematizetur.*

1403 In TOLOSANO *ſub Victore II. anno* 1056. *Can.* 1. *Siquis Epiſcoporum accepta quocumque modo pecunia ordinaverit Epiſcopum, Abbatem, Presbyterum, Diaconum, aut quemcumque alium ipſe gradus ſui ſubjaceat periculo, & qui ſic ordinatur, ſit alienus dignitatis, & Ordinis, quem per pecuniam adquiſivit.*

1404 Et *Can.* 4. *Nullus Clericus, vel Monachus, vel aliàs aliquis pro eis, Epiſcopatum, vel Abbatiam, vel Presbyteratum emere præſumat, ſed neque Comes, vel alia vlla Poteſtas, eadem vendere, aut pretium pro eis accipere præſumat; qui præſumpſerit, communione privetur.*

1405 In ROMANO *ſub Nicolao II. anno* 1059. *Can.* 9. *Per Simoniacam Hæreſim nemo ordinetur, vel promoveatur ad quodlibet Eccleſiaſticū Officium.*

1406 In ROMANO *ſub Alexandro II. anno* 1063. adverſus Simoniacos ſeverius ſancitum legimus *Can.* 1. *Ergà Simoniacos nullam miſericordiam in Dignitate ſervanda habendam eſſe decernimus, ſed juxta Canonum Sanctiones, & Decreta SS. PP. eos omninò damnamus, ac in Eccleſia non præeſſe, Apoſtolica Authoritate ſancimus.*

1407 Et *Can.* 2. *Siquis autem in poſterum ab eo, quem Simoniacum eſſe*

non

non dubitat, se consecrari permiserit, & consecrator, & consecratus non disparem sententiam subeant, vt vterque depositus, agat pœnitentiam, & privatus ab ea propria Dignitate persistat.*

1408 In ROMANO V. *sub Gregorio VII. anno* 1078. *Can.* 3. *Siquis Præbendas, Archidiaconatus, Præposituras, vel aliqua Officia Ecclesiastica vendiderit, vel aliter quàm Statuta SS. Patrum præcipiunt ordinaverit, ab Officio suspendatur.*

1409 Et *Can.* 4. *Ordinationes, quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio alicuius personæ, ea intentione impenso, vel quæ non communi consensu Cleri, & Populi, secundùm Canonicas Sanctiones fiunt, & ab his, ad quos consecratio pertinet, non comprobantur, infirmas, & irritas esse, dijudicamus.*

1410 Ex hactenus dictis manifestè convincitur primò, quàm indigna, quamque execrabilis fuerit calumnia, qua Pseudo-Cardinalis Benno, istiusque sequaces moliti sunt purissimam Gregorii Pontificis Fidem, præclarumque illius nomen obnubilare, & opinionem obtenebrare Simoniaci impostura; cum vnus è præcipuis fuerit, qui huic nefando sceleri adeò viriliter suis Decretis obstitit, Simoniacamque Hæresim, quæ per Imperium, aliaque Christiani Orbis Regna fęde grassabatur penitus extirpare curavit. Convincitur secundò, quàm justè & æquissimè se gesserit in infligendis pœnis hujusmodi Decretorum transgressoribus; in hoc enim imitatus fuit glorioßissimos suos Prædecessores, se se que Sacris accomodavit Conciliorum Decretis Spiritu Sancto ductore conditis, in quibus nedum eædem pœnæ, sed & majores statutæ leguntur adversus eos, qui postposito Dei timore, contemptisque, ac post habitis Divinis supplitiis, quæ æternum numen in hujusmodi criminis reos omni tempore executum est, Ecclesiasticas Præbendas, & Dignitates simoniacè nundinabantur.

1411 Verùm vt luculentius demonstretur, quam optimo Jure sub gravissimis pœnis Simoniæ crimen noster Gregorius vetuerit, alios Conciliorum Gregorium Pontificem subsequentium Canones addere oportunum judicavimus, in quibus Summi Pontifices Gregorii Successores, Conciliaque illum subsequuta, turpissimum Simoniæ scelus sub eisdem, imò & gravioribus pęnis proscripsere.

1412 In CONCILIO MELFITANO *sub Vrbano II. anno* 1090. statutum legitur *Can.* 1. *Nè quis vlteriùs, dato, vel promisso, vel pretio, vel servitio, ea intentione impenso, vel precibus, Episcopalem nitatur assequi Dignitatem, nec vllus eam prætaxato tenore indulgeat. Hoc idem etiam de omni Ecclesiastica Dignitate, vel officio, Apostolicæ Potestatis Authoritate præfigimus; aliàs & dator, & acceptor proprii Ordinis Dignitate priventur.*

1413 In CONSTANTIENSI *sub eodem Vrbano anno* 1094. *Can.* 1. Simoniaca Hæresis damnatur. In Gallia *sub eodem Vrbano II. eodem anno* 1094. In CONCILIO OSTIONENSI *Can.* 1. Simoniaca Hæresis sub Excommunicatione improbatur.

1414 In CONCILIO PLACENTINO *sub eodem Vrbano anno* 1095. hoc Decretum legitur *Can.* 4. *Quidquid in Sacris Ordinibus, & in Ecclesiasticis rebus pecunia adquisitum fuerit, pro irrito habeatur, nulla sque vires habeat.*

1415 In ROMANO III. *sub eodem Vrbano anno* 1099. *Can.* 4. *Qui scienter se á Simoniacis Consecrari, imò execrari passi sunt, eorum Consecrationem omninò irritam esse decernimus.*

1416 In PICTAVIENSI *sub Paschali II. anno* 110. *Can.* *Nemo Episcopatum, Abbatiam, Archidiaconatum, Archipresbyteratum, vel alios Ecclesiasticos honores, vel Prælationes in duabus Ecclesiis exerceat, nisi in vna tantum, & neutram harum quisquam per pecuniam acquirat, & qui tali modo adquisiisse comprobantur, omni remota occasione deponantur.*

1417 In CONCILIO RHEMENSI *sub Calixto II. anno* 1119. *Can.* 1. *Siquis vendiderit, vel emerit per se, vel per quamlibet submissam personam Episcopatum, Abbatiam, Decanatum, Archidiaconatum, Presbyteratum, Præposituram, Altaria, vel quælibet Ecclesiastica Beneficia, aut quælibet Ecclesiastica Officia, & vendsē, & emens, Dignitatis, & Officii sui, ac Beneficii periculo subjaceat.*

1418 In LONDINENSI II. *sub Honorio II. anno* 1127. *Can.* 1. *Ecclesias, & Ecclesiastica Beneficia, seu quoslibet Ecclesiasticos honores, vendi, vel emi prohibemus. Qui verò hoc præceptum vio-*

lasse convictus fuerit, Clericus quidem, etiam si Canonicus Regularis sit, vel Monachus, ab Ordine deponatur; Laicus verò, exlex, & Excommunicatus habeatur, & ejusdem Ecclesiæ, vel Beneficii Potestate privetur.*

1419 In LATERANENSI III. VNIVERSALI X. *sub Innocentio II. anno* 1139. *Can.* 1. *Siquis simoniacè ordinatus fuerit, ab Officio omninò cadat, quod illicitè vsurpavit.*

1420 Et *Can.* 2. *Siquis Præbendam, vel Prioratum, seu Decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam Ecclesiasticam, seu quodlibet Sacramentum Ecclesiasticum, vtpote Chrisma, vel Oleum Sanctum, consecrationes Altarium, vel Ecclesiarum interveniente execrabili ardore avaritiæ per pecuniam acquisivit, honore malè adquisito careat, & emptor, atque venditor, & interventor nota infamiæ percellantur, & nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus consuetudinis, ante, vel post à quocumque aliquid exigatur, vel ipse dare præsumat.*

1421 In GERMANICO *sub Honorio III. anno* 1225. *Can.* 9. *Quidam Fundatores Ecclesiarum, vel Hæredes ipsorum, partem Decimarum, vel aliarum obventionum Ecclesiasticarum, in quibus Jus obtinent Patronatus, sibi retinentes ex pacto, repræsentant Clericos ad easdem. Decernimus, vt ex quo constiterit, Patronum hujusmodi flagitium perpetrasse, Anathemate feriatur; & ejus terra supponatur Ecclesiastico Interdicto, donec Ecclesiam liberam cum suo Jure dimittat.*

1422 Et *Can.* 10. *Qui verò taliter à Patronis præsentationem receperint, Officio, Beneficioque priventur, nec ad Beneficium, vel actus Ecclesiasticos admittantur, nisi cum eis per Sedem Apostolicam fuerit dispensatum.*

1423 In MOGVNTINO *sub Paulo III. anno* 1549. *Can.* 91. *Quicumque, vel muneribus, vel pollicitationibus, seu quibuscumque pactionibus, vnius, vel plurium sibi favorem conciliaverit, vt per eos ad Beneficium, seu Dignitatem qualemcumque promoveatur, eo ipso Excommunicationem incurrat, & reddatur inhabilis, nè ampliùs ad tale Beneficium, seu Dignitatem eligi, aut assumi possit; quod si assumptus, postea fuerit deprehensus, tales donationes, promissiones, seu pactiones fecisse, Beneficio sic occupato privari, & de Dignitate omninò deponi debet, &c.*

1424 Ex hucusque dictis clarè innotescit, quàm justè, ac sanctè Sanctissimus Pontifex Gregorius VII. Simoniæ vitio adversatus fuerit, illudque sub gravissimis pœnis interdixerit; cum tot Summi Pontifices, & Concilia, tàm ipsum antecedentia, quàm subsequentia, vniformiter sub eisdem, majoribusque pœnis prædictam pestem, mortiferumque virium extirpare contenderint, illudque tàm ab Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus penitus eliminare. Et vt clariùs appareat, quàm justa fuerit hujusmodi prohibitio, à Gregorio Pontifice decreta, eam non modò Conciliorum, Summorumque Pontificum testimoniis, sed etiam Sanctorum Patrum Authoritatibus stabiliemus.

§. III.

Quantum Summi Pontifices sacrilegam Simoniæ labem fuerint detestati ostenditur.

1425 SAnctus GREGORIVS MAGNVS, Præsidens *in Generali Romana Synodo anno* 5. sui Pontificatus celebrata tempore Mauritii, Tiberii, & Theodosii Imperatorum edidit *Canonem* 5. relatum *in cap. Antiquam Patrum Regulam*, &c. qui etiam reperitur inter ipsius Gregorii Opera *lib.* 4. *epist.* 44. Hujus Canonis occasionem enarrat JOANNES DIACONVS *in vita Sancti Gregorii lib.* 3. *cap.* 5. sic scribens: *Cum verò quosdam cognoscceret, ad evitanda Simoniacæ Hæresis crimina pestifera negotiationis munera, pastellaticũ* callidè vocitasse, ac hujusmodi mutato nomine suæ cupiditatis avaritiam velle contegere, prudentissimus Doctor Gregorius Sententiam, quam in primordio sui Pontificatus coram Synodo promulgaverat, iteratò protulit, dicens: Antiquam Patrum Regulam, &c. Hæc prior Gregorii Constitutio extat *lib.* 4. *Regesti epist.* 55. & *in cap.* 3. 100. *dist.* Adversus eamdem Simoniæ labem scripsit variis Præsulibus idem S. Gregorius *lib.* 4. *epist.* 51. 53. 55. & 56. *lib.* 5. *epist.* 1. *lib.* 7. *cap.* 5. 113. & 114. *lib.* 9. *epist.* 40. 51. 53. 54. *lib.* 11. *epist.* 46.

1426 DEODATVS Pontifex adversus sacrilegam Simoniæ labem, sic sanxit

cap.

cap. Si Dominus, de Simonia. * Si Dominus,& Magiſter omnium , qui ſine peccato fuit , accuſandi licentiam vni dedit,quantò magis vnius aſſertione convincendus eſt,qui Simoniæ labe dignoſcitur eſſe pollutus. Nõ igitur,& in tali negotio quilibet Catholicus eſt reſpuendus, ſed vt veritatem aſſerat, ad pellendam Simoniacam rabiem magnis precibus exorandus eſt.*

1427 S.Gregorius,Maximo,Præsũptorĩ, ideſt,intruſo,injuſtèque ordinato in Epiſcopatum, Eccleſiæ Salonitanæ , hæc notanda deſcripſit : *Quoties contra Eccleſiaſticam quid geſtum dicitur diſciplinam , nè nos ante Deum culpa redarguat, irrequiſitum hoc relinquere non audemus. Pervenit igitur ad Nos , quod per Simoniacam Hæreſim fueris ordinatus , ſed & alia de te multa hîc dicta ſunt , de quibus vnum , quàm maximè fuit , propter quod neceſſe habuimus te ſummopere per ſcripta noſtra prohibere, nê Miſſarum ſolemnia celebrare debuiſſes , donec quid eſſet veriùs potuiſſemus addiſcere , &c.* Hæc habentur *in epiſt. 3. lib. 5. Regeſt. D. Gregorii.*

1428 LVCIVS Papa eamdem Simoniacam luem perſtrinxit *cap. Sicut. Tit. de Simonia,cap.6.* dicens: *Sicut enim Simoniaca peſtis alios morbos vincit , ita ſine dilatione mox vt ejus ſigna per aliquam perſonam clarverint,de Eccleſia debet eliminari, atque propelli. Petrus enim, primus Paſtor Eccleſiæ,non alicujus hominis atteſtatione, ſed S. Spiritus inſpiratione Simonis interiora recognoſcens,ſine aliqua audientia,terribili eum,& repentina morte mulctavit.*

1429 ALEXANDER III. *in Turonenſi Concilio* ſic decrevit: *Quia non ſatis vtiliter avaritia in Populo redarguitur, ſi ab iis , qui in Clero conſtituti videntur, & prĕcipuê contempto ſæculo Religioſorũ nomen profitentur,Regula modis omnibus non cavetur: Prohibemus nè ab eis, qui ad Religionem trãſire voluerint, aliqua pecunia requiratur, nè vè Prioratus, vel Capellania quælibet Monachorum,vel Clericorum , annua diſtractione vendatur, neque ab eo cui regimen ipſarum committitur, ex earum omiſſione pretium exigatur. Hoc Simoniacum eſſe , SS. Patrum Authoritas manifeſtè declarat : vndê quiſquis hoc de cætero attentare præſumpſerit,tàm qui dederit , quàm qui receperit , partem ſe cum Simone non dubitet habiturum. Pro ſepultura quidem , & Chriſmatis , & Olei perceptione , nulla alicujus pretii exactio intendatur, nec ſub obtentu cujuſquàm conſuetudinis reatum ſuum aliquis tueatur; quia diuturnitas temporis non minuit peccatum , ſed auget.*

1430 Ipſe Pontifex idipſum *in Lateranenſi Concilio* decrevit , vt videre eſt *in cap. Cum 8. Tit. de Simonia* , vbi hæc leguntur: *Cum in Eccleſiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari , & quod gratis receptum eſt gratis impendi, horribile nimis eſt , quod in quibuſdam Eccleſiis locum venalitas perhibetur habere , ita vt pro Epiſcopis , vel Abbatibus, ſeu quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis ponendis in Sede , ſeu introducendis Preſbyteris in Eccleſiam , &c.* (Nè igitur hoc de cætero fiat diſtrictiùs inhibet Pontifex , dicens:) *Siquis autem contra hoc venire præſumpſerit , portionem cum Giezi ſe noverit habiturum, cujus factum exactione turpis muneris imitatur.* Idem Pontifex contra Simoniam ſtatuit titulo de Simonia *cap. 9.* in reſcripto ad Vigilienſem Epiſcopum. Idem Pontifex ad Toletanum Archiepiſcopum reſcribens *cap. De hoc autem* ſub eodem *Tit. de Simonia* , & ad Eboracenſem Antiſtitem *cap. Cum eſſent. 1. & cap. Quærelam 14. cap. Ea, quæ 15. cap. Ex diligenti 16. cap. Etſi quæſtiones, & cap. Veniens , ſub eodem tit. de Simonia* ; in quibus omnibus ſacrilega Simoniæ labes omninò prohibetur.

1431 Et nè longius,quàm par eſt,progredi videamur, loca tantummodo attingemus,in quibus cæteri Pontifices obominandum iſtud Simoniæ ſcelus penitus exterminare conati ſunt, præſertim LVCIVS Papa *in Reſcripto ad Spalatenſem Archiepiſcopum , cap. de Simoniacè ordinatis* 21.Idem Pontifex *cap. Matthæus* 22. *ſub eodem titulo;& cap. Ad aures* 23. *ſub eodem tit.* CLEMENS III. *de Regularibus , cap. 24. de Simonia.* Idem CLEMENS *cap. ex Inſinuatione* 25. *eodem tit.* CÆLESTINVS III. *Cap. Nobis* 26. & *cap. Dilectus* 27. *ſub eodem tit.* INNOCENTIVS III. contra Simoniam multa ſtatuit,vt videre eſt *in cap. Suam 8. tit. de Simonia , & cap. Dilectus 29. cap. Licet 30. & cap. Per tuas 31. & cap. Sicut nobis 32.* & in aliis quam plurimis capi-

tibus sub eodem tit. de Simonia, & præsertim *in cap. Sicut pro certo. In Concilio Lateranensi sub eodem tit.* quod & confirmavit HONORIVS III. *in cap. 2. hoc tit. in 5. collect.* GREGORIVS IX. *in cap. Iacobus* 43. & *in cap. Siquis ordinaverit* 44. & *in cap. Mandato nostro* 45. *sub eodem tit. de Simonia.*

1432 Vndè colligitur, quantum per tot retro sæcula execrati fuerint Summi Pontifices detestabile Simoniacam istam rerum Sacrarum, & Ecclesiasticarum venditionem. Et quamvis hucusque Suprema Summorum Pontificum, & Conciliorum Authoritate nostram Conclusionem probaverimus, non desunt rationes ad suadendam, & ostendendam summam æquitatem, qua tàm Gregorius VII. quàm cæteri Pontifices moti fuerunt ad execrandum istud Simoniæ scelus sub gravissimis pœnis prohibendum, illudque à toto Christiano Orbe penitus exterminandũ.

§. IV.

Quàm æquissimis ducti fuerint momentis Summi Pontifices, Sacraque Concilia vt Simoniacam pestem vetarent.

1433 MVltis de causis Sancti Patres potuerunt adduci, vt detestabile Simoniæ crimen penitus ab Ecclesia eliminarent. Prima desumitur à turpi illius origine: Simoniam enim à Simone Mago suam traxisse originem, communis fert Doctorum consensus; hanc autem originem turpissimam esse, non est dubium, cum Simon Magus primus Hæreticus fuerit, qui non solùm se esse Deum asseruit, atque ita adeò Romanam Civitatem seduxerit, vt ei Claudius Imperator statuam in Tyberis ripa inter duos pontes erexerit, cum hac inscriptione: *Simoni Deo Sancto*, vt testantur S. IVSTINVS Martyr *Apolog. 2.* ALOIX *in vita ipsius Sancti, cap. 5.* & TERTVLLIANVS *in Apologia*; verùm etiam animum habuerit emendi à D. Petro donum conferendi Spiritum Sanctum, hoc est, Sacram Ordinationem, vt ipse eam aliis venderet, credens donum Dei pecunia possideri posse; vt APOSTOLORVM ACTA testantur *cap. 8.* & expressit CASSIODORVS *lib. 9. variarum, cap. 15.* dicens: *Recolatur, & timeatur Simonis justa damnatio, qui emendum credidit totius largitatis Authorem.* Vndè tale crimen perpetrantes *Simoniaci*, tamquam Simonis discipuli, dicti feruntur *cap. Qui studet. Cap. Salvator. Cap. Reperiuntur, quæst. 7. Cap. Quidam, §. Simoniaci 24. quæst. 3. lib. 1. tit. 27. part. 1.* Et docuerunt D. Ambrosius *de Pœnitentia.* D. THOMAS 2. 2. *quæst. 100. in 4. dist. 25. & quodlib. 2. & 18.* REDOANVS *de Sim. 1. part. quæst. 1.* LESIVS *de Iustitia & Iure, lib. 2. cap. 35.* SVAREZ *de Relig. tom. 1. tract. 4. de Simonia, cap. 5 1.* Illustrissimus ARAVJO, Segobiensis Episcopus, *in quæst. Moral. disp. 4. part. 2. art. 1.* & communiter Summistæ *verbo: Simonia.*

1434 Nec obstat ante Simonem Magum Simoniam extitisse videri; cum ante ipsum, Balaam suas operas locarit, vt Populum Dei benediceret *Num. 21.* & refertur *in cap. Sicut 3. 2. quæst. 7. & lib. 4. Reg. 5.* Giezi à Naaman Principe Assyriorum, quem Eliseus à lepra mundaverat, duo talenta accepisse; & de Jeroboam *lib. 3. Regum, cap. 13.* scribitur, quod quicumque implebat manum suam, fiebat Sacerdos, & quod propter hanc causam peccavit Domus Jeroboam, & eversa est, & deleta de superficie terræ; & similiter *lib. 2. Machab. cap. 4.* de Jasone, Oniæ Summi Pontificis fratre dicitur, quod Antiochum Regem adiit, eique argenti trecenta sexaginta talenta, vt summum adipisceretur Sacerdotium, promisit.

1435 Hæc, inquam, officere nequeunt, nè dicamus, Simoniam à Simone Mago originem traxisse. Tùm quia illi verè Simoniaci non fuerunt, vt quàm plurimi probant, præsertim GIBALINVS *de Simonia, quæst. 6. consect. 4. & 16.* Tùm, quia ipse Simon non solùm emere, verùm & vendere gratiam Spiritus Sancti intendebat, vt ex SS. Patribus probabimus infrà, & expressè docet D. THOMAS 2. 2. *quæst. 100. de Simonia, art. 1. ad 4.* dicens: *Quòd Simon Magus ad hoc emere voluit Potestatem Spiritualem, vt eam postea venderet. Dicitur enim 1. quæst. 3.* quod Simon Magus donum Spiritus Sancti emere voluit, vt ex venditione signorum, quæ per eam fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur: & sic illi, qui Spiritualia vendunt, conformantur Simoni Mago in intentione, in actu verò illi, qui emere volunt; illi autem qui vendunt in actu, imitantur Giezi, discipulum Elisei, de quo le-

legitur 4. *Regum* 5. quôd accepit pecuniam à leproso mundato : Vndè venditores Spiritualium possunt dici , non solùm Simoniaci , sed etiam Giezitæ.* Hæc Sanctus , de quo latè differit *in eadem quæst.* viderique possunt alii Authores ipsum sequentes , idemque sentientes , vt Suarez *vbi suprà* BINSFELDIVS *in Rubrica de Simonia* LOTHERIVS *de Re Beneficiaria , lib. 3. quæst. 29. & lib. 4. quæst. 1. num. 3.* & alii quàm plurimi, quos brevitatis gratia omittimus.

1436 Secunda causa desumitur ex nominibus, quibus hoc detestabile vitium à Sanctis Patribus nuncupatur ; dicitur enim absolutè *LABES, cap. Sicut, & cap. Tãta, tit. de Simonia*, cujus nominis rationem illustrat GAMARO *in Extravaganti Iulii 2. tom. 5. num. 177. repetit. LEPRA* dicitur *in cap. Cum ordinarent. 11. quæst. 1. PIACVLARE FLAGITIVM, in cap. Quisquis eadem quæst. VVLNVS CANCEROSVM, in cap. Reperiãtur 1. quæst. 1. SACRILEGIVM, in cap. 1. 1. quæst. 3.* Cũ veraciter sit profanatio rei Sacræ per voluntariam commutationem , vt explicat GIBALINVS. *RABIES* dicitur *in cap. 3. tit. de Simo. HORRIBILE CRIMEN, in cap. In Ecclesia , eodem tit.* & *HÆRESIS* , & Simoniaci , *HÆRETICI* dicuntur *in cap. Presbyter 1. quæst. 1.* quod perperam *ex Regesto S. Gregorii* citat GRATIANVS, cum in eo non reperiatur, sed *apud Gregorium VII. lib. 6. Regest. in Indice Concilii tunc habiti, & in cap. Ligueat 13. cap. 21. & 107. 1. quæst. 1. cap. 3. & final. 1. quæst. 7.* CONCIL. MELDENSI *cap. 42.* TVRONENSI *sub Carolo, Can. 15.* RHEMENSI *Can. 21.* MAGVNTINO *sub Rabano , Can. 12.* MAGVNTINO *sub Arnulpho , Can. 6.*

1437 Non autem ideo Simoniaci Hæretici dicuntur vt GERSON *tract. de Simo. consider. 7.* & alii cẽsent, quia Simoniaca labes per se sit Hęresis; nam cõstat, aliquem esse Simoniacum ex sola depravatione affectus per avaritiam, remanente judicio recto intellectus; sed præsũptione Juris, vel Operis; quia cum putent , spiritualia esse venalia, in fide suspecti habentur , vt explicant benè HALLIER *de Simon. sect. 7. art. 2. §. 2.* MENOCHIVS *lib. 5. de Præsumpt. præsumpt. 7. num. 30.* SIMANCAS *de Catholicis Præscript. tit. 31.* SOTVS *lib. 5. de Iustitia, & Iure, quæst. 9. art. 1.* quia perinde se gerunt , ac si de Fide malè sentirent, vt animadvertit D. GREGORIVS *lib. 9. epist. 53. ad Theodoricum Regem.*

1437 Verùm *Simoniam* non modò Hæresim , sed & *Macedoniana Hæresi damnabiliorem* dixit THARASIVS, relatus *in cap. Eos 1. quæst. 1.* & D. THOMAS eum explicat *2. 2. quæst. 100. art. 1. ad 1. & Hæresim teterrimam esse* , docet GOFRIDVS VINDOCINENSIS *in opusc. de Simon.* & omnium *Hæresim prodromam* esse tradit S. GREGORIVS VII. *lib. 11. epist. 34.* vbi dicit , hanc Hæresim ante omnes alias radice pestifera in Ecclesiam irrepsisse , atque in ipso portu Apostolico maledictionis telo esse damnatam. Idolatriæ verò specimen præsefere Simoniam docuit idem S. GREGORIVS *lib. 9. epist. 53.* rationem reddens his verbis: *Cum enim omnis avaritia Idolorum sit servitus, quisquis hanc, & maximè in dandis Ecclesiasticis honoribus vigilanter non præcavet , infidelitatis proditioni subiicitur , etiam si tenere Fidem, quam negligit , videatur.* * Simoniam etiam, crimen esse omnium maximum dixerunt PASCHALIS 2. *in cap. final. 1. quæst. vlt.* ibi: *Simoniaci primi, & præcipui sunt Hæretici; omnia etiam crimina ad comparationem Simoniacæ Hæresis, quasi pro nihilo reputantur.* * LVCIVS III. *in cap. Simoniaca.* INNOCENTIVS III. *in cap. Per tuas, tit. de Simonia.* Cujus dicti ratio peti potest ex D. AMBROSIO, relato *in c. Citó, 1. quæst. 1.* quod benè explicat HALLIERIVS *dict. sect. 7. art. 2.*

1438 Vndè cum hoc crimen propriè sit contra Spiritum Sanctum , hinc S. PETRVS DAMIANI *epist. 1. cap. 7.* refert Simoniacum quemdam scelus suum parvipendentem , jussum pronuntiare Dorologiam S. Trinitatis. *Gloria Patri , & Filio & Spiritui Sancto* , nequivisse dicere, *& Spiritui Sancto*, sed tãtùm *Gloria Patri, & Filio*, etiam si secundò, & tertiò idẽ iterãdo conatus fuisset addere, *& Spiritui Sancto* , sed frustrà , nam, vt subdit S. Card. DAMIANI : *Meritò Spiritum Sanctum dum emit , amisit , vt qui exclusus erat ab anima , procul etiam consequenter esset à lingua.* * Hinc rursum HENRICVS II. Imperator *anno Domini* 1047. ob Simoniæ labem à Spiritu Sancto desertus , professus est , se toto triduo demones vidisse, flammam in se per fistulam jacu-

lantes adeò pertinacem, vt noster ignis in comparatione illius, jocus putaretur, & nihil calere: sed liberatum fuisse à juvene semiustulato, scilicet à S. Laurentio, cujus Ecclesiam restauraverat. Hæc habentur ex VVILLELMO MALMESBVRIENSI, & MATTHÆO VVESTMONASTERIENSI. Idem testatur Card. BARONIVS *tom.* 11. aliaque horribilia exempla hujus teterrimæ labis Simoniæ referuntur ab Illustrissimo VILLAROEL *par.* 1. *Regim. Eccles. q.* 1. *art.* 13. BEYERLINCH, *in Teatro Vitæ Humanæ verbo Simonia* & aliis, quos brevitatis causa omittimus.

§. V.

Quodnam Sancti Patres, & Doctores de sacrilego Simoniæ crimine judicium tulerint.

1439 CVm de abominanda Simoniæ nomenclatura, ex gravissimis Authoribus suprà summatim relatis, & præsertim ex his, qui in Canonico Jure continentur, hactenus dixerimus, videndum modò restat, quale de tanto crimine alii expressius judicium ferant.

1440 S. BASILIVS *epist.* 76. de Simoniaca labe, & præsertim de Simoniacis negotiatoribus, hæc, inter alia, tradit: *Putant, se nihil delinquere, quod non ante, sed post manuum impositionem pecuniam recipiunt; at pecuniam accipere, accipere est, quandocumque fiat. Horror itaque, vt quęstum hunc, imò transitum ad gehennam declinetis: nec manus tali lucro polluentes indignos vos ad tractandum Sancta Mysteria constituatis.*

1441 Hùc præclarè facit gravissimum illud judicium, quod adversus Ephesinum Episcopum Simoniacum tulerunt viginti Patres, qui in Synodo, Præside S. Joanne Chrysostomo, convenerunt, eis enim non qualiscumque contra Religionem culpa visa est, quæ per Simoniam in Beneficio admittitur, sed longè suprà cætera sacrilegia eminere hanc profanitatem, censuerunt, vt scribit *in Dialog. de Vita Chrysost.* PALLADIVS. *Cum enim Eusebius Valentinopolitanus Episcopus libellum obtulisset contra Antoninum Ephesinum Episcopum, septem atrocibus culpis gravantem prædictum Antoninum; nam & fusis sacris vasis, argentum in nomine filii deposuisse dicebatur, & sumptum de ingressu Baptisterii marmor in suo balneo posuisse, & columnas Ecclesiæ subductas intra suum erexisse triclinum; & cædem à ministro suo patratam dissimulasse, & prædia à Basilica Juliani Augusti matre Ecclesiæ relicta, vendidisse, accepto sibi pretio, & liberos ex vxore, quam inauguratus abjecerat denuò procreasse, & pro modo redituum vendidisse Beneficia. Hæc cum Eusebius in Antoninum intorsisset, & causa discutienda seriatim esset, Episcopi seniores, reliquo suffragante cętu, dixerunt Sancto Chrysostomo.* Etsi vnumquodque Capitulum per se impium est, & vndique Sacris legibus interdictum, nè tamen videamur, in his, quæ suggesta sunt nobis, omne studium ponere, ab eo, quod est horribilius dictu, fiat inquisitionis initium; si enim illud inventum fuerit verum, nulla de Capitulis reliquis erit controversia, cum Capituli illius radix omnem præ se iniquitatis speciem ferat, juxta illum, qui ait: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Qui enim super innocentem accipit munera, & Sancti Spiritus largitionem pecunia se vendere putat, quo pacto jam parcet ornamentis, aut lapidibus, aut fundis Ecclesiæ?* En quam insectamur Simoniam in omnium vertice sacrilegiorum positam horum Patrum Sententia, dùm nihil infandi sacrilegii veriturum æstimant, qui Spiritus Sancti munus, Sacræ rei consertum, pecunia duxerit æstimandum.

1442 Notandum admodum est quod expendit S. Irenæus, Lugdunensis Antistes, *lib.* 1. *cap.* 20. vbi de turpissima Simoniæ origine agens, hæc habet: *Simon, qui Fidem simulavit, putans Apostolos, & ipsas sanitates per magiam, & non virtute Dei perficere, & per impositionem manuum Spiritu Sancto adimplere credentes Deo per eum, qui ab ipsis evangelizatur IESVS CHRISTVS per majorem quamdam magicam scientiam, & hoc suspicatus fieri, & offerens pecunias Apostolis, vt acciperet & ipse hanc Potestatem, quibuscumque velit dandi Spiritum Sanctum, audivit á Petro: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri;* & cum adhuc Magus non credidisset Deo, & cupidiùs intendit contendere adversus Apostolos,

vt

vt ipse glorioſus videretur esse, & vniverſam magiam adhuc ampliùs inſcrutans, ita vt in ſtuporem cogeret multos homines, docuit ſe esse ſublimiſſimam virtutem.*

1443 Nec in ſacrilegi hujus criminis deteſtationem ſilentio prætereũdum, quod Adriano Pontifici I. ſcribit S. THARASIVS, Patriarcha Conſtantinopolitanus, *in Litteris poſt VII. Synodum extantibus*; ibi enim hæc, inter alia, leguntur: *Tolerabilior eſt Macedonii, & eorum, qui circa ipſum ſunt, Spiritus Sancti impugnatorum, impia Hæreſis. Illi enim creaturam, & ſervum Dei, ac Patris, Spiritum Sanctũ fatentur: iſti ſui ipſius, vt autumant, eum ſervum efficiunt. Omnis enim Dominus quod habuerit, ſi voluerit venundat, ſive ſervum, ſive aliud quid eorum quæ poſſidet. Similiter, & qui emit, dominus volens esse ejus, quod emerit, per pretium, pecunia illud acquirit. Ita & qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui Sancto, æqualiter peccantes, his, qui blaſphemant, dicentes: *In Beelzebub eiicere demonia CHRISTVM*, atque, vt veriùs dicamus, Judæ comparantur traditori, qui Dei occiſoribus Judæis pretio argenti CHRISTVM venundedit.* Quas Litteras in ſuis ad S. Gennadii, Patriarchæ Conſtantinopolitani Epiſtolam commẽtariis laudat THEODORVS BALSAMON, ac ſuo Decreto inſeruit GRATIANVS 1. *quæſt.* 1. *cap. Eos, qui* 21. Inſeruit & hocce Paſchalis, ſive primi, ſive ſecundi Pontificis Decretum: *Omnia crimina Simoniacæ Hæreſis comparatione pro nihilo reputantur.*

1444 Omnis pecuniæ influxus ad Sacras electiones, vel aliquid aliud æquivalens, eſt ſummoperê tamquam quid Simoniacum, vetitum; id quod à Rege ATHALARICO, quamtũvis Hæretico, agnitum fuit, teſte CASSIODORO *lib. 9. epiſt.* 15. Vndè Jure optimo SYNODVS *in Villa Sparnaco ſub Carolo Calvo* ad hanc Simoniæ labem exterminandam, *cap.* 43. hæc ſtatuit: *Cavendum, & ſummoperê præcavendum, ac per virtutem CHRISTI Sanguinis interdicendum, & Epiſcopis, & omnibus ſublimioribus Poteſtatibus, atque cunctis fautoribus, & Electoribus quorumcumque, atque conſenſoribus in gradu Eccleſiaſtico, vt nemo per Simoniacam Hæreſim regiminis locum obtineat, quacumque factione, calliditate, promiſſione, ſeu commoditate, aut donatione per ſe, aut per emiſſam perſonam; cum Spiritus inter cætera documenta Eccleſiaſtica per os Sancti dicat Gregorii: *Cur non perpenditur; quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc, vt fiat Hæreticus, promovetur?**

1445 In execrabile iſtud Simoniæ crimen egregiè facit illud Sancti Cardinalis PETRI DAMIANI hæc ſcribentis *opuſcul. 6.* cui titulus eſt: *Gratiſsimus; & lib. 1. epiſt.* 13. *Cum aliquid ſub venalitate ſuſcipitur, & illud proculdubio comparatur, quod ex neceſſitate conſequitur; ad hoc enim Paſtoralis Eccleſia cuique committitur, vt ad ejus regimen obtinendum conſecratione firmetur, & ad hoc ſine dubio collatæ pecuniæ commercium ſpectat, ad quod is, qui eſt promovendus, aſpirat. Hinc eſt planè, quòd non ſolum, qui majoribus præferuntur Eccleſijs, ſed & illi quoque, qui vel plebes agrorum, vel Canonicales Præbendas per interventum pecuniæ peſtilenter accipiunt, Simoniacæ Hæreſeos tendiculas non evadunt: per id enim, quòd venaliter aſſequuntur, ad Sacrorum graduum Ordines tendunt, & tunc jam deſtinantur ad Ordines, cum illa ſuſcipiunt, per quæ ſcilicet ad obtinenda Sacrorum graduum incrementa pertingunt; initiatur enim ad Dignitatis Ordinem, qui ad obtinendam Ordinis conſtituitur Dignitatem.*

1446 Sed in Simoniacam iſtam labem expreſſiùs invehitur *opuſc. 30. cap. 1.* dicens: *Anathematizamus itaque, & irrecuperabiliter condemnamus Simoniacam Hæreſim, primam omnium Hæreſeon, ex imis diaboli viſceribus erumpentem, ſeſeque adverſus naſcentis Eccleſię Regulam exitialiter extollentem, quæ nimirum adhuc ex ipſo diaboli felle progreditur, & in perditionis filios peſtilentiſſimè derivatur. Cujus ſcilicet Authori per Petrum dicitur: *In felle amaritudinis, & in obligatione peccati video te eſſe.* Quia verò fel Columba non habet, Spiritus autem Sanctus in Columbæ ſpecie ſuper Dominum venit, is, qui amaritudine fellis intumuit, Columbini Spiritus capax esse non potuit: quapropter omnes hujus nefandæ Hæreſeos peſte correptos, Hæreticos esse indubitanter aſſerimus.* Idem Sanctus *opuſc. 6. cap. 30*: *A Simoniacis, inquit, Hęreſeos notam propulſare non poſſumus.* Apud eumdẽ GVIDO,

DO, MEDIOLANENSIS ANTISTES Simoniacam rerum Sacrarum venalitatem, appellat Hæresim, necnon ARTALDVS DIACONVS, ibidem adductus; & apud eumdem S. ROMVALDVS *in ejus vita, cap.* 35. & à JOANNE SARISBERIENSI *lib.* 7. *Polcrat. cap.* 19. idem traditur.

1448 Ipse S. Cardinalis *eodem opusc. 6. cap.* 37. in eosdem Sacrorum prophanatores sacrilegos Sancto Zelo acriter invehitur: *Affluite nunc divitiis, constipamini tumescentes obsequentium cuneis, propè est, vt videatis omnes Angelorum exercitus adversum vos vehementer iratos, Apostolos, Martyres, omniumque Sanctorum agmina contra vos terribiliter insurgere, & in damnationis vestræ sententiam concordi simul, ac parili judicio convenire. Illum quippè habetis offensum, atque ideò consequenter infestum, cujus offensio neque hìc remittitur, neque in futuro; immanitate porrò cruenti, ac sceleratissimi criminis vestri adulteros vincitis, homicidas exceditis, raptores, sacrilegos, incestos, parricidas, atque omnium penè reorum flagitia superatis; adhuc parum est: Nam si res digna, vt est, existimatione perpenditur, ipsa Judaica perfidia, omnisque prorsus Hæretica pravitas vestris excessibus non æquatur. Orta ex vobis nox in meridie, tempestas in serenitate, fit vobis cœlum ferreum & terra ænea; quia & ad superna mole nequitiæ non assurgitis, & inter omnes, quod conscientia teste commissum est, non celatis.*

1449 Lectu admodum digna sunt verba, quibus S. BERNARDVS conqueritur de quorumdam Ecclesiasticorum ambitu, & superbia, qui Ecclesiastica Officia adulatione nundinantur, vt media Simoniaca negotiatione, non tamquam boni Ecclesiastici vivant, sed pompa, & profanitate, ab Ecclesiastico statu penitus eliminanda, vitam agant: *Serpit hodiè, inquit Sanctus, putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quo latiùs, eò desperatiùs, eoque periculosiùs, quò interiùs. Nam, si insurgeret apertus inimicus Hæreticus, mitteretur foras, & arescceret*: si violentus inimicus, *absconderet se forsitan ab eo*: nunc verò quem ejiciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici; omnes necessarii, & omnes adversarii; omnes domestici, & nulli pacifici; omnes proximi, & omnes, quę sua sunt quęrunt; Ministri CHRISTI sunt, & serviunt Antichristo. Honorati procedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Indè is, quem quotidiè vides meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus; indè aurum in frenis, & calcaribus, & plus calcaria, quàm Altaria fulgent. Indè splendidę mensæ & cibis, & scyphis, indè comessationes, & ebrietates, indè cithara, & lyra, & tibia, indè *redundantia torcularia, & promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud.* Indè dolia pigmentaria, indè referta marsupia. Pro hujusmodi volunt esse, & sunt Ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi; nec enim hæc merito cedunt, sed negotio illi, quod *perambulat in tenebris.**

1450 Hûc spectat illud S. CYPRIANI; *qui Sermon de jeiun. & tentat.* in Simoniacam luem expressiùs invehitur, dicens: *Etiam in sinu Sacerdotum ambitio dormit: ibi sub vmbra recubat in secreto calami, & fraudulenter occultat. Simon Apostolorum temporibus venalem putans Spiritum Sanctum, Petrum donis aggreditur, & tentat emere potestatem, per quam plura lucretur. Hæc sacrilegii forma per omnia Officia, graduque discurrit, & nihil intentatum ambitio prætermittit. Nec dubitet quisquam diaboli hæc esse negotia, & nundinationes ejus, quicumque hæc exercent commercia, nec quicquam hujusmodi ab eo, nisi præmissa apostasia, donari.**

1451 Circa Simoniacam in Ecclesiastica Beneficia irruptionem, duximus producenda ea, quæ Sanctus Bernardus addit iis, quæ ex ipso diximus, Simoniam scilicet intelligi per *negotium perambulans in tenebris*, vt apertissimè liquet ex his, quæ subdit, memoratu digna: *Olim prædictum est, & nunc tempus adimpletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima*; (agit de Ecclesiæ statu.) Amara priùs in nece Martyrum: amarior post in conflictu Hæreticorum; amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest, ita invaluerunt, & *multiplicati sunt super numerum.* Intestina, & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideo *in pace amaritudo ejus amarissima.* Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax. Pax à paganis, & pax ab Hæreticis; sed non pro-

fe-

fectò à filiis. Vox plangentis in tempore isto: *Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me: spreverunt*, & maculaverunt me à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi commercio, à *negotio* denique *perambulante in tenebris.** En turpe commercium, & nundinationem Sacrarum Dignitatum, vel Beneficiorum, clam, & in tenebris peractam, ex superbia, & ambitione Clericorum ea captantium.

1452 Nec silentio præteriri potest judicium, quod tulit magnus RVPERTVS ABBAS de gravissimis damnis, & nocumentis, quæ in Ecclesia affert Ecclesiasticorum Beneficiorum, & Dignitatum sacrilega nundinatio, quorum præcipuum est, quòd malis Ministris contaminetur Ecclesia. Vndè *lib. in Iosue, cap.* 21. optimè raciocinatur quòd turbat Ecclesiam turbatione magna, eique consimili, qua Achan, auri cupidus, turbavit Israelem, accipiens de anathemate, cui est persimile aurum mundi, quod in Baptismo anathematizamus. *Ecce autem (exclamat Venerabilis Rubertus) de nobis exierunt quam plurimi imitatores Achan de Tribu Iuda, qui videlicet, Fidem profitentes Catholicam, quod est esse, vel dici de Tribu Iuda (Iuda quippè *confessio* interpretatur) tulerunt de ipso anathemate, & furati sunt, atque mentiti, & absconderunt, atque inter vasa sua reposuerunt. Dùm enim sub specie pietatis pulchri incedentes, atque religiosi, avaritiæ student, quæ est simulacrorum servitus, & cuncta militiæ spiritualis faciunt venalia, quid aliud, quàm Anathema furantur, & mentiuntur, & abscondunt inter vasa sua, imò inter conscientias suas, hanc malitiæ radicem, & hujus fellis amaritudinem?

1453 Primò in Simone Mago per os B. Petri Apostoli Vniversa CHRISTI Ecclesia terribiliter anathematizat, & Hæreticam esse hydriam judicat. *Non ergo* (inquit Dominus) *poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet; quia pollutus est anathemate.* Vbi enim in Sacerdotibus, vel eis, qui præsunt avaritia regnat, & Principatum obtinet pecunia: hi, qui sunt Israel, arma virtutum contra vitia tenentes, &, prout oportet, arguere, obsecrare volentes, stare non possunt contra hostes liberè; repugnant quippè, quos pecunia tuetur, vt de vitiis suis aliquando non saltem impunè arguantur.

1454 Vndè & apud Evangelistam Matthæum pulchro mysterio dictum tenemus; quia cum Dominus noster facto de funibus flagello vendentes, & ementes de Templo ejecisset, tùm demum *accesserunt cæci, & claudi ad eum in Templo, & curavit eos.* Nō priùs cæcos, & claudos curavit, quàm illos latrocinantes de spelunca ejecit; quia videlicet, non vitia curari, nec possunt virtutes illustrari, nisi prius Mammon de cordibus Sacerdotum, aut ipsi Sacerdotes cum illo Deo suo, de Templo Dei fuerint ejecti. Hoc, inquam, futurum erat, & idcircò vtiliter præmonstrandum erat, in illo vno Achan, qualis, & quanta secundum nomen ejus, quod interpretatur *Tumultus*, vel *Turbator*, cunctis imitatoribus ejus turbatio, vel pœna sit reposita. Accedit, quod causa sunt ruinæ Populi Sacerdotes mali, vt in hanc ipsam rem dixit S. Gregorius IX. *Epist. 63.* Quis enim pro Populi se peccatis intercessor obiiciat, si Sacerdos, qui exorare debuerat, graviora committat?* Hactenus RVPERTVS.

1455 Alludit ad illud Sacerdotis HELI ad filios degeneres, & irreligiosos: *si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* At non minor est irreligiositas sacrorum hominum, si Simoniaco felle polluti sint. Quomodo ergo orabunt pro Populo ipsique placabunt Deum, qui ipsum Deum offensum habent? Vndè meritò S. GREGORIVS cladem vniversæ Provinciæ, ac Regno ab hac nequitia timebat. Nam quid aliud manet, Provinciam, ac Regnum, cui Deus pro quotidianis culpis non placatur præter exitium præsentissimum, certamque ruinam? Non placatur autem, vbi tales erunt sacri homines, qui jus ad sacra ministeria, Dei placativa, comparent pecuniis, venditurі mox, quod emerint, vt S. GREGORIVS benè advertit, & de Simone Mago dixit S. AVGVSTINVS *tract. 10. in Ioannem.* Tanti est per sacrilegam, & irreligiosam profanitatem pessumdedisse, & in vilitatem, ac nihilum dejecisse cultum Dei, eique addictam Religionem, transmutando sacros homines, & plebis, ac Dei destinatos mediatores, in fœdos nundinatores, ac turpis lucri cupiditati res sacras miserè postponentes mercatores.

1456 Prædicta eleganter confirmat il-

illa exclamatio, & justissima indignatio piissimi Scriptoris PETRI BLESSENSIS contra execrabile Simoniacæ Sacrorum venditionis vitium *epist.* 120. *adversus Nepotem Decani Turonensis*, præ superbia Simoniacum infamem. *O negotiatio detestandalpro honore transitorio animam perdere, tantumque pecuniæ numerare pro reditu, quantum de obventionibus ejus non possit per quinquennium obvenire! De animæ perditione, aut salute taceo; nam de anima vltima quæstio est apud Deum. Non attendit miserrimus quid super eum cogitet *terribilis in consiliis super filios hominum* Deus. Quis scit, si hodie, vel cras subitatio mortis eum rapiat, & non sit, qui eripiat? sic nè illum dementavit ambitio, vt per fas, & nefas Ecclesiarum Personatus acquirat, nec proponat Deum ante conspectum suum, nec vereatur judicia Dei, nec illud saltem tonitruum Divinæ indignationis attendat: *stultè, hac nocte repetent animam tuam, & quæ parasti, cujus erunt?* Infelix ob inanis gloriæ ventum suam animam jugulat.*

1457 GOFFRIDVS VINDOCINENSIS *Opusc.* 3. censet Simoniacam Sacrorum nundinationem Hæreticæ pravitatis turpitudine maculari. *Nihil aliud, inquit, propriè Hæresis dicitur, nisi quod à Patris vnitate Filium, sive Spiritum Sanctum conatur separare, vel Personarum alteram altera minorem, vel majorem asserere. Igitur Simon Magus non tantùm Hæreticus, sed Hæreticorum primus, & pessimus extitit; qui non solùm à Patris æqualitate separari posse Spiritum Sanctum existimavit, sed etiam ipso Spiritu Sancto major esse, præsumptuosè tentando cupivit; nam cum se posse pecunia possidere Spiritum Sanctum putavit, quid appetiit aliud, nisi vt Spiritu Sancto major ipse haberetur, cum major sit qui possidet, quàm quod possidetur? Cum itaque Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Personas inæquales quilibet nititur adstruere, ratione pariter, & Authoritate Hæreticus habeatur: Multò magis Simon Magus, qui Spiritum Sanctum, Deo Patri, & Filio æqualem per omnia, sibi pecunia subjicere tentavit, Hæreticus; & Simonia, quæ ab ipso inventa est, & ab eo dicitur, Hæresis comprobatur.*

1458 Nec vt Simoniaci tantam pœnam eis à Deo, & Ecclesia comminatam effugiant, sufficit, ad aliquos pietatis prætextus, aut celatam eleemosynæ obrumbrationem confugere; hujusmodi enim conatus eleganter reiicit S. BASILIUS, suprà laudatus, *epist.* 70. dicens: *Feruntur quidam ex vobis ab illis, qui ordinantur, accipere pecuniam, idque, quod pejus est, pietatis nomine palliare: duplò namque puniendus venit, qui prætextu boni, quod malum est, facit; tùm, quia operatur quod malum est; tûm, quòd ad perficiendum peccatum, bono vtitur cooperario.*

1459 Id luculenter confirmat S. GREGORIVS MAGNVS, *ad Syagrium Augustodunensem Episcopum*, sic scribens: *Adversarius animarum, dùm non potest in his, quæ sunt prava, surrepere, callidè specie quasi pietatis, injecta nititur supplantare; suadetque forsitan ab habentibus debere accipi, vt sit, quod possit, non habentibus erogari, dummodò vel sic venena mortifera eleemosynæ celata obumbratione transfundat. Nam nec venator feram, aut avem auceps deciperet, vel piscem piscator caperet, si aut ille laqueum in aperto proponeret, aut ille hamum esca absconditum non haberet. Omninò ergo metuenda, & cavenda est hostis astutia, nè quos aperta nequit tentatione subvertere, latenti telo sæviùs valeat trucidare. Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur; quia, qui hac intentione malè accipit, vt quasi benè dispenset, gravatur potiùs, quàm juvatur. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis placet, quæ non de illicitis, & iniquitate congregatur, sed quæ de rebus concessis, & benè acquisitis impenditur: Vndè illud certum est, quia etsi Monasteria, vel Xenodochia, vel quid aliud de pecunia, quæ pro Sacris Ordinibus datur, construatur, mercedi non proficit; quoniam dùm perversus emptor honoris in locum sanctum transmittitur, & alios ad suam similitudinem, sub commodi datione constituit, plura malè ordinando destruit, quàm ille potest ædificare, qui ab eo pecuniam ordinationis accepit. (Insigniter adversus Simoniam invehitur, & concludit.) Nimis ergo declinandum est, sub obtentu eleemosynæ peccata Simoniacę Hæreseos perpetrare; nam aliud est, propter peccata eleemosynas facere, aliud propter eleemosynas peccata committere.*

Ali-

1460 Aliqui alio ptætextu vtuntur, perperam existimantes pœnas Simoniacis impendentes facilè vitari, si pecunia, non ante, sed post collatam Ecclesiasticam Dignitatem accipiatur. Hanc tamen deceptionem, & cavillationem optimè reiicit S. BASILIVS, suprà laudatus, sic scribens: *Putant quidam, se nihil delinquere, quòd non ante, sed post manuum impositionem pecuniam accipiant. At pecuniam accipere, est accipere, quandocumque fiat. Hortor itaque, vt quæstum hunc, imò transitum ad gehennam declinetis, nec manus tali lucro polluentes, indignos vos ipsos ad tractandum Sancta Mysteria constituatis.*

1461 Lethalis iste abusus per id temporis maximè in Galatia grassabatur, (quo vtinam hac infelici tempestate alia Regna non contaminarentur!) in quem synodaliter postea rursum agere compulsus fuit S. GENNADIVS, Patriarcha constantinopolitanus, qui oportunum judicavit Chalcedonensis Concili Canonem innovare, subjungens. *Nec ante tempus Ordinationis, nec post, dari pecunias Canon permittit.*

1462 De hujusmodi cavillatione mentionem facit S. PETRVS DAMIANI *ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Episcopos* hæc, inter alia, scribens: *Sunt nonnulli, qui vel antequam consecrationis exhibeant ministerium, vel ante decisum causæ negotium, nullum pacti sunt commodum, postmodum verò tamquam á debitoribus exigunt, & extorquendis remuneratoribus vehementer insistunt. Hi se Giezi non dubitent crimen incurrere, qui postquam Naaman curatus, jamque revertens, de S. Spiritus dono ausus est pecuniam postulare.*

1463 Memorandum certè est, quod S. ANSELMO, Cantuariensi Antistiti, cum Vvillelmo Rufo, Anglorum Rege, contigit; postquam enim ad Archiepiscopalem Dignitatem evectus fuit, nullatenus Regi gratificari donis voluit, quamquam ad eam Dignitatem gratis fuisset ab illo promotus, teste MATTHÆO PARISIO *ad annum* 1094. sic scribente: *Rex Anglorum Vvillelmus Anselmum, Cantuariensem Archiepiscopum, circumvenire affectans, mille libras argenti sibi dari ab eo vehementer postulabat. Ad hoc allegabat, vt sibi videbatur, causam justissimam, quòd gratis Episcopali ejus promotioni annuisset. Archiepiscopus verò nihil interesse ducens, ante promotionem, vel post, talem ob causam numerare pecuniam, pari pœna dignum arbitrabatur vtrumque. Cum autem saccos Regis, nisi læsa conscientia implere non poterat, elegit potius Regis indignationem, quàm dispendium famæ, & periculum animæ in præsens incurrere, & in posterum confusionem, & scandalum in Dei Ecclesia seminare.* Ecclesia sua, & Regno exulare maluit, quàm consentire in istam iniquitatem.

1464 Et omissis his, aliisque elusionibus, quas diabolica calliditas adinvenit ad velandum pestiferum Simoniæ scelus in Ecclesiastico statu, æque fletu, ac medela dignum; supersunt alia argumenta solvenda, quæ in hac controversia occurrere possunt. At priusquam eis satisfaciamus, operæpretium duximus, breviter proponere aliquas rationes, quibus tot Patres, & Concilia adduci potuerunt, vt in tot titulis detestabile Simoniæ crimen invehe-rentur: & quamvis aliquas suprà tradiderimus, non desunt tamen aliæ non contemnendæ, quas hic addendas censuimus.

§. VI.

Nostra adversas Simoniacam labem Assertio ratione fulcitur.

1464 ANGELICVS DOCTOR 2. 2. *quæst.* 100. variis Articulis de Simonia magistraliter differit, & eleganter ostendit, quàm digna sit, quę ab Ecclesiastico statu exterminetur; & præcipuè Art. 1. aliquas rationes ad rem nostram aptissimas luculenter proponit.

1465 In primis vtitur S. GREGORII testi monio *in Regest.* asserentis: *Altare, vel decimas, vel Spiritum Sanctum emere, vel vendere, Simoniacam Hæresim esse nullus Fidelium ignorat.*

1466 Deindè *in corpore Articuli* ait: *Respondeo dicendum: quòd, sicut suprà dictum est, actus aliquis est malus ex genere, eo quòd cadit super materiam indebitam; emptionis autem, & venditionis est*

materia indebita res spiritualis triplici ratione.

1467 Primò quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari, vt de sapientia dicitur *Prover. 3. Pretiosior est cunctis, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Ideò etiam Petrus in ipsa sui radice Simoniacam pravitatem condemnans, dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possidere.*

1468 Secundò, quia id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est Dominus, vt patet in Authoritate suprà adducta. Prælatus autem Ecclesiæ non est Dominus spiritualium rerum, sed dispensator, secundum illud 1. *ad Corinth. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros CHRISTI, & dispensatores mysteriorum Dei.*

1469 Tertiò, quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proveniunt: vndè & Dominus dicit *Matthæi* 10. *Gratis accepistis, gratis date*; & ideò aliquis emendo, vel vendendo rem spititualem irreverentiam exhibet Deo, & rebus Divinis, propter quod peccat peccato irreligiositatis.*

1470 Hujus peccati gravitatem, ac fœditatem expressiùs explicat *in eadem quæst. & art.* his verbis: **Ad* 1. ergo dicendum, quòd sicut Religio consistit in quadam Fidei protestatione, quam tamen aliquis interdum non habet in corde; ita etiam vitia opposita Religioni habent quamdam protestationem infidelitatis, licet quandoque non sit infidelitas in mente: Secundum hoc ergo Simonia, Hæresis dicitur, secundum exteriorem protestationem; quia in hoc, quòd aliquis vendit donum Spiritus Sancti, quodãmodo protestatur se esse Dominum Spiritualis doni, quod est Hæreticum. Sciendum tamen, quòd Simon Magus præter hoc, quod ab Apostolis Spiritus Sancti gratiam pecunia emere voluit, dixit, quod mundus non erat à Deo creatus, sed à quadam superna virtute, vt dicit Isidorus *in lib. Ethym.* & sic secundum hoc, inter alios Hæreticos Simoniaci computantur, vt patet *in lib. Augustini de Hæresibus.** Hactenus D. THOMAS.

1471 His Angelici Doctoris rationibus addere liceat, Simoniæ crimen haud parum afferre Ecclesiasticę Reipubliçæ damnum; ad Ecclesiastica siquidem Beneficia illi admittendi sunt, qui litteris, & virtutibus pollent. *Cap. Grave. de Præbendis.* Vndè si propter pretium Beneficia conferrentur, indigni dumtaxat, & quibus merita non suffragantur, ad ea admitterentur; vt optimè expendit S. GREGORIVS *lib. 7. epist.* 110. agens de Beneficio per Simoniam tento: *Quid, inquit, per hoc aliud agitur, nisi vt nulla approbatio, nulla sit debita discussio (meritorum scilicet) sed ille solummodò dignus, qui pretium suffecerit, æstimetur.*

1472 Ipse Sanctus *lib. 7. epist.* 114. in eamdem rem eruditè expendit maximum incõveniens, quod omni procul dubio suboriretur, si non merito, sed soli propriæ vtilitati, & lucro attenderetur; indè enim fieret, vt virtus, & studium, juventutis educationi, & Ecclesiæ bono adeò necessarium penitus extingueretur: *Vbi non merita, sed pecunia, inquit, suffragantur, restat, vt nihil sibi gravitas, nihil sibi defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat.* Et quamquam is, qui pretio Beneficium, aut Officium obtinuerit, bonis sit moribus imbutus, id tamen semper pernitiosissimum esse testatur S. LEO MAGNVS *epist.* 87. scribens: *Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiam si moribus, atque actibus non offendat, ipsius tamen initio sui est pernitiosus exemplo, & difficilè est, vt bono peragantur exitu, quę malo sunt inchoata principio.*

1473 Vndè fit quod in omni benè cordata Republica, improbata semper fuerit officiorum venalitas, eaque, spreto merito, pretio adquiri. PLATO *lib. 8. de Republica*, asserebat: Absurdam esse Reipublicæ Constitutionem, qua Principatus venundantur. VALERIVS MAXIMVS *lib. 4. de Paupertate*, asserit, nihil eorum, quæ virtuti debentur emere pecunia licere. ARISTOTELES *lib. 2. Politic. cap. 9.* *Turpe, inquit, est ministeria publica venalia facere.* Et de Nerone refert TACITVS *lib. 13. Annalium*, quòd cum optimæ spei juvenis esset, Curiam ingressus, egregia multa facturum se esse promisit, & inter alia nihil in penatibus suis venale, aut ambitiosum esse permissurum.

1474 Eleganter LAMPRIDIVS *in vita Alexãdri Severi Imperatoris.* *Hono-

nores juris, gladiique numquam vendi passus est, dicens: Necesse est, vt qui emit vendat. Ego non patior mercatores potestatum, quòd si patiar, damnare non possem. Erubesco enim, punire eum hominem, qui emit, & vēdit. *Optimè SENECA *de Beneficiis, cap. 9.** Provincias spoliari, & nummarium Tribunal, audita vtrimque licitatione, alteri addici, non mirum: quando, quę emeris, vendere gentium jus est. *SALVIANVS *lib. 4. de Gubernatione Dei*, præclarè describit damna hujus iniquæ mercaturæ, emptionis, vel venditionis Officiorum, & Dignitatum, dicens: *Quid enim omnium aliud Dignitas sublimium, quàm proscriptio Civitatum. Ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vastatione solvatur. Quò quid esse indignius, quid iniquius potest? Reddunt miseri Dignitatum pretia, quas non emunt. Comercium nesciunt, & solutionem faciunt.*

1475 Quid vltra dicam, nisi ex officiorum, vel Dignitatum venalitate ingentia in Republica oriri mala, quod optimè annotat D. CHRYSOSTOMVS *in epist. Pauli ad Ephesios, cap. 6.* *Dignitates, ait, factæ sunt venales, mille hinc mala nascuntur.* Ob majorem hujus illustrationem videri possunt D. THOMAS *de Regimine Principum*, & ex recentioribus D. JOANNES SOLORZANVS *de Iure Indiarum, tom. 2. lib. 5. cap. 5. num.* 101. OSVALDUS AD DONEL. *lib.* 17. *cap.* 7. PETRUS GREGORIUS *de Republica, lib. 4. cap. 5. num. 27. & lib. 7. cap. 13. & lib. 23. cap. 26.* SIMANCAS *eodem tract. lib. 6. cap.* 16. & 17. IUNIUS *qq. Politicar. quæst.* 12. BOBADILLA *lib. 1. Polit. cap. 14. num.* 15. FRAGOSUS *de Regimine Christianæ Reipublicæ, part. 1. disp. 2. lib. 2.* § 2. Illustrissimus Episcopus Segobiensis ARAUJO *in quæst. Moralibus, tit. de Statu Civili, disput.* 8. Vndè jure merito tot Canonibus Ecclesia sanxit, totque Summi Pontifices hanc emptionis, & venditionis Simoniacam Beneficiorum pestem, ab Ecclesiastico statu exterminari gravissimis pœnis conati sunt. Nè tot ingruentibus ex hac pestilenti radice malis Ecclesiastici status decorem labefactari, vel in peius ruere contingeret.

1476 Cum hucusque tot Conciliorum, & Patrum testimoniis, & rationibus, manifestissimè, probatum sit, quàm pernitiosissimum semper extiterit Simoniæ crimen; hinc manifestè convincitur, quàm justè, & æquè Sanctissimus Pontifex GREGORIUS VII. prædictam Simoniacam Ecclesiasticorum Beneficiorum nundinationem, gravissimis pœnis vetuerit, gloriosissimos suos Prædecessores imitatus, quod & alii Pontifices, Sacraque Concilia post ipsum approbarunt, ac sua Authoritate confirmarunt. Quapropter si prædictus Sanctissimus Pontifex, tanto Apostolico Ecclesiasticæ virtutis Zelo se pestifero Simoniæ crimini strenuè opposuit, illudque condemnavit, ac pro sua virili parte ab Ecclesia penitus exterminare molitus est; hinc evidenter, ac sanè convincitur, quàm longè à tanto scelere, & vel minima adhuc illius vmbra, citatus Pontifex extitit; cum nullum efficaciùs sit immunitatis ab aliquo crimine argumentum, quàm illud ipsum detestari, publicè impugnare, & omnimodam illius condemnationem satagere; quod memoratum Pontificem in Simonia, quæ per id temporis in Ecclesia fædè grassabatur, exactissimè adimpleviſſe, suprà probavimus: Undè evidentissimè concluditur tanti Pontificis innocentia, fuisseque meram calumniam, & impostu-ram ab impiissimo sacrilegoque Hæreticorum, & Schismaticorum ore erumpentem Bennonis, istiusque sequacium, qui ponentes os in Cœlum, in CHRISTUM Domini, CHRISTIque in terris Vicarium Sanctissimum Gregorium voces, & convitia effundere non sunt veriti.

§. VII.

Quid alii Sancti, Authoresque Doctrina conspicui censuerint de execrabili Simoniæ labe?

1477 ANimadversione dignum quod asserit S. ANSELMVS *in Elucidario, pag. 209. col. 2.* & GILDAS Sapiens *initio correptionis in Ecclesiasticum Ordinem*, adversus detestabile hoc Simonię vitium hiscè verbis: *Quid tàm impium, tàmque scelestum est, quàm, ad similitudinem Simonis Magi, intervenientibus licet interea promiscuis criminibus, Episcopatus Officium, vel Presbyterii, terreno pretio, quod Sanctitate, rectisque moribus decentius acquiritur, quempiam velle mercari? Sed in

eo isti propensiùs, vel desperatiùs sunt, quo non ab Apostolis, vel Apostolorum Successoribus, sed à tyrannis, & à patre eorum diabolo, fucata, & numquam profutura emunt Sacerdotia; quin potius, velut culmen, tectumque malorum omnium quoddã, quo non facilè eis improperētur à quoquam admissa prisca, vel nova, & cupiditatis, gulæque desideria, scelestæ vitæ structuram superponunt, vt præpositi malorum facilius rapiant. Nam si talis profectò coëptionis conditio ab impudentibus istis, non dicam Apostolo Petro, sed cuilibet Sancto Sacerdoti, pioque Regi ingesta fuisset, eadem responsa accepissent, quæ ab Apostolo author eorumdem Magus Simon accepit, dicente: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.**

1478 Nec omitti potest descriptio, qua GLABER RODVLPHVS, antiquus Scriptor, (qui floruit *anno* 1040. teste BELLAR. *de Scriptor. Ecclesiast.*) depingit infelicem Gallicanæ Ecclesiæ statum ob detestandum Simonię vitium, istiusque lamentabiles effectus in illo Regno *lib.* 2. *cap.* 6. talem enim fuisse agnoscit illius Ecclesiæ statum, ob grassantem tunc temporis Simoniam in Beneficiis. *Iam dudum, inquit, muneribus excæcatis ineptis penè vniversis Principibus, desævit hæc pestis longè, latèque in Ecclesiarum quibuscumque Prælatis, toto terrarum Orbe diffusis. Denique Omnipotentis CHRISTI Domini gratuitum, ac venerabile donum ad proprię damnationis cumulum converterunt in avaritiæ lucrum; ideoque hujusmodi (videlicet Prælati) tantò minus ad Divinum peragendum opus idonei, quantò constat, quia non ad illud accesserunt per aditum principalis ostii. Et licet adversus talium personarum procacitatem multipliciter clamet Sacrarum Scripturarum Canon, nunc tamen solito multiplicius comperitur fieri in diversis Ecclesiarum Ordinibus. Nam ipsi Reges, qui Sacræ Religionis idonearum Decretores personarum esse debuerunt, munerum largitione corrupti, potiorem quempiam ad Regimem Ecclesiarum, vel animarum dijudicant illum, à quo ampliora munera suscipere sperant. Atque idcircò permaximè quique procaces, ac turgore superbiæ inflati, sese vltrò cuique Prælationi ingerunt, minus formidantes incurrere lapsum neglectæ Pastoralis Curæ; quoniam tota solummodo pendet fiducia ex loculis collectæ pecunię, non ex perceptę donis Sapientiæ: tantòque amplius adepto regimine student avaritiæ, quantò constat propriam ex illa ambitionem impleste: ac velut idolo sibi pro Deo constituto, illi serviunt, per quam scilicet informati ad tale nomen absque merito, vel opere proruperunt; fitque minus cautis deceptoria imitandi forma; ac perinde viciſſim contumax invidentia. (Et *paulò infrà*:) Hinc etiam procedunt litigiorum tumultus assidui, oriunturque frequentia scandala, ac diversorum transgrediendo convellitur tenor Ordinum.*

1479 Attendenda admodum est descriptio, qua Sanctissimus Pontifex GREGORIVS expendit gravissima damna, quibus Galliæ Regnum afflictabatur, cujus infelicem statum, quem adeò graviter deflet Sanctissimus Pontifex, censet citatus GLABER à lethali Simoniæ vitio, quod tunc temporis in illo Regno debacchabatur, fine dubio procedere. Laudatus igitur Pontifex Gregorius VII. *in epist. ad Archiep. Galliæ, lib.* 2. *epist.* 5. hæc, diligenti animadversione digna, scribit: *Longa jam temporum curricula transacta sunt, ex quo Regnum Franciæ, olim famosum, ac potentissimum, à statu gloriæ cępit inflecti, & succrescentibus malis moribus, plerisque virtutum insignibus denudari. Verùm his temporibus, & culmen honoris, & tota species decoris ejus collapsa videtur: cum neglectis legibus, omnique conculcata justitia, quidquid fędum, crudele, miserandum, intolerandumque est, ibi & impunè agitur, & adepta licentia, jam in consuetudine habetur. Ante aliquot annos, postquam repentè inter vos Regia Potestate multis legibus, multoque Imperio injuriæ prohibitæ sunt, vel puniti inimici, inter se, quasi quodam communi jure gentium quisque pro viribus conflixerunt, ad vindicandas injurias suas arma, copiasque paraverunt, quibus permotionibus, etsi plerumque in patria cædes, incendia, & alia, quæ bellum fert, exorta sint, dolendum quidem id fuit, sed non tantoperè admirandum. Nunc autem omnes malitia, quasi quodam pestilentię morbo, repleti, horrenda, & multum execranda facinora multoties nemine impellente committunt, nihil humani, nihilque Divini attendunt, perjuria, sacrilegia, incestum perpetrare, sese invicem tradere, pro nihilo ducunt; & quod nusquam

quam

quam terrarum est, cives, propinqui, fratres etiam, alii alios propter cupiditatem capiunt, & omnia bona eorum ab illis extorquentes, vitam in extrema miseria finire faciunt; Peregrinos ad Apostolorum limina euntes, & redeuntes, vt cuique oportunum fit, capientes, in carceres trudunt, & actioribus, quàm Paganus aliquis, eos tormentis afficientes, sæpè ab illis plusquam habeant, pro redemptione exigunt.* Addit alia, quibus convulsus tenor Ordinum (vt Glaber affirmat) liquidò deprehenditur, ita vt tanta illuvio malorum, præ qua omnis vastitas à potente veniens ludrica videri possit, malignitati, & virulentiæ causæ à qua dimanat, satis superque attestetur. Manasse autem à Simoniaco circa Beneficia commercio, idem Glaber hæc omnia præ oculis habens, rectè conjecit.

1480 Quàm miserandus fuerit Ecclesiæ in Germania status ob Simoniam, eique conterminas Ecclesiarum investituras de manu laica, colligi potest ex his, quæ Historiæ narrant de Imperatoris Henrici III. tempore, & Henrici IV. initiis. Ad hæc tempora referendum est, quod THEODORICVS, Abbas S. Tudonis, *in calce vitæ S. Babonis* adducit; excusans enim suam in rebus Sancti Viri describendis impolitionem, ac brevitatem, hæc, præter cætera, adnotanda reliquit: *Præterea ad silentium nostrum vel maxima causa accedit, torcular grave, quo præter solitum Ecclesia Sancta non modò graviter premitur, sed importabiliter constringitur, vt necesse fuerit JESVM pro peccatis nostris dormientem excitare, & dicere: *Præceptor salvanos, perimus.* Quis enim siccis oculis pertranseat regna (lignum desolationis) inter se divisa? Populorum quasi maris commotiones? lapidum Sanctuarii in capite omnium platearum dispersionem? *dispersi sunt*, heu! *lapides Sanctuarii*; quia qui dicebantur Episcopi, confractis, & venundatis ovilibus CHRISTI, commissas oves apposuerunt lupis, & in fugam versi sunt, non Pastores, sed mercenarii. In exemplum sunt, Ecclesiæ manu eorum combustę, Altaria sanguine humano cruentata, Monachorum examina, pars captivata, pars protur bata, jus, & lex omnia confusa. Et quia quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, cum inebriati fuerint sanguine aliorum, laqueos alterutrum tendunt invicem, quod dictu nefas est, Episcopi supplantant, & suplantantur, captivant, & captivantur, vt liquidò pateat, quia suorummet manibus ira Dei desæviens in eos vlciscitur.*

1481 Digna quidem est Christiano LEONIS Imperatoris Zelo consideratio, qua expendit gravitatem Simoniaci criminis, & pœnæ, quàm tàm execrabile scelus per se ipsum meretur, & quam in suis legibus pro ea parte, quæ ad illum spectare poterat, constituit, corroborans eas, quas Ecclesia Simoniacis imposuit, vt istæ inviolabiliùs observarentur, eisque exactiùs optemperaretur. Quasdam ejusdem Imperatoris Constitutiones collegit SARISBERIENSIS *lib. 7. Polycrat. cap. 20.* vbi hęc, inter alia, scripta reliquit de Imperatoris Constitutione, quæ sic se habet: *Præter cætera nemo gradum Sacerdotii pretii venalitate mereatur, non quantum quisque dare sufficiat æstimetur. Profectò enim quis locus tutus, & quæ causa poterit esse excusata, si veneranda Dei Templa pecuniis expugnentur? Quem murum integritati, aut vallum fidei providebimus, si auri sacra fames ad venerãda penetralia proserpit? Quid denique cautum esse poterit, aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpitur? Cessęt Altaribus imminere profanus ardor avaritiæ, & à sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaque castus, & humilis eligatur nostris temporibus Episcopus, vt locorum quocumque pervenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Non pretio, sed precibus ordinetur Antistes, tantùm ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat. Sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit invitus, cum sanè quisquis hanc Sanctam, & Venerabilem Antistitis Sedem pecunię interventu subiisse, aut siquis, vt adulterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis, & Lęsæ Majestatis accusatione postposita, à gradu Sacerdotii retrahatur. Nec solùm deinceps honore privari, sed perpetuæ quoque infamiæ damnari decrevimus, vt eos, quos facinus par coinquinat, & æquat, vtrosque similis pœna comitetur.*

1482 Silentio prætereundum non est memorabile factum, quod refert ipse JOANNES SARISBERIENSIS, de tribus viris, qui Episcopatum pecunia pręnsa-

sabant, & qualiter Rogerii Neapolitani Regis Prę∫es, qui cum eis egerat, illos sua sagacitate ludificavit, siquidem *lib.* 7. *Polycrat. cap.* 19. hæc narrat: *In Apulia tēporibus meis regnante Rogerio Siculo, contigit vacare Ecclesiam Avellanam. Campaniæ, Apulię, & Calabriæ Robertus, jam dicti Regis Cancellarius, prę∫idebat, vir quidem in rebus gerendis strenuus, & sine magna litterarum copia acutissimus, in primis Provincialium facundissimus, eorum non impar eloquio, verendus omnibus Privilegio Potestatis, & morum elegantia venerabilis, eòque mirabilior in partibus illis, quòd inter Longobardos, quos parcissimos (nè avaros dicam) esse constat, faciebat sumptus immensos, & gentis suæ magnificentiam exhibebat; erat enim Anglus natione.

1483 Ad eum itaque viri tres accessērunt, Abbas quidam, alter Archidiaconus, tertius Laicus quidam Præpositus Regis, fratris sui Clerici causam agens. Singuli clam pro jam dicto Episcopatu grandem pecuniam offerentes. Quid multa? Adhibitis familiaribus, seorsum cum vnoquoque eorum convenit de pretio. Emptio ergo, & venditio vndique perfecta est: de solutione implenda sufficientissimè cautum pignoribus, & fidejussoribus datis, dieique præfixus est electioni solemniter celebrandæ. Cum itaque ad diem Archiepiscopi, & multæ venerabiles personæ convenissent, præfatus Cancellarius competitorum causas, & quid cum vnoquoque eorum egisset, exposuit, dicens: Se exindè ex Episcoporum Sententia processurum. Damnatis ergo competitoribus Simoniacis, pauper Monachus, & totius rei ignarus canonicè electus, approbatus, & introductus est. Illi tamen coacti sunt solvere id, in quo se obligaverant vsque ad novissimum quadrantem. Vtinam ita agatur cum procis nostris, qui omnes sedes olfaciunt, attentiùs quidem, & curiosiùs quàm odora vis, & sagacitas canum formellas leporum, aut ferarum latebras deprehendat.* Simile exemplum Regis Francorum recitat CÆSARIVS *lib.* 6. *cap.* 14.

1484 PETRVS BLESSENSIS adversus Aurelianensem Archidiaconum Simoniacum *epist.* 209. hæc adnotanda scribit: *Tu sordes avaritiæ, & immunditias Simoniæ ab Ecclesia Dei non ejicis, sed inducis, cum scias Dominum adversus venalitates hujusmodi graviter excanduisse, & tamquam abhorrendas abominationes in animalibus, ejecisse flagellis. Et nunc acuit vt fulgur gladium suum, vt carnes devoret gladius ejus, ignisque consumat vsque ad inferni novissima. Tetendit arcum suum, & in eo paravit vasa mortis adversus eos, quos posuit capita, & cardines aliorum. Verbum Amos Prophetæ: *Vidi Dominum stantem ad Altare, & dixit: Percute cardinem, & amoveatur sublimitare ejus; Avaritia enim in capite omnium, & ego interfaciam eos gladio.* Avaritia hæc Simoniaca, ipsa est vermis, & interficiens bruchus pessimus, erugo, & tinea cordis, quę bona omnia eruginat, & consumit. Nobilis Ecclesiæ quondam venerabile nomen prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.* Est quidem id verissimum spectata frequentia Simoniacarum negotiationum erga Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas.

1485 Animadversione digna sunt ea, quæ adversùs execrandam Simoniã ab eodem piissimo Authore traduntur *epist.* 229. in qua ostendit luctuosos Simoniæ eventus, & quàm parum Simoniacis proderunt Simoniaca lucra, sic concludens: *Vsu, & experientia quotidiana cognovimus, spiritualium venditores quanto plures opes accumulant, tantò majori semper egestate confundi. Non habet eventus sordida præda bonos, & ideo quandoque quæcumque malignè traxit avaritia, luxu pejore refudit. Achan de anathemate Iericho tulit, & lapidatus est. Chore spirituale Officium vsurpavit, & igne, cęlitùs misso, consumptus est. Jason ab Antiocho Sacerdotium emit, & extinctus est ignis, quem accenderat Ieremias. Saul munera detulit ad Prophetam, & in ira Dei constitutus est. Ieroboã omnibus, qui manus ei implebant, Sacerdotium conferebat, & domus ejus subversa est. Balthasar, quia vasis Tabernaculi abutebatur, captus, & occisus est. Dathan, & Abiron à terra absopti sunt; quia spitituali Officio sunt abusi. Deterreat te, quæso, lapidatio Achan, incendium Chore, lepra Giezi, & pecunia Simonis, reprobatio Saulis, subversio domus Ieroboam, ruina Dathan, & Abiron, extinctio ignis sub Iasone. Ille ignis est Spiritus Sanctus, qui per malitiam in nobis extinguitur, ideoque scriptum est: *Spiritum nolite extinguere.* Cedat tibi ad documen-

tum

tum discrimen alterius,& non tuum. Aliorum pœna te instruat, nè similiter puniaris. Mulctato enim pestilente, sapiens sapientior erit: *Lavabitque justus manus suas in sanguine peccatoris.**

1486 Tàm abominabile est coram Deo Simoniæ crimen, quantum agnosci potest ex infelicissimis eventibus, Diviniſque suppliciis, non solùm, quę modo diximus,sed etiam, quæ referuntur *in cap. Si quis,1.quæſt.7.ex VII.OEcumenica Synodo*, quæ postquam Episcopos, Presbyteros,& Diaconos, Simoniaca labe infectos, à Sacerdotio cadere statuerat, sic subjungit: *Sed dicunt fortasse quidam, quia pœnitentiam agimus pro peccato, & Deus indulget illud. Ita & ego dico, quia omnem pœnitentiam recipit Deus, & indulget per pœnitentiam peccata, quæ jam facta sunt. Novi enim quòd David fornicatorem,& homicidam per pœnitentiam receperit Deus, & quòd dixerit de eo: Inveni virum secundum cor meum, qui fecit omnes voluntates meas.* Novi rursum eumdem audientem à Deo: *Non ædificabis mihi domum; quia vir sanguinum es.* Scio Manasse per confessionem dimissam impietatem suam;scio meretrices, & telonarios per pœnitentiam receptos: nullum tamen eorum, qui ante Baptismum peccavit, Sacerdotibus connumeratum. Scio quosdam cum essent in mundo in multa fornicatione mansisse: Monachos verò factos, quasi luminaria mundi resplenduisse: nullum tamen ad Sacerdotium ascendisse. Quod etsi rarò contigerit, nulla tamen lex Ecclesiæ fuit. Novimus peccatricem prius Mariam, post conversionem, quamvis sancta, & casta, tamen inter Diaconissas non est computata. Sed quid hoc dico? Sequens Sanctos Apostolos, & venerabiles Patres, cum omni fiducia clamo: Qui per Simoniam ordinatus est, sive Episcopus, sive Presbyter, sive Diaconus, alienus est à Sacerdotio: neque enim venalis est gratia Spiritus Sancti. Caiphæ traditio,& adinventio Simonis,à Sancto Sacerdotio est aliena.* Adnotant hic DECRETI CORRECTORES, hęc esse verba THARASII PATRIARCHÆ *in epist. ad Ioannem Presbyterum*, quæ post Canones VII. Synodi habetur; in novissimis verò Conciliorum editionibus invenitur ante VII. Synodum. Floruit autem Sanctitate Tharasius *circa annum Domini* 800. vt ex BARONIO *in Notis ad Martyrolog. die* 25. *Februarii* constat.

1487 Hùc magnopere facit illud ejusdem S. THARASII, *in Epistola ad Ioannem Anachoretam, Caiphaicum*, vt vocat, Simoniæ studium detestantis. Sanè Caipham non esse factum Pontificem gratis affirmat ex EVSEBIO, & IOSEPHO S. PETRVS DAMIANI *opusc. 6. cap.* 10. Planè consentit S. ISIDORVS PELVSIOTA *lib.* 2. *epist.* 315. verbis illis ad Leonium Episcopum, Simoniacè, vt fama erat,promotum. *Si pecuniis, vt rumore jactatur, thesaurum, quem pretio addicere nefas est, persecutus es, ac Simonis in modum, Sacerdotium consequi cupiisti, non est tibi pars, nec sors in hoc sermone. Nam, quæ sequuntur pro mea erga te indulgentia prętermittam. Vnum illud animadverto, quòd Caiphas etiam, Sacerdotium emerat, cum adversus CHRISTVM illud armavit. Quo circa quisquis Sacerdotium mercatur, hunc CHRISTI carnificem Caipham esse constat. Nam quæ propter opera, vitæque rationem in Fidem accipere nequit, ea impiis donis, ac largitionibus consequitur.*

1488 Quantis malis, pœnarumque cumulis mulctarit Deus Philippum I. Francorum Regem, ostendi potest ex GREGORII VII. *Epist. ad ejus Regni Episcopos*, quæ est 5. *lib.* 2. qua hortatus illos ad Pastoralem vigilantiam, & animos dignos Episcopis, postquam teterrimam Regni per ea tempora faciem descripsit, & veluti diluvium malorum inundans Franciam,repræsentavit, hæc, silentio non prętermittenda, subdens: *Quarumrerum Rex vester, qui non Rex, sed tyrannus dicendus est, suadente diabolo, caput, & causa est: qui omnem ętatem suam flagitiis, & facinoribus polluit, & susceptа Regni gubernacula, miser, & infelix inutiliter gerens, subjectum sibi Populum, non solùm nimis soluto ad scelera Imperio relaxavit, sed ad omnia, quæ dici, & agi nefas est, operum, & studiorum suorum exemplis incitavit. Nec satis visum est ei in dispersione Ecclesiarum, in adulteriis, in rapinis nefandissimis, in perjuriis, & in multimodâ fraude, vndè sæpè eum redarguimus, iram Dei promeruisse; quin etiam mercatoribus, qui de multis terrarum partibus ad forum quoddam in Francia nuper convenerant (quod antea à*

Re-

Rege factum fuisse nec in fabulis refertur,) more prædonis infinitam pecuniam abstulit, & qui legum, & justitiæ defensor esse debuit, is potissimum depredator extitit. Nimirum id agens, vt mala sua, non jam infrà terminos Regni, quod occupat, comprehendantur, sed ad suam (credo) confusionem extendantur.* Hactenus Gregorius.

1489 Quantum detestetur Deus immane hoc Simoniæ delictum, haud difficulter constare poterit, cum aliquando pro eo gravissimas pœnas intulerit, populosissimasque Regiones, ac integra Regna non sine severa vltione reliquerit, sanè LVITPRANDVS *in Vitis Romanor. Pontific. in Sergio II.* qui sedebat *anno* 844. hæc tradit: *Vigebat istius Pontificis, & fratris ejus tempore Simoniaca Hæresis in tantum, vt etiam venderentur Episcopatus, & qui plus dabat, Episcopatum accipiebat. Nec erat aliquis Episcoporum, aut quisquam virorum Ecclesiasticorum, qui Zelo Dei ductus cum Imperatore, aut Rege ageret (Imperator erat *Lotharius*, Rex verò filius ejus, *Ludovicus*) vt hoc nefas prohiberetur; & quia nemo erat Christianorum, per quem hoc malum corrigeretur, misit Divina Potentia flagellum Paganorum ad vlciscenda peccata Christianorum. Nam supervenientes Sarraceni innumeros hominum interfecerunt, Castella, & Vrbes multas captas, accepta præda igni dederunt, demum Regem expugnantes fugaverunt, & multis captis, & interfectis, maxima hominum, & rerum omnium præda onusti, reversi sunt.**

1490 Nec hìc attentè legere pigeat, quæ de extrema Vrbis vastitate philosophatur RVPERTVS, D. Hieronymum adducens, *lib. 6. in Apocalip. ad illud cap.* 11. *Prophetabunt amicti sacco.* *Illustris, & notæ scientiæ, vel Fidei vir B. Hieronymus locum illum in Michæa pertractans: *Principes ejus in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant, & super Dominum requiescebant, dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? Non venient super nos mala. Propter hæc, causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi acervus lapidum erit, & mons Templi in excelsa sylvarum.* Hæc, inter cætera, dicit: Petrus Apostolus. *Argentum (inquit) & aurum non habeo.* Poterat itaque Simoni Mago vendere, quod poterat simulare vendentem. Spiritus enim Sanctus, nec venumdari, nec emi potest, sed oblatam pecuniam cum offerente damnavit. Nunc videas Prophetas Ierusalem non habere in ore prophetiam, & in Domino requiescere, & dicere: *Non venient super nos mala.* Quorum causa speculatorium Dei hostili aratro dividitur, & locus quondam pacis ruinis plenus fit, & Templum Domini in vepres, spinasque convertitur, & est habitaculum bestiarum. (Et post aliqua.) Propter quod, causa nostri, qui tales sumus, qui Sion ædificamus in sanguine, & Ierusalem in iniquitate, qui judicamus in muneribus, qui in mercedibus respondemus, qui in pecunia divinamus, & super hoc fictam nobis sanctimoniam vindicantes, dicimus: *Non venient super nos mala.* Audiamus Sententiam Domini, quæ sequatur. *Sion, & Ierusalem, & mons Templi, speculatorium, & visio pacis, & Templum CHRISTI in consummationem*: & in fine, quando refrixerit charitas, & rara Fides fuerit, *quasi ager arabitur, & redigetur in tumulos, & erit in excelsia sylvarum*, vt vbi amplæ quondam domus erant, & absque numero acervi frugum, ibi vix parva sit casula servans speciem ciborum, refectionem animæ non habentium. Cum hæc dicit, profectò scire nobis, & dicere licet, quia causa futuræ tribulationis tàm magnę, peccatum est maximè graduum Ecclesiasticorum, peccatum venalitatis, & avaritiæ, quod nunc aspicimus, & vbique regnare videmus, ambitione nimia cuncta devastante, avaritia, penè vniversa reposita intus in Ecclesia devorante, vbi quia licet vivere, etiam non libeat ambire, multò amplius, multò miserabilius, quàm tempore persecutionis Neronianæ, sive Diocletianæ, quibus vrgentibus nimirum, gradus Ecclesiasticos nec emere delectabat, nec vendere vacabat, igitur amicti sacco prophetabunt, id est, pœnitentiam agentes.* Hactenus Rupertus.

1491 Specialem sibi attentionem vendicat quod adversus Simoniacam pestem, tunc temporis in Ecclesia grassantem, expendit S. AMBROSIVS *lib. de Dignitate Sacerdotali, cap.* 5. hanc pessimam labem in Episcopis reprehendens; queritur enim

enim quosdam Episcoporum Sacerdotalem diffamare honorem, & novam prodigaliter Regulam parere, sectando Giezi, ac Simonem, quorum ille vendere, iste emere donum Dei vile habuit. Audiamus ipsum hæc scitè loquentem. *Oculis quidem carnalibus videtur, quasi Episcopus magnus, at Divinis obtutibus inspicitur leprosus magnus, per pecuniam acquisivit indebitum Ordinem, & Deum perdidit in interiori homine. Caro suscepit Dignitatem, & anima perdidit honestatem. Caro ancilla, domina facta est animæ; & anima, quæ erat domina, facta est famula carni. Caro dominatur Populis, & anima servit dæmoni. Carni Sacerdotium comparavit, & animæ detrimentum paravit; & *quid prodest hujusmodi homini si totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Quod dedit cum ordinaretur Episcopus, aurum fuit; & quod perdidit anima fuit. Cum alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit; & quod dedit lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum, in perniciem eorum.*

1492 Nec prætereundũ puto S. ISIDORVM PELVSIOTAM de hoc argumento optimè differentem adversus Sozimum, aliosque Simoniacos, & nominatim *lib. 5. epist. 296.* vbi hæc habet: *Et vendentes, & ementes Sacerdotium, ii magnum contra se proferunt argumentum suæ, quam de hoc negotio habent, opinionis. Alioquin non essent ausi emere, & vendere rem Divinam, quæ optimę deberur administrationi, rectisque moribus. Regula enim hujus rei est, aptus vt sit, qui suscipit, nè ludicra quædam res habeatur. Cui enim pœnæ obnoxius videatur ludens in re non ludrica, tua non ignorat sapientia. Olim quidem, cum apud Hebræos, Sacerdotalis Dignitas vni certæ familiæ assignata esset, murmurabant non pauci, cur illi stirpi potiùs, ac generi, quàm virtuti daretur. Postquam verò jam Sacerdotium, & dignius esse, & virtutis haberi ratio cępit, majori afficitur injuria, quàm cum ignobilius esset, ac stirpi hæreditariũ. Etsi enim tunc nonnulli, eo indigni essent, erant tamen & optimi, pecunia verò nundinari omninò vetitum erat. Nunc verò cum & præstantius Sacerdotium sit datum, & virtuti attributum, magis contemnitur. Quis enim vir bonus assentiri vellet, vt illo potiatur? Aut quis ausit pecunia mercari rem ipsis Angelis dignam? Quare siquidem neque adulari velint, neque Sacerdotium audeant emere. Sunt verò, vti scribis, adulationibus, & pecuniis Sacerdotium propinantes, quos mille suppliciis dignos esse constat: isti adulari, & emere non recusabunt.*

1493 Præclarè S. Cardinalis PETRVS DAMIANI *in juramento Clericorum Mediolanensium* à se concepto, quod refert *opusc. 5. Maledictam venalitatem* vocat, quæ sit per Simoniæ crimen; ibidemque nomine Uidonis, Mediolanensis Antistitis, sic eloquitur: *Non ignorat sancta devotio vestra: (dilectissimi Fratres, & filii) quàm reproba, quàm detestabilis, Deo odibilis, ignominiosa, atque perversa, omniumque Sanctorum Canonum Authoritate damnata, consuetudo, in hac Sancta Ecclesia, cui Deo Authori deservio, antiquitùs inoleverit, quamque læthalis, atque pestiferæ lepræ, animas innocentium contaminatione perfuderit, Simoniacæ, videlicet Hæresis, damnata, semperque damnanda venalitas, & pernitiosa negotiatio.*

1494 S. BRVNONEM SIGNIENSEM fuisse infensissimum Simoniacorum hostem; ostenditur *in Opusculo*, cui titulus est: *Responsio ad quæstionem, cur correptus tunc Ecclesiæ statos?* vbi nec posse absque Simoniæ labe emi Castella, vel agros Spirituali titulo, ac Beneficio annexos, confirmat. Eumdem insuper Sanctum adversus Simoniacam labem operam navasse, testantur, cùm ejus Acta, tùm quod passim exponens Sacras Litteras in Simoniacos invehitur; erat enim ea tempestate nimis Ecclesia afflicta per grassantem Simoniacæ Hæresis labem: Vdè Ecclesia tunc per Simoniacos, & concubinarios Clericos fœdè dehonestabatur: cui fetori depellendo, SS. Pontifices LEO IX. & GREGORIVS VII. indefessè allaborarunt, quorum collaborator, præter cæteros fuit S. BRVNO SIGNIENSIS. Etsi causam scire cupimus, cur tantopere in Simoniacos insudarit, *ex Opusculo allegato*, eam discere possumus; cum enim exponendum suscepisset, cur Ariani, & Nestoriani, aliique Hæretici revenientes ad cor, reciperentur in Ecclesia cum suis honoribus, non tamen Simoniaci, inducit

obiicientẽ: num fortè censeret Simoniacos Hęreticis illis deteriores esse? Respõdetque *Vtrũ Simoniaci pejores sint nescio; verum tamẽ scio, quia magnum scelus est vendere, vel emere Spiritum Sanctũ. Si enim magnũ peccatum fuit vendere, vel emere CHRISTUM; magnum vtique peccatum est vẽdere, vel emere Spiritum Sãctum. Æquales enim sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Judas est, qui vendit, Judæus est qui emit, vtrumque autem, & vendentem, & ementem de Templo Dominus ejecit.*

1495 S. GVILLELMVS, Divionensis ABBAS, (vt scribit *in ejus Vita* GLABER RODVLPHVS *cap.* 12.) in Simoniam tanto Zelo invehebatur, vt nè ipsi quidem Ioanni XX. in hoc scelus, non ea diligentia, qua par erat, agenti pepercerit, dataque ad eum Epistola sic alloquatur. *Parcite, quæso, parcite qui dicimini *sal terræ*, & *lux mundi*. Sufficiat hominibus jam semel CHRISTVM fuisse venditum pro communi salute vniversorum. Iam enim refugæ veri luminis, solo nomine Pastores, ovile CHRISTI, imò membra illius, videte post vos quò eunt. Si juxta fontem repit rivus, in longinquum ifætere, nulli dubium est. Idcircò cura quibusdam venditur ad suum interitum. Volo vos Pastores, ac Pontifices omnes in commune Judicis securem gestantis, apud januam assistentis memores.* Gratias egisse Ioannem Pontificem, & Deum in Sancto Guillelmo glorificasse, addit GLABER.

1496 S. ROMVALDVS (teste S. PETRO DAMIANI *in ejus Vita, cap.* 35.) In Simoniacorum extirpationem admirabili Zelo ferebatur, omninò damnabiles, & Hæreticos pronuntians, si in malignitate insordescerent, quæ tunc temporis apud plerosque erat incognita, cum ferè nullus in eo mercimonii genere aliquid culpæ agnosceret, ita vt primum mortem viro Sancto inferre meditarentur, ob eam novam, vt putabant, doctrinam. Sed summo viri sancti studio multi rediere ad cor, quamquam aliquibus Simoniacis curandis, quãtumcumque multi conversionem sponderent, ferè frustra insudarit; hujusque rationem reddit Sanctus Cardinalis Petrus Damiani. *Est enim venenata illa Hæresis, præsertim in Episcopali Ordine tàm dura, & ad convertendum rigida, vt semper promittens, semper de die in diem producens, atque in futurum procrastinans, faciliùs possit Iudæus ad Fidem converti, quàm Hæreticus latro plenè ad pœnitentiam revocari.*

1497 Hùc magnopere faciunt, quæ à S. AVGVSTINO *serm.* 37. *ad fratres in Eremo*, de Præbendarum, & Beneficiorum mercatoribus, & emptoribus, post alias Simoniæ species, traduntur. *Similiter, inquit, Fratres, qui Sacramẽtum emit, vel Ecclesiam, vel Præbendas, vel Ecclesiarum introitus, vel Sæculari Potentia hoc pro se procuravit, sciat, quod cum Giezi, & Iuda jam damnatus est, jam leprosus factus est, jam de Templo Domini expellendus est. Quare sic? quia: *Qui non intrat per ostium in ovile, sed ascendit aliundè, fur est, & latro.* Ideo reprehendendus est; quia ementes, & vendentes Dominus eiicit de Templo; repellendus est, quia leprosi eiici jubentur.*

1498 Prædicta egregiè confirmat, quod respondit S. ABBO FLORIACENSIS ab Abbate Bernardo BELLILOCENSI consultus de pecunia, quæ ab eo pro Cadurcensi Episcopatu exigebatur; vt habetur *in ejus Actis cap.* 10. Sic enim respondit: *Quia te Divina Pietas servuum sum multis honoribus admodum extulit, quos virtutum prærogativa adeò excolis, vt te imitabilem præbeas pluribus bonis, hortor, & admoneo, vt tuæ memor professionis illos gradus excellentiæ apponas, in quibus Dominum non offendas. (Et post aliquanta eos denotans, qui gratiam S. Spiritus, vel vendunt, vel emunt, hæc dicit:) Hujusmodi emptores quasdam velut telas aranearum texunt quibus se defendunt, quod non benedictionem, sed res Ecclesiæ possessuri emunt. Cujus verò possessio est Ecclesia, nisi solius Dei? Quis ejus Dominus, nisi Deus? quia etsi præsens Ecclesia indiget duobus Advocatis, vno in rebus Temporalibus, altero in Spiritualibus, neutrum tamen habet, vt Dominum, qui eam, vel vendere possit, vel emere quam CHRISTVS redemit suo Sanguine.*) (Tandem concludit Epistolam, ei hoc dans consilium:) Numquã ergo fieri Hæreticus vllo modo adquiescas; quia inaniter de peccatis pœnitentiam agit, qui eam Fidem impugnat, quam sub Sanctis Apostolis Catholica tenuit Ecclesia.*

1499 Nec prætereumdum arbitror S.

S. HVGONIS CLVNIACENSIS judicium, quo in Simoniacos insurgebat, vt testatur HILDEBERTVS *in Sancti Viri Actis, cap.* 5. sic scribens: *Cum Leo IX. translaturus B. Remigii corpus, Rhemos vsque perveniſſet, & ibi Synodum celebraret Generalem, vir Beatus affuit, plenus Authoritatis, & reverentiæ, ſuaque præſentia præfati Concilii plurimùm conferens inſtitutis. Vbi cum adverſus Simoniacos ageretur, & nonnulli Pontifices, quibus, vel conſcientia confuſionem, vel imperitia ſilentium adduxerat, in præfatam Hæreſim remiſſiùs diſceptarent, ipſe Zelo juſtitiæ ſuccenſus negotiationem Simonis conſtanter abolere curavit. Ex adverſo enim aſcendens, & opponens murum pro domo Iſrael, nec numero reninentium, nec acceptione motus eſt perſonarum. Quo in Concilio, dùm ille de ſua interrogaretur promotione: Caro (inquit) voluit, Spiritus repugnavit. Sanè, ſana reſponſio; quia juſtus imprimis acuſator ſui, & tentatione carnis pulſatus, vt caderet virtute ſpiritus reſtitiſſe monſtratur. Erat autem illi tanta in exhortatione gratia, vt ad expectationē ſermonis illius, illuſtrium ſuſpenderentur animi perſonarum: Vndè & juſſu Papæ ſanctam, & plenam habuit gratiæ orationem, qua & Simoniaci de malè comparatis expulſi ſunt Dignitatibus, & de Sacrario Domini fornicatores inhibiti Sacerdotes.*

1500 Simoniæ acerrimus profligator extitit HINCMARVS, magni nominis illo ſæculo Rhemenſis Antiſtes, vt præter cæteros teſtatur FLODOARDVS *lib. 3. Hiſt. Rem. Eccleſ. cap.* 18. his verbis: *Idem verò Præſul (ſcilicet Hincmarus) de multis Regi (Carolo Calvo) neceſſariis ſepiſſimè ſuggerebat; inter quæ ſcribit ad eum pro electione Bellovacenſis Epiſcopi, poſt obitum Hildemanni Præſulis ipſius Vrbis. In qua Epiſtola Regem ſtudet à Simoniaca Hæreſi compeſcere, aſſerens: ſibi multò amabilius eſſe iſtum Epiſcopatum ſecundum ſæculum dimittere, quàm Epiſcopum contra Canonicam inſtitutionem, non tàm benedicere, quàm æterna ſecum maledictione maledicere.*

1501 Ipſe HINCMARVS vnicè dilecto Lamberto, qui in Metenſem Epiſcopum poſtulabatur hanc luem fugere, eamque penitus eliminare ſuadebat, vt refert citatus FLODOARDVS ibidem *cap.* 24. *ſub finem.* *Præcipuè monuit, peſtem Simoniacæ Hæreſeos in omnibus præcavere; Quia proficere (inquit) in Eccleſiaſtico gradu non poterit, qui ad hoc, vt Hæreticus fiat promovetur.*

1502 Idem Illuſtriſſimus Antiſtes graviter reprehendit Comitem Theodulphum, quòd Eccleſiaſticam matriculam vendidiſſet, & aſinum in pretium accepiſſet; vt videre eſt apud laudatum FLODOARDVM *cap.* 26. hæc ſcribentem: *Non ſolùm (inquit Hincmarus) criminaliter feciſti; quia contra omnes leges Eccleſiaſticum miniſterium homo Laicus vſurpaſti, & eleemoſynam, id eſt, miſericordiam pauperum, ac per hoc Deum, qui miſericordia miſerorum eſt, ſicut Judas proditor, vendidiſti; ſed etiam turpiter in hoc nimis feciſti, qui de mendicitate, de qua mendici vivere debent, Comes, & honoratus Regis Conſiliarius, in pretio aſinum accepiſti, & omnes, qui hæc audiunt, penſare poſſunt, qualiter de aliis cauſis pro amore, & timore Dei, & reverentia tui miniſterii juſtè, & rectè facis, qui de tali miſeria, ſine vlla verecundia turpe lucrum requiris.*

1503 Nec contra prædicta obſtat, licitum eſſe abſque Simoniæ labe vendere fructus Beneficio annexos, quique ratione tituli Beneficii percipi poſſunt; ſicque & Beneficium ratione prædictorum fructuum vendi poſſe, quin ipſum Beneficium quoad ſpiritualia vendatur. Non, inquam, obſtat; contra hunc enim errorem, aliquorumque deceptionem militat S. PETRI DAMIANI doctrina *lib. 1. Epiſt.* 13. referentis duos Gothfredi, Thuſcię Ducis, Clericos, Tudetchinum, & Joannem, in quos ſic exclamat: *O novum Schiſmaticorum genus, & os ſacrilegum, ęterni ſilentii cenſura damnandum! In vna ſiquidem hominis perſona duos eſſe conſtituunt, vt vnus ſit Sacerdos, ſub peccato venumdandus; alter autem dives ſub taxatione pecuniæ comparatus. Iſte velut alter Sardanapalus inter delitias eructet convivantium; ille, tamquam Apoſtolus, in regimine præſideat animarum. Hoc ergo modo, qui comparat agrum, pulverem terræ tantùm, non ſegetem dicendus eſt comparaſſe proventuum. Plagiarius etiam, qui diſtrahit hominem, non animam judicandus eſt vendidiſſe, ſed carnem: imò cum legamus, quia corpus ho-*

minis quadragesimo sexto die post maternæ conceptionis initium, plena formetur distinctione membrorum, atque mox divinitùs animetur, quoniam non anima, sed caro dumtaxat ex paterno semine prodiit: ergo pater carnem tantummodo dicendus est genuisse, non prolem, quæ ex anima constat, & corpore. Quod cum penitus absurdum sit, & meritò pater ille dicatur, ex cujus femore sola caro sit egressa, non anima; sic ille proculdubiò dicendus est mercator Ecclesiæ, qui per terrena, quæ redemit, ad honoris culmen ascendit, & per corporalis comercium lucri, emptor efficitur, nihilominus Sacramenti.*

1504 Et *infrà* sic prosequitur: *A te, qui non Ecclesiam, sed Ecclesiæ prædia te comparasse gloriaris, inquiro: Sanè cum baculum ille tuis manibus tradidit, dixit nè: *Accipe terras, atque divitias illius Ecclesiæ*: An potiùs (quod certum est) *accipe Ecclesiam*? Quod si bona Ecclesiæ sine Ecclesia suscepisti Schismaticus es, atque sacrilegus, qui bona Ecclesiæ ab Ecclesia dividis, & quod alienum est, violenter in tui vsus jura convertis. Quod si Ecclesiam suscepisti, quod omninò negare non potes, proculdubiò factus es Simoniacus, & priùs te venalitas fecit Hæreticum, quàm manus impositio redderet consecratum. Tunc enim consecrationem evidentissimè coemisti, cum id, propter quod ad consecrationem promovendus eras, venaliter accepisti. Sic enim vnum pendet ex altero, vt qui terrena Ecclesiæ bona suscipit, ad gratiam consecrationis aspiret, & qui consecratione perficitur, bona Ecclesiæ in vsus egentium, & cætera pietatis opera dispensanda conservet. Hoc itaque modo, licet Ecclesiasticæ facultatis mentio in ipsa manus impositione non fiat, is tamen, qui consecratur, bonorum Ecclesiæ dispensator efficitur; & cum Ecclesiam suscipit, quamvis nihil tunc de consecratione dicatur, ad hoc tamen vt consecretur eligitur.* Hæc, & alia admodùm notanda videri possunt *in supra laudato libro eruditissimi Card. Damiani*, adversus hos, quos vocat *Prædicatores Satanæ, & Apostolos Antichristi.*

1505 Ad majorem hujus solutionis illustrationem præclarè facit PASCHALIS Papæ doctrina *de Simoniaca Hæresi* ad Ecclesiam Mediolanensem, cujus Epistolæ longum fragmentum intexuit LVITPRANDVS *suæ Romanorum Pontificum historiæ, in Paschalis verbis* non nihil discrepantibus ab allegatione fragmenti ejusdem Epistolæ *apud Gratianum cap. si quis obiecerit* 1. *quæst* 3. vbi notandum est cum Glossa hujus capitis, quosdam Simoniacos se excusasse, dicentes: Se non emere Præbendas, sed Præbendarum fructus, contra quos sic decernit Pontifex: *Si quis obiecerit, non consecrationem emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur. Nam cum corporalis Ecclesia aut Episcopatus, aut Abbatia, aut tale aliquid sine rebus corporalibus, in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit, quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Nullus igitur emat Ecclesiam, vel Præbendam, vel aliquid Ecclesiasticum, nec pastellum, nec pastum, antea, vel postea pro hujusmodi solvat.*

1506 Prædicta solutio ampliùs roboratur VRBANI II. Papæ doctrina *Cap. Salvator* 1. *quæst.* 3. vbi lato calamo, agens contra vrgentem hunc errorem, qui Armenorum quoque fuit, vt habetur ex HARMACANO toto ferè *lib.* 10. & nominatim *cap.* 12. *initio*, & Græcorum teste GVIDONE, Carmelita, *tract. de Hæresib. Græcorum*, *cap.* 12. affirmat: *Falsò asseri, Beneficium posse absque alia facultate pecunia comparari, intuitu tantùm commodorum temporalium, ei annexorum, sive fructuum Beneficii; sicut Calix ratione materiæ, impunè, & sine culpa venditur, quamvis jam sit consecratus. Sed est apertum discrimen; nam materia Calicis est annexa rei spirituali antecedenter, cum sit subiectum, cui postea advenit consecratio: Vndè dummodo non pluris vendatur ratione consecrationis, potest absque Simonia distrahi pro pretio; quia venditur, quatenus purè temporale, & non perfusum spiritualitate. At fructus temporales Beneficii annectuntur juri spirituali consequenter, habentque se vt proprietates spirituales, vel vt aliquid involutum in proprietate spirituali manante ex jure, & titulo spirituali: ac proindè sine Simonia vendi non possunt, nisi Authoritate ejus, qui ea spiritualibus juribus annexuit, indè eximantur, & purè temporalia fiant, quo ipso interveniet facultas, si-*

ne

ne qua dicebamus ratum esse apud omnes, hæc vendi bona non posse, absque Simonia.*

CAP. IX.

QVAM ÆQVISSIMA FVERINT Sanctissimi Pontificis Gregorii Decreta adversus incontinentes, vxoratosque Clericos, etsi pluries monitos, non correctos.

1507 CVm hucusque latè probaverimus æquitatem, justissimaque momenta, quibus adductus fuit GREGORIVS VII. ad execrabile Simoniæ vitium, quod tunc temporis in Ecclesia immaniter grassabatur, graviſſimis pœnis interdicendum, & à toto Christiano orbe penitus eliminandum; cumque id tot Conciliorum Oraculis, totque Patrum, & Authorum, pietate, & doctrina celebriorum testimoniis, ac postremò Suprema Summorum Pontificum Authoritate, nedum Gregorii Prædecessorum, sed & Successorum, qui, Sanctum illius Zelum æmulati, idipsum prohibuere, confirmaverimus; nihil aliud in hac re superaddendum videtur, quàm de alterius Decreti æquitate ab ipso Gregorio contra incontinentes, vxoratosque Clericos promulgati sermonem facere.

1508 Pro quo præmonere oportet, Gregorium VII. *in Epistola ad Othonem, Constantiensem Episcopum* directa, mentionē fecisse de duobus Decretis, in Romano Concilio synodaliter conditis, vt suprà diximus, cum de vtrisque certiorem reddēdo, vt ea observari imperaret, vt ex Epistolæ illius tenore colligi potest. *Hęc tamen necessaria tibi scribenda forè arbitrati sumus: Nos juxta Authoritatem Sanctorum Patrum, in eadem Synodo Sententiam dedisse, vt hi, qui per Simoniacam Hæresim, hoc est interventu pretii, ad aliquem Sacrorum Ordinum gradum, & Officium promoti sunt, nullum in Sancta Ecclesia vlterius ministrandi locum habeant; &c. (Alterius verò Decreti immediatê meminit his verbis:) Sed nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, Missas celebrare, aut secundùm inferiores Ordines, ministrare Altari debeant: statuimus etiam, vt si ipsi contemptores fuerint nostrarum, imò Sanctorum Patrum Constitutionum, Populus nullo modo eorum Officia recipiat, vt qui pro amore Dei, & Officii Dignitate non corriguntur, verecundia sęculi, & objurgatione Populi resipiscant. Studeat ergo fraternitas tua, sic se in iis nobis cooperatricem exhibere, sic crimina ista de Ecclesiis tuis evellere, quatenus boni Pastoris meritum apud Dominum valeas obtinere, vt Romana Ecclesia de te, sicut de charissimo fratre, & studioso cooperatore, debeat gaudere.*

1509 Hujus Decreti mentionem facit MARIANVS SCOTVS *ad annum* 1074. in hæc verba: *Hildebrandus, qui & Gregorius Papa, decrevit præcepto Petri Apostoli, & S. Clementis, & Canonibus Patrum per bannum Dei, Petri & Pauli, & suum, Synodali judicio multorum Episcoporum, & contradicens interdixit Presbyteris, Diaconibus, omnibusque Clericis, vxores habere, & omninò cum fęminis habitare, nisi cum eis, quas Regula, vel Nicęna Synodus concessit. Vndè, & de prædicta Synodo Legati Papæ missi ad Henricum, Regem Romanorum, id est, duo Episcopi cum Regina ejusdem Regis matre, & Vniversali Synodo, coram Rege, communi omnium Episcoporum interdictu, fœminas separarunt à Clericis, & maximè à Presbyteris.*

1510 Ipse Author *ad annum sequentem* sic prosequitur: *Plures Clerici sub Sententia Interdicti Apostolici libentius esse voluerunt, quàm fęminis, & vxoribus carere. Sed vt per alios castigarentur decrevit Synodica legatione etiam hoc anno, vt nullus Christianus audiret Missam conjugati Presbyteri.*

1511 ANONYMVS, Author Catholicus, Gregorii Apologus adversus rebelles, ex ejus ad Othonem, Constantiensem Episcopum, Litteris refert Decretum *cap.* 1. in hunc modum: *Nos, juxta Authoritatem Sanctorum Patrum, in Synodo Sententiam dedimus, vt hi, qui in crimine fornicationis jacent, Missas celebrare, aut secundum inferiores Ordines ministrare Altari non debeant. Statuimus etiam, vt si ipsi contemptores fuerint nostrarum, imò Sanctorum Patrum Constitutionum, Populus nullo modo eorum Officia recipiat; vt qui pro amore Dei, & Officii Dignitate non corriguntur, verecundia sæculi, &*

ob-

objurgatione Populi resipiscant.*

1512 Idipsum *in suis Annalibus* commemorat ROGERVS HOVEDENSIS *ad annum* 1075. his verbis: *Gregorius Papa, servus servorum Dei, per totum Italicum Regnum, & Theutonicum, debitam S. Petro obedientiam exhibentibus, Apostolicam benedictionem. Si qui sunt Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui jacent in crimine fornicationis, interdicimus eis ex parte Omnipotentis Dei, & Authoritate S. Petri, introitum Ecclesiæ vsque dùm emendent, & pœniteant. Si qui autem in peccato suo perseverare maluerint, nullus vestrum ad Officium eorum auscultare præsumat; quia benedictio illorum vertitur in maledictionem, & Oratio in peccatum.* Similem Decreti formam refert SIMEON DUNELMENSIS; aliud insuper ejus de hac re Decretum laudat LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad annum* 1074.

1513 Huic Decreto impudenter obstiterunt vxorati Clerici, vt refert LAMBERTVS his verbis: *Adversus hoc Decretum protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum, hominem planè Hæreticum, & vesani Dogmatis esse Gregoriũ clamitans, & qui oblitus Sermonis Domini, quo ait: *Non omnes capiunt Verbum hoc*, violenta exactione homines cogeret vivere ritu Angelorum.*

1514 At contra hoc Decretum infensissimus fuit Belgii Monachus adversus Gregorium Henrici IV. Imperatoris partes sequutus Sigebertus Gemblacensis, qui *anno* 1074. *in suo Chronico* hæc nefanda scribit: *Gregorius Papa vxoratos Sacerdotes à Divino Officio removit, & Laicis Missam eorum interdixit, novo exemplo; &, vt multis visum fuit, inconsiderato præjudicio contra Sanctorum Patrum Sententiam, qui scripserunt, quòd Sacramenta, quæ in Ecclesia fiunt, Baptismus scilicet, & Chrisma, Corpus, & Sanguis CHRISTI, fiant Spiritus Sancto latenter operante eorumdem Sacramentorum effectum, seu per bonos, seu per malos intra Dei Ecclesiam dispensentur.*

1515 Eamdem Sententiam sequutus Julius S. Juventii apud Ticinum Præpositus existimat hæc Decreta adversari D. AUGVSTINO *adversus Donatistas*, constanter tradenti, Christiana Sacramenta à prophanis intra Catholicam Communionem Ministris non pollui, & per Sanctos, ac per impios tradita, aut confecta esse æquè Sancta, atque ex omnium manibus posse sine contagio fructuosè participari. Verùm quantum à veritatis tramite deflectant hi Authores mox demonstraturi sumus, pro Conclusione certissima hanc statuentes.

§. I.

Tantùm abest vt præfata Gregorii Decreta sint à Sanctorum Patrum mente aliena, vt potius Sanctis Patribus, Conciliis, communique Ecclesiæ sensui valdè consona, & conformia extiterint.

1517 ID manifestissimè ostendunt Concilia, tàm ante, quàm post Gregorium VII. celebrata, vna mente concubinarios, vxoratosque Clericos à Divinis Officiis gravissimis pœnis removentia.

1518 In primis CONCILIVM ILLIBERRITANVM *sub Marcello I. anno* 305. *Can.* 33. *Placuit, inquit, in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios, quod quicumque fecerit ab honore Clericatus exterminetur.*

1519 CONCILIVM NEOCÆSARIENSE *sub Sylvestro I. anno* 314. *& Epitome Adriani I. anno* 773. *Can.* 1. *Presbyter, si vxorem duxerit deponatur; si verò in fornicatione, vel adulterio peccaverit, extra Ecclesiam abjiciatur, & pœnitentiam inter Laicos reductus, agat.*

1520 ROMANUM II. *sub Sylvestro I. anno* 324. *Can.* 8.* Nullum Subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus, nè aliqua prævaricatione præsumpserit.*

1521 Et *Can.* 19. *Nemo Presbyter à die ortus Presbyterii sumat conjugium, seu mulieris suspectæ contubernium, vt si quis neglecto exierit, duodecim annis eum dicimus privari honore, quod si quis contra hunc chirographum egerit, condemnetur in perpetuum.*

1522 ARELATENSE II. *sub Siricio Papa anno* 389. *Can.* 3. *Si quis Clericus à gradu Diaconatus in solatio suo mulierem præter aviam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conversam, secum vxo-

rem

rem habere præsumpserit, à Communione alienus habeatur, par quoque mulierem, si separari noluerit, pœna percellat.*

1523 Ex CODICE CANONVM ECCLESIÆ AFRICANÆ, & EPITOME ADRIANI I. *anno* 773. *Can.* 25. habetur. *Vt Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, Episcopi, secundum priora statuta, etiam ab vxoribus se contineant, quod nisi fecerint, deponantur, cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori ætate.*

1524 CARTHAGINENSE IV. *sub Anastasio Papa anno* 398. *Can.* 69. *Episcopus, si sciens ordinaverit Clericum eum, qui viduam, aut repudiatam vxorem habuit, aut secundam etiam, ab Episcopatus sui ordinandi dumtaxat Potestate privetur.*

1525 ARAVSICANVM *sub Leone I. anno* 441. *Can.* 22. prohibet, nè deinceps ordinentur Diaconi conjugati, nisi qui prius conversionis proposito professi fuerint castitatem. Et *Can.* 23. sic statuit: *Siquis post acceptam benedictionem Leviticam, cum vxore sua incontinens invenitur, ab Officio abjiciatur.* Et *Can.* 24. decernit: De his, qui priusquam ordinati fuerint in hoc ipsum inciderint, Tauritani Synodi sequendam esse Sententiam, qua jubentur non vlterius promoveri.

1526 TVRONENSE *sub Simplicio Papa anno* 482. *Can.* 2. *Licet à Patribus nostris è commissa Authoritate id fuerit constitutum, vt quicumque Sacerdos, vel Levita, filiorum procreationi operam dare fuisset convictus, à Communione Dominica abstineret, Nos tamen huic districtioni, moderationem adhibentes, & justa Constitutione mollientes, id decernimus, vt Sacerdos, vel Levita conjugali concupiscentię inhærens, vel à filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non conscendant, neque Sacrificia Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat: sufficiat his tantùm, vt à Communione non afficiantur alieni.*

1527 AGATHENSE *sub Symmacho Papa anno* 506. *Can.* 9. *Placuit, vt si Presbyteri, vel Diaconi conjugati ad thorum vxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentii ordinatio, vel Siricii Authoritas servetur, quod si ad aliquos formula illa Ecclesiasticæ vitę à Siricio ad Provincias non probabitur pervenisse, eis ignorationis venia remittitur, ita vt de cætero penitus incipiant abstinere, & ita gradus suos, in quibus ioventi fuerint, sic retineant, vt ad potiora eis non liceat ascendere. Si qui autem scisse formam vivendi deteguntur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse, illi sunt modis omnibus submovendi.*

1528 TOLETANVM *sub Bonifacio II. anno* 531. *Can.* 1. *Cavendum tamen est his (qui ad subdiaconatum, vel Diaconatum promoventur) nè quando suæ sponsionis immemores, ad terrenas nuptias, aut abortivos concubitus vltrà recurrant. Quòd si fortè fecerint, vt sacrilegii rei ab Ecclesia habeantur extranei. His autem, quibus voluntas propria interrogationis tempore, desiderium nubendi persuasserit, concessam ab Apostolo Sententiam auferre non possumus; ita vt cum provectæ ætatis in conjugio positi renuntiaturos se pari consensu operibus carnis spoponderint, ad Sacros Ordines aspirent.*

1529 AVRELIANENSE II. *sub Sylvestro Papa anno* 536. *Can.* 8. *Siquis Diaconus, in captivitatem redactus, vxori fuerit copulatus, reversus, ab Officii omninò removendus est ministerio, cui sufficere debet pro actus sui levitate (impleta pœnitentia pro satisfactione) communio.*

1530 AVRELIANENSE III. *sub Vigilio Papa anno* 540. *Can.* 2. prohibet: *Vt nullus Clericorum à Subdiaconatu, & suprà, & quos vxores in proposito suo accipere inhibetur, propriæ (si fortè jam habent) misceatur vxori; quòd si fecerit Laica Cõmunione contentus, ab Officio deponatur. Quem, si sciens Episcopus suus in hac vilitate permixtionis viventem, ad Officium postea admiserit, & ipse Episcopus ad agendam pœnitentiam tribus mensibus sit ab Officio sequestratus.*

1531 Et *Can.* 7. *Clerici, qui cum vxores non haberent, benedictione susceptâ, conjugia crediderint eligenda, qui volentes absque vlla reclamatione in ætate fuerint legitima ordinati, cum ipsis mulieribus, quas acceperint, Excommunicatione percellantur; quòd si invitus, vel reclamans fuerit ordinatus, ab Officio quidem deponatur, sed non à Communione pellatur; Episcopus autem, qui inuitum, aut reclamantem præsumpserit ordinare, annuali pœnitentiæ subditus Missas facere non præsumat.*

AR-

1532 ARVERNENSE *sub Vigilio Papa anno* 541. *Can.* 12. *Cum Presbyteri,& Diaconi sublimi Dignitatis apice prærogentur, actibus omninô sæculi renuntient, & ad Sacrum ministerium electi repudient,& qui est Presbyter,atque Diaconus Divino munere, benedictione perceptа, vxoris suæ pius frater illicò efficiatur ex conjuge;attamẽ quosdam reperimus ardore libidinis inflammatos, abiecto militiæ cingulo, vomitum pristinum, & inhibita rursum conjugia repetisse, atque incesti quodammodo crimine clarum decus Sacerdotii violasse, quod quisquis fecisse cognoscitur,omni in perpetuum Dignitate privabitur.*

1533 AVRELIANENSE IV. *sub eodẽ Vigilio anno* 544.*Can.*17. *Sacerdotes, sive Diaconi cum conjugibus suis non habeant communem lectum,& cellulam, &c. quod qui fecerint, juxta priscos Canones, ab Officio regradentur.*

1534 AVRELIANENSE V. *sub ipso Vigilio anno* 552. *Can.* 3. *Nullus Episcoporum,Presbyterorum, & Diaconorum extranearum mulierum intra domum præsumat habere solatium, quibus etiam pro vtilitate sua aliqua familiariûs regenda committat.* Sed præsertim *Can.* 4. præcipitur, quòd siquis Clericus post acceptam benedictionem cujuslibet loci, vel Ordinis ad conjugalem thorum, jam sibi illicitum, denuô redire præsumpserit, vsque in diem vitæ ab honore accepti Ordinis, &c. (sive vt habent Antiquorum Patrum Canones)ab Officio deponatur tantummodo Communione concessa.

1535 TVRONENSE II. *sub Ioanne III.Papa anno* 570.*Can.*20. *Presbyteri, & Diaconi,ac Subdiaconi Vicarii,hoc studiosè custodiant, vt mancipiola sua ibi maneant, vbi vxores suæ; illi tamen segregatim solitarii in cella jaceant, & orent, & dormiant,&c. nam si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, annum integrum Excommunicatus habeatur, & depositus ab omni Officio Clericali,inter Laicos se observare cognoscat, eo tamen permisso, vt inter Lectores in psallentiũ Choro colligatur,&c. Nulli Clericorum juxta Sentẽtiam Canonum cum conjuge sua manere permittitur.*

1536 TOLETANVM *sub Gregorio I. anno* 597. *Can.*1. *Sanctam, & amicam Dei observantes castitatem, non solùm retinendam Pontifices suo corpore censeant, sed & Presbyteris, & Diaconis ministrantibus omnibus modis observandum constituant, vt ex his, qui castitatis voluerit patientiam violare, tali sorte coërceatur, vt vltimus, à quo est gradu dejectus, Deo amplius non ministret, sed Sacerdotis sui sit tali claustro conseptus, vt cæteros suo exemplo corrigat,&c.*

1537 TOLETANVM VIII. *sub Martino I. anno* 653. *Can.*5. *Sacerdotes, & Ministri, qui aut vxorum, aut quarumcumque fæminarum inmunda societate, & execrabili contagione turpantur, si omninò ab Episcopis coërceri nequiverint, vsque ad exitum vitæ suæ Monasteriis deputati disciplinis Monasticis maneãt omninò subiecti; mulieres verò, seu liberæ sint, seu ancillæ, hac illis turpitudine sociatæ omnimodè separentur, aut vendantur.*

1538 Et *Can.*7. *Quosdam, aut eventu necessitatum, aut metu periculorum, adeptos fuisse novimus Ecclesiasticarum Officia Dignitatum; & quoniam cum illis hęc imponerentur, id sibi fieri voluisse testati sunt, idcircò hęc spernere, atque ad pristina pertentant conjugia, moresque reddire, &c. Qui hæc attentaverit, mox omni Ecclesiastici Ordinis Dignitate privetur, & vt apostata à Sanctæ Ecclesiæ liminibus,& societate Fidelium habeatur prorsus excluſsus, Monasterii claustris, donec advixerit, sub pœnitentiis retrudendus.*

1539 TOLETANVM IX. *sub Vitaliano Papa anno* 655.*Can.*10. *Quilibet ab Episcopo vsque ad Subdiaconum, deinceps, qui vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ detestando connubio, in honore constituti, filios procrearint, illi quidem, ex quibus geniti probantur, Canonica Censura damnentur, proles autem tali pollutione nata, non solùm hæreditatem parentum numquam accipiant, sed etiam in servitutem ejus Ecclesiæ, de cujus Sacerdotis, vel Ministri ignominia nati sunt, jure perenni manebunt.*

1540 VVORMATIENSE *sub Adriano II. anno.*868.*Can.*9. *Placuit, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi,Subdiaconi abstineant se à conjugibus, & non generent filios, quòd si hoc Decretum vio-*

violaverint, ab honore Clericatus pellantur.*

1541 MOGVNTINVM *sub Stephano VI. anno* 885. *Can.* 19. *Subdiaconi, qui Sacra Mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri, sed & Episcopi, secundùm priorum statuta, etiam ab vxoribus se abstineant, quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur Officio; cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori ætate.*

1542 AVGVSTANVM *sub Ioanne XII. anno* 952. *Can.* 1. *Siquis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum vxorem accepit, à sibi injuncto Officio deponendus est. (Et *Can.* 4.) Nullus in Clericatus Officio manens, mulierem subintroductam secum habitare permittat; si verò aliqua suspicionũ maculis aspersa contra hæc agere tentaverit, ab Episcopo, vel ejus Misso Virgis cessa detondeatur.*

1543 ROMANVM III. *sub Leone IX. anno* 1051. *Can.* 1. *Vnusquisque Episcopus Ecclesiæ vendicet famulas, quas in sua Parochia deprehenderit, sacrilega Presbyteris admixtione prostratas.*

1544 MELPHITANVM *sub Vrbano II. anno* 1090. *Can.* 2. *A tempore Subdiaconatus nulli liceat carnale cõmercium exercere. (Et *Can.* 12.) Eos, qui in Subdiaconatu vxoribus vacare voluerint, ab omni Sacro Ordine removemus, Officio, atque Beneficio Ecclesiæ carere decernimus. Quod si ab Episcopo commoniti non se correxerint, Principibus licentiam indulgemus, vt eorum fœminas mancipent servituti; si verò Episcopi consenserint eorum pravitatibus, ipsi Officii interdictione multentur.*

1545 CONCILIVM CLAROMONTANVM *sub Vrbano II. anno* 1095. *Can.* 9. *Nullus Sacerdos, aut Diaconus, aut Subdiaconus, sed & nullus, qui Canonicam habet, fornicationis sibi copulam adjungat, quòd si fecerit, à Canonica omninò arceatur.*

1546 ROMANVM III. *sub eodem Vrbano II. anno* 1099. *Can.* 12. *A Subdiaconatus tempore nulli liceat carnale commercium exercere, quo qui deprehensus fuerit, Ordinis sui periculũ sustinebit.*

1547 LONDINENSE II. *sub Paschali II. anno* 1102. *Can.* 4. *Nullus Archidiaconus, Presbyter, Diaconus, Canonicus, vxorem ducat, aut ductam retineat; Subdiaconus verò quilibet, qui Canonicus non est, si post professionem castitatis vxorem duxerit, eadem Regula constringatur.*

1548 LONDINENSE III. *sub eodem Paschali, anno* 1108. *Can.* 2. *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi castè vivant, & fœminas in domibus suis non habeant præter proximas, consanguinitate sibi junctas; qui verò post interdictum Concilii Londinensis II. fœminas suas tenuerunt, vel alias duxerunt, si amplius Missas celebrare voluerint, eas omninò à se faciant alienas, vt nec illæ in domos eorum, nec ipsi in domos earum ingrediãtur, sed nec in aliqua domo scienter conveniant, neque hujusmodi fœminæ in territorio Ecclesiæ habitent. (Et *Can.* 5.) Illi autem Presbyteri, qui Divini Altaris, & Sacrorum Ordinum contẽptores præelegerint cum mulieribus habitare, à Divino Officio remoti, omnique Ecclesiastico Beneficio privati, extra Chorum ponantur infames pronuntiati.*

1549 RHEMENSE *sub Calixto II anno* 1119. *Can.* 5. *Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus concubinarum, & vxorum contubernia penitus interdicimus; si qui autem hujusmodi reperti fuerint, Ecclesiasticis Officiis priventur, & Beneficiis: sanè si neque sic immunditiam suam correxerint, Communione careant Christiana.*

1550 LONDINENSE II. *sub Honorio Papa II. anno* 1127. *Can.* 5. *Presbyteris, &c. (vt *suprà.*) Quod si cõcubinis, vel conjugibus adhæserint, Ecclesiastico priventur honore, simul & Beneficio. Presbyteros verò Parochiales (si qui tales fuerint,) extra Chorum eiicimus, & infames esse decernimus, concubinæ verò Presbyterorum, & Canonicorum, nisi ibi legitimè nupserint, extra Parochiam expellantur; quòd si postea culpabiles inventæ fuerint, in cujuscumque territorio sint, à Ministris Ecclesiæ capiantur, & Ecclesiasticæ disciplinæ, vel servituti (Episcopali judicio) mancipentur.*

1551 LATERANENSE VNIVERSALE X. *sub Innocentio II. anno* 1139. *Can.* 6. *Qui in Ordine Subdiaconatus, & suprà, vxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio, atque Ecclesiastico Beneficio careant.*

1552 LVGDVNENSE *sub Alex-*

xandro III. anno 1175. *Can.* 1. *Siquis Sacerdos, vel Clericus, in Sacris Ordinibus constitutus, Ecclesiam, vel Ecclesiasticum Beneficium habens, publicè fornicariam habeat, & terriò commonitus non dimiserit, omni Officio, & Beneficio Ecclesiastico spolietur. Si verò infra Subdiaconatum constituti, matrimonia contraxerint, ab vxoribus suis, nisi de communi consensu ad Religionem transire voluerint, nullatenus separentur, sed cum vxoribus viventes, Ecclesiastica Beneficia nullatenus percipiant.*

1553 LATERANENSE VNIVERSALE II. *sub Alexandro III. anno* 1179. *Can.* 11. *Clerici in Sacris Ordinibus constituti, qui mulierculas suas in domibus suis incontinentiæ nota tenuerint, aut abiiciant eas, aut continenter vivant, aut ab Officio, & Beneficio Ecclesiastico fiant alieni.*

1554 EBORACENSE *sub Cælestino III. anno* 1194. *Can.* 18. *Sacerdotes non habeant focarias in domibus suis, nec ad ejectas (in nostræ Constitutionis fraudem) accessum in domibus alienis; si verò in turpitudine sua persteterint, & hoc Decani dissimulantes, ad notitiam Prælatorum suorum non detulerint, ab Officio suspendantur; pœna autem eorum, qui publicè focarias tenent, hæc erit, vt tamquam infames ab aliorum accusatione, & a testimonio repellantur, si non relipuerint, ab Officio, & Beneficio suspendantur.*

1555 CONCILIVM DALMATIÆ, & DIOCLIÆ REGNORVM *sub Innocentio III. anno* 1199. *Can.* 1. *Sacerdotes, & Diaconi ante susceptum Officium, nisi eorum conjuges in manu Episcopi votum fecerint continentiæ, vxores habentes cum ipsis maneant, & Ecclesias dimittant, &c. Qui verò post susceptum Sacerdotii, vel Diaconatus honorem, adulteras potiùs, quàm vxores accepisse probantur, nisi eas dimiserint, & dignam egerint pœnitentiam, ab Officio, & Beneficio Ecclesiastico fiant penitus alieni.*

1556 OXONIENSE *sub Honorio III. anno* 1222. *Can.* 45. prohibet: Nè Clerici Beneficiati, vel in Sacris Ordinibus, constituti, in hospitiis suis tenere publicè concubinas præsumant, nec alibi cum scandalo accessum habeant ad easdem.

1557 GERMANICVM *sub eodem Honorio, anno* 1225. *Can.* 1. *Clerici continenter, & castè vivere studeant vniversi; & maximè in Ordinibus Sacris constituti. (Et Can.* 2.) *Siquis Clericorum deinceps fuerit deprehensus incontinentiæ vitio laborare, detinendo concubinam, nisi post admonitionem Canonicam illam á se prorsus expulerit, ex tunc tàm Beneficio, quàm & Officio expolietur; si verò nec sic emendaverit, Anathemate feriatur; qui verò concubinas vsque ad hæc tempora publicè tenuerunt, si Canonici fuerint, 40. diebus in claustris suis in quadragesimali cibo jejunent, &c. Qui verò remotas resumere præsumpserint, decrevimus eos Beneficiis esse privatos.*

1558 LONDINENSE *sub Gregorio IX. anno* 1237. *Can.* 7. *Multi matrimoniis contractis clandestinè retinere cum vxoribus Ecclesias, & Ecclesiastica Beneficia adipisci, de novo promoveri ad Sacros Ordines contra statuta Sacrorum Canonum non formidant, &c. Si repertum fuerit, aliquos taliter contraxisse, & ab Ecclesiis, & Ecclesiasticis Beneficiis, quibus tàm eos, quàm quoslibet vxoratos forè decernimus ipso jure privatos, removeantur omninò; & si quæ bona post hujusmodi matrimonium qualitercumque quæsita fuerint per ipsos, vel submissas personas de bonis eorum, ea nequaquam filiis, vel vxoribus hujusmodi, sed Ecclesiis, quas tenuerunt, vel in quibus habuerunt Beneficia, protinus applicētur; ipsi quoque filii ad Ecclesias, & Ecclesiastica Beneficia, & Ecclesiasticos Ordines inhabiles nullatenus admittantur, &c.*

1559 VIENNENSE *sub Clemente IV. anno* 1267. *Can.* 3. *Si qui de cætero deprehensi fuerint, detinere publicè concubinas, nisi infrà mensem se ab eis, & ab eorum consortio separaverint, ita quòd domibus ipsorum, aut propriis, aut aliis quibuscumque non cohabitent, nec ad illas accedant, ex tunc Beneficio Ecclesiastico sint privati.*

1560 SABINENSE IN HISPANIA *sub Ioanne XXII. anno* 1322. *Can.* 7. *Quicumque Clerici, post duos menses à publicatione Constitutionis, & monitione hujusmodi in suis Ecclesiis per Archiepiscopos, & Episcopos, vel eorum Vicarios in Synodis faciendis, concubinas detinuerint, vel dimissas, aut aliàs admiserint, si Beneficiati existant, tertia parte fructuum Beneficiorum omniumque pro illo obtinuerint*

tem-

tempore ipso facto, penitus sint privati; si verò per alios duos menses sequentes in eodem crimine continuaverint, alia tertia parte fructuum sint privati; quòd si per alios duos immediatè sequentes menses in eodem peccato perstiterint, reliqua tertia parte fructuum ipsos privamus, &c. Clerici non Beneficiati, tàm Sacerdotes, quàm Diaconi, vel Subdiaconi, vel inferiores Clerici non promoti, qui non erubescunt concubinas publicè tenere, si Sacerdos fuerit, Capellaniam amittat, aut temporalem tenere, vel habere non possit, & vsque ad vnum annum postquàm se à prædicto peccato plenè correxerit ad obtinendum Ecclesiasticum Beneficium sit inhabilis, & indignus. Diaconi, & Subdiaconi, ac inferiores Clerici vsque ad annum post correctionē jam dictam sint ad superiores Ordines inhabiles, & ad quæcumque Ecclesiastica Beneficia obtinenda; concubinæ verò publicæ Clericorum careant Ecclesiastica sepultura, &c.*

1561 SALISBVRSENSE *sub Martino V. anno* 1420. *Can.* 18. *Deinceps omnes in Sacris Ordinibus existentes, vel etiam in minoribus, Beneficiati, vel ad Religionem aliquam Deo sponte oblati, tenentes notoriè concubinas, pœnis infrà scriptis ipso facto subjaceant, vt videlicet, si habuerint Beneficia Sæcularia, vel Regularia Officia, aut administrationes, vel Dignitates, nisi infrà duos menses prorsus à se removerint, ipso jure intelligantur suis Beneficiis, & Officiis privati; si verò Beneficiati non fuerint, sint ipso jure inhabiles ad quæcumque Beneficia Ecclesiastica assequenda.*

1562 AVGVSTENSE *sub Paulo III. anno* 1548. *Can.* 10. *Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus fornicationis adulterii, aut familiaritatis convictus, remota protinus concubina, ab Officio suspendatur, & Beneficii fructibus ad certum tempus pro scandali gravitate privetur, incorrigibilis, factus Beneficium amittat; concubinæ autem Clericorum excommunicentur; cæteris verò Clericis infrà Subdiaconatum constitutis Ecclesiastico Beneficio prædictis, eadem privatione fructuum pœna infligatur, & à ministerio, si quod in Ecclesia habuerint, repellantur, & cum his omnibus nullas fœminas, nisi sanguinis necessitudine junctas, aut annorum quadragenario numero majores, aut saltem suspicione carentes, liceat cohabitare.*

1563 TREVIRENSE *sub Paulo III. anno* 1548. *Can.* 2. & 3. *In concubinatu deprehensi, illicò mandati contra concubinarios editi vigore omnibus Ecclesiæ bonis spolientur; scorta verò ab eorum ædibus longissimè pellantur. (Et *Can.* 5.) Si qui autem relegatas concubinas, evidentibus indiciis, & fidedignis testimoniis, clam, seu palam revisisse, adiisseque convicti fuerint, illos Synodi Sententia ipso facto Officiis, & Beneficiis privatos esse decernimus; prævaricatrices verò extra hæreditarias ædes exterminandas edicimus.*

1564 COLONIENSE II. *sub eodem Paulo III. anno* 1545. *Can.* 3. *Sacerdotes, & Clerici Beneficiati, qui concubinas, vel fœminas de incontinentia suspectas apud se detinent, suspensionem ab officio, & Beneficio incurrant.*

1565 Ex hucusque dictis manifestissimè convincitur quantum à veritate aberraverit Sigebertus Gemblacensis, novitatis arguens Decretum, quo Sanctissimus Pontifex GREGORIVS VII. *anno* 1074. *in I. Romano Concilio*, Can. 1. Sacris Ordinibus initiatorum continentiam statuit. Cum in tot Conciliis ante Gregorium *ab anno* 305. vsque ad nostri Gregorii tempora per 800. *ferè annos* Sacerdotum continentia sanctissimè fuerit statuta, & gravissimis pœnis, ac illis, quas Gregorius imposuit, longè majoribus, concubinariis Clericis, & vxoratis Sacerdotibus præceptum fuerit, vt à Divino Officio pellerentur. Qua ergo fronte potest Sigebertus Gemblacensis ita mendaciter novitatis arguere Sanctissimi Gregorii adversus incontinentes, vxoratosque Clericos Decreta, cum idipsum tot retrò sæculis perpetuò à Sanctis Patribus in Conciliis per totum fermè Christianum Orbem celebratis justissimè vetitum fuerit, ac prohibitum?

1566 Convincitur etiam, quàm insipienter, temerèque Sigebertus ausus fuerit dicere prædictum Gregorii Decretum esse contra Sanctorum Patrum Sententiam; quomodo enim potest Patrum Sententiæ adversari Decretum, quod consonum est, ac consentaneum innumerabilium Sanctissimorum Patrum consensui, qui in quadraginta, & amplius, Conciliis Gregorium, tàm antecedentibus, quàm subsequentibus, idipsum statuerunt, & op-

positum eisdem ferè pœnis prohibuerunt?

1567 Addit etiam Sigebertus, GREGORIVM Papam, non solùm vxoratos Sacerdotes à Divino Officio removisse; sed & eorum Missam Laicis interdixisse, idque multis visum fuisse contra Sanctorum Patrum Sententiam. Verùm quanto errore hac etiam in re captus fuerit Sigebertus, sequens §. demonstrabit.

§. II.

De æquitate Decreti Gregorii VII. Missam à conjugatis, vel publicè concubinariis Clericis audiendam, juxta Summorum Pontificum, Sanctorumque Patrum mentem, interdicentis.

1568 PRo indubitata assertione statuimus, præfatum Gregorii Decretum æquissimum fuisse, & Sanctissimum; siquidem juxta illorum temporum conditionem, magnamque Ecclesiasticæ disciplinæ relaxationem magnopere oportuit, concubinarios Clericos, qui Sanctissimis Summorum Pontificum Decretis pro illorum continentia, & castimonia editis, reluctabantur (vt *infrà* latè dicemus,) ad castitatem servandam gravius vrgere: Vndè vt eorum inobedientia, morumque laxatio rigorosiùs cohiberetur, necessaria omninò fuit hæc, de qua loquimur, Constitutio, vt Populus eorum Missas non audiret, qui tàm sordida, petulantique vita Sacramenta polluere non verebantur. Quare illam temerè à Sigeberto novitatis argui, non levibus momentis suaderi potest.

1569 In primis enim ante Gregorium eadem pœna adversus eosdem inflicta fuit à NICOLAO Papa II. *in Romana Synodo*, vt patet ex illius *Epist.* 45. *lib.* 2. in qua, inter alia, decernitur: *Vt nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Vndè etiam ipsa SANCTA SYNODVS hoc Capitulum sub Excommunicatione statuit, dicens: Quicumque Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum post constitutum beatæ memoriæ Prædecessoris nostri Sanctissimi Papæ Leonis de castitate Clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte Omnipotentis Dei, Authoritate Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, præcipimus, & omninò contradicimus, vt Missam non cantet, neque Evangelium, vel Epistolam, aut Missam legat, neque in Presbyterio ad Divina Officia, cum iis, qui præfatæ Constitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat, quo vsque à nobis Sententia super hujusmodi procedat.*

1570 Idem statuit ALEXANDER II. vt constat *ex cap. Præter 6. 32. distinct.* his verbis: *Præter hoc autem præcipiendo mandamus, vt nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam habere indubitanter, vel subintroductam mulierem.* Vndè etiam SANCTA SYNODVS hoc Capitulum sub Excommunicatione statuit, dicens: *Quicumque Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, post constitutum beatæ memoriæ Prædecessoris nostri Sanctissimi Papæ Leonis, ac Nicolai de castitate Clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte Omnipotentis Dei, Authoritate Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, præcipimus, & omninò contradicimus, vt Missas non cantent, nec Evangelium, aut Epistolam ad Missam legant, neque in Presbyterio ad Divina Officia, cum his, qui præfatæ Constitutioni obedientes fuerint, maneant, neque partem ab Ecclesia suscipiant.*

1571 Hoc Leonis Decretum, quod de solis Presbyteris loquebatur, Nicolaus Papa ad Diaconos, Subdiaconosque extendit; idque ipsum *in Romana Synodo* fecit, & confirmavit ALEXANDER II. vt ex mox adducto Decreto appàret; ambo tamen imitati sunt STEPHANVM Papam X. de quo *in Litteris ad Kunibertum, Taurinensem Episcopum* S. Card. PETRVS DAMIANI hæc scribit, *lib.* 4. *Epist.* 3. *Papa Stephanus, qui Zeli Phinees emulabatur ardorem, omnes Clericos Romę, qui post interdictum Papæ Leonis, incontinentes extiterant, de Cõventu Clericorum, è Choro Ecclesiæ præcepit exire, vt quamquam relictis fœminis per pœnitentiæ se lamenta corrigerent; tamen, quia Sancto Viro inobedientes fuerant, & de Sacrario ad tempus exirent, & celebrandæ Missæ licentiam de cætero non sperarent, &c.* Hic ergo primus Leonis Decretum ad omnes Clericos extendit,

quàm

quàm extensionem prosecuti sunt NICOLAVS, & ALEXANDER II. eamque extensionem admodum laudat BERTHOLDVS, Presbyter Constantiensis, *ad annum* 1057.

1572 De eodem Leonis Decreto loquens ibidem laudatus Cardinalis DAMIANI, sic prosequitur: *In plenaria planè Synodo Sanctæ memoriæ Leo Papa constituit, vt quęcumque damnabiles fœminæ intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris prostitutæ, ex tunc & deinceps Lateranensi palatio adjudicarentur ancillæ.* De quo Decreto ad Taurinensem Kunibertum Episcopum idem Card. pergit, dicens: *Quod salutare statutum æquitatis, justitiæ quę plenissimum nos etiam per omnes Ecclesias propagandum esse decernimus, quatenus præcepto priùs Apostolicæ Sedis Edicto, vnusquisque Episcopus Ecclesiæ suę vindicet famulas, quas sub sua Parochia deprehenderit, sacrilega Presbyteris admixtione substratas: æquitatis scilicet jure, vt quę Sacris Altaribus rapuisse Servorum Dei convincũtur obsequium, ipsæ hoc saltem Episcopo per diminuti sui capitis suppleant famulatum.* De hoc autem Decreto in Conciliis suprà adductis multa tradidimus.

1573 Hos igitur quatuor Sanctissimos Pontifices sequutus S. GREGORIVS VII. decrevit, vt Presbyteri concubinarii Missæ non audirentur; quamvis enim Nicolaus II. sua Decreta ad solos Italos extẽderit, vt sentit BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS; postmodum tamen laudatus Gregorius illud ad omnes Ecclesias extendit, vt supràdiximus; idque juxtà Sanctorum Patrum mentem statuisse liquidò constat *ex* ejus *ad Othonem Constantiensem Episcopum Litteris*, quas refert ipsius GREGORII APOLOGVS *cap.* 2. his verbis: *Nos juxta Authoritatem Sanctorum Patrum in Synodo Sententiam dedimus, vt hi, qui in crimine fornicationis jacent Missas celebrare, aut secundum inferiores Ordines ministrare Altari non debeant; statuimus etiam vt si ipsi contemptores fuerint nostrarum, imò Sanctorum Patrum Constitutionum, Populus nullo modo, eorum Officia recipiat, vt qui pro amore Dei, & Officii Dignitate non corriguntur, verecundia sæculi, & objurgatione Populi resipiscant.*

1574 Ex hucusque dictis manifestè convincitur, quàm temerè, & erroneè ausus fuerit Sigebertus Gemblacensis carpere, & improbare Decretum, quo Gregorius VII. Christiano Populo inhibuit Missas à concubinariis Clericis audiri, quasi novo exemplo, & non secundum Patrum judicium, & Sententiam id fecerit; cum id sine vllo fundamento affirmet, & oppositum evidenter innotescat; certum enim est, Leonem, Nicolaum, & Stephanum IX. fuisse Gregorii VII. Prædecessores, omnesque istos idipsum, quod Gregorius VII. illos imitatus decrevit, præcepisse, idque secundum Sanctorum Patrum in eisdem Synodis existentium mentem, vt optimè testatur MARIANVS SCOTVS, asserens, Gregorii Decreta ex Patrum Canonibus processisse.

1575 LAMBERTVS etiam SCAFNABVRGENSIS affirmat, illud Gregorii Decretum fuisse antiquorum Canonum institutis conformè: idque ipsum ostendit VRBANVS II. *in Epist. ad Lucium, Sancti Iuvenci Ticinensis Præpositum*, vt videri potest *in Litteris ad S. Annonem, Colonien sem Archiepiscopum* à Gregorio VII. datis in hæc verba: *Novit Fraternitas tua quia præcepta hæc non de nostro sensu exsculpimus, sed Antiquorum Patrum Sanctiones, Spiritu Sancto prædicante probatas, Officii nostri necessitate in medium propalamus, nè pigri servi subeamus periculum, si Dominicam pecuniam, quæ cum fœnore reposcitur, sub silentio abscondamus. Quamquam huic Sanctæ Romanæ Ecclesiæ semper licuit, semperque licebit contra noviter increscentes excessus, nova quoque Decreta, aut remedia procurare, quæ rationis, & Authoritatis edita judicio nulli hominum fas sit refutare.*

1576 Et vt clarius appareat magna prædicti Decreti æquitas, addimus illud, non solùm fuisse consonum his, quæ à quatuor Summis Pontificibus, Gregorii Prædecessoribus, istorumque Conciliis statuta fuerunt; sed etiam his, quæ alii Pontifices illius Successores, & Concilia confirmarunt; vt videre est in VRBANO II. *Epist. ad Lucium Presbyterum*, ibi: *Prædecessores nostri Nicolaus, & Gregorius à Missis Sacerdotum, quos tales re vera esse constiterit (videlicet vxores, vel concubinas habere) Fideles abstinere decreverunt, vt hanc peccandi licentiam cæ-

te-

teris auferrent, & hujusmodi ad dignę pœnitentiæ lamenta revocarent.*

1577 Ab INNOCENTIO etiam II. factam fuisse Leodii ex Lotharingis, & Trāsrhenanis Episcopis Synodum, & in ea damnata esse sacrilega Clericorum conjugia, testatur MAGNVM BELGII CHRONICON *fol.* 158. his verbis: *Verùm cum irriti fuerint conatus, hydraque semper revixerit, nec vnquā ex omni parte truncari, ac avelli potuerit, oportunum visum fuit Innocentio in sua Romana Synodo hæc statuere.* Decernimus, vt hi, qui in Ordine Subdiaconatus, & suprà, vxorem duxerit, aut concubinas habuerint, Officio atque Ecclesiastico Beneficio careant. Ad hæc Prædecessorum nostrorum Gregorii VII. Vrbani & Paschalis Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, prȩcipimus, vt nullus Missas eorum audiat, quos vxores, vel concubinas habere cognoverit. Vt autem lex continentiæ, & Deo placens munditia in Ecclesiasticis personis, & Sacris Ordinibus dilatetur, statuimus quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi, atque Conversi professi, qui Sanctum transgredientes propositum, vxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiarum Regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Quin etiam ab invicem separati pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agāt.*

1578 Idipsum confirmasse EVGENIVM III. cōstat *Canone 7. edito in Synodo Rhemensi* in hęc verba: *Quia continentia, & Deo placens munditia, in Ecclesiasticis personis, & Sanctis Ordinibus dilatanda est, Sanctorum Patrū, & Prædecessoris nostri Papæ Innocētii vestigiis inhærentes, statuimus, quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi, atque conversi professi, qui Sacrum transgredientes propositum sibi vxores copulare præsumpserint separentur, ejusmodi namque copulationem quam contra Ecclesiasticam Regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus, &c.*

1579 IN PICTAVIENSI CONCILIO *sub Paschali II. anno* 1100. *Can.* 10. *relato in c. 2. in* 1. *Collect. sub titulo de Cohabit. Cleric. & mulier. & in Epist. Can. Adriani*, *Can.* 10. sancitur: *Vt nullus Presbyter, Diaconus, Subdiaconus cōcubinam habeat, sed nec aliam fęminā, vndè mala suspicio habeatur, in vna domo secum teneat; & quicumque Sacerdotū, sive per pecuniam Ordinatorum Missam scienter audierint, Excōmunicationi subjacere debēt.*

1580 In PLACENTINO CONCILIO *sub Vrbano II. Can.* 5. Decretum legimus: *Subdiaconi, Diaconi, præcipuè Sacerdotes incontinentes, qui in Hæresi Nicolaitarum (quæ vxoratos Clericos in Sacris permittebat) manere non formidant, deinceps de Officio non se intromittant, nec Populus eorum Officia vllo modo recipiat.*

1581 Non modo à prædictis Provincialibus Conciliis, sed, & quod magis est, à tota Ecclesia, in Vniversali Concilio collectivè sumpta, idipsum statutum invenimus in CONCILIO LATERANENSI X. Oecumenico, cui præfuit INNOCENTIVS II. *anno* 1139. *Can.* 7. vbi hæc habentur: *Ad hæc Prædecessorum nostrorum Gregorii V. Vrbani, & Paschalis Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes præcipimus, vt nullus Missas eorum audiat, quos vxores, vel concubinas habere cognoverit.*

1582 Ex hactenus dictis apertissimè demonstratur error, & deceptio Sigeberti Gemblacensis, qui *in suo Chronico*, vt diximus, non veretur novitatis arguere, & à Sanctorum Patrum Doctrina alienum asserere Decretum, quo GREGORIVS VII. vxoratos Sacerdotes à Divino removet Officio, & eorum Missas Laicis interdicit; plenissimè namque liquet de prædicti Decreti rectitudine, & æquitate; cum idipsum, quod Gregorius, alii etiā Sanctissimi Pontifices ante Gregorium sanxerint, LEO IX. NICOLAVS II. ALEXANDER II. & STEPHANVS X. & post Gregorium INNOCENTIVS II. PASCHALIS II. & PICTAVIENSE, ac PLACENTINVM CONCILIVM, totaque demùm ECCLESIA in LATERANENSI CONCILIO decreverit. Quod ergo à tot Summis Pontificibus, in tàm diversis Conciliis, juxtà Sanctorum Patrum mentem, rectissimè statutum legitur, ab ipsaque Ecclesia, in Æcumenica Synodo congregata, Decretum dici nè poterit, esse Sanctorum Patrum Sententiæ adversum? Absit tantus error; id enim non ab alio, quàm à Schismatico summæ audaciæ, ac

pro-

procacitatis viro poterat temerè affirmari.

§. II.

Prædicta Gregorii VII. Decreta ampliori luce firmantur.

1583 QVamquam hucusque dicta satis, superque essent ad cujusvis cordati, & prudentis viri mentem convincendum, quia tamen in præsenti agimus cum pervicacibus, & propositi sui tenacibus, qui misera mentis cæcitate obtenebrati, haud facilè ratione moventur, operæpretium duximus, ampliori Doctrinæ pondere prædicta Decreta, quibus Gregorius concubinariis Clericis inhibuit ad Divina accedere, eorumque Missas à Fidelibus audiri, justissima ostendere, & Sanctorum Patrum, ac Conciliorum Sententiæ maximè consentanea esse.

1584 Quod non erit probatu difficilè, si attentè perpendatur, quod Altaris ministerium à B. GREGORIO incontinentibus Clericis interdictum, tam longè abest, vt novitatis, & contrà Sanctorum Patrum mentem insimulari queat, quin potiùs sit à Sanctis Patribus multis retro sæculis ante Gregorium definitum; siquidem in I. NICÆNO CONCILIO, quod maximum est inter quatuor OEcumenica, juxta S. GREGORIVM Evangeliis adæquata, *cap.* 3. sic Sancti Patres loquuntur: *Interdicit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ suspicionem effugiunt.*

1585 Vt autem hujus capitis intentio clariùs eluceat, apertiorem ejus translationem subnectere non pigeat. *Omnimodè Sancta interdixit Synodus, neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque vlli omninò Clericorum, licere habere secum mulierem extraneam, nisi fortè mater sit, aut soror, aut amita; in his namque personis, & horum similibus, omnis suspicio declinatur. Qui aliter præter hæc agit, periclitabitur de Clero suo.*

1586 Ex his verbis manifestè appareret, quàm conforme sit Gregorii Sententiæ Sanctissimum istud Decretum, ab vno è majoribus Ecclesiæ Conciliis promulgatum; siquidem prædictum Nicænum Concilium conjugale opus penitus interdicit Clericis, qui & pro ipsa fœminarum cohabitatione, non solùm de Altaris ministerio, sed de Clericatu suo periclitari jure censentur; idque citata Synodus non modò de Sacerdotibus, sed de omnibus Sacris Ordinibus manifestè decernit.

1587 Idipsum statuit NEOCÆSARIENSE CONCILIVM, quod ante Nicænum fuisse legitur; siquidem *cap.* 1. sic decernit: *Presbyter, si vxorem duxerit, ab Ordine deponatur; si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debeat, & ad pœnitentiam redigi.*

1588 CHALCEDONENSE CONCILIVM, quod Neocæsarienses, & Nicænas, imò omnium Sanctorum Patrum sanctiones, ante ipsum editas, confirmat, earumdem sanctionum prævaricator sic præstringit, & condemnat *cap.* 10. *Eos autem, qui ausi fuerint per diffinitionem magnæ, & Vniversalis hujus Synodi quæcumque, ex his quæ sunt prohibita, perpetrare, decrevit Sancta Synodus à proprio gradu recedere.*

1589 Beatissimus Pontifex Sylvester, qui Nicænam Synodum congregavit, eamdemque Apostolica Authoritate confirmavit, *in suis Synodalibus Decretis* statuit *cap.* 6. *Nemo Presbyter à die honoris Presbyterii sumat conjugium: quòd siquis, neglecto hoc, egerit aliter, duodecim annis eum jubemus privari honore; quòd siquis contra hoc Chirographum præsens, & publicè dictum egerit, damnabitur in perpetuum.*

1590 SYRICIVS Papa *in suis Decretis*, *cap.* 7. hæc constituit: *Quilibet Episcopus, Presbyter, atque Diaconus, quod non optamus, deinceps, si incontinens fuerit inventus, jam nunc sibi per Nos, omnem aditum indulgentiæ intelligat obseratum.* (Et *cap.* 12. hæc habet:) *Fœminas etiam non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantùm, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum eisdem Synodus Nicæna permisit.*

1591 Sanctissimus Pontifex GREGORIVS MAGNVS *ad Romanum Defensorem* scribens *cap.* 10. ita decernit: *Siquis Episcoporum, quos commissi tibi patrimonii finis includit, cum mulieribus degunt, hos vt omninò compescas jubemus; & de cætero illic eas inhabitare, nullo mo-*

modo patiaris, exceptis his, quas Sacrorum Canonum censura permittit, id est, matrem, amitam, germanam, & alias hujusmodi, de quibus prava suspicio non possit esse. Melius tamen faciunt, si se etiam talium cohabitatione contineant. Nam legitur quod B. Augustinus, nec cum sorore habitare consenserint dicens: *Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.* Docti ergo viri cautela magna nobis debet esse institutio. (Et post pauca:) Præterea curæ tuæ sit eosdem confratres nostros adhortari, vt subiectos sibi, in Sacris Ordinibus constitutos, quod ipsi servant, ad similitudinem suam, modis omnibus servare commoneant.*

1592 ZACHARIAS Papa *in suis Decretis, cap. 1.* *Decernimus, inquit, vt Episcopi, cum mulieribus omninò non habitent, nè ab antiqui hostis fraude decipiantur. (Et *in cap. 11.* statuit:) Vt Presbyteri, & Diaconi subintroductas mulieres nullo modo secum habere audeant, nisi forsitan commatrem suam, ac proximitatem generationis sibi habentes, qnę suspiciones effugiunt, sicut in Nicæno Concilio habetur: Siquis pręter hæc statuta præsumpserit, Sacerdotij sui honore privetur.*

1593 Fulgentissimum illud Ecclesiæ Sydus S. HIERONYMVS, scribens *ad Occeanum*, authenticis rationibus probavit, non licere Clericis conversari cum fœminis: & postmodum subintulit: *Quòd si post nostra monita aliquis Clericus Agapetas amplius quæsierit amare, quàm CHRISTVM, secundum Synodalem Regulam conveniatur, & præcepta in Nicæna definita ei legantur. Iam verò si Conventus prædictos fugerit, & reliquerit, consecuti sumus maximum lucrum. Alioquin talis ab Ecclesia anathematizandus est; germinant enim fœminæ spinas cum viris habitantes, & arcana mentium acuto mucrone percutiunt.*

§. III.

Quàm consona sint Divinis Oraculis, Sacrarumque Interpretibus Litterarum, nedum Gregorii sed & aliorum, quos sequitur, Pontificum Decreta.

1594 ETsi quæ hucusque probavimus sufficiant ad cujusvis hominis, quamtumvis procacis mentem convincendam, cum plenissimè constet ea; quæ à GREGORIO VII. statuta sunt, ac declarata adversus concubinarios, vxoratosque Clericos esse valdè conformia aliorum Pontificum, Sacrorumque Conciliorum, tàm antecedentium, quàm subsequentium judicio, ac Sententiæ, manifestoque consensui totius Ecclesiæ in Conciliis NEOCÆSARIENSI, NICÆNO, CHALCEDONENSI, & LATERANENSI congregatæ, vndè nihil amplius superaddendum videbatur ad quemliber, quantumvis pervicacem, & obstinatum flectendum, eique haud inefficaciter suadendum, vt nostræ Assertioni acquiesceret; nihilominus ad pleniorem hujus illustrationem, & nè tàm Sancta Doctrina Sacræ Scripturæ tàm veteris, quàm novi Testamenti propugnaculo destituta videatur, aliquos illius Textus, Sanctorum Patrum intelligentia elucidatos, in prædictæ veritatis confirmationem adducemus, priùs tamen prænotantes vetus Testamentum partim in Mysteriis, partim in Moralibus præceptis contineri; sed adveniente CHRITO illud in Mysteriis, carnalibusque observantiis penitus cessasse, eo quòd CHRISTVS legis finis fuerit, & complementum; Moralia tamen præcepta adhùc manent, eo quòd in naturali lege nitantur, vt rectè annotavit ANGELICVS DOCTOR 1. 2. semper enim est observandum illud MATTHÆI 11. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, & alia similia. Quicumque ergo ex lege aliquam carnalem observantiam novo Testamento adversam adhûc observandam esse dogmatizaret, proculdubio cum Galatis, imò cum Ebionitis judaizare conviceretur.

1595 Conjugale autem Sacerdotum opus inter carnales legis observantias computatur; id enim illis in lege successionis tantummodo causa legitur concessum; quia ex alia Tribu nullus eo tempore ad Sacerdotium pervenit; nostro verò tempore cum ex quolibet genere Sacerdotes eligere liceat, meritò eis conjugale opus prohibetur, cum jam Successores non habeant necessarios. Quarè siquis cum Sozomeno, vel potiùs Ebione, & aliis hujus furfuris hoc tempore Judaicum illud conjugium novi Testamenti Sacerdotibus licere dogmatizaret, illud Anathema inevitabiliter incurreret, quo APOSTOLVS specialiter Judaicarum observantiarum prædicatores ana-

anathematizat, judaizantes Galatas sic deterrēs (*ad Galat. 1.*) *Sed licet vos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquā quod evangelizavimus vobis, Anathema sit.* Quod iterum repetit subdens: *Nunc iterum dico vobis: Si quis evangelizaverit præter id, quod accepistis, Anathema sit.* Insuper ipse Hæresiarcha Ebion cum omnibus suis sequacibus anathematizatus est à Sanctissima SYNODO CONSTANTINOPOLITANA, & à Beatissimo GELASIO Papa in Apostolica Sede; quod Anathema nullus subterfugere poterit quicumque ipsum Hæresiarcham per Sozomeni caput sectari præsumpserint.

1596 Quoad secundam Gregoriani Decreti partem, videlicet, vt Populus eorum Officia non recipiat, quos Sacris Canonibus, imò Evangelicis Institutionibus adversari percipiat, duximus eam ampliùs roborandam. Quod haud difficilè erit, si attendamus præfatos Clericos, juxta Sanctorum Patrum Censuram, in propriam suam perniciem Altari ministrare; vtpote, quia tot Sacrorum Canonum, & Conciliorum Decretis refractarii, ac parere nolentes, Altaris ministerio fiunt indigni, & meritò ab eo sunt ablegandi, ac in tanti sceleris pœnam justè merentur eorum Divina Officia, vel potiùs sacrilegia, à Fidelibus non audiri (non defectu integritatis Sacramenti, vel sacrificii, sed ob pernitiosum Fidelibus exemplum audiendi Missas à Sacerdotibus notoriè concubinatiis, vel vxoratis, nedum publicè peccantibus, & ab Ordinibus juxta Sacros Canones, & Concilia relata suspensis, & depositis; verùm & in continuo publico scandalo, & sacrilegio celebrantibus.) Quod quidē malū in magnā Ecclesiæ ac fidelium pernicie vergens Sacra Concilia exterminare conata sunt. Sic Antiochenū, à Sanctissimo CHALCEDONENSI CONCILIO, vt supràdiximus, indubitanter roboratum, talium damnatorum Clericorum Officia à Populis recipi adeò districtè vetuit, vt eos etiam, qui illis Clericis, quos interdictum sibi ministerium vsurpare cognoverint, saltem communicare auderent, ab Ecclesia abiiciendos esse censuerit. Sic legimus Decretum *in* 4. ejusdem Concilii *capite* his verbis: *Siquis Episcopus à Synodo damnatus, vel Presbyter, aut Diaconus ab Episcopo, ausi fuerint aliquid de Sacro ministerio contingere, sive Episcopus juxta præcedentem consuetudinem, sive Presbyter, aut Diaconus, nullo modo liceat ei, nec in alia Synodo, restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis: sed & communicantes ei omnes ejici de Ecclesia, & maximè si postea quā dicerint adversus memoratos prolatam fuisse Sententiam, eis communicare tentaverint.*

1597 Juxta hujus Canonis tenorem SS. Patres, qui in Chalcedone Sacratissimos Canones promulgarunt, omnes communicatores cujusdam damnati Timothei Alexandrini Præsulis Excommunicatos esse censerunt; & Leoni Imperatori pro eodem Timotheo consulenti, sic rescripserunt: *Eos etiam, qui cum scirent, Timotheum fuisse damnatum, communicare illi sine periculo credidérunt, extraneos esse à Dei Ecclesia judicamus, secundum consequentiam regularem, nulla eis venia, nec spe, restitutionis vllo modo remanente, sicut 83. Regula de talibus apertè decernit, cujus initium est: Siquis Episcopus à Synodo damnatus, &c.* vt mox diximus. Ex quibus manifestissimè liquet, Sanctissimum GREGORIVM rectissimè, ac meritò Populis Officia hujusmodi Clericorum vetuisse, ne cōmunicarent eis, quos nedū ipse damnaverat, verùm & à Sanctis Patribus jam dudum damnatos esse monstravit.

1598 Sanctissimus Pontifex ALEXANDER â S. Petro Apostolorum Principe quintus, qui potiùs in camino ignis cōcremari, quàm mentiri fortissimus athleta delegit, nec loquendum esse eis testatur, quibus Episcopus pro eorum sceleribus sententiam adversus, idque ipsius Apostolorum Principis Authoritate confirmat, sic scribens *cap. 6.* *Beatus Petrus in ordinatione Sancti Prædecessoris nostri Clementis instruens Cleri, & Populum ait: *Si inimicus fuerit Clemens alicujus pro actibus suis nolite vos expectare, vt ipse vobis dicat: Cum illo nolite amici esse: sed observare prudenter debetis, & voluntati ejus, absque commonitione, obsecundare, & avertere vos ab eo, cui ipsum sentitis adversum; sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur, vt vnusquisque, qui in culpa est, dùm cupit omnium vestrum amicitias ferre, festinet citiùs reconciliari ei qui omnibus præest, & per hoc redeat ad salutem, cum obedire caperit monitis præsidentis. Si verò quis amicus fuerit his, quibus ipse non loquitur,*

*vnus est, & ipse ex illis qui exterminare Dei Ecclesiam volunt, & cum corpore vobiscum esse videatur, mente, & animo contra vos est & est multo nequior hostis hic, quam illi, qui foris sunt, & evidenter inimici sunt: hic enim per amicitiarum speciem, quæ inimica sunt gerit, & Ecclesiam dispergit, ac vastat.**

1599 Si ergo Apostolorum Princeps tàm strictè prohibet nè quis eis saltem loquatur, qui Apostolicis institutis parere nolunt, evidentissimèque interdicit nê Populus Missas, aut reliqua Divina Officia ab eis recipiat. Mos enim Populi Dei, juxta S. Augustinum pro lege tenendus, manifestè comprobat cum Canonibus supràlaudatis, nê Populus cujuscumque Sacerdotis Missas audiat, aut ejus singulis salutationibus in Missa respondeat. Quapropter Populus hujusmodi prævaricatorum Missas nullatenus recipiat, si ipsius Principis Apostolorum Sententiam observare, ac sequi desiderat.

1600 Roboratur ampliùs nostrum assertum S. GREGORII MAGNI Sententia, qui *ad Francorum Regem* de hujusmodi Sacerdotibus Canonum contemptoribus scribens *cap.* 135. testatur, quòd Regnum ex culpa talium Sacerdotum prægravetur. (*Et paulò infrà* subjungit: Major metuenda est locis illis calamitas, vbi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei magis in se iracundiam promovent, quàm per semetipsos Populis placare debuerant.* Sanctissimus igitur GREGORIVS jure vetuit Populum hujusmodi præsumptorum, ac nequissimorum Officia recipere, quos Sanctissimus Gregorius Magnus, & Regnum culpa sua prægravare, & Dei iracundiam in se magis provocare asseruit; scriptum est enim: *Qui averterit aurem suam nè audiat legem, execrabilis erit ejus oratio*; *Proverb.* 28. Quo crimine obnoxii erant, eo tempore quicumque Clerici concubinarii, vel vxorati, qui Canonicis sanctionibus obstinato animo refragabantur: vndè, & eorum Officia, meritò Populis interdicebantur, quorum orationes Omnipotens Deus, non dico non recipit, quin potiùs execratur.

1601 Idipsum confirmare possumus D. PAVLI Authoritate, qui præsenti Gregorii VII. Statuto cõsentaneus esse non dubitatur 1. *ad Corinth.* 5. *dicens*: *Si is, qui frater nominatur, est fornicator aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi, nec cibum sumere. Et* 2. *ad Thessal.* 3. his verbis: *Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis.* (Et mox subdit:) *Si quis obedit verbo nostro per Epistolam, hũc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur.* Vndè manifestissimè apparet, quòd cũ quibus Apostolus Fideles nec corporalem cibum sumere permittit, & à quorum consortio discedere præcipit, de eisdem Apostolicæ institutionis contemptoribus Clericis noster Gregorius Populo jubet, vt eis saltem ad Dominicam mensam non communicet, seque ab eorum societate, saltem eo tempore subtrahat; cum illi contra Apostolica instituta fas, & jus, Sacra Mysteria in suæ animæ periculum, ac Populi scandalũ non verentur vsurpare, juxta Apostolũ 1. *ad Corinth.* 11. *Quicumque Dominicum Panem, & Calicem sumit indignè, Corporis, & Sanguinis Domini reus erit.* Et *judicium sibi manducat, & bibit.* Quod quidem omnes fecisse perhibentur, qui fornicationem, & avaritiam nedum exercere, verùm & obstinato animo defendere præsumptuosè non erubescunt; de quibus APOSTOLVS dicit: *Quoniam qui talia agũt, Regnum Dei nõ possidebunt* 1. *ad Corinth.* 15.

1602 Vrgetur ampliùs ex S. DAMASI Papæ *Epistola ad S. Aurelium, Carthaginensem Archiepiscopum*, sic scribentis: *Violatores Canonum voluntarii, graviter à Sanctis Patribus judicantur, & à Spiritu Sancto, cujus instinctu, ac dono dictati sunt, damnantur; quoniam blasphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur; qui etiam contra Sanctos Canones, non necessitate compulsi, sed libenter, vt præfixum est, aliquid, aut protervè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus, sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifestè vnum genus est blasphemantium Spiritum Sanctum; quoniam, vt jam prælibatum est, contra eum agit, cujus nutu, & gratia, ijdem Sancti Canones sunt editi.* Quapropter illi Sacerdotes, qui tàm gravissimis criminibus sunt obnoxii, imò ipsi incontinentes Clerici, qui pro eisdem criminibus secundum Canonica

in-

institutа jam sunt damnari, nullatenus nisi in perniciem suam sacrificare possunt: Vndè & illi non parum delinquere probantur, quicumque ipsis in propriam necem sacrificare vsurpantibus per solitas responsiones in Missa scienter cooperare præsumerent; non enim pro parvo crimine haberetur, siquis alicui se ipsum crudeliter occidenti scienter cooperaretur. Æquissimè ergo, ac prudentissimè, Sanctus GREGORIVS Populum hujusmodi præsumptorum Clericorum vsurpationibus, ac nefandis criminibus involutis interesse prohibuit, quas non solùm ductoribus eorum, sed & receptoribus pernicioſas esse non ignoravit.

1603 Insuper hæc eadem veritas potest non leviter ex VETERIS TESTAMENTI gestis illustrari, ipsi enim Hæresiarchæ Corê, Dathan, & Abiron, cum vniversa eorum substantia vivi ad infernum ex improviso prolapsi sunt; sequaces verò eorum per ignem à Domino penitus extingui meruerunt. Horum itaque subitaneam, & justissimam vltionem illi diligenter attendant, & cavere conentur, qui contra Apostolica præcepta interdictum sibi Sacerdotale Officium, obstinata temeritate vsurpant; nec otiosè mortem Ozæ considerent, qui cum David Arcam Domini de Philistiim in novo plaustro reduceret, à Domino percussus interiit, eo quòd Arcam, licet jam casuram, manu sustentare præsumpserit. Si enim ille meritò periit, qui temerê quidem, sed benignè, Arcam Domini sana intentione tantùm tetigit, quantò magis ille, qui contra fas, & jus, tot Sanctissimis Canonibus reluctantibus, Divina Officia ministrare, Corpus Domini indignè sumere, & cum Populi scandalo, eo spectante, celebrare præsumpserit?

1604 Cum hucusque GREGORII VII. Decretum adversus concubinarios, vxoratosque Clericos, quibus interdixit ad Divina Sacramenta accedere, eorumque Missas à Populo audiri, æquissimum fuisse, ac justissimum, tâm multiplici Sanctorum Patrum, Sacrorumque Conciliorum illud illustrantium Authoritate pleniſſimê probaverimus; satis apertè convictus ostenditur error Sigeberti Gemblacensis, qui adeò temerè ausus fuit prædictum Decretum novitatis arguere, & à Sanctorum Patrum Sententia alienum asserere. Et quamvis præfatus Sigebertus impugnari non merebatur, tamquam suspectæ fidei testis, quòd vnus fuerit ê præcipuis sectariis, & Schismaticis, qui Imperatoris Henrici, eo tempore Apostolicæ Sedis, & Christianæ Religionis hostis renuntiati, & vt talis sæpè anathematizati, ac postremò Imperio Exauthorati, partes tuebantur; nihilominus, vt ferventissimus Gregorii Pontificis pro Ecclesia Zelus orbi clariùs innotesceret, necessariũ duximus luculenta Patrũ, & Cõciliorũ, suprà laudatorum, Authoritate, & totius Ecclesiæ consensu, Sigeberti errorem oppugnare, illiusque in Historia deceptionẽ demonstrare. Et quoniam non defuere, qui apparentibus rationibus innixi, illum sequuti sint, valdè oportunum censuimus præcipua illorum fundamenta non omittere, vt eis labefactatis nostræ Assertionis veritas clarior eniteat.

§. IV.

Adversariorum argumentis fit satis.

1605 ARguitur 1. Missa notorii concubinarii non minoris valoris est, quàm castissimi Sacerdotis; ergo non minus audienda est vnius, quàm alterius Missa. Consequentia liquet; antecedens verò patet ex D. AVGVSTINO, qui *lib. de Corpore Christi*, ait: *In ministerio Corporis, & Sanguinis Domini nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote.* Huic argumento dupliciter respondetur. Primò, negando consequentiam, cum non prohibeatur Missa fornicarii notorii, vel vxorati Sacerdotis à Fidelibus audiri, quia ipsa minus perfecta sit in Sacramento, quàm Missa boni Sacerdotis, sed ob alias rationes; præsertim, quia ob momenta superiùs adducta in peccato publico, ac continuo sacrilegio celebrans, redditur indignus, vt ejus Missa audiatur; tûm quia, vt optimè docet S. BONAVENTVRA *in 4. Sententiarum, dist. 13.* concubinariis Sacerdotibus interdici Divina Officia, aut eorum Missas audiri, justè fit; primò in pœnam peccati eorum, quia non sunt digni audiri; secundò, vt confusi de culpa, ad gratiam reddeant; tertiò, vt alii retrahantur ab eorum imitatione: Vndê vt dicit idem S. Doctor ibi: hoc est opus justitiæ, misericordiæ, & providentiæ.

1606 Secundò respondetur ad illud, quòd in antecedenti proponitur, de æquali

valore Missæ boni, ac mali Sacerdotis, adhibendam esse distinctionem juxta D. THOMÆ, BONAVENTVRÆ & ALBERTI MAGNI Doctrinam; de Missa enim dupliciter loqui possumus; primò quo ad id, quod est essentiale in ea, scilicet Corpus CHRISTI, & sic à quocumque dicatur, æqualiter bona est; quia ex opere operato bonum est, & virtuosum; secundò quantum ad id, quod est annexum Sacramento, & secundarium, scilicet orationes, deprecationes, quæ fiunt pro vivis, & defunctis, & sic Missa boni Sacerdotis melior est; quia non solùm habet efficaciam ex opere operato, sed ex opere operantis, & ideò cæteris paribus, melius est audire Missam boni Sacerdotis, quàm mali. Hãc solutionem sequitur Card. TVRRECREMATA *cap. Nullus 32. dist.*

1607 Arguitur 2. ex D. AVGVSTINO, loco *supra* laudato, sic loquente: *Nec in homine bono, nec in homine malo aliquis Sacramenta fugiat.* At Sacerdotes, etsi fornicarii notorii verum conficiunt Sacramentum: Ergo videtur, quòd non sint in eorum Officiis vitandi. Respondetur negando consequentiam, non enim vitantur Sacramenta in prædictis notoriis concubinariis, ac malis Sacerdotibus, tamquam inania, aut indigna, aut minus perfecta, quin potiùs venerari merentur; & à talibus Sacerdotibus Hostia cõsecrata debet à Fidelibus adorari: sed tantummodo vitãtur personæ Sacerdotum indignè ministrantiũ, cũ temerè se ingerant in celebratione Divinorum, à qua omni jure suspensi habentur, tamquam inobedientes, & refractarii tot Sanctissimis Sedis Apostolicæ Decretis, ac Sanctorum Conciliorum sanctionibus, quibus in peccato sacrilegè celebrãtibus inhibetur exercitium, ac Officium, atque ad Divina accedere Sacramenta, & ea cum Populi scandalo conficere, & nè Fideles tàm pernicioso ducantur exemplo, obstinatè perseverandi in peccatis, & præsertim in inobediẽtia Sedis Apostolicæ Sanctissimis Decretis debita, justissimè cautum fuit, nedum à Papa Gregorio VII. verùm & ab aliis Summis Pontificibus, tàm ante, quàm post Gregorium, nè ad Missas talium Sacerdotum Fideles accederent.

1608 Arguitur 3. multa peccata fornicatione graviora leguntur; atqui prohibitum non est, audire Missas Sacerdotum taliter graviss imè peccantium: igitur non potuit esse prohibitum, audire Missas publici concubinarii, vel vxorati Sacerdotis. Respondetur negando consequentiam: & ratio est juxta S. THOMAM *in 3. part.* Quòd licet fornicatio non sit gravior cæteris, tamen ad eam sunt homines proniores propter carnis concupiscentiam, & ideò specialiter hoc peccatum Sacerdotibus prohibitum est in Ecclesia, nè aliquis audiat Missam concubinarii Sacerdotis; sed hoc intelligendum erat de Sacerdote notoriò peccante aliquo ex tribus modis, videlicet quando crimen erat notorium per Sententiam, vel per confessionem in jure factam, vel per rei evidentiam, talem, quòd nulla tergiversatione celari posset; tunc enim erant suspensi ipso jure, & quo ad se, & quo ad alios, vt patet *ex cap. Nullus*, & *sequenti, cap. Præter hoc 32. distinct. & cap. Extra, de cohabitatione Clericorum, & mulierum*, quod optimè probat Card. TVRRECREMATA *in eodem, cap. Nullus.*

1609 Arguitur 4. quia juxta APOSTOLVM 1 *ad Corinth.* 7. Sacerdotibus videtur incontinentia esse concessa, & vxorem ducere eis non minus, ac cęteris videtur indultum; ibi enim Apostolus absque vlla personarum exceptione dicit: *Vnusquisque suam vxorem habeat*: Cur ego non Clerici, cur non Sacerdotes hoc libertatis Privilegio gaudere poterunt? Respondetur hunc Textum, in quo multum adversarii fidunt, non proprio cerebro interpretandum esse, sed juxta Sanctorum mentem, & cum inter cæteros Sanctarum Scripturarum interpretes, præcipuum locum teneat S. HIERONYMVS, juxta illius Doctrinam in hujus Textus expositione dicimus, quòd Corinthii inter cætera, quæ ab Apostolo quæsierant, vnum erat: an nuper renatis in CHRISTO carnalis copula licita esset, quibus ita rescripsit Apostolus: *De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, vna quæque virum suũ habeat. Vxori vir debitũ reddat; similiter autẽ & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.*

1610 Quod exponens S. DOCTOR

lib.

lib. contra Iovinianum hæc habet: *Non dixit Apostolus, *propter fornicationem ducat vnusquisque vxorem*, alioquin hac excusatione libidini frena laxasset, vt quotiescumque vxor moriatur, toties ducenda sit alia, nè fornicemur sed: *Vnusquisque vxorem habeat suam. Suam* inquit *habeat*, sua vtatur, quam habebat, antequam crederet, quàm bonum erat non tangere, & post fidem CHRISTI sororem tantùm nosse, non conjugem, nisi fornicatio tantum excusabilem faceret. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus vt vacetis orationi.* Oro te, quale illud bonum est, quod orare prohibet, quod Corpus CHRISTI accipere non permittit? Quandiù enim impleo mariti officium, non impleo continentis. Iubet idem APOSTOLVS *in alio loco*, vt semper oremus. Si semper oramus, nunquam conjugio serviendum est, quandoquidem quotiescumque vxori debitum reddo, orare non possum. Sic & PETRVS Apostolus docet Christianos, vt infirmiori vasculo muliebri, honorem tribuant, ab opere conjugali cessare, nè impediantur eorum orationes. Quis ergo sanè mentis prædictas Apostoli Sententias de exercendo conjugali opere Sacerdotibus adscribat, quorum quotidianum est Officium, non modo orare, sed & Divina Sacramenta contrectare? præsertim cum in eodem loco etiam cuilibet Christiano tempore orationis injungatur continentia. Nempè si Apostolus his etiam Sacerdotibus carnalem copulam concederet, profectò contrarius sibi esset, qui *ad Titum* scribens præcipit: vt Sacerdotes sobrii, justi sint, atque continentes.*

1611 Ipse S. HIERONYMVS *in eodem laudato libro ad illa verba: Si nupserit virgo non peccabit:* *Non illa virgo, quæ semel Dei cultui dicata; harum enim, si qua nupserit, damnationem habebit; quia primam irritam fecit fidem. Si autem hoc de viduis dictum objecerit, quantò magis de virginibus prævalebit; cum etiam his non liceat, quibus aliquando licuit? Virgines enim, quæ post consecrationem nupserint, non tàm adulteræ sunt, quàm incestæ. Si ergo prædictæ Apostoli Sententiæ hujusmodi continentibus carnalem copulam non concedunt, quantò minus Sacerdotibus: maximè cum illæ simpliciter ad continentiam sint consecratæ; isti autem ipsis continentibus sint prælati, & per venerandam manus impositionem, & per Sacrosancti Chrismatis Vnctionem.*

1612 Insuper idem Apostolus eis, quibus conjugale opus exercere concedit, permittit etiam secundas nuptias decenter inire; soluto enim ab vxore aliam ducere concedit, & viduæ nubendi licentiam attribuit. Nullatenus ergo Sacerdotes sub permissoria carnalis copulæ Sententia comprehendit, quibus *in Epistola ad Timotheum* 1. *& Titum*, bigamiam penitus prohibuit, cum jubeat tantùm, *vnius vxoris virum* eligi ad Sacerdotium; nam nec apud Ethnicos bigamia licebat Sacerdotibus. Imò D. HIERONYMVS *contra Iovenianum.* *Legant, inquit, nostrates antequam Religio nostra fulgeret in mundo, vnicubas semper habuisse inter matronas decus: per illas Fortunæ muliebri Sacra fieri solita: nullum Sacerdotum bigamum, nullum Flaminem bimaritum: Hierophantas quoque Athenienſium vsque hodie cicutæ sorbitione castrari, & postquam in Pontificatum electi fuerint, viros esse desinere.*

1613 Quicumque autē prædicta Apostoli verba in tantum adulterant, vt sub eorum perversa interpretatione, etiam Sacerdotibus incontinentiam licere consignent, proculdubio sequuntur Nicolaum Hæresiarcham, quem CLEMENS ALEXANDRINVS *in 3. libro Stromatum* refert, vxorem suam cuilibet etiam volenti prostituisse, & hoc exemplo suo docuisse cunctis promiscua, atque communia fœminarum consortia licere; & hoc ideò, quia scriptum est *Actor.* 2. *Erant illis omnia communia*, inter quæ Nicolaus numeravit & conjugia. Sicut ergo ille Apostolicum exemplum nimis generaliter, & perversè acceptum, in Hæresim mutasse, fertur, sic & isti illud *Apostoli* 1. *ad Corinth.* 7. *Vnusquisque vxorem suam habeat*; nimis generaliter, & perversissimè interpretantes in errorem vertisse notantur, qui sub eodem exemplo contra eumdem Apostolum, fallaci pertinacia contendunt, Sacerdotibus conjugale opus fuisse concessum.

1614 Prætereà omnis Populus filiorum Israel ad montem accessurus, & Dei eloquium de longinquo tamen auditurus, triduo sanctificari, & se continere ab vxo-

ribus, jubetur. Iure ergo Apostolus Sacrorum Ministris incontinentiam interdixit, qui & Secularibus debent præminere in castitate, & ipsius Spiritus Sancti locutorium effecti, quotidie Dominum pro Populo debent interpellare. Quicumque ergo horum incontinens esse detegitur, ab ipso Apostolo Sacris Ordinibus interesse prohibetur, cum per incontinentiam Apostolicæ institutioni se ipsum subtraxisse videatur. Nam quod Apostolus dicit: *Vnius vxoris virum*, juxta testationem Sanctorum Patrum, ante ordinationem tantùm, non post ipsam est intelligendum. Vndè S. CYPRIANVS *in libro de duodecim abusionibus*, dicit: quòd talis esse debeat Episcopus, vt ante Episcopatum vnam tantùm vxorem habuerit, non plures. S. etiam HIERONYMVS *in Apologetico ad Pammachium*. *Episcopi, inquit, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eligantur, aut vidui, vel certè post Sacerdotium in æternum pudici.*

1615 S. pariter ZACHARIAS Papa Apostolico Zelo scribens *ad Sanctum Bonifacium Moguntinensem Archiepiscopum*, ita decrevit: *Cum tua fraternitas in Concilio Moguntino consederit cum Carolo Magno excellentissimo Viro, si quos repererit Episcopos, Presbyteros, aut Diaconos contra Canones, vel statuta Patrum excessisse, id est, in adulterio, vel si plures vxores habuerunt, aut etiam aliis Capitulis, quibus Canones obviasse reperit, tua Sanctitas, nulla ratione Apostolica Authoritate permittat eos Sacerdotio fungi; quia tales à suo proprio ore falsè nominantur Sacerdotes, & deteriores secularibus esse noscuntur, qui se neque à fornicationibus, neque à nefariis matrimoniis abstinent. Nam quod indè sentiunt, dicente DOMINO: *Sacerdotes mei semel nubant* 1. *ad Tim.* 3. & APOSTOLUS: *Vnius vxoris virum*, & hoc ante Sacerdotium susceptum, vti licitum est: nam à die susceptæ Sacerdotii etiam ab ipso proprio conjugio prohibendi sunt.*

1616 Vndè & HIERONYMVS *ad Vigilantium* scribens, testatur: *Ecclesia Orientis, & Ægypti, & Apostolica Sedes, aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt; quomodo enim juxta eumdem Apostolum, vt prædictum est, se continerent, si cum conjugibus incontinentiam exercere deberent. Quæ, quia contraria sunt, nullatenus simul consistere possunt; sed & hoc insuper diligenter inspiciendum, quod Apostolus jusserit eligi ad Sacerdotium, non qui jam per incontinentiam filios generaret, sed qui dudum filios adultos, & benè nutritos habuisset.*

1617 Vt autem hęc Apostolica institutio de Sacris Ordinibus nobis evidentior fiat S. HIERONYMI expositionem audire, non pigeat, qui *lib. contra Iovinianum*, ad ea verba: *Vnius vxoris virum*, hæc habet: *Sed & ipsa Episcopalis electio mecum facit, non enim dicitur *eligatur Episcopus*, qui vnam ducit vxorem, & filios faciat, sed qui *vnam habuerit vxorem, & filios in omni subditos disciplina*. Certè confiteris, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat, alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur: aut permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum; vt idem sint virgines, quod mariti, aut si Sacerdotibus vxores non licet tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum: Si laicus, & quicumque Fidelis orare non potest, nisi vaccet ab officio conjugali, Sacerdoti, cui sem per pro Populo ferenda Sacrificia, semper est orandum; si semper orandum est: ergo semper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege qui pro Populo Hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed etiam purificabantur (ad tempus) ab vxoribus separati, & *vinum, & siceram non bibebant*, quæ solent libidinem provocare. Eliguntur mariti in Sacerdotium. Non nego; quia non sunt tanti virgines, quanti sunt necessarii Sacerdotes.* Quæ hactenus diximus ex S. HIERONYMO desumpsimus, qui quantæ Authoritatis in Ecclesia sit, etiam apud Episcopos, Apostolicæ Sedis Decreta B. Gelasii Papæ satis insinuant, quæ inter authenticas, & Canonicas sanctiones, opuscula ipsius recipienda esse decernunt, sicut & S. Cypriani, Ambrosii, Augustini Opuscula, sive tractatus reliquorum Sanctorum Patrum, qui nec in Fide, nec in prædicatione à Sancta Romana Ecclesia defecisse, sed in ejus Communione vsque ad finem vitæ perdurasse leguntur. In tantùm namque GELASIVS in prædictis Decretis Authoritatem S. Hie-

ro-

ronymi nobis commendatam reliquit, vt aliorum opuscula juxta ejus judicium, ac Sententiam recipienda, vel respuenda ibi esse decernat.

1618 Ex hactenus traditis sufficiat dixisse quid Apostolus exigat à Sacerdotibus, quod quicumque fideliter perspexerit, nequaquam Statuta Apostolica nostri GREGORII VII. oblitteranda judicabit, quæ nec aliquis contemnere poterit, nisi & ipsorum Apostolorum Sententiis refragari maluerit, quibus ipsa veritas in Evangelio fidelissimè promittit *Matth.* 11. *Amen dico vobis: erit remissius terræ Sodomorũ in die judicii, quam illis qui sermones vestros non receperunt.*

1619 Arguitur 5. Antiqua Lex, tàm Naturæ, quàm Scripta cum Sancta fuerit, ac Divina, nèdum Sacris Ministris matrimonium inire indulsit, sed etiam contracto vtendi copiam fecit. Cum igitur CHRISTVS non venerit, legem solvere, sed adimplere, fas erit omnibus Sacratis Altaris Ministris, etiam Sacerdotibus, vxoratos esse absque vlla inhibitionis pœna, vel aliqua Lege vetante ad Divina accedere, vel eorum Missas audiri.

1620 Huic argumento, quo præcipuè vtuntur Hæretici, concesso antecedenti, videlicet Legis Sacerdotibus, Sacrisque Ministris licitum fuisse, vxoratos esse; negamus tamen indè rectè deduci posse, idipsum Sacris novæ Legis Ministris licere, aut concedi ob multiplicem disparitatis rationem. Prima nititur Doctrinæ S. MAXIMI; glorioſissimi Martyris. Secundã tradit S. AMBROSIVS *ad cap.* 3. 1. *ad Timoth.* Tertiã Venerabilis, ac S. BEDA *ad cap.* 1. *Lucæ.* Quartam S. ANSELMVS Cantuariensis *ad cap.* 7. *Ep. ad Hebr.* Quintã EVSEBIVS, Cæsariẽsis Episcopus, doctrina, & antiquitate celebris, *lib.* 1. *demonstrationum Evangelicarum, cap.* 9. de quibus egimus, latêque retulimus *tom.* 1. *de Infall. lib. Rom. Pontif. lib.* 2. *cap.* 8. §. 12.

1621 His addere possumus alteram ex eodem EVSEBIO eo loci, quæ in eo sistit, quòd Veteris Legis Sacerdotes Sacerdotium illud per successionem, & carnalem generationem protrahebant. At præcipuum Sacerdotum novæ Legis munus, & Officium est Evangelium propagare, illudque per totum terrarum orbem protendere, spiritualique generationi nõ corporali vacare; juxta illud PAVLI: *Per Evangelium ego vos genui.* Alteram ex Card. TVRRECREMATA iis adhibere possumus solutionem, quam tradidimus *num.* 1488.

1622 Verùm quidquid sit de his solutionibus, quibus pleniſsimè soluitur argumenti difficultas, hæc nullius contra nos momenti esse poterit, dum ex veteris Testamenti Sacerdotibus manifestissimè evincitur, non morum laxatio, vt perperam Hæretici eam indè deducere conantur, quin potiùs continentia, ac castitas, qua Sacri novæ Legis Ministri pollere debent, vt cũ multiplici SS. Patrum testimonio probavimus ibi. Et constat *ex lib.* 1. *Paralip.* 24. *& Lucæ* 1. Antiquæ Legis Sacerdotes toto illo tempore, quo Tabernaculo inserviebant à domo abfuisse, & vxore, cujus consortio abstinebant. Vndè optimè deducit SIRICIVS, Pontifex Maximus, *Epist. ad Himer.* INNOCENTIVS I. *Epist. ad Vitric.* & venerabilis, ac S. BEDA *in cap.* 1. *Lucæ*, quòd si illi tempore, quo ministrabant, se se omninò ab vxoribus cohibebant, congruum vtique erit, vt nostri Sacerdotes, qui non per vices, vt illi, sed semper ministrant, semper se ab vxoribus contineant.

1623 Sextò vrgere solent Hæretici, Sacratis novæ Legis Ministris licitum esse Matrimonium, exemplo D. Petri, cæterorumque Apostolorum, quos Matrimonio copulatos non ambigunt asserere: idque confirmare conantur ex illo PAVLI 1. *ad Corinth.* 9. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Huic argumento facillimo negotio respondemus, falsum esse id, quòd supponitur, & non probatur, Apostolos nempè jugalia vincula subiisse; quin potiùs compertum est, nullum eorum, qui ante acceptã vxorem, ad Apostolatum vocatus est, eam postmodũ duxisse. De IOANNE EVANGELISTA, notum est, eum Dominum virginem appellasse; de IACOBO, ejus fratre in virginitatis flore permansisse, scribit Eusebius, vxoratosque nõ fuisse Apostolorũ aliquos, dempto Petro, quã plurimi Patres testantur, quos lõga manu tradidimus *eodem tom.* 1. *lib.* 2. *num.* 1491. *ad* 2. Cui argumento alteram dedimus ibi solutionem, videlicet, & si fateremur, Petrum, cæterosque Apostolos vxoratos, non indè deduci licere, cæteros

Sa-

Sacri Ordinis Ministros ad eorum, exemplum posse ad nuptias evolare; nam & si Apostoli Sacerdotes fuerint, primique Sacri novæ Legis Ministri, nullus tamen convincere potest, eos postquam ad Sacros Ordines evecti fuerant, nova iniisse conjugia, quod optimè notat S. HIERONYMVS *adversus Iovin. lib.* 1. *cap.* 14. cujus verba dedimus loco suprà laudato *tom.* 1. *num.* 1492.

1624 Nec obest illud PAVLI 1. *ad Corinth.* 9. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, &c.* Hinc enim probari nequit, mulieres, quas Apostoli circumducebant, proprias vxores fuisse. Id enim negant Patres, tantummodo concedentes, eas quasdam pias fœminas fuisse, quæ Apostolorum Doctrina, & miraculis commotæ, ac quibusdam quasi Divinis igniculis, eos cum suis viris, populisque, recenter ad Fidem conversis, subsequebantur, videntesque eximium paupertatis exemplum, quod dederant Apostoli juxta illud: *Ecce nos reliquimus omnia*, pietate maxima de suis facultatibus egentibus Apostolis ministrabant, quod non sine superiori CHRISTI exemplo fecisse monstrantur, cum juxta Sanctorum Patrum Doctrinam in prædicatione CHRISTI propriæ salutis Zelo, mirisque prodigiis allecta maxima Populorum multitudo eum sequebatur, in qua tàm viri, quàm piæ fœminæ, videntes summam ejus paupertatem, ministrabant ei de facultatibus suis, de quo latè agimus, Sanctorum Patrum mentem sequuti *tom.* 1. *num.* 1493. & fusiori calamo *tom.* 2. *in Apologia pro Ioanne XXII. & Nicolao III.* de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate agentes.

1625 Alteram eisdem Apostoli verbis dedimus solutionē juxta Sanctorum AVGVSTINI, AMBROSII, HIERONYMI, ANGELICIque PRÆCEPTORIS Doctrinam *tom.* 1. *num.* 1494. *& sequent.* vbi abundè his Hæreticorum argumentis fit satis, & nè actum agere videamur, lectorē remittimus ad ea, quę ibi tradidimus, præsertim laudatis numeris *&* §. 13. de Historia Paphnutii *in cap. Nicæna* 31. *dist.* relata, de qua vera nê sit historia, an fabula discutimus, cujus quæstionis decisio magnopere facit ad Hæreticorum argumenta adversus Sacerdotum continentiam retundenda.

1626 Septimum argumentum peti potest *ex* 4. *cap. Gangrensis Concilii*, vbi hæc habentur:* Quicumque discernit à Presbytero, qui vxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit.* Quod quidem Capitulum, juxta Petri Apostoli attestationem, in suam ipsorum perniciem oppositi Authores, ita detorquere in pravum hunc sensum conantur: *Quicumque recusaverit Missam conjugati Presbyteri anathema sit.* Videlicet, vt eos anathematizatos esse demonstrent, qui Apostolicis institutis obedientes incontinentium Sacerdotum Missas recipere, vel audire detrectant.

1627 Respondemus hanc interpretationē esse magnopere à legit imo hujus Canonis sensu alienam, nam prædictus Canon tantùm anathematizat, qui respuunt Presbyteri oblationem, non qui modo habet, sed qui quondam habuit vxorem. Pro pleniori hujus solutionis intellectu prænotandum est, eo tempore, vt Gangrensis Concilii Prologus testatur, fuisse Hæreticos sectatores cujusdam Eustathii, qui legitimas nuptias, quasi mortale crimen condemnabant, asserentes, nullum in conjugali gradu positum spem habere apud Dominum: Vndè & oblationes Presbyterorum etiam ante ordinationem legitimè conjugatorum respuisse traduntur, quippè legitimum conjugium pro mortali crimine deputantes: quale etiam siquis hoc tempore perpetrasse deregitur, Altari ministrare juxta Canones non permittitur: meritò ergo anathematizantur iidem Hæretici dogmatizantes contra illud Apostoli: *Si acceperis vxorem, non peccasti.* 1. *ad Corinth.* 7. & illud: *Oportet Episcopum vnius vxoris esse virum.*

1628 Verùm Beatiss. GREGORII Decretum nulli vetat audire Missam vllius Presbyteri, cui juxta Apostolicam permissionem ante Sacrum Ordinem vnam tantùm vxorem habere, & sine crimine vllo, eam ducere licuit; sed illos dumtaxat perstringit, qui contra Apostolum in crimine fornicationis deteguntur jacere, quos ipse Apostolus, & reliqui Sancti Patres, Successoresque eorum, ac præcipuè noster Gregorius á Sacratissimo Officio pellere decrevit: Vndè quicumque hujusmodi Presbyterorum Missas respuit, vel audire noluerit, nullatenus superiori Eustachiano-

rum

rum Anathemati subjacere dicendus, quin potiùs optimè Apostolo consentire, qui & Sacerdotibus continentiam indicit, & Fideles prævaricatoribus sermonum ejus admisceri non permittit.

1629 Hìc tamen duximus annotandum, Septimũ GREGORIVM juxta Sanctorum Patrum Statuta prius incontinentes Presbyteros Officio privasse, & postmodum Populo nê eorum Officia reciperet interdixisse: Vndè non tàm incontinentium, quàm pro incontinentia damnatorum Missas audiri vetuit, nè Populus se, juxtà Antiochenum Concilium sub Ex. communicatione poneret, si eorum Officia recipere præsumeret. Ipse autem Spiritus Sanctus per Samuelem Prophetam Populum admonet, vt potiùs Canonicis Constitutionibus, ac præcipuè nostri Pontificis, cæterorumque Decretis obtemperet, quàm hujusmodi præsumptorum Sacerdotum Sacrificia in suam perniciem recipiat, dicit enim 1. *Reg.* 15. *Melior est obedientia, quàm victima, & auscultare magis, quàm offerre arietum adipem: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, atque scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Populus igitur Apostolicis institutis obtemperans, Sacerdotum vxoratorum Officia, & Sacramenta recusat, nè & ipse crimen idololatriæ per inobedientiam incurrat. Dominus etiam *Matthæi* 12. dicit: *Misericordiam volo, & non sacrificiũ*, videlicet, vt quivis placens Deo per obedientiam potiùs animæ suæ misereatur, cui potissimum est miserendum, quàm cum inobedientia, aut per se, aut per aliũ Domino offerat sacrificium. Libet autẽ attendere, quàm clementer noster Gregorius, in ipsos Canonum contemptores in superiòribus Decretis egerit, cum tantummodo eos à tali Officio removerit, qui nullatenus nisi in suam perniciem celebrare possent, si Canonicis Sanctionibus repugnantes, ipsum Spiritum Sanctum blasphemare non desisterent; ipsorum sanè diuturnam obstinationem jam dudum acriùs plectendam, nondum debita severitate punivit, quin potiùs, vt saltem adhùc ad cor redire possent Apostolico Zelo, ac paterno affectu spectare maluit, vt vel in hoc suam damnationem cognoscere vellent, cum Populum à recipiendis eorum Officiis justissimè prohibitum negare non possent.

1630 Sed arguere ampliùs quis poterit in oppositum: Si Sanctissimus Gregorius tanta clementia, ac pietatis visceribus præditus erat, vt diximus, cur inveteratam tot sæculis consuetudinem, juxta quam Sacri Ministri, etiam Sacerdotes, Matrimonia contrahebant, clementer non toleravit, conniventibusque oculis dissimulavit? quin potiùs Statuta prædictæ consuetudini contraria severè observari præcepit, ex quorum observantia tot scandala, totque incomoda in diversis Provinciis parta leguntur, quæ sola Summi Præsulis Gregorii conniventia, ac tolerantia eo tempore facillimo negotio vitari poterant?

1631 Huic oppositioni respondemus, hanc instantiam nullatenus vrgere, nulliusque momenti esse obiectam tolerantiã; quãvis enim hujusmodi tolerantia multoties à Summis Pontificibus justè legatur adhibita juxta personarum qualitatem, ac Populorũ lapsum, quando, paternis monitis adhibitis, salutis remedium, & profectus emendationis speratur; verùm quando monita non prosunt, quin & despiciũtur, & obstinato animo peccatores prolabũtur in pejus, actiori medela cõsueverunt Apostolici Præsules, tantorum malorum perniciem coërcere, de quo sunt innumera exempla quæ variis in locis nostri 1. & 2. *tom.* tradidimus, quibus addere licet, quid Sanctissimus LEO Papa, qui Sacratissimo Chalcedonensi Concilio præfuit, decreverit, dùm Anatolii, Præsulis Constantinopolitani præsumptionem cohibere volens, ita pronuntiat: *Quod in reatum Romani Pontificis deputetur, si institutio Canonum, eo non prohibente, & in hoc quasi connivente, alicubi violetur.*

1632 Sanctissimus etiam GREGORIVS MAGNVS Victori Episcopo hanc formidandam generalem Sententiam protulit: *Quisquis ad hoc facinus, (videlicet, Simoniacæ, aut Neophytorum Hæreseos) emendandum officii sui consideratione vehementer non arserit, cum ipso se habere non dubiter portionem, à quo priùs hoc piaculare flagitium, & crimen inmpsit exordium.* Igitur & ille nihilominus Ebioni Hæresiarchæ particeps detegitur quicumque pro debito officii, illius Hæresim, id est, Iudaicam incontinentiam, Sacerdotibus prohibere non studuerit.

1633 Sancti Patres adeò amplexati sunt Sacratissima Concilia eorũque constituta, ê quibus S. Gregorii VII. Decreta profluxerant, vt, sicut ipsorũ scripta testantur, potiùs se ipsos diversis tormentorum generibus affligi, ac crudelissima morte necari paterentur, quàm earumdẽ Sanctionũ violatoribus assentiri permitterent; ob id Magnus ATHANASIVS, Patriarcha Alexandrinus, diversis calamitatibus actus in exilium deportatur. Ob eamdẽ causam FELIX, Papa Romanus, ab Episcopatu depositus, martyrio glorioso legitur coronatus; & multi ejus Presbyteri, Diaconi, & reliqui ex Clero etiam intra Ecclesiam, ob eamdem causam (heu!) crudelissimè feruntur occisi, videlicet, quia Arii sectatoribus in violationem Nicæni Concilii assentiri noluerant. Innumerabilia id genus produci possent exempla, sed quia Ecclesiasticæ Historiæ eruditos non transeunt, passimque obvia sunt, consultò duximus omittenda. Vndê ergo nostro Apostolico Gregorio in crimen verti poterit, quòd patienter, ac dissimulanter consuetudinem tàm nefandam vxoratorum Sacerdotum non tolerarit, tot Sanctorum Canonum, ac Conciliorum statutis improbatam, eisque manifestissimê refragantem & inanimatum, ac totius Ecclesiasticæ disciplinæ perniciem magnopere vergentem? Quomodo ergo Sãctissimus Pontifex sine sui periculo, aut potiùs exitio negligere posset, quin tàm inevitabilium sanctionum, non dico violatoribus, sed impugnatoribus, ex debito sui Pastoralis Officii obsisteret, quibus ipsos Sanctos Patres, etiam vsque ad animam, & sanguinem strenuè restitisse non ignorat?

1634 Cum igitur adeò depravata esset vxoratorum Clericorum, nedum Sacris initiatorum, sed etiam Sacerdotum consuetudo, quæ sub Gregorio VII. in magnam animarum perniciem grassabatur contendentibus istis adeò obstinatè in illa persistere; cumque Ecclesiastico statui valdè noxia esset talis inobedientia, tot Sacris Canonibus præfatam consuetudinem inhibentibus, & detestantibus, his cõpulsus fuit S. Gregorius ad non connivendum, sed viriliter obsistendum tantæ obstinationi, morumque depravationi, ac si peccaretur in Fide juxta illud *Iacobi* 2. *Fides sine operibus mortua est*, qualem & dœmon habere fatetur; & dœmonibus assimilantur quicumque institutionem SS. Patrum in Fide tantùm, & non etiam in conversatione pro viribus sectantur, qui & culpam, quam humanum fuit committere, diabolico instinctu pertinaciter defendere, non formidant: his enim connivere & toto conatu nõ reluctari magnum videtur scelus, juxta illud Apostoli, qui in sua persona omnibus Ecclesiasticis Pastoribus 1. *ad Corinth.* 9. dicit: *Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit: Vè enim est mihi si nõ evangelizavero.* Quomodo igitur Sãctissimus Pontifex illud *Vè* subterfugere posset, si gregem sibi creditum, juxta ipsius Apostoli præcepta negligeret instituere? Per EZECHIELEM Prophetam formidandam Spiritus Sanctus annuntiat Sententiã Pastoribus: *Si, inquit, non dixeris peccatori morte morieris, & ostenderis, vt recedat ab iniquitatibus suis, ipse quidem in peccatis suis morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem dixeris, & ille contempserit, & non obedierit, ille in sceleribus suis morietur, tu autem animam tuam liberabis.* Hac translatione vsus fuit S. AVGVSTINVS *sermone in Psalm.* 49. Statimque auditoribus suis subjungit: *Dico vobis libero animam meam; in magno enim sum, non periculo, sed exitio cõstitutus, si tacuero.* Vndê optimè elicitur quã imeritò indignati fuerint aliqui vxorati Clerici in præfata Gregorii Pontificis Decreta pro castitate, & Ecclesiastici status puritate tuenda evulgata, & inhonestissimæ eorũ incontinentiæ adversa; cũ aliud præstare non potuerit, vtpote qui tàm inevitabili necessitate coactus ea Decreta statuisse dignoscitur, nè videlicet propriæ vitæ discrimen incurreret, si ex debito Pastoralis Officii Fideles instituere neglexisset.

1635 Nec subsistit, totam vxoratorum Clericorum factionem indignatam fuisse in Gregorium ob pœnam, quàm prædictis Clericis in suis Decretis constituit; etenim quam injusta fuerit hujusmodi querimonia manifestê ostenditur; si enim ob id indignationem mereretur Gregorius cur eam etiam non mererentur illi 318. SS. Patres in Magna Nicæna Synodo congregati, illique 630. qui ad Chalcedonense Concilium confluxerunt; istos enim, vt prædictum est, multò acriores Sententias in Simoniacos, & incontinentes Altaris Ministros protulisse, quàm Gregorium li-

quet

quet præfata Concilia evoluenti. Indignentur ergo, Sanctissimo Papæ CLEMENTI, qui sua Decreta Martyrio firmavit, & quem ipse Apostolorum Princeps sibi Successorem destinavit; in ejus enim Constitutionum Decretis *cap.* 46. legitur; quòd incontinentes, ab Altaris Officio penitus removerit; quòd extrancarum fœminarum cohabitationem Clericis prohibuerit; & quod hujusmodi institutionis violatores prorsus anathematizaverit.

1636 Indignentur etiam B. Papæ SYLVESTRO, qui in Apostolica Sede constitutus, totius orbis Presbyteris, vt supràdictum est, incontinentiam inhibuit, omnesque huic Decreto refragantes in perpetuum damnatos esse decrevit. Indignentur etiam B. DAMASO Papæ, cujus Authoritate secunda Vniversalis Constantinopolitana Synodus legitur roborata; Sanctissimo etiam Papæ LEONI Chalcedonensium Canonum Authori; quorum vterque eadem Apostolica Authoritate in Decretis suis, ille quidem *cap.* 4. hic autem *cap.* 5. ita generaliter decrevit. *Omnia Decreta alia cunctorũ Pontificũ Prædecessorũ nostrorũ constituta, quæ de Ecclesiasticis Ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita omnibus Episcopis, ac cunctis generaliter Sacerdotibus custodire debere, mandamus, vt siquis in illa commiserit veniam sibi deinceps noverit denegari.* Indignentur etiam Sanctissimo GREGORIO Magno, qui omnes à Sacratissimis quatuor primis Conciliis Generalibus dissentientes, generali Anathemate innodavit. Verùm cum nullus sanæ mentis hujusmodi Sanctorum Patrum Sententiis, ab eisdem sanctissimè conditis, justè queat indignari, evidentissimè convincitur, quàm irrationabiliter, temerè, ac petulanter Schismaticorum, incontinentium, vxoratorumque factio indignata fuerit, adversus Sanctissima Gregorii Decreta, in quorum promulgatione nullatenus à Sanctorum Patrum mente, in aliquo, vel leviter dissonat, hoc dumtaxat excepto, quod non tàm severè, vt illi Sacrorum Canonum contemptores perstrinxerit; eos enim Clericos concubinarios publicè, ac vxoratos, privavit ab Officio, quibus Sancti Patres, nedum Officium, sed & veniam, & Ecclesiasticam Communionem denegarunt; nihil tandem novi molitus est noster Gregorius, quòd non priùs alios Summos Præsules, Sacraque Concilia Apostolico Zelo acta fecisse constiterit.

1637 Demus tandem quod, aliquid novi in Decretis ad tantam pestem, totque pernitiosissima mala in Ecclesiastico statu grassantia extirpanda condidisset; quid indè? Non nè Summi Præsules pro Pastorali sui muneris debito tenentur, oves sibi creditas ab omni pernicioſa infectatione tueri, & denuò nascentibus, & pullulantibus malis, medicamẽta nova, ac pharmaca adhibere. Apostolica enim Sedes ex Divina concessione hunc semper obtinuit, ac obtinet Principatum totius mundi, vt Ecclesias, nedum antiquis, sed & novis semper instituat constitutis, prout diversorum temporum necessitas postulare videtur. *Cogunt enim (vt ait S. AVGVSTINVS *ad Bonifacium*) multas invenire medicinas multorum experimenta morborum.* Hoc vtique diversa Romanorum Pontificum Decreta testantur, in quibus ipsi diversis temporum necessitatibus consuluisse leguntur.

§. V.

Quænam fuerint occasio, & causæ, æquitatisq; momenta, quæ non modo Gregorium VII. sed alios etiam Romanos Pontifices, Sacraque Concilia ad tàm severa Decreta adversus concubinarios, vxoratosque Clericos condendà impulerunt.

1638 HVcusque de pœnis, pœnalibusque Decretis, quæ nedùm GREGORIVS VII. sed alii etiam Sanctissimi Pontifices, illius Prædecessores, & Successores, Sanctique Patres in Sacris Conciliis congregati adversus concubinarios, vxoratosque Clericos, omni tempore, sancto Zelo statuerunt. Modò videnda supersunt motiva, quæ tot Pontifices, & Concilia, cunctamque Ecclesiam ad tàm severas pœnas infligendas induxerint. Cum enim Ecclesiæ adeò propria sit pietas, & clementia, non potest non tanta severitas admirationem afferre, sciendique cupiditatem ingenerare, cur hac in re tanta constantia, & rigore retroactis tot sæculis vxoratos Clericos Divinis Officiis privarit, Fidelibusque eorum Missas audire vetuerit?

1639 Huic difficultati respondemus, neminem mirari debere pœnæ gravitatem, si tanti sceleris immanitatem perpenderit, nec posse non æqua, ac justa viderit prædicta Pontificum, Conciliorumque Decreta, si attentè consideretur, quàm proprium sit, semperque fuerit Pastoralis muneris Pontificum ab Ecclesiæ agro in præjudicium puritatis Ecclesiastici status vergentia Apostolico falce rescindere, suisque Decretis, ac pœnis sollicitè providere, vt peccata cùm præsentia, tùm futura, maximè in Ecclesiasticis, qui aliis norma debent esse, & exemplo, omninò vitentur: Cum enim Ecclesiastici sint à Deo Fidelibus in Fide ac moribus Doctores ac Magistri constituti, quantò eos Dignitate præcellunt, tantò, sunt majori pœna plectendi si deliquerint. Cum igitur Gregorius Pontifex sua tempestate grassantem adhùc vndique intueretur Vigilantii, Iovinianique Hæreresim, qui contra Sacros magni Nicæni Concilii, aliarumque subsequentium Synodorum Canones Sacris Ministris, imò & Sacerdotibus vxoratum licere blatterabant, suosque Prædecessores hujusmodi Hæresi extirpandæ, editis gravissimis severisque Decretis, in vigilasse, & nihilominus adhûc suo tempore obstinatà multorum malitià, & petulantià, eamdem Hæresim diversas Provincias magno animarum periculo adhuc infestare; hinc nulli, cui rationis, & Fidei lumen affulserit, mirum videri debet, S. GREGORIVM, vt tanto Ecclesiæ nocumento occurreret, omnimodæ hujus Hæresis extirpationi sancto Zelo incubuisse, statutis pœnis tanti sceleris gravitate condignis. Et vt prædictorum Decretorum æquitas clavior eluceat, deplorabilem statum, quem invalescente illa Hæresi vsque ad Gregorii tempora Ecclesia tenuit, breviter duximus expendendum.

1640 Vterque ille Hæresiarcha Vigilantius, & Jovinianus adeò fuit Ecclesiæ noxius, vt non modo in vitia præceps ruerit, sed etiam peccatum licitum esse jactarit; Vigilantius enim vnus fuit è præcipuis, qui Sacris Ministris, etiam Sacerdotibus, & Episcopis, Matrimonium licere docuit, petulanterque gloriabatur, se multos Episcopos sui erroris sequaces habere. Vndè vehementissimè dolebat S. HIERONYMVS hunc æque miserandum, ac exitiosum errorem in Latina Ecclesia irrepsisse; de Vigilantio enim, & Episcopis fœdissimum illius errorem sequentibus, sic scribit: *Proh nefas! Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes, si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi priùs vxores duxerint, nulli calibi credentes pudicitiam, imò ostendentes, quam sanctè vivant, qui malè de omnibus suspicantur, & nisi pregnantes vxores viderint Clericorum, infantesque de vlnis matris vagientes, CHRISTI Sacramenta non tribuunt.*

1641 Aliqui existimant Vigilantium pestiferam hanc doctrinam priùs suæ nationis Hispanis, & postea Gallis, aliisque gentibus intulisse. Id tamen omninò falsum videtur; non enim ab Hispano Galliam, sed à Gallo Hispaniam fœdatam fuisse constat; siquidem eum fuisse natione Gallum affirmat *in Virorum Illustriorum Catalogo* GENNADIVS MASSILIENSIS, Gallus. Adeò autem improbus fuit Vigilantius, vt in eo pernicioſissimum illum Hæresiarchã Jovinianũ surrexisse videretur, teste S. HIERONYMO *in lib. Adversus Vigilantium, cap.* 1. *Quomodo Euphorbus, in Pythagora renatus esse perhibetur, sic in Vigilantio, Iovinian mens prava surrexit.*

1642 SIRICIVS Papa, Apostolico Zelo succensus, fuit vnus è præcipuis, qui se se adeò pestiferis Iovinian erroribus opposuerunt, quos non sine ingenti dolore refert, sanaque doctrina explodit, vt videri potest *in illius Epistola ad Himerium, Tarraconensem Archiepiscopum* scripta, vbi etiam commemorat damna, & detrimenta, quæ tàm pestilens doctrina Latinæ Ecclesiæ attulerat: *Plurimos, inquit, Sacerdotes CHRISTI, atque Levitas post longa Consecrationis suæ tempota, tàm de conjugibus propriis, quàm etiam de turpi coitu, sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere; quia in veteri testamento Sacerdotibus, ac Ministris generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc, quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimat quod in Lege Moysis, passim Sacris Ordinibus à Domino laxata sint frena luxuriæ, cur eos, quibus committebantur Sancta Sanctorum, prænonet, dicens: Sancti stote; quia & ego Sanctus sum, Dominus Deus vester,* (*Levit.* 20.) Cur etiam procul à suis domi-

bus

bus anno vicis suæ in Templo habitare jussi sunt Sacerdotes, (*Lucæ* 1.) hac videlicet ratione, nè vel cum vxoribus possent carnale exercere commercium, vt conscientiæ integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent.* Vide alia multa in hujus erroris detestationem, & impugnationem *in eadem Epist.* 10. *Siricii*, quam per extensum refert SEVERINVS BINIVS *in Pontificatu Siricii*, *pag.* 1017.

1643 Silentio prætereunda non sunt, quæ contra Iovinianí Hæresim scribit S. AVGVSTINVS *lib.* 2. *cap.* 17. vbi etiam refert modum, quo insanus iste Hæresiarcha multos continentes, & virgines in suam Hæresim adduxit, suadens illis, æquè sanctum, ejusdemque meriti esse vxoratorum, ac continentium, virginumque statum. Augustini verba audiamus: *Iovinianí Hæresis, Sacratum virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali, tantum valuit in Vrbe Roma, vt nonnullas etiam Sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, dejeciſſe in nuptias diceretur, hoc maximè argumento, cum eas vrgeret, dicens: Tu ergo melior, quàm Sara; melior, quàm Susanna, sivè Annà? Et cæteras commemorando Sacræ Scripturæ testimonio commendatissimas fœminas, quibus se illæ meliores, vel etiam pares, cogita e non possent. Hoc modo etiam virorum Sanctorum (vtique Sacerdotum, ac Diaconorum,) sanctum cęlibatum commemoratione patrum conjugatorum, & prædicatione frangebat.* Quæ omnia S. Augustinus *in lib. de Hæresibus* repetit, ac *in libro de Bono Conjugali*, & *libro de Sancta Virginitate* efficacissimè refutat.

1644 Eò petulantiæ in virginitatis contemptum processit Iovinianus, vt ausus fuerit blasphemare CHRISTVM quamvis è Virgine cõceptum, non tamen è virgine natum. Ita *in Litteris ad Siricium Pontificem Epist.* 7. testatur S. AMBROSIVS.

1645 Observatione valdè dignũ est, quod de execrabilibus Iovinianí, istiusque sequacium erroribus, honestati, & castitati ab Ecclesiasticis professendæ oppositis, & virginitatis statui contrariis scribit S. AMBROSIVS *Epist.* 25. ibi enim hæc leguntur: *Asserunt baptizatos intendere non debere virtutum disciplinis, nihil illis obesse comessationes, nihil voluptatum affluentiam, insipientes esse eos, qui his careant, virgines oportere nubere, filios facere, similiter & viduas iterare, quod semel male virili admixtione expertæ sunt, etiam si continere possint, errare eas, quæ nolint iterare copulam. (Et superiùs *in eadem Epistola*:) Prædicant voluptatem, delicias suadent, castimoniam nulli vsui esse dicunt, nullum esse abstinentiæ meritum, nullam frugalitatis, nullam virginitatis gratiam, pari omnes æstimari pretio, delirare eos, qui jejuniis castigent carnem suam, vt menti subditam faciant.*

1646 Et SIRICIVS Pontifex *in Litteris ad Mediolanensem Ecclesiam*, de Joviniano loquens, hæc de illo refert: *Dicit jejunia esse superflua, non habens spem de futuris.* Et eidem Joviniano placere dicit vetustam desperantium Regulam: *Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.*

1647 Perversissimis duorum istorum infernì titionum, Joviniani, & Vigilantii, doctrinis multos ex Hispanis, Gallis, & Italis deceptos fuisse, constat ex SIRICII Papæ *ad Himerium, Tarraconensem Archiepiscopum*, & INNOCENTII I. *ad S. Exuperium, Tolosanum Antistitem, & ad Maximum, & Severum Brutiorum Episcopos Litteris, & ex* 8. *Taurinensis Synodi Canone*, Divoque HIERONYMO, adversus Vigilantium asseverante, quosdam Episcopos fuisse adeò depravatos, vt nulli continenti Diaconatum crederent, sed omnes à se consecrandos priùs conjugia inire compellerent.

1648 De multis Hispaniarum, Galliarumque Sacerdotibus querulus refert SIRICIVS Papa *in prælaudata Epist. ad Himerium Tarraconensem Archiepiscopum*, eos non modò ante, sed etiam post Sacrum Ordinem licitum existimasse conjugium; sic enim scribit: *Tàm de conjugiis propriis, quàm etiam de turpi coitu prolem didicimus procreasse, & crimen suum, hac præscriptionem defendere; quia in veteri testamento Sacerdotibus, ac Ministris generãdi facultas legitur attributa.* Per turpem coitum, non fornicationem intelligi, aut adulterium, sed novas post Sacros Ordines nuptias, quas fœda istorum prædicatio admittebat, colligitur ex Sacris Canonibus, adversus hanc pestem editis, præsertim *ex Canone* 1. *SYNODI ARAVSICANE cap.* 22. quo decerni-

tur.

tur: *Deinceps non ordinentur Diaconi conjugati, nisi priùs conversionis proposito professi fuerint Castitatē.* Et *Canone* II. SYNODI ARELATENSIS, à quo iste Arausicanus, verbo tenus innovatur *cap.* 43. *&* *Canone* III. SYNODI AVRELIANENSIS, *cap.* 7. lucidè statuentibus adversus Vigilantii, & Joviniani sectatores Episcopos, à consecrandis Diaconis non exigentes continentiæ professionem, atque ita antea initi conjugii vsum illis permittentes.

1649 Hùc spectant *Can.* 23. *&* 24. ARAVSICENSIS SYNODI, *Can.* 44. ARELATENSIS, 9. AGATHENSIS, 13. ARVERNENSIS, & 2. TERTIÆ SYNODI AVRELANIENSIS, & QVARTÆ 17. necnon & S. LEONIS *ad Rusticum Narbonensem Metropolitam Epistola*, quæ quidem Diaconos, ad prioris vxoris vsum regressos, damnant, & puniunt, juxta Siricii, ac Innocentii Pontificum Decreta, palam edita adversus fœditates Vigilantii, ac Joviniani.

1650 Talis fuit Jovinianus, istiusque nefandus error, vt SIRICIVS Pontifex *in Litteris ad Mediolanensem Ecclesiam*; & *in Epist. ad Himerium*, *Tarraconensem Antistitem*, eum vocet *pudicitiæ adversarium*, *luxuriæ Magistrum*, *libidinū sectatorem*, *præceptorem vitiorum*; & S. HIERONYMUS *lib.* 2. *cap.* 19. adversus Jovinianum, eum appellet, *Christianorum Epicurum*, *luxuriæque*, *& omnis turpitudinis Magistrum*, in quem, quasi in Euphorbum Basilides sit transformatus, & qui spurca carnis Hæresi primò Ecclesiam Latinam fœdaverit.

1651 Id sentire videtur S. AMBROSIVS *in Litteris ad eumdem Pontificē Siricium Epist.* 7. & *in Litteris ad Vercellensem Ecclesiam*; ibi enim eum nuncupat *feralem*, *& agrestem vlulatum confundentem omnia*, ejusque sectam *improbam* appellat, & illius sequaces *Epicureos novos*, *Judæos*, *ac Manichæos*. Præstat vt illum de hujus sectę origine, turpissimisque illius sectatoribus differentem *Epist.* 25. audiamus:* Quæ istos, inquit, Epicureos nova schola misit? Fuerunt nobiscum, sed non fuerunt ex nobis. Hìc positi jejunabant, intra Monasterium continebantur, nullus erat luxuriæ locus interdicta ludibriosæ disputationis licentia. Hoc delicati non potuerunt ferre. Abierunt: deindè volentes redire, non sunt recepti. Pleraque enim audieram, quæ deberent caveri. Monueram; nihil profeci. Effervescētes illa disseminare cęperunt quibus essent incentores vitiorum omnium. Miserabiles: Perdiderunt, vtique, quod jejunaverunt, perdiderunt, quod se aliquo continuerunt tempore. Nunc itaque diabolico studio, invident aliorum operibus bonis, quorum ipsi fructu exciderunt.*

1652 Hinc cognoscere poterunt Neotherici Hæretici, Lutherani, & Calvinistæ, quales fuerint sui erroris Magistri, Jovinianus; & Vigilantius; cum de illis duo Ecclesiæ luminaria, AMBROSIVS, & HIERONYMVS tanta vituperatione loquantur, & contra eorum errorem adeò apertè clament Sacri Canones, Sancti Pontifices, Sacratissimaque Concilia, quæ à nobis modo laudata sunt.

1653 Verùm hujus Hæresis progressum, & in tot nationes irreptionem recensentes, silentio præterire non possumus hunc Joviniani errorem ab Arianis in Hispaniam profluxisse, adeò vt necessè fuerit ei in Concilio Toletano III. obviam iri, vt constat *ex Canone* 5. cujus hæc sunt verba: *Compertum est à Sancto Concilio, Episcopos Presbyteros, ac Diaconos venientes ex Hæresi, carnali adhùc desiderio vxoribus copulari. Nè ergo de cætero hoc fiat præcipitur, quòd & Canonibus prioribus terminatur, vt non liceat, eos vivere libidinosa societate, sed manente inter eos fide conjugali communem vtilitatem habeant, & non sub vno conclavi maneant.* Et quamvis S. LEANDER, Hispalensis Antistes, hujusmodi errorem vtendi matrimonio à Clericis ante Sacrum Ordinem contracto pro virili sua parte extirpare conatus fuerit, non potuit suo tempore eum omninò extinguere, sed opus fuit multis Sanctissimis Conciliis, flagrantissimoque multorum Summorum Pontificum Zelo, vt pestifer iste error non modò vtendi matrimonio, ante Sacrum Ordinem contracto, sed etiam, quod peius erat, denuò à Sacris Ministris ineundi, ab Ecclesia Latina penitus eliminaretur.

1654 Magnam execrabilis hujus nocumenti partem in Hispaniarum Ecclesias invexit VVITIZA, Gothorum Rex, vniversaliter permittens, vt omnes Clerici vxorem, vel concubinas, vnam, vel plures publi-

blicè haberent, provt testatur Toletanus Antistes D. RODERICUS *lib. 3. cap.* 15. dicēs:* Synde edus Episcopus, Vrbis Regiæ Primas, vir Sanctimoniæ studio clarus, viros longævos & honorabiles, quos in Ecclesia Toletana repererat, Zelo Sanctitatis, licet non secundum scientiam, cœpit graviter infestare, & hoc ad instinctum VVitizæ, qui propter suam nequitiam, eorum justitiam timescebat. Verùm quod iste sibi in facie resistebat, propter vexationem Episcopi ad Romanum Pontificem appellabant. VVitiza facinorosus, timens nè suis criminibus obviarent, & Populum ab ejus reverentia revocarent, dedit licentiam, imò præceptum omnibus Clericis, vt vxorem, & concubinas vnam, & plures haberent publicè, juxta libitum voluptatis. Et nê Romanis Constitutionibus, quæ talia prohibent, in aliquo obedirent, & sic Populos per eos retineret.* Idipsum refert CHRONICON MOISSIACENSE *ad annum* 715.

1655 Nec minori animarum detrimento pestilens iste error Gallicanam Ecclesiam, ac præcipuè illam Belgii partem infecit, pro vt graviter dolet Sanctus MARTINVS, Pontifex, hujus nominis I. *in Epistola ad S. Amandum, Trajectensem Episcopum*; inter alia enim, hæc scribit: *Suggestum est nobis, eò quòd Presbyteri, seu Diaconi, aliique Sacerdotalis Officii, post suas ordinationes, in lapsu coinquinantur, & propterea nimio merore Fraternitatem tuam adstringi, velleque pastorale obsequium, pro eorum inobedientia deponere, & vacationem ab Episcopatus laboribus eligere, & in silentio, atque otio vitam degere, quàm in his, quæ tibi commissa sunt permanere.* Quem tamen solatur, sanctissimè exhortans, vt perversos Clericos ad honestatem contineat, eosque juxta ea, quæ in Sacris Canonibus statuta sunt, severè punire satagat.

1656 Observatione dignum est, quod de lamentabili Clericorum, & Gallicanæ Ecclesiæ statu refert VERANVS Episcopus, qui apud Patres in Synodo congregatos graviter conqueritur, non tam de Clericorum scortationibus, quàm de attentatis illorum matrimoniis; inter alia enim gravissima, hæc notanda scribit: *Notum vobis est circa loca beatitudinis vestrę sub magnorum Patrum disciplina Monachorum Congregationes esse non parvas, vndê ad supplēda Clericorum Officia, in prompto est, viros bonos assumi. Vtilior est enim, in Ecclesia paucorum bonorum electa probatio, quàm erraticæ multitudinis præsentia conglobata, ac plus ædificationis afferunt, rara virtutis exempla, quàm popularis licentia abundans, & incotrepta prę sumptio.* Suadetque omnes concubinarios Clericos damnari, & abiici, novosque ex probatis Monachis ordinari.

1657 Et quamvis aliqua Concilia Sanctissimis suis Decretis, tã pernicioſum vxoratorum Clericorũ errorem extirpare conata sint, nõ potuerunt illum penitus exterminare; quod æquissimê deplorat S. Martyr BONIFACIVS, Francorum Apostolus, *in Epist. 1. ad Zachariam Pontificem* scripta *cap.* 3. dicens: *Si invenero inter illos Diaconos, quos nominant, qui à pueritia sua, semper in stupris, semper in adulteriis, & in omnibus semper spurcitiis vitam ducentes, sub tali testimonio venerunt ad Diaconatum, & modò in Diaconatu concubinas quatuor, vel quinque, vel plures noctu in lectulo habentes, Evangelium tamen legere, & Diaconos se nominare nec erubescunt, nec metuunt, & sic in talibus incęstis, ad Presbyteratus Ordinem venientes in eisdem peccatis perdurantes, & peccata peccatis adjicientes, Presbyteratus Officio fungentes, dicunt se pro Populo posse intercedere, & Sacras Oblationes offerre, ac novissimè, quod pejus est, sub talibus testimoniis, per gradus singulos ascēdentes, ordinātur, & nominantur Episcopi, &c.* Agnoscens igitur Pontifex infelicē Gallicanæ Ecclesiæ statũ, cupiensque tanto morbo condignũ adhibere remedium vsus fuit Apostolico Zelo prędicti Bonifacii, qui tunc Benedictinus Monachus erat, quē, vt majori fultus Authoritate feliciùs in tanti momenti causa navaret operam, Episcopũ creavit, vt in illis partibus, tamquã Apostolicus Legatus Ecclesiasticã disciplinam, turpi vxoratorum Clericorum vitio collapsam, restauraret. Hic igitur vt injunctum sibi munus cumulatissimè explere posset, *in eadem Epistola*, à Summo Pontifice quærit, quid sibi faciendum de Episcopis, & Clericis, qui asserebant, se à Romano Pontifice facultatem habere in illo statu permanendi? *Episcopi, inquit, & Presbyteri generis Francorum, qui fuerunt adulteri, & fornicatores acerrimi, quos in gradu Episcopatus, vel Presbyterii forni-

ca-

cationum nati filii arguunt, ab Apostolica Sede revertentes, dicunt Romanum Pontificem sibi licentiam dedisse, ministerium Episcopale in Ecclesia ministrare. Quos contra contendimus; quia Apostolicam Sedem nequaquam contra Decreta Canonica audivimus judicasse.* Hìc duximus adnotandum, quòd præfati Presbyteri, & Episcopi videntes se se à prædicto Bonifacio exauthoratos, & suis Officiis ptivatos, prout merebantur, & à Sacris Canonibus cavetur, à Bonifacii Sententiis Romam appellabant, reversique impudentissima ista mendacia seminare, & Apostolicæ Sedi adscribere non erubescebant: quod numquam accidit, nec credibile est contigisse; cum Sacrorum Canonum æmulatio, & observantia sit Summorum Pontificum muneris propriissima.

1658 Præcipui sectarii, & hujus erroris antesignani erant in illis partibus Clemens, & Adalbertus Episcopi, de quibus queritur Pontifex *Epist. 4. ad Bonifacium*, hæc, inter alia, scribens: *Retulisti nobis, quòd duos Pseudo-Propheras in eadem Francorum Provincia convenisses, quos, non Pseudo-Prophetas, sed magis *Pseudo-Christianos* appellare debemus. (Enumeratisque Adalberti flagitiis, ac facinoribus pergit de Clemente dicere:) Alius verò ita luxuriæ deditus, vt concubinam haberet, & duos ex ea filios, & tamen Sacerdotium sibimet vindicabat.* Videns igitur Pontifex gravissimum istud damnum, magnopere dolet, atque vt ei remedium adhibeat, ad omnem Franciæ Clerum, & Populum hæc scribit: *Habuistis hucusque peccatis facientibus falsos, & erroneos Sacerdotes: Vndè, & cunctæ Paganæ gentes vobis pugnantibus prævalebant; quia non erat differentia inter Laicos, & Sacerdotes.* Nec sola Gallia, sed etiam Thuringia, & Bavaria lethali ista vxoratorum Sacerdotum lue infectæ fuerunt: Vndè gravissima damna, horrendaque Dei supplicia in prædictas Provincias promanarunt, vt Pontifex *in prædicta Epistola ad Bonifacium*, cæterique illorum temporum Authores enarrant.

1659 Quoniam adeò depravatos Ecclesiastici status sub illo tempore mores retulimus, non erit abs re tantorum malorum causas exquirere. Primam ad Leptinensem Synodum edixit CAROLOMANNVS his verbis: *Consilium mihi dedistis, quomodo Lex Dei, & Ecclesiastica Religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum corruit, & qualiter Populus Christianus ad salutem animę pervenire possit, & per falsos Sacerdotes deceptus non pereat.* Asseritque mali causam fuisse, notam Merovingiorum Regum ignaviam, atque luxuriam.

1660 Secunda fuit, magna Episcoporum inopia, vt juxta Sacrorum Canonum observantiam gubernarent, iuxta ea, quæ scribit GREGORIUS III. Pontifex *ad S. Bonifacium*; siquidem totam Bavariæ Provinciam vnus Episcopus gubernabat; ideoque præcepit Pontifex prædicto Bonifacio, vt ibi præter illum Episcopatum tres Cathedrales erigeret, pluresque postmodum CAROLUS MAGNUS erigi curavit.

1661 Tertiam tantæ in Ecclesiastico statu corruptionis causam innuit S. BONIFACIUS *in Litteris ad Zachariam Pontificem*; quòd, nempè, Francorum Episcopi plusquam per octoginta annos nullam Synodum fecissent. Frequètes enim Synodos necessarias esse, conservandæ, & reparandæ Christianitati medicinam, omnes antiqui Canones clamãt, ideoque adeò frequenter celebrari præcipiunt, vt bis per annum in vnaquaque Provincia indici cautum fuerit.

1662 Quarta fuit Saracenorum in Gallias irruptio. Hanc autem non tantùm causam, sed & pœnam dixerim; majorem enim Galliarum partem Saraceni devastarant, plurimosque cum Clericis, & Monachis Episcopos trucidarant, aut expulerant, & cæteros per summam egestatem ad armatam in se militiam coëgerant, atque ita ad omnem militarium flagitiorum, & facinorum licentiam illis habenas laxarant.

1663 Aliam addit FLODOARDVS *in Rhemensis Ecclesiæ Historiæ lib. 2. cap. 12.* agens de Carolo Martello pugnante in Reginfredum Majorem domus Regiæ sub Childerico Rege, Sanctum Rigobertum, Rhemensem Archiepiscopum, expellente, & Episcopatum cuidam Miloni Clerico, sola prima tonsura insignito, commendante: *Hic, inquit, Carolus, non solùm istum, sed etiam alios Episcopatus Regni Francorum dedit Laicis hominibus, & Comitibus, ita vt Episcopis nihil potestatis permitteret in rebus Ecclesiarum.*

rum.* Ad inteſtina partim, partim ad externa cum Saracenis præcipuè bella, neceſſarios ſumptus non habens Carolus, Eccleſiaſticas poſſeſsiones militibus ſuis dedit in ſtipendia, induxit Laicas Eccleſiarum Commendas, Epiſcopos, omnemque Clerum in extremam abjecit paupertatem. Vndè incępta iampridem vitia, rerûm inopiâ, eorumque prona libido, parumque correcta diſciplina indies in pravos mores deflexit, & in priſtina conjugia, nondum totaliter emendata, prorupit.

1664 Verûm quamvis tanta fuerit temporibus illis morum depravatio, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ corruptio, non defuerunt Sanctiſsimi Epiſcopi, qui vnà cum S. Bonifacio, Apoſtolico Legato, & Principibus Caroli Martelli filiis varias Synodos celebrari curarûr, vt collapſam in Galliis Eccleſiaſticã diſciplinã in priſtinum ſtatum revocarent. Ex his vnus fuit S. RIGOBERTVS, qui Clerum ſuum reſtaurare inſigniter cępit, vnàque cum aliis Epiſcopis, coactis Synodis, Canonicam diſciplinam pro viribus reduxit, Monaſteria, & Eccleſias inſtauravit, eaſque, melioribus Antiſtibus, & poſſeſſoribus implevit.

1665 Caroli Martelli filii à S. EVCHERIO, Aurelianenſi Antiſtite, infœlici Patris ſui exitu edocti, omni cura incubuerunt in Eccleſiaſtici ſtatus inſtaurationem, pro ſua parte Sanctorum Gallicanorũ Antiſtitum Zelo cooperantes, vt tradit HVGO, Flaviniacenſis Abbas, cum aliis Scriptoribus *in Virdunenſi Chronico*, vbi vnus è præcipuis reformationis, & reſtaurationis prædicti Cleri articulis fuit humillima Apoſtolicæ Sedi ſubiectio, Sacriſque Canonibus obedientia, vt teſtatur S. BONIFACIVS *in Litteris ad Cuthbertum, Cantuarienſem Archiepiſcopum, Epiſt.* 105. dicens: *Decrevimus in noſtro Synodali Conventu, & confeſſi ſumus Fidem Catholicam, & vnitatem, ac ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ fine tenus noſtræ vitæ velle ſervare, S. Petro, & Vicario ejus velle nos ſubjici.* Hujuſmodi autem ſubjectionis modum explicat, & declarat *in alia Epiſtola*, quæ extat apud GRATIANVM 40. *diſtinct. cap. Si Papa 6.* vbi hæc leguntur: *Tanta reverentia Apicem Apoſtolicę Sedis omnes ſuſcipiunt, vt nonnullam Sanctorum Canonum diſciplinam, & antiquam Chriſtianæ Religionis inſtitutionem magis, ab ore Præceſſoris ejus, quàm à ſacris paginis, & paternis traditionibus experant. Illius velle, illius nolle tantùm explorant, vt ad ejus arbitrium ſuam converſationem, & ipſi remittant, aut intendant.*

1666 S. BONIFACIO pro virili ſua parte vſque ad ſanguinis, & animæ pro Fide, & Eccleſia profuſionem contendenti Eccleſiaſticum ſtatum Cęlibatu reparare, & in Eccleſiaſticis reformationem juxta Sacros Canones introducere, valdè cooperata eſt Vernenſis Synodus, quæ agnoſcens, ad coërcendam, ac penitus eliminandam Clericorum incontinentiam, parum proficere carcerationes, flagellationes, & alias hujus generis vindictas, pro Clericorum reformatione mitiorem hunc Canonem emiſit. *De illis hominibus, qui dicunt, quòd ſe propter Deum tonſuraſſent, & modò res eorum, vel pecunias habent, & nec ſub Epiſcopi manu ſunt, nec in Monaſterio regulariter vivunt, placuit, vt in Monaſterio ſint, ſub Ordine Regulari, aut ſub manu Epiſcopi ſub Ordine Canonico, & ſi aliter fecerint, & correcti ab Epiſcopo ſuo, ſe emendare noluerint, excommunicentur. (Canonis *Epigraphe* ſic habet:) Vt Clerici omnes ſub manu vivãt Epiſcopi, vel in Monaſterio ſub Ordine Regulari.*

1667 Proſequuta fuit hæc Synodus reformandi Cleri rationem, quam S. RIGOBERTVS, Rhemenſis Antiſtes, inchoarat, prout refert ANONYMVS illius vitæ Author, dicens:* Rigobertus Canonicã Clericis Religionem reſtituit. Juxta numerum quoque eorum, quotus illo tempore erat, ſufficientia, & continua eis victualia conſtituit, quatenus Divino cultui liberiùs, atque inſtantius, inſiſtere quiviſſet. Priùs quippê quàm exoptabilis hic Author, ac Pater eorum advenitet, non eis dabatur Canonicus panis, & non erant vt ſunt hodie Canonici, ſed ſicut matriculatii. Et ad hæc res proprias cum habitatoribus earum illis contulit, qui ſingulis neceſſitatibus eorum deſervirent. Primus Rhemenſium hic Epiſcoporum fertur commune eis inſtituiſſe Ærarium, generaliter vſibus eorum in ſæcula profuturum.* Prudenti hac Conſtitutione omnes Clericos coëgit ad communem in Clauſtro ſub Epiſcopi oculis vitam, rationem longè ſecuriſſimam ad præcavenda incontinentiæ, avaritiæ, & opulentiæ damna Eccleſiaſtico ſtatui perniciosiſſima.

1668 Hanc Clericorum vitam esse ejus in Europa institutum, tradit cum FLODOARDO, STEPHANVS, Tornacensis Episcopus, *in Litteris ad Rhemensem Decanum, Epist.* 160. indignissimè ferens, commune illic dormitorium, ac refectorium, solas sanctissimæ vitæ superstites reliquias, eradicari. A S. etiam AMBROSIO *Epist.* 25. laudatur S. Eusebius, Vercellensis Episcopus, quòd Clerum suum in Monasterio clauserit. Verùm Monachale, non Clericale fuisse istud Claustrum liquidò constat, quale etiam, ex S. GREGORII Magni instituto, habuerunt Ecclesiæ Anglicanæ.

1669 VERNENSIS SYNODVS, & PIPINVS Rex præceperunt, vt communis Clericorum in claustro vita in omnibus Galliæ Ecclesiis observaretur. Idipsum præstitit illius filius CAROLVS MAGNVS, Imperator; siquidem suo tempore promota fuit, & laudabiliter floruit Gallicani Cleri reformatio, Clericis Claustralem, & Regularem vitam agentibus, juxta variorum Gallicanæ Ecclesiæ Conciliorum, Prælatorumque dispositionem. Carolus igitur Magnus, parentis sui pietatem imitatus, Aquēsem Synodum, aliasque plures celebravit, vt Gallicanus Clerus communis, & Claustralis vitæ medio reformaretur, idque Leandro Lugdunensi Episcopo commendavit enixè, qui Imperatori asseverans, se illius menti piissimæ obtemperasse, eumque certiorem faciens de his, quæ Sancto illius Zelo, & voluntati obediens, operatus fuerat, hæc, inter alia, scribit: *Claustrum quoque Clericorum construxi, in quo omnes nunc sub vno conclavi manere noscuntur.* In Ecclesia Metensi istud ipsum fecisse S. CHRODOGANGVM, alioque Episcopos in suis Ecclesiis, pro Cleri reformatione, per id tempus præstitisse, ex Francorum historiis liquet, atque ita pedetentim Francorum Regnū tanti Principis, ac Episcoporum Zelo, Ecclesiastica vita sanctissima impletum est.

1670 Quamvis LVDOVICVS PIVS Imperator, in sui regiminis initio aliquatenus iners fuerit, ac remissus in premendis sui patris Caroli Magni vestigiis, imitandoque Zelo, circa Cleri reformationē, postmodū tamē temporis beneficio, re maturiùs considerata, Zelum reassumpsit, Regularibusque Clericis jussit ab Aquensi Synodo conscribi Regulam, eamque per omnem suam Monarchiam servari. Ex illa autem plurimos fructus, & gaudium provenisse ASTRONOMI ANLES testantur *ad annum* 817. eos quippè secundum Canones vivere, ac exindè Clericos *Canonicos* appellari simpliciter mandaverant Carolus, & Pipinus. Extat *Aquensis Regula* ex Antiquis Canonibus, & Patrum dictis, Sanctorum præsertim HIERONYMI, & AVGVSTINI *lib.* 1. *Epist.* 18. collecta; eaque servata fuit vsque ad S. Petri Damiani tempora, qui illam, quod proprium peculium Clericis permitteret, & largum nimis victum adscriberet, *in Litteris ad Alexandrum Pontificem* graviter culpavit, & exauthoravit. Ita paulatim exolevit illa, & in ejus locum recepta est S. AVGVSTINI Regula, cepitque tantus Pater, & Ecclesiæ Doctor, quòd Clericos intra Claustrum, & communem vitam plātasset in Africa, in id idem etiam ab Europæis vti Fundator, & Legislator coli, & honorari.

1671 Quamvis ad hæc vsque tempora ferventissimo Summorum Pontificum, Episcoporum, & Imperatorum Zelo collapsa Ecclesiastici status continentia valdè reparata esset, & in pristinum splendorem restituta; nihilominus occasione Schismatis, quod in Ecclesiam irrepsit inter duos electos Pontifices STEPHANVM VII. & SERGIVM III. & occasione eorum, quæ in FORMOSVM PONTIFICEM, jam vita functum, patrata sunt, æterno silentio digna, necnon defectu certi Pontificis, qui audaciam in continentium Clericorum reprimeret, iterum relaxata est in Italia, Germania, & Gallia ipsorum castitas, invalescente denuò antiqua illa pessima consuetudine vxoratorum Clericorum, etiam postquam Sacris Ordinibus initiabātur, vt testatur S. GREGORIVS VII. *in Litteris ad Beatricem Ducissam, ejusque filiam Mathildem, lib.* 1. *Epist.* 77. affirmans, multos Germaniæ Episcopos carnali flagitio laborasse. Et de Poppone, Tullensi Antistite, quòd cum muliere quadam in publica fornicatione jaceret, & ex ipsa filium genuisset, imò & se solemniter Laicorum more desponsasset, queritur *in Litteris ad Vdonem, Trevirensem Episcopum*, ejus Metropolitanum; eademque lepra plures Episcopos laborare lamentatur *apud Albertum Comitem Namur-*

murcensem, *lib.* 2. *Epist.* 10.

1672 Observatione admodum dignũ, quod de lachrymabili, Ecclesiæ Latinæ statu suo tempore refert S. PETRVS DAMIANI *in Epistola*, quam *Nicolao Pontifici* hisce verbis scripsit: *Nuper habens cũ nõnullis Episcopis ex Vestræ Majestatis Authoritate colloquium, Sanctis eorum fęmoribus volui feras apponere, genitalibus Sacerdotum tentavi continentiæ fibulas adhibere. Sed quoniam hæc est secta, cui vbique contradicitur, aliud quidem quodcumque vestrę Constitutionis imperium sub spe perficiendi fideliter indicimus, hujus autem Capituli nudam saltim promissionem tremulis prolatam labiis difficiliùs extorquemus. Primò, quia fastigium Castitatis attingere se posse desperant. Deindê, quia Synodali se plectendos esse Sententia propter luxuriæ vitium non formidant.* Et adhùc conqueritur Sanctus de conniventia, qua suo tempore tàm exitiosum damnum permittebatur, addens omnem Christianum Populum indê admodum offendi, & scandalizari: *In minoribus, inquit, Sacerdotibus luxurię inquinamenta persequimur; in Episcopis, quod nimis absurdum est, per silentii tolerantiam veneramur.*

1673 Memorandum valde, quod de miserando Gallicanæ Ecclesię statu, infęlicique eventu vnius ex vxoratis Presbyteris narrat dictus S. Cardinalis *lib.* 4. *Epist.* 3. scribens *ad Kunibertum*, *Episcopum Taurinensem*: *Permittis, inquit, vt Ecclesię tuę Clerici, cujuscumque sint Ordinis, velut jure matrimonii confœderentur vxoribus.* Et quamquam prędictus Episcopus castissimus erat, ex hoc ipso ęquiorem sumit querendi, & dolendi rationem, dicens: *In Episcopo inutilis est Castitas, quę se sic exhibet sterilem, vt aliam non pariat Castitatem.* Videns autem se sancto suo Zelo coercere non posse vxoratorum Clericorum petulantiam, & turpitudinem, coactus fuit advocare auxilium brachii Secularis Adelaidę, Cocciarum Alpium Marchionissæ. Et prędicto Kuniberto Taurinensi Episcopo scribens *lib.* 7. *Epist.* 17. refert etiã infęlicẽ Gallicani Cleri statũ, & quomodo à Laudensis Ecclesiæ Clericis, vti à cornupetis tauris fuerit impetitus: *In Galliarum, inquit, partibus propé administrationem, ac ditionem cujusdam Religiosi Abbatis habitabat Presbyter, qui quantò copia facultatis vberiùs affluebat, tantò magis Religionis, & honestatis præmebatur inopia. Obeunte igitur pellice, viduatus adjecit iterare conjugium. Confœderat sibi, quasi tabularũ lege prostibulum, amicorum, atque confinium congregat nuptiali more conventum, epulaturis etiam totius affluentiæ providet apparatum.* Abbati per missos Monachos monenti, & dura minanti obtemperare noluit: Sed quidquid nuptialis ordo dictabat, implevit. Et hinc Divina vindicta non dormit. Etenim sacrilegum stuprum consummare tentans infelix Presbyter: *Vno eodemque momento, & semen fudit, & animam exhalavit.*

1674 Prædictum Gallicanæ Ecclesiæ funestissimũ statum attestatur etiam S. ANSELMUS, Beccensis Monasterii Abbas, *ad Vrbanum II. Pontificem* de Fulcone, Belovacensi Episcopo, hæc scribens: *Canonici, & Presbyteri illi adversantur; quia eos à pravis consuetudinibus, & maximê à mulierum reproba conversatione vult prohibere, & eorum filios à Præbendarum hæreditaria successione, atque à Sacrorum Ordinum promotione arcere.* Omnem ferè istius Ecclesiæ Clerum, affirmat duplici hac scabie infectum. Extat Epistola apud FRANCISCUM JVRETTVM *in Notis ad Epistolam Ivonis, Episcopi Carnotensis.*

1675 JVO CARNOTENSIS graviter etiam queritur *Epist.* 200. apud Daimbertum Senonensem Episcopum, suũ Metropolitam, de quodam Senonensis Ecclesiæ Prælato, qui publicè sibi duo scorta copularat, & tertiam pellicem, cui tabulas matrimoniales faceret, jam sibi pręparabat. Scribit itẽ ad Gualonẽ Episcopũ Parisiensem, *Epist.* 218. *De Canonico Ecclesiæ vestræ, qui contra prohibitionẽ vestram matrimoniales tabulas sibi composuit, nullam Sententiam ad manum habeo, quam dilectio vestra ignorat.* Et Hildeberto Ecclesiæ Cenomanensis electo dissuadet Episcopatum (*Epist.* 277.) eò quòd Archidiaconus accubante lateribus ejus plebe mulierc ularum, multam genuisset plebem puerorum, & puellarum. Et hæc quidem omnia post tot Romanæ Ecclesiæ, adversus istas impiissimas Sacrorum Ministrorum nuptias, Decreta.

1676 Eadem ista lues & pestifer vxoratorum Clericorum abusus Angliæ, & Hyberniæ Regna infecit. Ejus causam in Barbaros Normannos, qui Ecclesiam Lindisfarnensem devastaverant, atque ita expulsis Cathedralibus Monachis vagandi, scortandi, ac tandem attentandorum conjugiorū ansam dederant, refert SIMEON, Monachus Dunelmensis, dicens vsque ad Gregorii VII. Pontificatum perduravisse. ABBAS ALREDUS magnopere laudat Eadgarum Regem, quòd has spinas evellere conatus sit, etsi plenè non evulserit: Etenim de Guillelmo primo Rege ad Hugonem Diensem Episcopum, suum in Gallia Legatum, scribit laudatus GREGORIVS VII. *lib. 9. Epist. 5.* *Anglorum Rex Presbyteros vxores etiam juramento dimittere compulit. (Hinc dicit:) cæteris Regibus probabiliorem, & magis honorandum.* Eamdem laudem illi adscribit Gregorii antecessor ALEXANDER II.

1677 Nec ab exitialissimo isto contagio, Stygiaque pernicie immunis evasit Hispania, ADRIANO Pontifice testante; siquidem inter scriptarum ab Adriano I. Pontifice Epistolarum summaria, seu argumenta, *in Epist.* 45. hoc legitur: **Ad Egilam Episcopum, seu Ioannem Presbyterum, de conservatione continentiæ in Hispaniæ partibus prædicanda Epistolam scripsit Adrianus, ac de diversis erroribus ac eorum Pseudo-Sacerdotibus, qui vivente viro sortiuntur vxores.** Quasdam integras Epistolas produxit Franciscus Ducheine omninò videndas. Et ad Didacum, Compostellanæ Ecclesiæ Episcopum scripsit Paschalis II. *Si qui Presbyteri, aut Diaconi ante Romanę legis susceptionem, secundum cōmunem patriæ consuetudinem, conjugia contraxerint, natos eis filios neque à Seculari, neque ab Ecclesiastica Dignitate repellimus.* Romana ista lex omninò sunt Gregorii VII. Decreta, cujus & alias Sanctiones fuisse ab Hispanis reverenter admissas supradiximus; nam & Richardus Massilienſis ad S. Victorem Abbas, ac S. R. E. Cardinalis Presbyter fuit illic ejus Legatus, & pro laudatorum Decretorum susceptione duras luctas sustinuit.

1678 Ex hactenus dictis manifestissimè ostenditur æquissima occasio, & causa, qua adducti fuere Summi Pontifices ad Joviniani, & Vigilantii Hæresim, matrimonium Clericis, Sacrisque Ministris licitum adstruentem, toto conamine penitus extirpandam; cum enim Summi Præsules probè agnoscerent, prædictum errorem esse Ecclesiastico statui, castimoniæ, puritati, & continentiæ, à Sanctis Apostolis pro majori tàm Sancti status perfectione adeò commendatæ pernicioſissimum, sui muneris valdè proprium duxerunt tanto Zelo, tantaque sollicitudine hanc pestem ab Ecclesiastico statu eliminare, vsque ad Leonis IX. & Gregorii ætatem, qui, videntes ipsam indies magis grassari, & improborum quorumdam Clericorum obstinationem Sanctissimis suis Decretis non obtemperare, nè tàm Sacer status à petulanti eorumdem audacia jacturam pateretur, nevè Fidelis Populus à exemplo pernicioso eorum, qui in publico peccato existentes Missam celebrare non verebantur, peccandi ansam arriperet, præfata Decreta ediderunt, æquissimè statuentes: *Vt nullos Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem, &c.*

§. VI.

An quæ hucusque diximus, sint Sanctorum Patrum menti consentanea.

1679 QVamquam hactenus lato calamo ostenderimus Apostolicum Zelum, quo Summi Pontifices, Sacraque Concilia tot retractis temporibus extirpare conati sunt exitiosissimam Joviniani, & Vigilantij Hæresim, vxoratum Sacris Ministris licitum esse asseverātium, improbamque consuetudinē, quæ à pessima ista scaturigine per diversa Christiani Orbis regna in Ecclesiasticis invaluerat, vt modo probavimus; quæ quāvis hinc extingueretur, illinc tamen vehementiùs repullulabat, ob depravatum, obstinatumque incontinentium animum, qui immemorabili consuetudine, quæ in aliquibus partibus vigebat, temporumque infelicitate suffulti Sacrorum Ministrorum Matrimonium licitum prædicabant, ad rationis lucem veritatisque Solem cœcutientes,

&

& temerario ausu contemnentes Sanctissima Decreta, quæ ab Apostolica Sede dimanarant in hujus fœtentissimi erroris condemnationem, & penitus alieni à puritate, & castimonia, hæreditario jure nobis ab Apostolis relicta, quam Ecclesiasticus status ad CHRISTI imitationem profiteri debet; nihilominus cum sub GREGORIO VII. vt supràdiximus, non defuerit Schismaticus, qui petulanti ore debacchatus suorum sequacium nomine ausus fuerit dicere, Gregorii Pontificis Decreta, Clericis mulierum commercium prohibentia, esse contra Sanctorum Patrum doctrinam; vt tãtus error clarius innotescat, probandum assumimus, Castitatem, quam Sanctissimus Pontifex Gregorius, istiusque Prędecessores, & Successores Sacris Ministris servandam præceperunt, eis frequens mulierum cõmercium interdicentes, esse celebriorum Authorum, Sanctorumque Patrum doctrinæ consentaneam; ii enim concordi mente tradunt, à mulierum propinquitate, visu, frequentique commercio summũ imminere Castitati discrimen, vt ex SS. Patribus, tùm Græcis, tùm Latinis latè jam dudum ostendimus *tom.1.lib.2. cap.*8.§. 9. 10. & 11. multisque rationibus confirmavimus SS.Patrum doctrina suffultis, quibus addi possunt sequentes.

1680 Prima; quia mulieres sunt præcipuum instrumentum, quo dæmon ad virorum continentiã, castitatemque labefactandã, vtitur. Id præclarè testatur S. JOANNES CHRYSOSTOMVS, *Homil.3. de Patientia Iobi*, mulierem *antiquum diaboli organum* appellans: observatque Sanctus, dœmonem, cum ei permisit Deus, vt Jobum laboribus, pœnisque vexaret, quò tantus vir tribulationum igne probaretur, præclaraque illius patientia clariùs eluceseeret, quamvis ei omnia fortunæ bona eripuerit, omneque solatii genus ademerit, tamen, quò eum magis cruciaret, illiusque dolorem graviter augeret, solam mulierem ei reliquisse, quæ illius patientiam exhauriret, juxta illud: *Dereliꝛta sunt tantummodo labia circa dentes meos*; idque ipsum expendunt ORIGENES, & S.BEDA *in illud: Ecce labia mea non prohibebo*; & D. BERNARDUS agens de CHRISTO passo sub vitis imagine *cap.*2. Mulierem Satan ipse (*apud Origenem lib.2.in Iob*) vocat *antiqua sua arma, quibus Adamum profligavit.* Et ipse Oregines *Homil.3.in divers.* *Mulier, inquit, *caput peccati, arma diaboli expulsio Paradisi, delicti mater, corruptio legis antiquæ.**

1681 Consonat TERTVLLIANUS *lib. de Habitu Muliebri, cap.*1. vbi cum muliere loquens, pernicioſissimosque effectus, quos mundo attulit expendens, hæc subdit: *Evam te esse nescis? Vivit Sententia Dei super sexum istum in hoc sæculo; vivat & reatus, necesse est. Tu es *diaboli janua*, tu es *arboris illius resignatrix*, tu es *divinæ Legis primæ desertrix*: tu es quæ eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit, tu Imaginem Dei hominem tàm facilè elisisti. Propter tuum meritum, id est mortem, etiam Filius Dei mori habuit.*

1682 S. EPHREM, *tom.1.tract. Adversus improbas mulieres* optimè notat: Nullam esse feram fœminæ parem, & leones quoque, ac dracones, colubros, cete, & aspides, de malitia mulieri concedere contestatus, integra tractatione quam Chrysostomi nomine allegant ANASTASIVS NYSSENVS *quæst.62.in Scrip.* & S.DAMASCENVS, *lib.* 1. *Paral. cap. 76.* sic exclamat: *O malum diabolicum, & accutissimum telum! Quoniam per mulierem à principio, Adamum in Paradyso pervertit. Per mulierem castissimum Joseph in carcerem conclusit. Per mulierem Davidem ad Vriam Hethæum dolo occidendum concitavit. Per mulierem, sapientissimum Salomonem ad prævaricandum induxit. Per mulierem, Eliam fugavit. Per mulierem, Sampsonem oculorum lumine privavit, & Percusorem CHRISTI decollari fecit. Per mulierem, cunctos oppugnat, cunctos dedecorat, cunctos occidit, cunctos vituperat, cunctos violat. Siquidem mulier impudens nemini parcit: non Sacerdotem veretur, non Prophetam veneratur, non honorat canitiem: O malum malorũ pessimum mala Mulier!*

1683 Secunda ratio est; quia mulierum familiaritas, & cõmercium pernicioſissimos effectus semper hominibus intulit, vt luculenter expendit S. EPHREM *loco mox laudato*, dicens: *Quid est mulier? *Laqueus comptus*, & homines in voluptatem illiciens, quæ splendida quidẽ facie, & excelso collo oculis annuit, & genis arridet: lingua verò dulciter canens,

nens, voce alios decipit, & sermone pellicit, vestes trahens, & pedibus ludens, forma placēs, & corpore fornicationē exercens, factitque occidens. Multos enim vulneratos (ait PAROEMIASTES) dejecit, & innumerabiles occidit. Quo circa: *propter speciem*, inquit, *mulieris multi perierunt: Et ex hoc concupiscentiæ quasi ignis exardescit.* Quid est mulier? *Naufragium super terram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ, & malitiæ, mortifera conversatio, atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis spiculum, juvenum perditio, sceptrum inferni, & concupiscentia præceps.* Quid est mulier? *Causa diaboli, requies serpentis, diaboli consolatio, dolor inconsolabilis, caminus succensus, eorum qui salvantur offensio, malitia inevitabilis, diurna confabulatio, hospitium lascivorum, & officina dæmonum.* Quid est mulier? *Amor flagitiosus, bestia impudens, incontinentissimus impetus, effrænatum os rerum arcanarum, triūphus tenebrarum, dux delictorum, oblectamentorum magistra, insatiabilis concupiscentia, nequitiæ, & æterni suppticii conciliatrix.* Quid est mulier? *Prudentia terrena, viri socordia, concumbens incontinentia, excitata cura, vipera vestita, pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domus, viri naufragium, immanis bellua, adulterorum diversorium, arma diaboli, expetita rabies, exornata mors*; vt non immeritò dictum sit à Sapiente: *Brevis omnis malitia suprà malitiam mulieris.**

1684 S. PETRVS CHRYSOLOGVS *sermon.* 127. cum retulisset saltatricis filiæ Herodis petitionem, hæc, valdè notanda, subdit: *Hæc est mulieris antiqua malitia, quæ Adam ejecit de Paradisi deliciis; hæc cœlestes homines fecit esse terrenos; hæc humanum genus misit in infernum; hæc vitam abstulit mundo propter vnius arboris pomum. Hoc malum, quod homines ducit ad mortem; hoc malum fugit Elias Propheta, & cujus lingua clavisfacta est Cœli, tamquam teus fugit à facie mulieris. Hæc invenit verum laborem, & præsturam, quæ nunc occidit Joannem Baptistam, dejicit pueritiam, perdit juventutem, illicit, & inquietat emortuam senectutem.*

1685 S. AMBROSIVS censet, majorem esse mulieris, quàm dœmonis astutiam, & calliditatem; quos enim ille se solo tentare ausus non est, mulieris versutia dejecit; sic enim scribit *sermon.* 15. *in Psalm.* 118. *Serpens ille callidus, & astutus, ad constituendas nequitiæ suę artes, quo incorruptæ, ac rudis naturæ dote fundatum primogeniti Adam labe factaret affectum, fœmineis magis illecebris, quàm suis commisit venenis. Itaque fœmina virum, quem serpens tentare non ausus est, cibo oris, & vi amoris inflexum, molli quadam, & conciliatricula vxoriæ sedulitatis affectione seduxit.*

1686 Tertia est; quia mulier est medium aptius, quo vsus est dæmon ad inducendas in mundo suas hæreses, & errores. Sic censet S. HIERONYMVS siquidem *in Epistola ad Ctesiph.* describens Rufini alumnas, & Origenis, ac Pelagii, eorumdem quæ errorum cooperarias, hæc, valdè notanda, tradit: *Quid volunt miseræ mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinę, semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis perveniente s; & cæteri mulierculārum socii, prurientes auribus, & ignorantes quid audiant, quid loquantur, qui vetustissimum cænum, quasi novam suscipiunt temperaturam, qui juxta Ezechielem *liniunt parietem absque temperamento*, & superveniente veritatis pluvia dissipantur? Simon Magus Hæresim condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio; Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit fęmineos; Marcion Romam pręmisit mulierem, quæ decipiendos sibi amicos præpararet; Apelles Philuminem suarum comitem habuit doctrinarum; Montanus, immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam, & Maximillam nobiles, & opulentas fœminas primùm auro corrupit, deindè Hæresi polluit. Dimittam veteta, ad viciniora transcendam; Arius, vt orbem deciperet, sororem Principis ante decepit; Donatus per Africam, vt infęlices quoſque fœtentibus polluēret aquis, Lucillæ opibus adjutus est; In Hispania, Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foveam, succesſoremque sui Priscillianum habuit, Zoroastris Magi studiosissimum, & ex Mago Episcopum, cui juncta Galla, non gente, sed nomine, Germanam hûc, illucque currentem, alterius, & vicinæ Hę-

re-

reseos reliquit Hæredem. Nunc quoque Mysterium iniquitatis operatur. Duplex sexus vtrumque supplantat.*

1687 Quarta est; quia quamvis mulierem in adjutorium viri creaverit Deus juxta illud, *Gen.* 2. *v.* 18. *Faciamus ei adiutorium simile sibi*; sæpè tamen oppositum accidit; illius siquidem malitia vtitur dæmon, non in viri adjutorium, sed exitium, & mariti ruinã. Hùc facit AQVILÆ expositio; ad illa enim verba: *Adjutorium simile sibi*, hæc habet: *Faciamus ei hostẽ & adversariũ.* Idque sæpissimè accidit in mulieribus quantumvis legitimè conjugatis; quia vel ob suam malitiam, vel ob virorum peccata permittit Deus, eas esse illis perpetuo cruciatui, & supplicio. Id objiciebat Moysi Julianus Apostata, adductus à S. Cyrillo *lib. 3. in Julianum initio*, negans adjutorium viri posse dici fœminam, quæ illum potiùs tàm frequenter allidit.

1688 Ad idem præclarè facit illud S. CHRYSOSTOMI *lib. de Virginit. num.* 46. Siquidem loquens de prima muliere, cæterisque omnibus (non de illis, quæ legem sibi à Deo in matrimonio impositam implent, sed de his, quæ hujusmodi muneri desunt,) sic interrogat: *Quomodo illa adjutrix, quæ tanta virum tranquillitate privavit? quæ de admirabili illo Paradisi statu deturbavit, & in hujus vitæ perturbationem impulit? Hæc enim non modo non sunt adjutricis, sed ejus, quæ hostilem in modum insidiata fuerit. A muliere enim initium factum est peccati, & per illam morimur omnes.* Ac D. quidem Paulus. *Adam*, inquit, *non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Quomodo igitur adjutrix illa, quæ virum morti subjecit? Quomodo adjutrix, cujus vitio filii Dei, vel potiùs omnes terrarum incolæ, vnà cum feris, ac volucribus, cæterisque animantibus, eluvione perierunt? Nonnè vxor justo illi Job nisi is admodum se virum præbuisset, fuisset exitio? non sua Samsonem perdidit? nonnè cò mulier Hebræorum genus adduxit, vt omnes Beëlphegor initiarentur, & propinquorum manibus trucidarentur? Quis maximè Achab? quis ante eum Salomonem summa sapientia, & gloria virum, Diabolo prodidit? nonnè vxorum suasu viri etiam nunc multa apud Deum offendunt? An non idcircò Sapiens ille brevem omnem malitiam super malitiam mulieris esse testatur?*

1689 Cum igitur fœminarum societas, & commercium, juxta ea, quæ gravissimorum Patrum Authoritate fulti probavimus, viris perpetuò pernicioſissima extiterint, earumque præsentia, & familiaritas potentiora irritamenta fuerint, quibus vsus fuit dæmon ad constantioris viri Castitatem deturbandam, sapientioriſque pudicitiam demoliendam, vt patuit in Davide, Salomone, aliisque similibus; cumque insuper mulier validissimum sit dæmonis instrumentum ad decipiendos homines, eosque ad innumerabilia peccata, Deique offensas pertrahendos, & ad execrabiliores errores, intolerabilioresque Hæreses, & idololatrias in eis inducendas, adeò vt jam prima mulier tota fuerit nedum sui viri, sed & totius orbis destructio, pernicies, & ruina; hinc clarè infertur quanta justitia, æquitate, Apostolicoque Zelo conati fuerint Summi Pontifices, nedum Gregorius VII. sed omnes etiam illius Prædecessores, & Successores, Clericos à fœminarum consuetudine, consortio, & familiaritate segregare, minimè permittentes, eos, ficto adhùc matrimonii titulo, illas in domibus habere; cum hic fuerit Vigilantii, Jovinianique error à Summis Pontificibus justissimè damnatus, vt Hæresis contra puritatem, & castimoniam, quam Ecclesiastici, & præsertim Sacri Ministri ad CHRISTI, Apostolorum, istorumque Successorum imitationem profiteri tenentur, juxta Sanctissima Apostolicæ Sedis Decreta, quibus edocemur, vnum ex efficacioribus mediis ad pretiosissimum Castitatis monile servandum esse, Ecclesiasticos ab omnimoda fœminarum communicatione, & consortio procul abesse.

1690 Neque fidendum est aliquorum stultitiæ, & temeritati suas vires experiri volentium, qui in ipso periculo constituti, & Castitatis hostem, fœminam nempè, aut dæmonem in illa, domi suæ retinentes occasionem relinquere nolunt, suis viribus fidentes se, & periculum, & castitatis hostem devicturos. Id velle experiri, est manifesta insania, directè adversa illi Spiritus Sancti documento: *Qui amat periculum peribit in illo.* Hùc præclarè facit S. CYPRIANVS *Epistola* 62. vbi sermo est de quibusdam improvidis in eodem lecto cum

Sa-

Sacris Virginibus jacentibus : Neque enim patrati fœdi operis arguuntur. Videtur igitur stultè captasse decus fortitudinis, ex non aversо ad hostis præsentiam vultu.

1691 Sed in magnam hanc quorumdam improvidorum dementiam, vanamque præsumptionem expressiùs invehitur ipse Sanctus *lib. de Singularitate Clericorum*, id est, de fuga à fœminei generis præsentia, sic scribens: *Nec quisquam sibi proponat, & dicat: Habere volo quod vincam; hoc enim est dicere: Vivere desidero sub ruina. Quis tàm stultus, qui arctari cupiat ad laborem, cui offertur delicatus triumphus? Neque enim duplex triumphus est, sub fœminæ præsentia probari victorem, quam est in singularitate servare integram sponsionem Sanctimonię. Et cum unus titulus gloriarum, hoc loco unus fortis est, qui satis laborat; & cum illo, qui parum laborando vicerit, pariter muneratur. Quid quod ille quinimò consumatus adscribitur, qui se omni tempore fœmineis affectibus ostentat abscissum? Quia eum Dominus in Evangelio perfectum vocat, qui totum suis vsibus amputaverit patrimonium. Certè etiam cuicumque quotidiani triumphi pro Castitate non desunt; quia numquam desideriis carnalibus spiritum cessat infestare corpus humanum, quod Apostolus affirmat, dicens: Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem; hæc enim invicem adversantur sibi, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Habes nunc carnem tuam, quam superes semper. Quid tibi vis, alteram velle conducere? Nemo super unam febrem cupit adhibere pejorem, nè incipiat hęmitritęo insanabili laborare, cui nullus valeat medicus subvenire. Neque aliquis super onus proprium, tollit insuper alienum, nè oneribus duobus oppressus, vsque ad inferos demergatur.*

1692 Idipsum mirificè expendit S. AVGVSTINVS *serm.* 250. *de tempore, cap.* 2. his verbis: *Sed dicet aliquis: Inter mulieres extraneas habitans, continentiam teneo, & volo habere, quod vincam. Quid est dicere: Volo habere quod vincam, nisi vivere desidero sub ruina? Sed ego, inquit, libidinis impetum volo captivum jugiter retinere. Vidè nè contra te incipiat ipsa captivitas prævalere, &, vbi te putabas obtinere triumphum, indè in æternum incurras opprobriũ. Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia Castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria. Gravem Castitas fortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur; & ideo sicut jam dictum est: nemo se falsa securitate decipiat, nemo de suis viribus periculosè præsumat, sed audiat Apostolum dicentem: Fugite fornicationem.*

1693 Nec subsistit temeraria quorumdã de sua fortitudine præsumptio, existimantium Spiritum Sanctum eis, quamtumvis in voluntaria occasione, in qua maximè periclitatur Castitas, constitutis, fortitudinem ad periculum superandum elargiturum; ab hoc enim errore laudatus Sanctus eos clarè deducit, *in ipsa ferè operis clausula*, sic concludens: *Homines sumus, fragilitatem nostram carne portamus, sic eam vndique nos circunspecta vivacitate circumdare debemus, & cingere, vt non sit pars aliqua, quæ vacillet. Accipimus quidẽ fortitudinem spiritualem, per quam substantiæ nostræ fragilitas roboretur; sed ita nobis spiritualis fortitudo collata est, vt providos nos, non præcipites tueatur, vt illos muniat, qui renuntiant importunitatibus delictorum, non eos, qui se magis importunis delictis immergunt. Custos nobis datus est spiritus, sed vt contraria declinantibus assistendo subveniat, non vt contraria eligentibus foveat: nec vt voluntarios, & pronos in adversa confortet, sed vt ab adversis nitentes separari confirmet; nam quicumque perniciosis conatibus audet exercere virtutem, juvamen non habet Spiritus Sancti, qui neminem vult vltroneum virum fortem ad fraudulentas victorias coarctari, nec protegit eum, quinimò sed deserit, quem periculis irruentem, per illicitos eventus exquirere triumphos agnoverit: sicut ipse jam nunc per Salomonem locutus est, dicens: Amans periculum, in ipso peribit.* Ordine suo igitur, non nostro arbitrio virtus Spiritus Sancti monstratur, & secundum institutum ejus prælia prosperantur; numquam nisi præcipitatus exercitus cecidit, qui avidus facere, Ducis, vel Imperatoris sui dispositiones irrupit, multò magis perituram erogat fortitudinem, qui sine armis Doctrinæ Magistri Spiritus præsumpserit triũphare, cum dicat: *Væ qui per præsumptionem suam aliquid faciunt, non per Deum.**

1694 Hujus cautionis defectu, nimiaque

que in propriis viribus fiducia multi viri doctrina præstantissimi mulierum causa perierunt. Et omissis exemplis, quæ ex D. HIERONYMO, aliisque retulimus, attendenda admodũ est deflenda Montani ruina, quem etsi singulari eruditione insignem, fœminæ in varios errores præcipitem adduxerunt: Nam quamvis Priscillę, & Maximillæ nobilibus, & opulentis mulieribus adhęrens, cladem & sibi, & Ecclesiæ intulit, perque eas omninô multos auro corruptos Hæresi inquinavit, vt scribit S. Hieronymus (*ad Ctheſifont. & in cap. 1. ad Galat.*) tamen adhæsit illis fœminis Montanus citra consuetudinem voluptariam, corporumque comixtionem, postquam ipse eas seduxit, abduxit à maritis, ac proindè ita cum eis suæ iniquitatis Mysterium consumavit, vt defuerit plena carnalis inquinatio. Quamquam in eo minus quadrat Montani exemplum, & mulierum quibuscum est implicitus, quod non ipse ab eis deceptus, & devolutus est in barathrum, sed potiùs eas dementavit, & erroribus suis infectas ad infęlicem secum, per suspendium communi Judæ sorte, exitum traxit.

1695 Ex APOLLINARIO HIEROPOLITANO apud EUSEBIVM *lib. 5. Histor. Eccleſiaſt. cap. 15.* hæc habentur: *Montanus in Mysia Phrigiæ natus, quæ nuncupatur *Ardaban*, dominandi cupiditate, Spiritu Sancto, & dono Prophetiæ plenus videri voluit, duabus meretricibus Priscillæ, & Maximillæ insaniæ suæ afflavit spiritum, easque Prophetissas haberi voluit, quæ furiosæ, ineptæ, & novo, atque peregrino modo garrientes, falsa proferebant oracula, & libros scribebant, quos Propheticis adęquabat Montanus. Catholicos, qui ipsi, & ejus Prophetissis resistebãt, *Prophetarum interfectores* vocabat.* Alia id genus multa apud Authores videri possunt, quæ brevitatis causa missa facimus.

1696 TERTVLLIANVS quamvis vnus fuerit ex his, qui suo tempore eximia doctrina floruere, nihilominus mulierum causa in gravissimos errores prolapsus est, teste D. HIERONYMO qui *Epist. 46.* refellens Tertulliani errorem de non recipiendis Fidelibus lapsis ad pœnitentiam, ac nê aliquorum ex Hebræis lapsorum à CHRISTO admissio causæ suæ noceret, comminiscentis Publicanos, ac similes CHRISTO post scelera adhęrentes fuisse Gentiles, hęc habet: *Ille autem, quia juxta insanas, & blasphemas fœminas suas id dogmatis defendebat, quo Christianos nollet recipere pœnitentes, frustra argumentatus est, Publicanos Judæos non fuisse, vt in persona eorum, Gentilium tantùm Populus possit intelligi.* Enumerat è contrario S. Hieronymus Matthæum, & Zachæum, & illum Publicanum à Pharisęo demorsum, qui Templum ingressus erat, atque adeò non erat Gentilis. Ex quibus concidit vana evasio Tertulliani ad argumentum, quo haustus ab eo à mulierculis insanis, quibus adhærebat, spiritus erroris revinci poterat. Itaque S. Hieronymus apertè tradit, Tertullianum per fœminas fuisse actum in foveam, atque dementatum.

1697 Misera quoque fuit, fletuque dignissima PAVLI SAMOSATENI, Antiocheni Antistitis, ruina; hic enim adeò prędaris dotibus enituit, vt S. EPIPHANIVS *Hæres. 65.* de ejus casu, erroribusque acturus, cum lugendum esse, dicat; quia ex alto cecidit, & in illo impletum est illud, sapientis eloquium: *Invidia improbitatis* (ideſt, *Satanæ*, vt interpretatur S. EPIPHANIVS) *destruit bona, & cogitatio concupiscentiæ eruit mentem innocentem.* Quod autem Paulum de innocentiæ possessione dejecit, fuit cogitatio, affectus videlicet, cedens concupiscentiæ, & ab ea subactus. Cùm enim pietatem præseferens in Antiochenum Episcopum promotus esset, ita in Episcopatu se gesit, vt nulla sit vitii, ac labis Antistitem dedecentis nota, in quam ipse non deflexerit. Quod non erit probatu difficilè, si attentè perpendatur ANTIOCHENI CONCILII EPISTOLA *ad S. Dionyſium, Romanum Pontificem, & Maximum Alexandrinum* scripta (quam refert EVSEBIVS *lib. 7. Histor.*) qua causas exauthorationis ejus recensent Patres, fastum intolerandum, avaritiam, rapacitatem, perfidiam, gloriæ & laudis insanam captationem; sed maximê cum mulieribus familiaritatem indecoram; nàm instituit á mulierculis, à se redactis, hymnos sibi ipsa Paschatis die in media Ecclesia concini, ad quos auditos pii horrescerent, & mulieres pestem Agapetarum apud se habuit, ac sibi faventibus Presbyteris, vt haberent, concesit. Vt enim

mulieri, cui placere studebat, gratificaretur, eo prorupuit insaniæ, vt solùm Patrem Iudaico sensu Deum agnosceret, & CHRISTVM purum fuisse Hominem diceret.

1698 A muliere autem derivatam esse Pauli eversionem, nedum S. EPIPHANIVS insinuat, cum à concupiscentia ereptam Paulo innocentiam tradit, verùm & S. CHRYSOSTOMVS differtè asserit *Hom. 7. in Ioan.* asserens: Quemadmodum Iudæi in CHRISTVM bacchati sunt, servientes hominum gratiæ, sic Paulū Samosatenum ruisse in illum barathrum erroris, cui cætera ejus dedecora sunt comitata; quia mulieris, cui placere studebat, gratiam ea in parte captavit. A fœmina ergo prodiit prima eversionis Pauli Samosateni origo.

1699 Lamentabilis etiam fuit Theodori Mopsuesteni lapsus, qui nobilis Antiochenus, vicennis cum esset, vt S. CHRYSOSTOMVS annotavit, institutis Monasticis se addixit, abiectis omnibus, quibus in sæculo splendebat. Verùm quid de priori ejus statu tradat S. Chrysostomus *Paren.* 2. audiamus: *Quis non in te jure miratus sit post repentinam illam mutationem, & rapidum ad meliora transcursum cœlestis jam verè animæ probos mores! Epularum quidē tibi oblectatio omnis, & luxus contemptui erat. Despiciebatur supellex varia, atque pretiosa omnis inanium rerum jactura. Ignorabatur totum illud externæ atque peregrinæ philosophiæ studium; non diversis lectionibus sufficiebat dies, non perpetuæ orationi noctes, exciderat paternæ sensibus tuis memoria dignitatis, divitias oblivio profunda possederat. Fraterna autem genua cōplecti, & Sanctorū pedibus advolui omni nobilitate sublimius judicabas.* Hæc Sanctus. Hic igitur Theodorus post tot in virtute, Sanctisque Religionis exercitiis, progressus, mulierculæ cui nomen *Hermione*, blanditiis captus, ejuravit Monachatum, ingenti planè bonorum omnium offensione, teste eodem D. Ioanne Chrysostomo, binis ad eum datis Paræneticis, quibus veluti duobus fortissimis, & prælongis funibus Apostatam, in cænum turpitudinis per mulierculam fœde prolapsum, extrahere conabatur, vt asserit LEONTIVS BYZANTINVS *lib. 3. in Nestor. & Eutyches. initio.*

1700 Tandèm nè aliquis in Castitatis periculo se turum esse arbitretur; agnoscatque, quàm parum sit propriis viribus, sed solùm Omnipotentis Dei auxilio fidendum, referam singulare quoddam, ac maximè memorandū lamētabile facinus cujusdā sanctissimi viri, qui post multos pœnitentiæ annos in eremo peractos, plurimaque miracula, quæ per illum Deus operatus fuerat, tanta fuit dæmonis calliditate impetitus, vt in turpitudinis vitium miserè ceciderit, quamvis postea magnis pro tanto scelere voluntariis pœnis susceptis, acerbaque sui corporis maceratione, ac assiduis lachrymarum imbribus, in pristinum suarum virtutum, & sanctitatis statum fuerit restitutus. Hic, vt refert METAPHRASTES 28. *Ianuarii*, fuit S. Iacobus Eremita, qui insignem victoriam de scorto, à quo ad flagitium vrgebatur generosè reportavit, sinistra manu per horas circiter tres intrà flammas conjecta, ad libidinem restinguendàm.

1701 Hic sanè, qui de Castitatis hoste adeò gloriosè triumpharat, postea cum puella, è qua malum spiritum abegerat, incautè versatus, è puritatis culmine in turpitudinis cænum miserrimè corruit, vt tradunt S. AMPHILOCHIVS & MENÆA 28. Ianuarij; eademque prolixiùs refert Metaphrastes ex incerto Authore, his verbis, ex ipsius Iacobi jam sanati enarratione. *Cum exercitatione accurata, & valdè laboriosa vsus fuissem, & Deo ipsi quadraginta annos innocenter serviissem, postquam multam à benigno Deo gratiam accepi, multaque miracula per me scelestum perfecta sunt, postremò Satanas in puellam quamdam ingressus fuit, cujus parentes, cum audivissent CHRISTI gratiam mihi adesse, illam ad me duxerunt, vt curari posset. Cumque me rogassent, vt pro illa Deum orarem, id feci, & Divina ope factum est, vt impurus spiritus ab illa discederet. Illi cum omninò eam curari cuperent, duos dies apud me puellam reliquerunt, ipsique in domum suam reversi sunt, mente verò excæcatus, ego ad illam exii, & libidinis stimulo superatus, neque Deum hora illa in mente habens, neque quòd tàm diuturnæ exercitationis labores perderem cogitans, sed omnia (vt summatim dicam,) oblitus, & gehennam contemnens, ad stupri perniciosam ruinam cecidi. Cumque puellam vitiassem, malo malum curare volui: quinimò minori malo majus addi-

di.

di. Nam dedecoris illius Author dæmon, me invadens, ejusdem puellę eędem in mentem suggessit. Itaque post stuprum, quod intuleram, illam ipsam interfeci, ejusque corpus in fluvium projeci. De mea igitur salute desperans discessi, & nunc in mundum revertor. Quomodo enim in cœli altitudinem oculos erigere potero? Nam si ipsum CHRISTVM nominare? ausus fuero, nunc ignis de cœlo descendens, statim me consumet.* Aliud simile refertur de Ioanne Garino Eremita apud montem Serratum *anno* 888. de quo testantur comuniter Authores *in Vitis Patrum*; præsertim hunc casum describit ALPHONSVS VILLEGAS 2. *parte Floris Sanctorum, cap.* 23.

1702 Ex prædictis, adeò memorabilibus, eventibus, aliisque plurimis, quos brevitatis causa omittimus, quivis prudens intelligere poterit, se quamtumvis Sapientia, Sanctitate, & Fortitudine præditum, in Castitatis periculo constitutum, posse in libidinem labi; quantacumque enim sapientia, sanctitate, & viribus polleat, non erit Salomone Sapientior, nec Davide Sanctior, nec Samsone Fortior, qui tamen, quia fœminarum conspectum, commerciumque non vitarunt, nec debitam adhibuerunt cautionem; fœdissimis turpitudinis fluctibus oppressi, miserè Castitatis naufragium fecerunt. Ideoque Summi Pontifices, præcipuè GREGORIVS VII. Sanctaque Cõcilia, quæ Sacris Ecclesię Ministris præscripserunt Castitatem, Sanctissima edidere Decreta, quibus præcipiunt, Clericos, Deique Ministros, ab omnimoda fęminarum consuetudine, frequentia, familiaritate, & cohabitatione secerni, nè pretiosissimum Castitatis monile, quod CHRISTVS, Apostoli, cæterique Sanctissimi Ecclesiastici Viri suo exemplo adeò commendarunt, amittere cogantur, nè vè idem naufragium subeant, quod & illi, quorum exempla retulimus, & in historiis passim occurrunt. Vt ergo hiscè incommodis obviaretur, Sanctissimus Pontifex Gregorius VII. plures alios Pontifices imitatus adeò severa Decreta edidit, ad Clericorum Castitatem conservandam, penitusque præcavenda hujusmodi pericula, in quibus innumeri periisse noscuntur. Nihilominus pro majori prædictorum illustratione, & munimine operæpretium duximus, hic ad Clericorum, cæterorumque omnium Castitatem tuendam maximum proponere remedium.

§. VII.

Singulare tuendæ Castitatis remedium, Sanctorum Patrum Doctrina, exemploque probatum.

1703 ASSERIMUS ergo efficacissimum à Sanctis Patribus edoctum, nobisque suo exemplo traditum remedium ad servandam Castitatem esse, occasionem, in qua adest aliquod amittendæ Castimoniæ periculum, sollicitè fugere, & evitare. Sic docet S. CYPRIANVS *lib. de Disciplina, & habitu Virginali*, dicens: *Quis non id execretur vt fugiat, quod aliis fuerit exitio? Quis id appetat, & assumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit, & telo? Si hausto poculo moreretur ille, qui biberat, venenum scires esse, quod ille potavit. Si accepto cibo, qui acceperat, interiret, scires esse lethale, quod acceptum potuit occidere: nec ederes inde, nec biberes, vndè interiisse alios ante, conspiceres. Nunc quanta ignorantia veri est, animi quanta dementia, id velle, quod & nocuerit semper, & noceat, & putare, quod inde ipse non pereas, vndè alios periisse cognoscas?* Quis ergo vel leviter perpendens, & mente evoluens tot viros, tàm sapientes, quàm ignaros, tàm peccatores, quàm justos à plurimis existimatos, quòd fœminarum occasionem, familiaritatem, consuetudinem, & commercium non vitaverint, miserè periisse, pretiosum Castitatis monile securum existimabit, nisi tantum periculum diligenter fugerit?

1704 Hanc doctrinam nobis præclarè exhibet idem S. CYPRIANVS *lib. de Singularitate Clericorum*, sic scribens: *Metuite, quantum potestis, ejusmodi casus exitia, in ista subversione, labentiũ vos experimenta perterreant. Nimium præceps est, qui transire contendit, vbi alium conspexit cecidisse; & vehementer infrenis est, cui non incutitur timor alio pereunte. Amator verò est salutis suæ, qui evitat alienæ mortis incursum. Et ipse est providus, qui sollicitus fit cladibus cæterorum; sicut Salomon approbat, dicens: Astutus videns malum puniri, vehementer erudietur.* Et iterùm: *Cadentibus*

*impiis, justi terrebuntur.**

1705 Pro majori Castitatis tuitione, illius perdendæ periculum sollicitè fugiendum, egregiè admonet Sanctus BERNARDVS *in proficientium doctrina*, dicens.

*Si CHRISTVM quæris, vultum fugias mulieris.
Cedere coneris fugiendo, nè moriaris.
Si procul abstabis, animæ tibi lucra parabis.
Vivens lege poli, mulieres tu cernere noli.*

1706 Præclarè admodum hanc doctrinam nobis tradit S. BASILIVS SELEVCIENSIS! Siquidem prælium Castitatis, quod inivit Josephus cum sua hęra, sic luculenter describit *Orat.* 8. *Fratrum odia excipit mulier, habens amores impotentes, ac odiis immaniores, quibus cum Joseph certamen fuit, & contentio, non absque corona certamen tale: Luctator adolescentulus, ætas ejusmodi, quæ temperantiam prodat, quæque voluptatis violentia facilè capiatur: servitii humilitas vel generosos animos deprimat: dominæ adulationes perpetuæ, quę spe varia constantiam solverent. Taceo externas mulieris artes, fucum, verba, vestes, oculorum fallaciam, lecythos vnguentarias se naribus insinuantes, animæ per aures obsidionem, naturales corporis infractiones. Nàm per omnes sciendi vias ibat quidquid illecebrosum, omniaque adolescentem vnum in scopum ferebant.* Hæc Basilius. Quod certamen plenius quoque describit S. ISIDORVS PELVSIOTA *lib.* 2. *Epist.* 236. necnon S. JOANNES CHRYSOSTOMVS *Homil.* 4. *in* 1. *ad Thessalonicenses Epist.* tùm *ad stuporem* scribens *ad Olympiam Epist.* 7.

1707 In tàm difficili prælio, ac certamine non in alio, quam in fuga victoriam consequutus Joseph, vt testis est idem S. BASILIVS SELEVCIENSIS: *Præsto autem aderat, inquit, mulierculę amuleto diabolus, qui & adulterii munerator erat, & lasciviæ nymphagogus. Ignorabat vtique tamen se adversus temperatissimum athletam luctam suscepisse. Tenacibus manibus retentam permittens vestem, libidinis effugit ansas, fuga vsus pro armis, (& hoc fortitudinis.) Tradit vestem, vt temperantiam teneat; strenuusque miles virtutis stadium nudus decurrit: denique nudatur vestę, ne nudetur à temperantia.* Ex quibus manifestè liquet, Josephum, nisi in tàm periculoso certamine fugam arripuisset, neutiquam fuisse victoriam consequutum.

1708 Istud fuit à Sanctis Patribus ad dæmonem in Castitatis certamine vincendum frequentiùs adhibitum remedium, vt præclarè docet ORIGENES, qui *Hom.* 29. *in Matthæum* expendens illud CHRISTI: *Orate, vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbatho*, postquam dixit, aliquam fugam esse in pręliis laudatu dignam, & quandoque necessariam, imò & præceptam; vt id probet, allegat illud Apostoli adeò necessarium istud in Castitatis certamine documentum nobis exhibentis his verbis: *Fugite fornicationem*, quem quidem locum sic expendit: *Fugit autem fornicationem, qui omnem occasionem irritantem, & provocantem ad fornicandum evitat: & neque juvenibus in fabulis juvenilibus commiscetur, in quantum potest, nè fortè consumatur per eas, neque descendit ad consuetudines eorum talium, sed avertit se omninò ab hujusmodi hominum conversationibus. Qui vult fugere fornicationem audiat & illud, quod dicitur: Cum saltatrice noli assiduus esse nè forte consumaris in desideriis ejus.* Fugit autem fornicationem abundantiùs, qui accendentes, & excitatrices seminis fecas, in quantum valet, evitat: & vino, si fieri potest, non vtitur donec transeat ferventior ætas.*

1709 Ipse ORIGENES *Homil.* 7. *in Genesim*, agens de Ismaelis lusu, quem Apostolus *persecutionem* vocavit, præmittit Saram Isaaci matrem spiritualiter significare *virtutem*, à qua indicitur fuga illecebrarum carnis: *Si ergo, inquit, caro, cujus personam gerit Ismael, qui secundum carnem nascitur, spiritui blandiatur, qui est Isaac, & illecebrosis cum eo deceptionibus agat, & delectationibus illiciat, voluptatibus molliat, hujuscemodi ludus carnis cum spiritu Saram maximè (quæ est virtus) offendit, & hujuscemodi blandimenta acerbissimam persecutionem judicat Paulus. Et tu ergo, ò auditor horum, non illam solam persecutionem putes, quando furore Gentilium ad immolandum idolis cogeris, sed si fortè te voluptas carnis

nis illiciat, si tibi libidinis alludat illecebra, hæc, si virtutis es filius, tamquam persecutionem maximam fuge: idcircò enim & Apostolus dicit: *Fugite fornicationem.**

1710 In hanc eamdem Sententiam aptissimè S. CYPRIANVS *serm. de Ieiunio*: *Liberiùs, inquit, anima expedita obviat impugnanti, vbi compedes impedimentorum defuerint, & aspectus irritamenta non noverint: Securiorque est congressus, vbi singula non vellicant dimicantem, nec inebriant animum lenocinia voluptatum. Honestiùs cum spiritu, quàm cum carne luctamus; quia carnis complexus fœdas exhalans nebulas, eum, qui sibi adhæserit, aliqua ex parte contaminat; nec à libidinum morsu quisquam evasit illæsus. Flatus ille pestilens etiam longè positos inficit, & hoc certaminis genus fugam potiùs, quàm assultum requirit.*

1711 Magnum hujus rei documentum nobis suppeditat Sanctus JOB, qui quantumvis in Dei militia fortissimus miles extiterit, in prælio tamen castitatis victoriam non in contentione, & resistentia, sed in fuga constituit; quamquam enim Job fortissimus viribus, & à S. CHRYSOSTOMO *Serm. contra concubinarios*, *Adamantinus* dictus, sic se in hoc certamine, juxta CHRYSOSTOMI observationem, gesserit, reprehendens enim eos, qui mulierum familiaritatibus implicantur, hæc habet: *Nec Job quidem ille beatus ausus fuit tantam virtutem, & sapientiam sibi adscribere, & de se ita testari; sed qui omnem transcenderet virtutem, ex omnibus diaboli retibus extractus, & primus, & solus tantam fortitudinem demonstravit, & omne ferrum, & adamantem sua continentia prætergressus, subnervavit diaboli potestatem: Sic veritus erat talem pugnam, & putavit impossibile esse cohabitare virgini sine damno, & purum; adeò vt non solùm à cohabitatione tali procul, & longè se ipsum, sed ab aspectu prorsus, & occursu subduxerit, legemque posuerit oculis suis omninò in virginem se nè respicere quidem; sciebat enim manifestè, quòd non solùm habitãtem, sed & videntem curiosé in faciem virginis difficilè, fortè autem & impossibile sit, effugere damnum, quod inde oritur. Propter quod & dicebat: *Nec cogitem quidem de virgine.* At si paruus videtur nobis ad certamen Iob, quamvis revera, nec stercore illius simus digni, verumtamen licet minus tua magnanimitate esse putes exemplum, &c.**

1712 Idipsum meliùs explicat idem S. CHRYSOSTOMVS *Homil. in Ioseph de Continentia*, vbi hæc testatur: *Job non solùm diligens continentiæ fuit excitator, sed & legem oculis posuit, nè virginis videret faciem, nè fortè mentem illius irradians raperet pulchritudo. Quamvis quis non admiraretur, & obstupesceret videns virum hunc cum diabolo quidem viriliter certare, & omnes maligni machinas vincere, virginis autem faciem fugere, & à formosæ puellæ aspectu oculos subducere? Diabolum autem videns accedentem non fugit, sed mansit, sicut leo viribus fidens: virgine autem visa, non stetit, neque moratus est in contuenda pulchritudine, sed statim secessit. Censebat nimirum in prælio contra dæmones virili, & audaci animo opus, in continentiæ autem præparatione victoriam concedi, non ex virginum consuetudine sed secessu.**

1713 Prædicta præclarè confirmat ANGELICVS DOCTOR *Opusc. de Modo Confitendi*, vbi D. HIERONYMUM sequutus: *Fœminam, inquit, quàm vides benè conversantem, mente dilige, non frequentia corporali; quia initium libidinis est in visitatione mulierum, & mundus cum mulieribus non meliùs vincitur, quàm fugiendo; quia cæteris vitiis, & morbis quis potest resistere, huic tamen non potest, nisi per fugam.**

1714 Tandèm robustiorem in CHRISTI militia militem nulla re melius, quàm fuga, posse in Castitatis prælio victoriam reddere securiorem, docet D. AUGVSTINUS *serm. 250. de Tempore*, *cap.* 1. dicens: *Quod libidinem fugiendam esse suggerimus, Apostolus Paulus evidenter ostendit, qui cum omnibus vitiis prædicaverit resistendum, dùm contra libidinem loqueretur, non dixit *resistite*, sed *fugite fornicationem*. Ac sic, contra reliqua vitia, Deo auxiliante, debemus in præsenti resistere, libidinem verò fugiendo superare. Sic & alibi in Scripturis Divinis legimus: *Noli*, inquit, *in faciem Virginis intendere, nè te scandalizet vultus ejus.* Et beatus Ioseph, vt impudicam dominam posset evadere, pallium, quo apprehensus fuerat, reliquit, & fugit. Ergo contra libidinis

im-

impetum, apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum sit fugere, si Castitatis palmam desideras obtinere. Vndè, fratres charissimi, ab omnibus Christianis, præcipuè tamen Clericis, sivè Monachis indigna, & inhonesta familiaritas fugienda est; quia sine vlla dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare suspectam, citò dilabitur in ruinam.*

§. VIII.

Queritur quid in statu præsentis Ecclesiæ de Clericis publicè concubinariis censendum sit. An nunc sicut priùs suspensi sint quoad alios, & ita vitandi a Fidelibus, vt peccent audientes ab eis Divina, vel percipientes Ecclesiastica Sacramenta?

1715 PRo faciliori hujus difficultatis intellectu, & eorum, quæ hactenus dicta sunt, opportunum judicavimus, hanc non prætermittere quæstionem, nè Fideles conscientiæ scrupulis nimis vexentur, si his temporibus forsan viderint aliquem Clericum publicè concubinam habentem, (quod Deus avertat) & nihilominus Divina celebrantem: An vitandus, an vè audiendus, & in Divinis communicari queat absque vllo conscientiæ scrupulo, ac timore, nè in suprà tradita Gregorii aliorumque Pontificum Decreta impingant.

1716 Præmittendum autem est, quantum interfit discriminis inter tempus præteritum, & statum præsentis Ecclesiæ. Sacerdotis enim concubinam habentis Missam, aut Divina Officia audire nefas olim fuisse, adjuncta Excommunicationis pœna, siquis illis interesse ausus fuisset, cōstat ex SYNODO ROMANA sub Nicolao II. *Can.* 3. & INNOCENTIO II. in Synodo Romana *Can.* 5. & VRBANO II. *Epist. ad Lucium Presbyterum*; & ex CONCILIO PICTAVIENSI *Can.* 9. relato *in cap.* 2. *in* 1. *Collect. & Epist. Canon. Adriani, Can.* 25. Et ex Decretis Sanctissimi Gregorii VII. suprà adductis, quibus cavetur, à publico concubinario Sacerdote Missam non audiri, huncque in Divinis Sacrificiis, & Sacramentis recipiendis vitandum esse sub Excommunicationis pœna. At cum NICOLAVS II. contrarium decrevisset *in cap. vlt.* 15. *quæst. vlt.* ideo Lucius III. *in cap. Vestra*; & Gregorius IX. *in cap. Quæsitam de cohabit. Cleric. & Mulier.* pro conciliatione, seu potius declaratione dictorum Canonum statuerunt, vt si notorium crimen sit, vt nulla possit tergiversatione celari, talis publicus concubinarius, vitandus sit, quia dùm Populus ab eo abstinet, & ipsi, & aliis aufertur peccandi licentia; & interim, nec ab eo Divina mysteria audienda, nec Sacramenta recipienda sunt, nisi in casu necessitatis *cap. Præter*, §. *Ad hoc* 32. *distinct.*

1717 Si verò occultum est crimen eius, & nulla condemnatio, vel accusatio præcessit, licet aliqua percrebuerit fama, hoc non impedit, quin Fideles, & Sacra audiant, & Sacramenta ab eo percipiant, licet talis Sacerdos, quia quoad se suspensus, celebrando graviter peccet; quo casu audiendus est Nicolaus *in dicto cap. vltimo*, docueruntque plures congesti à LVNA, & ARELLANO *lib.* 3. *singul. Antinom.* 1. *in fine*, quibus præmissis.

1718 Ad quæstionem respondemus, hanc controversiam, hodie sublatam esse per Constitutionem MARTINI V. Pontificis Maximi: *Ad evitanda* in Concilio Constantiensi editam, quæ ad evitanda scandala, & multa pericula quæ â conscientiis timoratis contingere posset indulsit, vt nemo deinceps â communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque Divinis, vel extra teneatur abstinere, vel aliquem vitare prætextu Excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti, nisi à Judice specialiter, & nominatim fuerint denuntiati, vel in Sententiam Canonis: *Si quis suadente* adeò constiterit incidisse, vt nulla possit tergiversatione celari. Quare illi tantummodo Excommunicati, Suspensi, vel Interdicti dicuntur, non tollerati ab Ecclesia, vt eos vitare teneamur, & ab eorum communione in Divinorum auditione, vel Sacramentorum perceptione, vel aliàs abstinere, qui per Sententiam hominis, sunt nominatim denuntiati aut notorii Clericorum percussores, idque jam more Ecclesiæ receptissimum esse testantur communiter Authores, Card. CAJETANVS *in summa, versu Excomun. major, & in* 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 2. SOTO *in* 4. *Sentent. distint.* 22. *quæst.* 1. *art.* 4. NAVARRVS *in Manuali, cap.* 27. *n.* 35.

Il-

Illustrissimus COVARRUBIAS *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 2. *num.* 9. *vers. Superest igitur* ; & communiter alii à quorum nomenclatura brevitatis causa abstinemus. Sed prætermittere non possumus Eruditissimum PROSPERVM FAGNANVM *in cap. Quòd à Prædecessore, num.* 54. *de Schismate, & illius authoritate, & intelligentia*, de quo latissimè agit *à num.* 39. *usque ad* 57. vbi præclarè, non minus quàm eruditè multa videri possunt, ad hanc controversiam expectantia. Quapropter ex his concluditur, concubinarium Clericum notorietate facti, seu per operis evidentiam hodie dici *tolleratum*, nec ante de nuntiationem esse suspensum quoad alios quantum ad hoc, vt non liceat ei communicare in Divinis, & perceptione Sacramentorum ; ab eoque licitè audire possumus Divina, & percipere Ecclesiastica Sacramenta, quia ex præcitata Constitutione Constantiensis Concilii licitè communicamus suspensis non denuntiatis per Sententiam hominis, etiam in Sacramentorum administratione, & aliis quibuscumque Divinis ; ea enim Constitutio vendicat sibi locum, etiam in Clericis notoriè fornicatiis, vt tenet NAVARRVS *in cap.* 1. §. *Laboret, num.* 10. *de Pœnit. dist.* 6. GVTIERREZ *Canonicar. quæst. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 85. SVAREZ *de Censuris, tom.* 5. *disp.* 31. *sectione* 4. *num.* 16. & *tom.* 3. *disp.* 18. *sect.* 1. NICOLAVS GARCIA *de Beneficiis, part.* 7. *cap.* 14. *à num.* 36. & passim alii recentiores.

1719 Et hujus decissionis ratio manifestissimè lucet ; nam pro temporum diversitate quoad Sacramenta recipienda à peccatoribus diversam fuisse Ecclesiæ disciplinam asserit D. AVGVSTINVS *serm.* 50. *in Quinquagesima, & cap.* 2. *de Fide, & Oper. & Epist.* 166. *cõtra Donatistas*, docens à malis posse suscipi Sacramenta, dum eos tollerat Ecclesia. Nec abusum ministrandorum Sacramentorũ excludit Nicolaus I. *in dicto cap. Nullus.* Et Alexander *in dic. cap. Propter* 32. *dist.* ad confundendos, & rubore, suffundendos peccatores, ab illis non esse recipienda Sacramenta, nec eorum Missas esse audiendas, statuit. Verùm postea in Concilio Constantiensi, quia Hæresiarcha VViclephus, ejusque sectarii arbitrabantur, cadere eos ab Officio, qui in peccato labebantur; propterea diffinitũ fuit in eo Cõcilio, peccatũ vsu Sacerdotii non privare, & meritò, cum certûm sit, ac indubitatum, malum Sacerdotem æquè efficaciter consecrare, quàm Sanctum, cum actio consecrandi non pendeat ex Ministri qualitate, vt optimè docet D. THOMAS 3. *part. quæst.* 82. *art.* 5. *in corp.* * Sicut supradictum est, Sacerdos consecrat hoc Sacramentum non virtute propria, sed sicut Minister CHRISTI, in cujus persona consecrat hoc Sacramentum. Non autem ex hoc ipso desinit aliquis Minister esse CHRISTI, quod est malus. (Et infrà concludit:) Vndè manifestum est, quod Sacerdotes etiam si non sint justi, sed peccatores, possunt Eucharistiam consecrare.* Videatur ibi, ejusque Discipuli in Commẽtariis hujus loci. Malus Sacerdos (vt præclarè tradit S. ISIDORVS PELVSIOTA *lib.* 3. *Epist.* 340.) se habet, vt corvus, qui Eliæ escas afferebat, aut canalis, qui eamdem aquam transmittit, etiam si non sit argenteus sed lapideus, vel latericius, quæ est S. AVGVSTINI comparatio *tract.* 5. *in Ioan.* Vel juxta S. GREGORIVM NAZIANZENVM *Orat. de Baptis.* vt sigillum ferreum quod non minus imaginem regiam insculpit, quam si sit aureum. Similia exempla seminis in agricola, fluminis, vel cerei accensi, tradunt D. AVGVSTINVS *lib.* 3. *de Bapt. cap.* 10. & *lib.* 4. *cap.* 11. & *contra Cresc on. cap.* 8. NICOLAVSI. *ad consulta Bulgarorum, cap.* 11. & firmatur celebri casu relato in VITIS PATRVM *lib.* 5. *Libell.* 9. *n.* 11. & etiam Sacerdotem, & si malum, non esse spernendũ, cõstat ex D. CYPRIANO *Epist.* 65. *ibi*: *Cum leprosum emundasset (CHRISTVS) dixit illi : Vade & monstra te Sacerdoti, & offer donum*, humilitate ea, qua nos quoque esse humiles docuit. Sacerdotem adhûc appellabat, quem sciebat etiam sacrilegum.* Illustrant NOVARINVS *in Agno Eucharistico, cap.* 90. *excurs.* 56. & alii Scriptores variis id genus exemplis, quæ apud ipsos videri possunt.

(**)

CAP. X.

GREGORIVS VII. A SEPTIMA Henrici sectariorum calumnia omninò immunis demonstratur.

1720 VNa è præcipuis calumniis, ab Hæreticis, & Schismaticis Gregorio VII. impactis, est, eum adversus Henricum jure gladii vsum fuisse; hac enim via perperâ cõtendunt, nec Ecclesiam, nec Pontifices habere Jus belli adversus Temporales Principes, etiam si Ecclesiæ infestissimi hostes, Schismatici, vel Hęretici extiterint. Id existimarũt qui Hẽrico IV. contrà Gregoriũ adhęsere, inauditum asseverantes, Ecclesiam materiali belli gladio vti; nullumque Romanum Pontificem, præter Gregorium, materiale belli gladium adversus Seculares Principes arripuisse. Sic censuisse constat Leodienses in famosa *adversus Paschalem 2. Pontificem pro Henrico Imperatore Epistola*, affirmantes, ex Romanis Pontificibus primum fuisse Gregorium VII. qui bellum Henrico intulit: *Quis, inquiunt, Pontificem Romanum vmquam suis Decretis authorizavit, vt debeat gladio, ac bello in peccantes vti? Gregorius primus hujus nominis Papa, quid omnes ante se Papæ super hoc senserint, & quid omnes post se sentire debeant ostendit, scribens Sabiniano Diacono::::Hoc exemplo omnes à primo Gregorio contenti, vtebantur solo gladio spirituali, vsque ad vltimum Gregorium, id est *Hildebrandum*, qui primus se, & suo exemplo alios Pontifices contra Imperatores accinxit gladio belli. (Et *infrà*:) Hactenus Evangelicis, Apostolicis, & Propheticis testimoniis inniteba-mur, & quod minus habebat materia, augebat exemplorum copia. Hìc verò quid dicam nescio; quo me vertam non video. Si enim vtriusque legis tota m Bibliothecam, si omnes totius Bibliothecæ veteres Expositores revoluam, exemplum hujus Apostolici præcepti non inveniam. Solus Hildebrandus Papa vltimam manum Sacris Canonibus imposuit, quem legimus præcepisse Mathildi Marchionissæ in remissionem peccatorum suorum, vt debellaret Henricum Imperatorem.*

1721 Idipsum testantur Episcopi, & Clerici, quorum nomine Apologia pro Henrico conscripta est, quæ extat apud AVENTINUM *Annal. Bojor. lib. 5. fol. 179.* *In Conciliabulo Romano, ait Aventinus, Papa Cæsarem excommunicat, proscribit, Cæsarea Dignitate privat, idque per Orbem terrarum atrocissimis bellis denuntiat, omnes contra eum Religionis prætextu instigat, etiam subditos ejus, quos à præstito juramento, omnique obligatione solvit.*

1722 SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ABBAS *in Epist. pro Leodegariis suis anno* 1103. scripta: *Hildebrandus, inquit, Papa primus levavit Sacerdotalem lanceam contra diadema Regni. Quis Pontificum Romanorum suis vmquam Decretis authorizavit, vt debeat gladio belli in peccatores vti? Gregorius primus hujus nominis Papa, quid omnes ante se Papæ super hoc senserunt, & quid omnes post sentire debeant, ostendit, scribens Sabiniano Diacono: Vnum est, quod suggeras Serenissimis Dominis nostris, quia si ego servus eorum in morte Longobardorum consentire voluissem, eorum gens, nec Duces, nec Comites haberet; sed, quia Deum timeo, in morte cujuslibet hominis me miscere formido. Hoc exemplo omnes à primo Gregorio Pontifices vtebantur suo gladio spirituali, vsque ad vltimum Gregorium, id est *Hildebrandum*, qui primus se, & suo exemplo alios Pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli.*

1723 Ipse GEMBLACENSIS ABBAS *anno* 1088. asserit, hanc esse novitatem seu potius *Hæresim Hildebrandinam*; cuius verba refert Vincentius Bellovacẽsis *lib. 25. cap. 84. Speculi Histor.* Sigebertum sequuntur ARRONICVS BELGA, & LVDOVICVS ELLIES DVPIN *de Antiq. Eccles. disciplin. dissert. 7. cap. 2. §. vlt.*

1724 Eidem Sententiæ adstipulatur EBERHARDVS Salisburgensis Antistes, *in Oratione in Ratisponensibus Comitiis sub Friderico II. recitata*; sic enim loquitur: *Hildebrandus ante annos centum & septuaginta, primus *sub specie Religionis, Anti-Christi Imperii fundamenta jecit, hoc bellum nefandum primus auspicatus est*, quod per ejus Successores hucusque continuatur.*

Ab

§. I.

Ab hac aliisque Schismaticorum impostoris vindicatur Gregorius celebriorum scriptorum testimoniis.

1725 VT huic nefandæ calumnię plenè satisfaciamus, eāque à tanto Pontifice propulsemus, duæ quæstiones nobis discutiēdæ occurrunt. Prima, an Ecclesia, vel supremus illius Princeps possit defensivo, vel aggressivo belli gladio adversus Dei Ecclesięque hostes vti? Secūda: An culpę vertēdum sit Gregorio, quod Ecclesiæ Jurà belli gladio fuerit tutatus?

1726 Et omissa pro nunc prima quæstione de qua suo loco fusius acturi sumus, quoad secundā. RESPONDEMVS, præfatos Schismaticos nō sine in genti audacia, temeritate, & impudentia velle Sācti Pōtificis nomē, ejusque in Fide puritatē obtenebrare, eum tanto vituperio, & blasphemia Authorem Schismatis, & Hæresis, quam *Hildebrandinam* vocant, adstruere contendentes, & Ecclesiam, omnesque Summos Pontifices, qui jure belli vsi fuerunt, in Fide, & Religione defeciſſe, temerè criminantes. Quare contemnendæ potiùs, quàm rejiciendæ sunt istæ, aliæque à Sigeberto Gēblacensi, Calvino, Joanne Carion, aliisque ejusdē pestis Authoribus Gregorio Pontifici, eo temerario ausu affictæ calumniæ, quòd omnes ab eadem origine, & Bennonis Pseudo-Cardinalis lacunis, & criminationibus profluxerint; vt optimè notat Cardinalis BELLARMINVS, suprà laudatus, *lib.* 4. *cap.* 14. *pag.* 749. dicens: *Centuriatores, aliique Hæretici nullum proferunt testem, prēter vnum, qui fuit hostis juratus Gregorii VII. omnia enim probant vnius Bennonis Cardinalis testimonio, qui illo tempore vixit, & vitam Gregorii VII. scriptam reliquit. Ego autem hujus Bennonis librum legens, & impudentissimorum mendaciorum plenissimum inveniens, alterum è duobus mihi persuasi, aut re vera nihil tale scripsisse Bennonem, sed aliquem Lutheranum esse hujus libri Authorem, qui eum sub Bennonis titulo ediderit; aut certè Bennonem illum non tàm scripsisse vitam Gregorii, quā sub nomine Gregorii VII. voluisse depingere ideam pessimi Pontificis. Non esse autem vllam fidem habendam huic Bennoni perspicuum est, eo quòd contrarium scribu nt omnes Authores, qui illo ipso tempore aliquid de hac re ediderunt, quibus major fides habenda est quam Bennoni.*

1727 Præsertim cum iste vnus sit, & qui pro Gregorio per sexcentos, & ampliùs annos variis in Regnis scripserunt, innumeri existant, quique omni affectione semota dignissimi sint, quibus Sanctitate, ac Doctrina conspicuis fides adhibeatur; quiquidem Fidem, Zelum pro Ecclesia, Virtutem, ac Sanctitatem Gregorii vnanimi consensu pręclaris encomiis extollūt: vndè non dubium quin isti, & numero, & Authoritate illos superent, creditoque digniores agnoscantur, quàm vnus Schismaticus, qualis erat Benno, Hæresis Henrici infectus; quorum vterque infensissimus Ecclesiæ, & Gregorii Pontificis hostis fuerat renuntiatus, & vt talis synodaliter anathematizatus, suoque Officio, & Dignitate privatus. Ac tandem cum Benno obgravia sua scelera à Gregorio Pontifice æquissimè fuerit Cardinalitia Dignitate exauthoratus, & ab Antipapa Guitberto denuò, in pristinum honorem restitutus; hinc manifestè liquet, eum nihil boni de legitimo Pontifice Gregorio VII. dicere posse. Quis igitur non potiùs credat octuaginta, & vltra testibus, omni fide dignissimis, quàm vni, pręsertim tàm insulso, indocto, ac barbaro, qualis fuit Benno, cujus scripta nec ipsi quidem sectarii aspicerent, ni mendaciorum, ac impudentissimarum in Pontifices calumniarum farragine referta viderent?

1728 Nec valet dicere: aliquos ex Authoribus, quos infrà laudabimus, fuisse Gregorii Pontificis amicos ejusque studiosos, sicque eorum dictis, & testimoniis nullatenus credendum, vt asserit Sutlivius Saubrandus, aliique Hæretici, blaterantes hos omnes fuisse Pontificis adulatores, ac proindè indignos fide. Non, inquam, valet, hæc enim objectio nullius est momenti æstimanda; etenim si isti fide indigni ab Hęreticis appellantur, quòd Pontificis, & Pontificiæ causæ, seu potiùs Ecclesię Dei, ac Religionis Zelo accensi pro tuenda veritate veritatem dicere coacti sunt, ac proindè amici, & fide indigni censetur; cur fide indignissimi censendi non erunt Benno, toraque Hæreticorum Bennoni adhærentium, & cum eo debacchan-

tium colluvies, qui se se palam immanissimos, ac sęvissimos omnium Pontificum, & maximè Gregorii VII. inimicos profitentur, odiumque implacabile, non in pectore absconditum, sed ore, lingua, & calamo expressum circumferunt, & ostendunt? Vter horum, queso, in judicio fide dignior habebitor, an apertus amicus, & fautor veritatis Zelo convictus, anne capitalis hostis, & osor?

1729 Lubet tamen hic testem producere omni exceptione majorem, omnique affectione liberum, non quidem illius ævi, quo Gregorium inter & Henricum vigebat dissidium, sed tempore pacis multis post sæculis decursis, Scriptorem Historicæ veritatis studiosissimum, & in indagandis Cardinalium, Pontificumque gestis accuratissimum, illustrissimum scilicet Episcopum LVDOVICVM DONIVM *in Floribus Histor. Cardinal. tom. 1. in Vita Hildebrandi Cardinal.* (postea Pontificis Gregorii VII.) *num.* 45. hæc, inter alia tanto digna Authore, scribentem: *Quod autem pertinet ad impactas, atque impositas huic Pontifici calumnias, innumeræ illæ fuerunt, eaque atrocissimæ, ac spurcissimæ, confictæ vt plurimùm in gratiam Henrici Regis Germaniæ, quo cum graves gessit inimicitias, ob libertatem Ecclesiasticam, quæ ab ejus tyrannide mirè premebatur, recuperandam, inventęque primum ab Hugone illo Candido, seu Blanco, qui ob varia scelera ab ipso Gregorio omni gradu, & Officio Sacerdotali dejectus, atque privatus, nihil nisi minas, & vltionem in eum spirans, detulit secum ad Vvormatiense Conciliabulum, inibique declamavit scenicis figmentis consimilem tragædiam adversus eumdem Gregorium, scilicet vndè oriundus, quàm malè ab ineunte ætate conversatus, quàm præpostero Ordine Sedem Apostolicam occupaverit, quæ ante Pontificatum, quæ post eum adeptum flagitia commiserit: Sed hæc adeò horrenda dictu, atque ab omni vmbra veritatis aliena, vt præ illorum gravitate, ac enormitate, nê apud ipsos quidem Gregorii juratos hostes Fidem invenerint: Siquidem Gregorium, & in Monachatu Cluniaci suscepto, & postea Romę in Subdiaconatus, Archidiaconatus, ac demum Summi Pontificatus administratione, dignam vbique Apostolico Viro vitam duxisse, sinceriſſimis fidelissimorum Scriptorum testimoniis liquet, imò, & miraculis coruscasse constat.*

1730 Earum certè calumniarum collectionem habes in Decreto illo procacissimo, quo ab Henrico Rege, & Schismaticis quibusdam Episcopis apud Brixiam Bavarorum, Gregorius per Summum nefas fuit à Pontificatu depositus, ob varias causas, quæ fusiùs explicatæ reperiuntur *in Libello Bennonis Pseudo-Cardinalis*, qui cum Antipapæ Guiberti adversus legitimum Pontificem Gregorium partes pertinacissimè sectatus esset, ac Ecclesiam perturbare conatus, consilia sua ex voto minimè succedere vidisset, nihil habuit antiquiùs, quàm vt ejusdem innocentissimi Pontificis nomen, ac famam dente canino roderet, atque laceraret, & quod Hugo ille Blancus Apostata viva voce vomuerat, scripto redigeret, ac Sanctissimi Viri vitam putidissimis refertam cōsarcinatamque mēdaciis vulgaret, quam ideò nostri sæculi Novatores, quibus in Romanos Pontifices palam, privatimque debacchari volupe ac solemne est, typis identidem admoverunt.*

1731 Et *infrà num.* 46. sic prosequitur: *Ex ipsius autem Bennonis lacunis impurissimis, & fęda convitiorum, ac calumniarū colluvie, quibus Gregorii Papę hujus famam aspergere, & obnubilare conatus est, necnon Sigeberti, & Abbatis Vspergensis, veneno Schismatis inquinatorum, ac proindè suspectis operibus hausere Centuriatores Magdeburgenses, schola Phariſaica, & concilium impiorum Bibliander, Tilmanus, Goldastus, Reynerus, Plessæus, aliique recentiores Hæretici, qui, quamvis omnes Romanos Pontifices odio plusquam Vatiniano prosecuti sint, in hunc tamen præ aliis maledicentiæ suæ spicula contorserunt: Acuerunt nempe vt gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, vt sagitarent immaculatum. (Psal. 139.) Et, quorum os maledictione, & amaritudine plenum est, venenum aspidum sub labiis eorum.* (*Psal.* 13.) Sed quò pluribus ab his impetibus est jaculis, eò fortior, & clarior ejus virtus enituit, quæ tamquam Sol fulgentissimus, omnes accusationum hujusmodi nebulas nullo negotio dispulit, atque discussit, & velut Olympus quidam, aut Civitas suprà montis cacumina posita, ob ejus meriti eminentiam, conversatio-

nis-

nisque sublimitatem, omnibus istis objectis nubibus superior visa est, aut denique tamquam rupes in medio mari fixa, fluctus, & spumas vanè sibi illisas constanter sprevit, & quodammodo irrisit.* Hactenus ille.

1732 Etsi prædicti clarissimi Scriptores ad depellendas, convincendasque Bennonis, & Blanchi Pseudo Cardinalium, eorumdemque sequacium Schismaticorum calumnias adversus Gregorium Pontificem satis, superque sufficerent, nihilominus, vt tam eximii Pontificis clarior Sole splendor vitæ, morumque honestas, ac sanctitas magis ac magis eluceat, plenissimèque vindicata maneat, operæpretium duximus, hic alios magni nominis Antiquiores, coævosque in medium producere eruditissimos Scriptores, qui in tanti Pontificis laudem memoranda gesta, eximiasque ejus virtutes, ac, Deo operante, patrata miracula, in magnam ejus commendationem scriptis prodiderunt.

§. II.

Quid alij percelebres Authores de Fide, sanctitate vitæ, ac divinis dotibus, quibus enituit noster Gregorius, senserint.

1733 AGmen ducat S. ANSELMVS, Lucensis Episcopus, cujus extant *tom. 6. Antiq. lection. Henrici Canisii, libri duo Apologetici pro Gregorio VII.* contra Guibertum, Ravennatensem Episcopum sub Clementis III. nomine Antipapam, quem Imperator Henricus III. vulgò IV. appellatus, Gregorio legitimo Pontifici oppositorem. In primò igitur libro sic Guibertum Pseudo-Pōtificem compellat Anselmus: *Noli itaque dicere: Quia vniversalis Ecclesiæ curam suscepimus.* Quomodo enim tibi commissa est Ecclesia, quem constat non intrasse per ostium, quod CHRISTVS est, sed aliundè ascendisse, vt furem? Apostolica enim, & Vniversalis Ecclesia suum habebat Pastorem. Vt enim de B. Gregorio, Patre nostro, dicam, quę de Cornelio scripsit Cyprianus: Factus est Episcopus de Dei, & CHRISTI ejus judicio, de Clericorum pęnè omnium, &, vt verum dicam, omninò omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, de Sacerdotum Antiquorum, & virorum bonorum Collegio; cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri locus, id est, cum locus Petri, vel gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret. Quo occupato, & de Dei Voluntate, atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis jam Episcopus fieri voluerit, foras fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam ordinationem qui Ecclesiæ non tenet vnitatem. Quisquis ille fuerit, licet de se multum jactans, & sibi plurimum vendicans, profanus est, alienus est, foris est, & cum post primum secundus esse non possit; quisquis post vnum, qui solus esse debet, factus est, non secundus ille, sed nullus est.*

1734 Ab VRSPERGENSI ABBATE *in Chronico* producuntur verba, quæ statim tr an scribemus, *ex Epistola*, vt ait, *Anselmi*, quæ à duobus his libris diversa videtur, vt etiam arbitratur BARONIVS *in Append. ad tom. 12. Annal.* Nec improbabile apparet, Anselmum ad eam alludere illis verbis *in ipso libri. 1. Vestibulo* occurrentibus: *Scripsi tibi pauca cum multo dolore, & sinceræ Charitatis affectu, vt agnoscens errorem tuum, redires ad cor, &c. Sed quia verba tua, iniquitas, & dolus, & noluisti intelligere vt bene ageres, audi interea, &c.* Verba autem ab Vrspergensi Abbate ex citata Epistola transcripta, sunt ipsius Anselmi, Guibertum sic alloquentis: *Tu verò aliundè ascendisti, & non vocatus à Deo accessisti; noli vsurpare tibi tanti curam regiminis. Sicut enim, jam dictum est, si Gregorius in Ecclesia fuit, qui apud te etiā constitit, Judex à nullo condemnari potuit, manifestum est, te ab Ecclesiæ radice præscissum aruisse, nihilque habere Potestatis, ac juris.*

1735 Quantæ Authoritatis sit præallegatum suprà dicti Sancti, & Scriptoris coęvi testimoniū, satis colligitur ex his, quę tradit VRSPERGENSIS ABBAS *loco suprálaudato*, de S. Anselmo sic loquens: *Anselmus, Episcopus, Vir litteris apprimè eruditus, ingenio accutissimus, facundia præcipuus, &, quod omnibus majus est, in Dei timore, & sancta conversatione nominatissimus, adeò vt tàm in vita, quàm post mortem referatur miraculis clarus.*

1736 Sed pręclariùs Eminentissimus BARONIVS *tom. 11 anno* CHRISTI. *MXXCVI*; siquidem agens de rebus ge-

stis S. Anselmi, ejusque vita, & miraculis, hæc ex ipsius vitæ Authore scribit: *Anno Incarnationis Domini Nostri JESV CHRISTI millesimo octuagesimo sexto, Episcopatus verò sui decimotertio, Indictione nona*, finitis jam annis septem Excommunicationis Henrici, quondam Regis, post transitum autem felicissimi Papæ Gregorii VII. *mense nono*, *die verò* 23. obdormivit in domino Venerabilis Dominus, & Pater noster Anselmus, Lucensis Episcopus, *decimoquinto Kalendas Aprilis* in Civitate Mantuana, Præsidente Reverendo Episcopo Vbaldo, atque dominante ibidem nobilissima Duce, & Marchionissa Domina Mathilda.*

1737 Ipseque BARONIVS addit: *Brevitatis causa scribere prætermittimus octoginta insignia miracula, quæ ibidem à Sancto edita fuerunt, *usque ad quinquagesimum diem ab ejus obitu*, quo idem Author ille scribebat.* Hic igitur tantus vir, doctrina, & miraculis celebratissimus, an non, vel solus sufficeret oppilandis impuris faucibus Bennonis, & similium Gregorii VII. calumniatorum, etsi nullus alius extitisset, qui contra mendaci loquũ Bennonem pro Gregorio VII. staret?

1738 Secundus testis sit, qui Sancti Anselmi Lucensis vitam scripsit, Gregorio, & Anselmo synchronus, imò hujus etiam discipulus; sic enim loquitur: *Ille (scilicet Gregorius) Mitram capitis sui transmisit isti, Anselmo videlicet, tamquam Potestatem suam ligandi, & solvendi, sed & credo miracula faciendi. Nàm non multo post, cognoscentibus nobis omnibus, per ipsius Consilium, & Fidem magnam præclara quædam fecit Deus per eamdem Mitram mirabilia. Inter alia enim Reverendissimus Dominus Vbaldus, Mantuanus scilicet Episcopus, multis jam annis gravissimè splenecticus, toto corpore vlceratus, præsertim in cruribus, vt vix quomodolibet stare posset, vix etiam jacere, vel sedere, qui & multa in Medicos erogaverat, nihilque profecerat, apposita eadem Mitra, vbi major ingrueret dolor, pristinæ redditus est sanitati.

1739 Beatus itaque talis, & tantus Magister Gregorius, miracula fecit multa vivus, & mortuus; fecit quidem & bonus Discipulus in Deo, & in Beatissimo Magistro. (Et *infra*:) In extremis suis, sicut ab ipsis Capellanis suis didicimus Religiosis, post omnia, inquit: *Dilexi justitiã, & odio habui iniquitatẽ, ideo morior in exilio.* Et quidem in vita sua, quod Magister, & Discipulus docuerunt, hoc, & in morte quasi testamento confirmarunt. Ille, nempè Gregorius, quos obedientes sibi vivens adhùc benedixit, moriens quoque commendavit. Henricianos verò penitus penitusque, nisi post magnam demum conversionem, & pœnitentiam, reprobavit: Hic (nempè Anselmus:) Præsentibus nobis, & in Verbo Domini præcepit, vt in Fide, & doctrina Beatissimi Papæ Gregorii permaneremus.* Hæc ille.

1740 Tertius sit BERTHOLDUS CONSTANTIENSIS *in suo Chronico* plurimos à S. Anselmo, nẽ ad Schismaticorum castra transirent incitatos fuisse, & confirmatos, hisce verbis testatur: *Beatus Anselmus, quondam Lucensis Episcopus, ipso eodem suæ depositionis anno innumerabilibus cœpit miraculis coruscare, qui post obitum Venerabilis Papæ Gregorii VII. Fideles S. Petri contra tyrannidem Henrici adhûc in carne vivens multum incitavit, sed multò plus post obitum suum, miraculis coruscans, eosdem contra eumdem persistere confortavit: Vndê & pars Henrici de die in diem cœpit deficere, Catholici autem in fidelitate S. Petri non cessaverunt proficere.*

1741 Ex eodem vitæ S. Anselmi Scriptore hæc habentur: *Ante omnia id studii semper habuit, quatenus Sanctissimum Magistrum Papam Gregorium imitaretur in omnibus, adeò vt discrepare ab illo prorsus nollet etiam in aliquo. Illius semper meritis tribuit quidquid in ipso fuit, dùm vitam rememoravit Monasticam, & Solitariam, quam se crebrò flevit amisisse, &c.* Idem Author: *Defuncto, inquit, Papa Alexandro, dùm Sanctissimus Gregorius in Romanum Pontificem Spiritus Sancti instigatione, ac voto communi Clericorum, & Laicorum, diù renitens esset electus, vt sequeretur eum ipse in omnibus, in Lucanam Ecclesiam est ipse electus Episcopus, atque ab illo postmodum consecratus. Igitur dùm aliquantò tempore non semel, aut bis, sed sæpiùs cum eodem religiosissimo ordinatore suo moraretur, vitam ejus consideravit ineffabiliter mirabilem, & mirabiliter ineffabilem; quia cum de omnibus, & singulis finibus sæculi fieret*

ret ad eum concursus, omnibus satisfaceret; veritas vera, ac justitia numquam ori ejus defuit. Primò (quod magis est mirandum) in ipsis secularibus negotiis, sæpiùs excessit mente, exhilarato spiritu suo cœlesti contemplatione: at si privatus interdum extiterit, revelationibus etiam Divinis jucundatus, & confortatus. Hujus, inquam, vestigia, dùm exequi ferventer desiderat, incipit oblivisci mundum, &c.*

1742 In ACTIS, quæ in Vaticana Bibliotheca servantur, de rebus gestis Gregorii VII. à Cardinali BARONIO collectis, *tom.* 11. *ad annum* 1073. hæc in Gregorii laudem continentur: *Defuncto Alexandro Papa, & in Lateranensi Ecclesia honorificè tumulato, dùm Hildebrandus Archidiaconus esset in ejus exequiis occupatus, repentè factus est in ipsa Ecclesia maximus Cleri, & Populi Romani concursus clamantium, & dicentium: *Archidiaconũ Hildebrandum B. Petrus elegit.* Quo audito, idem Archidiaconus, nimis expavit, & quasi extra se raptus cucurrit ad pulpitum, cupiens Populum ipsum frequentem sedare, & à sua intentione recedere, & retrahere: Sed Hugo Candidus Cardinalis, vbi omnium vota in Archidiaconum convenisse indubitanter cognovit, citiùs præcucurrit, & Populum ipsum in hunc modum alloquutus est, dicens: Ecce, chariſſimi fratres, scitis, & indubitanter cognoscitis, quod à diebus B. Leonis Papæ hic Archidiaconus *tamquam vir prudens, atque probatus* hanc Sacrosanctam Romanam Ecclesiam plurimum exaltavit, & Civitatem ipsam ab imminentibus periculis liberavit: Vndè, quia idoneiorem ad Ecclesiæ regimen invenire nequimus: Nos Episcopi Cardinales vnanimiter ipsum nobis, & vobis in Pastorem, & Episcopum animarum nostrarum eligimus. Et continuò Vniversitate Populi, & Cleri aclamante: *Dominum Gregorium Papam S. Petrus elegit*, indutus rubea chlamyde (sicut est mos) & Papali Mitra insignitus, invitus, & mærens in B. Petri Cathedra fuit inthronizatus.*

1743 Acta publica electionis Gregorii VII. quæ extant *in Regesto Epistolarum ipsius Gregorii, tom. 3. Epist. Decretalium Romanorum Pontificum; & tom. 3. Concilior. antiquæ editionis Coloniensis*, hæc in prædicti Gregorii encomium enarrant: *Regnante Domino nostro IESV CHRISTO *anno Clementissimæ Incarnationis ejus* 1073. *Indictione, & Luna* 11. *decimo Kal. Maii, feria* 2. *die sepulturæ domini Alexandri bonæ memoriæ II. Papæ*: Nè Sedes Apostolica diù lugeat, proprio destituta Pastore, congregati in Basilica B. Petri ad Vincula Nos Sanctæ Romanæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Cardinales, Clerici, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, præsentibus Venerabilibus Episcopis, & Abbatibus, Clericis, & Monachis, consentientibus plurimis turbis vtriusque sexus, diversique Ordinis acclamantibus; Eligimus, nobis in Pastorem, & Summum Pontificem Virum religiosum, geminæ scientiæ prudentia pollentem, æquitatis & justitiæ præstantissimum amatorem, in adversis fortem, in prosperis temperatum, & juxta Apostoli dictum bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium, castum, hospitalem, domum suam benè regentem, in gremio hujus Matris Ecclesiæ à pueritia satis nobiliter educatum, & doctum, atque pro vitæ merito, in Archidiaconatus honorem vsque hodie sublimatum, Hildebrandum videlicet, Archidiaconum, quem à modò vsque in sempiternum, & esse, & dici Gregorium Papam, & Apostolicum volumus, & approbamus. Placet vobis? Placet. Vultis eum? Volumus. Laudatis eum? Laudamus. *Acta Romæ decimo Kal. Maii, Indiction.* 11.*

1744 LAMBERTVS SCHAFNABURGENSIS *in Chronic. anno* 1073. *Alexander Papa, qui & Anselmus, decessit, cui Romani protinus inconsulto Rege Successorem elegerunt Hildebrandum, virum Sacris Litteris eruditissimum, & in tota Ecclesia, tempore quoque priorum Pontificum, omni virtutum genere celeberrimum; is quomodo Zelo Dei ferventissimus erat, Episcopi Galliarum protinus grandi scrupulo permoveri cæperunt, nè vir vehementis ingenii, & acris erga Deum Fidei districtiùs eos pro negligentiis suis quandoque discuteret, atque ideo communibus omnes consiliis Regem adorti orabant, vt electionem, quæ ejus injussu facta fuerat, irritam fore decerneret: asserentes, quòd nisi impetum hominis prævenire maturaret, malum hoc non in alium graviùs, quàm in ipsum Regem redundaturum esset.*

1745 Ipse LAMBERTVS *non procul*

à sui

à sui Chronici fine, vbi agit de absolutione Henrici Imperatoris ab Excõmunicatione, hæc memoranda prodit: *Ita absoluto eo (scilicet Henrico) ab Excommunicatione, Papa Missarum solemnia celebravit, confectaque sacra oblatione, Regem cum cætera, quę frequens aderat, multitudine ad Altare evocavit: præferensque manu corpus Dominicum: Ego, inquit, jampridem à te tuisque fautoribus Litteras accepi, quibus me insimulabas Sedem Apostolicam per Simoniacam Hæresim occupasse, & aliis quibusdam tàm ante Episcopatum, quàm post acceptum Episcopatum criminibus vitam maculasse, quæ mihi secundum scita Canonum omnem ad Sacros Ordines accessum obstruxerint: Et licet multorum idoneorum certè testium adstipulatione crimen refellere queam, eorum scilicet, qui omnem vitæ meæ ab ineunte ætate institutionem integerrimè noverunt, & eorum, qui meæ ad Episcopatum promotionis Authores fuerunt: Ego tamen nè humano potiùs, quàm Divino niti videar testimonio, vt satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam; ecce Corpus Dominicum, quod sumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meę, vt Omnipotens Deus suo me hodie judicio, vel absolvat objecti criminis suspicione; si innocens sum, vel subitanea interimat morte, si reus.*

1746 *Hæc, & alia (vt solemne est) præfatus verba terribilia, quibus Deum causæ suę æquissimum Judicem, & innocentiæ assertorem adesse precabatur, partem Dominici Corporis accepit, & comedit. Qua liberrimè absumpta, cum Populus in laudes Dei, innocentiæ ejus congratulatus aliquandiù acclamasset, tandem impetrato silentio conversus ad Regem: Fac ergo, inquit, fili, si placet, quod me facere vidisti, &c. Si te innocentem nosti, & existimationem tuam ab æmulis tuis per calumniam falsis criminationibus impeti, libera compendiosè, & Ecclesiam Dei scandalo, & te ipsum longæ concertationis ambiguo; & sume hanc residuam partem Dominici Corporis, vt comprobata, Deo teste, innocentia tua, obstruatur omne os adversum te iniqua garrientium, & me deinceps causæ tuæ advocato, & innocentiæ tuæ vehementissimo assertore, Principes tibi reconcilientur, Regnum restituatur, omnes, quibus jamdiù Respublica vexatur, bellorum civilium tempestates in perpetuum sopiantur. Horrendum examen subterfugit Henricus, se se ab illo excusans, absentia Principum, qui in adversis fidem sibi integram servarant, quibus inconsultis, & potissimum absentibus accusatoribus, irrita foret, nec quicquam vitium apud incredulos habitura tàm insolita purgatio. Ideoque Pontificem rogavit, vt causam Generalibus Comitiis discutiendam servaret. Annuit Pontifex, expletoque Sacro Ministerio, Regem convivio excepit, & ad suos diligenter commonitum dimisit.* Hæc habentur apud laudatum LAMBERTVM, cui DOMNIZO in vita Matildis Comitissæ suffragatur. Idipsum testati sunt PAVLVS BERNRIEDENSIS *in Vita Gregorii VII.* & HVGO FLAVINIACENSIS *in Chronico Virdunensi*, coævi pariter Authores.

1747 Nec solùm in hoc eventu Deus Gregorii Pontificis innocentiam, magnamque istius in Regem Henricum operationum æquitatem testatus est, sed in pluribus etiam aliis illius innocentiam à calumniis vindicavit, & in veritatis lucem asseruit, voluitque, vt mundus agnosceret Divinam suam Justitiam pro Gregorio stare. Singulare fuit illud factum in quo id experientia demonstratum est in Vvillelmo Trajectensi Episcopo, Henrici factionario, & Gregorii Pontificis inimico. Audiamus quod in hanc rem citatus LAMBERTVS scribit: *Vvillelmus, Trajectensis Episcopus, causam Regis contra bonum & æquum obstinatè tuebatur, & studio partium Regis multa in injuriam Romani Pontificis omnibus pęnè diebus solemnibus inter Missarũ solemnia rabido ore declamabat; perjurũ eum, adulterum, & Pseudo-Apostolum* appellans, & *tàm à se, quàm à cæteris Episcopis sæpè numero Excommunicatum* pronuntians. Is brevi posteà, quàm Rex exactis Paschalibus feriis Trajecto discesserat, repentè gravissima ægritudine correptus est. Cumque per acerrimos cruciatus animæ ac corporis vrgeretur, miserabili ejulatu coram omnibus, qui aderant, vociferabatur: *Iusto Dei judicio se & præsentẽ vitã amisisse, & æternam, quòd regi ad omnia, quæ perperam intendisset operam suam summo annisu præbuisset; atque in spẽ gratiæ ejus Romano Pontifici, Sanctissimo, & Apostolicarum vir-*

tu-

tatum Viro, graves contumelias sciens, & prudens innocenti irrogasset. In hanc vocem, vt asserunt, sine Communione, sine vlla satis factione expiravit.*

1748 Idipsum de eodem Vvillelmo, Trajectensi Episcopo, tradunt MAGDEBVRGENSES ANNALES apud PAVLVM LANGIVM *in Chronico Citizensi*; ibi enim hæc habentur: *In ipso loco, in quo Romano Pontifici derogabat, ipse mala valetudine corripitur, in qua vsque ad miserandum vitæ terminum detinetur. Itaque morbo magis ac magis ingravescente, cum eo, dum quidam homo Regis eum rogaret, vt se cum suo mandato remitteret ad Regem: Hoc, inquit, mitto ei mandatum, quod ipse, & ego, & omnes iniquitati ejus faventes, sumus damnati in perpetuum. Cumque à suis, qui aderant, Clericis, nê talia loqueretur, esset admonitus: Quid aliud, inquit, loquor, nisi quod verum esse, visibiliter intueor? Ecce enim dæmones lectum meum circumstant, quatenus me mox, vt expiravero, rapiant. Itaque cum fuero è corpore eductus, rogo vos, & omnes Fideles, nê se fatigent pro me faciendo supplicationes. Hic igitur in desperatione defunctus diû jacebat insepultus, donec Romam mittitur, & indè quęsito consilio, nê Populus fętore corrumperetur Apostolico jussu sine commendationibus sepelitur.*

1749 PAVLVS LANGIVS pro ejusdem Gregorii innocentia hæc subdit: *Et ita alii quàm plures Henrici fautores malè interiere. Vdo Trevirensis Archipresul repentina morte obiit. Burghardus Misnensis Præfectus, ex equo cadens, expiravit. Sic & Godefridus Dux, hostis Saxoniæ, percussus sine Confessione periit. Ita & Eppo Episcopus noster, magnus Henrici fautor, & assentator, morte mala concluſit, (de qua in prædictis Chronicis Magdeburgensis Ecclesiæ ita ad verbum scribitur:) Eppo Citizensis Episcopus, dùm in Episcopio S. Chiliani quemdam riuum forti sedens in equo transiret, quem quilibet pedes sine periculo transire posset, vbi nec timor vllus fuit, equo cadente, morieus sic interiit, S. Chiliano sic disponente, vt qui ejus rebus violentus incubuerat, vinumque illius sępè injustè biberat, aquam quoque suam justè bibendo vltra merum non quærat. Et quia nobis inconciliabilis permansit, Deo irreconciliatus ab hac vita migravit. Hęc ad verbum in prænarratis Magdeburgensis Ecclesię Analibus leguntur.*

1750 Pro eodem etiam Gregorio stant CHRONICA THVRIGENSIA apud citatum LANGIUM; in illis enim hæc leguntur: **Anno Domini* 1073 Hildebrandus professione Monachus, & Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, natione Thuscus, omnium Cardinalium consensu solemniter, atque canonicê electus fuit Papa in numero 147. & vocatus est Gregorius VII. sedit *annos* 12. *mense* 1. *diebus* 4. Istius prudentiâ non modo in ipsa Italia, sed etiam in Theutonicis Provinciis Sacerdotum refrenata est incontinentia. Hic, vt Martinus ait, Concilio centum & decem Episcoporum habito, Henricum Imperatorem excommunicavit, quasi Ecclesiæ Romanæ scissorem; sed tandem absolvit, & post iterum excommunicavit; quia dissidium in Ecclesia procuravit, pueritia, & inexperientia sua existente in causa.*

1751 MARIANVS SCOTVS *lib. 3. Chronici*: *Interea, inquit, Domino Alexandro de medio sublato, suscepit Sedem Apostolicam Gregorius VII. qui & Hildebrandus, professione Monachus. Iste querimoniis, & clamoribus Catholicorum justis, adversum Henricum, & scelerum ejus immanitatem auditis, Zelo Dei accensus, jamdictum Regem Excommunicatũ pronuntiavit maximè propter Simoniam. Quod factum Catholicis quidem viris benè placuit: Simoniacis verò, ac fautoribus Regis nimium displicuit: qui dicebant, numquam fuisse auditum, Regem aliquando Excommunicationi subditum. Facta est igitur maxima divisio in Ecclesia Dei; Catholicis Domino Apostolico studiosè faventibus, ac pręceptis ejus; Schismaticis Henrico, & cooperatoribus ejus ex corde obedientiam exhibentibus. Inter quos erat Princeps, & signifer justitiæ dilectus Deo, & hominibus, Beatus Anno, Colonienſis Archiepiscopus, (*cujus memoria in benedictione est*) cum Reverendissimis Ecclesiarum Rectoribus, Siggefrido Moguntino, Vezelino Magdeburgensi, Rucherio Halberstadiensi, aliisque Episcopis, & Abbatibus, Monachis, & Clericis, assentientibus quoque Principibus totius Saxoniæ Ottone Duce, Magno Duce, Vdone Marchione, Ludovico Comite cum aliis innumerabilibus, tàm Nobi-*

lium,

lium, quàm infimorum militaribus viris. Quorum Fidei devotionem, ac fervorem justitiæ venerabilis Papa Gregorius audiens, & contra eos sævitiam Henrici, fautorumque ejus, quemadmodum, & contra semetipsum insurgere videns, nè deficerent in tribulationibus, quas sustinebant ab iniquis, sed fortiores, imò constantiæ virtute solidiores efficerentur, missis ad eos Litteris, paucis Hæreticorum audaciam, garrulitatem, & superbiam Authore Henrico, ac defensore, ad injuriam, & contumeliam Sanctę Sedis Apostolicæ perstrinxit elatam; quam obrem, quod Regē Anathematis vinculo alligaverit, Litteris insinuavit, quibus Catholici ad resistendum iniquis Hæreticis constantiores effecti sunt.*

1752 Ipse MARIANVS *ibidem*: *Gregorius igitur, Præsul venerabilis, Hęreticorum insaniam, Catholicorum quoque, astipulante veritate, cognoscens constantiam, Rodolpho Regi missis Litteris, Apostolicam mandavit benedictionem, in quibus etiā omnibus CHRISTI Fidelibus B. Petro, ac sibi Vicario ejus obedientiam profitentibus, vniversaliter insinuavit, Henrico propter superbiam, inobedientiam, ac falsitatem, Regni Dignitatem ablatam, Rodolpho verò Regi, præ sua humilitate, obedientia, & veritate, Authoritate S. Petri collatam.*

1753 DODECHINUS, Mariani Scoti continuator: *Ipse, inquit, Vrbanus Venerabilis Papæ Gregorii scripta, & dicta contra Schismaticos habita confirmavit.* Et *anno* 1090. *Beatæ memoriæ Papam* Gregorium VII. nominat.

1754 STEPHANVS Episcopus Halberstadiensis, causam Gregorii VII. strenuè cōtra Henricū Regē egit *in ea Epistola* quā scripsit *ad VValtramum* Ecclesię Magdeburgensis (sic habet Pistoriana editio Dodechini) Episcopum sub nomine Ludovici Comitis, quem VValtramus ad partes Hērici pellicere studuerat. Extat *apud Dodechinum anno CHRISTI* 1090. Quam suprà integram dedimus, in non leve innocentiæ, & justificationis gestorum Sanctissimi Pontificis Gregorii.

1755 S. ANSELMVS Cantuariensis Episcopus *Epist. 8. ad VViltelmum Abbatem* docet, Excommunicationis Sententiam contra Henricianos Schismaticos, incontinentesque Clericos latam, justam esse, ac proindè tales tamquam Ecclesiastica Communione privatos declinari debere.

1756 Ipse ANSELMVS *Præfatione in librum de Fermentato, & Azymo*, nullam salutem dicere vult VValtramo, seu VValramo, Naumburgensi Episcopo, quòd Henrici partes sequeretur, & Excommunicationis vinculis esset innodatus. *Si certus, inquit, essem prudentiam vestram non favere Successori Julii Cęsaris, & Neronis, & Juliani, & Potestati contra Successorem, & Vicarium Petri Apostoli, libentissimè vos, & amicissimum, & Reverendum Episcopum salutarem; quoniam autem ad defensionem veritatis contra Grȩcos, qui ad vos venerunt, quæritis, secundum posse nulli deesse debemus: opusculum vobis misi, quod de processione Spiritus Sancti edidi contra illos.* Vtriusque Epistolæ, videlicet ejus, quæ est ad VValramum, Episcopum Naumburgensem, & ejus, quę est ad VVillelmum Abbatem magna cum commendatione meminit DODECHINVS *in Appendice ad Marianum, anno Domini* 1094.

1757 COMPILATIO CHRONOLOGICA incerti Authoris *tom. 1. Script. German.* quos clarissimus Vir D. JOANNES PISTORIVS olim edidit, hæc enarrat: *Anno Domini* 1076. (error est in tempore) Gregorius Papa hujus nominis VII. à B. Petro 167. ordinatur, &c. Iste vocabatur Hildebrandus, & fuit in Scripturis valdè eruditus, &c. Iste Papa etiam strictè sub pœna auguria inhibuit, & sortilegia, & incantationes, & magicas artes.*

1758 GOTFRIDVS VITERBIENSIS: *Ipse, inquit, Gregorius Papa ad Simoniam extirpandam, & Clericorum incontinentiam reprimendam intendens, Imperatorem ipsum ad Synodalia pro hujusmodi frequenter vocavit. Connubia Clericorum à Subdiaconatu, & suprà per totum orbem Romanum Edicto Decretali in æternum prohibuit, ac se ipsum Athletam Dei pro domo Domini murum constituit.*

1759 FASCICVLVS TEMPORVM, seu VVERNERVS ROLEVVINCH Gregorii Zelum, & Sanctitatem præclarè commendat, dicens: *Iste Gregorius, fuit Vir Sanctus, & multas persecutiones pro justitia perpessus est. Hic antea dicebatur Hildebrandus, Prior Cluniacensis, & fuit Legatus in, &*

durè proceſſit contra Simoniacos. Quemdam etiam Epiſcopum miraculosè convicit de Simonia; quia non potuit contradicere Spiritui Sancto. Factus autem Papa Synodum celebravit, in qua contra eos ſimili Zelo proceſſit, & contra Presbyteros vxoratos, amovendo eos à Divino Officio. Fuerunt enim tempora ſatis arida. Et quia juſtitiæ rigorem viſus eſt tenere, ſolito more contra eum multi inſurrexerunt. Et primò Cinthius, Præfecti filius, eum cępit, cum primam Miſſam in nocte Nativitatis celebraret, & in turri ſua poſuit: Sed Romani turrim deſtruunt, & Papam liberant, & Cinthium extra vrbem ejiciunt. Deindè Imperatorem excommunicavit propter diſſidium: qui poſt veniens ad ipſum, & pluribus diebus nudis pedibus ſuper glaciem ſtans, vix abſolutionem impetravit, ſed Imperator non perſeveravit in humili obedientia, quam cœpit.

1760 IOANNES AVENTINVS *lib.* 5. *Annal. Bojor ex Paulo Benriedenſi, & Gerocho Reicheſpergenſi* in Gregorii præconium hæc memoranda tradit: *Legi multos, præſertim Paulum Bentriedenſem, Gerochum Reicheſpergenſem Antiſtitem Auguſtinianos Myſtas in Bojoaria ortos. Vterque de hujuſmodi diſcordia pernicioſa libros edidit, vterque pars hujus tumultus fuit; ille Reginoburgi, hic Auguſtæ primarię Sedis Sacerdos; ambo rebus Hildebrandi ſtuduere, &c. Henricum ſtupris, amoribus, impudicitiæ & adulterii flagraſſe infamia, nè amici quidem negant, &c. Gregorium Virum Sanctiſſimum pervicatiorem extitiſſe, Paulus Benriedēſis, qui ejus vitam libris duobus complexus eſt, & reliqui ejus partium acerrimi propugnatores produnt.*

1761 Ipſe AVENTINUS *lib.* 5. pro juſtitiæ cauſa SS. Pontificis Gregorii hæc de VVillelmo, Trajectenſi Epiſcopo, memoratu digna, teſtatur: *Paulus Benriedenſis narrat, quemdam Epiſcopum, dùm pro concione Hildebrandum vituperat, fulmine tactum eſſe, dùmque ageret animam dixiſſe: *Ignea catena conſtrictus trahor ad inferos: Ite, nūtiate Cæſari, vt reſipiſcat, & flagitiū in Deum, D. Petrum, ejus Vicarium eommiſſam officiis compenſet, niſi me antecedētem ad æterna ſupplicia ſubſequi malit. Eodem* quoque *die*, nēpè *Paſchali*, 4. *Kal. Martii*, vt idem Paulus recitat, Epiſcopus Spirenſis Septimo iniquus (ſcilicet Gregorio) ab eodem Kalendis Martiis devotus, animam efflavit. Gregorio Salernum profugo intrante, Civis quidam dixerat: *Author diſſenſionis, qui totū orbem terrarum armis, & bellis involuit, hujus Vrbis quoque quietē conturbaturus, advenit.* Mox ille, his dictis, obmutescit: Deductus ad Gregorium errorem ſuum confitetur; ab eodem ſanitati reſtituitur.*

1762 BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS *in Chronic.* (ſi tamen diverſus eſt à Bernaldo Conſtantienſi) hæc commemorat: *Romæ Alexander Papa deceſſit, pro quo Venerabilis Hildebrandus, Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, communi omnium Conſilio expetitus Papa conſtituendus. Quo audito, ipſe Archidiaconus, ſe viribus eſſe imparem tanto honori, imò oneri reputans, inducias reſpondendi petiit; & ſic fuga elapſus, aliquot dies ad Vincula S. Petri occultatus latuit. Sed tandem vix inventus, & ad Apoſtolicā Sedem vi perductus, Papa 159. Septimo Kalendas Maii* ordinatur, & Gregorius VII. appellatur; cujus prudentia non ſolùm in Italia, ſed in Teutonicis partibus refrēnata eſt Sacerdotum incontinentia; ſcilicet quod Prædeceſſor ejus in Italia, hoc ipſe in tota Eccleſia Catholica prohibere ſtuduit.*

1763 Ipſe BERTHOLDVS *anno* CHRISTI 1076. de eodem Pontifice hæc memoranda tradit: *Cinthius quidam Romanus Civis, Gregorium Papam die Nativitatis Domini, Miſſarum ſolemnia celebrantem, comprehendit, quem ita comprehenſum quidam ex Militibus ejuſdem Cinthii occidere deſtinavit: Sed cum gladium ſuprà caput ejus vibraret, nimio terrore correptus, corruit, nec incœptum ictum explere potuit.*

1764 Nonnulla Divinæ vindictæ exempla in Gregorii VII. adverſarios, & Henrici Regis Sectarios, litterariis monumentis conſecravit idem BERTHOLDVS, quæ hic nullatenus ſilentio prætereunda cēſuimus: *Vercellenſis Epiſcopus, depoſiti Regis Cancellarius, cum omnibus ſuis ſequacibus Concilium Generale *circa Kal. Maii* in Rumalibus condixit, vt ſi aliquo modo poſſet, Gregorium Papam deponeret; ſed ipſe ad eumdem terminum abſque Eccleſiaſtica Communione, vitam ſimul, & Epiſcopatum heu miſerabiliter depoſuit, quo ille Papam, nefaria præſumptio-

ptione statuit deponere.

1765 Non multo post ejus interitum Præfectus Romanæ Vrbis, indefessus miles S. Petri contra Schismaticos, à quodam fautore Henrici occiditur, ad cujus corpus in parvo tempore plusquam viginti miracula contigerunt, vt Fidelium Virorum relatione didicimus.*

1766 Imbrico, Augustensis Episcopus, qui in præterito Paschate Rodulpho Regi (qui Henrico depositò succesit,) fidelitatem juravit, nihil de perjurio curans, Henrico advenienti adhæsit, & apud illum quadam die Missam faciens, hanc sibi conditionem miser imposuit, vt sacræ oblationis perceptio ad judicium ei proveniret, si Dominus ejus Henricus Regnum sibi injustè vsurparet. Post hanc temerariam perceptionem parvo, quod supervixit, tempore vsque ad mortem, numquam se sanum de lecto levavit; nam *circa Kal. Iulii* absque Ecclesiastica Communione defunctus est.

1767 Sigehartus, Aquilejensis Patriarcha, in auxilium Henrici contra Bannum Apostolici armata manu veniens, in amentiam vertitur apud Ratisponam; & ex ipso itinere repentina morte intercipitur: sicque domum non sine aliquibus suorum funeribus in corpore, & anima mortuus reportabatur.*

1768 Ab eodem BERTHOLDO *anno* 1085. hæc in Sanctissimi Gregorii laudem traduntur: *Sed jam Deus Omnipotens famulum suum Gregorium Papam nolens diutiùs laborare, imò pro laboribus suis dignè remunerare volens, de hujus vitæ ergastulo eum vocavit. Nam aliquanto tempore graviter corpore infirmatus, sed in defensione justitiæ vsque ad mortem firmissimus, Salerni diē clausit extremum. De cujus obitu omnes Religiosi vtriusque sexus & maximè pauperes doluerunt; erat enim Catholicæ Religionis ferventissimus defensor. Noluit sanè, vt Ecclesiasticus Ordo manibus Laicorum subjaceret, sed eisdem, & morum sanctitate, & Ordinis Dignitate præemineret; quod illum latere non poterit, quicumque ejusdem Apostoloci Regestum diligenter perlegerit. Postquam autem in gubernatione Sedis Apostolicæ, imò totius Ecclesię *duodecim annos, & vnum mensem* legitimè decertavit, tandem ex hac luce *anno Incarnationis Domini* 1085. *Indictione octavą*, 8. *Kal. Iunii* subtractus, supernæ vocationis bravium accepisse non dubitatur, sepultus Salerni in Ecclesia S. Matthæi, quam ipse eodem anno dedicavit. Sed Guibertus Hæresiarcha (qui tunc temporis erat Antipapa, à factionariis Henrici ad Sedem Apostolicam intrusus) multum de obitu ejus lætabatur, licet parùm prosperitatis suæ parti in eo lucraretur. Nam omnes Catholici, post mortem Domini Apostolici, non minus quàm ante, eidem Hæresiarchæ restiterunt, ipsumque de Roma Ravennam repedare compulerunt.*

1769 BERNARDVS, primùm Constantiensium Scholarum Magister, postea Corbeiensis Monachus in Saxonia, Apologiam pro Gregorio VII. scripsit, de quo BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS *in Chronico ad annum MXXCVIII.* *Bernardus, inquit, Constantiensiū, Magister scholarum, Vir Eruditissimus in causa S. Petri ferventissimus, in Saxonia sub Monastica professione migravit ad Dominū.*

1770 Idem BERTHOLDVS de prædicto Bernardo hæc habet *ad annum* 1091. *Bernardus quoque, Constantiensium scholarum Magister, multa sui ingenii nobis monumema reliquit, multaque pro Catholicis contra Schismaticos sui temporis elegantissimè scripsit, & primùm quidem ad quosdam suos amicos de judicio Gregorii Papæ VII. super Schismaticos, & de Sacramentis extra Ecclesiam vsurpatis, postea etiam ad Venerabilem Hartungum Magdeburgensem Episcopum de eadem causa magnum librum luculentissimum composuit, ex persona Sanctę Ecclesiæ, in quo testimoniis Sanctorum Patrum omnes insidiosas cavillationes eorumdem Schismaticorum prudenter annullasse videtur.*

1771 Stetit etiam pro Gregorij causa S. GEBEHARDVS, Salisburgensis Antistes, de quo BERTHOLDVS *anno* 1088. hæc tradit: *Gebehardus, venerandæ memorię Juvanensis Archiepiscopus, in causa S. Petri præcipuus, qui Schismaticos publicè dictis, & scriptis confutare consuevit, de hac luce subtractus 18. Kal.::::magnum mœrorem Catholicis dereliquit.*

1772 AVTHOR, qui S. Gebehardi vitā scripsit, *to. 5. antiquæ lect. Henrici Canisii*: *Post aliquot, inquit, annos excōmunicatur Rex Henricus in Synodo Romana, &*

Epis-

Episcopi singuli, missis à Papa Gregorio Epistolis, præmoniti sunt, etiam obsecrati, pro observanda S. Petro, & ejus Vicario obedientia, inbanniti quoque, & sub obtentu sui officii sunt adstricti, nè Regi anathematizato, & ejus Consiliariis nominatis cõmunicarent. Hoc novum, sive rarũ in Regem Anathema, vtrũm ex venditione Episcopatuum, & Abbatiarum, an ex alia infamia causas sumpserit, pęnes eorum conscios sit, & judices: nobis Sententia Pastoris timenda est, sive justa, sive injusta.

1773 Prædictus enim piæ memoriæ Papa Gregorius, velut alter Elias, Spiritu Dei plenus, & Zelo Justitiæ ac veritatis accensus, Sacerdotes Baal, non quadringentos, sed infinita millia trucidaverat; quia, vel eos, qui per Simoniam Episcopatus, Abbatias, Præposituras, Præbendas, vel Ecclesias obtinuerant, vel qui in Sacerdotio, aut Diaconatu vxores habuerant, vel qui à Simoniacis, vel Schismaticis ordinati fuerant, gladio Petri omnes simul truncaverat. Proindê istorum instinctu Henricus Imperator Guibertum Ravennatensem Hæresiarcham, expulso præfato Papa Gregorio, Romæ inthronizavit. Videres nunc Naviculam B. Petri, quasi dormiente interim JESV, propèmodum mergi, & tempestatum procella vexari: dùm omnes veritatem, & Fidem B. Petro, & ejus Vicario servantes, aut in vndas mortis dirum, fremens, ac fervens salum trahebat, aut in longum exilium, patria, honoribus, rebus extorres jactabat. Tempora nimirum tunc valdè periculosa instabant, cum præter CHRISTI Athletam nostrum Dominum Gebehardum, Archiepiscopum Salzburgensem, Almannum Pataviensem, Adalderonem VVirzburgensem, Hermannum Metensem, Meginhardum Frisingensem, præter hos solos quinque, in toto Regno Theutonico Episcopus Catholicus inveniri non poterat. Ea igitur tempestate, iste noster Dominus sæpèfatus Archiepiscopus Fidelis Romanæ Ecclesię, & veritatis Catholicæ propugnator eminebat, qui velut alter Machabęus lorica Fidei se succinxerat, & gladio verbi sui castra Ecclesię in toto Regno Theutonico protegebat.*

1774 JOANNES MICROLOGVS, seu GVIDO ARETINVS *lib. de Officiis Ecclesiasticis, cap.* 14. hęc de Gregorio testatur: *Sedi Romanæ nostro tempore talem Deus Gubernatorem reverendæ memoriæ Gregorium Papam imposuit, qui sub decem suis Antecessoribus à puero Romæ nutritus, & eruditus, omnes Apostolicas traditiones diligentissimè investigavit, & investigatas studiosissimè in actum referre curavit. Hunc ergo Doctorem Religione, & Authoritate præcipuum, imò Apostolicam traditionem per ipsum in consecrandis Mysteriis potissimum imitari decrevimus, &c. Reverendæ memorię Gregorius Papa fecit, &c.*

1775 DOMNIZO, Presbyter, qui MATHILDIS vitam versibus descripsit, varia Gregorii VII. & Anselmi Lucensis elogia in ea lucubratione congessit; multa ex ejus libro transcribit Cardinalis BARONIVS *tom.* 11. *Annal. in Pontific. Gregorii VII.* quæ hìc transcribere omittimus, nê actum agamus, ad eumdem Cardinalem loco laudato lectorem remittentes.

1776 LEO OSTIENSIS *in Chronico Casinensi, lib. 3. cap.* 64. *Anno, inquit, Dominicæ Incarnationis* 1085. *Indict.* 8. cum Venerabilis, semperque recolendę memoriæ Gregorius Papa VII. Salerni magna vi morbi premeretur, ante tertium sui obitus diem rogatus ab Episcopis, & Cardinalibus, qui fortè tunc aderant, vnà cum Desiderio, quid de Romanæ Sedis post obitum suum ordinatione juberet? hortatus est, vt si quo pacto possent, ipsum Desiderium Pontificem facerent.*

1777 Ab eodem LEONE *lib. 3. cap.* 53. perhibetur visum quoddam cęleste niveæ columbæ super Gregorio residentis, cum Sacra Missarum solemnia celebraret: quod visum cum qui vidit evulgare cunctaretur, his verbis divinitûs patefacere jussus est: *Vade celeriter, & hoc ipsum auribus Papæ intimato, vt constanter vigore S. Spiritus quod cœpit exequatur.*

1778 OTHO FRISINGENSIS *lib. 6.* hæc tradit: *Anno sequenti* Alexander vita, & Sacerdotio perfunctus decessit, Sedemque Hiltprando Archidiacono suo, qui Greg. VII. dictus est, reliquit. Ex hinc Schisma gravissimum, eo quòd absque consensu Regis per electionem constitutus fuerat, oritur. Ipse autem, qui per multum temporis ad libertatem Ecclesiæ obtinendam privatus laboraverat, jam

ad Sacerdotalem Dignitatem provectus à cœpto desistere indignum ducens, tàm ob hoc, quàm pro Simonia extirpanda, ac incontinentia Clericorum reprimenda, plurimùm desudabat. Denique non solum Regem pro hujusmodi ad Synodalia responsa crebrò vocavit, sed datis Decretis Clericorum à Subdiaconatu, & suprà connubia in toto Orbe Romano prohibuit, formaque gregis factus, quod verbo docuit exemplo demonstravit, ac fortis per omnia Athleta, murum se pro Domo Dei ponere non timuit.*

1779 Et *infrà* sic prosequitur: *Prædictus Pontifex Gregorius à Rege Vrbe pellitur; Guibertus, Ravennatensis Episcopus, in locum ejus subtruditur. Porrò Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis suæ tempore, dixisse fertur: *Dilexi justitiam, & odi iniquitatē, propterea morior in exilio.* Quia ergo in Principe suo Regnum, ab Ecclesia præcisum, graviter percussum fuit, Ecclesia quoque tanto Pastore, qui inter omnes Sacerdotes, & Romanos Pontifices præcipui Zeli, ac Authoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit.*

3780 Ipse OTHO *lib. 7. cap.* 1. in ejusdem Gregorii laudem sic loquitur: *Defuncto Salerni beatæ memoriæ Summo Pontifice Gregorio, &c.*

1781 BRVNO *in Historia Belli Saxonici*, quæ tota est contra Henricum, & Henricianos, pro Gregorio VII. & illis, qui S. Petri causam tuebantur, extatque *tom.* 1. *Scriptor. Illustr. German.* quos CALVINIANUS FREHERUS evulgavit, tragicos enumerat quorumdam Schismaticorum interitus, de quibus suprà ex SCHAFNABVRGENSI, & CHRONICO CITIZENSI aliqua diximus: *Patriarcha, inquit, qui Legatus Apostolici, maximus Author abjurationis extiterat Henrici, & novi Regis instituendi, postquam Exregi quasi Regi sociatus, retrogradus efficitur, repentina morte præventus, quòd communicabat Excommunicatis, incommunicatus, & inconfessus huic vitę subtrahitur. Verùm quod tantæ Dignitatis virum non decebat, ire solùm ad infernum, quinquaginta (sicut audivimus) de suis habuit socios, eadem morte repentina correptos, nè quos habebat in iniquitate consortes, in retributione non haberet participes.*

1782 Vdo, Trevirensis Archiepiscopus, omni pietate plenus, dùm nimis mansuetus tyrannidi non resistens, Henrico, plus quàm decebat, obsequitur, ejus flammeo furori suæ consensionis oleum ministrat, &, vt Ecclesiæ deprædentur licentiam donat, mox in crastino mane mortuus invenitur; vt omnibus apertè constaret, ideo tali eum morte objisse, quòd in Ecclesiarum prædatione non timuit assensum præbere. *

1783 De Eppone Citizensi, de quo hìc etiam Bruno, jam *suprà* diximus. Sed de aliis sic prosequitur ipse BRVNO: *Godefridus Dux, qui fuit maximus hostis Saxoniæ, periit in secretiori corporis parte perfosus sævo mucrone, nec purgatus vltima Confessione, nec munitus Sacra Communione. Godebaldus, dùm equo suo, noviter ferrato, pedem posteriorem levaret, vt an aptè ferrum esset impositum perspiceret, ab ipso pede in fronte percutitur, & sic ab hac vita abstrahitur. Burchardus Misnensis Præfectus, dùm in quadam sua, cui præerat, Vrbe ab Vrbanis invaditur, equo, cui insidebat, frustra calcaribus vulnerato, fugere molitur, cui equus sæpè priùs de velocitate laudatus, modò, cum maximè cursu opus erat, fit stationarius, quasi diceret: Mihi non licet, eum nunc à vobis eripere, qui dùm sibi licuit, nolebat se corrigere. Moritur ergo cum magno animæ suæ periculo, quòd sæpè consensum præbuit periculoso sævissimi Regis consilio.*

1784 Luipoldus, frater Berthaldi, Regis Consiliarii, qui & ipse ejus Consiliarius erat, dùm quadam die juxta Regem equitans cum eo quoslibet sermones conferret, accipiter, quem sinistra portabat, volitare cæpit, quasi capturam peteret. Ille verò post avem parumper se inclinans, ab equo gravis cecidit, & ensem, quo cinctus erat, è vagina lapsum capulo terræ defixo, in pectore medio recepit: & qui sæpè pravi consilii consors, vel author fuit, sine consilio perpetuæ salutis ab hac vita recessit.* Hactenus Bruno.

1785 HELMOLDVS *lib.* 1. *Chronic. Slavorum, cap.* 28. hæc refert: *Post paucos autem dies Principes Saxonum prętер volũtatem Regis captivitate absoluti in propria reversi sunt, nec vmquam de cætero promissionibus Regis fidem præbuerunt. Missa ergo relatione, Saxonum

Prin-

Principes ad Apostolicam Sedem conquesti sunt, Reverendissimo Papæ Gregorio VII. qualiter Rex Divinæ Legis contemptor, Ecclesiis Dei in statuendis Episcopis omnem canonicę electionis libertatem adimeret, ponens per violentiam Episcopos, quos voluisset. Insuper quòd more Nicolaitarum de vxore sua publicum fecisset prostribulum, subjiciens eam per vim aliorum libidini, aliaque perplurima, quæ incõvenientia visa sunt, & auditu difficilia. Quamobrem Dominus Apostolicus, Zelo Justitię permotus, missis Legatis, vocavit Regem ad Apostolicæ Sedis audientiam. Qui secundam, & tertiam vocationem dissimulans, ad vltimum familiarium consiliis adstrictus, timentium nè Regno justè deponeretur, ivit Romam, &c.*

1786 Sanctus Cardinalis PETRVS DAMIANI *in Vita S. Dominici Loricati, cap. 19.* ita scribit: *Somniavit tunc quidam frater de me, quod oculorum lumen amiseram. Quod dum ego Hildebrando Venerabili Romanæ Ecclesiæ Archidiano in Lateranensi Palatio retulissem: Nequaquam, inquit, vt times, hoc tibi propinquæ est mortis indicium: sed familiaris tibi aliquis extinguetur, qui tibi charus sit sicut oculus, & lumen tuum ac splendor in bonis operibus videatur. O verum, sed amarius omni felle præsagium! Tertiò die postquam Romanis mœnibus sum egressus, ecce mihi relatio crudelis occurrit, quæ mihi nihil minus opinanti, cæcatum me remansisse perhibuit, dominum scilicet & illuminatorem meum Dominicum ex hoc sæculo nuper egressum. Illicò mihi liquidò patuit, dum ille petiit lucis Authorem, in tenebrarum me remansisse caligine.*

1787 BERNALDVS CONSTANTIENSIS Presbyter *in Apologetico* pro Gregorio, & æquitate Anathematis ab ipso promulgati in Simoniacos & incontinentes, qui perperam arbitrabantur illius Excommunicationis vinculo non teneri, in hos invehitur dicens: *Sententiam Excommunicationis, quam Dominus noster Gregorius Papa VII. Apostolica Authoritate promulgavit, nonnulli sacrilega temeritate quasi irritam judicare præsumunt, seque in hoc, juxta attestationem Sanctorum Patrum, Apostolicæ Authoritatis reos pernicioſissimè efficiunt. (Et *infrà*:) Beatus autem noster Gregorius Papa canonicè quidem ordinatus, vt Sancta Ecclesia Romana fidelissimè testatur, ab omnibus Catholicis Judex Vniversalis Ecclesię, & pro Romano Pontifice semper habebatur, quod & ipsi ejus Excommunicati de eo judicaverunt, cum ad ejus reconciliationem sæpè numero recurrerint, licet ad vomitum suum postea redire non timuerint. Numquam sanè aliquod crimen in illo, vel ab inimicis inventum est, vel probatum, quod susceptum sibi illicitum faceret officium. Sed si quod tale crimen admisisset, numquid tamen inauditus, non confessus, nec convictus, canonicè damnari posset, etiam si vltimus Ecclesiastici Ordinis extitisset? Numquid enim legitimè officium suum exerceret, vsquedum canonicè judicatus ab officio cessare juberetur? (Et *infrà*:) Ergo Sententiam Apostolicæ Authoritatis in apertissimos cõtumaces ab eo depromptam, nullus Christianus irritam judicabit, qui Canonicis Sanctionibus Sanctorum Patrum contradicere noluerit.*

1788 Idem Bernaldus *Epist. 3. ad Bernardum Magistrum Scholarum Constantienſium* inter alia hæc pro Gregorio VII. & Synodo Romana, in qua proscripsit Henricum, scribit: *Sed jam ad causam nostram veniamus, quam etiam vt evidentior fiat, breviter & fideliter litteris commendare non pigeat, vt ex Fidelium Virorum certissima relatione didicimus, quorum alios corpore quidem, non animo, VVormatiensi conspirationi, alios verò Romanæ Synodo hanc eamdem damnanti proculdubio interfuisse cognovimus. *Anno* igitur *Dominicæ Incarnationis* 1078. Gregorio Papa VII. in Apostolica Sede constituto, cum Henricus Rex jam per tres annos pro suis reatibus ad pœnitentiam multoties ab Apostolica Sede vocatus, resipiscere nollet, cumque se in proxima Romana Synodo excommunicandum fore prænosceret, tale consilium à Simoniacis sive excommunicatis accepit, vt omnes sibi subiectos, ab Apostolico Præsule (hoc est Romano Pontifice Gregorio) separaret: Sic quod Sanctam Romanam Synodum deauthoraret, tunc in prima quadragesimali Hebdomada futuram, & illum cum suis complicibus excommunicaturam. Accepto igitur consilio ante eamdem Synodum in Septuagesima, Generale colloquium apud VVormatiam condixit, quo præter Regni sui Principes, quamplures Episcopos

pos

pos & reliquos suos Fideles, vel potiùs infideles congregavit, qui pęnè omnes, aut Simoniaci, aut Excommmunicati, aut eorum complices individui, se Romani Pontificis Censuram subituros non dubitabant, si Rex resipiscens Apostolicæ Sędi obediret, eique in Ecclesiasticis negotiis debitum adjutorium impendere vellet. Quapropter ex Regis insolentia occasione accepta, Regi non tàm consenserunt, quàm persuaserunt, vt Litteras proscriptorias omnium, eorum manibus per subscriptionem roboratas, ad Apostolicam Sedem transmitteret, quibus quasi proscripto Romanæ Sedis Episcopo, Synodus Romana Regem excommunicatura nihilominus cassaretur, sicque ipsi cum Rege ab Apostolicæ Sedis Censura liberarentur. In prędictis sanè Litteris post multas Romani Pontificis blasfemias, hoc singuli sua subscriptione confirmaverant, vt nollent deinceps hujusmodi criminoso subesse, vel aliquam obedientiam exhibere.

1789 His ergo Litteris in Romanam Synodum delatis, juxta posse eorum eamdem per Legatos suos disturbaverant, & Apostolicum Præsulem in Romana Synodo turpiter blasfemantes eum, non confessum, nec alicujus criminis convictum ab Apostolica Sede, vt vilissimum mancipium jusserant descendere. Præterea ex præcepto prędicti Henrici Francorum Regis, non vtique Romani Imperatoris, cunctæ Romanæ Synodo contumaciter interdixerant, nè Domno Apostolico Pastori vllatenus obedirent: Pastori, inquam, suo, cui eatenus obedierant, quem eatenus pro legitimo Pastore, vt canonicè ordinatum, vt canonicè in ordine suo conversatum habuerant: cui etiam prædictus Rex debitam obedientiam speciali promissione devoverat: quem diversorum Regnorum Præsules, & Principes pro S. Petri Vicario honoraverant.

1790 Hunc igitur non confessum, non convictum, imò nec si reus esset, ita, vel ab hujusmodi convincendum, prædicti conspiratores per Legatos suos degradare volebant: qua temeritate, imò quo væsanissimo furore, nec cauponem suum quilibet destituere permitteret. Nàm vt B. Marcellinus Papa omnibus Orthodoxis scribens *cap.* 11. testatur, Episcopi Pontifici, à quo consecrati probantur, præjudicium inferre nullum possunt. Item B. Anacletus Papa à B. Petro Presbyter ordinatus: Sententia, inquit, quoque Chan filii Noe damnantur, qui suorum Doctorum, vel Præpositorum culpam produnt, ceu Chan, qui patris pudenda non operuit, sed deridenda monstravit. Doctor autem vel Pastor Ecclesiæ, si à Fide exorbitaverit, erit à Fidelibus corrigendus: Sed pro reprobis moribus magis est tolerandus, quàm distringendus.* Alia quam plura pro nostri Gregorii commendatione addit Bernaldus, videnda apud Grethserum *in Apologia pro Gregorio VII.*

1791 ALBERTVS, Stadensis Abbas, *in Chronico, anno* 1085. eadem ferè scribit, quę Helmoldus, eisque addit: *Hildebrandus Papa, qui & Gregorius, apud Salernum moritur, cui Desiderius Cardinalis Romanus, & Abbas Cassinensis, verus CHRISTI famulus, licet multum renitens, substituitur assensu Normannorum, & Mathildis, potentissimæ per Italiam fœminæ, cunctorumque hujusmodi sectam æmulantium. Et hi quidem, qui videbantur perfectiores, & columnæ in domo Dei, adhæserunt sicut Gregorio, ita & Desiderio. cæteri verò, quos aut timor, aut favor Cæsareus agebat, secuti sunt Guibertum (Antipapam videlicet) qui & Clemens, &c.*

1792 Cardinalis DEUSDEDIT *in Commentario de Privilegiis Romanæ Ecclesiæ* apud BARONIVM *tom.* 11. *ad annum* MXXC. de Guiberto Antipapa loquens, subdit: *Post præstita Domino suo beatæ memoriæ VII. Gregorio Papæ fidelitatis Sacramenta, & obedientiam *octo annis* exhibitam, Apostolicum Thronum invasit.* Guitbertus scilicet Antipapa de quo loquitur.

1793 MAGNVM CHRONICON BELGICVM editum à D. Ioanne Pistorio: *Gregorius VII. (inquit) natione Thuscus, &c. Hildebrandus prius vocatus, &c. postmodum verò Cardinalis, propter laudabilem ejus vitam in Papam à Cardinalibus est electus. (Et *infrà*): Defuncto Salerni beatæ memoriæ Summo Pontifice Gregorio, &c.*

1794 VVILLELMVS TYRIVS *lib.* 1. *Belli Sacri, cap.* 13. agens de Episcopatuum investituris, ab Henrico conferri solitis, hæc refert: *Quod Dominus Papa contra omnem fieri honestatem considerans,

rans, & jura in eo facto conculcari Ecclesiastica perpendens, semel, secundò, ac tertiò Imperatorem commonuit, vt à tàm detestabili desisteret præsumptione, quem præceptis salutaribus commonitum, cum revocare non posset, vinculo Anathematis innodavit, &c.*

1795 S. ANTONINVS *Par. 2. Histor. tit. 16. cap. 1. §. 21.* *Erat, inquit, Vir iste (scilicet Gregorius VII.) religiosus, ac timens Deum, justitiæ, & æquitatis amator, in adversis constans, in prosperis moderatus, fuit valdè cordatus, Ecclesiæ jurium defensor acerrimus, & qui præter Deum in his, quæ ad justitiam pertinebant, nihil timuisset efficere.*

1796 VINCENTIVS BELLOVACENSIS *in Speculo, lib. 25. cap. 44.* Gregorium miraculis, & charismate arcana pectorum cognoscendi claruisse testatur. In calce verò ejusdem capitis hæc annotant BENEDICTINI Theologi Collegii Vedastini in Academia Duacensi: *Hic Pontifex verè maximus Ecclesiasticæ libertatis assertor, & propugnator acerrimus omnibus fuit bonis gratissimus, & ab optimis quibusque laudatus Scriptoribus, quamvis invidi ei nonnulla crimina impegerint, quæ omninò falsa fuisse alii redarguunt, &c.*

1797 BLONDVS FLAVIVS *dec. 2. lib. 3.* *Vix dùm Alexandri Pontificis exequiæ solemniter ex more erant celebratæ, cum Clerus, & Populus ad funeris pompam congregati, Hildebrandum Archidiaconum ex abrupto acclamarunt à B. Petro in Pontificem esse electum. Ad eosque clamores exciti Cardinales, conclave ingressi, eumdem canonicè delegerunt, quem Gregorium VII. placuit appellari:::: Gregorius verò Pontifex commissam sibi Ecclesiam quietè cupiens gubernare, pacem cum Henrico habere quæsivit, quod ostendit Epistola priusquam coronaretur ad Beatricem, & Mathildem filiam scripta. (Et *infrà*:) Tantis itaque ad pacem jactis fundamentis, Pontifex Gregorius ad Regem misit denuntiaturos, se si in Pontificatu confirmaretur, nullatenus errores illius toleraturum; proindè aut alium Pontificem fieri curaret, aut se ad satisfactionem condignam pararet. Rex tamen facti modo, ac veritate cognitis, electioni ejus assensum præbuit. Mittensque ad Vrbem Gregorium Vercellēsem Episcopum, Regni Italici Cancellarium, dictam electionem sua Authoritate confirmari curavit. Confirmatus in Sede Gregorius, nihil duxit antiquius, quam Henricum Regem ab Episcopatuum, & Ecclesiarum venditione deterrere, &c.*

1798 Eadem habet ÆNEAS SYLVIUS *in Compendio Blondi.*

1799 Idque ipsum testatus est IOANNES VILLANVS *lib. 4. Historiæ Florentinæ.*

1800 MARTINVS POLONVS *in Chronico* de eodem Gregorio VII. sermonem instituens, sic effatur. *Hic propter laudabilem vitam est in Papam electus ex Cardinalibus, &c. Salerni mortuus est, miraculis coruscando.*

1801 Et *in Henric. III.* hæc scribit: *Hujus tempore Hildebrandus Cardinalis, qui postea Gregorius VII. Papa factus est. Cum Legatus esset in Gallia, & in Concilio contra multos Simoniacos processisset, & contra vnum Episcopum valdè infamatum procedere voluisset, & ille testes, qui ipsum accusaverant, pretio corrupisset, dixit Legatus Concilio: Cesset humanum judicium, & producatur in medium Divinitatis Oraculum, cum certum sit, quòd Episcopalis gratia Sancti Spiritus donum sit, & quisquis Episcopatum mercatur, contra Spiritum Sanctum facit. Si tu contra Spiritum Sanctum non fecisti, dic: *Gloriæ Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Tunc ille intrepidus incipiens, cum *Gloria Patri, & Filio* dixisset, nullatenus *Spiritui Sancto* dicere potuit, frequentiùs repetendo. Et sic ejectus ab Episcopatu, tunc plenè dixit.*

1802 VOLATERANVS *lib. 22. Antropologiæ*, de Gregorio VII. loquens: *Hic, inquit, præter omnes, quòd Vir pius, & Christianæ Religionis acerrimus defensor fuerit, labores pertulit magnos.*

1803 TRITHEMIVS *in Chronico Hirsaugiensi, anno Domini* 1073. hæc testatur: *Mortuo Papa Alexandro, successit Hildebrandus, Abbas S. Pauli, Ordinis nostri, & Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, & præfuit *annis* 12. dictusque est *Gregorius* hujus nominis VII. Vir certè multæ doctrinæ, magnæque pietatis, prudentiæ, & justitiæ, constantiæ, & religionis, qui multa pro defensione libertatis Ecclesiasticæ & fecit bona, & sustinuit adversa.*

Hic

Hic primùm fuit Monachus Cluniacensis, & à Leone Papa IX. Sacræ Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus ad Monasterium S. Pauli ordinatus, hoc anno post Alexandrum omnium consensu Summus Pontifex creatus est.*

1804 JOANNES NAVCLERVS *in Chronograph. volum. 2. generat. 37.* hæc Gregorio scribit: **Hoc anno* Hildebrandus, qui Gregorius VII. fuit, apud Salernum exul moritur. Quę ejus vitę tempore in Republica Christiana sunt acta, hujusmodi ferè sunt, vt Scriptores dubitent, an honestatis argumento, & Fidei Zelo ab Hildebrando sint gesta. Sigebertus eam Sententiam adstruit (cui quàm parum credendum, vtpote Schismatico, Henricique sectatori, satis in superioribus vidimus.) Verùm faciunt tot pietatis monimenta, quæ is reliquit, & studium, quo in Henricum III. fuit olim, vt non adhibeam illis fidem. Vir fuit certè Gregorius Religiosus, timens Deum, Justitiæ, ac æquitatis amator, in adversis constans, qui præter Deum in his, quæ ad justitiam pertinebant, nihil timuisset perficere.*

1805 ALBERTVS CRANTZIVS *lib. 5. Metropolis, cap. 1.* *Gregorius VII. Hildebrandus antea vocatus, natione Hetruscus, cum multa pro Romanis Pontificibus egisset, acclamante Clero, & Populo, Hildebrandum à B. Petro electum Successorem, magnis votis, & concordibus, eum designavere Patres. Multus illi labor erat cum Henrico IV. multiplex colluctatio; sed superavit Veritas, & Justitia, obtinuitque Pontifex, vt *ad annum* 13. perveniret.*

1806 PHILIPPVS BERGOMENSIS *in Supplemento Chronicorum* hęc in Gregorii encomium litteris consignavit: *Gregorius VII. Papa, natione Hetruscus, &c. Vir certè Deo, & hominibus gratissimus, prudens, justus, clemens, pauperum, pupillorumque, ac viduarum patronus, & Pater, necnon & Ecclesię Romanæ contra Hæreticorum improbitatem, & malorum Principum potentiam, res Ecclesiasticas per vim occupare conantium, vnicus, & acerrimus defensor. (Et *paulò infrà* de capto Pontifice differens:) Sed die sequenti, inquit, Romani cognito facinore ipsum Cincium prosequuntur, & Pontificem Sanctum liberant, turrimque vertunt.* Et infrà de Guiberto in Apostolica Sede violenter intruso, eũ *Antipapam* vocat, *malorum omnium caput*, morte subitanea-que correptum, scelerum suorum pœnas dedisse tradit.

1807 ANDREAS RATISBONENSIS *in Chronico Manuscripto Bibliothecæ ad S. Emeranum Ratisbonæ*, hæc litterariis monumentis cõsignavit: *Gregorius VII. natione Thuscus, quondam Hiltprandus, Prior Cluniacensis, propter laudabilem vitam à Cardinalibus in Papam electus. (Et *infra*:) Qui post in Apuliam descendens, Salerni mortuus est, miraculis coruscans: *Infrà refert miraculum, quod Legatus Lugdunum fecit circa Archiepiscopum Ebredunensem Simoniacum, qui non potuit ante depositionem dicere: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Et post expeditè dixit: *Et Spiritui Sancto.* Eamdem historiam refert GOBELINUS *in suo Cosmodromio, Ætatè 6. cap. 57.*

1808 PLATINA *in Gregorio VII.* postquã Sanctissimi Præsulis apud Adriani molem per Schismaticos Henrico Duce arctissimam obsidionem narraverat, Guiscardique ad liberandum Pontificem adventum, hæc subjungit: *Superata jam, & capta Roma, fortunisque Civium militibus in prædam datis, ad molem Adriani profectus (Guiscardus,) vbi Pontifex obsidebatur, hominem multis calamitatibus vexatum, tandem è manibus hostium liberavit, secumque Cassinum, ac Salernum perduxit. Vbi non ita multò post Pontificatus *anno* 12. *mense* 1. *diebus tribus* sanctè, & piè moritur. Vir certè Deo gratus, prudens, justus, clemens, pauperum, pupillorum, viduarum patronus; atque vnicus Ecclesiæ Romanæ fortissimus, & acerrimus defensor contra Hæreticorum improbitatem, & malorum Principum potentiam res Ecclesiasticas per vim occupare conantium.*

1809 PANVINIVS *in Notis ad Platinam vbi sup.* hæc valdè notanda tradit: *Hujus Gregorii Viri celeberrimi, & maximè memorabilis vitã, & res gestas quinque libris conscripsi. Animus erat quædam de eo cognitu dignissima hìc subjicere, neque à Platina, neque ab aliis, qui circumferuntur, Authoribus, quod sciam, scripta: sed rei ipsius moles longè majorem locum, quàm annotationis desiderat. Illud tantum dicam; hunc maximum Pontificem totius Ecclesiasticæ libertatis vni-*

vnicum assertorem fuisse, qui, quamquam Vir Sanctissimus esset, vt ab infinitis pęnè suorum temporum Scriptoribus traditur; tamen nec ipse ineptissimam vulgarium hominum opinionem effugere potuit: ab aliis enim Necromanticus, ab aliis Simoniacus, à qua labe suprà omnes alienus fuit, ab aliis sanguinarius, & similibus nominibus appellatur. Quę omnia in gratiam Imperatoris, quocum maximas inimicitias ob libertatem Ecclesiasticam, quæ ejus tyrannide opprimebatur recuperandam gesserat, conficta fuerunt. Sed de his aliàs latiùs. Multa de hoc Pontifice scitu digna scribunt Lambertus Scafnaburgẽsis, Leo Episcopus Ostiensis; Otho, Episcopus Frisingensis; & alii quàm plures*.

1810 Notatu dignissima sunt, quæ post factam Gregorii Pontificis electionem alloquutus fuit Cardinalis Hugo Candidus; hic enim, vt ex Bavarica Bibliotheca refert ONVPHRIVS PANVINIVS, totius Collegii nomine Romanum Populum his verbis certiorem fecit: *Nobilissimi Cives, nemini vestrum dubium vmquam fuit, quin Hildebrandus nostræ Ecclesiæ Archidiaconus, Vir prudentissimus, & spectatæ inter omnes Fidei, & probitatis, eam jam indè à Leonis IX. tempore mirum in modum suis virtutibus exornaverit, laboribus auxerit, studio, & industria tutatus sit; atque à multis periculis eripuerit. Quamobrem, cum Patres neminem eo aptiorem judicaverint, ad Vrbis nostræ, & Romanæ Ecclesiæ regimen obeundum, ego ipsum omnium Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Sacræ R. E. Cardinalium nomine, omnibus electioni consentientibus, nobis, vobisque, Episcopum Romanum, & animarum nostrarum Pastorem pronuntio. (His relatis pergit Onuphrius:) Quo facto statim arreptus, & more majorum, veste purpurea indutus, Põtificalique Diadèmate redimitus, invitus, & reluctans in Apostolica Sede magnificè summo cum gaudio, & lętitia fuit collocatus, quippê qui eum vnum tantùm esse credebant, qui rem Ecclesiasticam restituere, atque Romanam Ecclesiam, diù servam, in pristinam libertatem ex Imperatoris manu eruere, & vendicare auderet, & posset.*

1811 GREGORIVS verò statim ac Pontifex creatus fuit, electionem suam, vt moris erat, Henrico Imperatori electo enuntiavit, vt ab illo acceptationem, approbationemque mereretur, quam cumulatissimè obtinuit, vt tradit ipse ONVPHRIVS, dicens: *Litteris autem suis ab Imperatore acceptis, Episcoporumque Conventu congregato, diligenter Gregorii VII. electio examinata fuit. Cum verò Imperator eam legitimam esse, omniumque tàm Cleri, quàm Populi Romani liberis suffragiis factam, fuisse cognovisset, tàm ipse, quàm cæteri Principes ratam esse voluerunt, eique consenserunt.*

1812 Nihilominus non defuere aliqui Germaniæ Prælati, qui Apostolicum Gregorii Pontificis Zelum pertimescentes, sibique ab illo cavendum, Imperatori suasserunt, nè illius electioni assentiretur, sed ei potiùs refragaretur, quòd ea cõtra illius tẽporis consuetudinem inexpectato Imperatoris consensu peracta fuerit, vt scribit ipse ONVPHRIVS: *Fuere autem, inquit, in illo Conventu multi Germaniæ Prælati, & Episcopi, & Abbates, qui gravi scrupulo commoti eamdem electionem oppugnabant, qui ipsius Hildebrandi mores, res gestas, *inflexibilem Constantiam, ferventissimum Divini honoris Zelum*, & tenacem propositi sui voluntatem, per multos retrò annos, quibus in Aula Imperiali versatus, tàm privatus, quàm in publicis Romanæ Ecclesiæ legationibus fuerat, optimè noverant. Timebant enim, nè Vir vehementis ingenii, & *acris erga Deum Fidei*, strictiùs eos pro negligentiis suis quandoque discuteret, rationemque ab eis de gregibus sibi commissis arctiorem exquireret. Hi communi consilio Cæsarem adorti, ipsi Hildebrandum maximè cavendum esse, suggerebant, persuadereque ei conabantur, vt nulla ratione ejus electioni assentiret.*

1813 His commotus Imperator Comitem Eberhardũ Romam Legatum misit, vt diligenter inquireret, quomodo Pontifex creatus esset, quin illius creationem Imperatoris consensus præcessisset? Auditaque Romani Populi, & Pontificis satisfactione, Hildebrandum nempè, potiùs invitum, quàm volentem, subitò fuisse superiori impulsu ad Pontificium Thronum evectum, quin ei pro temporis angustiis, ac subitanea creatione licuisset, Imperatorem priùs certiorem reddere: *Vbi hoc Regi renũtiatũ est (scribit ONVPHRIVS) Divina voluntate res humanas ita dispo-

nente, ipse Imperator libenter hanc satisfactionem suscepit demque Episcopis, qui vera prædicere videbantur, futuraque, vt præterita cognoscebant, minimè acquiescendum duxit; *Gregorium, asserens, esse Virum Sanctum, & tanto Sacerdotio Dignissimum*, atque numquam beneficii ab se accepti oblitum, statimque vt consecraretur lętissimo suffragio rescripsit, & Gregorium, Episcopum Vercellensem, Italici Regni Cancellarium, ad Vrbem transmisit, qui Imperatoris Authoritate electionem ipsam ratam faceret, & ejus consecrationi interesset.*

1814 CAROLVS SIGONIVS *de Regno Italiæ, lib. 9.* de Hildebrando, seu Gregorio VII. agens, *ad annum* 1072. hęc, inter alia, scribit: *Quæ dum aguntur, nuntius est allatus, Hildebrandum Romæ Pontificem declaratum, hominem, vt norant omnes, cùm ingenii vehementis, tùm præstantis erga Ecclesiam pietatis. Insigni ejus severitate, ac perpetua in emendanda Ecclesiæ disciplina constantia, Episcopi Germaniæ territi, acriorem statim præsentis vitæ correctionem, tristioremque morum animadversionem extimuerunt; atque ob id Regem adeuntes monuerunt, vt Comitia ejus antiquaret; alioquin totam ejus Pontificatus vim in se vnum brevi redundantem expectaret.* Hæc, aliaque plura in hujus Pontificis laudem ex antiquitatis monumentis deprompta, apud ipsum videri possunt.

1815 IOANNES, Lugdunensis Antistes, *Epist. ad Ivonem Carnotensem*, (quæ est 239. inter Ivonianas) pro Gregorio apertè stat, dicens: *Nũquid inculas Gregorium VII. qui Regem Henricum ob sua scelera damnavit? &c.*

1816 In egregiam Gregorii Pontificis Gloriam cedit HENRICI REGIS *Epistola*, quæ extat inter Gregorianas *lib. 1. Epist. ad ipsum Gregorium* directa, cujus titulus sic se habet: *Vigilantissimo, & desideratissimo Domno Papæ Gregorio, Apostolica Dignitate cœlitùs insignito, Henricus, Romanorum Dei gratia Rex, debiti famulatus fidelissimam exhibitionem.*

1817 HVGO, Monachus Cluniacensis, *in Vita S. Hugonis Abbatis*: *Hildebrandus, inquit, Romanę Ecclesię Diaconus, Apostolicæ Sedis Pontifex Gregorius VII. mox futurus, Galliarum legatione susceptа, Cluniacum venerat. Hic quadam die sedens in Capitulo cum B. Hugone fratrum negligentias pietatis gladio corrigente, aspexit Dominum IESVM præsentem, prædicto Patri assidentem, eique de singulis, quid agere deberet, suggerentem. Itaque Hildebrandus Sancti Viri merita prędicans, in famulo Dominum collaudabat.*

1818 SIGEBERTVS GEMBLACENSIS, tametsi vnus è præcipuis Henrici factionariis, Gregoriique insectatoribus, *in Chronic. ad annum* 1086. hæc in Gregorii laudem exarat: *Anselmus, Lucensis Episcopus, Hildebrandi Papæ cooperator indefessus, apud Mantuam exulans moritur, qui in Ieremiam, & in Psalmos tractatum edidit, & doctrinam Hildebrandi libro luculento confirmavit. Cujus sanctitas miraculis declarata est.*

1819 GVILLELMVS HISTORICVS apud VINCENTIVM BELLOVACENSEM *in Specul. Historiali, lib. 25. cap. 44.* *Hic, inquit, Hildebrandus, vt audivi à quodam, qui hoc audierat, referre Abbatem Cluniacensem Hugonem, cogitationes aliorum prophetico mentis intuitu nuntiabat, quem ideo Papa Alexander Cancellarium Apostolicorum præfecerat, pro cujus Officii intuitu Hildebrandus, tamquam Cancellarius circuibat Provincias, vt perperam acta corrigeret. Hugonis, Abbatis Cluniacensis, intimas cogitationes vidit, pestem futuram prædixit, &.*

1820 MARCVS ANTONIVS SABELLICVS *Ænead. 9. lib. 3.* hæc, inter alia, tradit: *Nullus Romanorum Pontificum tàm vastis fortunæ fluctibus est vmquam jactatus; nullus tàm constans fuit in adversis, quod providentia factum videri possit, vt memorabili spectaculo, fortuna, & virtus in vno componerentur.*

1821 HVGO FLAVINIACENSIS: *Gregorius natus est in Vrbe Romana, parentibus Civibus Romanis, &, quod maximum est, Religiosis, adscribendus Civibus Curiæ Cœlestis, & ab ineunte ætate Ecclesiasticis mancipatus Officiis, pueritiam suam non sine certis, quæ eum illustrem futurum jam tunc signarent, documentis Religiosis comitatus personis excoluit. Adolescẽtia assumpto sanctitatis proposito inter mundi contẽptores, non sine magnis perfectionis indiciis, perdomuit. Juven-*

nentutem, nihilominus militiæ Christianæ dedicatam, sicut ætate ita sana doctrina, & firmamento veritatis roboratam, sub præclaris totius Christiani nominis tutoribus, & Præsulibus, publicis Sanctę Ecclesiæ mancipavit utilitatibus. Hic ob singularem excellêtis ingenii prærogativam à Nicolao Papa in Archidiaconatum Matris Ecclesiæ provectus, strenua, & laudabili hujus Officii administratione, in totius Orbis notitiam, & Religiosorum dilectionem brevi devenit.

1822 Decedente verô Papa Alexandro, ad summum Christiani regiminis culmen accitus & electus. Divinitate in electi sui exaltatione communem servorum suorum devotionem incitante, ad perferendum quod horrebat jugum, quodque semper quidem animi, aliquando autem corporis fuga declinaverat, mansuetum animal domino suo cervicem subdidit. Consecratus igitur in justitia, & sanctitate, miro modò assiduis votis pro se, & grege sibi commisso excubans, vrgente Pastoralis Officii necessitate, distorta perversorum corda ad rectitudinis lineam summa vi corrigere nitens, veritatem Dei absque personæ acceptione omnibus patefecit, nactus omnium bonorum dilectionem ob Zeli Dei fervorem, & justitiæ executionem. Sed quia nulla est societas lucis ad tenebras, perditorum hominum odium, & detractionem, imò persecutionem acerrimam incurrit. Regiam tamen viam, quam semel intraverat, inconcussus, immotus, per arma justitiæ, à dextris, & à sinistris fortiter incessit. Ac primò quidem Apostolica Authoritate veridicis Sanctorum Patrum animatus Sêtentiis, ad eliminandam Simoniacam Hæresim, & præcipiendam Clericorum Castitatem commissi sibi Officii debito vehementer exarsit.* Hæc ille.

1823 Nationis Gallicæ Illustrissimus, ac Eruditissimus Archiepiscopus Aquensis GENEBRARDVS *ad annum CHRISTI* 1073. de nostro Gregorio hæc memoranda refert: *Omnium bonorum consensu Pontifex creatus fuit. Formula electionis ejus extat *apud Platinam* (& apud alios fidedignissimos, quos suprà laudavimus:) Henricum IV. Imperatorem, multa in Ecclesia temerè molientem, omni priùs privarum Imperatoria administratione, Anathemate percutit, nec absolvit, donec depositio Regio ornatu, nudis pedibus, quamvis asperrima esset hiems, & gelu cuncta rigescerent, ad se veniret, petens veniam, & pollicens integram obedientiam, & emendationem. Vir dignus Pontificatu, ad deprimendum Politicorum supercilium. Monarchas terruit nominis sui, & Zeli claritate. Captivitatem Ecclesiæ, & servitutem, quam à Principibus patiebatur, restituit, vlulantibus Centuriatoribus. Cultor, & defensor justitię, & libertatis Ecclesiæ acerrimus. Miraculis coruscavit; Martinus Polonus: Signa, & prodigia per orationem faciebat; Lambertus Scafnaburgensis. Dono Prophetiæ præditus; Vincentius Gallus, *ex Guillelmo Histor. in Spec. lib. 25. cap. 44.* Semper in Ecclesiastico rigore constantissimus; Otho Frisingensis *lib. 6. cap. 32.* Inter omnes Romanos Pontifices, prȩcipui Zeli, & Authoritatis. *Ibid. cap. 36.* Consentiunt Gotfridus Viterbiensis *in Chron. part. 7.* Thrithemius *in Chron.* Nauclerus *gener. 37.* Crant. *in Metropol. lib. 5. cap. 20.* Sabell. *Ænead. 9. lib. 3.* Tyrius *lib. 1. cap. 13.* Denique Anselmus, Bernardus Corbeiensis, Marianus Scotus, Martinus Polonus, Blondus, Abbas Vrsperg. Soli Centuriatores reclamant.

1824 *Anno* 1079. Boleslaum II. cognomento *Ferum*, Polonorum Regem Regni titulo, & jure pellit. Cromerus *lib. 5.* Vndè Successor Vladislaus Regem se appellari non est passus, quòd inunctus, & coronatus solemniter Pontificis Interdicto non esset, quod obtinuit *vsque ad annum* 1295. *ibidem.* Laudatissimus, & Zelo singularis, verèque Apostolicus.

1825 Quarê audita Stanislai Episcopi nece, Boleslaum, Poloniȩ Regem, difficillimis alioqui temporibus excommunicat. Aulicos quosdam Henrici Imper. quorum consilio Sacerdotia, Pontificatus, Monasteria vendebantur, ac lupi, non Pastores præficiebantur, repetundarum postulavit, & execratus est fulmine Apostolico: Henrico præcipiens, vt illos Aula, Prætorio, Curia exigeret. Postremò Henricum ipsum solemniter, misso per omnes ferè Orbis partes Anathemate, excommunicavit. Noluit enim pati, vt istius voluntas requireretur in eligendo Romano Pontifice. Item vt Episcopatus, Imperii terminis inclusos, Imperator pro suo arbitrio distribueret: nam quæ sunt Dei, Deo: Quid Principi politico cum re-

bus Ecclesiæ? Denique, vt maritos faceret Sacerdotes, vt vicissim Sacerdotes maritos, contra receptum Ecclesiæ morem? Adeò piam causam adjuvit Deus. Exorti enim motus Henricum ipsum perdiderunt, & Imperii superbiam valdè attriverũt, isto de Imperii gradu ignominiosissimè dejecto. Pontifex Proceres, & Populum Sacramento præstito sanctè solvit, & vt Rodulpho adhæreant sanctiùs imperat. Ejus enim est videre, nè quid detrimenti res Christiana à Principibus patiatur. An non Samuel Levita, Dei Authoritate Saulem Regem creavit, Davide deinde substituto, & inuncto? An non Elias Dei Spiritu Reges constituit, & abdicat, non modò in Israel, sed & in Syria? 3. *Reg.* 19.* Et id genus multa, quæ apud eumdem Genebrandum, loco supràlaudato videri possunt.

1826 Nec prætermitti possunt, quæ pergens addit: Henricum, videlicet, IU. Zelo ejus invidentem, conatum esse vi quendam in Sedem Apostolicam ipsius loco intrudere, falsa de illo, à quo justè fuerat excommunicatus, spargere indicto apud VVormatiam Concilio *anno* 1076. *Episcoporum* 24. ad quod supervenit quidam Apostata Hugo Blancus, propter mores improbos à Cardinalatu depositus, plenus minarum, deferens secum de vita, & institutione Papę Scenicis figmentis consimilem tragędiam, scilicet, vndè oriundus, quo pacto ab ineunte ætate conversatus, quam perverso ordine Sedem Apostolicam occupaverit, quæ ante Pontificatum, quæ post eum adeptum flagitia commiserit. TRITHEM *in Chronico Hirsaug.*

1827 Et *infrà*: *Vndè non modò vt Schismaticum, Hæreticum, & Simoniacum, sed etiam vt Nicolaitarum Hæresis æmulum, Vrbanus II. in Romana Synodo iterum excommunicavit. Trithem *in Chron. Hirsaug.* Primus inter omnes Imperatores Occidentis per Papam depositus, *ibidem.* Vult à se vocari, vel ordinari Pontifices, etiam Romanos. Hinc illæ graves, & pernicioſæ turbæ, inter eum, & Ecclesiam, quæ integrum sęculum duraruntur. Introducere conatur Sacerdotum conjugia, & maritos Episcopos designat: Lambertus. Cui, quia se sanctissimè opposuit Gregorius, à Magdeburgensibus *Centur.* 11. *cap.* 7. *p.* 382. traducitur, quasi primus publico Edicto Sacerdotibus conjugia interdixerit, & Populum eorum sacrificiis interesse, aut illos pro Sacerdotibus habere vetuerit; quasi etiam, vsque ad hoc tempus Sacerdotibus integrum fuerit vxores ducere. Quod falsissimum docet Spencęus *lib.* 1. *de Continentia*, *præsertim* 12. *cap.* è signatis Antiquissimorum Pontificum, Patrum, Canonum, Conciliorum, historiarum tabulis. Et Lambertus, qui hac scribebat tempestate: Clericis (inquit de hoc Pontifice) illicita, & contra scita Canonum contracta conjugia prohibebat, contradicentibus Regis Henrici fautoribus, & Clericis. Hinc Henriciana Hęresis apud Abbatem Vrspergẽsem, & Nauclerum *volumine* 2. *gener.* 36.* Hactenus Illustrissimus GENEBRARDVS, Zelantissimus Præsul Gallicanus.

1828 Adest jam tempus, vt Eruditissimum, & in Ecclesiastica historia versatissimum Cardinalem BARONIVM audiamus, qui *ad annum* 1073. accuratissimè pertractans Gregorii VII. res gestas, magno Dei Zelo, & Apostolicæ Sedis præditus, stat semper pro veritate, & pro Gregorio. Antequam enim ad electionem Successoris Alexandri, orationem convertat: *Aliqua, inquit, *num.* 13. prędanda sunt nobis, necessitate cogente. Accidit siquidem temporibus nostris, vigente Hæresi Politicorum, Principibus omnia tribuentium, & sacra quæque eisdem nefariè subjicientium, aliisque Novatoribus, & perversoribus, implacabili odio in Romanos Pontifices exurgentibus, eosdemque obstinato animo perurgentibus, vt (quod nefas est dictu) in odium ejusdem Gregorii, legitimè electi, atque confirmati Pontificis, etiam consensu adhibito Imperatoris, Schismatico Pseudo-Papæ faventes, quæ ab ejus sectatoribus Schismaticis perversoribus tunc facta, dicta, vel scripta potuerunt reperiri, eadem cudendo in sui ipsorum opprobrium, & turpitudinem, ex abditis, vbi sepulta, in lucem ediderint; quò enim quæque deformiora esse noscuntur, eò magis acutè intuentium fugiunt obtutus, amantque tenebras, abditosque recessus.

1829 Duo namque cusa nuper Francofurti horum Scriptorum genera reperiuntur, quorum altero Author (quisquis ipse fuerit, nomen non prodidit, quòd qui malè agit odit lucem) prosequutus est res gestas Henrici IV. Regis, III. verò Imperatoris, hostis infensissimi ipsius Gre-

go-

gorii ; altero autem Benno Cardinalis Schismaticus, perfricta fronte, jam nesciens erubescere, sicut Sodoma suum peccatum prędicans, prolcidit calumniis, & contumeliis vitã ipsius Gregorii Papæ VII. potiùs quàm scripsit. Si inimico credendum, sic scripserit Caiphas vitam CHRISTI.

1830 Quod autem ad dictam Henrici vitam spectat, dicendus est Author non Henrici vitam candore historico prosecutus, sed pro Henrico Apologiam texuisse, atque Encomium consignasse. Posterior verò, (vt cuique intuenti videre est) non historiam scripsit, sed Satyram pro animi sui libertate composuit, affectuque privato, ac depravato libellum famosum finxit, ipse Schismaticorum Antesignanus, quem cum superiùs sæpè mendacii apertissimi arguerimus, in reliquis, quis adeò vecors fidem ei adhibendam esse putarit? At perditissimus homo, æquè funestissimum nactus est hominem (ita parem pari vsus cum natura conjungit) à quo, è cloaca sordium, jam oblivione sepultus, post tot sæcula efferatur in lucem, imò exponatur ostentui. Nos verò nihil penitus de Gregorio dicturi sumus, quod non horum temporum Scriptoribus potissimum comprobetur, quorum Authoritate omnes confutentur errores, mendacia convincantur, cum nihil à nobis indiscussum relinquatur, quod legendum Lectori proponitur, quem appello pium, cupio candidum, affectu quolibet privato exopto vacuum, atque, vt paucis dicam, veritatis tantùm amantem.*

1831 Et vt videantur fontes, è quibus res gestas Gregorii Cardinalis BARONIVS hausit, & ad quos pręcipuè recurrere debemus; vt eas perfectissimè sciamus, hæc subdit *ibi num.* 15. *Habet Vaticana Bibliotheca, res gestas Gregorii Papæ VII. seorsim scriptas ab Authore ejus temporis, quas Nicolaus Aragonius, in Commentario, quem de Romanis Pontificibus scripsit, incipiens à Leone IX. vt se habent, intexuit.* Aliosque gravissimos Authores laudat ipse Cardinalis, in prædicto Pontificatu Gregorii, fide dignissimos.

1832 Et quamvis nimis longum esset omnia, quæ pro Gregorio Pontifice refert, recensere, nihilominus omittti nequeunt singularia quędam, quę in illius laudem enarrat *Ad annum* 1075. refert ex LAMBERTO mirabilem S. Annonis, Coloniẽsis Episcopi, vitam, glorioſaque facta, & sic concludit *num.* 31. *Qui post longam ægrotationem, qua Dominus vas electionis suę, in camino tribulationis transitoriæ, purius auro, purgatius mũdo obrizo decoxerat, pridie nonas Decẽbris Beato fine perfunctus, ad Angelos ex hominibus, ad immortalia ex mortalibus transmigravit. Testantur hoc signa, & prodigia quæ quotidie circa Sepulcrum ejus Dominus ostendere dignatur, &c.*

1833 Et notandum admodum est præclarum istum Antistitem, singularis sanctitatis gloria conspicuum, se se acerrimum Gregorii Pontificis defensorem exhibuisse, prout testatur ipse BARONIVS *num.* 32. dicens: *Porrò, inter insignes tanti Pontificis laudum, titulos, ille præ cæteris eminet, quòd inter discordias obortas inter Henricum Regem, atque Romanum Pontificem Gregorium, semper adversus Regem pro Romano Pontifice stetit, vt Marianus affirmat, & quę dicta sunt superiùs docent.*

1834 Inter singulares nostri Gregorii Põtificis virtutes maximè enituit fervẽtissimus illius Zelus, eximiaque fortitudo in extirpandis vitiis, præcipuè in gravissimo illo Simonię, & publicæ Ecclesiasticarum Dignitatum venditionis scelere, quod Ecclesiam ingenti mærore afficiebat, penitus exterminando; quo potentissimorum inimicorum, non modò Secularium Principum, sed etiam Ecclesiasticorum, & maximè Henrici Regis, istiusque sequacium, odium in se concitavit, vt rectè expendit ipse BARONIVS *ad annum* 1077. his verbis: *Quo tempore tot ipse (scilicet Gregorius) vallabatur, ex Henriciana prævaricatione turbinibus, & præmebatur angustiis in prohibendis laicalibus investituris Regum, & aliorum Principum, aggreditur constanti animo, invictoque, ac planè Sacerdotali robore controversiam, cujus causa, licet sciret omnes se passurum Christianos Principes adversarios, haud tamen cessit tempori, concessitque rerum Ecclesiæ statui perturbato, quæ ista in aliud potiùs differenda esse tempus poterant suadere, sed celso animo, invicto pectore, cedere nescio, rem agreditur perdifficilem, ac planè humanis viribus insuperabilem. Quis enim Principum Christianorum ea dimitteret, quæ à parentibus, avis, ac proavis sibi Jure quasi hęreditario transmissa essent? Quæ quidem,*

licet injusta, toleranda tamē sunt visa Prædecessoribus Pontificibus, quamdiù iidem Principes non mercimonio ista tractarent.

1835 Vbi verò semel irrepsit sacrilega nundinatio, cum à Principibus Episcopatus, Abbatiæ, & alia Ecclesiastica Beneficia, & Dignitates venales factæ, auctione distrahi caperunt, nec tot Conciliis à tempore Papæ Leonis IX. & Successorum Pontificum in id incumbentium destrui potuit vllo pacto Simoniaca ista Ecclesiasticarum rerum collatio, visum est, vt quæ semel, ac iterum, atque iterum Apostolica falce succisa, ampliori germine pullularet, ejus jam convellendas esse radices, nempè vt omnis laicalis prohiberetur investitura. Gregorius igitur Papa divinitùs inspiratus, & confortatus Divinæ Gratiæ robore, nè novæ rei videri posset inventor, Adriani Papę Decretum, Octavæ Synodi œcumenicæ (*Can.* 22.) Authoritate communitum, in medium protulit, quod suo loco legisse meminerit.*

1836 Nec minorem fortitudinem, & Ecclesiæ, istiusque boni Zelum demonstravit in Anathemate, quod in Henrici Regis, istiusque sequacium scelera promulgavit in Romana Synodo, in qua Henricum Regem, omnesque, qui perpetrati sceleris fuissent Authores Anathematis fulmine perculit, & ad omnes CHRISTI Fideles Litteras dedit, in quibus Excommunicationis Sententiam in prædictos latam adjunxit, quæ habentur *in Regesto Gregorii, lib. 3. Epist. 6.* & apud BARONIVM *anno* 1076. *num.* 23. Ipse Baronius loco citato *num.* 25. tradit Henrici Regis depositionem à Gregorio Pontifice, justissimis adducto momentis, ibi relatis, factam.

1837 Nec silentio prætereunda sunt, quæ pro nostro Gregorio contra Schismaticum Cardinalem Bennonem scripsit ipse Baronius *num.* 27. dicens: *Ex his Benno ille Pseudo-Cardinalis, Schismaticorum patronus, quò minus rationibus vti posset, cò magis ad calumnias se convertēs, ipso suę Epistolę initio incipit declamare, cōtra Jus, falsque damnatum Regem, quē mentitur Papæ obedientem, nec debuisse absentem vllatenus condemnari. At licet absens fuerit, confessus tamen, imò professus per Litteras fuit errata sua, quas Romam ad Pontificem misit recitandas in Synodo: cum alioqui in Henricum ipsum ista potuerint retorqueri, qui absentem Pontificem, nec vocatum, ausus fuerit condemnare. Quanta verò miscuerit ille mendacia, Scriptorum omnium ejus temporis, & Actionum testificatione convincitur.*

1838 Laudanda certè, imò & admiranda est singularis Dei Providentia, quæ à Gregorio Pontifice stetit; *eodem* siquidem *anno* quo Henricus Rex se schismate ab Ecclesia separavit, eidem, Gregorioque Pontifici Barbarus Dalmatiæ, & Croatiæ Rex se se subjecit; vt testatur ipse BARONIUS *ad annum* 1076. *num.* 65. sic scribens; *Cui à Deo datum est, vt evellat, & dissipet. (*Ierem.* 1.) pariter concessum est, vt plantet, & ædificet. Quam obrem idem Gregorius Papa, qui, vt vidisti, Henricum Regem Regno privavit, ejus impietate id ab invito scilicet extorquente, pietate exigente, Ducem Croatiæ, atque Dalmatiæ in Regem evexit. Admiratione planè digna res accidit, vt quo anno Henricus Rex se schismate ab Ecclesia separavit, Rex Barbarus eidem se conjunxerit, subditumque constituerit, fidelitatem juraverit, tributumque sponte spoponderit, magnam ex eo accessionem ad suam gloriam comparari existimans, si ex libero Principe efficiatur subditus S. Petro, ejusque diceretur esse Fidelis. Cujus tantæ rei conficiendæ gratia, Salonæ in Dalmatia Synodus habita est, cui & Sedis Apostolicæ Legatus interfuit, eidemque vti Vicario Papæ ista est facta promissio, atque ab eo ejusdem Pontificis jussu collata Regia Dignitas.* Quę, quidem descripta habentur *in Synodalibus Actis, asseruatis in Archivo Lateranensi*, quæ referuntur ab eodem BARONIO *vbi supra.*

1893 Nec est minus mirabile illud Mahometani Regis, quod eodem ipso tempore, quo Henricus Rex Catholicus, Ecclesiæ obsequentissimos ducebat captivos in schismate, Saracenus Rex in Gregorii obsequium, Fideles, quos captivos habebat, libertate donavit, vt eruditissimè expendit ipse BARONIVS *ad citatum annum, num.* 69. his verbis: *Sed majoris planè est admirationis, quòd dum resilit filius Christianus, atque probris, & contumeliis patrem exagitat, eodem anno, cum ita status Romanæ Ecclesiæ Aquilonaribus ventis vrgentibus fluctuaret, Rex Arabs Saracenus, qui regnabat in Mauritania Sitifensi, confitens, cognoscensque Primatum Petri, & Romani Pontificis su-

per

per omnem Ecclesiæ Principatum, mittit Romam Presbyterum, Servandum nomine, ab eodem Papa Gregorio Episcopum ordinandum; honoratque eum suis Litteris, atque muneribus. Insuper & quos habebat captivos Christianos, solutos vinculis Romam misit, eo tempore, quo Rex Christianus (Henricus) divellebat ab eo filios liberos, & ducebat captivos in schismate.* Refert ibidem Baronius Gregorii Litteras, quas reddidit ad Arabum Regem, quibus & Benedictionē Apostolicam impertivit, qua indignum judicavit Schismaticum Regem.

1840 Sed nec silentio omittendus alius singularissimus eventus, qui eodem illo tempore contigit; siquidem illa tempestate, qua ab Ecclesiæ obedientia se se substraxit Henricus, ad eam Rogerius, Siciliæ Comes, humillimus rediit; & velut alter Paulus, ex Ecclesiæ persecutore, versus est in filium illius obsequentissimum, teste laudato BARONIO *ad annum* 1076. *num.* 73. *Sed nec prætermittendum, quod *hoc eodem anno eisdem fermè diebus*, quibus Gregorius istis præmeretur angustiis, cum discessio ab Apostolica Sede facta est ab Henrico, Germaniæ Rege, Rogerius Siciliæ Comes festinus accurrit, vt ab ipso Pontifice absolutionem meretetur accipere delictorū, atque ejus Benedictione fulciri, insuper & filius ejusdem Romanę Ecclesiæ nominari. Ad quem Gregorius rescribens, nihil remittens legum Ecclesiasticarum observantiæ, sic se recipere eum admonuit, si tamen non communicet cum Roberto, fratre ipsius excommunicato, ita significans Litteris datis ad Episcopum Acheruntinum.* Quæ Litteræ habentur ibi, *apud Baronium.*

1841 Verùm cum Henricus obstinatā sua inobedientia, Gregorii Pontificis præceptis contra investituras è manu laicā, aliaque in Apostolicam Sedem scelera, & Ecclesiæ jurium vsurpationem, obsisteret, non potens jam Pontifex tot, tantisque sceleribus cōnivere, compulsus fuit Anathema in Henricum Regem in Romana Synodo *anno* 1080. *Nonis Martii* celebrata, iterum promulgare. Non parum admirationis aliquibus attulit Pontificem Censionis Sacræ fulmina denuò contorsisse in Henricum, tunc temporis victoria ovantem. Corruerat enim in prælio Rodulphus à Pontifice Germaniæ Rex, Henrici loco creatus. Sed hoc admirandum non est, si altissima Dei judicia perpendantur, & diligenter consideretur, quàm parum possint confidere Impii temporalibus bonis, & fortunæ, si Dei, & Ecclesiæ indignationem in se suis sceleribus concitarint, juxta illud *IEREMIÆ* 12. *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum: verumtamen justa loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur, & benè est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt?* Cui interrogationi cumulatissimè satisfacit Regius Vates, Divino Spiritu illustratus, & vt præsentia futura prænoscens *Psal.* 72. hæc subdens. *Veruntamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos, dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? subitó defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* In improbis considerari debet, non initium, nec progressus, sed finis; si enim ad illorum principia mentis oculos convertamus, ea fortunatissima inveniemus juxtà illud ejusdem REGII VATIS *Psal.* 36. *Vidi impium exaltatum, & elevatum sicut cedros Libani.* At si in illorum finem oculorum aciem intendamus, eum infelicissimum agnoscemus, juxta illud ipsius DAVIDIS. *Transivi, & ecce non erat, quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.*

1842 Id clarissimè innotuit, in miserando Henrici Regis, post tantam victoriam, exitu, de quo Cardinalis BARONIVS *ad annum* 1080. *num.* 15. hæc memoratu digna scribit: *At quem dignè, justèque percelluit Excommunicatio, Henricum Regem, demum post victorias infæliciter consecutas (nihil enim infeliciùs felicitate peccantium) vltio divina prostravit. Qui enim patrem contempsit, Gregorium Papam, à filiis suis ipse despectus, atque Regno pulsus in exilio mori est coactus, infelix, privatusque Regno, decessit; quē Apostolicæ Sedis Sententia Regni abrogatione mulctavit: vt impleri Deus omninò voluerit, quòd Petri sublime Tribunal immobile permanens in impium statuisset, & perspicuè apparuit, quem Petri Successor pari potestate ligasset in terris, ex præcepto Divinæ promissionis Deum in Cœlis pariter alligasse. Sed sera esse consuevit executio Divinę Sententiæ (*dissimulat *Deus peccata hominum propter pœnitentiam*, *Sap.* 11.) Sicut in Saul, qui, simul ac deliquit, Sententiam Regni privationis ac-

ce-

cepit, dicente per Samuelem Domino 1. *Reg.* 15. *Sciait Dominus Regnum Israel á te hodie, & tradidit illud proximo tuo, meliori te.* Sed executio sera. Non enim Regnum David accepit, nisi post obitum Saulis: Sed & in Henrico tarditatem gravitate cõpensasse Deũ apparet, dũ filios in patrem statuit esse carnifices, acerbissimos suæ Sententiæ executores. Hoc namque concipitur *anno* ejus filius Henricus V. qui patrem Regno pulsum exulem mori coëgit. Ita *in Auctario ad Lambertum*, Sed de his inferiùs suo loco.*

1843 Notandum etiam admodum est, quòd dum Henricus Rex, istiusque sequaces à Gregorii Pontificis obedientia in Brixiensi Concilia bulo discesserunt, eique se hostiliter opposuere, Robertus Guiscardus, Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ Princeps, apertissimus Pontificis, & Ecclesiæ hostis, & istius bonorum invasor, eidem Gregorio se penitus subijecerit, eique debitum obsequium, obedientiamque præstiterit; vt rectè expendit ipse BARONIVS *ad annum* 1080. *num.* 35. sic scribens: *Observa, quæso, magnam Dei Providentiam in Sancta Romana Ecclesia gubernanda. Cũ enim *septimo Kal. Iul.* sacrilegum illud Decretum de Gregorii Papæ abrogatione in Conventiculo illo Brixiensi, seu Brixinonensi editum esset, post triduum, nempè 3. *Kal. Iulii* Robertus ille Guiscardus, quẽ hactenus audisti hostẽ implacabilẽ Romanæ Ecclesiæ, & invasorem bonorum ejus, ob idque sæpè ab eodem Pontifice in Conciliis Romæ habitis excommunicatum, sponte veniens, se eidem Gregorio Papæ subjecit, & vniversæ Romanæ Ecclesiæ defensorem fideliſſimum exhibens, præstitit eidem juramentum fidelitatis, verbis istis, secundum formulas consuetas, (quæ habentur *lib.* 8. *Regest. Greg. post primam Epistolam, & apud Baronium ibi*:) Ego Robertus, Dei gratia, & S. Petri, Appuliæ, & Calabriæ, & Siciliæ Dux, ab hac hora, & deinceps ero Fidelis Sanctę Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi, & tibi Domino meo Gregorio, Vniversali Papæ, &c.*

1844 Memoratu etiam digna valde est infracta constantia, præclaraque spiritus fortitudo, qua Deus Sanctissimum Gregorium Pontificem insignivit; cum enim ob Imperatoris Henrici, Antipapæ, istiusque sequacium tyrannidem, & feritatem, qua eum Romæ infectabantur, compulsus fuisset, Vrbem illam relinquere, & ab ea discedere, juxta illud CHRISTI ad Discipulos. *Si vos persequuntur in vna Civitate, fugite in aliam*; nihil de sua constantia, fortitudineque remisit, imò illam monstravit, Imperatorẽ; illiusque sequaces Anathematis vinculo iterum innodãdo; vt testatur BERTHOLDVS, Coętaneus Author, *anno* 1084. loquens enim de Gregorio, antequam tartareas furias, quæ eum persequebantur, fugeret, hęc enarrat: *Dominus autem Papa, cõllecta Synodo, iterum Sententiam Anathematis in Guibertum Hæresiarcham, & Henricum, & omnes eorum fautores promulgavit, quod & in festo S. Ioannis Baptistę præterito jam dudum Romæ fecit, cum Henricus adhuc ibi moraretur. Hanc Sententiam Legati Sedis Apostolicę, videlicet, Petrus, Albanensis Episcopus, in Francia, Otho, Ostiensis Episcopus, in terra Theutonicorum, vsquequaque divulgarunt.* Hæc ille, quod cum pergisset Gregorius, Roma exiit, & in Cassinum secessit.

1845 At quãvis multũ posset consternari, quòd se humanis Viribus, ad tantæ tyrannidi, & oppressioni obsistendum, destitutum agnosceret, nihilominus, vt magna illius æquitas innotesceret, & manifestè constaret, pro illo stare Deum, qui est summa virtus, & fortitudo juxta illud. *Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Si cõsistant adversum me castra, nõ timebit cor meũ*, voluit Deus Gregorio Pontifici in tanto conflictu suam ostendere assistentiam, vt paret ex mirabili illa visione, quam LEO OSTIENSIS *lib.* 3. *cap.* 53. hisce verbis enarrat:

1876 *Factum est, cũ idem Papa Gregorius Missarũ solẽnia celebraret, Vir quidã, Joãnes nomine, juxta Altaris crepidinem immobilis perstitit. Cumque in Altare deflexisset obtutus, subitò in ex statim raptus, niveo candore columbam, cujus erat aureum guttur, suprà eamdem aram adstare conspexit, quæ indè leviter advolans, ac super dextrum Pontificis humerum recubans, alii protinus expansis, vtrumque protexit, ac tamdiu sic perstitit, quovsque comixtio Dominici Corporis, & Sanguinis in Calice fieret. Iterũque se in dexterũ humerũ colligens, indè ad Altare descendit; caput blandè super Hostiam flectens, viro illo, quid hæc sibi vellent, non intelligente, cum volatu præpeti, pleno rostro remea-*

vit

vit ad Cœlum. Post hæc homo ille in se rediens, nulla penitus hujus rei vestigia memoriâ tenuit. Nocte verò subsequente, cum se somno dedisset, Vir quidã illustrior Sole, minaci vultu, in medio suæ domus hospitio eidem apparuit. Quo ille viso de stratu exiliens terrore correptus, fugam tentat arripere. Vir autem ille porrecta manu continuit brachium ejus, suaviter tenens: Cum autem ejus manus nequiret effugere, ac si victus, stetit invitus: at in ejus mox auxilium quidam nivea canicie aspersus, indutusque stola candida adfuit, ejusque mœrorem consolans, de manu se tenentis, eripuit. Quẽ ille quisnã hic esset tãtę claritatis vir, quæsivit intrepidus. Hic (inquit) est Justitiæ Sol. Et ille: Nomẽ quoque, ait, tuũ inquirenti similiter pande. Nequaquã (ait ille) scire te oportet nomen meũ, sed mihi ad interrogata responde: Putas nè, recolis, quid heri, dũ in Ecclesia stares, vidisti? Ille, cujus animum occuparat oblivio, cępit intra se voluere quidnam esset, quod ab eo senior quæreret, subitòque reminiscens, cuncta sibi quæ viderat, ex ordine retulit. Et ille: Vade, inquit, celeriter, & hoc ipsum auribus Papæ intimato, vt constanter vigore Sancti Spiritus, quod cępit exequatur. His dictis ab oculis ejus elabitur. *

1847 Mirabilem hanc visionem mirificè expendit, & exponit BARONIVS *loco supra laudato*, *num.* 12. dicens: *At quid Columbæ visio in Pontifice, nisi Spiritus Sancti eum instinctu regi, ac gubernari? Quid insuper illud, quod eidem enunciari mandatur, vt vigore S. Spiritus, quod cœpit exequatur, nisi manifestum divino oraculo reddi, quæ ab eo hactenus gesta essent, ejusdem S. Spiritus opere benè facta probari? Quam ista oportuno tempore sint mortalibus divino consilio declarata, cum non apud Schismaticos tantùm, verùm apud Catholicos, tunc viventes, & qui postea futuri essent, ejusdem Pontificis fama in suspicionem nimiæ austeritatis adduceretur, periclitareturque proscissum calumnijs tanti Pontificis nomen? De quo adversus obloquentes, ac detrahentes, illud Apostolicum pro defensione liceat vsurpare: *Quis stabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet?* (*Ad Rom.* 8.) Vt quòd divino calculo rectè factum probari posset, non auderet humana temeritas sugillare, vt sic ora loquentium mendacium obstruerentur, qui ipsum Gregorium in fine, obitus tempore, pœnituisse facti, mentiti sunt in suo ipsorum Conciliabulo, Guibertini, ex quo Sigebertus, qui enarrat de Gregorij pœnitentia, noscitur descripsisse. Quomodo ergo, potuerunt ipsi displicuisse, quæ adversus Schismaticos gesserat, & pœnituisse laboris, atque bene functi certaminis, qui (vt vidisti) divinitùs monitus fuerat, vt constanter quæ vigore Spiritus Sancti cęperat, facere perget. Gregorius autem ex Cassinensi Cœnobio recedens, Salernum se contulit, vbi permansit vsque ad obitũ.* Hæc ille.

1848 Non solùm Gregorio vivo, & in majorum laborum, ac persequutionum turbine constituto, adstitit omnipotentis Dei virtus, sed ei etiam, vita functo, Constantiæ, & Apostolici Zeli virtutem communicavit, ejus labores glorioso exitu finiens, & post mortem glorioſiori prẹmio cumulans, innumerabilibus miraculis illius intercessione patratis. Audiamus jam quid in hujus veritatis confirmationem asserat BARONIVS *ad annum* 1085. *num.* 11. **Eodem* quoque *anno*, forte licet longè diversa, (*pretiosa enim in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, mors autem peccatorum pessima*:) Gregorius Papa Salerni consistens; quò ad dedicandam S. Matthæi Apostoli Ecclesiam convenerat, *vigesima quarta mensis Maij*, ex hac vita migravit, qui in album Sanctorum relatus, anniversaria memoria in Ecclesia nomine celebri perseverat. Confutatis autem *anno superiori*, quæ de ejus pœnitentia in Synodo postea finxere Schismatici, & Sigebertus scripsit, jam ea, quæ de ipso inveniuntur, ab ejus temporis Scriptoribus enarrata, in medium afferimus. Ipsum quidem cum sermonem habuisset ad Populum, infirmitate corporis affectum in lecto decubuisse, Bibliothecarius testatur; præscientem verò, se morbo interiturum, in ea erupisse verba: *Dilexi justitiam, & odi iniquitatem; propterea morior in exilio.* Otho Frisingensis affirmat. Cui meritò concinendum sit illud Propheticum carmen: *Dicite justo, quoniam benè.**

1849 De fœlici nostri Gregorii obitu, ac prodigiis, quæ illius interventu Deus operatus est, præclarum nobis exhibet Testimonium eruditissimus BARONIVS *ad eumdem annum*, *num.* 13. sic

scribens: *Porrò eumdem Gregorium, sicut in vita, ita post mortem claruisse miraculis, Bibliothecarius ejus temporis absque vlla dubitatione confirmat. Sanè quidem, sicut semicinctia Pauli, ejusque sudaria, ad pellendos lãguores, dæmonesque fugandos vsu fuisse Fidelibus, Acta testantur, (*cap.* 19.) ita Gregorii indumentis eamdem à Deo inditam fuisse virtutem, vel ex his poteris intelligere, quæ ab Authore ejus temporis *in Vita S. Anselmi, Lucensis Episcopi*, ita describuntur: Ille (nempè Gregorius) Mitram capitis sui transmisit isti (Anselmo videlicet), tamquam potestatem suam ligandi, & solvendi, sed & miracula faciendi, &c. (Et *infrà*:) Beatus itaque talis, & tantus Magister Gregorius miracula fecit multa vivus, & mortuus; fecit quidem, & bonus Discipulus ejus Anselmus, &c. Quæ quidem (pergit Baronius) si ex ejus indumentis adeò copiosè emanarunt, vt ex his, quæ jam sunt enarrata est demonstratum; proculdubio copiosior fons miraculorum ex ejus corporis venerandis Reliquiis, ea patentibus cunctis erupit, in loco, vbi sepultus fuit, in Basilica S. Matthæi, cujus studiosissimus erat. Excepit Apostolus Apostolicum in terris hospitem, quem in cœlis habuit quoque concivem, & amplissima CHRISTI hereditate consortem.*

1850 Cardinalis quoque BELLARMINVS sese acerrimum innocentiæ, & Fidei puritatis, quibus effulsit Gregorius, præstitit defensorem; siquidem, *de Roman. Pontif. lib.* 4. *cap.* 14. illum ab omnibus in specie calumniis, quas ei, tàm Pseudo-Cardinalis Benno, quàm cæteri Schismatici, Henrici Sectarii, & Hæretici Centuriatores sacrilegè adscripserunt, solita eruditione vendicat, & tuetur: vnde sic concludit: *Habemus igitur innocentiam Gregorii probatam tripliciter, testimonio Scriptorum, testimonio adversarii morientis, & testimonio Dei à Pontifice invocati. (Et *infrà*:) Placet nunc Catalogum scribere eorum Authorum, qui de Gregorio VII. honorificè scripserunt. Primùm igitur ipsius Gregorii ætate Leo (Cardinalis, & Episcopus Ostiensis) *circà annum* 1080. *in lib.* 3. *Histor. Casinen.* multa de Sanctitate hujus Gregorii, in quibus etiam sunt cœlestes revelationes, & visiones probatissimorum servorum Dei. Eodem tempore de Gregorio, vt Sancto Pontifice scripsit Marianus Scotus *lib.* 3. *Chron. ab anno* 1075. *vsque ad annum* 1083. Item Lambertus Scafnaburgensis; S. Anselmus Cantuariensis; S. Anselmus Lucensis, Stephanus Halberstatensis; Bernardus Corbejensis; Guithmundus; denique Paulus Benriedensis, & Gerochus Reichespergensis. Hi igitur decem Sancti, & docti Scriptores viventem Gregorium defendebant: solus extat ex Scriptoribus illius ætatis Benno Pseudo Cardinalis, qui accusat.

1851 Deindè *circa annum* 1100. Sigebertus *in Chronico*, etiam si Henrico Imperatori faveret, (vt *suprà* diximus) nullum tamen crimen Gregorio adscribere ausus est, eorum, quę Benno, & Centuriatores referunt. Porrò idem Sigebertus ibidem non tacet, pro Gregorio scripsisse Anselmum Lucensem; & hujus Anselmi Sanctitatem à Deo signis, & prodigiis demonstratam esse. Quod certè ad magnam Gregorii laudem pertinet. Nondiu postea Gratianus *circà annum* 1150. decretum Gregorii retulit 15. *quæst. 6. Can. Nos Sanctorum*, & pro Gregorio nostro egregiè scripsit Otho Frisingensis, & genere, & eruditione, & vitæ probitate nobilissimus *lib.* 6. *Histor.* Dodechinus *in additione ad Marianum Scotum*, apertissimè Gregorium laudat, & Henricum vituperat; Vincentius Bellovacensis *circa annum* 1250. *in Spec. Histor. lib.* 25. *cap.* 44. miraculis, & dono Prophetiæ Gregorium VII. claruisse testatur; & eumdem cum honore citat S. Thomas. Martinus Polonus, Joannes Villanus, Blondus, Matthæus Palmerius *in Chronico*; Thomas VValdensis, S. Antoninus, Platina, Æneas Sylvius *in Compendio Blondi*; Joannes Trithemius *in Chronico*; Joannes Nauclerus *ibi*; Albertus Crantzius *in Metrop.* Sabellicus *in Æneade nona*, *lib.* 3. Volaterranus *lib.* 22. *Anthropologiæ*, res gestas Gregorij, vt planè Sanctissimi Viri descripserunt. Qui sunt Authores triginta duo, quos vni Bennoni ad retũdendam Centuriatorum, & Tilmanni impudentiam opponimus, necnon ad coarguendum Tilmanni mendacium, qui scribere ausus est, Gregorii VII. flagitia prodita esse in lucem à Monachis, & adulatoribus Papæ, cum nos contra ostenderimus, Gregorium ab omnibus laudari.* Hactenùs Bellarminus.

1852 ALPHONSUS CIACONIUS *in Gregorio VII.* hæc, in illius lau-

laudem, enarrat: *Tertia post Alexandri sepulturam die, Clerus, Populusque subrogando Pontifici in Æde B. Petri ad Vincula convocatus, atque subitò consentientibus omnium animis, Hiltprandus Archidiaconus sedere in Sede Petri, vt dignissimus omnium, jussus. Hinc Nuntius in Germaniam allatus Hiltprandum Pontificem Romę declaratum, hominem, vt norunt omnes, cùm ingenii vehementis, tùm præstantis erga Ecclesiam pietatis. Insigni ejus severitate, ac perpetua in emendanda Ecclesiæ disciplina constantia, Episcopi Germaniæ territi, acriorē statim præsentis vitę correctionem, justioremque in pravos mores animadversionem extimuerunt, atque ob id Regem adeuntes, monuerunt, vt Comitia ejus antiquaret, alioquin totam ejus Pontificatus vim in se vnū brevi redundantem expectaret. (Et *infra*:) Multa Decreta ad Fidei Christianę augmentum, & Clericorum mores integros continendos edita, & in sequentis anni 6. Concilio confirmata, vbi tertiò Anathema in Archiepiscopum Ravennatem Guibertum ob superbiam, & rebellionem, quod ad Concilium vocatus accedere recusasset, renovavit, eique nè Episcopali, & Sacerdotali munere fungeretur, jure interdixit.*

1853 Ipse CIACONIVS: *Anno, inquit, *Dominicæ Nativitatis* 1085. 8. *Kalendas Iunii*, *die Dominico* Papa Gregorius VII. libertatis Ecclesiasticæ defensor acerrimus & indefessus, Salerni in Campania, quò se, furorem Henrici IV. declinans, receperat, post diuturnas contentiones, quas propter constituendam Ecclesiam passus erat, gravi morbo implicitus est, atque ita expiravit. (Et *infra*:) Robertus Guischardus Regulus Gregorium VII. profugum ab Henrico Romanorum Rege, qui illum insectabatur ob libertatem Ecclesiæ tuendam, Salerni excepit, & ibi vita functum, sepulchro marmoreo honoravit.*

1854 Tandem concludit: *Fuit Gregorius VII. Vir certè Deo gratus, prudens, justus, clemens, Pauperum, pupillorum, viduarum Patronus, vnicus Ecclesiæ Romanæ fortissimus, & acerrimus defensor, contra Hæreticorum improbitatem, malorum Principum potentiam, res Ecclesiasticas per vim occupare conantium; hujus Gregorii, Viri celeberrimi, & maximè memorabilis Vitam quinque libris conscripsit Onuphrius Panvinius, vt ipse testatur. Hunc maximum Pontificē totius Ecclesiæ libertatis vnicum assertorem fuisse constat, qui quamvis Vir Sanctissimus esset, vt ab infinitis pęnè suorum temporum Scriptoribus traditur, tamen nec ipse ineptissimam vulgarium hominum opinionem effugere potuit, ab aliis enim Necromanticus; ab aliis Simoniacus, (à qua labe suprà omnes alienus fuit,) ab aliis Sanguinarius, & similibus nominibus appellatur. Quæ omnia in gratiam Imperatoris, quocum maximas inimicitias, ob libertatem Ecclesiasticam, quę ejus tyrannide premebatur, recuperandam gesserat, conficta fuerunt.* Hæc ille.

1855 Nec possunt hic præteriri silentio prodigia, quæ ANDREAS VICTORELLVS *in Additionibus ad Ciaconium*, ex Benriedensis narratione refert, accidisse ipsa Nativitatis nocte, in tumultu ab Henrici factionariis contra Gregorium Pontificem concitato. Illius verba audiamus: *Gregorius VII. nocte Natalem Domini prędecedente, ad Ecclesiam, quæ ob tantarum devotionum merita, major vocata est, cum parvo Clericorum, & Laicorum numero properavit; nàm mos Vrbis fuerat semper in tantæ solemnitatis excellentia omnes ad eamdem Ecclesiam cōfluere, totamque illam noctem Hymnis, & laudibus intentos pervigilem ducere. Ea nocte Gregorius cum in Præsepio primam Missam cantaret, & tam ipse, quàm Clerus Eucharistiam suscepisset, irruentes conjurati evaginatis gladiis Pontificem renuerunt, nondum peracta Missa, & violentis manibus abstraxerunt cędentes, & percutientes. Quidam ex eis gladio caput illius abscindere voluit; sed, Deo volente, non potuit, vulnere tamen gravi affecit in fronte; sed hic sacrilegus, ante ejusdem Ecclesiæ atrium á dæmone arreptus, diu volutatus est spumans, equusque ejus fugiens nequaquam vlterius invētus est. (Et *inf. i.*) In turri quadam Capitolii, tamquam in carcere detinebatur, Populus innumerus occurrit, & Pontificem liberavit. Dux sceleris supplex à Gregorio veniam petiit, & obtinuit, injuncta pœnitentia Jerosolymam adeundi; quod se facturum recepit, at non fecit, & subita morte periit. Pontifex Missam, quam nocte, ministris diaboli præpedientibus, finire non potuerat, hora ipsa complevit (statim scilicet liberatus dę

Natalis Domine. Idem Paulus Bentiedensis *in Commentario de rebus gestis Gregorii* tradit postrema Gregorii morientis verba fuisse : *Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Cui Venerabilis quidam Episcopus respondisse fertur : Non potes Domine in exilio mori ; quia in Vice-CHRISTI, & Apostolorum ejus, divinitùs accepisti gentes, hæreditatem, possessionem terminos terræ. Coruscavit miraculis Gregorius, dono Prophetiæ præditus fuit, inter Romanos Pontifices præcipui Zeli, & Authoritatis primus, à quo Occidentalis Imperator dejectus. Genebrardus loco citato : Claruit sanctitate Gregorius VII. in Martyrologio Romano Benedictino appellatur *Divus, die* 25. *Maii.** Hæc ex Andrea Victore.

1856 Nostri Gregorii Sanctitatem præclarè commendant, quæ de propheticò illius Spiritu, & Spiritus Sancti gratia, quæ in eo habitabat, refert S. HVGO, Cluniacensis Abbas ; tanta enim fuit hęc S. Spiritus in eo commorantis gratia, vt videatur Gregorius ejusdem S. Spiritus donis Divinum quidpiam suprà homines præstitulisse ; vt videre est in GVILLELMO MALMESBVRIENSI, illius sęculi Scriptore, *lib. 3. de Gestis Rerum Anglorum*, qui ex S. Hugonis assertione, hæc enarrat: *Verum, quia Hilprandi mētio se ingessit, de eo dicam, quæ non frivolo auditu hausi, sed seria relatione ejus audivi, qui se illa ex ore Hugonis Abbatis Cluniacensis audisse, juraret ; quę ideo admiror, & prędico, quia cogitationes aliorum, prophetico mentis intuitu pronuntiabat. Alexander Papa eficax ipsius studium conspicatus, Cancellis Apostoloru m prę fecerat. Circuibat ergo pro sui contuitu Officii Provincias, vt perperam acta corrigeret; acurrebatur ab omnibus ordinum hominibus, decisiones diversorum negotiorum postulātibus, cuncta ei summittebatur Sęcularis potentia, tùm pro sanctitatis, tùm pro ministerii ejus reverentia.

1857 Vndè die quadam, cum solito major ad equitandum esset turma, Abbas quidam in extremo agmine cum Monachis suis sensim progrediebatur, visoque eminus tanti Viri honore, quod tot mundanę potestates nutum illius pręstolarentur, hujusmodi sententias ventilabat animo, homuncionem exilis staturę, despicabilis Parentelę, quod Dei judicio tot divitum sepiri famulitio, tumere illum proculdubio, emeriti altiora merito, pro tot ambulatorum obsequio. Vix hoc, vt dixi, mente versarat, cum Archidiaconus, reflexo equo, & calcaribus incitato, à longe clamans, & Abbatem obuncans : tu tu, inquit, male cogitasti, falsò infamans hujusce dum taxat rei innocentem ; non enim mihi gloriam hanc (si gloria dici potest, quę citò transit) vel ego imputo, vel ab aliis imputari volo ; sed Beatis Apostolis, quorum exhibetur Privilegio. Suffusus ille pudore, nec quicquam inficiari ausus, hoc solum retulit: quęso Domine, quomodo nosti cogitatum meum, quem nulli communicavi? Ab ore tuo, ait, quasi per fistulas ad aures meas omnis illa cogitatio deducta est.

1858 Item in eadem Provincia Ecclesiam Vrbanā ingressi, ante aram cōtinuatis, & junctis lateribus se prostraverāt. In multam horam protracta Oratione, respexit Archidiaconus Abbatem turbulento rictu infrendens. Ille cum diutiùs oratum esset, foras egressus, causamque commotionis percunctatus, responsum accepit : Si me amare vis, cave, nē me vlterius hac injuria expugnes. Dominus meus IESVS CHRISTVS, speciosus ille prę filiis hominum, postulationibus meis visibiliter astabat ; intendens dictis, & serenis favens oculis ; sed tuæ orationis adductus violentia me deseruit; ad te conversus puto, quòd tu ipse non diffiteberis esse genus injuriæ, si amico eripias Authorem salutis suę.

1859 Prętera prænoveris mortalitatem hominum, & huic loco imminere excidium, cujus conjecturę signum habeo, quod Angelum Domini super Altare stantem vidi, evaginatum gladium stringere, & huc, atq; illuc rotare. Futurę cladis notabilius habeo indicium, quod jam spissus, & nebulosus aër Provinciam istam circumvolat, vt vides ; maturemus igitur profugium, nisi cum aliis velimus subire exitium. His dictis, introeuntes diversorium, ad curam corporis assedere, continuoque dapibus appositis exortus in domo luctus aviditatem esurientium repressit. Siquidem vnus, & alter, & mox plures è familia, dubium, qua pernitie interempti, animas subitò amiserunt, tum, eadem peste per vicinas ędes grassante, ascensis mulis diffugiunt, festinationem vię stimulis timoris accelerātes.* Hęc ex Sancti Hugonis relatio-

tione Guillelmus, quibus tu discere poteris ejusdem Hiltprandi Sanctitatem, qua vniversum Catholicum Orbem in sui admirationem convertit. E quibus omnibus manifestè convincuntur, & redarguuntur improbę Schismatici Bennonis in Gregorii Pontificis puritatem, & innocentiam calumnię.

1860 Hiltprandum, inter alios Dignitate, & sanctimonia pręstantes reverenter coluit S. ALPHANVS, Salernitanus Antistes, cujus extat *apud Baronium* scriptus Hymnus, ad ipsum cum Apostolico pectore Schismaticos Anathematis fulmine perterrebat, qui ita se habet:

*Quanta Gloria publicam
Rem tuentibus, indita
Sępè jam fuerit, tuam
Hiltprande scientiam
Nec latere putavimus.
Et putamus. Idem Sacra,
Et Latina refert via;
Illud & Capitolii
Culmen eximium, Thronus
Pollens Imperii, docet.
Sed quid istius ardui
Te laboris, & invidiæ
Fraudis, aut piget, aut pudet?
Id bonis etenim viris
Plus peste subita nocet.
Virus invidia latens
Rebus inmiseris suam
Ponit invaletudinem,
Iisque non aliis necem
Et pericula confert.
Sed vt invidearis, &
Non vt invideas, decet
Te peritia, quem probi,
Et boni facit vnicè
Compotem meriti sui.
Omni judicio tuo
Ius favet, sine quo mihi
Nemo propositi mei,
Vel favoris inediam
Præmium vè post dare.
Cordis eximius vigor,
Vita nobilis, optimas
Res sequuta, probant quidem
Iuris ingenium modo,
Cujus artibus veteris.
Ex quibus caput Vrbium
Roma justior, & propè
Totus Orbis eas timet,
Sæva barbaries adhuc,
Clara stemmate regio.
His, & Archi-Apostoli
Fervido Gladio Petri
Frange robur, & impetus
Illius, vetus vt jugum
Vsque sentiat vltimum.
Quanta vis Anathematis?
Quidquid, & Marius prius
Quodque Iulius egerant,
Maxima nece militum
Voce tu modica facis.
Roma quid Scipionibus,
Cęterisque Quiritibus
Debuit mage, quàm tibi,
Cujus est studiis suæ
Nacta viam potentiæ.
Qui probè, quoniam satis
Multa contulerant bona,
Patrię, perhibentur &
Pace perpetua frui,
Lucis & regionibus.
Te quidem potioribus
Præditum meritis manet
Glorioſa perenniter
Vita, Civibus vt tuis
Compareris Apostolis.*

Eumdem ob eximias illius virtutes sumoperè coluit, & observavit ipse Summus Pontifex ALEXANDER, prout S. PETRVS DAMIANI districho lusit, cujus est titulus.

DE PAPA, ET HILTPRANDO.

*Papam ritè colo, sed te prostratus adoro:
Tu facis hunc Dominum, te facit ipse Deum.*

Pater OLDOINVS *in Additionibus ad Ciaconium* de glorioso Gregorii obitu, hęc commemorat: *Cum Henricus Rex Romanam Ecclesiam, imò Vrbem ipsam, quam armato milite circumsederat, cõtinuò vexaret, Gregorius, vt Reipublicę consuleret, Roma discedens, montem Cassinum primò, deinde Salernum petiit, qua in Vrbe *die vigesima quarta mensis Maii* ex hac vita migravit, *anno*, vt dictum est suprà à Ciaconio, 1085. qui in album Sanctorum relatus, anniversaria memoria in Ecclesia nomine celebri perseverat, sepultus intra Basilicam S. Apostoli, & Evangelistę Matthęi, quã paulò ante obitũ, divino cultui consecraverat: ejus Sãctitas celebratur in Martyrologio Romano, & in Topographia Sanctorum Ferrarii. Tanti Pontificis obitus, ingentem Catholicis omnibus luctum attulit. (Et *infrà*:) Post mortem miraculis claruisse Gregorium Bibliothecarius ejus temporis, & Author vitę S. Anselmi, Lucensis Episcopi, scriptis confirmant. (Et *infrà*:) Scripsit Gregorius Epistolas, quę in libros 11. sunt divisę apud Binium, ex quibus sanè quis cognoscet, Gregorium Ecclesiasticę libertatis strenuissimum defensorem fuisse.*

1861 Illustrissimus Episcopus HENRICVS SPONDANVS *ad annum* 1085. *num.* 3. ex Bertholdo narrat funera præcipuorum Schismatis promotorum, atque defensorum in Italia Episcoporum, ac Principum, qui vrgente fame, atque lue ex hac vita extra Ecclesiam positi miserè abrepti sunt, hisque enarratis, hæc subdit: *Quo item eodem anno, sed sorte planè diversa (*pretiosa enim in conspectu Domini mors sanctorum ejus: mors autem peccatorum pessima*) Gregorius Papa Salerni 24. *mensis Maii* migravit in Cœlum, sepultusque est ibidem in Ecclesia Sancti Matthæi Apostoli, ad cujus dedicationem eò accesserat: qui & in album Sanctorum relatus, anniversaria memoria in Ecclesia nomine celebri perseverat. (Et *infrá* relatis verbis, quibus finierat S. Gregorius: *Dilexi justitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio*; ait:) Otho Frisingensis affirmat, confirmatque, qui tunc vivebat author rerum gestarum S. Anselmi Lucensis Episcopi, qui & addit: eumdem Gregorium, quos sibi obedientes vivens benedixit, morientem quoque commendasse: Henricianos autem penitus, nisi post magnam demum conversionem, & pœnitentiam, reprobasse. Quę quidem recitasse voluimus, vt vel hinc aperta luce commentum Sigeberti de pœnitentia Gregorij, quòd Henricum fuerit persecutus, eludatur. (Et *infra*:) Eumdem verò, sicut in vita, ita & post mortem claruisse miraculis, idem, qui suprà Bibliothecarius, absque vlla dubitatione confirmat, & Scriptor Vitæ S. Anselmi, testis oculatus, asserit, per Mitram ejusdem Gregorii, quam ad Anselmum miserat, præclara Deum fecisse miracula; atque inter alia Mantuanum Episcopum, multis jam annis gravissimo splenis morbo affectum, ac toto corpore vlceratum, sanitati pristinæ restituisse.*

1862 Ejusdem Pontificis integritatem, ac sanctimoniam prædicat GVILLELMVS APVLIENSIS *lib.* 5. *Rerum in Apulia, ac Regno Neapolitano Normannicarum*, his versibus comprehensam:

*Vir Venerabilis, hoc in tempore Papa Salernì
Gregorius moritur; quem, nec personæ, nec auri
Vnquam flexit amor: justum servare rigorem
Semper proposuit: non cor dare læta valebant
Absque modo lætum, nec tristia reddere mœstum.
Solator mœsti, lucis via, doctor honesti,
Legibus arcebat tumidos, humilesque fovebat.
Terror iniquorum, clypeus fuit ille proborum,
Atque salutiferi spargendo semina verbi,
Numquam cessavit populum revocare Fidelem
A vitiis, ad eos, quibus itur ad æthera, mores:
Vitaque Doctrinæ non discordare solebat;
Non fuit instabilis, vel arundineæ levitatis.*

1863 In ejusdem nostri Gregorii laudem, NICOLAVS SANDERVS *de Vis. Monarch. Ecclesiæ, lib.* 7. *num.* 737. scribit: *Hildebrandum, qui Gregorius VII. vocatus est, Sanctissimum Virum fuisse, & Sanctissima Decreta edidisse contra Presbyteros concubinarios, & Simoniacos, quorum antesignanus Henricus IV. & communione, & Regno privatus est. De Gregorii Sanctissima, & integerrima Vita hi testes erunt locupletissimi, quos illa ætate vixisse, & Gregorii mores probè cognitos, & perspectos habuisse, constat. Illi autem sunt in primis Clerici, & Cives Vrbis Romæ, qua in Vrbe Gregorius annis viginti, & amplius, antequam Pontifex crearetur, summa cum laude, imò insigni cum admiratione, vixit. Nam sub Leone Papa IX. (quem ex omnium Historicorum consensu Romam comitatus est) itemque sub Victore II. Stephano X. Nicolao II. & Alexandro II. ita Romæ egit, vt maximę res, tàm domi, quàm foris ipsius auspiciis faustè, fœliciterque gererentur. Itaque in Germaniam Pontificis nomine profectus est, & in Galliis Turonensi Concilio interfuit, & in Clericorum improbos mores summa cum authoritate, & fructu sæpiùs inquisivit. Porrò cum in Cathedra Petri collocaretur, ita & Episcopis, & Clericis, & Civibus vniversis integritas ejus probata est, vt insigni cum elogio, suæ electionis verba memoriæ posterorum apud Platinam, & Sabellicum commendata extent, quæ nos etiam suo loco proferemus. Iam verò dum rexit Ecclesiam, optimis quibusque Viris ma-*

majorem in modum placuit, vt Guillelmo Abbati, & Monachis Hirſaugienſibus, Hugoni Abbati Clunicenſi, Anſelmis duobus, Cantuarienſi, & Lucenſi Epiſcopis, Mariano Scoto, & Lamberto Scafnaburgenſi, graviſſimis omninò Hiſtoricis.

1864 Quod idem conſtat etiam de Bernardo Corbejenſi Monacho, deque Paulo Benriedenſi, & Gerocho Reicherſpergenſi Antiſtite, quorum libros Apologeticos, pro Gregorio VII. ſcriptos, Aventinus (*Annalium Bojorum, lib.* 5.) ſe legiſſe confitetur; vbi adjungit, eoſdem Antiſtites, ob ſtudium, quo erga Gregorium afficiebantur (Bojarii cum eſſent) ſedibus pulſos, & in exilium actos fuiſſe; idemque Gitelberto, & Diemoni Sanctiſſimis Archimandritis eveniſſe, Trithemius narrat. Quid de Anglia, Italia, Polonia, Hiſpania, Gallia, Græcia, Dania, Saxonia, cæteriſque Orbis Chriſtiani Regionibus dicam, quas Gregorio ſemper paruiſſe, & graviſſimæ Hiſtoriæ conteſtantur, & nos ex ipſius rebus geſtis paulò poſtea declarabimus? Porrò cum idem Gregorius VII. vita exceſſiſſet, non ſolùm Romani Pontifices, Victor, Vrbanus, Paſchalis, Eugenius, Innocentius, Alexander, cæterique cauſam ejus tutati ſunt, ſed etiam omnes alii præſtantes Theologi, & hominem laudarunt, & decreta ejus magnopere ſuſpexerunt. Fidem verbis meis facient Gratiani Decreta (15. *quæſt.* 6. *cap. Nos Sanctorum*) & D. Thomæ Aquinatis doctiſſima Scripta (22. *quæſt.* 12. *art.* 2.) qui ambo illud ipſum Gregorii VII. Decretum, quo Henrici IV. ſubditos à juramenti religione abſolvit, velut æquiſſimum commemorãt. Horum verò authoritatem cæteri ferè omnes Theologi ſequuntur. Quid, quòd miraculis etiam claruit Gregorius, vt ſigillatim hoc in loco docemus, vbi eum, & Catholicum, & optimum Virum fuiſſe contra paucorum, qui Henrico adulabantur, calumnias, dedita opera defendimus.* Hactenus Sanderus.

1865 HARTMANVS SCHEDEL *6. Ætate mundi, ad annum* CHRISTI 1074. de noſtro Gregorio agens, hæc in illius laudem enarrat: *Poſt Alexandrum Pontifex factus. Vix dùm ejus Pontificis exequiæ ſolemniter ex more erant celebratæ, cum Clerus, & Populus ad funeris pompam congregati Hildebrandum Archidiaconum acclamarunt à B. Petro in Pontificem eſſe electum, ad eoſque clamores excîti Cardinales, Conclave ingreſi, eumdem canonicè delegerunt, quem Gregorium VII. placuit appellari. Vir certè Deo, & hominibus gratiſſimus, prudens, juſtus, clemens; pauperum, pupillorum, ac viduarum Patronus: & Eccleſiæ, contra Hæreticorum improbitatem, & malorum Principum potentiam, res Eccleſiaſticas per vim occupare conantium, vnicus, ac acerrimus defenſor.*

1866 JOANNES HORATIUS SCOGLIUS *in Eccleſ. Hiſtor. Chronolog. lib.* 12. *ad annum* 1073. de Gregorio VII. ſermonem inſtituens: *Juſtis (inquit) Alexandro perſolutis, eadem ipſa die Hildebrandus S.R.E. Card. Archidiaconus, Romanus Pontifex denuntiatur..... In Cluniacenſi Monaſterio adultus, & S.R.E. deinde Cardinalis, magnos ſpiritus gerens, ardua quęque, & excelſa ſemper aggreſſus, vel ante Romanum Pontificatùm Romani Pontificatus arbitrer, ſemel, bis, tertiò, ſemper fuit. Nam ipſe idem Leonem IX. Victorem II. Nicolaũ item in Romanam Sedem invexerat. Adverſus in ſoleſcentem Henrici Regis ſacrilegam audaciam quilibet Patrum inferior, vnus Hildebrandus par videbatur. Ad Pontificatus evectus culmen Presbyteratus ordine initiatur, mox Pontifex ritè conſecratus, Gregorii Papę VII. ſortitus eſt nomen. Nemo ad Eccleſiæ ditionem, dignitatemque tuendã, augendamque vindex acrior.* (Et *ad annum* 1085. idem Author:) *Die* 24. *Maii*, Gregorius acer Eccleſiæ vindex ardua ſemper quæque adverſus Principum licentiam aggreſſus, Salerni è propria Sede exul, & extorris occubuit. Corpus eadem in Vrbe, in Templo D. Matthęi Apoſtoli conditum; & poſt quingentos ferè annos patrum noſtrorum memoria ibidem inventum integrum. Quin & viventem, mortuumque claris pręfulſiſſe miraculis, non defuere ejus temporis Scriptores, qui traderent. Lambertus; Otho Friſingenſis; Leo, Oſtienſis Cardinalis; Anſelmus, Lucenſis Epiſcopus; aliique, qui ea ętate floruere authores, miris extulere prędconijs, Virtutem, Zelum, Conſtantiamque Gregorij.*

1870 Eruditiſſimus Magiſter Fr. DOMINICVS GRAVINA *de Papæ Infallib. in Decretis Fidei, quæſt.* 2. *art.* 4. *object.*

iect. 39. ita Gregorium ab Hæreticorũ calumniis tuetur: *Sigebertus, tamquam Schismaticus, & fautor Henrici, illum errorem (Necromantici) imposuit Gregorio, sicut & omnes, qui eidem affigunt Hæresim Berengarianam. At quid mirum? Nam Gregorius Berengarium in Concilio Romano damnavit, & cum esset priùs Archidiaconus, in Concilio Turonensi convicit, & calumniatorum odium incurrit; quia pariter Nicolaitas, & Simoniacos, libertatem Ecclesiasticam lædentes, est persecutus. Et hoc est majoris gloriæ signum, vt eum nedum antiquæ Fidei defensorem Catholici susciperent, & venerarentur, sed omnes Hæretici detestarentur, vt quem non possent gladiis transfigere, voto interficerent, vt in simili dicebat Hieronymus *Epist.* 25. *ad August.**

1871 PETRVS MATVRVS, Soc. JESV Theologus *in Notis ad S. Antoninum, 2. part. Histor. tit.* 16. *cap.* 1. §. 21. præclaris nostrum Gregorium extollit encomiis, hæc, inter alia, scribens: *Cæterum hic Pontifex, verè maximus Ecclesiasticæ libertatis Assertor, & Propugnator acerrimus, omnibus fuit bonis gratissimus, & ab optimis quibusque laudatus Scriptoribus, quamvis invidi ei nonnulla crimina impegerint, quæ omninò falsa fuisse alii redarguunt. (Et *infrà*:) Magdeburgenses Centuriatores *Centur.* 11. *cap.* 7. hunc Sanctissimum Pontificem traducunt, quasi primus Sacerdotibus conjugia interdixerit ::::Cæterum scandalum, quod inde secutum est, non magis vitio verti debet Sanctissimo Pontifici, quàm CHRISTO Domino nostro mors ipsius, & Passio, quæ teste Apostolo Paulo (1. *ad Corinth.* 1.) fuit, & adhuc est *Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia*: imo ipse CHRISTVS, teste Apostolo Petro (1. *Pet.* 2.) *Lapis offensionis, & petra scandali.* Denique scandalum fuit non activum, sed passivum, quod non curandum esse, CHRISTVS apertè tradit *Matth.* 15. * Alia id genus videre poteris ibi, & sequent. vbi Gregorium *Doctissimũ, & Sanctissimũ Virum*, ac *libertatis Ecclesiasticæ a tyrãnis vindicatæ Authorem* prædicat.

1872 Quàm dignus laude sit Apostolici nostri Gregorii VII. pro Dei honore Zelus, pro corrigendis, ac extirpandis in Gallico Regno pravis moribus, præsertim in Philippo I. Galliæ Rege, testis est probatissimus MICHAEL MAVCLERVS, Parisiensis, Doctor Sorbonicus, *in Monarchia Seculari Christiana*, 4. *part. lib.* 7. *cap.* 15. inter alia enim de Philippo I. agens hæc notãda scribit: *Pro fundamẽto futurorum bonorum operum, antequam vnctione Sacra, cœlestique inauguraretur, hac se juramenti præstatione publica, Deo, Ecclesiæ, Regnoque fideliter obstrinxit: *Ego Philippus, Deo propitiante, mox futurus Rex Francorum, in die ordinationis meæ promitto coram Deo, & Sanctis ejus, quòd vnicuique de vobis mihi comissis Canonicum Privilegium, & debitam Legem, atque justitiam conservabo, defensionem, adjuvante Domino, quantùm potero exhibebo, sicut Rex in suo Regno vnicuique Episcopo, & Ecclesiæ sibi comissæ per rectum exhibere debet. Populo quoque nobis credito me dispensationem legum in suo jure consistentem, nostra Authoritate concessurum.* (Apud Missonium, *lib.* 3. *in Henrico I.*) Hæc ipse Princeps septennis adhúc. Ipse crescentibus annis, in ipso iuvenilis ætatis ardore, ebullientis sanguinis adolescentiæ fervore, humana passus multa, contra splendorem, pacemque Ecclesiæ non rectè facta, vtpotè quæ Simoniæ crimen in Beneficiorum Ecclesiasticorum venundatione redolerent, pravo, corruptoque sycophantarum, Aulicorum consilio patravit.

1873 Propter quæ justê indignatione, iraque Dei, & Ecclesiæ cẽlantis honorem, commotione percitus Gregorius VII. eum per viscera misericordiæ IESV CHRISTI deprecatus est, atque paternę charitatis affectu per Rodericum, Cabilonensis Ecclesiæ Præsulem, Regis ipsius à Consiliis, illique valdè familiarum, dulciter admonuit (*ex Epist. Gregorii VII. ad Rodericum, lib.* 1. *Epist.* 35.) vt à talibus vitiis, quibus apud Sedem Apostolicam insimulabatur, malefactorum pœnitens celeriter arceretur. Qui se à pravis Aulicis deceptũ agnoscens, juventute sua nequiter abutentibus, jubenti Pontifici humiliter obedientia filiali paruit. Et qui Davidem (2. *Regum*:) Theodosiumque (THEODORETVS, *lib.* 5.) maximos Principes, peccantes sequutus fuerat, pœnitentes consectari vehementer exarsit. Quod colligitur ex his GREGORII VII. verbis *in eadem Epistola. Sed quoniam anteactis diebus per familiarem suum, cubicularium, vi-*

videlicet Albericũ, ad nostri Censurũ judicii, & vitã corrigere, & Ecclesias ordinare firmiter nobis respõdit, rigorem Canonicũ interim exercere distulimus. Quãobrem ipse, licet nimium in potestate summa juveniliter exultaret: tamen, vt quantæ humilitatis, & obedientiæ filialis inclinatione, in custodienda Sanctissimi Patris imperia propendere se demonstraret, illicò his acceptis, per Rodericum Episcopum Papæ Gregorii monitis, jussisque paternis, honorificam ad eum legationem, venerabilemque destinavit; qua se in omnibus ejus Ecclesiæ Principis monitis, præceptisque semper obsequuturum data fide promisit. Quod satis clarè, perspicuèq; ex Litteris Pontificis ad eum Regem postea missis intelligitur, quarum exordio Principem illum sic alloquitur (*Epistolarum Gregorii VII. lib.* 1. *Epist.* 75.) *Significasti nobis per Litteras, & Legatos tuos, te B. Petro Apostolorum Principi devotè, ac decenter velle obedire, & nostra in his, quæ ad Ecclesiasticam Religionem pertinent, monita desideranter audire, atque perficere.*

1874 Cujus adolescentis mores sceleratis pravorum aulicorum fraudibus inquinatos, eò Pontifex ille ægriùs, molestiúsque ferebat, quò Regum Franciæ, illius Patrum, majorumque virtutes sublimiores, magisque Ecclesiæ salutares extitisse considerabat. Vt *in eadem Epist.* 35. expressit his verbis: *Quam rem* (scilicet Ecclesiarum oppressionem Simoniaco scelere Principis adolescentis ita decepti Authoritate firmato, impunêque tolerato) *de Regno illo tantò profectò tulimus molestiùs, quantò & prudentia, & Religione, & Viribus noscitur fuisse potentiùs, & erga Romanam Ecclesiam multò devotiùs.*

1875 Ad quas majorum virtutes ita hunc Principem, *Epist.* 75. accepta legatione cohortatur idem Gregorius: *Attendere enim*, inquit, *te nobiscum, & diligenter considerare volumus, in quanta dilectione Sedis Apostolicæ, quantaque gloria & laudibus ferè per Orbem terrarum Antecessores tui Reges clarissimi, & famosissimi habiti sunt, dum illorum Regia Majestas in amplificandis, & defendendis Ecclesiis pia, & devota constitit, in tenendo justitiam libera ac districta permansit.*

1876 Postea, vt hunc Regem adolescentẽ à prioris vitæ corruptionibus, in quas pernicioſissimorũ aulicorũ fraudibus impegerat, penitus averteret, proponit illi quã mirificè Regum Franciæ propter à se Ecclesiam CHRISTI, Sedemque Apostolicam defensam, devotèque illi obsequia præstita, gloria, prosperitasque creverit, quæ postea illius Ecclesiæ Sanctæ contemptu infœliciter emarcuerunt, cum ita illum persequitur *ibi*: *Postquam verò divina, & humana jura subvertendo, tanta virtus in posterioribus cœpit hebescere, totius Regni, gloria, decus, honor, & potentia, cum perversis moribus immutata sunt, & nobilissima fama, & status Regni á culmine suæ claritatis inclinata sunt. Hæc quidem, & alia talia frequenter, & si oportet aspero etiam sermone, tibi inculcare suscepti nos officii cura compellit. Quoniam licet verbum prædicationis abscondere, & vspiam tacere, non sit tutum, aut liberum; tamen quantò Dignitas est amplior, & persona sublimior, tantò propensiorem curam & clamorem pro ejus rectitudine nos habere convenit, &c.*

1877 Ipsum autem Principem ætate juvenili mores perversis iniquorum consiliis depravatos in virili sanis Gregorii VII. Pontificis exhortationibus, atque jussis obediendo reformasse constat ex Litteris ad ipsum Regem ejusdem Pontificis (qui eos, vt potuit, spe futuræ emendationis ex indulgentia, clementiaque Pontificia toleravera t,) sic enim, vt ad hanc morum reformationem animaret, scripsit ad eum (*lib.* 8. *Epist.* 26.) *Sæpè per Nuntios tuæ celsitudinis audivimus, te gratiam B. Petri, nostramque amicitiam cupere: quod & tunc Nos libenter accepisse, & adhuc, si eum animum geris, noveris admodum Nobis placere. In hoc enim te tuæ salutis amicum, sollicitumque esse demonstras, si Apostolicam benedictionem, sicut Christianum Regem decet, assequi, & obtinere desideras. Quam quidem hoc pacto adipisci, multò facilius, ac digniùs, poteris, si te in Ecclesiasticis negotiis diligentem, devotumque reverenter exhibueris. Qua in re proculdubiò minus vigilanter, multòque negligentius, quàm sanum fuerit olim habuisse te cerneris: sed Nos adolescentiæ tuæ præterita delicta, spe correctionis tuæ portantes, vt*

deinceps castigatis moribus, adea, quæ oportet, invigiles, ex debito officii nostri monemus. Post hæc ad imitandas majorum suorum virtutes, ita destructis corruptionibus vitæ prioris hortatur: *Igitur inter cætera virtutum studia Regiæ excellentiæ convenientia, quæ tibi inesse optamus, cum te justitiæ amatorem, misericordiæque custodem existere, Ecclesias defendere, pupillos, viduasque protegere, sit necessarium, non minus ad interuæ salutis custodiam, tibi esse pravorum consilia spernenda, maximèque familiaritates excommunicatorum* (qualis erat Manasses, Archiepiscopus Rhemensis, propter scelera depositus, & excommunicatus,) *detestandas arbitramur, atque asserimus.*

1878 Et post multa alia, quæ pro salute animæ, & prosperitate Regni facienda Regi præcepit, sic eum paterne ad virtutum amplexum, vitiorumque extirpationem, vt Divinam Dei gratiam, misericordiamque, necnon S. Petri intercessionem pro efficaci benedictione mereatur, monendo, obtestandoque concludit: *Age igitur, & jam ætate Vir factus, in hac re procura, vt non frustra tuæ juventutis culpis peperciſſe, nec in vanum te ad emendationem expectasse videamur: ac maximè enitere, vt B. Petrum, in cujus Potestate est tuum Regnum, & anima tua, qui te potest in terra, & in cœlo ligare, & absolvere, tibi facias debitorem; & non pro negligentia, & veritatis dissimulatione, Judicem, sed pro diligentia, Justitiæque executione ipsius gratia æternum dignè merearis auxilium.** Hæc ad Philippum Regem GREGORIVS, ex quibus dignosci poterit ferventissimus illius pro animarum salute Zelus.

1879 Silentio præteriri non decet Illustrissimum Episcopum AVGVSTINVM BARBOSA *de Iure Eccles. lib. 1. cap. 2. num. 64.* pro Gregorio stantem, atque in hæc verba scribentem: *De Gregorio VII. consultò non agimus; omnia enim, quæ illi objiciunt Hæretici, sunt ficta mendacia, conficta à Bennone quodam Cardinali, facto ab Antipapa Clemente III. quem in odium ipsius Gregorii creavit Imperator Henricus IV. & si vnum Bennonem excipias, apud reliquos omnes ejus temporis Scriptores certissimum est, Gregorium VII. pium fuisse Pontificem, & Christianæ Religionis acerrimum defensorem, pro qua immanissimas persecutiones, & cum pessimo Imperatore inimicitias perferre, non dubitavit, sed fortiter sustinuit:::: Constat ex forma electionis ejusdem Pontificis, quam refert Platina *in ipsius vita* vbi Cardinales, & vniversus Clerus varias ejusdem Gregorii virtutes prædicant, & vnanimem Patrum consensum in illius electione recensent.*

1880 Eruditione clarissimus, Religionis Carmelitanæ, P. LEZANA *tom. 3. Annalium ad annum* 1073. *vsque ad annum* 1085. Nostrum Gregorium nuncupat *Virum apud Catholicos laudatissimum* (apud politicos tamen, & sectatores de criminibus calumniosè notatū:) *Fuit, inquit, eximiæ virtutis Pontifex, reformationis Ecclesiæ amator, libertatis Ecclesiasticæ Defensor acerrimus, & contra Ecclesiæ rebelles immotissimus. (Et *infrà*:) A Schismaticis multa perpessus.*

1881 Illustrissimus D. RODERICVS ACVÑA, in vtroque Jure celeberrimus, Bracharensis Archiepiscopus dignissimus, *in Comentario in primã partẽ Decreti Gratiani* 81. *dist. cap. Si qui sunt*, hæc de Sanctissimo Gregorio memoratu digna tradit: *Gregorius VII. Hildebrandus antea vocatus, natione Hetruscus, patria Soanensis, Parre Bonitio, Vir in contemplationibus eximius, morumque Sanctimonia præclarus, fuit Populi, & Cleri acclamatione Pontifex electus *anno* CHRISTI 1073. vt per Baronium *tom.* 11. *Annalium*. Philippum, Francorum Regem, statim admonuit, nè largitione corruptus Episcopatus, & Beneficia per Simoniacam cupiditatem, alicui deinceps cõmittat, Regni amissionem illi comminans, nisi à tàm gravi scelere abstineat. Mulieres consanguineis nubentes dotalia instrumenta in pœnam amittere statuit. In Vrbe Concilium indixit, & contra Presbyteros, & Clericos vxoratos Decretum renovavit. Schismaticorum insolentiam apud Vdonem, Archiepiscopum Trevirensem, graviter incusavit; aliudque Concilium Romæ celebrans Berengarium Hæresiarcham, denuò lapsum abjurare, coëgit. Vratislaum, Bohemiæ Ducem, increpavit, quòd cum excommunicatis communicabat, eidemque licentiam Officii Divini lingua Slavonica dicendi negavit. Liberium Papam in Sanctorum album adscripsit; & incendium circa Eccle-

siam

siam Sancti Petri, ab Henricoque Rege excitatum signo Crucis extinxit; resque omnes ab eo gestæ divinitùs comprobantur. Denique Salernum conveniens ad dedicandam Sancti Matthæi Ecclesiam ibi ex hac vita migravit *die Maii* 24. *anno* CHRISTI 1085. *& in Sanctorum numerum relatus est.**

1882 THOMAS BOZIVS, Eugubinus, *de Iure Status, sive de Iure Divino, & Naturali Ecclesiast. Libert. lib. 6. cap.* 14. de Gregorio VII. dicit: *Qui quanta pertulerit pro Ecclesiastica Potestate asserenda, quis ignorat? Actus est in exilium, Salernique decessit *anno* 1084. (Et ex Othone Frisingensi vocationis suę tempore dixisse fertur: *Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.*)) Multis effulsit Gregorius miraculis, quod inter alios testatur horum temporum Author Germanus, Lambertus Scafnaburgensis:::::Post annos quingentos est repertum Salerni cadaver Gregorii VII. ex omni parte integrum, atque illæsum: adfuitque illius inventioni Marcus Antonius Maffa, Vir spectatæ integritatis, ac doctrinæ.*

1883 P. JACOBVS GORDONVS *in Opere Chronolog. ad annum CHRISTI* 1073. hæc habet: *Subrogatur canonicè, & magno consensu Hildebrandus, dictus Gregorius VII. Hunc eximiæ virtutis Pontificem, vt gravissimi Scriptores testantur, conantur (in gratiam Henrici IV. Regis Germanię) duo Scriptores infamià notare, nempè Author Vitæ, seu potiùs laudator ejusdem Henrici, & Benno Schismaticus Cardinalis, homo mendax, & calumniarum insignis artifex. (Et *infrà*, *ad annum* 1085.) Inter hæc moritur Gregorius VII. Salerni, relatus postea in numerum Sanctorum, vir apud Deum fœlicis gratię, reparator certè Ecclesiasticæ disciplinæ, & restitutor liberæ electionis Pontificum, vt de miraculis sileam.*

1884 P. JACOBVS GAVLTERIVS *in Tabul. Chronograph. Sæc.* 11. *in linea Pontificum, num.* 158. hęc habet: *S. Gregorius VII qui ante nominabatur Hildebrandus, Archidiaconus; qui sanctitate, rebusque gestis, ac miraculis clarissimus, Salerni obdormivit in Domino *anno* 1085.

1885 SEVERINVS BINIVS *Tom.* 10. *Concilior.* haud vulgarem ad nostri Gregorii encomia facit accessionem; sic enim *in Gregorii Vita* scribit: *Quamquam statura pusillus esset, tamen gratia miraculorum, & Prophetiæ erat omnibus admirabilis: nam ad miraculum suprà recensitum, hoc addidit longè mirabilius, &c. (Et *infrà*:) Postea, ab Vrbe recedens, Cassinum advenit, atque indè ad dedicandam Basilicam S. Matthęi Apostoli Salernum se contulit, ibique obiit 24. *Maii*, *anno* 1085. Sanctitate, & miraculis post mortem clarissimus, sepultus est intra Basilicam Sancti Apostoli, & Evangelistæ Matthæi, quam paulò ante obitum divino cultui consecraverat.*

1886 Idem BINIVS *infrà eod. Tom. ex Regest. Epistolar. Greg.* adducit Sanctissimi hujus Pontificis Epistolam ad Alphonsum, Hispaniæ Regem, ex qua, vel ipso Gregorio teste, patet, eum ob ferventissimum studium extirpaadi simoniacam pestem, aliaque vitia, Ecclesiam contaminantia, multorum incurrisse invidiam, odiisque patuisse potentium; sic enim Alphonsum alloquitur *lib. 9. Epist.* 2. *Non Nos latet, multa de nostris factis, ac dictis, tuis auribus sinistra interpretatione deferri. Undè & pro nobis in notitiam dilectionis tuæ obtrectantibus respondere, non alienum putavimus. Peccatorem me esse, sicut verum est, confiteri minimè piget. Verùm si causa odii, vel detractionis eorum, qui in Nos fremunt, subtiliter investigetur, profectò non tàm alicujus iniquitatis meæ intuitu, quàm ex veritatis assertione, injustitiæque contradictione, illos in Nos exarsisse, patebit. Quorum quidem servitia, & largissima munera, Nos satis abundantiùs multis antecessoribus nostris habere potuimus, si ad periculum illorum, & nostrum, veritatem silere, malitiamque ipsorum dissimulare maluissemus. At Nos certè ex hujus vitæ termino, & temporalium commodorum qualitate perpendentes, numquam meliùs quemquam posse Episcopum nominari, quàm cum persecutionem patitur propter justitiam, decrevimus potiùs divinis mandatis obtemperando, pravorum inimicitias incurrere, quàm illis malè placendo, iram Dei provocare.*

1887 Idem insuper BINIVS *eod. Tom.* 10. adducit Concilium Romanum IX. tempore Gregorii Papæ VII. celebratum *anno* 1083. ex quo probatissimum

pro Gregorii Innocentia desumitur testimonium, sic enim habent Acta: **Anno ab Incarnatione Domini* 1084. *Pontificatus* verò *Domini Gregorii Papæ VII. anno* 11. *duodecimo Kal. Decemb.* præsidente eodem Apostolico, celebrata est tribus diebus in Lateranensi Basilica Synodus, in qua fuerunt Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates Campani, & de Principatibus, atque Apulia, Pauci quoque Gallicani: nam plurimos Henrici tyranni perfidia iter retrò vertere compulit, qui Ostiensem Episcopum de Apostolica Legatione redeuntem, contra fas, & juramenti fidem, capi jussit, sive permisit. Tres autem Synodos Quadragesimales ejusdem Henrici persecutio impedivit. Qui semel B. Paulum, bis B. Petrum aggressus, demum post multum fusi sanguinis, non tàm suorum fortitudine, quàm negligentia Civium porticu muros surripuit. Romanum siquidem vulgus, pars videlicet copiosior Civitatis, biennii bello fatigatum, acti inedia laborabat: cum nec ipsis ad vicina Opida, vel Castra exire liceret, nec illi jurati Henrici in Vrbem vellent negotiatum venire: multi quoque fame abacti, Vrbem reliquerant. Proinde cęteri bello remissiùs attenti rem ex animo minus gerebant, & à custodiis, prout cuique licebat, sine timore negligentiùs aberant. Hæc super Henrici tyrannidê, quia se occasio prębuit præstrinxisse sufficiat. Cæterum Dominus Apostolicus (videlicet Gregorius) in eadem Synodo, de Fidei forma, & Christianę Religionis conversatione, sed & de robore, animique constantia ad præsentem pressuram necessaria, ore non humano, sed Angelico patenter edisserens, die 3. totum ferè conventum in gemitus, & lachrymas compulit, sicque Concilium Apostolica benedictione lætificatum in pace dimisit.*

1888 Ad majorẽ hujus Concilii noticiã, & vt meliùs agnoscatur, quantum in hac pressura, ac tyrannidè promeruerit noster Gregorius apud Deum, & sibi gloriæ, pro Fide, & Religione strenuè certanti, opportunum duximus, hìc tradere ea, quæ BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS *ad annum* 1082. scribit valdè memoranda, ac miranda de nostro Apostolico Gregorio, & in ejus laudem: *Henricus in Italiam, assumpto Apostata suo Guiberto, iterum Romam invisurus, proficiscitur, adunata multitudine Schismaticorum, ibique ea æstate moratus, penè in casum laboravit, nisi quòd milites suos quibusdam Castellis, vt facerent guerram Romanis, imposuit, qui eum nec hac vice Romam intrare permiserunt; ignemque in Domum Sancti Petri, per quemdam traditorem immittere voluit, sed, Dei misericordia protegente, non potuit. Cogitavit enim, vt de improviso portas irrumperet, si Romani derelictis propugnaculis ad incendium restinguendum occurrerent: vnde ignem domibus quibusdam S. Petro contiguis immitti fecerunt. Sed Dominus Apostolicus huic versutiæ obviavit: nam primùm, viso incendio, omnes milites Romanos ad propugnacula defendenda transmisit, ipseque solus, fiducia S. Petri frætus, facto signo Crucis contra incendium, ignem progredi vlterius non permisit. Igitur Henricus, capto Venerabili Episcopo de Sutria, aliisque nonnullis, suoque Apostata Guiberto in Vrbe Tiburtina ad infestandos Romanos derelicto, ipse Longobardiam revertitur.* Hæc fuit secunda Romanæ Vrbis obsidio, & impugnatio: noster tamen Gregorius imitatus est hìc S. Marcelinum Anconitanum Episcopum, à quo publicum Civitatis incendium fuisse eodem modo extinctum scribit *in* 1. *Dialogorum*, *lib.* S. GREGORIVS MAGNVS. A S. etiam Hilarione iratum mare hoc modo placatum fuisse, testis est S. HIERONYMVS; & hìnc elucet maxima, & insignis Sanctitas nostri VII. Gregorii.

1889 AMANDVS ZIERIXEENSIS *in Chron. Ætate 6. ad annum* 1073. *in linea Pontif.* ita de nostro Gregorio loquitur: *Anno Domini* 1073. Papa 164. Gregorius VII. *annis* 12. *mense vno*. Fuit Vir Sanctus, & multas propter iustitiam persecutiones est perpessus.*

1890 Illustrissimus LVDOVICVS DONIVS, Eduensis Antistes, *in Flore Histor. Cardinal. in Hildebrando*, postea Gregorio VII. hæc in ejus encomium notatu digna commemorat: *Hildebrandus, seu Hildeprandus, patria Senensis, seu potiùs, vt habet communior Sententia, Saonensis, altos admodum spiritus gessit, quippè qui vrgentibus doctrinæ, ac virtutum meritis, ad Cardinalatum, indeque ad Pontificatum evectus, Apostolici Zeli ense accinctus ancipiti, fecit, vt ait ex

Psal-

Psalmis de Summo Pontifice & S. R. E. Cardinalibus D. Bernardus (*lib. 4. de Consideratione, cap. 4.*) *Vindictam in nationibus, increpationes in Populis, alligavitque Reges eorum in compedibus, & nobiles in manicis ferreis.* Talem scilicet Sanctam Romanam Ecclesiam in calamitoso illo tempore, quo ad ipsius gubernacula tractanda vocatus est hic noster Hildebrandus, decebat habere Pontificem, qui se impiis sæculi Principum conatibus fortiter oponeret, ac Simoniæ labem, nefandasque carnis spurcitias, quæ tunc per Christianum Orbem, vt Prophetæ verbis vtar, inundaverant, gladio Spiritus, & Authoritatis Apostolicæ falce resecaret. Propria virtute clarus ê sublimi Pontificię Dignitatis Throno Sapientiæ, fortitudinis, ac Sanctimoniæ radios emisit fulgentissimos, quod ab ipsis statim incunabulis præjudicatum est.*

1891 Et, *num.* 43. sic prosequitur: *Demùm *anno post CHRISTVM natum* 1085. Gregorius Papa Salerni degens, post diuturnas, ac pœnè perpetuas, easque acerrimas contentiones, quas pro constituenda Ecclesia passus erat à Principibus præsertim, & sæculi magnatibus, gravi morbo implicitus *mense Majo* migravit in Cœlum, cum sedisset *annos* 12. *mense* 1. *diebus* 3. (Et *infrà*:) Eumdem in vita, & post mortem signis cœlestibus illustratum affirmant Cardinalis Baronius, & Bellarminus, post Petrum Guillelmum Card. Bibliothecarium, qui scripsit vitas Romanorum Pontificum, ab Anastasio, vsque ad Paschalem II. Scriptor vitæ S. Anselmi Lutensis, testis oculatus, asserit per mitram ejusdem Gregorii, quam ad Anselmum miserat, præclara Deum fecisse miracula.*

1892 Idem Author *num.* 47. subdit: *Potuit siquidem Jure dici omnium Ecclesiasticæ disciplinæ, & Authoritatis inimicorum scopulus, & nobilissimo titulo vocori, *Regum sui sæculi terror, ac malleus* (quo Sanctus Hugo, Lincolniensis Episcopus, aliquando est honestatus) *ac validissimum Religionis Christianæ propugnaculum*, atque, vt alter Ismael, *manus ejus in omnes, & manus omnium in eum*; quia quemadmodum ipse implacabile bellum contra Clericos concubinarios, hæreticos, schismaticos, & simoniacos gessit, sed & adversus politicos quosque, qui Principibus omnia tribuunt, & sacra quæque eis nefaria adulatione subjiciunt; sic illi vicissim, ei advetsari numquam destiterunt: & sicut positus est hic à Deo in signũ, cui à multis fuit contradictum, cum ipse ferè vnicus, sua ætate opponere se visus fuerit, quasi murum, & antemurale pro Domo Domini; soluſque contra omnes stare, & adversus Ecclesiam pugnantium, in se ictus accipere; sic mutua quodammodo vice ille reddita, suscitavit Deus plurimos, qui pro eo certarent, inter quos fuere præcipui, S. ANSELMVS LVCENSIS, ejus Discipulus, ac proinde temporum æqualis, qui pro eo duos Apologeticos libros exaravit, adversus perfidum Guibertum Pseudo-Papam, qui extant editi *apud Henricum Canisium, tom. 6. Antiquæ lectionis part.* 1.* Alios quàm plurimos pro Gregorii Innocentia recitat Authores, ibi, *num.* 47. quos brevitatis causa omittimus, quos etiam longa manu suprà dedimus.

1893 Sed quid opus est hominum testimonia congerere, vbi Deus pro nostri Gregorii innocentia cœlestibus signis, prodigiisque pugnavit? Præter illam enim Canonicam purgationem, quam coram ipso Rege, adversario suo, innumerisque circumstantibus egit, tremendamque Guillelmi, Trajectensis Episcopi, confessionem, & divinam de aliis Schismaticis vindictam; quæ omnia ex BARONIO, aliisque fide dignissimis Authoribus, & Scriptoribus suprà retulimus, in quibus elucet Divina pro ipso Gregorio Pontifice potentia; multi sunt insignes alii eventus, quibus ejus causæ iustitiam, famæque illius obtrectatorum, ac impietatis Henricianę confusionem pluribus locis, atque temporibus Deus Optimus Maximus ostendere dignatus est, quos brevitatis causa prętermittere duximus, nè in immensum excresceret Apologia pro Gregorio, rebusque ipsius, pié, & sanctè gestis, quas poterit lector in prędictis Authoribus inspicere, pręsertim apud BERTHOLDUM CONSTANCIENSEM, Historicum fidelissimũ, qui non solùm dedit Auctarium, seu Appendicẽ ad Chronicon Hermanni Contracti, vsque *ad annum* 1065. verùm etiam scripsit ipse Chronologiam rerum, sui temporis vsque *ad annum Domini* 1100. circa quem putatur obiisse.

1894 Et quamquam noster Grego-

la-

rius impiorum linguis, & calamis fuerit laceratus, & maledictorum plaustris oneratus, putidissimisque calumnijs impetitus, in odium Ecclesiasticæ libertatis, & immunitatis, quam pro aris, & focis tutatus est; nihilominus tamen, divina Sapientia providente, compensatione quadam â præstantissimis Orthodoxis, eisdemque strenuissimis Catholicę Fidei propugnatoribus (quos *supra* laudavimus) facta, plurimis est exornatus encomiis, egregiisque, laudem titulis vsque ad cœlum elatus, vt videre est, in copiosa Scriptorum nomenclatura, quam suprà dedimus, eorumque verba retulimus pro Gregorio stantium, quorum, & si non omnium laudum præconia nè molesti simus, præcipua tamen, libavimus.

1895 In primis noster Gregorius vocatur à S. PETRO DAMIANI *lib.*1. *Epistolarum Epist.*7. *ad Nicolaum Papam*: *Vir Sanctissimi, ac purissimi consilii*; & *lib.*2. *Epist.*6. *Inexpugnabilis Romanæ Ecclesiæ Clypeus*; & *Epist.*9. *ejusdem libri*: *Immobilis Columna Sedis Apostolicæ*; & *Opusc.*20. *cap.*1. *Virga Assur*, quòd violentũ oppugnatorem propositi sui monasterii, relicto Episcopatu, resumendi pateretur Hildebrandum, qui sciret, quàm proficuum esset Ecclesiæ Petri consilium.

1896 De eodem S. ANSELMVS LVCENSIS *lib. Contra Guibertum*, edito ab Henrico Canisio *tom.*6. *antiq. lect*: *Beatus Pater noster Gregorius (quod de Cornelio scripsit B. CYPRIANVS) factus est Episcopus de Dei, & CHRISTI ejus judicio, de Clericorum penè omnium, & omnium ò omnium testimonio, de plebis, quæ tunc aderat, suffragio, de Sacerdotum antiquorum, & bonorum Virorum Collegio, quo occupato, & de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensu ordinato, &c.*

1897 Dicitur etiam à Presbytero POENITENTIARIO *in Actis Sancti Anselmi Lucensis*: *Religiosissimus ipsius Anselmi ordinator (Gregorius) cujus Vita ineffabiliter mirabilis, & mirabiliter ineffabilis.* Ab OTHONE FRISINGENSI: *Forma gregis factus, qui quod verbo docuit, exemplo demonstravit, ac fortis per omnia athleta se pro muro domui Israel opponere non timuit.* A LAMBERTO SCAFNABVRGENSI *in Commentar. de Rebus gestis Germanorum*: *Vir Sacris Litteris Eruditissimus, & in tota Ecclesia, tempore quoque priorum Pontificum omni virtutum genere celeberrimus.*

1898 A S. ANTONINO, Florentiæ Archiepiscopo, *part.*2. *Histor. tit.*16. *Vir timens Deum, justitiæ, & æquitatis amator, in adversis constans, in prosperis moderatus, & valdè cordatus, Ecclesiæ jurium defensor acerrimus, & qui præter Deum in his, quæ ad justitiam pertinebant, nihil timuisset efficere.* A PAPIRIO MASSONO *in lib. de Episcopis Vrbis*: *Vir bonus, & Ecclesiasticæ libertatis amantissimus, in Sacris item Litteris Eruditissimus, & in tota Ecclesia omni virtutum genere celeberrimus. Fortis & magnanimus, & ab Italica gente non degener, apud quam ortus est.* A PLATINA: *Deo gratus, prudens, justus, clemens, pauperum, pupillorum, viduarum patronus, atque vnius Ecclesiæ Romanæ fortissimus, & acerrimus defensor contra Hæreticorum improbitatem, & malorum Principum potentiam, res Ecclesiasticas per vim occupare conantium.* A CAROLO SIGONIO *lib.*8. *de Regn. Ital. ad annum* 1049. *Commemorabili pietate, & doctrina præditus.* Ab ONVPHRIO PANVINIO *in Annot. ad Platinam*: *Vir celeberrimus, atque Sanctissimus, & Ecclesiasticæ libertatis assertor vnicus.*

1899 A GENEBRARDO *lib.*4. *Chronograph.* *Cultor, & defensor justitiæ, & libertatis Ecclesiæ acerrimus, semper in Ecclesiastico rigore constantissimus. Inter omnes Romanos Pontifices præcipui Zeli, & Authoritatis laudatissimus, verêque Apostolicus, & Pontificatu dignissimus.* A POSSEVINO *in Appar. Sacro.* Verè Sanctus, qui vivens miracula edidit, ac de quo illud verè dici potest, quod de arbore palmę dicitur:

Fortis erumpit, cum magis vrget onus.

Quantò enim magis appetitus est insidiis, calumniis, vi & tyrannide Henrici Imperatoris, tantò constantior fuit in re Fidei sartatecta tuenda, vt cum Sancto Athanasio conferri possit: quique scripsit Epistolas, sapientia plenas, quæ asseruantur in Bibliotheca Vaticana.*

1900 A Cardinali BARONIO *ad* egre-

annum 1055. *Magni ingenii, & ingentis animi, atque insignium virtutum, & egregiæ Sanctitatis Vir.* A Cardinali BELLARMINO *Sanctus* appellatur Gregorius *in lib. de Scriptor. Ecclesiast.* & non solùm doctrina, atque prudentia, sed etiam sanctitate, & miraculis glorioſus. A HIERONYMO BARDI *in Chronolog. Univers. part.* 4. vocatur *Optimus Pontifex.*

1901 Eminentissimus Card. AGVIRRE *in Cath. S. Petri vindic. tract.* 2 *disp.* 31. *sect.* 2. *nu.* 35. in laudem Gregorii asserit: *Deindè Gregoriũ in tot illis dissidiis cum Henrico, nec latum vnguem à justitia, charitate, & prudentia Christiana declinasse, sed potiús se gessisse, quemadmodum decebat Pontificem, à Deo electum Ecclesiæ totius Parentem, Fidei fortissimum defensorem, disciplinæ Ecclesiasticæ labentis vindicem, & summum Zelatorem divini honoris, testati sunt qui eo ipso sæculo scripserunt, & insignis pietatis opinione claruerunt. Talis fuit S. Anselmus Cantuariensis, Doctor Ecclesiæ celeberrimus. Similiter S. Anselmus Lucensis ejusdem temporis, alterum lumen doctrina sanctitate, & miraculis fulgens, Gregorium liberè, & constanter defendit.* Et enumeratis cum his vsque ad sexdecim celeberrimis Scriptoribus pro nostro Gregorio stantibus, *num.* 39. concludens, ait: *Denique Gregorius post innummeros labores, persecutionesque diras toleratas pro Gloria Dei, bono Ecclesiæ, morum reformatione, & correctione immanium scelerum, quæ eo tempore perpetrabantur, præsertim ab Henrico, ejusque sequacibus, tàm Clericis, quam Laicis, pulsus Roma ab iis, seu exulare coactus, primò confugit ad Cassinum, Natalem locum Ordinis sui, deinde Salernum se recepit, vbi inter erumnas, & dolores, patientissimè toleratos, plenum Fide, Spe, & Charitate ardentissima in Deum, innocentis vitæ periodum fœliciter clausit die* 25. *Maii, anno* 1085. edita illa insigni voce: *Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem, propterea major in exilio.* Eant nunc quicumque ex sectariis mentiuntur, aut ipsum retractasse, & indicta voluisse, quæ eatenus fecerat contra Henricum; aut pessima morte obiisse. Constans in Sententia totius vitæ anteactæ, meritis pretiosam coronidem imposuit, ideoque mortem ejus, veluti Sanctissimam celebrant innumeri Scriptores, præsertim eo tempore viventes, veluti Cardinalis Leo Ostiensis *in Cassinensi Chronico Ecclesiæ Virdunensis*, quorum prior testatur, illum coruscasse miraculis, apud Cassinum dum Missam celebraret; posterior non dubitat appellare Confessorem, & Martyrem. Scriptor quoque vitæ S. Anselmi, testis oculatus, plura ejusdem Gregorii miracula refert. Quapropter jure, meritòque ab Ecclesia Catholica in album Sanctorum relatus fuit.*

1902 Id etiam constat manifestissimè; nam *eadem die* 25. *Maii* ab Ecclesia colitur, vt videre est in illis MARTYROLOGII ROMANI verbis: *Salerni depositio B. Gregorii Papæ VII. Ecclesiasticæ libertatis propugnatoris, ac defensoris acerrimi.* Et Card. BARONIVS ad ea verba: *Gregorii Papæ VII.* hæc valdè notanda scribit: *Sanctissimi Pontificis gloria numquam valuit Schismaticorum Scriptorum, Schismaticis Regibus faventium, calumniis obscurari, vel aliqua ex parte labefactari, quin potius longè clarior reddita semper est, atque illustrior, sicut olim Sancto Magno illi Athanasio, Fidei propugnatori contigit, cum & ipse circumventus, & penitus obrutus esset falsis objectionibus Arianorũ; qui enim ab Ecclesia Catholica non desciverunt, resque hujus Sanctissimi Pontificis præclarissimè gestas sincerè mentis oculis sunt contemplati, immensis eum præconiis, si quem alium Antiquorum Sanctorum Patrum sũt prosequuti. Et vt omittamus hîc referre testes pœnè innumeros, satis sic tibi modò Lambertus, qui sui temporis per annos singulos puram, & germanam digessit historiam, ejusque Acta conscripsit. Hic inter cætera tanti Pontificis ornamenta recenset, eum, dum vixit, miraculis claruisse. Consule, si libet, Marianum Scotum, qui illis ipsis etiam temporibus claruit, candidèque res ejus per singulos annos conscripsit, quales fuerint calumniæ Schismaticorum, & qualia tanti Pontificis merita, æqua lance librans. (Et *paulò infrà*:) Porrò qualis, quantusvè fuerit, qui Zelus, ipsiusque animi cõstantia, Pastoralis vigilantia, vigor, & disciplina, ac denique cęterę virtutes, tantò culmine dignæ, in eo Pontifice enituerint, Registrũ ipsius Epistolarũ, quod asseruatur in Vaticana Bibliotheca facilè indicat.*

1903 LVDOVICUS THOMASINVS, Oratorii Gallicani Presbyter, Eccle-

Ecclesiastica eruditione percelebris, *de Vet. & Nova Eccles. Disciplina part. 2. lib. 2. cap. 46. num. 3.* hæc habet: *Anno 1080. Imperator Henricus, Brixinone Cõciliabulum congregavit, vbi triginta Episcopi, aliorum vnde viginti consentientibus suffragiis muniti, depositionis sententiam impiam, irritamque dixerunt in Gregorium, ejusque loco Papam sibi elegere Guibertum Archiepiscopum Ravennatem. Henricus Imperator Gregorium Romæ obsidione cinxit, quam solvere coactus est à Roberto Viscardo gentis Gallicæ, seu Normannicę, Apuliæ Duce. Casinum successit Gregorius, indè Salernum, vbi anno 1085. ad cœlites mortali stadio functus commigravit.*

1904 P. FRANCISCVS CARRIERE, Minorita, *in Hist. Chronolog. Pontif. Roman. in Gregorio VII.* sic habet: *Gregorius Casinum se recepit; vbi dum aliquando Missam celebraret, manifestata est viro cuidam rapto in exstasim columba expansis alis protegens humeros Gregorio adversus Henricum comprobari à Deo, idque iussus est renuntiare ipsi, cum adhortatione, vt constanter perstaret. Hinc Salernum se contulit, vbi consistens, cum sedisset annis 12. mense vno, diebus tribus, migravit in cœlum miraculis clarus.*

1905 P. THEOPHILVS RAYNAVDVS variis in locis magnopere stat pro sanctitate Gregorii, ejusque incontaminata innocentia, tot iniquis impetita calumniis *Tom. enim 12. in Hoplotheca contra ictum calum. sect. 2. serie 1. cap. 12.* *Gregorius VII. inquit, Pontifex Sanctissimus, & in Ecclesiæ puritate, ac libertate tuenda infractus, Simoniæ insimulatus est à Schismaticis, vt scribit Lambertus Scafnaburgensis. Sed Gregorius innocentiam suam probavit perceptione divinæ Eucharistiæ hortatus Henricum Regem, in cujus gratiam calumnia ista conflata fuerat, vt ipse similiter in testimonium innocentię quoad crimina, de quibus arguebatur, communicaret, invocato in testem CHRISTO, qui in Eucharistia percipitur, quod Rex malè sibi conscius noluit facere.*

1906 Et *infrà*, relato Hugonis Flaviniacensis testimonio, qui de Gregorio plurima attexit egregia: *Nominatim (inquit) quæ ad annum 1085. quo ejus obitum consignat, & constantiam ad extremum vsque servatam exponit, & illud nihil sibi conscii pectoris specimen refert, quo obitus sui imminentem diem prænuntians, in virtute obedientiæ, & sub divini judicii stricta interminatione Cardinales, & Episcopos sibi adstantes constrinxit, & siquid in eo corrigendum deprehendissent, fidenter aperirent; omnibus collaudantibus, & vitæ conversationem, & disciplinam doctrinę sanctę, morumque institutionem, & secundum scientiam sancti zeli fervorem. Ex quibus liquet quàm injuria Gregorius sit Simoniæ, & tot aliorum criminum insimulatus factus scopus ad sagittam, quia dilexit justitiam, & odit iniquitatem.*

1807 Idem THEOPHILVS *vbi sup. cap. 5.* de eodem Pontifice loquens: *S. Gregorius VII. Romanus Pontifex, tàm probis, ac piis omnibus laudatus, quàm politicis, & falsi nominis Catholicis, ac hæreticis exosus, in Synagoga malignantium damnatus est criminationibus (de quibus agit Abbas Vspergensis *in Chron. ad annũ* 1080.) Quę omnia (inquit Theophilus) adeò monstrosè sunt calumniosa, vt nè ipse quidem diabolus, comminisci tetriora potuisset. Extant enim Acta Concilii Romani sub Gregorio damnationem Berengarii continentia. Et Bennoni (quisquis demum Author fuerit calumniarum adversus Gregorium) facilius, & crebrius est calumniari Gregorium, quàm halitum ducere.*

1808 Et *infrà eod. Tract. & sect. serie 2. cap. 5.* in laudem ejusdem Pontificis hæc tradit: *S. Gregorius VII. incontinentium Clericorum hostis acerrimus, ab iisdem quasi recriminantibus accusatus, ac criminationibus impetitus. Sed hęc impudentiam plusquam meretriciam præferunt hominum, quibus acerbum erat à pellicibus abstrahi. (Et *infra*:) Deus tot & tantis miraculis mirificavit Gregorium, Zelusque ejus adversus impuros sacrilegos adeò testatus apud omnes erat, vt nulla foerit ambiguitas quin perversissimè, & calumniosissimè ex ea parte appeteretur.*

1809 Et *infra, sect. 2. ser. 3. cap. 12.* hęc, pro vindicando Gregorio à calumniantibus impetito, scribit: *S. Gregorius VII. à Sigeberto *in Chronico*, *anno* 1074. de multorum, vt ait, sententia inconsiderati prejudicii insimulatus est, ob damnatas contra Patrum doctrinam missas Sacerdotum conjugatorum, ac Simoniacorum.*

Ve-

Verum hæc est mera calumnia Sigeberti, qui de illorum Religiosorum numero se esse prodit, quibus pietas vilescit, & erga Ecclesiam, ac bonum animarum affectus teper, aut friget præ nationali, aut gentilitio studio. Itaque cum S. Gregorio VII. & Henrico Imperatori, cui Sigebertus suberat, malè conveniret, nullam prætermisit occasionem mordendi Sanctum Pontificem, quem quatenus damnatarum missarum indignorum Sacerdotum notati, rejecimus supra, cum de calumnia hæreseos. Quatenus verò præcipitis & impotentis animi in damnatione incontinentium Sacerdotum insimulat Sanctum Gregorium, ferendus non est. Nam Gregorius sanctissimè adversus torrentem impurorum ministrorum est obnixus. Quid enim decentius quàm ministrantes Altari succinctos esse lumbos mentis & corporis? ..... Quod verò idem S. Gregorius Regem Germaniæ, Imperatorem ejus nominis tertium inconsideratè damnaverit non est minus calumniosum, vt per otium ostendi in tractatione de malis bonorum Ecclesiæ, & abundè liquet ex horrendis sceleribus, quæ de Henrico scribit Gerochus Præpositus Reichesbergensis in Syntagmate de Henrici, & Gregorii causa, *cap.* 10. 11. & 12.*

1809 P. MATHIAS A CORONA, Ordinis Carmelitanæ, Sacræ Theologiæ eruditissimus Doctor Sorbonicus, *lib. de Potestate Infallibili Romanorum Pontificum, tract.* 2. *cap.* 8. de Gregorio VII. differens, multus est in ejus laude, quàm plurimis celebriorum Authorum testimoniis, quæ missa facimus, cũ sint ex his, quos *supra* retulimus, exornat, vt videre est *nũ.* 29. vbi asserit: *Gregorii VII. virtutes celebrant varii Authores omnium nationum S. Anselmus Cantuariensis, S. Antoninus, Leo Ostiensis. De illo etiam præclarè scribit Marianus Scotus, Bernardus Corbiensis in Apologia pro Gregorio teste Trithemio in Catalogo Scriptorum. Fasciculus temporum *anno* 1085. ejus Sanctitatem commendat, eique multarum persequutionũ tolerantiam pro justitia Bertholdus attribuit ad eũdẽ annũ. (Et *num.* 30.) Marianus Scotus comparat eos qui Gregorio adversantur, impiis, & Gregorium Eliæ, ejusque fautores. Laudat Gregorii Zelum Otho Frisingensis *lib.* 6. *cap.* 24. imò non tantùm ejus Zelum commendat, sed & exemplum, Constantiam: *Forma Gregis factus quod verbo docuit, exemplo demonstravit, ac fortis per omnia athleta murum pro Domo Domini ponere non timuit*; quasi diceret, hic castitatem, devotionem, liberalitatem, misericordiam, &c. docebat non tantùm verbo, sed etiam exemplo. De ejus Constantia sic iterum loquitur Otho *cap.* 32. *Hildebrandus semper in Ecclesiastico vigore Constantissimus fuit.** Tandem P. à Corona cõcludit: *Quẽadmodũ olim Elias inter omnes Prophetas, inter omnes Populi Rectores excelluit, ita & Gregorius inter omnes Christiani Populi Rectores excelluit, seu ita Gregorius inter omnes Sacerdotes, & Pontifices suo Zelo primum locum meruit. Non cedit Thomę Cantuariensi, Lamberto Tungrensi Episcopis, non cedit suis Prædecessoribus, & Successoribus, qui pro Ecclesia Dei, & ejus juribus constantissimè dimicarunt.* De illius calumniis *num.* 32. dicit: *Omnium calumniatorũ Coriphęus est Benno Pseudo Card. non à Gregorio VII. verò Pontifice, sed à Pseudo Papa Guiberto, dicto Clemente III. creatus, eo temeritatis progressus est, | vt Sanctum illum Pontificem calumniis impetere ausus fuerit.*

1910 Hujus temporis Scriptor clarissimus eruditione CHRISTIANVS LVPVS *tom.* 5. *Concil.* ferè per totum de gestis nostri Gregorii egit, ipsum magnopere laudans, præsertim *part.* 1. *in ejus initio*: *Gregorium VII. inquit, licet Bennonis, & Hugonis Blanchii Romanorum Cardinalium, & plurium aliorum calumniis denigratum, fuisse virum longè Sanctissimum, affirmant, & magnis encomiis ornant Bertholdus Constantiensis, Lambertus, Otho Frisingensis Episcopus, & alii gravissimi Scriptores. Hinc meritò suis Sanctorum tabulis inseruit Romana Ecclesia 25. *Maii.* (Ejusque verbis relatis:) Pro acerrima istius libertatis, ac omnis Ecclesiasticæ disciplinæ reparatione est passus durissima, ac in exilio defunctus.* Taliter quod vt dicit idem LVPVS *in Dedicatoria Epistola ejusdem libri*, tantam monstravit constantiam, & Zelum in Ecclesia suo tempore defendenda, maximis persecutionibus impetitus, qualẽ S. Athanasius, & S. JOANNES CHRYSOSTOMVS suo tẽpore: *Gregorium VII. inquit, Pontificem, verum sui sæculi Athanasium, aut Ioannem Chrysostomum in Sacris Sanctorum*

rum tabulis Romana Ecclesia meritò titulat: *Acerrimum Ecclesiasticæ libertatis propugnatorem, ac defensorem*. Miserandam, quam in sui Apostolatus exordio, invenit Catholicæ matris servitutem, describit ipse Pontifex in Litteris ad Sichardum Aquilejæ Patriarcham *lib.* 1. *Epist.* 42. Non ignorare, (inquit) credimus prudentiam tuam, quantis perturbationum fluctibus Ecclesia sit vsquequaque concussa, & penè desolationis suæ calamitatibus naufraga, & submersa. Rectores enim, & Principes hujus mundi singuli quęrentes quę sua sunt, non quæ IESV CHRISTI omni reverentia conculcata, quasi vilem ancillam opprimunt, &c.

1911 Etiam in corporis Castitate tantas tunc plagas sufferebat, ac deflebat Latina Ecclesia, vt non tantùm Diaconi, ac Presbyteri, sed vt ipsi Episcopi vxores palam ducerent, & cum ipsis volutarentur. Adversus has partes (inquit Lupus) pro Catholica Fide Athanasium, pro Ecclesiastica disciplina Joannem Chrysostomum egit VII. Gregorius:::: Nec solos hinc inde Duces, aut Comites, sed etiam Philippum Galliarum Regem, Henricum IV. Germaniæ Cæsarem, ac Nicephorum Botoniatem Imperatorem Constantinopolitanum compulit suis Sanctionibus obedire, & pro his glorioſis actibus, eamdem cum magno Athanasio, & S. Joanne Chrysostomo, mercedem est à Domino consequutus: *Centies tantùm cum persecutionibus*::: Hinc Hugo Flaviniacensis Abbas ipsum in Virdunensis Ecclesiæ Chronico, non ambigit affirmare Martyrem.* Hactenus ille.

1912 M. NATALIS ALEXANDER *sæcul.* 11. & 12. *art.* 11. de Gregorio VII. agens, hæc tradit: *Alexandro II. ad superos trãslato, Hildebrãdus natione Etruscus, ex Monacho Cluniacensi, Sacræ R. E. Card. sub Summis Pontificibus Leone IX. Victore II. Stephano IX. Nicolao II. & Alexandro II. præcipuis muneribus, & legationibus perfunctus, Vir ingenii vehementis, eruditionis exquisitæ, severæ Sanctimoniæ, studii in disciplinam Ecclesiasticam incredibis, animi intrepidi, quem Sanctissimi, ac purissimi consilii Virum Petrus Damiani ad Nicolaum II. scribens prædicat, conspirantibus Cardinalium suffragiis, Cleri totius summo consensu, omnium Ordinum applausu, electus est Pontifex *decimo Kal. Maii*, quo sepultus est Alexander II. *anno CHRISTI* 1073. vt constat ex Decreto electionis ipsius in quo hoc elogio exornatur. Quòd Decretũ jam suprâ tradidimus. Hisque relatis prosequitur Alexander *ibi num.* 1.) Invitum ad supremæ fastigium Dignitatis evectum fuisse constat ex illius ad Desiderium Abbatem Cassinensem *Epist.* statim post electionem data. Henrici, Germaniæ Regis, consensus accessit, teste Lamberto Scafnaburgensi. Dum Missarum solemnia perageret, visa est à viris piis columba è cœlo delapsa, humero ejus dextero insidens, alis extensis caput ejus velare, quo significatum est Spiritus Sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus, ipsum duci in Ecclesię regimine, vt Paulus Benriedensis in ejus vita commemorat. In id præcipuè Gregorius VII. incubuit, vt Simoniacam Hęresim, quæ in Germania, & Italia, & Galiis impunè grassabatur, extirparet, necnon Hæresim Nicolaitarum, sive pertinacem errorem incontinentium Clericorum, qui licitum sibi concubinarum consortium propugnabãt, nec à fœda libidine vllis Ecclesię Decretis evocabantur. Id constat ex eodem Authore, & ex plerisque Gregorii Conciliis, ac Epistolis.

1913 Berengarii Hæresim in duplici Synodo Romana damnavit Gregorius VII. ipsumque compulit ad Hæresim ejurandam, & ad duplicem Fidei professionem edendam. Gregorio VII. diuturnum fuit, ac pœnè perpetuum adversus Henricum IV. Germaniæ Regem, certamen, vt Ecclesiam in libertatem assereret. Simonia cum investituris conjuncta præcipua ratio fuit, quæ Pontificis Sanctissimi Zelum adversus Henricum exitavit: *Idque genus multa apud Alexandrũ loco laudato, præsertim *num.* 28. vbi de ejus obitu sermonem instituens, quem Salerni contigisse tradit *die* 25. *Maij anni* 1085. cum sedisset *annis* 12. *mense vno*, *diebus* 3. hæc subdit.* Suprema ejus verba hæc fuere: *Dilexi justitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Salerni in Tẽplo S. Matthæi Evangelistæ sepultus est. Miraculis ante, & post obitum ejus sanctitas comprobata. Quorum vnum Paulus Benriedensis in ejus vita, & S. Anselmi Lucensis Episcopi Pęnitentiarius in ejus Actis referunt. Olim, inquit Paulus, Elias ex mortalium cohabitatione transiturus, dimisit Eliseo pallium suum, Prophetici muneris

ris instrumentum; similiter & Gregorius ex hac mortali vita migraturus transmisit Anselmo Pontificalis insigne Potestatis, videlicet mitram capitis sui, hoc nimirum Deo cooperante, vt sicut illæ Profetiæ per pallium hęreditavit prærogativam, ita & iste Sacerdotalem per mitram obtineret eminentiam. Nempè eo vsque processit similitudo, vt sicut Eliseus per pallium Eliæ virtutum signa demonstraverat, ita & Anselmus per mitram Gregorii quædam magnalia exhibuerit. Nàm, vt de pluribus vnum magis divulgatum proferamus, Reverendus Mantuanę Præsul Ecclesiæ Vbaldus, multis jam annis gravissimè spleneticus, & toto corpore vlceratus, pręsertim in cruribus, sic vt vix quomodolibet stare posset, vix etiam jacere, vel sedere, qui & multa in Medicos erogaverat, nihilque profecerat, apposita eadem mitra vbi major ingruerat dolor, pristinæ redditus est sanitati.*

1914 Nec silentio duximus hic prætermittendum, quin potiùs Litteris aureis scribendum, quod Vrbanus II. Papa *in Epist. ad S. Alphanum Salernitanum Episcopum* (quam primum dedit Cardin. BARONIVS *ex manuscripto Codice Bibliothecæ* Cardinalis Sirleti, postea Cardinal. Columnæ, *anno* 1099.) in laudem nostri Gregorii prodit, ipsum hoc exornans elogio: *Gregorius Apostolicæ memoriæ VII. Papa, cujus quàm præclara doctrina, quàm miranda constantia fuerit, Romana Ecclesia prædicat, Occidens vniversus agnoscit, tyrannorum pertinacia tollerat, & conculcata testatur.*

1915 Vt tamdem pateat, quàm gratus Deo fuerit Pontifex Gregorius, ejusque ferventissimus Zelus, quo tutatus est suam Sponsam Ecclesiam, tàm ab Hæresibus, quæ eo tempore fęde grassabatur, quàm à Schismaticis, qui reformationi morum ab eo procuratæ obsistebant, ob quæ inexplicabiles tribulationes à potentissimis Principibus pertulit: his tamen invicta patientia toleratis, inflexibilique constantia exantlatis laboribus, vt Fidei candorem, quo Ecclesia fulget, & Sacrorum Ministrorum castitatem, à CHRISTO Domino, & Apostolis præscriptam, & statui Ecclesiastico omninò congruentem, & necessarium illibatam servari faceret, ac præcipitem collapsamque ferè Clericorum continentiam restitueret, ita vt pro tàm justæ causæ propugnatione, non modò à Sęcularibus Proceribus, sed & ab Ecclesiasticis, pluribus calumniis fuerit impetitus, & gravissima erumnarum mole afflictus, quinimò vltimum vitæ spiritum in hac acri pugna gloriosè prodegerit. Vt inquam Orbi notum fieret, quam non in vanum laboraverit, piissimus Deus non vulgaria pignora erga Sanctissimum Pontificem dedit, ejus Fidem, Religionem, justitiam muneraus plurimis miraculis, quibus & ipsius innocentiam testatus est, & persecutorum fraudes, de tectæ, ac punitæ per horribilem vindictam, Deo demonstrante, quantum ipsi calumniantium artes, & opera displicuerint: *Vultus enim Domini super facientes mala*, vt plurimis eorum miserè pereuntium exemplis, à fidedignis Authoribus relatis suprà est ostensum.

1916 Nec modò viventem suum Athletam Dei benignitas honorare dignata est, sed etiam post mortem manifestare voluit, quod, *In memoria æterna erit justus*, non tantum ipsius animam in cœlestia Regna advocans, sed ejus corpori incorruptibilitatis gloriam concedens. Testantur quippè non vulgares, sed gravissimę fidei Historici *post quingentos ab obitu annos* ejus loculo aperto, cadaver nulla temporis injuria libatum, magno Catholicorum & piorum omnium solatio, & gratulatione inventum fuisse. Id apertè docet Illustrissimus SPONDANVS *ad annum* 1085. *num.* 3. *Cujus Sancti corpus, inquit, nostra ætate *post quingentos fermè ab obitu annos*, cum sepulchrum ejus restitueretur, inventum est omninò integrum, atque incorruptum, & ita hactenus perseverat, sicut & multis aliis Sanctorum corporibus accidisse noscitur.*

1917 Pro hac eadem re stat P. M. CIACONIVS *in Gregorio VII.* dicens: *Cujus corpus postea *anno Domini* 1578. quæsitum, fermè incorruptum repertum est, & Pontificalibus insignibus ornatum.* Quibus contestatur FERDINANDVS VGHELLVS Abbas SS. Vincentii, & Anastasii, Ordinis Cistercienſis *in sua Italia Sacra*, *tom.* 7. vbi in descriptione Ecclesiæ Salernitanæ memorabiles in ipsa vrnas commemorans, ita scribit: *Qui autem à dextris conficitur angulus in imò Templi illustris sanè factus est.::::Tum ob plurimum Prælatorum splendidissimas vrnas præcipuè vero ob marmoreum tumu-

lum, in quo Robertus Guiscardus Gregorii VII. Summi, Optimique Pontificis corpus collocavit, quem, vt Henrici IV. Romanorumque perfidiæ subtraheret, quasi profugum hospitio receperat, cujus nos (ait Marsilius) reliquias nulla ex parte labefactatas, Pontificiisque indumentis ornatus, *hoc anno*, qui est *á tumulatione ferè quingentesimus*, propriis oculis inspeximus, propriisque manibus contrectavimus, locumque ipsum, vetustate penè collapsum, restituimus, & in Sanctissimi, ac generosi Pontificis honorem penè delitescentem hujusmodi monumentum erexímus.

GREGORIO VII. SOANEN. PONT. OPT. MAX.

Eccles. libertatis vindici acerrimo, assertori constantiss. qui dum Rom. Pont. authoritatem adversus Henrici perfidiam strenuè tutatur, Salerni sanctè decubuit.

A. D. M. XXCV. VIII. KAL. IVN.
M. A. COLVMNA MARSIL. BONONIEN.
ARCHIEPISC. SALERN.

Cum illius corpus post quingentos circiter annos sacris amictum, ac ferè integrum reperisset, ne tanti Pontif. sepulchrum memoria diutius careret.

M. P.
GREGORIO XIII. BONONIEN.
SEDENTE
A. D. MDLXXVIII. PRID. KAL.
QVINCTIL.*

1918 P. DANIEL PAPEBROCHIVS *in Conatu Chron. Historico ad Acta Sanctorum Maij in Gregorio VII.* hæc scribit: *Tempus electionis notavi ipsis, quibus Decretum inchoatur, verbis, quòd æquè, ac totam Sancti hujus Pontificis vitam á Bernardo Bentiedensi conscriptam *tom. 6. Maij* illustratam invenies, cum notitia incorrupti corporis, & præsentis venerationis in eadem Ecclesia, quæ duplex ejus festum solemnissimè celebrat *die* 4. & 25. *Maij*. Prior Sacer est translationi reliquiarum ejus ad Sacellum S. Michaelis Archangeli, in novum sub Ara ipsa sacra monumentum. Ipsius verò rei gestę memoria hujusmodi sculpta legitur in marmore: *Gregorio VII. Soanensi*, &c.* Vt suprà.

1919 Etsi hactenus abundè probata sit Sanctitas vitæ, Fideique integritas Sanctissimi Pontificis Gregorii VII. ac tot præstantissimorum Scriptorum suffragio fulta, vt nullus ambigendi locus supersit, quò illum maximè Sanctitatis candore enituisse putemus: nihilominus restat non levis momenti oppugnatio solvenda, quæ in eo sistit, videlicet, nostrum GREGORIVM Sanctorum Catalogo adscribendum, ac colendum sanxisse inter Martyres Liberiũ Pontificem, quem quàm plurimi probatæ Fidei Authores, non Sanctum, sed Arianæ Hæresis participẽ arbitrati sunt. Vndè colligit Cardinalis Benno ex eo Decreto hæc adversus Gregorium: *Hildebrandus, vt Liberii festum celebraretur, jussit. Hoc præcepto ejus Hæresim firmavit, qui ex laudabili;

bilibus meritis damnabiles exitus habuit.*

1920 Huic autem difficultati diluendæ non erit nobis magnopere laborandum. In primis enim possemus negare, tale Decretum edidisse Gregorium, cum teste Cardinali AGVIRRE *in Cathed. D. Petri vindic. disp.* 28. *sect.* 2. non aliundè constet, id contigisse, nisi ex narratione Bennonis, qui quàm indignus fide sit, vtpotè Schismaticus, infensissimusque Gregorii hostis, satis *suprà* ostendimus.

1921 Secundò non inficiamur, imò libenter fatemur, Gregorium Decretum edidisse, vt celebraretur festum de Pontificibus, de quibus constiterit glorioso Martyrio obiisse; vt constat *ex Belgii Chronico*, vbi hæc habentur: *Gregorius constituit, vt Festa Romanorum Pontificum, qui Martyres fuerunt, solemniter celebrarentur.* Et *in lib. de Eccles. observat. Scriptor* MICROLOGVS *cap.* 43. hæc habet: *Gregorius, hujus nominis Papa VII. Apostolicæ Sedi Præsidens, constituit, vt Sanctorum omnium Romanorum Pontificum, & Martyrum festivitates solemniter vbique cum pleno Officio celebrarentur. Nam cum quælibet Ecclesia sui Patroni etiam si Confessor fuerit, festum solemniter observet, quantò magis eorum, qui totius Ecclesiæ, non tàm Patroni, quàm Patres extiterunt, quam etiam vsque ad Martyrium verbis, & exemplis instituere non destiterunt?* Et ANTIQVÆ HISTORIÆ COMPILATIO habet: *Gregorius constituit, vt omnium Sanctorum Martyrum, & Romanorum Pontificum solemnitates vbique cum pleno Officio celebrarentur.* Vndè liquidò constat, quòd etsi Gregorius de Pontificibus Martyrio coronatis festum celebrari jusserit, nihil tamen in specie de Liberio sanxit, ac per consequens ex Decreto Gregorii non vrget Bennonis argumentum.

1922 Sed in oppositum nihilominus potest ampliùs vrgeri. Nã cõperti habetur ex his, quę nunc diximus sanxisse Gregorium, celebrari festum de omnibus Pontificibus Martyribus, & cum certum sit apud nos, vt Martyrem coli Liberium, de quo S. HILARIVS, S. HIERONYMVS, & alii, Arianæ Hęresi subscripsisse testantur; hinc manifestè deducitur, Gregorium præcepisse, coli Liberium, non verè Martyrem, sed Arianismo infectum.

1923 Vt huic difficultati melius respondere possimus, aliqua nunc repetenda sunt *ex Apologia pro Liberio*, quàm supra longa manu tradidimus. In primis enim supponendum est, falsò fuisse insimulatum Liberium de Arianismo, à quo ipsum abundè vindicavimus *in supra laudata Apologia pro Liberio*, à triplici impacta calumnia. Prima enim, & præcipua erat, quòd Arianæ Hæresi subscripsisset. Secunda, quod iniquam Athanasii damnationem, ab Orientalibus Episcopis Arianis factam, firmasset. Tertia, quòd Arianis, apertis Fidei, & Ecclesiæ hostibus, communicasset, & cum illis in odium Fidei cooperatus fuisset. De prima criminatione, absolutè inficiamur, Pontificem Liberium vllo vmquam tempore Arianæ Hæresi subscripsisse; quia juxta communem Authorum Sententiam tres tantummodò Fidei formulę in illa Arianę Hæresis tempestate dabantur in Sirmiensi Synodo sub Liberio Pontifice editæ; quarum prima, quæ contra Photium, Divinitatem CHRISTI negantem, facta fuit, ab omnibus Catholica habita est, sicut & tertia. Primam enim interpretando Catholicam probat S. HILARIVS. Tertiam pariter Catholicę professioni consentientem S. EPIPHANIVS demonstrat, teste IODOCO COCCIO *de Liberio*, aliisque probatissimis Authoribus. Solum videre restat, an Liberius subscripserit secundę Fidei formulę in Sirmiensi Concilio editę, in qua Filium cum Patre consubstantialem, seu vnius substantiæ esse, negabant Ariani, cui quidem, cum Hęretica sit, numquam Liberium subscripsisse, probatur, imò oppositum apertè convincitur multiplici rationum pondere, ac celebriorum Scriptorum testimonio, *á nu.* 2950.

1924 Secundæ calumniæ, quæ Liberio impingitur, quòd damnationi Athanasii, pro Fide exulantis, subscripserit, abundè satisfit *eod. cap.* §. 2. A tertia autem, quòd Fidei hostibus communicarit Liberius, latè vindicatur *ibidem* §. 3. *per totum.* Pariter etiam his, quæ ex HILARIO, & HIERONYMO Liberio opponuntur, abundè respondetur *ibidem* §. 4. 5. & 6. Et nè actum agamus, remittimus lectorem ad ea, quæ *in ea Apologia* pro vindicanda illibata Liberii Fide lato calamo tradidimus. Vndè cùm omninò immunem à calumniis, quæ in Fide suspectum reddere possent Liberium ostenderimus,

mus, nullaque labe lessæ Fidei reum, vllo cum fundamento probare possint Authores oppositi.

1925 Respondemus Bennonis argumento, optimo jure sanxisse Gregorium, omnes Pontifices Martyres colendos esse, etiam si inter ipsos numeremus Liberium; cum omni culpa liberum, præsertim in materia Fidei agnoscant omnes Authores, quos suprà *in Apologia pro Liberio* laudavimus. Et non solum immunem à culpa, verùm & celebriores Scriptores, ac Sanctitate clarissimi, eum Sanctum agnoscant, ac venerentur. S. HIERONYMVS præclarè Liberii in Fide Constantiam laudat *in suo Martyrologio, ad diem 9. Kal. Octobris*: *Romę (inquit) depositio S. Liberii Episcopi.* Expresse addens titulum *Sancti*, quod aliàs ei in Pontificum natalibus rarum post hæc tamen frequentius, vt notat CONTINVATOR BOLLANDI *in Acta Sanctorum Maii.*

1926 Sequūtur VVANDELBERTVS *in suo Martyrologio Metrico.* Et eamdē Lectionem confirmant vetera ad genuinum BEDÆ Martyrologium additamenta *ex Manuscripto Vaticano*, & *S. Cyriacæ.* Iterum verò refertur nomen ejusdem Sancti Liberii, *in veteri Manuscripto Barberino, pictoque Aventini Montis Kalendario, ad* 8. *Kal. Maii*, vnà cum S. Benedicto Papa II.

1927 GRÆCI *in suis Sinaxariis* recolunt eumdem Liberium, vt Sanctum 24. Augusti, cum honesto elogio, in quo, laudata ejus constantia, atque exilio, dissimulatur ejus lapsus, solùmque dicitur, Romanorum precibus victum Constantium, Throno suo eum restituisse, in quo residens, & vitæ reliquum laudabiliter secundum beneplacitum Dei transigens, obdormivit in Domino. Denique Liberii nomen, etiam in MARTYROLOGIO QVODAM COPTICO *ad 6. Octobris* scriptum reperitur.

1928 S. AMBROSIVS præclarè stat pro Liberii Pontificis Sanctitate; scribens namque *anno* 370. sic *lib. de Virginibus* Sororem suam alloquitur: *Quoniam, quæ habuimus, digessimus superioribus libris duobus, tempus est, Soror Sancta, beatæ memoriæ Liberii præcepta revolvere, vt quò Vir Sanctior, eò sermo accedat gratior; namque is cum in Salvatoris Natali, ad Apostolicum Petrum Virginitatis professionem, vestis quoque mutatione signaret: Bonas, inquit, filia nuptias desideratti.*

1929 Idem S. AMBROSIVS, loquens de Homilia, quam Liberius Pontifex ad Populum *in die Natalis Domini* habuit, quam integram refert, hæc habet: *Hæc tecum sanctæ memoriæ Liberius, quæ apud alios majora verbis, apud te minora exemplis.*

1930 Liberii sanctitatem SIMEON MATAPHRASTES *in Vita S. Athanasii* eleganter exponit: *Quo tempore (inquit) celeber in Sanctis, & Magnus Liberius, qui post Julium, magni Sylvestri Successorem, Romanam Sedem est adeptus, condemnatur exilio.*

1931 Nec leviter ad rem nostram facit ADO TREVIRENSIS *suo in Martyrologio*, vbi ait: **Nono Kalendas Octobris* Romæ depositio S. Liberii Papę.*

1932 Nec ab hac discedit Sententia S. EPIPHANIVS *Hæres.* 75: *Eustachius, inquit, ad Liberium Beatum, Romæ Episcopum, vnà cum multis Episcopis Legatum agebat.*

1933 Consonat etiam S. BASILIVS, qui *Epist.* 74. *ad occidentis Episcopos* hæc scribit: *Quædam ei proposita sunt à Beatissimo Liberio.*

1934 SIRICIVS Pontifex, qui tertius fuit à Liberio, *in Epist.* quam *ad Hymerium* scripsit, Liberium appellat *Venerandæ memoriæ Prædecessorem suum.*

1635 Card. etiam BELLARMINVS *de Romano Pontifice lib* 4. *cap.* 9. de Liberii Pontificis Sanctitate agens, dicit: *Præterea etiam post mortem semper Sanctus est habitus, vt planum est ex verbis Ambrosii lib.* 3. *de Virg. in princip.*

1636 Eruditus JODOCVS COCCIVS *lib.* 7. de *Hierarchia Ecclesiæ*, pro conclusione *articuli* 11. hęc asserit: *Liberium Papam fuisse Virum Sanctum, & Orthodoxum, non Arianum, &c.*

1937 CHRISTIANVS LVPVS, eruditione Ecclesiastica præclarissimus, *in Notis ad V. Romanum Concilium, ad Can.* 14. in confirmationem sanctitatis Liberii hæc notanda, scribit: *Et quidem Liberium fuisse Virum Sanctissimum, & non solùm Catholicæ Fidei, sed etiam Ecclę-*

cleſiaſticæ Hierarchiæ, Romani præſertim Primatus adverſus rebelles Euſebianos conſtantiſſimum defenſorem, oſtendunt variæ ejus Epiſtolæ, ejus Mediolanenſia, ac Romana cum Imperatore Conſtantio, & ipſius Eunucho Euſebio Acta; *in vtraque adverſus eumdem Principem Apologia* Sanctus Athanaſius; *in libro adverſus eumdem*, jam vita defunctum *Imperatorem* Sanctus Hilarius Pictavienſis; & in precibus Theodoſio Auguſto exhibitis Romani Presbyteri, Fauſtinus, & Marcellinus. Abſit vt Arianam Hæreſim admiſerit, aut foverit.* Hęc ille.

1938 Ex hucuſque dictis manifeſtiſſimè lucet ingens ſanctitatis opinio, quàm Pontifici Liberio, nèdum in vita, ſed & poſt ipſius obitum præclarę ejuſdem virtutes compararunt, prout Sancti Patres graviſſimi, primęque notæ Authores, ac ipſa demum ſuis in Martyrologiis, cum Latinis, tum Græcis, Sancta teſtatur Eccleſia. Et præter ſuprà laudatos ALPHONSVS CIACONIVS *de Liberio* agens: *Obijt, inquit, Romæ *octavo Kal. Octobris*, quo die anniverſaria celebritate natalis ejus ab Eccleſia recolitur. Sepultus via Salaria in cęmeterio Priſcillę *anno CHRISTI 367.** Andreas etiam VICTORELLVS *in Notis ad Ciaconium ad illa verba: Natalis ejus ab Eccleſia recolitur*, hæc annotat: *In Bedę Martyrologio ea die memoriam ejus notatam invenies. Laudatur à S. Ambroſio *lib. 3. de Virgin.* à S. Baſilio *Epiſt. 74. ad Occident.* & aliis.*

1939 Inſuper AVGVSTINVS OLDOINVS *in Not. ad Ciacon.* Liberii obitum recenſens, hæc habet: *Obiit *quinto Idus Septembris*, nempè *nono die Septembris* ex Baronio; ex Beda 10. *Kal. Octob.* hoc eſt, 23. *ejuſdem menſis die.* Sancti Liberij Papæ vita extat in Menologio Græcorum Romę in Bibliotheca Eminentiſſimi Franciſci Barberini aſſervato.* P. LVDOVICVS IACOBVS A S. CAROLO Carmelitanę familiæ alūnus, in Hiſtoria Pontificia clariſſimus, *in Bibliotheca Pontif. lib.* 1. de Liberio agens: *Omnia, inquit, Martyrologia ejus ſanctitatem commemorant. Item SS. Ambroſius, Baſilius, Athanaſius *Epiſt. ad ſolitar. vitam agent.* Sanderus *lib. 7. de Viſib. Eccleſ. Monarch.**

1940 Eminentiſſimus Card. AGVIRRE, meritò adverſus Pſeudo-Cardinalem Bennonem invehitur, qui criminari auſus fuerit Gregorium, quod Liberii feſtum celebrari juſſerit: *Hac, inquit, impudentia invehitur homo Schiſmaticus adverſus vtrumque Pontificem, Liberium denigrans, nonmodo tetra Hęreſeos nota, ſed etiam miſerrimo fine; Gregorium verò tamquàm approbatorem ejuſdem Hæreſis, & errorum in re maximi momenti: veluti qui hæreticum, & damnabili exitu mortuum, vt Sanctum honorari in Eccleſia pręceperit ſolemni officio. Sed enim quoad Liberium cuinam potiùs credendum, Siricio Papæ, S. Epiphanio, S. Ambroſio, S. Baſilio, coęvis ipſius, Bedæ, & VVandelberto in Martyrologiis ſuis infrà citandis, *num.* 34. aliiſque venerantibus illum jam vita functum; an Bennoni, Pſeudo Cardinali, cui conſilium in primis fuit calumniari omnes viros probos, & laudare improbos? Quàm fidem mereatur Benno, qui maligno aſtro percitus ſtuduit varios Pontifices infamare? :::: Et denique de variis criminibus S. Gregorium VII. Vitę innocentia, integritate morum, & Zelo Juſtitiæ inſignem? ::: Credendum potiùs Eccleſiæ Catholicę, quę hunc Sanctorum Albo adſcripſit, & in Martyrologio Romano decoravit, *ad diem* 25. *Maii*, elogio illo: *Defenſoris Acerrimi Eccleſiaſticæ libertatis*, ob quam tuendam innumeros labores, calamitates, & denique mortem in exilio paſſus fuit.*

1941 Quamquam hactenus dicta ſufficerent ad Bennonis Schiſmatici Cardinalis adverſus Gregorium impoſturam plenè retundendam; nihilòminus ex ſuperabundanti, eſtò ipſi demus Liberium, quem colendum ab Eccleſia exhibuit Gregorius, in aliquem deflexiſſe errorem, certiſſimum eſt apud Catholicos majoris nominis Authores, non fuiſſe in Fide lapſum, nihilque ex Cathedra vnquam protuliſſe, docuiſſe, vel Fidelibus credendum propoſuiſſe Fidei adverſum, nec in moribus, vel converſatione à Pōtificia Sanctitate deflexiſſe, vt ferè omnes vna mente teſtantur, qui ejus virtutes mirificè extollunt, præſertim Fidei conſtantiam. Et ſi aliqua ipſi adſcribi culpa poſſet ob ſubſcriptionem formulæ Fidei, Sirmienſis tertię, de qua ſuprà egimus, parirer etiam Authores, qui id ipſi adſcribunt, amarè pœnituiſſe teſtantur, ſimiliterque confeſsionem ſtatim edidiſſe, in qua ſe per omnia Catholicum

ex-

exhibuit, & Anathema dixit negantibus Filium Dei esse per omnia similem Patri; certissimum est, ipsum postea sanctè vixisse, & in vera justitia diem clausisse extremum.

1942 Quis autem non credat pœnituisse, & in piis operibus vitam sancto fine clausisse, quem jam vita functum tot præclarissimi Ecclesiæ Patres eximiis coluerunt eloquiis? Credibilenè est, S. BASILIUM, S. AMBROSIVM, S. HIERONYMVM, S. EPIPHANIVM, cæterosque, quos *suprà* retulimus, Sanctos Scriptores, ac totam Ecclesiam, Sanctum coluisse Liberium, si palā non cōstitisset, eū justis operibus vitam traduxisse, sancto-que fine vitę halitum clausisse extremum? Cum ergo inter pietatis opera, & constantem Fidei Catholicę professionem invictus CHRISTI Athleta glorioso Martyrio coronatus fuerit, vt plenè ex omnibus Martyrologiis constat, præsertim Venerabilis BEDÆ, VVANDELBERTI, & aliis, quos *suprà* commemoravimus, cur quęso in culpam verti possit à Bennone, Gregorio, quod ipsum, vt Sanctum, colendum ab Ecclesia preceperit? Est nê culpę adscribendum Ecclesię, quòd SS. Petrum, Paulumque Apostolos, Matthæum, Marcellinum, Augustinum, Ambrosium, de quibus nullus ambigit lapsos aliquando fuisse, inter Sanctos colat? quos post lapsum pœnituisse, sanctoque fine ab hac vita discessisse Ecclesiæ constitit. Estnè Catholicus, qui dubitet, rectissimè statutum, eos in Catalogo Sanctorum poni, ac venerari? Absit. Pari ergo rationis æquitate de nostri Gregorii decreto dicendum est, rectissimè decrevisse, vt Sanctum coli ab Ecclesia Liberium, quem tot sanctitatis opera, totque Patres coævi Sanctum fuisse testantur, ac strenuum Fidei defensorem, cum ipse ferè solus pro Catholicis steterit, quandò, vt ait S. HIERONYMVS *adversus Luciferian.* totus Orbis ingemuit, & Arianum se esse miratus est: solus contra Ariminense Concilium pugnavit, & iterum exul exturbatus ab Ecclesia pro Catholico Confessore ac Pontifice à D. AMBROSIO, ferè coævo, non modò suscipitur, sed Beatus, & Sanctus nominatur.

CVm huic Volumini, cujus scopus est, Romanorum Pontificum, qui fœliciſſimè Ecclesiæ Navim rexerunt, vt HONORIVS I. GREGORIVS VII. NICOLAVS III. JOANNESque XXII. illibatam in Fide Constantiam tutari, Apostolicæque D. Petri Cathedræ singulare Privilegium non errandi in Fide asserere, vltimam manum imposuerimus Sabbato præcedente Festum, quo D. PETRI CATHEDRA ab Vniversa Ecclesia debita veneratione colitur; non possumus, non eximias DEO, ejusque DEIPARÆ GENITRICI, APOSTOLORVMque CORIPHÆO rependere grates, cum S. AVGVSTINO iterantes: *Convenienter Psalmus, qui lectus est, dicit: *Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in Cathedra seniorum laudent eum.* Benedictus Deus, qui Beatum Petrum Apostolum in Ecclesia exaltari præcepit; quia dignum est, vt fundamentum hoc in Ecclesia honoretur, per quod cœlum conscenditur.* Et cum Supremum in Sancta Sede, ejusque Sacris Oraculis Romanis Præsulibus, indefectibileque in docendo Magisterium agnoscamus, æquissimum nostri muneris debitum censuimus, omnia in hoc Volumine contenta, summa animi demissione Apostolicę Cathedræ censuræ subdere, juxta illud Sanctissimi Pontificis INNOCENTII I. *ad Milevitanum Concilium* scribentis (*Epist. 9. inter Augustin.*) *Quoties Fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres Coëpiscopos nostros, non nisi ad PETRVM, id est sui nominis & honoris Authorem, referre debere. (Et S. AGATHONIS *in Epist. ad Constantinum IV. Imp.*) Petri Authoritatem, vtpotè Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica CHRISTI Ecclesia, & Vniversales Synodi fideliter amplectentes in cunctis sequutę sunt, omnes Venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi; per quam probatissima Ecclesiæ CHRISTI luminaria claruerunt, & Sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati, atque sequuti sunt.* Quapropter, nedum præsens Opus, sed & omnia à me conscripta, edita, & edenda, indefectibili Cathedræ Petri Magisterio, si forsan humana fragilitate in aliquo à veritatis tramite deflexisse contigerit, quod Deus avertat, vt addictissimus Ecclesiæ Romanę Filius, ac Alumnus libens, & lubens reformanda, trado, offero, ac submitto.

FINIS.

IN-

INDEX PRIMVS
CAPITVM VOLVMINIS HVIVS.

LIBER III. APOLOGETICVS
INVICTA HONORII I. IN FIDE CONSTANTIA.
AB IMPVGNANTIVM TELIS vindicatur.

CAP. I. Relatis his, quę Honorio opponuntur, noſtra proponitur Aſſertio. pag. 1.

CAP. II. Honorii Papę nomen in Actis VI. Synodi impiè à Græcis adjectum, vt Menotheliſmi labe ejus famam inficerent, & rationibus, & Authoritate probatur. 4.

CAP. III. Affictam, & à Græcis impoſitam Honorio labis notam in VI. Synodo, Scriptorum ejuſdem Ævi etiam Græcorum, ſilentio, apertè convincitur. 10.

CAP. IV. Græcorum impoſtura in condemnatione Honorii, ejuſque conſtans, & integra Fides, ex Sacris Conciliis probatur. 12.

CAP. V. Probatur rationibus, Honorium non fuiſſe juſtè in VI. Synodo proſcriptum. 21.

§. I. Alia ratione fulcitur Aſſertio. 24.

CAP. VI. Expenditur, quiſnam fuerit Monothelitarum, in Romano Concilio proſcriptorum, error; & an Honorius illis adnumeratus ſit, vel in eorum Hæreſim inciderit. 35.

CAP. VII. Honorium, catholicè in ſuis, ſenſiſſe Epiſtolis, oſtenditur. 56.

CAP. VIII. Honorii Pontificis in Fide Conſtantia, Authoritate Sanctorum Patrum, qui in Romano Concilio, ſub Agathone Pontifice celebrato, laudati fuerunt, apertiſſimè demonſtratur. 76.

CAP. IX. Honorii doctrina, Sanctorum Patrum Sententiæ, qui in VI. Synodo Generali allegati ſunt, conſona oſtenditur, conformiſque probatur. 85.

CAP. X. Argumenta oppoſita diluuntur. 101.

§. I. Proponuntur errores Ecthеſis, & Typi, præcipuorumque Authorum, qui prædictum Typum, & Ecthеſim evulgarunt. 104.

CAP. XI. Tertium argumentum contra Honorii Fidem proponitur, & apertiſſimè diluitur. 110.

§. I. Prędicta Honorii verba: *Vnam voluntatem, &c.* (ſi de humana CHRISTI Domini voluntate intelligantur) legitimum poſſe habere ſenſum, ſuadetur. 112.

§. II. Si prædicta Honorii verba: *Vnde, & vnam voluntatem fatemur Domini noſtri IESV CHRISTI*, de Divina Voluntate intelligantur, adhuc Catholicum poſſe habere ſenſum, non levi rationum pondere, ſuadetur. 118.

CAP. XII. Quartum argumentum contra Honorii fidem proponitur, & ſolvitur. 125.

CAP. XIII. Quintum argumentum, pro Honorii damnatione adductum, diſſolvitur; & juſtam non fuiſſe, probatur. 134.

CAP. XIV. Occurritur ſextę adverſariorum objectioni. 140.

CAP. XV. Septimum argumentum contra Honorii fidem, infringitur. 145.

§. I. Proponitur prima ſolutio, qua prędictum argumentum doſſolvitur. Ibid.

§. II. Alia ſolutione, prędicti argumenti vis enervatur. 151.

CAP. XVI. Tota argumenti machina tertia ſolutione corruit; & VI. Synodi Acta, quoad Honorii damnationem vitiata eſſe, vberiùs multipliciter oſtenditur. 159.

CAP. XVII. Octavum argumentum diluitur. 183.

§. I. Quæritur: An omnes tres prædictæ Synodi legitimæ fuerint, aut quęnam ex illis. Pag. 190.

CAP. XVIII. An VI. Trullana Synodus ſit pro

pro legitima habenda. Vbi VII. contra Honorium argumento respõdetur. 191.
§. I. Proponuntur rationes, quibus adduci potuere Pontifices, nè prædictos Canones confirmarent. 199.
§. II. Ex erroribus in Trullana Synodo contentis, eam nec legitimam, nec à Summis Pontificibus approdandam esse, ostenditur. 209.
§. III. Ex his, quæ in secunda Trullanæ Synodi Canone continentur, manifestè ostenditur, eam indignam esse, quæ ab Apostolica Sede approbaretur. 217.
§. IV. Argumentum, quo probari poterat ex Canone 84. Apostolorum, sex prædictos libros esse à Sacrarum Scripturarum Cathalogo expungendos, diluitur. 239.
§. V. Respondetur argumento, ex VII. Synodo desumpto. 244.
CAP. XIX. Soluitur nonum argumentum, Adriani II. innixum. 247.
CAP. XX. Satisfit argumento, ex Leonis 2. Epistola desumpto. 249.
CAP. XXI. Aliud argumentum, vel potiùs contra superiores solutiones instantia proponitur, & diluitur. 256.
CAP. XXII. Honorianę Fidei puritas ex Ecclesiastica traditione demonstratur. 258.
§. I. Proponitur prima ratio, qua adduci potuit Ecclesia, nè Honorii Anathema confirmaret. 259.
§. II. Expenditur secunda ratio, qua arbitramur, Ecclesiam Honorii condemnationem, in sexta Synodo editam, iustè nõ admisisse. 263.
§. III. Tertia ratio, ob quam Honorii cõdemnatio, nec debuit ab Ecclesia approbari, elucidatur. 273.

LIBER IV. APOLOGETICUS.

IN QVO ALIORVM SVMMORVM PONTIFICVM in Fide Constantia oppugnata vindicatur.

CAP. I. Illibata Ioannis XXII. in Fide puritas propugnatur. 281.
§. I. Patrum Sententia, qui Beatorum Animas ad diem vsque Iudicii Deum non visuras docuerunt ante Ioannem XXII. in medium producitur. 282.
§. II. Proponitur status, quem sub Ioanne XXII. quæstio de Visione Animarum habuit. 287.
§. III. D. THOMÆ judicium de Beatifica Animarum Sanctarum visione ante, vel post resurrectionem. 299.
§. IV. De mente Ioannis XXII. erga Beatificam Animarum Sanctarum visionem. 301.
§. V. Tàm longè abest, quòd Ioannes XXII. Sententię neganti adhæserit, quin potiùs primus Pontificum fuerit, qui ex Cathedra docuit, Sanctorum Animas, omni jam culpa purgatas, visione beata ante diem judicii frui. 310.
§. VI. Adversariorum argumentis exhibetur solutio. 314.
CAP. II. Nicolai IV. Apologetica defensio. 325.

APOLOGETICA DISSERTATIO.

CAP. III. Ioannis XXII. de Paupertate Evangelica Cõstitutiones ab omni erroris labe vindicatur. 330.
§. I. Schismaticorum errores erga Paupertatem Evangelicam, ac Ioannis XXII. Constitutiones in eis propulsandis referuntur. Ibidem.
§. II. Ex Sanctorum Patrum testimoniis luculenter hęc veritas confirmatur. 357.
§. III. An licitum sit Ecclesię, & Ecclesiasticis, seu Clericis, bona immobilia, possessiones scilicet, prædia, & alia hujusmodi possidere. 363.
§. IV. Opposita argumenta diluũtur. 366.
§. V. Quæritur: An, nedum liceat, sed & deceat, Ecclesiam, & Clerum, temporalia bona habere. 371.
§. VI. An, non solùm liceat, sed etiam deceat, Ecclesiam bonis temporalibus abundare. 372.
CAP. IV. Ioannes XXII. à Schismaticorum, Hæreticorumque impostoris, omninò immunis ostenditur. 375.

§. I.

§. I. An Ioannes XXII. Constitutione *Quia quorumdam*, cum Fratribus Minoribus dispensare potuerit in Paupertate, quam secundùm Evangelicam S. Francisci Regulam, profitentur, eamque condere Constitutionem. Ibidem.
§. II. Quæritur secundò: An Paupertas, quæ includit abdicationem temporalium, tàm in proprio, quàm in communi, ad Evangelicam perfectionem pertineat. 377.
§. III. Quæritur: An habere aliqua bona in communi, aliquid detrahat de Evangelica perfectione. 382.
§. IV. Quæritur: An CHRISTVS, & Apostoli, de facto habuerint aliqua bona in communi. 387.
§. V. Quæritur: An CHRISTVS, & Apostoli, in loculis habendis, communibusque bonis reservandis, aliquid contraxerint imperfectionis. 390.
§. VI. Adversariorum rationibus adhibetur solutio. 393.
§. VII. Quæritur: An CHRISTVS, & Apostoli, in loculis, seu bonis, quæ in communi possidebãt, Ius, & Dominium habuerint. 397.
§. VIII. Quæritur: Vtrum licitus vsus possit à jure vtendi separari. 400.
§. IX. Quęritur: An in rebus, consumptibilibus vsu, possit licitus vsus à rei proprietate, seu dominio separari. 402.
§. X. Quæritur: An CHRISTVS in Temporalibus rebus aliquod Ius, & Dominiũ habuerit, & quale illud fuerit. 408.
§. XI. Quęritur: An CHRISTVS, præter istud Dominiũ, aliud speciale habuerit, & quo titulo istud ad eum pertinuerit. 415.
§. XII. Quæritur: An CHRISTVS alio titulo habuerit speciale Ius acquisitum. 419.
§. XIII. Quæritur: An Apostoli, antequam à CHRISTO ad prædicandum mitterentur, temporalia aliqua bona habuerint. 425.
§. XIV. Quæritur: An idem sit de CHRISTI Discipulis, ac de Apostolis dicendum. Ibidem.
§. XV. Quæritur: Quid dicendum sit de Apostolis, & Discipulis ad prædicandum missis. 426.
§. XVI. Quæritur: Quid dicendum sit de Apostolis, postquam à prædicatione redierunt. 427.
§. XVII. Quæritur: An CHRISTI Apostoli, & Discipuli, post ejus mortem, aliqua temporalia bona possederint in communi. 428.
§. XVIII. Adversariorum argumenta diluuntur. 437.
CAP. V. Quæritur: An Nicolai III. & Ioannis XXII. Constitutiones ita inter se adversentur, vt eorumdem Pontificum in diffiniendo Infallibilitati officere valeant. 449.
§. I. An inter Pontifices Nicolaum, Ioannemque de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate Decreta, dissidium aliquatenus in materia Fidei considerari queat. 455.
§. II. An absque aliqua contradictione Decreta ab eisdem Pontificibus edita possint concordari. 456.
CAP. VI. Vterque Pontifex Nicolaus, & Ioannes ab Ellieſii calumnis immunis propugnatur. 464.
§. I. Nicolai III. Constitutio: *Exiit*, de CHRISTI, & Apostolorum Paupertate, ab omni erroris vmbra immunis ostẽditur. 465.
§. II. Alterum Nicolai III. Decretum de strictissima CHRISTI Paupertate, cum omnium rerum abdicatione, à calumniantium impostura vindicatur. 469.
§. III. An CHRISTVS eam Paupertatem cum omnium rerum abdicatione, nedum verbo docuerit, sed suo etiam exemplo firmarit. 484.
§. IV. An nedum CHRISTVS, sed & illius etiam Apostoli omnium rerum abdicationem, strictissimamque Paupertatem, quam Nicolaus III. in sua Constitutione: *Exiit*, commemorat, suo nos exemplo docuerint. 490.
§. V. Quid de Paupertate cum vniversali omnium abdicatione aliqui Sancti, gravissimique Authores censuerint. 495.
§. VI. Quale Sancti, alique Sanctitatis opinione florentes ad imitationem CHRISTI, & Apostolorum de Paupertate cum omnis proprietatis abdicatione vniversali, nobis reliquerint exemplum. 497.
§. VII. Rationibus suadetur omnis proprietatis, tâm in speciali, quàm in communi, abdicationem, ad Apostolicam, & Evangelicam perfectionẽ spectare. 506.
§. VIII. Quàm consentaneum sit ANGELICI PRÆCEPTORIS, SERAPHI-

PHICIque DOCTORIS judicium, ac de oppoſita Sentẽtia Cenſura erga Paupertatem cum omni proprietatis abdicationem oſtenditur. 510.
CAP. VII. Candor Fidei, & vitæ ſanctitas Gregorii VII. Pontificis à Schiſmaticorum, Hęreticorumque impoſturis, abundê vindicatur. 514.
§. I. Prima Hæreticorum in Gregorium VII. calumnia propulſatur. Ibidem.
§. II. In oppoſitum obiecta. 517.
§. III. Quid juris in Romanorum Pontificum electionibus acquiſitum Laicis Principibus ſit ex memoratis Adriani I. & Leonis VIII. conceſſionibus. 523.
§. IV. Quęritur: An Henrico IV. Regi Romanorum, ejuſque Succeſſoribus, per Nicolaum Pontificem II. in electione Pontificia aliquid Iuris conceſſum fuerit. 531.
§. V. A ſecunda Bennonis calumnia vindicatur Gregorius. 541.
§. VI. Tertia à Schiſmaticis Gregorio VII. impacta calumnia manifeſtè depellitur. 546.
§. VII. A quarta Necromantiæ impoſtura liber oſtenditur Gregorius. 555.
CAP. VIII. Ab omni prorſus Simoniæ labe immunis demonſtratur Gregorius. 556.
§. I. Quęritur: Quænam ſit juſtitia, & æquitas Decreti, vel Canonis Gregorii Papæ in Concilio Romano, adverſus Simonica labe infectos. 561.
§. II. Simoniæ crimen à Sacris Conciliis graviſſimis pęnis mulctatur. 565.
§. III. Quantum Summi Pontifices ſacrilegam Simoniæ labem fuerint deteſtati, oſtenditur. 568.
§. IV. Quàm æquiſſimis ducti fuerint momentis Summi Pontifices, Sacraque Concilia, vt Simoniacam peſtem vetarent. 570.
§. V. Quodnam Sancti Patres, & Doctores de ſacrilego Simoniæ crimine judicium tulerint. 572.
§. VI. Noſtra adverſus Simoniacam labem Aſſertio ratione fulcitur. 577.
§. VII. Quid alii Sancti, Authoreſque Doctrina conſpicui cenſuerint de execrabili Simoniæ labe. 579.
CAP. IX. Quàm æquiſſima fuerint Sãctiſſimi Pontificis Gregorii Decreta adverſus incõtinentes, vxoratoſque Clericos, & ſi pluries monitos non correctos. 589.
§. I. Tantùm abeſt, vt præfata Gregorii Decreta ſint à Sanctorum Patrum mente aliena, vt potiùs Sãctis Patribus, Cõciliis, communique Eccleſiæ ſenſui valdê conſona, & conformia extiterint. 590.
§. II. De æquitate Decreti Gregorii VII. miſſam, à conjugalis, vel publicê cõcubinariis Clericis audiendam, juxta Sũmorum Pontificum, Sãctorumque Patrum mentem, interdicentis. 596.
§. III. Prædicta Gregorii VII. Decreta ampliori luce firmantur. 599.
§. IV. Quàm conſona ſint Divinis Oraculis, Sacrarumque Interpretibus Litterarum, nedum Gregorii, ſed & aliorum, quos ſequitur, Pontificum Decreta. 600.
§. V. Adverſariorum argumentis fit ſatis. 603.
§. VI. Quænam fuerint occaſio, & cauſæ, æquitatiſque momenta, quæ non modo Gregorium VII. ſed alios etiã Romanos Põtifices, Sacraque Concilia ad tã ſeveра Decreta adverſus Concubinarios, vxoratoſque Clericos condenda impulerunt. 611.
§. VII. An: Quę hucuſque diximus, ſint Sanctorum Patrum menti conſentanea. 620.
§. VIII. Singulare tuendæ Caſtitatis remedium, Sanctorum Patrum Doctrina, exemploque probatum. 627.
§. IX. Quęritur: Quid in ſtatu præſẽtis Eccleſiæ de Clericis publicè concubinariis cenſendum ſit. An nunc, ſicut priùs, ſuſpenſi ſint quoad alios, & ita vitandi à Fidelibus, vt peccent audientes ab eis Divina, vel percipientes Eccleſiaſtica Sacramenta. 630.
CAP. X. Gregorius VII. à ſeptima Henrici ſectariorum calumnia, omninò immunis demonſtratur. 632.
§. I. Ab hac, aliiſque Schiſmaticorum impoſturis vindicatur Gregorius, celebriorum Scriptorum teſtimoniis. 633.
§. II. Quid alii percelebres Authores de Fide, ſanctitate vitæ, ac Divinis dotibus, quibus enituit noſter Gregorius, cenſerint. 635.

INDEX II.

AVTHORVM, QVI IN HOC VOLVMINE continentur.

Numeri Paginas designant.

A

ABbas Panormitanus.521.522.523.
Abbo Floriacensis. 167. 586.
Abraham Bzovius, Ord. P. 288.309.517. 520.521.524.528.
Acta electionis Gregorii VII. 637.
Acta Vaticana de Gestis Gregorii VII.637.
Ado Trevirensis.678.
Ado Viennensis. 193.
Adrianus I.Papa.268.275.
Adrianus II.Papa.1.2.192. 161.
Adrianus VI.Papa. 314.315.
Æneas Sylvius.647.
S.Agatho Papa.19.76.77.78.79.81.82.83. 84.111.156.179.261.269.270.272.680.
Albertinus Mussatus. 342.
Albertus Abbas Stadensis. 646.
B. Albertus Magnus, O. P. 235. 236.365. 371.386.481.
Albertus Krantzius. 288. 542.648.
Albertus Pighius. 6. 12. 21.22.29.30.337. 541.
Alcimus Avitus.220. 223. 229. 238.
Alexander Alensis.365.496.541.
Alexander I.C.276.
Alexander I.Papa.218.
Alexander II.Papa.596.
Alexander III. Papa.569.
Alexander IV.Papa.329.431.466.
S.Alphanus.661.
Alphonsus à Castro. 283.
Alphonsus Ciaconius,O.P.12.23.33.166. 288.658.659.675.678.
Alphonsus Villegas.627.
Aloix. 570.
Aloysius Novarinus. 631.
Alredus Abbas. 620.
Alvarus Pelagius. 324. 329. 330.331.335. 337.342.459.
Amandus Zierixeensis.668.
Ambianas.536.
S. Ambrosius. 63.65.67. 83. 86.219.220. 222.223.228. 232. 285. 329. 360. 364. 365.371.372.380. 411. 412. 421. 442. 471.479.486.492.493. 508. 584.607. 613.614.622.678.
S.Amphilochius.626.
S.Anacletus Papa & Martyr. 24.225.
Anastasius Bibliothecarius Apostolicus.11. 32.153.160.161.163.167.169.189.193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 253.538.
S.Anastasius Nyssenus.621.
Anastasius Sinaita.228.
Andreas Cæsarienſis.232.
Andreas Duvalius.23.
Andreas Gail.276.
Andreas Ratisponensis.648.
Andreas Scotus.7.23.
Andreas Victorellus.167.527. 659. 679.
Annales Magdeburgenses. 639.
Anonymus Apologus Gregorii VII. 558. 589.597.
Ansbertus.234.
S.Anselmus Abbas Monasterii Beccēsis.619.
S.Anselmus Cantuarienſis. 223. 470. 474. 483.487.491.493. 542.607.640.
S.Anselmus Lucensis. 515. 533. 539. 579. 635.669.670.
S.Antoninus Archiepiscopus Florentinus, O.P.162.341.343. 361. 374. 375. 375. 379.380.381. 386. 387. 393. 396. 397. 398.405.411. 413. 415. 419. 420. 422. 429.432.435.437.438.439. 441. 443. 444.447.451.456. 505. 520. 521. 541. 647.670.
Antoninus Diana. 536.
Antonius Augustinus.536.
Appollonius.231.
Aretas Cæsarienſis. 232.286.
Aristoteles.378.379.414.423.578.
Arronicus Belga.632.
Artaldus Diaconus. 574.
Astronomus.618.
S.Athanasius.66.68.69.81.86.87. 91. 95. 98.114.118.158.202.220.226.232. 235. 264.498.
S. Augustinus. 3. 57. 72. 78. 79. 211.212. 218.219. 224. 228. 229.234. 235. 237. 273. 285. 300. 325. 327. 329. 357. 358. 359.360. 367. 368. 370. 375. 379. 380. 383.386 388. 389. 390. 391. 393. 400. 406.410. 411. 412. 416. 417. 418.422. 423.427.429.437.440.442.443. 444.

445.446.457.460.472.477. 483. 484. 485.488.495. 497. 503. 509. 513.575. 586.590.603. 604. 610. 613. 618.624. 629.631.680.
Augustinus Barbosa. 10. 189. 193.246. 520.521.523.528.530.536.666.
Augustinus Oldoinus.151. 661. 679.
Augustinus Redinch. 454.
Augustinus Triumphus. 461. 496.
Author Bibliothecæ Floriacensis. 164.
Author Historiæ Monothelitarum. 23. 31.127.134.138.139.140.161.
Author vitæ S.Gebehardi. 642.

B

BAronius S.R.E.Card.3.4.5.12.13.19. 22.23.27.28.101.102.103.149. 151. 154. 157. 164. 193.196. 197.199.201. 207. 208. 210. 237. 242. 247. 250.252. 267.498.516. 518. 520. 523. 524. 529. 530. 533. 547. 551. 556. 572.635.636. 637.643.652.653. 654. 655. 656. 657. 670.671.
Bartholomæus Carrança, Archiep. Tolet. Ord.P.21.136.137.138.190. 246.
Bartholomæus Pisanus. 466.
Bartholus.276.
S.Basilius Magnus.63.227. 258. 359. 383. 470.471.492.494.508. 555. 572. 577. 678.
S.Basilius Seleuciensis. 628.
U.Beda. 97. 161. 162. 193.209.383 484. 487.491.492.563.607.621.
Bellarminus S.R.E.Card.4.13.22. 23. 27. 101. 193. 193. 200. 206. 207. 237.241. 247.248.250. 304. 313. 320. 322. 326. 451. 452. 455. 463. 514. 520. 526.534. 536. 541. 547. 551. 552. 580. 633.658. 671.678.
Benedictus Papa XII.314.321.
Bernaldus Constantiensis.645.
S.Bernardus. 221. 223. 229.234. 282.430. 478.500.574.621.628.
Bernardus Constantiensium Scholarum Magister.642.
Bernardus Guido.337.341.342.
Bernardinus Rosign.500.
Bertholdus Constantiensis. 553. 554. 597. 636.641.642.656.668. 669.
Binsfeldius.571.
Blondus Flavius. 647.
Boethius Eppon. 536.
Bonacina.520.522.528.
S.Bonaventura. 224. 365. 366. 485. 495. 496.497 500.501.505.511.603.
S.Bonifacius Martyr.615.616. 617.
S.Bonifacius Papa.24.
Bonifacius Papa VIII.466.
Bosquettus. 349.
Bovadilla.276.579.
Breviarium Romanum.505.
Bruno *de Bello Saxon.*644.
S.Bruno Signiensis Episcopus.585.
Bullarium Magnum.166.

C

CAlixtus Papa.226.258.
Carolus Sigonius. 650.670.
Cassiodorus. 220.229.238.570.573.
Castellinus.5.21.
Cedrenus.149.185.186.
Celestinus III. Papa.569.
Cellotius.536.
Celsus Mancinus.536.
Cervantes.239.
Cæsarius Arelatensis.223.582.
Chopinus.536.
Christianus Druthmarus.485.494.
Christianus Lupus. 23. 24. 32. 147. 179. 193.202.208.209.215.216.243.256.
Christineus.276.
Christophorus Justellus.244.
S.Chromatius.478.483.
Chronicon Belgicum.598.646.
Chronicon Laureacense.555.
Chronicon Malleacense.553.
Chronica Thuringensia.639.
Cicero.483.
Clarius Monachus Floriacensis.555.
Clemens Alexandrinus. 218.220.221.222. 226.231.605.
S.Clemēs Romanus.220.225.284.426.429.
Clemens III. Papa.569.
Cocchier.536.
Compilatio Chronologica.640.677.
Comitolus.523.
Concilium Agathense.364.
Concil. Agathense *sub Symmacho.* 590.
Concil. Ancyranum.237.
Concil. Anglicum *sub Agathone* 20.
Concil. Antiochenum.364.
Concil. Arausicanum.591.613.
Concil. Arelatense II.590.
Concil. Augustanum *sub Ioanne XII.*593.
Concil. Augustense.595.
Conc. Aurelianēse *sub Martino Papa.*20.

Con-

Concil. Aurelianenſe II. 565.591.
Concil. Aurelianenſe III. 591.
Concil. Aurelianenſe IV. 592.
Concil. Aurelianenſe V. 592.
Concil. Byzazenum. 20.
Concil. Bracharenſe. 253.
Concil. Bracharenſe II. 536.
Concil. Cabilonenſe. 566.
Concil. Carthaginenſe. 218. 219. 224. 230. 237.
Concil. Carthaginenſe *ſub Theodoro*. 20.
Concil. Carthaginenſe *ſub Victore*. 62.
Concil. Carthaginenſe IV. 591.
Concil. Calcedonenſe. 25. 224. 264. 565. 599.
Concil. Claromontanum. 593.
Concil. Colonienſe. 595.
Concil. Conſtantienſe. 25. 567. 567.
Concil. Conſtantinopolitanum I. 264.
Concil. Conſtantinopolitanum V. 225.
Concil. Dalmatiæ & Diocliæ. 594.
Concil. Eboracenſe. 594.
Concil. Epheſinum. 230. 259. 264.
Concil. Florentinum. 218. 220. 230.
Concil. Generale *ſub Marcelino*. 25.
Concil. Generale VI. 364.
Concil. Generale VII. 522.
Concil. Generale VIII. 522.
Concil. Germanicum. 568. 594.
Concil. Illiberitanum. 565. 590.
Concil. Laodicenſe. 218. 536.
Concil. Lateranenſe *ſub Martino I.* 12. 14. 15. 16. 17. 20. 57. 58. 70. 72. 73. 74.
Concil. Lateranenſe III. 522. 568.
Concil. Lateranenſe *ſub Innocentio II.* 593.
Concil. Lateranenſe *ſub Alexandro III.* 594.
Concil. Leonis Papæ. 364.
Concil. Londinenſe II. 567. 593.
Concil. Londinenſe III. 593.
Concil. Londinenſe *ſub Gregorio IX.* 594.
Concil. Lugdunenſe. 593.
Concil. Mediolanenſe *ſub Agathone*. 20.
Concil. Meldenſe. 566. 571.
Concil. Melphitanum. 567. 593.
Concil. Moguntinũ *ſub Stephano VI.* 593.
Concil. Moguntinum *ſub Arnulpho*. 571.
Concil. Moguntinum *ſub Rabbano*. 571.
Concil. Moguntinum *ſub Leone IV.* 566.
Concil. Moguntinum *ſub Paulo III.* 568.
Concil. Nannetenſe. 566.
Concil. Neocæſarienſe. 590. 599.
Concil. Nicænum I. 221. 237. 536. 565.
Concil. Nicænum II. 225. 566.
Concil. Oxonienſe. 594.
Concil. Pariſienſe I. 536.
Concil. Pariſienſe VI. 566.
Concil. Pictavienſe. 567. 630.
Concil. Placentinum 567.
Concil. Rhemenſe. 567. 571. 593.
Concil. Romanum *ſub Silveſtro*. 24.
Concil. Romanum II. *ſub Silveſtro I.* 590.
Concil. Romanum *ſub Agathone*. 13. 20.
Concil. Romanum *ſub Gelaſio I.* 237.
Concil. Romanum *ſub Ioanne IV.* 20.
Concil. Romanum *ſub Symmacho*. 25.
Concil. Romanum *ſub Theodoro*. 20.
Concil. Romanum *ſub Eugenio IV.* 364.
Concil. Romanum *ſub Nicolao II.* 566. 630.
Concil. Romanum *ſub Alexandro II.* 566.
Concil. Romanum V. *ſub Gregorio VII.* 567.
Concil. Romanum III. *ſub Vrbano II.* 567. 593.
Concil. Romanum III. *ſub Leone IX.* 593.
Concil. Sabinenſe. 594.
Concil. Salisburgenſe. 595.
Concil. Toletanum IV. 237.
Concil. Toletanum VI. 565.
Concil. Toletanum VIII. 230. 565. 592.
Concil. Toletanum IX. 565. 592.
Concil. Toletanum XI. 225.
Concil. Toletanum *ſub Gregorio I.* 592.
Concil. Toletanum *ſub Bonifacio II.* 591.
Concil. Toloſanum. 566.
Concil. Trevirenſe. 595.
Concil. Tridentinum. 218. 220. 225. 230. 237. 258. 468.
Concil. Turonenſe *ſub Simplicio*. 591.
Concil. Turonenſe II. 565. 571. 592.
Concil. Viennenſe. 594.
Concil. Vrbani Papæ. 364.
Concil. VVormatienſe. 592.
Conſtantinus Imperator. 92. 93. 94. 95. 121. 124. 157. 183. 192.
Contelorius. 349.
Continuator Guillelmi Nangij. 290.
Continuator Bollandi. 678.
Coquæus. 536.
Cornelius à Lapide S.I. 238. 242. 481. 487. 489.
Cornelius Tacitus. 578.
Corradus Abbas Vſpergenſis. 12. 22. 162. 515. 541. 542. 543. 546. 635.
Corradus Monachus. 553.
Correctores Decreti. 245.
S. Cyprianus. 219. 222. 233. 358. 488. 574.

606.623.627.629.631.
S.Cyrillus Alexandrinus. 59. 63. 64. 65. 69. 80. 82. 83. 119. 120. 129. 205. 228. 274.
S.Cyrillus Jeroſolymitanus. 69. 222. 232. 235. 258.
Cyrillus Eremita. 501.

D

S. Damaſus Papa. 209. 226. 259. 274.
Daniel Papebrochius. 12. 33. 151. 528. 676.
Demetrius Epiſcopus. 262.
Deodatus Papa. 568.
Deuſdedit S.R.E.Card. 36. 45. 533. 646.
Didacus Covarrubias, Epiſcopus Segobien. 241. 631.
Didymus Alexandrinus. 232.
Dinamius Patritius. 499.
Dionyſius Alexandrinus. 231. 232.
S.Dionyſius Areopagita. 82. 127. 221. 231. 235. 379. 445.
Dionyſius Carthuſianus. 470. 481.
Dionyſius Petavius. 23. 536.
Dodechinus. 542. 543. 544. 640.
Dominicus Bannes, O.P. 193.
Dominicus Gravina, Ord. P. 8. 23. 31. 218. 241. 317. 318. 320. 362. 454. 520. 521. 528. 663.
Dominicus Soto, O. P. 193. 571. 630. 643.
Dominicus à S. Trinitate. 8. 10. 11. 23. 32. 38. 242. 268. 453.
Donizo Presbyter. 549. 638.
Durandus à S.Portiano, O.P. 292.

E

EBerhardus Salisburgenſis Antiſtes. 632.
Emmanuel Caleca, O.P. 23. 107.
D.Emmanuel Gonçalez Tellez. 216. 524.
D.Emmanuel Schelſtrate. 243.
S.Ephrem Syrus. 227. 232. 494. 621.
S. Epiphanius. 3. 222. 228. 232. 235. 239. 243. 487. 521. 625. 678.
Epiſcopi Dardaniæ. 263.
Epiſcopi Gallicani. 263.
Epiſcopus Anicienſis. 394. 435.
Epiſcopus Caurienſis. 241.
Epiſcopus Soranus. 395.
Evariſtus Papa. 224. 225.
Eugenius Carthaginenſis. 223.
Euſebius Bruno. 552.
Euſebius Cęſarienſis. 231. 369. 471. 508. 607. 625.
S.Euſebius Papa & Martyr. 24. 146. 221. 222. 226.
Euthymius. 485.

F

FAbianus Papa. 225. 226.
Felicianus Vega. 276.
Felinus. 276.
Felix Papa I. 221.
Felix Papa II. 274.
D.Ferdinandus de Mendoza. 213. 214. 216. 243.
Ferdinandus Ughellius. 675.
Ferrarius. 536.
S.Flavianus Epiſcopus Conſtantin. 60. 61.
Flodoardus. 587. 616. 618.
Fragoſus. 276. 579.
Franciſcus Araujo, O.P. 570. 579.
Franciſcus Areus. 501.
Franciſcus Bozius. 318.
Franciſcus Carriere. 518. 528. 672.
Franciſcus Hallierius. 536. 571.
Franciſcus Iurettus. 619.
Franciſcus Longus à Coriolano. 518. 519. 525. 530. 536. 537. 538. 541.
Franciſcus Marcheſius. 147. 154. 157. 166. 169. 249. 251. 256.
Franciſcus Scottia. 571.
Franciſcus Suarez. 520. 521. 522. 570.
Franciſcus Turrianus. 536.
Frances de Vrrutigoyti. 276.
S.Fulgentius. 97. 220. 223. 229. 234.

G

GAbriel Biſciola. 9. 151. 166.
Gabriel Patriarcha Alexandrinus. 238.
Gabriel Vazquez. 536.
Gambara. 519.
Gamaro. 571.
Garcia. 276.
Garſias de Loayſa. 186.
S.Gaudentius. 228.
S.Gebehardus Salisburgēſis Antiſtes. 642.
Gelaſius I. Papa. 219. 224. 226. 238. 254. 255. 274. 564.
Gennadius Maſſilienſis. 612.
Gennadius Patriarcha Conſtantinop. 577.

Geo rgius Cedrenus.147.
Gerardus Minorita.344.351.
Gibalinus.9.23.31.522.570.571.
Gilbertus Genebrardus.651.670.
Gilbertus Porretanus.235.
Gildas Sapiens. 579.
Glaber Rodulphus.580. 586.
Gloſſa Canonica. 24. 245. 246. 276. 277. 278.376.377. 430. 520. 522. 535. 536. 537.539.
Gloſſa Interlinealis.325.327. 485. 486.
Gloſſa Ordinaria.325. 326. 328. 356. 371. 378.388.413.428. 443. 470. 485. 486. 487.492.507.
Gobelinus.648.
Goffridus Vindocinenſis. 571. 576.
Gothphridus Viterbienſis.640.
Gratianus.18.191.217.244.376. 520. 629. 531.535 538.539 571.573.617.
Gregorius Alexandrinus. 502.
Gregorius Epiſcopus Cumalianorum.262.
S.Gregorius Magnus. 218. 223. 226. 234. 253 301. 328. 357. 365. 384. 406. 473. 491. 537. 562. 568. 571. 575. 576. 577. 578.599.602.609 668.
S. Gregorius Nazianzenus. 64. 222. 227. 232.471.562.631.
S.Gregorius Nyſſęnus. 64. 69. 79. 81.83. 222.227.474. 521.
S.Gregorius Papa VII.274.571.580. 583.
Gregorius Papa IX.465.570.
Gregorius Protoſyncellus. 213.
Gregorius de Ribes.7.20. 21.
S.Gregorius Turonenſis.499.504. 538.
Gregorius de Valencia.193.
Guido Aretinus.642.
Guido Carmelita. 588.
Guido Mediolanenſis Antiſtes. 574.
S.Guillelmus Abbas Divionenſis. 586.
Guillelmus Alvernus. 481.
Guillelmus Apulienſis.662.
Guillelmus Hiſtoricus. 650.
Guillelmus Malmesburienſis. 660.
Guillelmus Tyrius.518.542. 646.
Guithmundus Averſanus. 552.
Gutierrez.376.631.

H

HArmacanus.528.
Harthmannus Schedel.516.663.
Haymo Alberſtatēſis Epiſcopus. 276. 480.
Helmoldus Presbyter.644.
Henricus Caniſius.158.
Henricus Gandavenſis. 496.
Henricus Hoſtienſis S.R.E.Card.421.522.
Henricus IV.Imperator.650.
Henricus Spondanus.31.148.151.157.208. 282. 304. 305 309. 318. 323. 518. 527. 534.552.752.675.
Hermannus contractus.150.187.
Herodius.536.
Heroęus Natalis,O.P.395.
S.Hieronymus.218.219.223.228.229.231. 232.273.326.328.357.358.359.365.370. 380.388.389.390.396. 430. 437. 438. 442.470.472.475.476.478. 483. 485. 486.495.498. 502. 503. 507. 508. 563. 564.600.604.605.606. 608. 612. 613. 614.618.622.625. 629. 678. 680.
Hieronymus Bardi. 671.
Hieronymus Zurita.349.
S.Hilarius.81.219.220.228.233.483.484. 485. 491.
Hildebertus.587.
Hincmarus Rhemenſis.202.
Honorius III. Papa.570.
Horatius.536.
Hormiſdas Papa.226.
Hugo de S. Charo S. R. E. Card. O.P.97. 230.236.
Hugo Cluniacenſis.650.660.
Hugo Flaviniacēſis.553.558.617.638.650.
Hugo Floriacenſis.11.22.
Hugo de S.Victore.221.234.541.
Humbertus S. R. E. Card. 162. 163. 193. 194.213.214.215.

I

IAcobacius S.R.E.Card.134.135.
S.Iacobus Apoſtolus. 283.
Iacobus, Archiepiſcopus Ianuēſis,O.P.243.
Iacobus Gaulterus.166.667.
Iacobus Gordonus.667.
Iacobus Grethſerus.527.528.
Iacobus Novellus S.R. E. Card. 292. 298. 435.448. 449.
Iacobus Pamelius.536.
Iacobus Simancas.193 571.579.
S.Ignatius Martyr.210.215.220. 227. 258. 360.
Ignatius Fiume, O. P.9.23. 33.
S.Ildephōſus Archiep.Tolet.220.223.234.
Innocentius Papa I.213.219.221.226.238. 258.607.613.680.
Innocēnius Papa III.191.227.276.569.571.
Innocentius Papa IV. 466.
Innocentius Papa V. 421.
Ioannes Abbas.23.
Ioannes Aventinus.541.632. 641.
Ioannes Azor.247.520. 521. 523.
Ioannes Caballutius.240.528.
Ioannes Caſſianus.232.258.359.38[illegible]. 430.

S.Ioãnes Chrysostomus.70.219.220.228.232.278.285.327.363.368.389.390.402.416.437.440.442.470.473.477.485.491.492.497.507.508.579.621.623.626.628.629.673.
S.Ioannes Damascenus.128.222.228.220.445.478.621.
Ioannes Dartis.536.
Ioannes Diaconus.3.500.504.568.
Ioannes Gonet, O.P.306.
Ioannes de la Haye.242.
Ioannes Horatius Scoglius.9.528.663.
Ioannes à Lovanio.22.
Ioannes Lugdunensis Antistes.650.
Ioannes Matthæus Caryophilus.23.
Ioannes Micrologus.643.677.
Ioannes Nauclerus.648.
Ioannes Papa II.226.
Ioannes Papa IV.25.98.112.153.
Ioannes Papa XXII.325.333.338.376.377.379.382.383.400.401.402.410.429.431.463.467.
Ioannes Patriarcha Ierosolymitanus.502.
Ioannes Polemar.158.
Ioannes Sarisberiensis.574.581.
D.Ioannes de Solorzano.526.579.
Ioãnes Trithemius.158.318.322.556.647.
Ioannes de Turrecremata S.R.E. Card.O.P.22.25.27.136.248.258.261.266.275.278.369.373.387.388.389.392.396.430.447.448.451.452.462.520.521.540.541.604.607.
Ioannes Villanus.315.322.340.341.348.349.947.
Iodocus Coccius.8.10.11.13.23.514.677.678.
Iosephus Hebræus.218.
Iosephus Saens de Aguirre S.R.E. Card.17.33.304.451.455.463.528.551.671.677.679.
Iosephus Stephanus.241.
S.Irenæus.231.258.283.572.
S.Isidorus Hispalensis.219.220.229.238.371.400.
S.Isidorus Pelusiota.220.583.585.628.631
Iulius Lavorius.525.
Iulius Papa.203.273.
Iunius.279.
Iuo Carnotensis.188.238.536.619.
Iustinianus Imperator.87.
S.Iustinus Martyr.68.231.284.570.
Iuvencus Presbyter.472.

L

LActantius Firmianus.222.285.
Lambertus Scafnaburgẽsis.542.556.590.597.637.638.644.653.670.
Lambinus.536.
Lampridius.578.
Lancellotus.276.
Landmererus.536.
Lanfrancus.552.554.
Lapus.276.
Laurentius Beyerlinch.572.
Laurentius Branchatus de Laurea S.R.E. Card.6.11.13.14.22.29.248.267.302.304.322.451.455.463.464.
S.Laurentius Iustinianus.480.
Laurentius Surius.193.498.553.
S.Leo Magnus Papa.3.59.67.76.93.205.218.226.231.253.254.256.260.263.266.267.268.269.274.473.479.491.578.614.
Leo Papa II.2.98.100.112.142.249.
Leo Papa.VIII.529.
Leo Papa X.468.
Leo Ostiensis.549.643.656.
Leontius Byzantinus.626.
Lessius.570.
Lezana.666.
Liber de Vitis Pontificum.157.160.162.185.152.
Liberatus.561.
Lippomannus.503.
Lotherius.571.
Lucas VVadingus.335.
Lucentius Esculanus.253.
Lucius Papa.569.571.
Ludovicus Bailius.2.40.243.269.
Ludovicus Donius.548.556.557.634.668.
Ludovicus Ellies Dupin.323.632.
Ludovicus Iacobus â S.Carolo.679.
Ludovicus Thomasinus.528.671.
Ludovicus Turrianus.313.
Luithprandus Ticinensis.584.588.
Luna & Arellano.630.

M

MAbillonius.553.
Malfesius.313.
Malvesius.313.
Manrique.276.
Manuscripta Vaticana.281.310.313.
Marcellinus Papa.226.
S.Marcellus Papa & Martir.203.
Marcus Antonius Sabellicus.650.
Marianus Scotus.12.22.193.195.556.559.589.597.639.640.
Marta.528.
Martinus Navarrus.630.631.
S.Martinus Papa I.17.35.38.41.42.44.47.51.52.54.59.60.104.105.109.111.127.

155.156.227.615.
Martinus Papa IV. 466.
Martinus Papa V.467.
Martinus Polonus. 542.547.
Martyrologium Copticum. 678.
Martyrologium Romanum.503.671.
Marullus.499.
Matthæus Paris.577.
Matthæus V Veſtmonaſterienſis. 572.
Matthias à Corona.673.
Maurus, Epiſcopus Ravennas. 36.
S.Maximus Martyr. 21.23. 26.36.49.61. 65.71.72.98.106.110.113.114.115. 118. 127. 130. 131. 148. 152. 153. 154. 157. 179. 207.
Maximus Taurinenſis. 229.
Melchior Cano, Ord.P.193.200.201.204. 210.225.239.241.358.
Melito Sardicenſis Epiſcopus.221. 231.
Menardus. 536.
Menochius. 571.
Michael Mauclerus.664.
Michael Rouſellius. 536.
Morinus.528.

N

NArbona. 275.
Natalis Alexander, O.P.23.31.134. 138.140.165.166.215.240. 242.
Nicephorus Calliſtus.274.501.
Nicolaus Cardinalis Aragonius. 349.557.
Nicolaus Eymericus. 330. 332. 333. 361. 363.374.378.387.397.435. 448.
Nicolaus Garcia. 631.
Nicolaus Gorranus, Ord.P.373. 483. 489. 491.
Nicolaus de Lyra.325.369.470.486. 487.
Nicolaus Minorita.334.340.344.
Nicolaus Papa.I.3.190.214.231. 256.258. 260.266.274.275. 631.
Nicolaus Papa II. 596.
Nicolaus Papa IV.393.421. 466.
Nicolaus Sanderus.309.318.322. 517.536. 547.555.662.
Notator Capitulariũ Caroli Magni. 536.
S.Nilus.232.

O

ODoricus Raynaldus.9.287.289.304. 315. 319. 332. 336. 340. 341. 342. 347.354.448.462.
OEcumenius. 286.
Onophrius Panuinius.12.22.187.519. 520. 535.648.649. 670.
S.Optatus Milevitanus.219. 223. 228.
Origenes.219.220.227.231.286.357.486. 497.621. 628.
Oſualdus.276.579.
Otho Friſingenſis.12.22.643.644. 670.

P

S. Pacianus Epiſcop.Barcinonen.233.
Palladius.503.572.
Papirius Maſſonus. 670.
Pareja. 276.
Paris. 276.
Paſchalis Papa II. 523. 571.
Paſchaſius Rathbertus.494. 504.
S. Paulinus. 229.
Paulus Æmilius.319.
Paulus Benriedenſis. 638.
Paulus Diaconus.161.193.194. 209.
Paulus Fabulottus. 136.
Paulus Langius. 288.639.
Pelagius Papa.203. 274.
Peña.276.362.
Petrus de Arreblayo S.R.E.Card.432.
Petrus Cardinalis S.Stephani. 434.
Petrus Bleſenſis.579.582.
S.Petrus Chryſologus.223. 360. 622.
Petrus Columna S.R.E. Card. 396.
S.Petrus Damiani.220.223.234. 571. 573. 577.583. 585. 586. 587. 596. 597. 619. 645.661. 670.
Petrus Gregorius.276.518. 536. 538. 541. 579.
Petrus Lombardus, Magiſter Sententiarum. 411.
Petrus Maturus.664.
Petrus Paſſerinus de Sextula.O. P.522.
Philippus Bergomenſis. 648.
Phrabadius Agennenſis.219.
Photius, Patriarcha Conſtantinop.10.243.
Platina. 22.195.197.252.
Plato.578.
Pœnitentiarius S.Anſelmi Lucenſis.670.
S.Polycarpus.218.360.
Pontius Diaconus. 503.
Poſſevinus.190. 247. 670.
Poſſidius.504.
Prateolus.330.
Primaſius.234. 490.
Procopius Gazæus. 232.
S.Proſper.219.221.229.234.383. 551.
Proſper Fagnanus. 631.
Proſper Farinacius. 276.
Prudencius.265.286.
Ptholomæus Lucenſis, O.P.311.

Q

QVintanadueñas.5 8.
Quintilianus.483.

R

RAbanus Maurus.229.234. 238. 411.
Raphael Uolaterranus. 541. 647.
Redoanus.570.
Regino Prumiensis.11.22.195.
Regula S.Francisci.329.
S.Remigius.329.411.483.490. 493.
Richardus de S.Victore.234.
Rodericus Archiep. Tolet. 615.
Rodericus Acuña.536.666.
Rodericus Suarez. 276.
Rogerus Oveden.590.
Ruffinus Aquileiensis.234. 360. 521.
Rupertus Abbas.235.470.575.584.

S

SAlvianus.229. 579.
Seneca.579.
Seraphinus Freitas.528.
Severianus Gabalensis Episcopus.66.
Severinus Binius.6.18.19.23.30. 103. 151. 186.197.200. 209. 210. 240. 243. 278. 528.530.531.534.549.552.613.667.
Severus Sulpitius. 499.
Sigebertus Gemblacensis.632.650.
Silveira.238.
Silvester Prieras,O.P.521.
Simeon Dunelmensis. 590.620.
Simeon Metaphrastes. 233. 235. 498.500. 503.626.678.
Sixtus Papa I. 226.
Sixtus Papa II.226.
Sixtus Papa III.226.231.
Sixtus Senēsis,O.P.239.242.243.284.317.
Smaragdus Abbas.238.
Socrates. 268.274.
S.Sophronius.88.148.153.
Sozomenus.268. 274.
Stephanus Episcopus Dorensis.26.37.109.
Stephanus Balucius.536.
Stephanus Halberstatensis Antistes.640.
Stephanus Tornacensis. 618.
Syricius Papa.599.607.613.614.678.

T

TEna. 225. 242.
Tertullianus. 2. 233. 258. 284.360. 479.484.488.536.570.621. 625.
Tharasius Patriarcha Constantinop. 188. 189.192.244.571. 573. 583.
Theodoretus.265.267.286.488.490.493. 499.664.
Theodoricus Abbas S.Trudonis.499.581.
Theodorus Balsamō.207.208.244.521.573
Theodorus Studites. 502.
Theodulphus Aurelianēsis Episcopus.238.
Theophanes Cerameus. 10.
S.Theophanes Martyr.146.149.150. 158. 161.187.193.194.
Theophilus Alexandrinus. 222.
Theophilus Antiochenus. 231.
Theophilus Raynandus. 551.672.
Theophylactus. 286. 442. 435. 492.493. 494.
S.Thomas Aquinas.57.91.96.97.115.116. 117.121.122.123.124.125.132.133. 134. 203.212. 223. 229. 235. 266. 299.300. 301. 313. 365. 366. 367. 368. 369.370. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 387.389. 390. 403. 411. 412. 415. 416.417.418. 421.437.439.440.443 444.457. 470. 474.488.490.493.494.495. 510. 512. 513. 541. 570. 571. 577. 579.600.629. 631.
Thomas Bozius. 667.
Thomas Cantipratanus, O. P.500.
Thomas Maluenda, O.P.239.
Thomas Sanchez.190.247.276.
Thomas de Vio Caietanus S. R. E. Card. O.P.391.487.490.491.520.521.630.
Thuscus.276.313. 532.
Torrentis. 193.

V

VAlenzuela. 276.
Ualerius Maximus. 578.
Vbertinus de Casalis. 458.
Ueranus Episcopus.615.
Versio Syriaca. 483.
Victor Carthaginensis.39.
Victor Pictaviensis. 233.287.
Villarroel.572.
Vincentius Bellovacensis,O.P.556.647.
S.Vincentius Ferrerius,O.P. 494. 505.
Vitæ Patrum.631.
Vniversitas Parisiensis.324. 554.
VValafridus Strabo.279.
VVandelbertus.678.
VVernerus Roleuvink.640.
VVillelmus Malmesburiensis.554.572.

Z

ZAcharias Papa.227.231.600.606.
Zenedus.528.
Zonaras.11.148.205.244.518.521.

INDEX III.
RERVM NOTABILIVM
VOLVMINIS HVIVS.

A

Abstractum.

IN quo differat à concreto, exponitur, p. 122. num. 621. & p. 124. n. 630.

Abusus.

In consumptione rerum consumptibilium vsu quomodo reperiatur, p. 446. num. 875. & seq.

Abusus Secularis Potestatis in electionibus Ecclesiasticis prohibitus, pag. 522. n. 1211.

An in omnibus, an in solis Episcoporum electionibus? ibid. num. 1212.

Quid per hunc abusum intelligatur, ibid. num. 1213.

Achan.

Interpretatur *Tumultus*, vel *Turbator*, pag. 575. n. 1454.

Eius imitatores Simoniaci, ibid. n. 1452.

Adam.

In statu innocentię habuit verum dominium, pag. 445. n. 871.

An hoc dominium fuerit Adę propriũ, vel commune? ibid. n. 872. & seq.

Adelphius.

In Actis Ephesini Concilij inter anathematizatos recensetur, p. 253. n. 1381.

Numquam ab Ecclesia Romana habitus pro anathematizato, ibid.

Adrianus Papa I.

Floruit 120. annis post Sextam Synodum. p. 157. n. 769.

Honorium Papam I. tamquam verè Catholicum est veneratus, ibid.

Non confirmasse Sextam Synodum, aliàs Quini sextam, in qua Honorij condemnatio invenitur, ostenditur, p. 246. n. 1344. & seq.

Canones Trullanos nõ approbasse, probatur, p. 189. n. 902. & seq.

Præfuit per suos Legatos Septimæ Synodo Generali, p. 244. n. 1335.

Potestatem eligendi Pontificem, & Apostolicam Sedem ordinandi, Dignitatesque Patriarchatus, & Episcopatus, conferendi, Carolo Magno Imperatori concessisse, legitur, p. 520. n. 1203.

Hæc concessio tamquam suppositicia, & à Sigeberto Gemblacensi conficta, explo-ditur, pag. 523. n. 1217. & seq.

Adrianus Papa II.

Eius verbis in Synodo Octava relatis non asseritur, nec vt certa supponitur Honorij I. damnatio, p. 247. n. 1350.

Legitimus illorum sensus exponitur, ibid. & p. 248. n. 1354.

Dicta verba suppositicia probantur, p. 249. n. 1357.

Qualiter eius Decretum de Imaginum Sacratum adoratione, lectum admissumque sit in Octava Synodo, p. 261. n. 1417.

De temeraria Photij audacia conqueritur, pag. 275. n. 1498.

Adrianus Papa III.

Prohibuit, ne in creatione Pontificis Imperatoris consensus expectaretur, pag. 533. n. 1271.

Agatho Papa.

Eius tempore Romanum Concilium celebratum, p. 13. n. 72.

Monothelitas damnavit, ibid.

In Epistola instructoria ad sextam Synodum nullam de Honorio mentionem facit, dum Monothelitas recenset, p. 14. n. 76. & seq.

Sextam Synodum confirmasse ostenditur, p. 163. n. 794.

Tempus vitę ipsius, ibid.

Acta Conciliaria Sextæ Synodi ad diversas Christiani Orbis partes admittenda transmisit, p. 164. n. 796.

Apostolicos Legatos, qui suo nomine Sextæ Synodo præsint, mittit, p. 174. num. 834.

Synodum Sextam contra Monothelitas congregavit, p. 159. n. 780.

Duas dogmaticas Epistolas pro eiusdem Synodi celebratione scribit, p. 269. n. 1467.

Plura ex illis fragmenta pro Honorij defensione adducuntur, ibid. & seq.

S. Alexander Papa.

In camino ignis cremari, magis quàm mentiri, voluit, p.601.n.1598.

S. Alexius.

Strictissimæ paupertatis exemplum dedit, p.500.n.1121.

Altare.

Altare Dei *Apocalip. 6.* Christi Humanitatem designat, p.283.n. 8.

Anastasius Bibliothecarius Apost.

Eius encomia, p.158.n.774.

Floruit annis 180. post Sextam Synodum, ibid.

Scripsit Apologiam pro Honorio I. cuius aliquot fragmenta adducuntur, ibi, & seq.

Anatholius Patriarcha Constantinop.

Immoderata ipsius cupiditas, vt eius Patriarchatus cęteris præferretur, p. 254. n. 1386.

Primatum ipsi inter Orientis Patriarchas concessit Concilium Chalcedonense, ibid.n.1382.

Canonem circa hoc approbare noluit S. Leo Papa, ibid.& seq.

Angeli.

Etsi ita Voluntati Divinæ vniantur, & conformentur, vt non alia quàm Divina in illis agnoscatur, propriam tamen quilibet eorum habet voluntatem, p. 115. n.589.& seq.

Anima.

Sanctorum animas non nisi post judicij diem visione Beatifica fruituras, aliqui Antiqui Patres tenuere, p.282.n. 6. & seq.

Animarum Sanctarum triplex status, p. 283.n.9.

Anima separata gaudii, doloriſque capax, p.284. n.16.

Corpori coniuncta, pro arbitrio gaudet, aut dolet, ibid.

Quæstio de visione Beatifica animarum Sanctarum ante, vel post iudicij diem quo sensu exagitata, p.287.n. 33. & seq.

Status quæstionis sub Ioanne XXII. ibid.& seq.

Visio facialis Divinæ Essentię, non ad diem iudicij differtur, sed statim post mortem incipit in animabus perfectè purgatis, 290. n.45.

Hæc visio in die iudicij non mutabitur, sed eadem in æternum manebit, ibid.

Quęstionem de Beatifica Visione animarum ante, vel post iudicij diem valdè dubiam reputavit D. Augustinus, p. 291.n. 50.

Tàm ipse, quàm alij Doctores circa eam variarunt, ibid.

Anima separata non habet delectationem in puris corporibus, p.294.n.61.

Animarum decedentium status triplex, p.295.n.69.

Animæ beatitudo quo sensu maior post reassumpum corpus, p.297.n.79.p.317.n. 182.

Sententia de animarum visione differenda ad diem vsque iudicij, Ioannis XXII. tempore nondum erat damnata, p.304. n. 116.& seq.

Damnata fuit postea in Concilio Florentino sub Benedicto XII.ibid.n.120.

Animarum Sanctarum visionem ante Vniversale iudicium omnium primus definivit Benedictus XII.p.322.n. 204.

Animas esse mortales numquam sensit Ioannes XXII.p.322.n.206.& seq.

S. Anselmus Cantuarienſis.

Gratis ad Episcopatum evectus, nullatenus postea gratificari Regi voluit donis, p.577.n. 1463.

S. Anselmus Lucensis.

Eruditione, miraculisque claruit, p.635. n.1735. & seq.

Miracula per Mitram, sibi à Gregorio VII.transmissam, operatur, p.636.n.1738. p.658.n.1849.

Multos ab Henricianis partibus ad Gregorianas transire facit, p.636. n. 1740.

S. Antonius.

Omnia pro Christo vendit, pauperibusque distribuit, p.498.n. 1109. & seq.

Apocalipsis.

Eius Etymologia, & explicatio, p.239. n.1274.

Esse Librum Canonicum, Conciliorum Sanctorum Patrum, Pontificum, & aliorum testimonijs ostenditur, p. 231.& seq.à n.1214.

Illius Doctrina Apostolica, & Prophetica, ibi.n.1221.

Varia illius encomia, ibi.

Iuxta D. Hieronymum tot habet Sacramenta, quot verba; imò in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ, p. 233. n.1248.

Est idem ac *Revelatio*, p.236.n. 1271.

Prophetiam in illa contentam alijs præstare, & qualiter, ibid.n.1272. & seq.

Eius Author non fuit Cherintus Hæreticus, p.237.n.1277.& seq.

Ali-

Aliqui Hæretici ipsam respuentes referuntur, ibid. n. 1278.

De Fide definitum, esse Scripturam Canonicam, p. 238. n. 1292. & seq.

Ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio inter sacra Volumina fuit recepta, p. 239. n. 1300.

Apocrisiarij.

Quinam, & qualis eorum Authoritas, p. 195. n. 936. & seq.

Apollinarius Hæreticus.

Eius error circa vnicam CHRISTI Domini voluntatem refertur, p. 108. n. 561. & seq.

Apolychronius.

Damnatus fuit Actione 15. Sextæ Synodi, p. 179. n. 856.

Eius nomen in Definitione Fidei Actione 18. subticetur, ibid.

Apostoli.

Dignitate fuerunt Antiquis Prophetis maiores, pag. 230. n. 1274.

CHRISTVM sequuturi omnia reliquerunt, tàm in speciali, quàm in communi; tàm quoad affectum, quàm quoad effectum, p. 326. n. 234. & seq.

Auri possessio, an solum sub consilio, an etiam sub præcepto prohibita Apostolis *Matth.* 10? p. 377. n. 435. & seq.

Apostolorum missio ad prędicandum duplex, p. 368. n. 442.

Quale inter vtramque discrimen, ibi, & seq.

Sollicitudo de crastino, quo sensu Apostolis prohibita, p. 370. n. 451. & seq. p. 389. n. 571.

Apostolos nihil habuisse, nec in proprio, nec in communi, hæresis fuit Begardorum, & Fraticellorum, à Ioanne XXII. damnata, p. 378. n. 493. & seq. p. 387. n. 550. & seq.

Apostoli triplicem habebant vnitatem, & qualem, p. 383. n. 527.

De facto habuere bona in communi, p. 387. n. 553. & seq.

Habendo loculos, & aliqua in communi in eis reservando, nihil imperfectionis egerunt, p. 390. n. 580. & sep. p. 393. n. 593.

Quo sensu omnia reliquisse dicantur, p. 406. n. 665. & seq.

Paupertatis votum emiserunt, & quando, p. 413. n. 706. p. 422. n. 758.

Aliqua habuerunnt in speciali quoad proprietatem, & dominium, saltem in communi, p. 421. n. 755.

Antequam à CHRISTO ad prædicandum mitterentur Temporalia aliqua bona habuerunt, p. 425. n. 774. & seq.

Apostolis ad prædicandum missis aliqua fuere à CHRISTO prohibita, p. 426. num. 782. & seq.

Ipsis à prædicatione reversis licitum fuit aliqua habere in communi, p. 427. n. 786.

Post CHRISTI Passionem aliqua possedere in communi, p. 428. n. 791.

In rerum Temporalium abdicatione fuerunt ad primi hominis Dignitatem revocati, p. 445. n. 870.

Quomodo dicantur abusi fuisse rebus vsu consumptibilibus, p. 446. n. 875. & seq.

Possunt considerari, vel vt Ecclesiæ Prælati, vel vt personę singulares, p. 458. n. 924.

Omnium rerum abdicationem strictissimamque paupertatem, quam Nicolaus III. in sua Constitutione *Exijt* commemorat, suo nos exemplo docuerunt, p. 490. n. 1062. & seq.

Eorum obedientia, CHRISTO vocante, quanta, p. 491. n. 1064.

Non modò Spiritualibus, sed & Temporalibus bonis in summa paupertate abundabant, p. 492. n. 1077. & seq.

Post CHRISTI Resurrectionem non habuerunt possessiones, scilicet agros, domos, &c. nec etiam in communi, p. 511. n. 1167.

Ipsos elegit CHRISTVS absque vllo Laicorum suffragio, p. 521. n. 1208.

Ipsi Episcopos eligebant nullo Principum requisito consensu, ibid.

An matrimonio copulati fuerint? p. 607. n. 1623. & seq.

Apostolica vita qualis sit, p. 494. num. 1090.

Apostolici Hæretici.

Docebant, nullum salvari posse, nisi eos, qui nihil possidebant, p. 368. n. 437.

Appetitus

Sensitivus sive sensualis, in quantum natus est obedire rationi, dicitur rationalis per participationem, p. 116. n. 595.

Ara

Aurea Cœlum, ærea terram designant, p. 287. n. 30.

Arca Noe.

Figura fuit Ecclesiæ, p. 357. n. 363.

Archivum.

In Imperiali Archivo asservabatur Apo-

lo-

logia Ioannis Papę IV. pro Honorio, Constantino Imperatori missa, p. 172. n. 829.

Insuper Authographa S. Sophronij pro Honorio, vbi apparet, damnationem illius contra Monothelitas, ab Honorio fuisse confirmatam, ibid.

Item opera S. Maximi, ibid.

Arius, Ariani.

Eorũ pręcipuus error fuit, CHRISTVM Dominum vndequaque esse creaturam, p. 120. n. 612.

Spiritum Sanctum esse creaturam, asserebant, ibid. 614.

In hoc sequuti sunt Platonicos, ibid. n. 615.

Patrem in Essentia, Natura, ac Voluntate, à Filio esse distinctum, tenebant, p. 121. n. 616. & seq.

S. Athanasius.

Explicatur, in quo sensu loquutus fuerit, dum in CHRISTO, dixit, vnam Voluntatem esse prædicandam, hancque esse Divinam, p. 114. n. 583. & seq.

Athanasius Patriarch. Iacobitarum.

Negavit duas in CHRISTO Uoluntates, p. 146. n. 726.

Heraclio Imperatori promittenti Patriarchatum Antiochenum, si Chalcedonensi subscriberet Concilio, consensit, ibid.

Cum eodem Imperatore de Religione disceptavit, p. 146. n. 726.

S. Augustinus.

Valdè dubiam reputavit quæstionem de Visione Beatifica animarum Sanctarum ante, vel post iudicij diem, p. 291. n. 50.

Variasse circa illam dicitur, ibid.

Omnia pro CHRISTO relinquens, testamentum non fecit, quia vndè faceret non habebat, p. 504. n. 1137.

Aurum.

Eius possessio an sub præcepto, an tantum sub consilio prohibita Apostolis *Matth.* 10. p. 367. n. 435. & seq.

Aurum non portandum in via pro prima ad solos Iudęos missione, non pro secunda ad Orbem Vniversum prohibuit CHRISTVS Apostolis, p. 369. n. 445. & seq.

Author.

Nullus adducitur, qui quadraginta annis ab Honorij morte scripserit, Doctrinã huius in Epistola ad Sergium condemnans, nec Sergij errori favere asserens, p. 152. n. 749.

Author Historiæ Monothelitarum.

Impugnatur circa motivum damnationis Honorij in VI. Synodo, p. 141. & seq. à n. 701.

Inconsequenter defendit, Honorij Doctrinam Catholicam extitisse, eiusque damnationem in VI. Synodo iustam fuisse, p. 143. & 144. per totas.

Author libri de Vitis Pontificum.

Quanta sit eius Authoritas, p. 185. num. 879.

Illius Sententia circa diem terminationis primę VI. Synodi, ibid.

B

S. Babo.

CHRISTVM sequuturus omnes possessiones locis sanctis donat, p. 499. n. 1117.

S. Barnabas.

Omnia sua pauperibus distribuit, p. 498. n. 1108.

Beatitudo.

Dupliciter accipi potest, & qualiter, p. 296. n. 76. & seq.

Animæ beatitudo, quo sensu maior post reassumptum corpus, p. 297. n. 76. & seq.

Beatitudo perfecta non dependet à corpore, p. 299. n. 90.

Beatitudo vltima, & perfecta consistit in visione, & cognitione Divinę Essentiæ, p. 313. n. 162.

Beatitudinis status ante, & post iudicij diem varijs nominibus descriptus, p. 317. n. 178. & seq.

Begardi.

Quonam tempore emerserint, p. 330. n. 258.

Eorum errores recensentur, p. 331. n. 559. & seq.

Erroneè asserebant, duas esse Ecclesias, alteram Temporalibus bonis abundantem, alteram illis carentem, p. 373. n. 474.

Evangelicam perfectionem consistere in omnium bonorum Temporalium abdicatione, fuit illorum error, p. 377. n. 493.

CHRISTVM, & Apostolos nihil habuisse, nec in proprio, nec in communi, hæresis fuit illorum, damnata à Ioanne XXII. p. 378. n. 493. & seq. p. 387. n. 550. & seq.

S. Benedictus.

Præclarum Apostolicę paupertatis exẽplum præbuit, p. 501. n. 1125.

Benedictus Papa II.

Succeſſit Leoni II. anno CHRISTI 684.p.186.n.889.

Scripſit aliquas Epiſtolas ad Patres VI. Synodi,ibid.

Obtulit Machario poſt mortem Theophanis Patriarchatum Antiochenum,ſi recipiſeret ab hęreſi,ibid.

Benedictus Papa XII.

Omnium primus definivit viſionem Beatificam animarum Sãctarum,ante Vniverſale Iudicium,p.322.n.204.

Benno Pſeudo-Cardinalis.

Præcipuus Author, & vnicus teſtis calumniarum in Gregorium VII. p. 515.n. 1180.

De illius libello quale iudicium tulerit Cardinalis Bellarminus,ibi.

Gregorium VII. tanquam Berengarianum infamat.p.546.n.1306.

Eius calumnia exploditur, p.547.num. 1308.& ſeq.

Spurciſſimas calumnias in Gregorium confingit,p.634.n.1729.& ſeq.

Berengarius.

In Concilio Turonenſi damnatur,hæreſimque abiurare compellitur à Gregorio VII.p.551.n.1324.& ſeq.

Fidei Profeſſionem in Romana Synodo ſub Gregorio VII.emittit,p.553.n. 1336.

An poſt vltimam erroris abiurationem iterum ad vomitum redierit, pag. 554. n. 1340.& ſeq.

Eius finalis pœnitentia,p.555.n. 1341.

Bona immobilia.

Eorum poſſeſſionem licitam eſſe Eccleſiaſticis,Probop.363.n. 404.& ſeq.

Contrarium fuit error Petri Ioannis Olivi,& aliorum,ibid.n.401. & ſeq.

Eccleſiæ donata acceptarunt Sanctiſſimi Epiſcopi,p.365.n.419.& ſeq.

Summi Pontifices multa pro illorum conſervatione ſtatuerunt,ibid.n.418.

C

Caiphas.

FActus eſt Pontifex per ſimoniam, p. 583.n.1487.

Calvinus.

Falsò attribuit Ioanni XXII.Sententiam de animarum mortalitate, p. 322.n.205.& ſeq.

Canones.

Pontifex non poteſt Canones condere contra ea que in Sacra Scriptura continentur,p.375.n.482.

Nec contra quatuor primorum Conciliorum Generalium Decreta,ibid.n.484.

Non quia Concilia Generalia ſunt, ſed quia in materia Fidei,p.376.n. 485.& ſeq.

Canones poteſt condere Papa contra determinata per quoſcumque Doctores, etiam ſanctiſſimos,ibid.n. 487.

Canonum violatores quam ſint cavendi,& abominandi,p.601.n.1598.& ſeq.

Spiritum Sanctum blasfemare videntur, p.602. n.1602.

Core, Dathan, & Abiron ſupplicio deterrentur,p.603.n.1603.

Canones Apoſtolorum.

Octuaginta quinque communiter Apoſtolorum nomine circumferuntur,p.217.n. 1045.

De illorum numero, & translationibus ex Græco in Latinum,p.240.n. 1311.& p. 241.n.1320.

Octuageſimus quartus non admittit inter libros Canonicos,libros Sapientiæ,Tobię, Iudith, Eccleſiaſtici, duos primos Eſdræ, & Apocalypſim S. Ioannis contra communem Eccleſiæ, & SS. Patrum conſenſum,p.217.n. 1046.

In Novo Teſtamento admittit Canonicas duas S. Clementis Epiſtolas, eiuſdem Ordinationes octo libris cõprehenſas, quæ Apoſtolicæ dicuntur Conſtitutiones, ibid. n. 1047.

Prædictus Canon refertur,ibid.n.1048.

In eodem admittitur, vt Canonicus tertius liber Machabæorum, ibid.

Argumento ex eodem deſumpto ad probandum aliquos ex libris Canonicis, non eſſe tales,ſatisfit,p.240.n.136.& ſeq.

Suppoſititium, & Apochryphum eſſe oſtenditur, ibidem.

Canones Trullani.

Non fuiſſe eos ab Adriano Papa approbatos probatur,p.189.& 190.n.902.

Benè verò à Taraſio Patriarcha acceptos,ibid.n.905.

Referuntur, qui illos vt legitimos habent,p.191.n.913.

Illorum primus Honorium condemnat, p.193.n.922.

Statuitur, & probatur non eſſe legitimos,nec Apoſtolica Authoritate gaudere, p.193.& ſeq. à n.924.

A Ioanne Papa VII. non fuisse approbatos, ostenditur, p. 197. & seq. à n. 943.

Solùm à Patriarchali Ecclesia Constantinopolitana, inter Orientales, fuere approbati, p. 198. n. 951. & seq.

Rationes, quibus nonnulli Pontifices addici potuerunt ad prædictos Canones non confirmandos, expenduntur, p. 199. n. 958. & seq.

Nulla fuit ratio legitima illos statuendi, p. 201. n. 966. & seq.

Sergius Papa illos, tamquam continentes doctrinam in Ecclesia pernicioſam, explosit, p. 194. n. 961.

Iustinianus Imperator illorum approbationem instanter petit, non tamen impetrat, ibid. n. 932.

Canon 2. *Trullanus.*

Admittit Canonem de rebaptizandis Hæreticis, p. 210. & seq. à n. 1011.

Quæ in ipso continentur, ostendunt indignum esse, vt ab Apostolica Sede approbaretur, p. 217. & seq. à n. 1045.

In eo statuitur, suscipi debere octuaginta quinque Canones Apostolorum, p. 217. n. 1045.

Canon 55. *Trullanus.*

Ieiunium Sabbathi prohibet, pag. 210. n. 1015.

Hunc non esse Apostolorum Canonem, ostenditur, p. 211. & seq. à n. 1017.

Esse à Græcis additum, & suppositum, probatur, p. 214. n. 1033. & p. 215. n. 1037.

Non fuit approbatus à Vigilio Papa, p. 216. n. 1042.

Canonizatio.

Est publicum Ecclesiæ testimonium de vitæ sanctitate, & gloria adepta hominis iam defuncti, p. 313. n. 158.

Carolus Magnus.

Potestatem eligendi Pontificem, & Apostolicam Sedem ordinandi, Dignitatesque Patriarchatus, & Episcopatus conferendi, ab Adriano I. accepisse legitur, pag. 520. n. 1203.

Hęc tamen concessio tamquam supposititia, & à Sigeberto Gemblacensi conficta exploditur, p. 523. n. 1217. & seq.

Electiones Episcoporum liberas esse voluit, p. 524. n. 1221.

Reformationi Gallicani Cleri intendit, p. 618. n. 1669.

Carolus Martellus.

Episcopatus laicis contulit, magno Ecclesiastici Status detrimento, p. 616. num. 1663.

Castitas.

Efficacissimum ad illam tuendam medium, occasionem ipsam amittendi fugere, p. 627. n. 1703. & seq.

Cham.

Huius personam assumunt, qui Ecclesię nomine, in Concilijs arrogant sibi iudiciariam Authoritatem supra Pontificem, p. 137. n. 683.

Christiani.

Duo genera Christianorum in Ecclesia, p. 372. n. 466.

CHRISTVS Dominus.

Eius Voluntates, & operationes multis modis explicari possunt, p. 56. n. 298.

Referuntur illi, quibus vsi sunt SS. Patres, p. 56. n. 306. & seq.

Qualiter SS. Patres duas in CHRISTO probent Voluntates, latè expenditur, p. 60. & seq.

Ex duplici eius Natura, duplicem probari Voluntatem, SS. Patrum testimonia ostendunt, p. 61. n. 327. & seq. & p. 78. num. 412. & seq.

Super mare ambulasse, Divinam, & Humanam in ipso operationem demonstrabat, p. 88. n. 463. & 464.

Qualiter sit plenus gratię, & veritatis? p. 97. n. 509. & seq.

In quantum Deus dator est gratiarum, ibid. n. 513.

Item Fons omnis gratiæ, & veritatis, ibid. n. 511.

Illa verba *plené*, vel *plenus* de ipso dicta, denotant perfectionem, ibid. n. 516.

Vnum operatorem, Divinæ, atque Humanæ Naturæ, profitetur Honorius, p. 99. n. 525.

Eius Voluntas vna est si de Divina intelligatur, quam vnam habet cum Patre, & Spiritu Sancto, p. 119. n. 609.

Explicatur quo sensu dixerit illa verba: *non mea Voluntas fiat, &c.* p. 121. n. 617.

Vnam operantem Personam esse, Patres, & Concilia Catholicè prædicarunt, p. 125. n. 634.

Exindè non infertur Vnitas operationis vtriusque Naturæ, ibid.

In ipso fuerunt operationes, Divino-Humanæ: & Humano-Divinæ, p. 128. n. 645. & seq.

Cur mandaverit Septuaginta duos Discipulos prædicare, nec plures, nec paciores, traditur, p. 238. n. 1292.

Ad trigesimum vsque etatis annum nihil ha-

habuit proprium,pag.326.num. 229.

Maximam Paupertatem docuit verbo, & exemplo,ibid.n. 230. & seq.

Nihil ad perfectionem pertinens docuit, quod priùs non fecerit,p.327. num. 239.& seq.

Eius verba *Matth.*10. *Nolite possidere aurum,&c.*an solum consilium, an etiam includant præceptum?p.367. num. 435. & seq.

Non præceptum, sed concessionem continent,ibid.n.436.

Triplici expositione illustrantur,p.368. n.439. & seq.

Illis verbis: *Nolite solliciti esse de crastino. Matth.6.* solùm superfluam circa Temporalia sollicitudinem prohibet, pag. 369.n.450.

De CHRISTI Paupertate emerserunt Fraticellorum errores tẽpore Ioãnis XXII. quos dictus Pontifex damnavit, p. 374. n. 478.& seq.

CHRISTVM, & Apostolos nihil habuisse in proprio,nec in communi, hæresis fuit Begardorum,& Fraticellorum, p.378. n.493.& seq.p.387.n. 550. & seq.

CHRISTVS de facto habuit aliqua bona in communi,p.387.n.553.& seq.

Loculos habuit, in quibus bona in communi servabantur,& quare, ibid. n. 555.& seq.p.391.n.582.& seq.

Habendo loculos, & aliqua in communi in eis reservando,nihil imperfectionis contraxit,p.390.n.580.& seq.p.393.n.593.

Loculos habendo, quomodo condescendisse infirmis dicatur,p.393.n.595.& seq.

CHRISTVM nudum sequendum, quomodo intelligatur,p.396.n. 610.

CHRISTVS habuit verum omnium rerum Temporalium dominium,p.408.num. 681.

Eius Principatus in Temporalibus Supremus fuit,ac Regius,p.409. n.684.

Ipse fuit lapis abscisus de monte sine manibus,ibid.n.685.

In quantum Homo habuit à suæ conceptionis initio verum in omnibus rebus creatis infusum dominium,nõ modo quoad proprietatem,verum etiam quoad vsum, p. 410.n.692.

Ipsi â primo suę conceptionis instanti fuit omnium rerum scientia communicata, p.412.n.703.

Eidem vt Homini, subijciuntur Angeli, homines,& dæmones,ibid.n. 704.

Quomodo supremum Temporalium dominium cum summa illius Paupertate cohæreat,p.414.n. 711.

Fuit Pauper non privatione dominij,sed vsus,ibid.n.712.

Ne dum vt Caput Ecclesiæ, verum etiã vt Homo particularis habuit omnium Temporalium dominium,p.415.n. 718.

Præter omnium creaturarum dominium sibi in primo suæ Conceptionis instanti infusum, habuit ratione suæ individualis Naturæ verum ius,& dominium acquisitum,p.415.n.722.

Et hoc multiplici titulo, p. 416. n.723. & seq.

An iudiciariam Potestatem habeat in quantum Deus, vel in quantum Homo, & ratione Humanæ Naturæ? p.416.n.726.& seq.

An ob sua merita, an verò ex sola gratia habuerit iudiciariam Potestatem à Patre communicatam?p.418.n.737.& seq.

Ad quænam extendatur eius iudiciaria Potestas?ibid.n.741.& seq.

Titulo donationis habuit acquisitum aliquarum rerum dominium, p.419.n.745.

Lumine intellectus agentis experimentalem scientiam rerum naturalium acquisivit.p.421.n.751.

Aliqua habuit in speciali quoad proprietatem,& dominium saltem in communi,ibid.n.755.

Cur vitam summê abstinentem cum Ioanne non duxerit, sed communem cum Apostolis?,p.439.n.849.

Quo sensu dicatur abusus fuisse rebus vsu consumptibilibus,p.446.n.875.& seq.

Potest considerari, vel vt Ecclesiæ Caput,vel vt particularis Persona ? p. 458. n. 924.

Habuit aliqua iure Naturali, non Civili,ibi.

Duplicem docuit Paupertatem verbo, & exemplo,p.461.n.937. & seq.

Omnem modum vivendi in voluntaria Paupertate docuit,ibid.

Strictissimam Paupertatem cum omni proprietatis abdicatione, tàm in speciali, quàm in communi,verbo docuit, p.469.n. 972. & seq.

Eamdem Paupertatem exemplo suo firmavit,p.484.n.1029.& seq.

Tantę fuit Paupertatis, vt vndè tributum solveret non haberet,p.486.n.1040.

Propter nos multipliciter factus Pau-

per,

per, pag. 489. num. 1054.
Summam Paupertatem multipliciter approbavit,& suasit,ibid.n. 1055.
Apostolos elegit absque vllo laicorum suffragio,p.521.n.1208.

S.Clemens Papa.

Constitutiones Apostolicas,sub eius nomine vulgatas, aliquos intolerabiles errores continere,ostenditur,p.243.n.1330.

Clerici.

Ea quæ nomine Ecclesiæ possident, nequeunt hæredibus relinquere; benè verò quæ possident titulo hęreditatis, emptionis,seu donationis,p.367.n.434.
Quomodo solum Deum possidere debeant,p.370.n.454. & seq.
Quo sensu, & pro quo tempore prohibitum illius dominium sæculare,ibid. num. 457. & seq.
Clericos bona mobilia, & immobilia possidere,non modo licitum, verum & decens esse,probatur,p.371.n.463. & seq.
Ipsos à Temporalium rerum stipitu alienos esse,qualiter deceat, p. 372. n.466.
Ipsis permissa Episcoporum electio, p. 535.n.1265.
Clericos concubinarios Altaris ministerio interdixit Gregorius VII.p. 589. num. 1508.
Huic Decreto impudenter obstitere Clerici concubinarij,p.590.n. 1513.
Clerici ab vxoribus,cõcubinis, alijsque suspectis fœminis separati esse debent secundum Canones,ibid.n.1518.& seq.
Clericorum incontinentium Missæ quare vitandæ,p.604.n.1607.
Clericis an sit licitum vxorem habere ex Pauli Sententia,ibid.n. 1609. & seq.
Clericalis continentiæ observantia relaxata tempore Gregorij VII. p.618.num. 1671. & seq.

Concilium.

In nullo visum, nec auditum Hæreticis annumerari eum, qui & vivus, & mortuus Catholicus ab Ecclesia est habitus, p. 151. n.746.
Numquam Sententiam aliquam tulit contra ea, quæ Pontifices decreverunt, p. 171.n.825.
Nec Hæreticum damnavit aliquem etiam privatum, quem antea Pontifices Catholicum iudicaverant,ibid.
Nullum potest dari Vniversale,& OEcumenicum, quin Summi Pontificis Authoritate congregetur,p.202.& seq.à n.972.
Id ratione validissima ostenditur,p.203. n.977. & seq.
In omni Generali Concilio debent Summi Pontifices per se, vel suos Legatos præsidere,p.204.& seq.à n.980.
Id aliquibus exemplis demonstratur, ibidem.
Numquam procedere solent ad decisionem alicuius quæstionis de Fide, quin præcedat Apostolicæ Sedis iudicium, pag. 259.& seq.à n.1409.
Id varijs exemplis demonstratur,ibid.
In omnibus inviolabili more observatum fuisse,vt Summi Pontifices per suos Legatos mitterent instructionem Fidei, in qua congregandi Concilij rationes,causæque in illo tractandæ præscriberent, latæ ostenditur,p.263.& seq.à n.1424.
Hanc instructionem, non esse cæremonialem, sed à Concilij Patribus, vt Fidei Regulam observari debere,probatur, pag. 264.& seq.à n.1434.
Quamtumvis Generale, atque Apostolica Authoritate congregatum, non posse à Pontificis Romani Instructione ad ipsum transmissa discedere,pro Conclusione statuitur,& probatur,p.265.& seq.à n. 1443.
Non habere Vniversalem Authoritatem,sed circunscriptam ad id dumtaxat,ad quod congregatum est, ostenditur, p. 266. n.1446.& seq.
Quidquid decreverit, si ab ijs, quæ ei à Pontifice in Instructione Fidei præscribuntur, recedat,irritum, esse ac nullius roboris,latè ostenditur,p.267. & seq. à num. 1451.
Id esse verum etiam si consentiant Apostolici Legati, in eo præsidentes, ibid. n. 1454. & seq.
Concilia in his deficientia potiùs dicenda esse conciliabula, aliqua exempla probant,p.268.n.1458.& seq.
In nullo ex decem Concilijs celebratis ab anno 640.vsque ad 680. in quibus Monothelitarum damnata est hęresis, aliqua de Honorio mentio fuit facta, p.20.n. 100.

Concilium Antiochenum sub Constantio Imperat.

Celebratum fuit anno CHRISTI 347. p.468.n.1459.
Impiè in eo damnatus est S.Athanasius, & ad Concilij Nicęni eversionem patefactus aditus, ibid.

Con-

Concilium Ariminense.

Illius Decretum quo tollebatur *Homousion*, nullius esse ponderis, & quare, ex testimonio Theodoreti traditur, p. 267.n. 1452.

Concilium Basileense Generale.

Fuit celebratum anno 1433.p.158.num. 779.

Fuisse Conciliabulum schismaticum, seditiosum, ac nullius Authoritatis ostenditur, p.279.n. 1515.

Ratione stabilitur, p.278.& seq. à num. 1513.

Concilium Chalcedonense.

Patres ipsius graviter increparunt Dioscori Alexandrini temeritatem, p.25.n. 131.

Primatum Patriarcharum Orientis Cõstantinopolitano, tunc Anatholio, concesserunt, p.154.n.1382.

Illius Canon circa hoc, irritus fuit declaratus, ibidem.

Noluit procedere contra Nestorianam, & Euthychianam hæresim, quin priùs illi innotescceret Sancti Leonis Papę Sententia, circa illarum condemnationem, p. 260. n. 1413.

Approbatum est à S. Leone Papa quoad definitionem Fidei contra hæreses tunc grassantes, non verò quoad Canones Niceno Concilio dissonos, p.255.n. 1391.

Concilium I. Constantinopolitanum.

Quare in eo Legati Apostolici non adfuerint, p. 205.n.985.

Fuit celebratum sub S. Damaso Papa, ibid.

In eodem reperitur Canon Sextus de accusatoribus, qui non reperitur in dicti Concilij Codicibus in Archivo Vaticano asservatis; nec vmquam illum admisit Ecclesia, p. 256.n.1396.

Eius Canonem Primum de Primatu Constantinopolitani Patriarchæ immediatè post Romanum Pontificem, noluit approbare S. Damasus Papa, p.553.n.1377.

Conciliabulum Constantinopolitanum anno 754.

In eo fuit impiè definitum, CHRISTI, & Sanctorum Imagines esse penitus abolendas, p.268.n.1460. & p.269.n.1461.

Illi præfuit Photius, ibid.

Concilium Constantinopolitanum, sub Nicolao Papa I.

In Fide erravit, p.267.& 268. n. 1454.

Nullum fuit à dicto Pontifice in Romano Concilio declaratum, ibid.

In causa S. Ignatij, & impij Photij turpiter erravit, ibid.

Concilium Ephesinum.

Adelphium & Sabam, in eo anathematizatos, illius Acta recensent, p. 253. n. 1381.

Id tamen Romana Ecclesia numquam admisit, ibid.

In eo noluerunt Patres contra Nestorium procedere, nisi præcedente ipsorum Decretum condemnatione, & Sententia contra illum à Cœlestino Papa prolata, p. 256.n.1409.

Iuxta S. Leonem Papam, ideo erravit, quia non permisit legi Sententiam, quam in rebus Fidei Sedes Apostolica tulerat, p. 260.n.1411. & seq.

Concilium Ephesinum II.

Fuit celebratum sub Theodosio Iuniore anno CHRISTI 459.p.268.n.1459.

Dictum *prædatorium*, seu *latrocinale*; p.267.n. 1453.

Instante Theodosio, indictum fuit à Sancto Leone Magno, anno 459. ibid.

Plura illius facta idem S. Leo in Concilio Romano cassavit, & rescidit, ibid.

Erroneum, ac nullum fuit renuntiatum; ob non servatam in eo instructionem Fidei à Pontifice per suos Legatos missam, ibid.

Iniquè S. Flavianum, Patriarcham Constantinopolitanum damnavit, Legatis contradicentibus, & de nullitate protestantibus, ibid.

Concilium Mediolanense, sub Constantinopolitano Imperatore.

In eo plusquam 300. Episcopi convenere, p.268.n. 1459.

Impiè Catholica Fides in eodem condemnata est, ibid.

Concilium Nicænum.

Eius Canon circa formam iudicandi causas Episcoporum, defenditur, p. 223. & seq. à n.1484.

Concilium Romanum sub Agathone Papa.

Coactum fuit pro hæresis Monothelitarum damnatione, p.100.n.529.

In eo 125. Episcopi convenere, p. 14. n. 78.

Nulla in eo de Honorio, dum Monathelitæ referuntur, & damnantur, mentio habetur, ibid.

Concilium Romanum sub S. Martino Papa I.

Ad Monothelitarum hæresim damnandam fuit congregatum, p. 100. n. 529.

Celebratum anno 650. p. 12. n. 69. vel anno 649. p. 148. n. 731.

Illi interfuerunt 150. Episcopi, p. 12. n. 69. & seq.

Nulla in eo fit mentio de Honorio, dum Monothelitæ referuntur, & damnantur, p. 14. n. 78.

Eius Patres sub Anathemate Paulum damnarunt, audito, quòd Honorium, & Sergium esse consonantes, dixisset, p. 155. n. 762.

In eo, Textum S. Dionysij à Monothelitis vitiatum fuisse, innotuit, p. 127. n. 641.

Concilium Toletanum XIV.

Sub quo Pontifice, & Imperatore, qua insuper de causa celebratum, sit refertur, p. 186. n. 888.

Constans Imperator.

Occisus est in Balneo mense Iulio indictione XII. p. 162. n. 789.

Iussit Exarcho, vt cogeret Martinum I. iurare in hæresim Monothelitarum, p. 519. n. 1198.

Constantinus Papa.

Constantinopolim accitus, atque vrbanissimè tractatus à Iustiniano Imperatore, p. 199. n. 954.

Constantinus Imperator.

Tres Codices accipit à Macario Monothelita, p. 170. n. 822.

Noluit annuere eidem Macario petenti vt nomẽ Vitaliani Papę ex Ecclesię Tabulis eradi iuberet, Honorij verò conservaret; ex quo vtrumque Orthodoxum habuit, p. 182. n. 866.

Veritati congruere nequit, quod Honorium in suo Edicto tamquam Hęreticorum fautorem proscripserit, ibi.

Verba illa Epistolæ ipsius ad Leonem Papam II. *Leoni OEcumenico Papæ*, tempori repugnant; siquidem tunc, nec confirmatus erat, imò neque electus Pontifex, p. 182. num. 867. & seq.

Honorij condemnationi in VI. Synodo non interfuit, p. 233. n. 1375.

Pro duplici CHRISTI Domini Voluntate stat in Edicto Fidei, p. 92. n. 488. & seq. p. 101. n. 617.

Eo Edicto iussit, vt in toto suo Imperio exequeretur quidquid à Sexta Synodo fuerat decretum, p. 342. n. 705.

Honorij Pontificis Fidem commendavit, p. 157. n. 771.

Annus Imperij eius XII. fuit annus CHRISTI 680. p. 162. n. 789.

Constantinus Parmiensis Hæreticus.

Damnatur Actione 6. Sextæ Synodi, p. 179. n. 856.

Eius nomen Actione 18. inter damnatos non reperitur, ibid.

Cor.

Qualiter vnum simul, & anima vna credentium fuerit, exponitur, p. 115. n. 586. & seq.

Crux

Apparebit in die judicij, p. 232. n. 1229.

Crucis exemplum præcipuè imitandum proponitur Christianis, p. 507. n. 1151.

S. Cyprianus.

Docens baptizatos ab Hæreticis esse rebaptizandos, non erravit in Fide; & quare, p. 303. n. 113.

Ipsi tamen egregiè restitit Stephanus Papa, p. 210. n. 1012.

S. Cyrillus Alexandrinus.

Eius verba, ex Epistola ad Theodosium Imperatorem, *Firmamẽtum*, &c. lecta fuerunt Actione 2. VI. Synodi, p. 119. num. 610.

Legati Apostolici, eiusdem Concilij, & alij, efficaciter contra Macarium Monothelitam, contendentem prædicta verba pro sua Sententia stare, insurrexerunt, ibid.

Ab ipsis legitimus sensus illorum fuit expositus, p. 120. n. 911.

Insuper ab eisdem, à Monothelitarum hęresi S. Cyrillus vindicatur, ibid.

Eius testimonium *ex libro 4. in Ioannem* Monothelitis non favere, à S. Maximo disputante cum Pyrro propugnatur, p. 129. n. 648. & seq.

Pręfuit in Concilio Ephesino tamquam Apostolicæ Sedis Legatus, p. 205. n. 986.

Cyrus Patriarcha Alexandrinus.

Vnam in CHRISTO operationem turpiter prædicare cœpit, p. 101. n. 531.

De execrabili Ecthesis Heraclij doctrina vniformiter sensit cum Sergio, p. 115. n. 548.

D

S. Damasus Papa.

NOluit approbare Canonem I. Concilij Generalis Constantinopolitani, vnanimi consensu statutum, in quo Patriarchæ

chæ Constantinopolitano Primatus immediatè post Romanum Pontificem concedebatur, p.253.n.1377.

Decimæ

Levitę in decimis non solum vsum, sed etiam dominium habuere, p.407.n.673.

Declaratio

In dubijs circa Articulos Fidei Declaratio Magistralis pertinet ad Doctores; Declaratio verò Authoritativa, & finalis ad Papam, p.456. n. 920.

Decretalis.

Revocari potest aliqua Decretalis dupliciter; vno modo, tamquam falsa, alio modo tamquam dubia, p.456.n. 918.

Decretum Gratiani.

Ob multos in eo errores, correctum, p. 249.n.1390.

Deus

Diversimodè illi coniungimur, p. 97.n. 514.

Deusdedit Episcopus Sardicensis.

Quid supplex postulaverit in Concilio Romano, refertur, p.36.n.188.

S.Dionysius Areopagita

Falsò adducitur à Cyro Monothelita, à quo eius verba corrupta fuere, p. 41.num. 219.& p.100.& seq.

Vindicatur à Sancto Martino Papa, p. 42.n.223.

A Monothelitarum impostura liberatur, ibid.& seq.

Insuper in Concilio Lateranensi defenditur, p.127.n.641.

S.Dionysius Alexandrinus

Vindicat eum S. Athanasius à calumnijs, quibus, ab æmulis fuit impetitus, pag. 279.n.1518.

Dioscorus.

Factione ipsius occisus est Sanctus Flavianus, Legati Pontificij à Concilio Ephesino II. fugati, & hæresis Eutychiana confirmata, p.268. n.1459.

Discipuli.

Antequam à CHRISTO mitterentur ad prædicandum habuerunt bona temporalia, p.425.n.779.& seq.

Ipsis ad prædicandum missis aliqua fuere à CHRISTO prohibita, p. 426. n. 782. & seq.

A prędicatione reversis licitum fuit aliqua habere in communi, p.427.n.786.

Post CHRISTI Passionē aliqua possederunt in communi, p.428.n.791.

Divitiæ,

Illarum amor, & elatio ex illis sequuta, sollicitudoque, quam secum afferunt, sunt impedimenta Charitatis, p.382.n.517.

Divites.

Non posse salvari, docuerunt aliqui, quorum errorem impugnat D. Augustinus, p.477. n. 1002. & seq.

Dogma.

In rebus Dogmaticis, rationi Authoritas præponderat, p.193.n.913.

S.Dominicus.

In morte sua imprecatus est maledictionem omnibus Fratribus, qui in Ordinem suum possessiones conarentur inducere, p. 505.n.1142.

Dominium.

Habere dominium in communi in immobilibus bonis, & possessionibus, domibus, & reditibus, non minuit aliquid de perfectione, p.385.n.541. & seq.

Dominium in quo differat à Iure, pag. 399.n. 628.

Dominium est: Ius vtendi, & possidendi, & habendi aliquam rem simpliciter, pro libito voluntatis, vel secundùm aliquem determinatum modum cum quadam superioritate, ibid.n.628.

Dominium Temporale est: verum Ius proprium habendi, possidendi, & vtendi re aliqua simpliciter, vel secundum aliquem certum modum, p.408.n.679.

Non quodcumque Ius, tribuit dominium, ibid.n.680.

Supremum Temporalium dominium quomodo cum Summa CHRISTI Paupertate cohæreat, p.414.n. 711.

Dominium in aliqua re habere multipliciter contingit, p.419.n. 743.

Donatistæ

Ecclesiam ex solis iustis coalescere asserebant, p.358.n. 373.

Ipsorum cum VViclephistis communis error damnatus in Concilio Constantiensi, ibid.n.374.

Durandus de S.Portiano, Ord. Præd. Episcopus Meldensis.

Libellum scribit de clara visione animarum sanctarum ante Iudicij diem, quem ad Pontificem Ioannem XXII. transmittit, p.292.n. 53. & seq.

Eius libellum ab invidorum obiectionibus vindicat Iacobus Novellus S. R. E. Cardinalis, p.298.n. 83. & seq.

E

Ecclesia

Pla, paternaque eius consuetudo, quàm semper obſervavit in reducendis Hęreticis ad viam ſalutis oſtenditur, p. 55. n. 294.

Expenditur ratio, qua adduci potuit ne Anathema in Honorium latum in VI. Synodo confirmaret, p. 259. & ſeq. n. 1409.

Eius figura fuit Arca Noe, p. 357. n. 363.

In eius gremio, non ſolum boni, & ſancti, ſed etiam peccatores, & mali ſunt, pag. 357. n. 363. & ſeq.

Ratione malorum nominatur *ſpelunca latronum*, ibid. n. 364.

Eius decor in Sanctis conſiſtit, ibid.

Eccleſia qua ratione comparetur Areę? ibid. n. 369. & ſeq.

Eccleſiæ vnitas duplex, p. 358. n. 372.

Eccleſiam ex ſolis iuſtis coaleſcere fuit Donatiſtarum, & VViclephiſtarum error damnatus in Concilio Conſtantienſi, ibid. n. 373. & ſeq.

Varij circa hoc errores referuntur, & refutantur, ibid. n. 375. & ſeq.

Eccleſias poſſeſſionibus ditarunt Chriſtiani Principes, p. 365. n. 422.

Eccleſiam, Eccleſiaſticoſque Uiros bona mobilia, & immobilia poſſidere, non modò licitum, verùm & decens eſſe, probatur, p. 371. n. 463. & ſeq.

Eccleſiam, eiuſque Præſules neceſſe eſt Temporalibus bonis affluere ad egenorum ſublevationem, p. 372. n. 468.

Duas eſſe Eccleſias, alteram Temporalibus bonis abundantem, alteram illis carentem, docebant Begardi, p. 373. n. 474.

Scriptura Sacra quo ſenſu habere dicatur Authoritatem ab Eccleſia p. 375. num. 483.

Eccleſiaſtici.

Licitum eſt Eccleſiaſticis, bona immobilia poſſidere, p. 363. n. 404. & ſeq.

Contrarium fuit error Petri Ioannis Olivi, & aliorum, ibid n. 401. & ſeq.

Ecthesis.

Idem eſt, ac *Fidei expoſitio*, p. 105. num. 545.

Egenus.

In quo differat à paupere, p. 490. num. 1054. & ſeq.

Electio.

Pontificum electioni Imperatores, ac Reges multoties interfuere, p. 517. n. 1194.

Electionibus Eccleſiaſticis interfuere aliquando Imperatores, ac Reges, mandantes, & decernentes, p. 518. n. 1195.

Electionum Eccleſiaſticarum libertas valdè oppreſſa tempore Stephani VII. p. 519. n. 1200. & ſeq.

Imperatores, & Reges in multis Pontificum electionibus habuere Ius, & Authoritatem ex ſpeciali Apoſtolicę Sedis conceſſione, ibid. n. 1202.

Electionibus Pontificum interfuere Reges, & Imperatores de facto, non verò de Iure, p. 520. n. 1204.

Electionis Pontificiæ formam præſcribere, ſpectat ad Papam, p. 521. n. 1209.

Electio Eccleſiaſtica redditur nulla per ſęcularis poteſtatis abuſum, p. 522. num. 1211.

Abuſus ſecularis poteſtatis in Eccleſiaſticis electionibus prohibitus, ibid.

An in omnibus, an in ſolis Epiſcoporum. ibid. n. 1212.

Eligentes per impreſſionem laicorum, ipſo facto ſunt privati facultate eligendi pro ea vice, & electio eſt nulla, p. 522. num. 1214.

Electiones Epiſcoporum liberas eſſe iuſſit Carolus Magnus, p. 524. n. 1221.

Populus, quando, & cur excluſus à Pontificis electione, p. 535. n. 1264.

Clericis permiſſa Epiſcoporum electio, Religioſis verò ſuorum Prętatorum, ibid. n. 1265.

Electio ad Populi clamorem facta non valet, p. 536. n. 1265.

Electio Eccleſiaſtica Ius ſpirituale requirit in eligente, p. 535. n. 1269.

Electionem Pontificis ad Cardinales ſpectare, decrevit Nicolaus II. p. 538. num. 1276.

Elias Propheta.

Eius Paupertas quanta fuerit, p. 497. n. 1106.

Epiphanius Diaconus.

In VII. Synodo Hæreticis Iconomachis, pro Catholicis reſpondebat, p. 245. n. 1339.

Qualiter dicat, Honorium fuiſſe anathematizatum, exponitur, ibid.

Epiſcopus.

Nullus Eccleſię Latinæ interfuit Synodo Trullanæ, p. 210. n. 960. & ſeq.

Ferendæ Sententiæ damnationis in Epiſcopum, nullam habent facultatem Patres Concilij, niſi eis ſpecialis Apoſtolicæ Sedis con-

concedatur Authoritas, p. 272. n. 1479.& p.273.n.1481.& seq.

Solent hanc impertiri Pontifices in instructione Fidei, quam ad Concilia mittunt, ibid.

In Potestate Episcopi duplex patrimonium, aliud proprium, aliud Ecclesiæ, pag. 364.n. 414.

Episcopi Sanctissimi bona immobilia Ecclesiis donata acceptarunt, p.365.num. 419.& seq.

Episcoporum electiones liberas esse iussit Carolus Magnus, p.524.n. 1221.

Episcoporum electio Clericis permissa, p.535.n.1265.

Essentia Divina.

Quid significet,& pro quo supponat, latè ostenditur, p.124.n.629. & seq.

Esàras

Fuit Propheta, p.218.n.1051. & seq.

Adducuntur Concilia, Patres, & Authores. primum, & secundum librum inter Canonicos recensentes, ibid.n.1050.& seq.

Id fuisse communem Hebræorum, & Rabbinorum Sententiam, suadetur, ibid.

Eucharistia.

Frequentem eius sumptionem suadet Gregorius VII.p.550. n. 1316.

Eusebius Nicomediensis.

Electus est Episcopus Constantinopolitanus à Constantio Imperatore, p. 518.n. 1196.

Eustathiani Hæretici.

Legitimas nuptias tamquam crimen damnabant, p.608.n. 1627.

Eutychiani.

Ideo vnam voluntatem,& operationem tantùm admittebant in CHRISTO, quia vnam solùm in eo profitebantur personam, p.102.n.533.

F

Filius.

Qualiter quæ conveniunt Filio hominis, possint de Divina Natura prædicari;& ea quæ Filio Dei, de Humana, exponitur latè, p.122.& seq. à n.621.

S. Flavianus

Fidei columen, & *propugnaculum* à Concilio Chalcedonensi nuncupatur, p. 60. n. n. 318.

Eius Authoritas expenditur, ibid. & n. 319.

S. Franciscus.

Eius eximia Paupertas commendatur, p.504.n. 1141.

Franciscus de Lutra.

Apostolicam Sedem, Fratresque Minores convicijs impetit, p.334. n. 272.

Fraticelli.

Quonam tempore emerserint, p. 330.n. 258.

Eorum errores recensentur, p.331.num. 259.& seq.p.332.n. 266.

Quinam, & quales fuerint huius sectæ Authores, ibid.n.260.& seq.

Varijs nominibus appellati, ibid.

Illorum mores describuntur, ibi.

Varijs calumnijs impetunt Ioannem XXII.ibid.n.266.

Illorum secta ab eodem Pontifice damnata, p.334.n.271.p.374.n.478.& seq.

Franciscanos acerbissimo odio persequuntur, ibi.n.272.

Evangelicam perfectionem in omnium bonorum Temporalium abdicatione consistere, docent, p.377.n. 493.

Illorum hæresis est, CHRISTVM, & Apostolos nihil habuisse, nec in proprio, nec in communi, p.378.n.493. & seq. pag. 387.n.550.& seq.

Fratres Minores.

Rigorem Paupertatis illorum temperat Ioannes XXII.p.332.n.266.

Odio habentur à Fraticellis, pag. 334. n. 272.

In Comitijs Generalibus Perpiniani celebratis, Michaëlem Cesenatem cum socijs damnant, Sententiamque per totum Ordinem publicari iubent, p.354.n. 349. & seq.

Ministro Generali ab Ecclesia recedente, in obsequio Sedis Apostolicæ permanent, p.347.n.321.& seq.

Processum faciunt contra Michaëlem Cesenatem, ac Petrum de Corbaria, p.348. n.323.

Ex aliquorum lapsu non temerè calumniandus illorum Ordo, pag.355. n. 357.& seq.

Nicolaus IV. in Constitutione *Exijt*, mobilium, & immobilium bonorum Fratrum Minorum proprietatem reservavit Ecclesiæ, vsu facti dumtaxat Fratribus relicto, p.377.n. 492.

Fratres Prædicatores.

Opinionem asserentem visione Beatifica animas sanctas non frui ad diem vsque Iudicij impugnant, p.288.n.36. & seq.

Ipſis adhærent Prælati, & Doctores ferè omnes, ibid.

Ordo Prædicatorum, Ordo veritatis, p.289.n.40.

G

Gallia.

Infelix illius ob Simoniam ſtatus deſcribitur,p.580.n.1479.

Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Etſi enixè Concilium VI.Generale deprecaretur ne nomina aliquorum Patriarcharum ipſius Prædeceſſorum, in Anathemate contra ipſos promulgando, legerentur,nullatenus id impetravit,p.177.n.848.

Geraldus.

Miniſter Generalis Fratrum Minorum Michaëlem Ceſenatem reprehendit, & impugnat,p.344.n.308.& ſeq.

Ceſenatis errores impugnat, & convincit,p.351.n.332.& ſeq.

Geraldi Epiſtola lecta, & approbata in Comitijs Generalibus Fratrum Minorum Perpiniani celebratis, p.353.n.348.

Germania

Deplorabilis eius deſolatio propter Inveſtituras,& Simoniam,p.581.n.1480.

Græci.

Scripta Sanctorum Patrum, ab ipſis adulterata referuntur,p.3.n.18. & ſeq.

Maliciosè ab ipſis,nomen Honorii Papæ I. in VI.Synodi Actis intruditur. p. 4. n. 22. & ſeq. & p.8.n.44.& ſeq.

Corrupiſſe Acta aliquorum Generaliū Synodorum, & ſingulariter VI. Synodi multis oſtenditur.p.8.& 9. per totas.

Plurimi,& Graviſſimi Patres Græci referuntur, qui de Monothelitarum damnatione Scribentes, nullam Honorii mentionem faciunt. p.10. n.55. & ſeq.

Maximè inſtitiſſe pro approbatione Canonum Trullanorum.p.199.n.954.

Ob id diù pugnatum eſt cum Latinis, his ſemper renuentibus. ibid. n.956.

Gratia.

Vnionis Divinitatis cum Natura Humana CHRISTI Domini, ſumma fuit, p. 97.

Gratianus.

Aſſerens Adrianum Pontificem VI.Synodum confirmaſſe,decipitur,p. 189. num. 902. & ſeq.

Idlatè probatur,p.246.& ſeq.à n.1344.

Gregorius Papa I.

Multis calumnijs impetitur ab Hæreticis,p.514.n. 1179. & ſeq.

Eius electionem per vim factam,contendunt Schiſmatici,ibid.n. 1182.

Refellitur hæc calumnia,ibid.n.1183.& ſeq.

Acta electionis eius adducuntur, p. 515. n.1184.

Cardinales electionis Decreto non ſubſcripſiſſe, mentitur Benno, ibid. n. 1185.& ſeq.

Gregorij electio Vniverſali Chriſtiani Populi plauſu recepta,p.517.n.1194.

Eccleſiaſticorum Beneficiorum inveſtituras prohibet,p.537.n.1272.

An iuſtè, vel iniuſtè Henricum IV. Imperatorem damnaverit?p.541.num.1287.& ſeq.

Tamquam Berengarianus infamatur à Bennone,p.546.n.1306.

Huius calumnia depellitur, p. 547.num. 1308.& ſeq.

Gregorij Fides de Corporis, & Sanguinis Domini veritate in Euchariſtia multis modis Eccleſiæ probata, ibid.n.1310.

Eius ſumma erga Euchariſtiam veneratio,p.549.n.1314.

Longè à Berengarij errore alienus probatur,p.551.n.1321.& ſeq.

Berengarij errori ſe ſe vehementer oppoſuit,ibid.

Berengarium in Concilio Turonenſi damnat, hæreſimque abiurare compellit, ibid.n. 1324. & ſeq.

Varia celebrat Concilia pro Berengarij errore extirpando,p.553.n.1334. & ſeq.

Tamquam Necromanticus traducitur à Bennone,p.555.n.1343.

Liber ab hac impoſtura oſtenditur,ibid. & ſeq.

Intimas cordis cogitationes vidit, pag. 556.n.1344.

Magiſtrum habuit Laurentium Amalphitanum Epiſcopum Virum Sanctiſſimum,ibid.n. 1345.

Tamquam Simoniacus damnatur in Conciliabulo Brixienſi, p.556.n.1348.

Quam longè à ſimoniaca labe fuerit probatur,ibid.n.1349. & ſeq.

Epiſcopum Simoniacum,crimen negantem,miraculo convicit,p. 557.num.1351.& ſeq.

De-

Decreta ad simoniacam hæresim extirpandam edit, p. 558. n. 1355. & seq.

Eius Decreta in Simoniacos, æquissima, p. 561. n. 1369. & seq.

Clericos concubinarios ab Altaris ministerio arcet, p. 589. n. 1508.

Eius Decretum communi Ecclesiæ sensui consonum ostenditur, p. 590. n. 1518. & seq.

Decretum ipsius de Clericorum continentia, æquissimum, p. 596. n. 1568. & seq.

Eadem pœna affecti concubinarij à Pontificibus Gregorij Prædecessoribus, ibi.

Idem Decretum confirmant Pontifices Gregorio succedētes, p. 597. n. 1576. & seq.

Magis clemens, quàm rigidus in Clericos concubinarios fuisse, probatur, p. 609. n. 1629. & seq.

An culpandus, quod iure gladij in Henricum Imperatorem fuerit vsus. p. 632. n. 1720. & seq.

Communi Cleri, Populique consensu electus Pontifex, p. 637. n. 1742. & seq.

Sacris Litteris eruditissimus, omnique virtutum genere celeberrimus, ibid. num. 1744.

Deum innocentiæ suæ testem invocat, p. 638. n. 1745. & seq.

Eius persecutores multis supplicijs diuinitùs mulctati, p. 639. n. 1749.

Rodulpho Regiam Dignitatem confert exauthorato Henrico, p. 640. n. 1752.

Auguria, sortilegia, incātationes, & Magicas artes strictissimè prohibet, ibid. n. 1757.

Simoniæ incontinentiæque Clericorum extirpandis incumbit, ibid. n. 1758.

Multas persecutiones propter iustitiam patitur, ibid. n. 1759.

Captus à Schismaticis, & incarceratus, liberatur à Romanis, ibid. & p. 648. num. 1806.

Episcopus quidam, dum pro concione Gregorium vituperat, fulmine tactus animam agit, p. 641. n. 1751.

Gregorij aduersarij Diuinam experiuntur vindictam, ibid. n. 1764. p. 644. n. 1781. & seq.

Salerni in exilio moritur, ibidemque sepelitur, p. 642. n. 1768.

Desiderium Abbatem Cassinensem eligi sibi in Successorem, hortatur, pag. 643. n. 1776.

Ab Imperatore Henrico Urbe pellitur, p. 644. n. 1779.

Sumnum Petri Damiani interpretatur, p. 645. n. 1789.

In VVormatiensi Conciliabulo deponitur, ibid. n. 1788. & seq.

Henricum IV. Imperatorem Anathemate percellit, p. 647. n. 1794.

Ecclesiasticæ libertatis assertor, ac propugnator acerrimus, ibid. n. 1796.

Eius electio ab Henrico Imperatore approbata, ibid. n. 1797.

CHRISTVM Dominum Hugoni Cluniacensi assidentem videt, p. 650. n. 1817.

Intimas cogitationes agnovit, pestem futuram prędixit, ibid. n. 1819.

Vitæ ipsius breve compendium, p. 650. n. 1821. & seq.

Boleslaū Poloniæ Regem, Regni titulo, & iure pellit, p. 651. n. 1824.

Rex Barbarus Dalmatiæ obedientiam Gregorio præstat, p. 654. n. 1838.

In eiusdem obsequium Sarracenus Rex captivos libertate donat, ibid. n. 1839.

Rogerius, Siciliæ Comes, absolutionem delictorum à Gregorio petit, p. 655. num. 1840.

Henricus Imperator Gregorium persequens, à filijs Regno pellitur, ibid. n. 1842.

Robertus Guiscardus bonorum Ecclesię invasor Gregorio se subdit, p. 656. n. 1843.

Gregorius Guibertum Antipapam, & Henricum Imperatorem schismaticum excommunicat, ibid. n. 1844.

Missarum solemnia celebranti, columba super humerum recubat, ibid. n. 1845.

Diuinitus ad perseverandum in cęptis commonetur, ibid.

In Sanctorum album relatus, p. 657. n. 1848.

Miraculis in vita, & post mortem clarus, p. 658. n. 1849.

Eius percussor à dæmone correptus, p. 659. n. 1855.

Paterna ipsius in Philippum, Francorum Regem, officia, p. 664. n. 1873. & seq.

Incendium signo Crucis extinguit, pag. 666. n. 1881. p. 668. n. 1888.

Eius cadaver post quingentos annos integrum, incorruptumque repertum, p. 667. n. 1882. p. 675. n. 1916. & seq.

Magnis elogijs à nobilissimis scriptoribus celebratur, p. 970. n. 1895. & seq.

Eius sepulchrum restituitur, Epitaphioque insignitur, p. 676. n. 1917.

Duplex ipsius festum celebrat Ecclesia Salernitana, ibid. n. 1918.

Liberij Pontificis festum an decreverit cele-

celebrandum;an inde labis aliquid incurrerit? ibid.& seq.

S.Gregorius Papa I.

Ex hæreditate paterna plura Monasteria constituxit,p.504. n. 1138. & seq.

S. Gregorius Thaumaturgus.

Sabellii errores impugnans liber ab illis demonstratur,p.551.n.1321.

H

Habere.

Multiplex est modus habendi,p. 458.n. 924.& seq.

Hæresis.

Pertinaciam in errore ad suam condemnationem,indispensabiliter exigit,p.173.n. 831.

Hæretici.

Sæpè solent Sacros Codices corrumpere,& suos in eis inferere errores, p. 2.& 3.

Id in Sanctorum Patrum scriptis callidè fecisse monstrantur, p.146.n. 722.

Monothelismi inventores referuntur, p. 50.& 51.

Cum Hæreticis, nec nomina debemus habere communia, p.120.n.612.

Authores Sententiæ damnatæ, non dicuntur Hæretici, nisi post damnationem in sententia perseverent, p.303. num. 114.& seq.

Hæreticorum fautor damnari potest in Concilijs,p.141.n. 701.

Dubium in re non determinata de Fide non facit Hæreticum,p.315. n. 173.

Vt aliquis propriè dicatur Hæreticus, quatuor requiruntur,& quænam, p.435.n. 839. & seq.

Hæretici multis calumnijs impetunt Gregorium VII.p.614.n.1179. & seq.

Nullum præter vnum Bennonem Schismaticum adducunt testem,ibid.n.1180.

Henricus II.Imperator.

Simoniaca labe infectus toto triduo videt dæmones flammas in se iaculantes,pag. 571.n.1438.

Henricus IV.Imperator.

An iustè iniustève à Gregorio VII. fuerit damnatus,p.541.n.1287. & seq.

Eius pessimi mores describuntur, ibi.n. 1288.& seq.

Investituras Episcopatuum vsurpat,pag. 542.n.1289.

Excommunicatur à Gregorio VII. ibid.

Ecclesiam Romanam persequitur, ibid.

Antipapam creari procurat, ibid.

Eius scelera recensentur,ibid.n.1291.

Eius fraude,veneno in Calicem iniecto, necatur Victor III.ibid.n.1292.

Episcopatus,& Abbatias vendit, p.545. n.1301.

Exauthoratur à Gregorio VII. p. 640. n.1752.

Gregorium persequens, à propriis filiis Regno pellitur,p.655. n. 1842.

Henricus VII. Imperator.

Iureiurando adstrinxit Romanos,ne ipso inconsulto Pontificem eligerent, p. 518. n.1197.

Heraclius Imperator.

Illius Ecthesis à Sanctis Patribus, & Concilijs simul cum Typo Pauli, Patriarchæ,execrata, eo quod reveta in CHRISTO duas Voluntates,& operationes, sicut & voces, harum significativas, silentio damnarunt,p.104. n. 541. & 542.

Ecthesis, illiusque errores referuntur, ibid.n.543.& seq.

Illius Author Sergius, 105. n. 545.

Heraclij nomine, & Authoritate fraudulenter abusi sunt Sergius, & Paulus,ad suos evulgandos errores,p.107. n.557.

Post bellum Persicum in Civitate Hierapoli, cum Athanasio Iacobitarum Patriarcha,de Religione disceptavit, p.146.n. 726.

Id contigisse anno CHRISTI 629. Imperij verò sui 20. ostenditur, p.150. n.743.

In illa disceptatione, quid actum sit circa duas CHRISTI Voluntates, refertur, ibid.

Eidem Athanasio Antiochenum promisit Patriarchatum, si Chalcedonensi subscriberet Concilio, ibid.

Anno CHRISTI 630. Imperij verò sui 20.circa duas, vel vnam CHRISTI Voluntates,Pontificem consuluit,p.147. num. 727.

Hunc Pontificem fuisse Honorium,ostenditur,ibid.& seq.

Anno Imperij sui 12. vel verius 13. iniit congressum de rebus Fidei, & Religionis cum Paulo,altero ex Severianis, p. 149.n. 738.

Prædictum annum 13. anno CHRISTI 622.correspondere,ostenditur,ibid.& num. 739.& seq.

S. Hieronymus.

Scribens, Tres Personas Divinas non posse dici Tres Hypostases, non erravit in Fide, & quare, p. 303. n. 113.

S. Hilarion.

Eius Paupertas quanta fuerit, p. 498. n. 1112.

Hinchmarus Rhemensis Antistes.

Acerrimus Simoniacorum impugnator, p. 587. n. 1500.

Theodulphum Comitem, Simoniacum reprehendit, ibid. n. 1502.

Honorius Papa I.

Hæreticus est habitus à Magdeburgensibus, pag. 1. n. 1. & 2.

Contra istos propugnatur illius illibata Fides, p. 2. n. 11. & seq. & in toto lib.

Eius nomen in Actis Sextæ Synodi impié à Græcis inter Monothelitas adjectum fuisse, rationibus, & Authoritate probatur latè, p. 4. à n. 22. & p. 9. n. 50. & seq.

Ex silentio Græcorum illius Ævi Scriptorum ostenditur, supposititicm esse ejus in VI. Synodo damnationem, p. 10. n. 54. comprobatur, p. 26. n. 137. & seq.

Non fuisse iustè in Sexta Synodo proscriptum, rationibus convincitur, pag. 21. & seq.

Ab aliquibus Patribus, gravissimisque Authoribus, vt verè Catholicus laudatur, p. 22. & 23.

Illibata eius Fides, Epistolarum ipsius, & aliorum præclarissimis testimonijs comprobatur, p. 26. n. 137. & seq.

Catholicè in eis sensisse, latè demonstratur toto, cap. 7. p. 56. & seq.

Sensus illorum verborum primę eius Epistolæ: *Ipse est Carneus effectus, plenè Deus, & Homo*, quæ de CHRISTO dixit, aperitur, p. 96. n. 508. & seq.

Doctrinam in vtraque ipsius Epistola, contentam, in his, quæ ad CHRISTI Voluntates, & operationes attinent, illustrioribus Ecclesiæ Patribus adductis in tribus Concilijs, specialiter ad hæresim Monothelitarum dámnandam congregatis, summè consonam esse, plusquam sexaginta rationibus latè ostenditur cap. 7. 8. & 9.

Prudenter se gessisse cõsulendo, & pręcipiendo in Epistola ad Sergium; ne voces *vnius*, vel *duarum Voluntatum*, (loquendo de CHRISTO) à Catholicis vsurparentur, monstratur, p. 101. & seq. à n. 531. & p. 107. & seq. à n. 553.

Huius consilij, & præcepti causæ exponuntur, ibid.

Licet prohibuerit, prædictas voces, longê tamen aliter, ac Typi, & Ecthesis Authores, p. 104. n. 541. & 542.

Cum ad Sergium scripsit, isteque ad Honorium, Sergij hæresis latebat, p. 102. n. 535.

Absolutê negari posse protulisse illa verba: *Vnam Voluntatem fatemur Dominî Nostri IESV CHRISTI*, asseritur, & probatur, p. 110. n. 568. & seq. & p. 119. n. 607.

Apposita esse prædicta verba ab eo, qui dictam Epistolam è Latino Græcam fecit perhibetur, p. 153. n. 751.

Si de Humana CHRISTI Domini Voluntate relata verba intelligantur, legitimum posse habere sensum, latè probatur, à p. 112. & seq.

Idem si de Divina, à p. 118.

Dum vnam Voluntatem dixit de Humana CHRISTI Domini fuit locutus, p. 113. à n. 581.

Id ex ipsorum verborum contextu demonstratur, p. 116. à n. 593.

Appellare vnam Voluntatem, id est, non duas contrarias, mentis nempè, & carnis, testimonio Ioannis Papę IV. eius Successoris, ostenditur, ibid.

Idipsum ex S. Maximo Martyre confirmatur, p. 113. n. 582.

Ex Scriptore Epistolæ ad Sergium convincitur, ibidem.

Eius Sententia circa vnam Voluntatem Vnitate conformitatis, inter Divinam, & Humanam CHRISTI Voluntatem, exponi potest, p. 114. & seq. à n. 586. & seq.

A Monothelitarum hæresi, ex his, quæ in Actione 2. VI. Synodi, circa cuiusdam Sancti Cyrilli Alexandrini Textus intelligentiam dicuntur, liberatur, p. 120. n. 911.

Eius Apostolicus Zelus, in hæresibus extirpandis, mirè in duabus eius Epistolis elucet, ibid. n. 612.

Vnam Voluntatem assetens in CHRISTO dari, Arianorum errori se opposuit, p. 121. n. 614.

Quantum interest, attendere diversum modum significandi, horum terminorum *Deus*, & *Deitas*, ne in errorē labamur, expenditur, p. 124. & 125. n. 632.

Quod dixit: *Confitentes Dominum IESVM CHRISTVM vnum operatorem Divinæ, atque Humanæ Naturæ, & vnū operantē in vtrisque Naturis*, in legitimo sensu exponitur, p. 125. & seq. à n. 633.

Dato quod ex Vnitate Personæ in CHRISTO Domino Vnitatem operationis in eodem deduxerit, in errorem Monothelitarum non incidisse, latè ostenditur, p. 125. & seq. à n. 635.

Eius damnationem in VI. Synodo latam iustam non fuisse, ex his, quæ ab oppositis Authoribus dicuntur, probatur, p. 134. & seq. à n. 665. & p. 140. n. 697.

Legitimè fuit ad Petri Cathedram assumptus, & vt Pontifex à tota Ecclesia summa veneratione acceptus, & vt Catholicus toto sui Pontificatus tempore habitus, p. 134. n. 667.

Honestissimam traduxit vitam, p. 140. n. 667.

Eius illibitam in Fide Constantiam, Epistolarumque doctrinam maximè Catholicam fuisse, ostenditur, p. 138. à n. 187.

Anathematis verba contra illum in VI. Synodo relata, supposititia esse, multis probatur, p. 145. & seq. à n. 715.

Primus omnium exercuit Apostolicum suum Zelum in Monothelitarum damnatione, p. 146. & seq. à n. 726.

Ad Pontificatum assumptus fuit anno 622. vel 626. p. 147. n. 727.

Plusquam 12. annis rexit Ecclesiam, ibid.

Ei non Ioanni Papæ IV. S. Sophronius, Concilij Hierosolymitani Acta approbanda remisit, p. 148. n. 735.

A Sancto Maximo *Vir Divinus* appellatur, ibid. n. 736.

Zelo Fidei æstuans, Heraclio Imperatori gravissimas misit Epistolas, vt illum ab errore vnius Voluntatis in CHRISTO revocaret, p. 249. n. 737.

In Sacrarum Scripturarum studio fuit apprimè eruditus, ibid.

Nullus eius adducitur calumniator, qui pro se referat Authorem eius temporis, in quo Honorius vixit, p. 151. n. 749.

Ab adversę partis Authoribus nullus Patrum adducitur doctrina conspicuus, nec Concilium aliquod ab eius obitu ad Sextam vsque Synodum celebratum, in quo Honorius, tamquam à Fide devius reprehendatur, p. 152. n. 750.

A Sancto Maximo, cæteris Pontificibus, qui se se Monothelitarum hæresi extirpandæ opposuerunt, præfertur, p. 157. n. 773.

Dæmoniacus quidam indutus eius tunica, illicò liberatur, p. 158. n. 776.

Eius infensus hostis fuit Macarius, ob Zelum contra Monothelitas, p. 170. n. 823.

Non constat, fuisse auditum per se, vel per Procuratorem, aut quidquam pro ipso adductum: sed solùm à Macario productam eius ad Sergium Epistolam, cuius falsatione Monotheliſini reus agebatur, p. 172. n. 828.

Ante illius damnationem non constat fuisse admonitum, correptum, nec apud legitimum Tribunal accusatum, contra communem Ecclesiæ morem, & omnem iuris, & æquitatis Regulam, ibid. n. 830.

Hinc iustè defenditur, pag. 172. n. 827. & seq.

Organum Spiritus Sancti, ab aliquibus nuncupatur, p. 176. n. 856.

A condemnatione relata in Canonibus Trullanis, ex illorum illegitimitate defenditur, p. 191. & seq. per totas.

Et à condemnatione, quæ in VII. Synodo perhibetur, p. 244. & seq. à n. 1333.

Et ab his, quę ab Epiphanio Diacono pro VII. Synodo loquente, dicebantur, pag. 245. n. 1339.

Argumentum contra eius Fidem, ex Adriani II. textu desumptum, solvitur, p. 247. & seq. à n. 1349.

Illius Fidei puritas, ex traditione Ecclesiastica convincitur, p 259. & seq. à n. 1042.

Ratio prima, qua adduci potuit Ecclesia ad non confirmandum Honorij Anathema, p. 256. & seq. à n. 1409.

Secunda ratio proponitur, p. 263. & seq. à n. 1424.

Esto vera eius condemnatio in VI. Synodo admittatur, nulla tamen fuit, defectu iurisdictionis, p. 277. & seq. à n. 1506.

Hospitalitas.

Officium Hospitalitatis indespensabiliter annexum est Ecclesiasticis Prælatis, p. 373. n. 470.

S. Hugo Cluniacensis.

In Simoniacos toto conatu invehitur, p. 587. n. 1499.

I

S. Ignatius Martir.

EIus Epistola ad Philippenses non legitima, sed Apocrypha, p. 261. n. 1039.

Etsi legitimā fateremur, nihil indè. cum non prohibeat ieiunium Sabbati ab Ecclesia

sia obſervatum, ſed Marcioniſtarum, ibidem, n. 1040.

Imperatores.

Pontificum electionibus, & aliis Eccleſiaſticis interfuere aliquando mandantes, & decernentes. p. 517. n. 1194. & ſeq.

In multis Pontificum electionibus habuere ius, & authoritatē ex ſpeciali Apoſtolicæ Sedis privilegio, p. 519. n. 1202.

Numquam fuit ipſis licitum Apoſtolicam Sedem, ſeu aliam Eccleſiaſticam dignitatem diſponere, & ordinare, p. 540. n. 1282.

Quotieſcumque licitē interfuerunt electionibus Romanorum Pontificum eligendo, aut confirmando, hoc fecerunt ex privilegio ab Eccleſia conceſſo, ibi. n. 1283.

Ipſi Imperatores huic iuri renuntiarunt, p. 541. n. 1289.

Incarnatio.

Per ipſam, nulla facta eſt in natura Divina novitas, nec mutatio, p. 114. n. 585.

Næc in Humana, ratione hypoſtaticæ vnionis, factam fuiſſe, explicatur, ibid.

Fuit opus Divinæ naturę, & totius voluntatis divinę, p. 118. n. 603.

In illa, licet ſit duplex natura vnita, eſt tamen eadem hypoſtaſis, perſona, vel ſuppoſitum vtriuſque naturæ, p. 127. n. 621.

Infirmitas. Infirmi.

Triplex eſt infirmitas in via perfectionis, ſcilicet infirmitas carnis, ſcientiæ, & affectionis. p. 393. n. 593. & ſeq.

Infirmitas carnis, quæ conſiſtit in indigentia cibi, potus, &c. ſtat cum omnimoda perfectione in præſenti poſſibili, ibi.

Hanc carnis imperfectionem aſſumpſit CHRISTVS Dominus, ibi. n. 594.

Infirmitas ſcientiæ in quo conſiſtat, ibi. n. 596.

Infirmitas affectionis duplex, & in quo conſiſtat, p. 394. n. 598. & ſeq.

CHRISTVS loculos habendo infirmis condeſcendiſſe dicitur, & quo ſenſu, p. 393. n. 595. & ſeq.

Inſtrumentum.

In inſtrumento duplex invenitur actio, & quænam, p. 123. n. 659. p. 133. n. 663.

Humanitas CHRISTI fuit inſtrumentum Divinitatis CHRISTI ad patranda miracula, p. 128. n. 646. & ſeq.

Intellectus.

Humanum negabant CHRISTO Sergius, Paulus, horumque ſequaces, p. 109. n. 555.

Inveſtituræ

Eccleſiaſticorum Beneficiorum inveſtituras prohibuit Gregorius VII. p. 537. n. 1272.

Ipſas vſurpavit Henricus IV. Imperator, p. 542. n. 1289.

Ioachim Abbas

Erravit docens, quod ſicut dicitur: *Deus genuit Deum*; ita poteſt dici, quòd eſſentia genuit eſſentiam, p. 323. & 124. à n. 628.

S. Ioannes Chryſoſtomus.

Omnia donat, CHRISTO liberiùs vacaturus, p. 502. n. 1128.

S. Ioannes Damaſcenus.

Deſertum petiturus, ſolam veſtem ſibi retinet, p. 502. n. 1129.

S. Ioannes Evangeliſta.

Per Antonomaſiam appellatur *Theologus*, p. 235. n. 1269.

Fuit Propheta, p. 236. n. 1272.

Præſtantior fuit omnibus Prophetis Veteris Teſtamenti, ibidem, n. 1273.

Exponuntur verba eius Evangelij: *Plenum gratiæ, & veritatis*, p. 97. n. 509. & ſeq.

Ioannes Papa III.

Mortuus eſt anno 572. p. 147. n. 730.

Non fuit conſultus ab Heraclio Imperatore circa duas CHRISTI Voluntates, ibid.

Ioannes Papa IV.

Fuit proximus Honorij Succeſſor, immediatè poſt Severinum, qui brevi tempore ſedit, p. 112. n. 579.

Conſtantino Imperatori ſcripſit, exprimens ſcandalo fuiſſe Occidenti Pyrrhum Patriarcham, qui Honorium pro ſe ſtare vulgarat, ibid. & p. 171. n. 825.

Scripſit eidem Imperatori Apologiam pro Honorio, p. 112. n. 580. & 154. n. 756.

Ad Pontificatum fuit evectus anno 640. p. 147. n. 730.

Non tranſmiſit illi S. Sophronius Acta Concilij Ieroſolymitani approbanda, ſed Honorio, p. 148. n. 735. & ſeq.

Ioannes Papa XXII.

Calumnijs impetitus à Schiſmaticis, & Hęreticis, præcipuē ab Ochamo, p. 281. n. 1. & ſeq.

Falsò ipſi adſcripta Sententia de dilatione Viſionis Beatificę ad diem vſque Iudicij, p. 282. n. 6.

Quæſtionem de Animarum Sanctarum viſione exagitari pro vtraque parte iubet, p. 289. n. 42.

Libellum de eadem Quęstione scribit, ibi.

Philippum Francorum Regem, limites Regię Potestatis excedentem, graviter increpat, p.291.n.48.& seq.

Cardinalium, Prælatorum, Doctorumque Sententias requirit super Quęstione de Animarum Sanctarum Visione, p. 302. n.106.

Numquam adhęsit Sententię differenti Visionem Beatificam ad diem vsque Iudicij, ibi.n.109.& seq.

Quæstionem pro vtraque parte disputari permittit; non autem ideo culpandus, ibi.n.110.& seq.

In hac Quæstione nihil ex propriis, sed omnia ex aliorum mente disseruit non assertivè, sed disputativè, p.304. n. 120. & seq.

Sententia de Animarum Sanctarum Visione differenda ad diem vsque Iudicii, eius tempore nondum erat damnata, ibi. n.116.& seq.

Publica ipsius protestatio coram Cardinalibus & Prælatis, p.310. n.145.& seq.

Manifestissimè tenuit, Sanctorum Animas Visione Beatifica ante Iudicii diem frui.p.312.n.152.& seq.

In publico Consistorio fatetur, Sanctorum Animas ante diem Iudicij videre Deum facie ad faciem.p.313.n.162.

Diploma Pontificium de hoc expediri iubet.p.314.n.162. & seq.

Animas esse mortales, numquam tenuit.p.322.n.206.& seq.

Luculentissimum eius encomium, p. 324.n.218.& seq.

Eius tempore variæ circa CHRISTI,& Apostolorum pauperratem hæreses obortę, p.332.n.265.

Rigorem Franciscanæ paupertatis temperat,ibi. n.266.

Variis calumniis impetitur à Fratricellis,ibi.

Illorum Sectam abolet, & damnat, p. 334.n.271.

Constitutionem edit de CHRISTI, & Apostolorum paupertate,p.336.n.277.

Ipsius imago straminea igni adiudicatur à Ludovico Bavaro,p.343.

Marsilium de Padua, ac Ioannem de Ianduno tamquam hæreticos damnat, p. 338.n.285.

Paternum suum in Fratres Minores amorem operibus, litterisque testatur, p. 243.num.305.& sequent.

Michaëlem Cesanatem paternè ad resipiscentiam hortatur,p.344.n.307.

Eumdem tamquam hæreticum, & hæresiarcam damnat p.345.n.319.

Eius tempore emergunt Fraticellorum errores de CHRISTI paupertate, quos damnat, p.374.n.478.& seq.

Idcirco Hęreticus dicitur ab Hęreticis, ibi.

Tamquam hæreticos damnat asserentes, CHRISTVM, & Apostolos nihil habuisse in proprio, nec in communi, p. 378. n. 493.& seq. p.387.n.550.& seq.

Ipsum contraria Nicolao III. docuisse, censet Dupin, p.449.n.890.& seq.

Huius Sententia exploditur, p. 450. n. 894.& seq.

Dicti Pontifices inter se non opponuntur,p.451.n.904.

Triplex quæstio inter vtrumque exagitata,p.455.n.914.

Ioannes Patriarcha Alexandrinus.

Vnicum nummum,qui sibi morienti supererat,statim indigenti dari iussit,p.500. n.1120.

Eidem annuum Patriarchatus vectigal annuę in egenos eleemosynæ erant,ibi.

Ioannes Polemar

Archidiaconus Barchinonensis, in Synodo Generali Basileensi, celebrata anno 1433. contra Bohemiæ hæreticos, per tres dies, eximia eruditione perorans, articulum de Potestate Ecclesiasticorum in Temporalibus, à Petro Reyne. Britanno propositum, strenuè confutavit, p.158. n.776.

Honorium approbatæ Sanctitatis, & miraculorum virum nuncupavit,ibi.

Ioannes, Portuensis Episcopus.

In VI.Synodo Legationis munus obivit, p.162.n.791.& 792.

Iovinianus.

Virginitatem & continentiam impugnat, & contemnit,p.613.n.1643.& seq.

Eius errores recensentur, ibi. n. 1645. & seq.

Ipsius doctrina plurimi decipiuntur Hispani,& Galli,ibi.n.1647.& seq.

Quibus nominibus donatus à Patribus, p.614.n.1650.& seq.

Eius error, ab Arianis in Hispaniam advectus,ibi. n.1653.

Iudæi.

Apud ipsos, quidam erant Maiores, & Prin-

Principes, alii minores, p.122.n.619.
Qualiter CHRISTUM illi cognoverint, ibidem.

Iudicium.

Duplex iudicium fiet animabus aliud particulare, aliud vniversale, p.296.n.71.

Iuaith.

Imperatorio munere functa, iuxta Chrysostomum, p.220.n.1078.
Iudith Liber, Conciliorum, & Sanctorum Patrum testimoniis Canonicus evincitur p.219.& seq.à n.1070.
Plura in eius commendationem adducuntur, p.220.à n.1072.

Ius.

In vtroque cavetur, reum in Iudicio audiri, & defendi debere, p. 172. n. 828.
Divinum, & naturale, in damnatione Honorii violatum conspicitur, p. 174. n. 833.
In quo differat à dominio, p. 399. n. 628.
Est: Potestas exercendi aliquem actum circa rem licitè, p.400.n.631.

Iustinianus I. Imperator.

Vigilium Pontificem in exilium misit. p.518. n.1197.

Iustinianus II. Imperator.

Sub eo, vnam ex VI. Synodis fuisse celebratam, probatur, p. 189. n. 901. & seq.
Duas Synodos congregavit, vnam sub Sergio, aliam sub Ioanne Papa VII. p. 194.n.932.
Ab vtroque Pontifice Canonum Trullanorum approbationem instanter petiit, sed non impetravit, ibidem.
Ob hoc, Sergium Papam Constantinopolim adsportari mandavit, p.194.n.632. & seq.
Quid tamen ex hac iniqua, & execranda iussione, Deo providente, sequutum fuerit, vide ibid. & p. 195. n.934. & seq.
Huius Historia latè refertur ex Anastasio Bibliothecario Apost. ibidem & p. 169. n.637.
A Domino, Regno privatur, & quare, ibid.n.939.
Iustam Dei Sententiam cognovit, & causam privationis sui Regni, p. 167. n. 943.
Misit Ioanni Papę VII. duos Antistites, pro confirmatione, vel emendatione dictorum Canonum. Nihil tamen valuit obtinere, ibid.
Rogatu Græcorum, Constantinopolim accivit, vrbanissimêque tractavit Constantinum Pontificem, vt Canones Trullanos confirmaret, p.199.n.954.
Iussit, ne crearetur Pontifex sine Exarchi assensu, ibi.

L

Legati Apostolici.

A S.Pontifice Agathone missi, vt VI. Synodo præsiderent, qui fuerint, p.175. n.839.
In Concilio Constantinopolitano, sub Nicolao Papa I. contra institutionem Fidei egerunt, p.267.n.1454.
Damnationi S.Ignatii pessimè, ac Photii institutioni consensere, ibidem.
Ideo à Pontifice in Concilio Romano iustissimè Anathemate fuerunt perculsi, ibid.

S.Leo Papa.

Fidei columen à Patribus IV. Synodi prædicatur, p.76.n.403.& 404.
Canonem Concilii Chalcedonensis, de Primatu Patriarchatus Constantinopolitani, approbare noluit, p.254. n.1382. & seq.
Alia circa idem, ibid.
Dictum Concilium, quoad definitionem Fidei contra hæreses tunc grassantes dumtaxat, non quoad Canones Niceno Concilio dissonos, approbavit, p.255.n. 1391.
Concilio Chalcedonensi scripsit significans, se tantùm velle confirmare decreta Fidei, adquę stabilienda fuerat congregatum, p.267.n.1448.

Leo Papa II.

Constantino Imperatori scripsit, confirmans omnia quæ in VI. Synodo contra Monotheliśmi Authores fuerant statuta, p.98.n.520.& seq.
Insuper, & eiusdem Synodi Prototypum, p.112.n.577.
Epistolam VI. Synodi ad eum transmissam pro Confirmatione Actorum, esse supposititiam, non inverisimile videtur, p. 164.n.800.& seq.
Non potuit eligi in Pontificem, vsque ad annum 683. p. 167. n.813. & seq. & p. 250.n.1365.
Nec potuit primô confirmare VI. Synodi

nodi Acta,p.163.& seq.182.n.867.

Eius Epistola VI. Synodi confirmatoria,non levi fundamento supposititia apparet,p.250.& seq.à n.1363.

De hac Epistola multa invenies, p.252. n.1372.& seq.& p.256.& seq.à n.1394.

Epistolam illius ad Episcopos Hispaniæ integræ Fidei esse non constat, p.251.num. 1369. & seq.

Alia etiam Epistola ad Quiritium Episcopum adulterina iudicatur, p.252.n.1371.

Leo Papa VIII.

Potestatem eligendi Pontificem,& Apostolicam Sedem ordinandi, &c. Othoni I. Imperatori, eiusque Successoribus, legitur concessisse, p.520.n. 1204.

Hæc tamen concessio tamquam fictitia refellitur,p.529.n.1239.& seq.

A Romana Sede, & Vrbe pulsus, & ab Othone I.Sedi restitutus,p.520.n.1204.

Leo Papa IX.

Simoniacam hæresim in Synodo Romana damnavit,p.562.n. 1375.

Fœminas intra Romana mœnia Presbyteris prostitutas Lateranensi Palatio adiudicavit ancillas,p.597.n.1572.

Leo Papa X.

Pisanum Conciliabulum damnat, omniaque in eo gesta annullat,& irritat,p. 269.n.1461.

Levitæ

In decimis non solum vsum, sed etiam dominium habuere,p.407.n.673.& seq.

Liberius Papa.

In Sanctorum album relatus à Gregorio VII.p.676.n.1919.& seq.

Falsò insimulatur Arianismi, p. 677.n. 1923.

Aliæ in ipsum calumniæ propulsantur, ibid.n.1924.& seq.

Eius Sanctitatem Martyrologia, Sanctique Patres comprobant, p.678. n.1928. & seq.

Libri Canonici.

Sunt septuaginta duo,& quare, p. 238. n.1292.

Libros duos primos Esdræ, Tobiæ vnũ, Iudith,Sapientiæ, Ecclesiastici, & Apocalipsis esse Canonicos, ostenditur, p. 218.n. 1509.& seq.

De libro Sapientiæ,p.221.& seq.à num. 1092.

Varia illius encomia,ibid.

De libro Ecclesiastici,p.225.& seq.à n. 1147.

Negare esse Canonicum hunc librum est hæresis manifesta,p.230.n.1212.

Eius laudes.p.226.& seq.à n.1147.

Libros tertium,& quartum Machabęorum esse Apocryphos, probatur, p. 241.& seq.à n.1314.

Divi Clementis Papæ testimonium de his libris adducitur,p.242.n.1321.

Loculi.

Loculos habuit CHRISTVS, in quibus bona in communi servabantur;& quare,p. 387.n.555.& seq.p.391.n. 587. & seq.

CHRISTVS, & Apostoli habendo loculos, & aliqua in communi in eis reservando nihil imperfectionis egerunt, pag. 390.n.580.& seq.p.393.n.593.

Loculos habere nihil minuit de perfectione personali, nec de perfectione Status Episcopalis, nec de perfectione Status Religiosi, p.391.n.586.

CHRISTVS loculos habendo infirmis condescendit,& quomodo, p.393.n.595.& seq.

Lotharius Imperator.

Prohibitus â Nicolao I. ne Episcopos eligeret,p.537. n. 1271.

Lucius Arianus.

Error illius refertur,p.51.n.260.

Ludovicus Bavarus Imperator.

Ioannis XXII. Sententiam de CHRISTI,& Apostolorum Paupertate tamquam hæreticam damnat,p.338.n.286.

Ab eodem Pontifice damnatur ipse tamquam Hęreticus, p.339.n.288.

Imperio privatur ab eodem, ibid.n.289.

Marsilium de Padua tamquam Vicarium Apostolicum Romę intrudit, p. 339. n.291.

Ioannem XXII. publico Edicto tamquam Hęreticum damnat,atque à Pontificatu deponit,p.340.n.293.

Agit de novi Pontificis creatione, pag. 341.n.297.

Ab invito Romano Clero eligi facit Antipapam Petrum de Corbaria, ibid. & seq.

Ioannis XXII. stramineam imaginem igni adiudicari patitur, p.345.n.304.

Ludovicus Ellies Dupin.

Nicolaum III. ac Ioannem XXII. contraria inter se docuisse asserit, p.449.num. 890.& seq.

Eius Sententia exploditur,p. 450. num. 894. & seq.

Ludovicus Pius Imperator.

Regulam Clericis conscribi iubet ab Aquensi Synodo, p.618.n.1670.

M

Macarius.

VNum ex antesignanis Monotheliſmi fuisse perhibetur, p.150. n.783.

Pertinacia eius in suo errore quanta fuerit, traditur, p.178.n.831.

Depositum fuisse Patriarchatu Antiocheno constat, p.186.n.889.

S. Malachias Episcopus.

A die suæ conversionis vsque ad mortem sine proprio vixit, p.500.n.1119.

Marcionistæ.

In oprobrium Dei Iudæorum Sabbato, & Dominica ieiunabant, p.216.n.1040.

Apocalypsim respuebant, p.237.à num. 1278.

Marsilius de Padua.

Ludovico Babaro adhęret contra Ioannem XXII. p.337.n.284.

Qualis Homo fuerit, ibid.

Tamquam Hæreticus damnatur à Pontifice, p.338.n.285.

Patrocinante Ludovico Bavaro, tamquam Apostolicus Vicarius Romæ intruditur, p.339.n.291.

Iussu eiusdem Ludovici prefuit conventiculo eligentium Antipapam, p.341. num. 297. & seq.

S. Martinus.

Facultates omnes desserens Monasterium petit, p.499. n.1116.

Martinus Papa I.

Prefuit Lateranensi Concilio, & Monothelitas proscripsit, p. 10.n.69.& seq.& p.155.n.761.

Duæ ipsius Epistolæ adducuntur, in quibus Monotheliſmi Authores nominatim proscribens, nullatenus de Honorio meminit, p.17.n.90.& 91.

Eidem Pontifici Lateranense Concilium, Pauli Patriarchæ errores, commemorat, p.106.n.534.

S. Matthæus.

Eius conversio qualis, p.491.n.1070.

Perfectum abrenuntiandi sæculo tribuit nobis exemplum, p.492.n.1074.

Maurus, Episcopus Ravennas.

Refertur eius postulatio, facta Synodo Romanę, p.36.n.186.

S. Maximus Martyr

Zelus illius adversus Monothelitas, describitur, p.18.n.93.

Verba, quibus Monothelitarum exponit errorem, referuntur, p.35.n.179. & seq.

Sergium, Paulum, horumque sequaces, contendentes quinque Generalia Concilia pro se stare, egregiè confutavit, p. 106. n. 555.

Scripsit etiam contra Pyrrhum, falsò dicentem, pro se stare Honorium, p.113.num. 582.

Defendit Honorium in Epistola ad Marinum, p.118.n.602.& seq.

Honorium vocat, *Virum Divinum*, pag. 148.n.736.

Annis 20. supervixit Honorio, illumque ab hæresi perpetuò, ac strenuè vindicavit, p.151.n.751.

Interfuit Lateranensi Cōcilio, sub Martino Papa I. p.155.n.761.

S. Mechthildis.

Bona, patrem, ac fratres pro CHRISTO relinquens, in summa Paupertate vitam agit, p.500.n.1122.& seq.

Fratrem ad eamdem vitam inducit, ibid.

S. Melania.

Patrem suum Volusianum ad CHRISTVM convertit, p.502.n.1132.

Eximium Paupertatis exemplum reliquit, ibid.& seq.

Meritum.

Qualiter animæ, qualiter corpori competat, p.296.n.76. & seq.

Michael de Cesena.

Ecclesiæ iudicium præveniens, quæstionem de CHRISTI, Apostolorum, ac Fratrum Minorum Paupertate, in Capitulo Generali determinat, p.334.n.273.

In Sententia damnata persistit post definitionem Ecclesiæ, p.336.n. 278.

Paternè admonetur à Ioanne XXII. p. 344.n.307.

A Ministro Generali reprehenditur, & impugnatur, ibid.n.308.& seq.

Tamquam Hæreticus, & Hæresiarcha damnatur à Pontifice, p.346.n.319.

Missa.

Sexta Synodo terminata, pro gratiarum Actione, Latino Ritu celebrata est Missa à Ioanne Portuensi Episcopo, Sedis Apostolicæ Legato, p.162.n.791.

In Templo S. Sophiæ, p. 185.n.881.

Præsente Imperatore, ibid.n.880.

An sit æqualis valoris, sive à bono, sive

à ma-

à malo Sacerdote celebretur ? p.603.num. 1605.& seq.

Clericorum incontinentiam Missæ quare vitandæ? p.604.n. 1607.

Monothelitæ.

Duas in CHRISTO Uoluntates negabant, p.14.n.78.

Eorum error latè expenditur, pag. 35.à n.179.

Præcipui illorum Authores fuerunt Sergius, Paulus, & Pyrrhus, damnati à Sancto Martino Papa I. in Concilio Lateranensi, p.14.n.78.& seq.& p.107. n. 556.

Vnam Voluntatem vtriusque Naturæ in CHRISTO propugnabant, p. 111.num. 574.& p.119.n.669.

Existimantes operationes CHRISTI Domini, esse cum Vnitate Personæ commensurandas, errabant, p.126.num.638. & 639.

Celebriores Ecclesiæ Patres pro ipsis stare, falsò asserebant, p.151. n.748.

In illis præcipuè viguit perversa depravandi SS.Patrum dicta, consuetudo, p. 111. n.572.

Illorum hæresis, CHRISTI anno 629. primò proscripta fuit, p.150. n.744.

Eadem hæresis Imperialis Edicti Censura, & VI.Synodi Sententia expuncta est, p. 99.n.522.

Plures à Sanctis Pontificibus, vt à suo averterentur errore, moniti sunt, p. 172. n. 827.

Ab illorum hæresi Honorius Papa I. latè vindicatur, *lib.* 4. *per tot.*

Primi fuerunt Authores calumniæ impactæ Honorio, p.151.n.747.

Impia Dogmata Theodori, Themistii, Sergij, Cyri, & aliorum Monothelitarum, referuntur, p.42.& seq. per tot.

Montanus.

Eius ruina à fœminis ortum duxit, pag. 625.n.1697.& seq.

Moyses.

Cur septuaginta elegerit Presbyteros ad Prophetandum, p.238.n.1292.

Mulier.

Referuntur aliquæ ex Chrysostomo, quæ Imperatorum Officijs functè fuerunt, pag. 220.n.1078.

Apud Hebræos mulieres honestæ alebant suos Magistros de proprijs facultatibus, p.487.n. 1045.& seq.

Sicut CHRISTVM prædicantem sequebantur piæ mulieres ministrantes ipsi de proprijs facultatibus, ita & Apostolos prædicantes sequebantur, p.488.n.1049.& seq.

Mulierum commercium, Castitatis discrimen, p.621.n.1679.

Mulier præcipuum instrumentum, quo dæmon ad Virorum continentiam labefactandam vtitur, ibid.n.1680.

Mulieris Epiteta varia, ibid. & seq.

Omnes feræ mulieri de malitia concedunt, ibid.n.1682.

Mulierum familiaritas quàm perniciosa, ibid.n.1683.

Mulier dæmonis instrumentum, ad introducendas hæreses, & errores, pag.622.n. 1686.

Mulier in adiutorium Viri creata, sæpè illius exitium, & ruina, p.623.n.1687.

N

Natalis Alexander.

QVid senserit, circa Honorij damnationem in VI.Synodo, pag. 134.& seq. p.138.& seq.à n.187.

Causam damnationis Honorij, non esse, quam ipse refert, ostenditur, p. 141. & seq. à n.70.

Natura.

Naturæ diversitas, diversitatem infert operationis, p.63.& p.78.n.412. & seq. & p.83.n.442.& seq.

Idque in CHRISTO ex SS. Patribus ostenditur, ibid.

Duplicem in CHRISTO agnovit Naturam Honorius, ibid.& p.64.n.342.

Ex Vnitate Naturæ Divinæ, in Tribus Personis, Vnitas Uoluntatis ostenditur, ibid.n.344.& seq.

In Natura Humana, ponendam esse Voluntatem rationalem, & sensualitatis, ex D. Thoma probatur, p.116.à n.594.

Varij status Naturæ Humanæ explicantur, p.117.n.598.

Nestoriani.

Duas Voluntates confitebantur in CHRISTO; quia duas in ipso asserebant Personas, p.102.n.533.

Nestorius.

Referuntur eius errores, p.50.n.270.

Nicephorus Phocas Imper.

Ius conferendi Episcopatus sibi vsurpat, p.518.n.1196.

Nicolaus Papa I.

Æquissimê Michaëli Imperatori conqueritur de Patribus Conciliabuli Constantinopolitani sub Phocio, p. 266. n. 445. Causa eius querelæ expenditur, ibidem. Prohibuit Lothario Imp. ne Episcopos eligeret, p. 537. n. 1271.

Nicolaus Papa II.

Eius Decretum, quo Henrico III. Imperatori Ius eligendi Romanum Pontificem concedit, refertur, & examinatur, pag. 531. n. 1247. & seq.

Vitiatum, adulteratumque à Schismaticis ostenditur, p. 533. n. 1253. & seq.

Electionem Pontificis ad Cardinales spectare, decrevit, p. 538. n. 1276.

Nicolaus Papa III. vel IV.

Eius Sententia de CHRISTI, & Apostolorum Pauperrate, p 325. n. 223. & seq.

Irreprehensibilis omninò existimandus in materia Fidei, p. 326. n. 228. & seq.

In Constitutione *Exiit* immobilium, & immobilium bonorum Fratrum Minorum proprietatem reservavit Ecclesiæ, vsu facti dumtaxat Fratribus relicto, p. 377. n. 492.

Non sensit contraria Ioanni XXII. pag. 452. n. 904.

Eius Declaratio de CHRISTI, Apostolorum, ac Fratrum Minorum Paupertate à multis Summis Pontificibus fuit confirmata, p. 465. n. 652. & seq.

Nicolaus Hæresiarcha.

Vxorem suam cuilibet volenti prostituebat, p. 605. n. 1613.

Nilus Hæreticus.

Qui suam fuerit, & quo tempore vixerit, p. 207. n. 996.

O

Occasio.

Efficacissimum pro tuenda Castitate remedium, occasionem fugere, p. 627. n. 1073. & seq.

Ochamus.

Ioannem XXII. calumnijs impetit, pag. 281. n. 1.

Adhęret Michaëli Cesenati contra Pontificem, p. 336. n. 278.

Pontificiam Sententiam insimulat hæreseos, ibi. & seq.

Pontificibus, præcipuè Ioanni XXII. infensus, vindictę potiùs quam veritatis causa ipsum oppugnat, p. 318. n. 186. & seq.

Eius ad Ludovicum Bavarum Imperatorem verba, p. 319. n. 191.

Duplici deceptione laborat, dum Ioannem XXII. calumniatur, ibid. n. 193. & seq.

Operatio.

Triplex genus operationum in CHRISTO Domino ex SS. Patrum Doctrina, Maximi, & Sophronij exponitur, pag. 127. à n. 643.

Theandrica, idem est, ac Dei virillis, Divina virillis, vel Divina Humana ex D. Thoma, p. 132. n. 658. & p. 133. n. 661.

Diversi errores circa operationes CHRISTI Domini, p. 126. n. 637. & 640.

Orator.

Quisnam sit plenus, & perfectus, p. 97. n. 508.

Otho I. Imperator.

Primus in Occidente Ius investiturarum vsurpat, p. 518. n. 1197.

Leonem VIII. à Romanis depositum, Vrbi, & Sedi restituit, p. 520. n. 1204.

Potestatem eligendi Pontificem, & Apostolicam Sedem disponendi, &c. ab eodem Pontifice legitur accepisse, ibid.

Hæc tamen concessio tamquam supposititia reijcitur, p. 525. n. 1239. & seq.

P

Paradisus.

Lvcæ 24. significat Sanctorum gratiam in quotidianis miraculorum operationibus, p. 286. n. 28.

Paradisus duplex, vnus corporalis, scilicet Cœlum Empyreum, alter Spiritualis, scilicet Visio Beata, p. 293. n. 58.

Sancti Patres.

Aliqui adducuntur, quorum scriptis Hęretici suos errores blasphemê adscripserunt, p. 151. n. 748.

Patriarchæ Orientis.

Constantinopolitano excepto, ad Conciliabulum, pro Trullanis Canonibus approbandis congregatum, nec vocati fuere, nec adhùc per Legatos convenerunt, pag. 198. n. 952.

Patrimonium

In Potestate Episcopi duplex est patrimonium, aliud proprium, aliud Ecclesiæ, p. 364. n. 414.

Patronus.

Ecclesiæ Patronus retinens sibi partem decimarum excõmunicatur, p. 568. n. 1421.

S. Paulinus.

Perfectissima eius Paupertas, p. 499.n. 111.& seq.

S. Paulus Apostolus

Certus fuit per revelationē de non amittenda gratia per peccatum, p. 293.n.60.

Visionem Beatificam expertus est in raptu,p.294.n.60.

Paulus Patriarcha.

Eius Typus damnatur à Sanctis Patribus,& Concilijs,& cur?.p.104.n.541.

Referuntur errores in eius Typo contenti,p.105.à n.549.

Typus,idem,ac Fidei expositio,ibid.

Suasit Hæraclio, vt eius nomine Typus ederetur,ad suos celandos errores, ibid.

Pluribus Græcis Patribus efflagitātibus, accusatus fuit,delatique sunt errores sui Typi ad Lateranense Concilium,ibid.n.552.

Scripsit, ex Theodori Pontificis præscripto, Epistolam, in qua suam mentem exposuit,de Volūtate Humana CHRISTI Domini,p.106.n.553.

Simul cum Sergio, & ipsorum sequacibus contendebat, V. Generalia Concilia pro illorum erroribus stare,ibid.n.555.

Strenuè confutantur à S.Maximo, ibid.

Paulus Samosatenus.

Eius ruina orrum à mulieribus habuit, p.625.n.1697.& seq.

Pauper. Paupertas.

Paupertas Evangelica in quo consistat, p.329.n.247.& seq.

Pauperes non sunt, qui Cœlestes divitias habent,ibid.n.251.

Variæ circa Paupertatem CHRISTI,& Apostolorum hæreles obortæ, p.332.num. 265.

Circa Paupertatem CHRISTI emerserunt Fraticellorum errores tempore Ioannis XXII.quos dictus Pontifex damnavit, p.374.n.478.& seq.

Paupertas duplex, alia secundum affectum,alia secundum effectum,p.378. num. 493.& seq.

Paupertas dicit carentiam Temporalium diversimode,ibid.

Paupertas secundum animi prępara tionem essentialiter pertinet ad perfectionem,379.n.505.

Paupertas secundum exteriorem effectum ad perfectionem essentialem non pertinet, ibid.n.506.& seq.

Paupertas, non perfectio, sed perfectionis instrumentum est,ibid.n.507.

Paupertas est instrumentum aptissimum ad perfectionem essentialem acquirendam, & conservandam,p.381.n.516.

Tribus gradibus Religionum triplex gradus Paupertatis competit, p.584.n.533.

An Paupertatis votum omni Temporali dominio denudet voventem?p.413.n. 709.

Supremum Temporalium dominium quomodo cum summa CHRISTI Paupertate cohæreat?p.414.n.711.

Paupertas dupliciter sumi potest, pag. 438.n.846.

CHRISTVS duplicem Paupertatem docuit verbo,& exemplo,p.416.n. 937. & seq.

Omnem modum vivendi in voluntaria Paupertate docuit CHRISTVS,ibid.

Pauperes Spiritu quinam sint,pag. 474. num.993.

Non omnis Paupertas voluntaria laudabilis,p.478.n.1009.

Pauperibus,& Martyribus quare eadem facta promissio,ibid.

Paupertas media est:possunt, & boni esse, & mali Pauperes,p.479.n.1013.

Pauperes facilius humilitatem quàm divites consequuntur,ibid.n.1014.

Paupertatis Evangelicæ exemplum primi post CHRISTVM Apostoli prębuere, p.480.n.1014.

Ex Paupertate spontanea multę virtutes generantur,ibid.n.1015.

Alij sunt Pauperes Spiritu, & rebus, alij nec spiritu,nec rebus; alij rebus,& non spiritu;alij spiritu,& non rebus,ibid. num. 1016.

Paupertas spiritus est,cum spirituali intentione voluntaria abdicatio Temporalium,ibid.n.1017.

Nihilum Paupertatis fundamentum est omnis Religionis,Professionis,& Ordines, p.481.n.1018.

Pauperes Spiritu beati sunt, non solum in spe,sed etiam in re, loquendo de beatitudine viæ,ibid.n.1019.

CHRISTVS propter nos multipliciter factus Pauper,p.489.n.1054.

Summam Paupertatem multipliciter approbavit,& suasit,ibid.n.1055.

Paupertatis voluntariæ tres gradus,pag. 494.n.1091.

Ad Apostolicæ perfectionis apicem per Paupertatem devenitur,p.495.n. 1092.

Paupertatis voluntariæ quatuor modi, p.496.n.1102.

Paupertas, quæ includit omnis proprietatis abdicationem, tàm in ſpeciali, quàm in communi, ad Apoſtolicam, & Evangelicam perfectionem ſpectare, probatur, p. 506. n. 1147. & ſeq.

Paupertatis triplex modus: alter ex neceſſitate naturæ. Hic eſt miſerabilis & tolerabilis, & per patientiam fit meritorius & laudabilis, p. 508; n. 1157.

Alter ex vitioſitate, & otioſitate. Hic eſt vituperabilis, ibi. n. 1158.

Alter ex ſupererogatione iuſtitiæ. Hic eſt meritorius, p. 509. n. 1160. & ſeq.

Paupertatis impugnatores CHRISTI doctrinæ & vitæ adverſantur, p. 512. n. 1174.

Illorum doctrina erronea, peſtifera, & Chriſtianæ doctrinæ contraria, ibi & ſeq.

Pelagius II. Papa.

Quid egerit, cum Ioannes Patriarcha Conſtantinopolitanus, Univerſalis Epiſcopi titulum ſibi arrogaſſet, & Eccleſiam ad Univerſale, & OEcumenicum Concilium convocaſſet, traditur, p. 203. n. 676.

Iniuſſu Iuſtini Imperatoris ad Pontificatum aſſumptus, Gregorium Diaconum ad ſe ſuper hoc purgandum Conſtantinopolim mittit, p. 518. n. 1195.

Perfectio.

Evangelicam perfectionem conſiſtere in omnium bonorum temporalium abdicatione, fuit Begardorum, & Fraticellorum error, p. 377. n. 493.

Perfectio duplex, alia perſonalis, alia ratione ſtatus, p. 378. n. 499.

Perfectio perſonalis conſiſtit in habitibus, actibuſque virtutum, ibi. n. 500.

Summa hominis perfectio conſiſtit in Charitate, eiuſque actu, ibi.

Perfectio ſtatus quid ſit, ibi.

Status perfectionis duplex, alius perfectionis acquirendæ, alius perfectionis exercendæ, p. 376. n. 501.

Perfectionis duplex genus, aliud comprehendens ſola eſſentialia, aliud etiam inſtrumenta perfectionis comprehendens, ibi. n. 502. & ſeq.

Perfectio eſſentialis non in bonorum temporalium abdicatione, ſed in ſequela Chriſti conſiſtit, p. 381. n. 512.

Evangelicam perfectionem non minuit, habere aliqua in communi, p. 382. n. 519.

Habere temporalia in communi, quatenus neceſſaria ſunt fini, ad quem inſtituta eſt Religio, non diminuit Perfectionem Religioſam, ibi. n. 520. & ſeq.

Habere temporalia in communi, prout ſunt ad vitam neceſſaria, nec Religioſam, nec Evangelicam minuit perfectionem, p. 383. n. 523. & ſeq.

Habere dominium in communi in immobilibus bonis, & poſſeſſionibus, domibus, & redditibus, non minuit aliquid de perfectione, p. 385. n. 541. & ſeq.

Habere bona in communi non minuit ſtatus Prælatorum perfectionem, p. 386. n. 546.

Habere loculos, nihil minuit de perfectione perſonali, nec de perfectione ſtatus Epiſcopalis, nec de perfectione ſtatus Religioſi, p. 391. n. 586.

Infirmitas in via perfectionis triplex, ſcilicet infirmitas carnis, infirmitas ſcientiæ, & infirmitas affectionis, p. 393. n. 593. & ſeq.

Infirmitas carnis, quæ conſiſtit in indigentia cibi, potus, &c. ſtat cum omnimoda perfectione in præſenti poſſibili, ibi.

Vide, *Apoſtoli, Chriſtus, Paupertas.*

Perſonæ Divinæ.

In illis eſt vna voluntas, p. 121. n. 618.

In Divinis realiter eſt idem Perſona cum natura; non tamen eſt idem modus ſignificandi, iuxta D. Thomam, p. 124. n. 631.

S. Petrus Apoſtolus.

Præfuit vt Caput Eccleſiæ Concilio Apoſtolorum, in quo electus fuit Sanctus Matthias, p. 278. n. 1511.

Ipſius exemplo, primùm edocta fuit Occidentalis Eccleſia de Ieiunio Sabbati; & quibus rationibus id obſervavit, p. 212. n. 1021.

Petrus de Corbaria

Fit Theologus Ludovici Bavari, cui ſuadet, Pontificiam Authoritatem ab Imperatore pendere, p. 340. n. 292.

Sacerdotium, invita vxore, ſuſcipit, p. 342. n. 300. & ſeq.

A Schiſmaticis eligitur Antipapa, p. 341. n. 297.

Ad Pontificis obedientiam revertitur, erroreſque publicè abiurat, p. 348. n. 324. & ſeq.

Petrus Ioannes Olivus.

Secta *Spiritualium* princeps, damnatus ab Eccleſia, p. 337. n. 280. & ſeq.

Eius poſtilla in Apocalypſim ad petitionem Fratrum Minorum damnata, ibi. n. 282. & ſeq.

Error eius fuit, Regulam S. Franciſci eſſe verè & propriè illam Evangelicam, quam Chriſtus ſervavit, Apoſtoliſque ſervandam impoſuit, p.363.n.402.

Photius.

In Concilio Romano Anathemate confoſus fuit à Nicolao Papa I. p. 268. n. 1454.

Philippus Francorum Rex.

Ioannem XXII. à quæſtione de Animarum Sanctarum Viſione dehortatur, p. 288.n.38.& ſeq.

Scribit ad eumdem pro libertate Fr.Thomæ de Valas incarcerati,ibi.n.37. & ſeq.

Quæſtionem de Animarum Sanctarum Beatifica Viſione exagitandam coram ſe Theologis Pariſienſibus proponit, p.290. n.44. & ſeq.

Opinionem de differenda Viſione Beatifica ad diem vſque Iudicii in ſuo Regno doceri prohibet,p.291. n.45.

Ideo graviter reprehenditur à Ioanne XXII. tamquam limites Regiæ Poteſtatis excedens, ibi & ſeq.

Pipinus Francorum Rex.

Eccleſiaſtici ſtatus reformationi intendit,p.617.n.1665. & ſeq.

Pœna.

In inferno duplex eſt pœna,damni, & ſenſus: in Limbo verò ſola pœna damni, p.292.n.56.

Summus Pontifex.

A nemine iudicari poteſt in terris, niſi in manifeſtæ hæreſeos caſu, p.24.n.125.

Nec à Generali Concilio, Eccleſiam repreſentante,ibid.& p. 25. n.132. & ſeq. & p.134.& ſeq.à n.667.& p.137.& 138.

Benè in caſu ſchiſmatis, cum de legitima Pontificis electione ambigitur,ibid.

Pontifices,qui poſt Honorium, VI. Synodum præceſſerunt, illius illibatam Fidem teſtantur,p.153.à n.756.

In ſolo Summo Pontifice reſidet poteſtas congregandi Generalia, & OEcumenica Concilia,p.191.n.909.

Pontifices Summi ea potiti fuere ſemper Suprema Authoritate, liberè approbandi Concilia adhuc OEcumenica, vel in totum,vel in partem, & ea quæ non merentur approbationem, reprobandi, p.253. n. 1376.& ſeq. Idque exemplis confirmatur, ibid.

Et ſi ſuam committat Authoritatem Conciliis; id non ſufficit, vt hęc ſine ſpeciali ipſius delegatione ad Epiſcoporum condemnationem procedere queant, p. 277.& ſeq.à n.1058.

Pontifices Summi multa pro conſervatione prædiorum Eccleſiæ ſtatuerunt, p. 365.n.324.& ſeq.

Pontifex non poteſt Canones condere contra ea quæ in Scriptura Sacra continentur,p.375.n.482.

Nec contra quatuor primorum Conciliorum Generalium Decreta; & quare, ibi.& ſeq.

Nequit Articulos Fidei, vel Sacramenta Eccleſię augere, vel minuere, vel ſubſtãtialiter mutare,p.376.n.486.

Poteſt Canones condere contra determinata per quoſcumque Doctores, etiam Sanctiſsimos, ibi.n.487.

Etiam contra determinata per ſuos Prædeceſſores, vel per ſe ipſum, ibi.n.488. & ſeq.

Pontificum electionibus Imperatores, ac Reges multoties interfuere, p. 517. n. 1194.

Pontificum electio nullo iure pertinet ad Reges, aut Imperatores, p. 520. n. 1206.

Pertinet ad Supremos Eccleſiæ Principes, quales ſunt Epiſcopi, & Cardinales, p.521.n.1207.

Electionis Pontificiæ formam præſcribere,ſpectat ad Summum Pontificem, ibi. n.1209.

Populus quando & cur excluſus à Pontificis electione,p.535.n.1264.

Adrianus III. prohibuit ne in creatione Pontificis Imperatoris conſenſus expectaretur, p.537.n.1269.

Nicolaus II. electionem Pontificis ad Cardinales ſpectare decrevit, p. 538. n. 1276.

Populus.

Quando, & cur excluſus à Pontificum electione,p.535.n.1264.

Pretio, & pręmio facile corrumpitur, p.536.n. 1267.

Poſſeſsio.

Eſt:Corporalis rei retentio, iuris adminiculo interveniente,p.399.n.626.

Poteſtas.

Omnem poſtatem eſſe à Deo, quomodo intelligitur,p.544.n.1299.

Præcipere.

In Sacris Litteris aliquando rigoroſum præceptum, aliquando ſolam admonitionem,

nem, vel documentum importat, p. 442.n. 859.

Prædicatores.

Apostolorum exemplo, nihil proprium debent habere, p.471.n.978.

Operarios vocat CHRISTVS, & quod ipsis datur mercedem, & quare, pag.473.n. 988.

Ipsorum fiducia in Deo quanta esse debeat, p.474.n.990.

Prælatus,

Et si sit Hæreticus, dum non est notorium, talem esse, quidquid facit, valet, pag. 135.n.671.

Ecclesiæ Prælatos necesse est Temporalibus bonis affluere ad egenorum sublevationem, p.372.n.468.

Hospitalitatis Officium indispensabiliter annexum est Ecclesiasticis Prælatis, p. 373.n.470.

Primogeniti.

Ante Legem Scriptam Sacerdotes erãt, divitiasque obtinebant, p.363.num.404.& seq.

Principes

Christiani Principes Ecclesias possessionibus ditarunt, p.365.n.422.

Privilegium

Quod est exemplum mali, removendum est, p.377.n.490.

Propositio.

Hæc propositio: CHRISTVS est creatura, absolutè prolata admitti nequit: benè verò cum hac limitatione, secundum Naturam Humanam, p.120.n.612.

Huius ratio adducitur ex Divo Thoma, ibid.

Iste propositiones: Deus est Homo: Homo est Deus, sunt Catholicæ, & qualiter exponantur, p.123.à n.624.

Quarè non ista: Essentia generat; cum ista: Deus generat, vera sit, & Catholica, p. 124.n.630.

Proprietas.

Est: Dominium rei iustis modis quæsitum, p.399.n.627.

Proprium.

Dupliciter sumitur; alio modô pro vt distinguitur contra commune; alio modò pro vt distinguitur contra alienum, p. 457. n.921.

Pyrrhus.

In Patriarchatu Constantinopolitano Sergio successit, p.105.n.546.

Ecthesim Heraclij approbavit, eiusque Doctrinam vti Cœlestem, ac Divinitus inspiratam, tenendam asseruit, ibid.n.547.

Falsò vulgavit, Honorium Papam I. pro suo stare errore, p.112.à n.579.

Perperam pro suo errore adduxit S. Athanasium, p.114.à n.583.

R

Regula S. Francisci.

Ipsam esse verè, & propriè illam Evangelicam, quam CHRISTVS servavit, Apostolisque servandam imposuit, error fuit Petri Ioannis Olivi, p.363.n.462.

Religio. Religiosus.

Ordinis Religiosi splendor non labefactatur ob vnius alteriusve lapsum, p.356.n. 360.& seq.

Tribus gradibus Religionum triplex gradus Paupertatis competit, p. 384. num. 533.

Religio, quę nihil habet in communi, nec est perfectior Religione habente bona in communi, p.384.n.536.& seq.

Religiosus vtens rebus vsu consumptibilibus, quomodo non sit proprietarius, pag. 404.n.657.& seq.

Religiosi in Paupertatis voto, quo profitentur habere bona communia, nihilque proprium possidere, imitantur Apostolos, p.404.n.659.

Religiosum non esse capacem proprietatis, quomodo intelligatur, p.405. n. 662. & seq.

Renuntiare. Renuntiatio.

Renuntiare omnibus, & relinquere omnia, in quo differant, p.328.n.243.

Renuntiatio est: Iuris proprij legitima refutatio, p.483.n.1027.

S. Rigobertus.

Author communis vitæ Clericorum intra Claustrum in Europa, p.617.n.1667.& seq.

Robertus Guiscardus.

Postquam Ecclesię bona invaserat, Gregorio VII. se subdidit, p.656.n.1843.

Rogerius, Siciliæ Comes.

Absolutionem delictorum à Gregorio VII. petit, p.655.n.1840.

S. Romualdus.

Sceptrum Regni, omniaque terrena pro CHRISTO sprevit, p.499.n.1118.

Ruben

Fuit primogenitus Iacob, & Sacerdos, pag. 363. num. 405.

S

S. Saba.

NE viaticum quidem sibi aparentibus oblatum retinere verus Pauper voluit, p. 502. n. 1127.

Sabbatum

Illius ieiunium prohibet 55. Canon Trullanus, p. 210. n. 1015.

Sed numquam fuisse Canone Apostolico prohibitum, probatur, p. 211. à n. 1017.

Dissidium circa hoc, inter Occidentales, & Orientales refertur, ibidem.

De diversa hac consuetudine, S. Augustinus, D. Hieronymum consuluit, ibid.

Eidem etiam de eodem scripsit Licinius Hispanus, ibid. n. 1018.

Fuit præceptum in Concilio Illiberitano, Canone 26. ibid.

Circa illud consuluit etiam S. Patrem Augustinum Cassulans, ibid. n. 1019.

Pro vtraque parte graves rationes adducit S. Pater Agustinus, p. 212. n. 1022. & seq.

Sabbato ieiunandum esse, sancivit Innocentius Papa I. p. 213. n. 1029. eiusque statuendi ratio, ibid.

Idem statuit Nicolaus Papa I. pag. 214. n. 1032. & 1032.

Argumentis contrariæ Sententiæ satisfit, p. 215. à n. 1039.

Sacerdos.

Sacerdotes Legis Scriptę bona immobilia possidebant, p. 363. n. 407. & seq.

Quo sensu prohibitum ipsis, ne bona immobilia possiderent, p. 366. n. 426. & seq.

Licet non ratione divisionis terrę promissæ inter Tribus, alijs tamen titulis possidere poterant bona immobilia, ibid. n. 427. & seq.

Inter Sacerdotes Dei, & Pharaonis quodnam intersit discrimen, p. 497. num. 1104.

Sacerdotes Æthnicorum Populi suffragia pecunia emebant, p. 536. n. 1267.

Sacerdotes Veteris Legis, hostias oblaturi pro Populo purificabantur, separati ad tempus ab vxoribus, p. 606. n. 1617.

Sacerdotum Antiquæ, & Novę Legis multiplex discrimen, p. 607. n. 1620. & seq.

Sacerdos malus similis est corvo, qui escas afferebat Eliæ, p. 631. n. 1719.

Sacramenta.

Pro temporum varietate, varia fuit Ecclesiæ disciplina quoad Sacramenta recipienda, p. 631. n. 1719.

Schisma.

Honorius Papa I. extinxit illud, quod per annos 70. afflixit Ecclesiam, pag. 157. n. 772.

Scriptura Sacra.

Quo sensu habere dicatur Authoritatem ab Ecclesia? p. 373. n. 483.

Sedes Apostolica.

In ferenda in rebus Fidei Sententia absque omni personarum acceptione procedit, p. 107. n. 558.

Per Constantinum Imperatorem immunis redita est ab iniquo tributo, quo ab illius Prædecessoribus gravata fuerat, p. 163. n. 794.

Quantum temporis vacaverit post Honorij obitum, p. 151. à n. 745.

Quantum etiam ab obitu Agathonis vsque ad Leonem II. p. 166. n. 806.

Quini Sextam Synodum ab alijs VI. appellatam, in qua Canones Trullani conditi sunt, non approbavit, p. 181. n. 862.

S. Serapion Sydonius.

Eius eximia Paupertas commendatur, p. 502. n. 1131.

Sergius Hæreticus.

Ecthesim nomine Heraclij Augusti evulgatam composuit, p. 105. n. 545.

Illam in Synodo Constantinopolitana confirmavit, ibid. n. 546.

Vnam solam Voluntatem, & hanc Divinam, in CHRISTO propugnabat, p. 171. n. 826.

Sergius Papa.

Canones Trullanos, tamquam continentes doctrinam in Ecclesia pernicioſam, explosit, p. 194. n. 931.

Sigebertus Gemblacensis.

Eius impostura refellitur, p. 523. n. 1217. & seq.

Potiùs Imperatoribus, quam Pontificibus favet, p. 525. n. 1223.

Gregorij Septimi Decretum novitatis, & erroris insimulat, p. 590. n. 1514.

Silentium.

Provido consilio fuit impositum ab Honorio, circa illas voces, vnius, vel duarum Voluntatum, & operationū in CHRISTO propter ea, quæ à Cardinalibus Baronio, & Bellarmino, eruditissimè traduntur, pag. 101. à num. 513.

Simon Magus.

Pro sola cogitatione ab Apostolo Petro dam-

damnatus pag.563. num.1379.
Fuit primus Hæreticus,p.570.n.1433.
Ab ipso dicti Simoniaci,ibid.

Simonia Simoniaci.

Simoniaci, tàm emptores spiritualium, quàm venditores, ac etiam mercimonij mediatores,in Sacra Scriptura damnati inveniuntur,p.562.n.1376.
Simoniaci Balaam comparati, & quare. p.563.n.1377.
Simoniacus nomine *Furis* in Scripturis designatus,p.564.n.1382.
Simoniaci mediatores exemplo Giezi deterrentur,p.564.n.1383.& seq.
A Simoniaci accusatione nullus Catholicus repellendus,p.569.n.1426
Simoniæ origo quàm turpis,pag.570.n. 1433.
Simoniaci à Simone Mago dicti,ibid.
Simonia fædis nominibus nuncupatur à Sanctis Patribus,p.571.n.1436.
Simoniaci quare Hæretici dicantur, ibi. n.1437.
Simonia idolatriæ specimen præsefert, ibid.
Simonia crimen est omnium maximum, ibid.
Simoniaci Iudæ traditori comparantur, p.573.n.1444.
Omnia crimina Simoniæ comparatione pro nihilo reputantur,ibid.
Simonia negotium perambulans in tenebris.p.574.n.1451.
Simoniaci imitatores Achan, pag. 575. n.1452.
Simoniaci sub prætextu pietatis,duplo puniendi,p.575.n.1458.
Simonia est,sive ante sive post collatam Dignitatem accipiatur pecunia, pag.577.n. n.1460.
Simonia quam perniciosa Ecclesiæ, pag. 578.n.1451.
Simoniaci tres simul ludificati,& correpti à Roberto,Rogerij Regis Cancellario, p.582.n.1482.
Simoniaci quò plures opes acumulant, eò maiori egestate premuntur,ibid.n.1485.
Simoniacorum infausta exempla.
Simoniacos punit Deus,Paganorum flagello,p.584.n.1489.
Facilius est,Iudæum converti ad Fidem, quam Simoniacum revocari ad pœnitentiam,p.586.n.1496.

Sollicitudo.

Quo sensu prohibita Apostolis sollicitudo de crastino,p.170.n.451.p.389. num. 577.& seq.
Sollicitudo quam secum afferunt divitiæ,est impedimentum Charitatis, p.382. n.517.

S. Sophronius.

Prudenter Sergio consensit in silentio circa voces vnius, vel duarum Voluntatum,& operationum in CHRISTO,p.103. à n.538.
Hæresim de vna CHRISTI Voluntate proscripsit in Concilio Ierosolymitano, p. 148.à n.732.
Non transmisit confirmanda huius Cõcilij Acta Ioanni Papæ IV. sed Honorio Papæ I.ibid.n.735.& seq.
Creatus fuit Patriarcha, anno 633. & obijt 637.p.153.n.754.
Honorium consuluit circa vnam, vel duas CHRISTI Voluntates, illumque defendit,ibid.& n.755.

Spiritus.

Multipliciter accipitur,p.482.n.1020.

Stephanus, Episcopus Dorensis.

Fuit natione Græcus,p.109.n. 569.
Refert Paulum, & alios Monothelitas negasse CHRISTO Domino Humanam,& Divinam Voluntatem, ac per consequens neque Deum,neque Hominem esse,ibi.

Stephanus Papa.

Sancto Cypriano egregiè restitit, circa Hæreticorum Baptisma,p.210.n.1112.

Subditi.

De superioribus iudicare nequeunt; est enim contra omne Ius naturale, & Divinum,p.136.n.678.& p.171.n.825.

Synodus Pisana

Celebrata anno 1511. congregata fuit ab Imperatore, & Rege Galliæ, & aliquot Cardinalibus, contra Iulium Papam II. p.269.n.1461.
Sed ab eodem Pontifice paulò post fuit reprobata in Concilio Lateranensi, & à Leone Papa X.Successore Iulij, ibid.
Quo intellecto ab Imperatore, & Rege dictæ Synodo renuntiarunt,ibidem.

Synodus Romana sub Symmacho.

Patrum illius commendabilis Zelus, laudatur,p.25.n.132.

Synodus Rom.sub Agathone.

Illius Epistolam, circa processionem Spiritus Sancti, esse à Græcis vitiatam, compertum fuit in Florentino Concilio,p. 257.n.1398.

Synodus V. Generalis.

Celebrata fuit anno 553.p.156.n. 886.

Ab ipsa vsque ad VI.Synodum 129. anni fluxere,ibid.

In ea proscripti fuerunt Origenis errores,à Uigilio Papa, licet in eius Actis nulla fiat de hoc mentio,p.256.n.1397.

Sexta Synodus Generalis.

Non fuerunt in ea adducta Honorij originalia,p.9.n. 51.

Eius momenta pro Honorij damnatione referuntur,p.141.& seq.à n.703.

Supposita esse in ea verba continentia Honorij damnationem, ostenditur , p.145. & seq.n.719. & seq. & toto cap.16.p.159. & seq.

Quid in ea statutum sit contra Monothelismi Authores, p.98.à n.520.

Congregata à Santo Agathone Papa fuit,pro damnandis Monothelitis,pag.159. n.780.

Cur Constantinopoli voluerit celebrari,ibid.

Varietas magna est circa numerum Orientalium Episcoporum, qui in illa interfuere,p.180.n.782.

Quid acciderit in quarta illius Actione circa Authoritates S. Cyrilli , & aliorum SS.Patrum,habetur ibid.n. 783. & p. 161. n.784.& seq.& p.184.n. 681.

Circa tempus in quo celebrari incepit, variant Authores,ibid. & p. 186. à n.886.

Item circa mensem,& diem terminationis,p.162.à n.790.

Fuit confirmata à Leone Papa II.p.163. n.792.

Prius tamen ab Agathone Pontifice, ibid.

Huius confirmationem in Actis Concilij vulgatis non inveniri , ipsa suspectę Fidei reddit,p.164.à n. 799.

Multa de hoc,p.167.â n.815.

Actione 9. Patres Concilij clamarunt, Sanctorum Patrum, & Honorij testimonia detruncasse Macarium.p.169.n. 817.

Legitima Authoritate destituta fuit, ad Honorij damnationem,p.172.n. 830.

In Actione 13. Honorij legitur damnatio,ibid.n.832.

In Actione 16.vbi eadem damnatio refertur,Ordo Episcoporum adstantium notabiliter mutatus invenitur,p.174. & seq.à n.834.

Fertur iudicium de Actionibus 16. 17. & 18.p.176.n.843.p.177.n.846. & 847.& p.178.à n. 851.

Tres Synodi sub nomine Sextæ varijs temporibus fuerunt celebratę,p.184. num. 874.

Prima Constantinopoli â prima Actione vsque ad 11.inclusivê,ibid. cur non continuata, ibid.

Eius congregandę causæ , ibid.

Nulla in ea facta perhibetur mentio de Honorio quoad condemnationem , vel accusationem, ibid.

Post annos 4. alia fuit Synodus eodem nomine congregata sub Iustiniano Imperatore,p.189.n.901.

Secunda celebrata fuit ab anno 682.vsque ad 685.p.186.n.886.

In illa novem Canones conditi fuerunt, p.188.n.895.

Non fuit legitima,p.190.& 191.n. 909. & seq.

Tertia appellatur ab aliquibus *Quini-sexta*,p.186.n.886.

Synodus Quini-sexta

Huius appellationis variæ adducuntur rationes,ibid.& p.181.n.862.

In ea Canones Trullani sunt statuti, ibi.

A Sede Apostolica approbationem non meruit,ibid.

Vocatur ab aliquibus *VI.Synodus Trullana*,& quare,191.n.911.

Sit nè legitima,vel non, controvertitur, & negativa pars stabilitur,ibid.& seq.num. 913.

A Ioanne Papa VII.non fuit approbata, p.197.& seq.à n.943.

Falsô sibi Sextę Vniversalis Synodi nomen vsurpavit,p.199.à n.958.

Cur Pontifices non confirmaverint dictam Synodum,latè ostenditur, pag.199.& seq.à n.958.

In ea Romana Sedes non præfuit , nec vllus Latinę Ecclesiæ interfuit Episcopus, ibid.& n.11.962.

Authoritate Callinici Metropolitani Constantinopoli indicta est,ibid.

Nullius momenti fuit ratio, quæ ad illam congregandam impulit , imò ob id magnæ insciticæ notat Baronius Trullanos Patres,p.201.n.965.& 966.

Non fuit Summi Pontificis Authoritate coacta,p.204.n.979.& p.206.n. 995.& seq.

Erratica cõmuniter appellatur, ob aliquos errores in ea notatos à gravissimis Authoribus. Non legitima,sed Pseudo-Synodus habita:vndè nec à Sancta Sede approbatio-

bationem prome rui t,p.209.n.2007.& seq.
Quando aliundê improbanda non esset ex contentis in 2.Canone Trullano ostenditur, approbatione Sedis Apostolicæ indignam esse.p.227.& seq.à n.1045.
Eam non confirmavit Adrianus Papa I. p.246.& seq.à n. 1344.

Synodus Septima Generalis.

Ei præfuit per suos Legatos Adrianus Papa I.p.244.n.1535.
Honorium damnavit,ibid.num. 1333.& seq.
In quo sensu,& qualiter, ibid.n.1336.& seq.

Synodus Octava Generalis.

Eadem est , ac Constantinopolitana Quarta,p.247.n.1349.
In illius Autbographo in Apostolico Archivo,& Bibliotheca Vaticana asservato , non reperiuntur verba Adriani Papæ II.supponentia Honorij condemnationem, p.249.à n.1357.
In ea,Adriani Papæ II. Legati non permisserunt,agi de articulis non contentis in Apostolica ad Synodum Fidei instructione,p.267.n.1449.

T

Tertulianus.

MVlierum causa in errorem prolapsus est,p.625.n. 1696.

Themistius.

Eius errores referuntur,p.151.n.272. & seq.

Theodorus Balsamon

Fuit Schismaticus,p.207.n. 999.
Varia in quibus erravit,referuntur, pag. 208.n.105.
Eius Sententia , circa Synodum Trullanam,refertur,& impugnatur,p.207.à num. 998.

Theodorus Mopsuestenus.

Mulierculæ blanditijs deceptus Monachatum abiuravit,p.626.n. 1699.

Theodorus Papa.

Successit Ioanni Papæ IV.anno 642. p. 154.n.759.
Defendit Honorium , quem viventem agnoverat,ibid.& seq.
Paulum Monothelitam Patriarchatu Constantinop.privavit,p.154.n.760.

Theodorus, Patriarcha Constantinopolitanus.

Fuit acerrimus Monothelitarum defensor , pagin. 4. numer. 25.
Ex Hæreticorum in VI. Synodo proscriptorum nomēclatura suum nomen erasisse, Honorijque callidê suppositisse, Cardinalis Baronij , & aliorum Authoritate probatur,ibid.& p.7.

Theodorus Pharanitanus.

Eius dicta,& Codices , errorem Monothelitarum continentes, examinantur,pag. 40.per totam.
Perversi Dogmatis Monothelitici Antesignanus fuit,p.41.n.217.

Theologi Parisienses.

Illorum responsum ad quæstionem de Visione Beatifica animarum sanctarum ante,vel post Iudicij diē,p.290. n. 45.& seq.

S.Thomas Aquinas.

Eius Sententia de Beatifica Visione animarum sanctarum ante Iudicij diem,refertur,p.299.n.89. & seq.

Fr.Thomas Valas,Ordinis Præd.

Claram Visionem animarum sanctarum ante Iudicij diem propugnat,p.288.n.37.
In Sententiam negantem coram Pontifice pro concione invehitur,p.289.n.4.
Idcircò mittitur in carcerem,pag.288.n. 37.
Eius imprudens Zelus taxatur,p. 289.n. 41.

Traditio Ecclesiastica

Quid sit , & quantæ efficaciæ argumentum ex illa desumptum,p.258.à n.1402.
Ex ea Honorij puritas in Fide stabilitur,ibid.

Trinitas.

Divinarum Personarum explicari potest termino numerali,& alijs nominibus Personarum Trinitatem significantibus , p.56. à n.298.
Qualiter in Veteri,& Novo Testamento exprimatur,ibid.n.301.& seq.

Trullus

Erat Palatium , seu Aula Imperatoria Constantinopoli,p.207.n.997.

V

Vbertinus de Casalis.

IVdicio postulatus , eò quod malè sentiret de CHRISTI , & Apostolorum Paupertate,ad Imperatorem fugit,p.336.n. 280.

Venalitas.

Officiorum venalitas quam perniciosa Reipublicæ, p. 578. n. 1473. & seq.

Victor Papa III.

Veneno in Calicem iniecto interimitur â Factionarijs Henrici IV. Imperatoris, p. 537. n. 1273.

Vigilantius.

Matrimonium sacris Ministris licitum esse docuit, p. 612. n. 1640.

Gloriabatur, se multos Episcopos sui erroris sequaces habere, ibid.

Non Hispanus, sed Gallus fuit, ibid. nu. 1641.

In ipso Loviniani mens prava surrexit, ibid.

Vigilius Papa.

Illius Epistola à Macario Monothelita fuit adulterata, p. 168. n. 817.

Id clarè in VI. Synodo, Actione 9. patuit, ibid.

Non approbavit Canonem 55. Trullanum, p. 216. á n. 1042.

Damnavit in V. Synodo Origenis errores, p. 256. n. 1397.

Visio.

Sanctorum animas non nisi post Iudicij Vniversalis diem Beatifica Visione fruituras, aliqui Antiqui Patres tenuere, p. 282. n. 6. & seq.

Quæstio de Visione Beatifica animarum sanctarum ante, vel post Iudicij diem, quonam tempore exorta, quove in sensu exagitata, p. 287. n. 33. & seq.

Visio facialis Divinę Essentiæ non ad diem Iudicij differtur, sed statim post mortem incipit in animabus perfectè purgatis, p. 290. n. 45.

Hæc visio in die Iudicij non mutabitur, sed eadem in æternum manebit, ibid.

Visionem Beatam expertus est D. Paulus in raptu, p. 294. n. 60.

Claram Visionem animarum sanctarum ante Iudicij diem docet Angelicus Doctor, p. 299. n. 89. & seq.

Eamdem propugnat Durandus de S. Portiano, p. 292. n. 53. & seq.

Beatitudo vltima, & perfecta consistit in Visione Divinæ Essentiæ, pag. 313. num. 159.

Vitalianus Papa.

Noluit eius nomen eradi ex Ecclesiasticis tabulis, Constantinus Imperator, id rogante Macario Monothelita, & quare, p. 182. n. 866.

Vnitas

Ex parte obiecti, qualiter diversitatem subiectivam potentię non tollat, explicatur, p. 116. n. 592.

Quæ de Deo & Humana Natura dicuntur ob Hypostaticam Vnionem inter Naturam Humanam, & Divinam, p. 122. num. 619.

Voces.

Ex novitate vocis in Dogmaticis aliquando scandala oriri noscuntur, p. 102. n. 533.

Hanc *novam* idem esse, ac *vnam* apud Græcos refertur, p. 110. n. 570. & pag. 111. n. 573.

Voluntas

Hęretici pręter Monothelitas, defendentes in CHRISTO Domino vnam solam Voluntatem, ac operationem, referuntur, pag. 155. num. 574.

Votum

Continentię votum præeminet voto Paupertatis, & votum obedientiæ præfertur vtrique. pag. 381. num. 513.

Apostoli Paupertatis votũ emisserunt, & quando, p. 413. n. 706. p. 424. n. 758.

An Paupertatis votum omni Temporalium dominio denudet voventem? p. 413. num. 709.

Vsus

Licitus vsus, non potest à Iure vtendi separari, p. 400. n. 635. & seq.

Potest tamen à Iure in re absolutè, & simpliciter separari, p. 401. n. 639.

Ab vsu licito non est separabile ius in re secundum quid, ibid. n. 640.

Impossibilis est vsus licitus facti omni iure denudatus, p. 401. n. 641.

Simplex vsus, quamvis separari non possit ab omni iure saltem vtendi, potest tamen à iure proprietatis, & dominij in rebus non consumptibilibus vsu separari, ibid. n. 642.

In rebus vsu consumptibilibus inseparabilis est vsus à Iure vtendi, pag. 402. num. 644. & seq.

Vsus est: Ius vtendi rebus alienis, salva rei substantia, ibid. n. 646.

Aliud est dari alicui vsum rei, aliud dari rem in vsum, p. 407. n. 674.

Vsusfructus.

Est: Ius vtendi, & fruendi rebus alienis, salva earum substantia, p. 394. n. 622.

VVillelmus Episcop. Traiect.

Causam Henrici Imperatoris contra Gregorium VII. agens, mala morte Divinitus mulctatur, p. 638. n. 1747. & seq.

VVitiza, Gothorum Rex,

Clericos publicè vxoratos, & concubinarios permittit in Regno suo, pag. 641. num. 1654.

Z

Zacharias Iustiniani Imperatoris Protospatarius.

A Prædicto Imperatore Romam missus, vt inde Pontificem Constantinopolim vinctum asportaret, p. 195. & seq. à num. 938.

Militiæ Ravennatis, & aliorum Pontifici faventium, timore adeò perterritus est, vt subtus Pontificis lectum latitare sit compulsus, ibid.

Ab imminente tamen vitę periculo, eiusdem Pontificis clementia liber evasit, ibidem.

Multa alia scitu digna, ac memoranda illi contigerunt in hac legatione, quę habentur, ibid.

FINIS

A

FINIS

81
127

2.084